

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Abb. S. 800/801 fehlt



Ad majorem 3. Regum honorem et memoriam
pro morte Vet. mortis comparavit
Abbas Loke. 1694.

Nicht ausleihbar

+4019 087 01

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PRIMITIÆ GENTIUM,

SIVE

HISTORIA

ET

ENCOMIUM

SS. TRIUM MAGORUM

EVANGELICORVM.

AUTHORE

R. P. HERMANNO CROMBACH

è Societate Iesu.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PRIMITIÆ GERITIUM.

SIVE

HISTORIA

ET

ENCOMIUM

TRIUM MAGORUM

EVANGELICORUM.

AUTHORE

R. P. HERMANNO CROMPHAUT

Societate Jesu.

PRIMITIAE GENTIUM

SEV

HISTORIA SS. TRIUM REGUM MAGORUM EVANGELICORUM, ET ENCOMIUM

QUIBUS

PRÆROGATIVÆ EORUM, GENUS, patria, & exspectatio sideris ac Messiæ, profectio, STELLA DUCE, HIEROSOLYMAM, & ADORATIO CHRISTI in Bethlehem:

COMMENTARIO in Caput S. MATTHÆI illustrata.

ITEM

REDITUS, RES GESTÆ, MARTYRIUM,

TRANSLATIONES VARIÆ, ET NOVISSIMA

COLONIAM AGRIPPINAM

Cum aliis Sanctorum Reliquiis, Cultu Sanctorum Corporum,

ET EFFIGIE AUGUSTISSIMÆ STRUCTURÆ METROPOLITANÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ, *qualis futura erit, in æs incisa,*

E SACRIS LITERIS, SS. PATRUM, ET OPTIMORUM SCRIPTORUM Antiquis Monumentis, variorum locorum traditionibus, vestigiis, & Inscriptionibus eruuntur,

OPERE TRIPARTITO

AUTORE

R. P. HERMANNO CROMBACH

Societatis **IESV** *Sacerdote.*

CUM INDICE QUADRUPLICI, CAPITUM, RERUM MEMORABILIUM, Locorum S. Scripturæ, & pro Concionatoribus in Dominicas & Festa totius Anni, locupletissimo.

COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud IOANNEM KINCHIUM, sub Monocerote Veteri.

Anno M. DC. LIV.

Permissu Superiorum & Privilegio S. C. M. generali & speciali.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

21 O.u.H.G. 128
ZV Be (1-3,[1]) (2°)

Universitäts- und Landesbibliothek • Düsseldorf •

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS

Equestris & Patritii Ordinis Viris, ac Dominis

CONSVLIBVS

GERARDO à PFINSTHORN,
ANDREÆ à MULHEIM,

QVÆSTORIBVS

PETRO à WOLFSKEHL,
FRANCISCO à BRASSART,

PROCONSVLIBVS

CONSTANTINO à LISKIRCHEN,
PETRO THERLAN à LENNEP I.V.D.

CENSORIBUS, SYNDICIS, ET OMNIBUS SENATORII ORDINIS VIRIS

LIBERAE IMP. CIVIT. COLONIAE AGRIPPINAE.

CLypeus armorum inclytæ veſtræ Civitatis Coloniæ Agrippinæ, viri Prænobiles; ac Amplisſimi, ſpirat pietatem & inſignem majorum veſtrorum religionẽ, ac cultũ, quem ipſi præcipuis ſuis Divis tutelaribus detulerunt; & per manus vobis poſteris conſignarunt, ut eum vigentem & florentem ſervetis, ſi ſalvam, pacatam, & invictã Rempublicam optatis retinere. Cum enim eodem tempore Tres Reges Magi Evangelici Coloniam transferrentur; quo novennio toto cives in efſodiendis millenis aliquot virgineis corporibus deſudarent; felici pioque conſilio placuit abjectis veteribus Francorum Orientalium armis Gentilitii, inſignia nova potius à Beatis è cœlo quàm terra petere, Scutique ſuperiorem, ſanctis Regibus, tribus aureis coronis in campo purpureo recta ſerie collocatis: inferiorem clypei partem undenis rubeis flammulis in candicanti campo expreſsis, undecim millenis virginibus Martyribus conſecrare. Hanc nobilem teſſeram majeſtate & ſanctitate plenam, ſoricꝫ quidam arrodere non dubitarunt; æmuli gloriæ Colonienſium: quos edentulos efficere conatus ſum in Vrſulanis; inferiore Scuti veſtri regione ante ſeptennium contra Hæreticorum & Catholicorum etiam quorundam calumnias vindicata, ac veteri traditione veſtra ſtabilita.

Armorum Civitatis Coloniẽſis originẽ pia.

defenſa ſcuti inferioris patẽ in Vrſulanis.

Sed ſuperiorem clypei veſtri purpuream, aream tricoronatam

partẽ ſuperiorem Calviniſtæ impugnãt.

)(Calvino

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Calvino Duce ſymmiſtæ ejus Beza & Molinæus cum ejuſdem farinæ Calviniſtis arrodere non verentur : negant Magos Evangelicos fuiſſe Reges : negant numero fuiſſe tres: negant eorundem Coloniæ corpora ſervari, & vanitatis, ſimplicitatis ac ſuperſtitionis Colonienſes arguunt, præſertim Molinæus, qui eos nec exſtitiſſe arbitratur.

& Jacobus de Auzoles quatuor libris

Tolerandum id ab heterodoxis videretur, niſi Iacobus de Auzoles natione Gallus quatuor editis libris bellum apertum Colonienſibus indixiſſet: eos anno 1638. vulgavit, ac Epiphaniã ſeu novas de ea inventiones aptè nominavit: nã anilibus hactenus & inauditis commentis replet: Negat enim à S. Matthæo referri vivorum mortalium hiſtoriam, ſed viſum Paradiſiacorum & cœleſtium hominum: quos adſerit fuiſſe Enoch, Eliam & Melchiſedecum & ex oriente ſeu paradiſo profectos expleta legatione ad paradiſum revertiſſe: nondum mortuos eſſe, nec huc uſque cadavera ſua depoſuiſſe : tum convicio laceſsit Colonienſes & quærit, quænam iſta ſuppoſita ſint corpora: quæ pro Magis Evangelicis oſtentent, cum ipſi vivi & ſuperſtites cum corporibus paradiſi deliciis perfruantur. Horum ut partim inceſtas in cœlites evibratas linguas, partim impudens & fanaticum os opprimam, & primarios civitatis veſtræ Patronos contra venenata eorum tela tuear : eorumque honorem & cultum, quo ſtetit veſtra Reſp. multis ſeculis in maximis bellorum tempeſtatibus incolumis, adſeram, encomia SS. Regum & hiſtoriam omnem è ſacris codicibus, ſanctorum Patrum & optimorum aliorum ſcriptorum voluminibus, & pervetuſtis variarum regionum & locorum veſtigiis, traditionibus, inſcriptionibus & monumentis erui: quibus regiam eorum dignitatem, numerum ternarium, ſtudia, geſta, mortis & martyrii genui complexus; translationes etiam varias, præſertim ultimam Mediolano Coloniam factam, integro libro ſum perſecutus, cujus itinera per Italiam, Burgundiam & Germaniam inſtituta tot notis & veſtigiis non preſsis leviter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixis ad memoriam omnium ſempiternam, ſignata ſuperant, miraculis etiam variis in Burgundia quidem huc uſque continuatis, divinitus confirmata, ut ſi reliqua ſummorum Pontificum deeſſent, & tot coævorum, quæ produco, vel omnium conſequentium ad ætatem noſtram ſcriptorum teſtimonia, per ſe translatio facta fidem apud æquos rerum æſtimatores habere debeat: adeoque merito clypeus armorum veſtrorum tribus coronis aureis in campo purpureo decoratur, & prætorium civitatis vexillum eorundem Regum imaginibus inſignitur: quaſi horum auſpiciis & patrocinio freti fidenter hoſtes veſtros aggrediamini, patriæque defenſionem armis ſuſcipiatis: ac magis pro eorum corporum tutela & cultu conſervando, quam pro liberis, conjugibus & fortunis veſtris dimicetis.

qui refelluntur hoc opere.

translatione Regum Coloniam vindicatã.

cum ſcuto & vexillo prætorio civitatis.

Debetur is honor SS. Regibus; præterquã enim, quod ipſorũ corporũ theſaurus, qui Gentilium poſteris adoptionem cœleſtem ſua virtute & induſtria conciliarunt, omni ſit honore digniſsimus, exſtant tamen

Merita Regum in Eccleſiam cõmunia.

tamen clariſsima in Rempublicam veſtram, ex quo ſcutum ſuum tribus coronis inſignivit, collata beneficia, quæ præcipuam eorum veneratio-
singulatiæ in civitatẽ Coloniens. nem exigant: Ac illud inprimis, quod intra 20. poſt eorum adventum annos tanta ſit facta peregrinorum acceſsio, frequentia civium, & opum abundantia creverit, ut cum veterum Agrippæ mœnium angu-
ſtiæ non caperent eam hominum vim, iis perruptis & apertis pome-
rium urbis ita ſit ſpatiis in omnem cœli plagam maximis ampliatum, ut ab oriente medium alveum veterem Rheni cum inſula S. Martini
ampliatã quarru. majoris Abbatia, & Parochiis Brigittana Lyſolphiana S. Lupi & Martini minoris parte magna, foro item foenario & antiquo urbanis mu-
plia ſpatiis corũ adventu. ris comprehendat: ab aquilone Cunibertina, Vrſulana, & Andreana collegiatæ Eccleſiæ cum agro toto Vrſulano, parochiis, coenobiis, & parthenonibus variis acceſſerint. Ab occidente Ager Maurorum & Thebæorum ſanguine purpuratus, S. Gereonis & ſanctorum Apoſtolorum collegiatæ baſilicæ cum Parochialibus aliquot intra pomerium ſint receptæ. Sic ad meridiem S. Severini & Georgii collegia, S. Panthaleonis Abbatia, multi parthenones, & paroeciæ ſuburbanæ urbicis ſunt adjunctæ: ut cum vetus Agrippæ moenibus comprehenſum oppidũ vix quinas parochias numeraret, paulatim quatuordecim acceſſerint, & jã novẽdecim urbanæ numerentur, quadrupliſq; ſpatiis, illis turritis moenibus novis ſit auctior facta civitas: addo & ditior: nam Fridericus Barbaroſſa Cæſar teſtatur à civibus ſolis in ſtructuram novarum ædium & munitionem urbis duo marcarum millia fuiſſe erogata: quæ eo tempore ingens argenti vis cenſebatur. Adeoque brevi triplo pluriũ ædium & civium incrementum occaſione ſanctorum Regum allatorum factum, urbis novæ natalitium nomen mereatur: tribuſque coronis triplex regius natalis
tres ejus natales. Agrippinæ poſsit etiam indicari.

Primus Gentilitius eſt, & coepit cum natalibus auſpicatiſsimis Regi-
primus Gentilitius Agrippa conditore. næ coelorum Deiparæ, quando autoritate & juſſu Auguſti Cæſaris, Agrippæ, traductis in hanc citeriorem Rheni ripam Vbiis, oppidum vetus condidit, quod Claudius & Agrippina Auguſti circa annum 52. deductâ Romanorum civium colonia auxit, & Trajanus patriciis familiis & nobilibus ornavit: ideo merito natalis hic regius & Auguſtus, ipſaque civitas auguſta diu fuit nominata.

Succeſsit natalis alter Chriſtianus, quando longè plures Martyres in-
alter Chriſtianus tẽpore Vrſulani Martyrii. quilini futuri, quam cives tunc numerabantur, acceſſerunt: quos inter eminuit Cyriacus antiſtes Romanus tricoronatus: complures reges & reginæ: plurimi Regum filii, filiæque: ſed in his pleraque virginum millia præter communes ceteris duas aureolas virginitatis & martyrii, tertiam etiam Doctorum ob plurimos Chriſtianæ fidei aggregatos, coronam meruerunt: ut liceat Vrſulanam ſodalitatem à potiori & nobiliori parte tricoronatam nominare.

Terti⁹ natalis eſt, quo poſt receptos tres Reges, aucta quadruplis ſpatiis
Tertius allatis ampliorib⁹ Colonia ab ipſis inſignia mutuata, tres ſcuto ſuo coronas in-

Regibus & mutatis insignibus

didit: insigni victoria de tribus potentibus Germaniæ Principibus Conrardo Comite Palatino Cæsaris fratre, Friderico Sueviæ Duce Conrardi Cæsaris filio, & Ludovico Landgravio Hassiæ & Thuringiæ, biennio post translatos tres Reges in Andernacensi campo reportata: tunc enim

ob insignē victoriam.

civitas cum Archidiœcesi fœderata pars exercitus fuit, qui centū viginti quinque armatorum millia numerabat: & hostem à quo die dicta ad certamen provocatus fuerat, dies duodecim exspectavit: sed is tantis bellatorum copiis visis, in latebras se conjecit, & Colonienſi Civitati & diœcesi cum victoria Tres Reges reliquit, insigne parti triumphi & regium monumentum: ut merito majores vestri Reges tam propitios experti

Coronis tribus prærogativæ indicātur.

tunc, cum triplo ferè numero domorum & civiū sensim crescerent, quasi oriēti novæ Reipublicæ, repudiatis veteribus armis, à Regibus nova sumserint, auspicato felicique omine tribus aureis coronis ornando scutum. Quâ quidem triplici coronâ, Cleri, civitatis & Athenæi seu universitatis excellentia & prærogativæ possunt designari.

Archiepiscopi & Cleri.

Nam primo Colonienſis Archiepiscopus inter Electores magna in aurea bulla n. 4. & 5. dignitatis & officii habet prærogativam: Clerus Me-

Civitatis.

tropolitanus maximam partē ex Imperatorum, Regum & Ducum filiis vel propinquis aut aliis illustrioribus familiis vel eruditissimis conflatur. Respublica Colonienſis in Imperio Romano ceteras civitates, ut fidei integritate & constantia, sic honore ferè antecedit.

& universitatis.

Tertiam coronam Athænæum Colonienſe seu universitas sibi jure vindicat, Magistratus Colonienſis impendiis & cura inchoata: quæ post Parisienſem, quam ut matrem veneratur, auctoritate pluribus præpollet & modo si unquā in facultatibus singulis Doctorum & Professorū eruditione, auditorum frequentiâ, concertationum & excertationū ceterarū acrimonia floret: præcipuè verò ob fidei Catholicę incorruptā integritatē & promtū Sedis Apostolicæ sanctionibus parēdi studiū cōmendāda.

Horū concordia florent omnia. *Ecc. 4. 12*

Felix & beata Colonia quoties triplex hæc corona mutuo concordiæ vinculo sociatur & sibi reciprocis officiis, adminiculis, & consiliis auxiliatur: *Hic Funiculus triplex difficile rumpitur*, in Trismegistis nostris sanctis Regibus adumbratus, qui Philosophorum, Medicorum, Iurisperitorū & Theologorum tēporis sui sapientissimi, adeoq; Magi à scientiæ magnitudine nominati, feliciter regię dignitati sacerdotium & Archiepiscopalē dignitatem etiam copularunt: ut pari ratione in eadem Republica designarent tunc ejus florentē & invictum fore statum, cum Clerum, Lycæum

& invicta sit respublica.

& cives eadē voluntatū consensio & nexus mutuæ caritatis & concordiæ animabit & omnes eodē spiritu in eandē religionem, publicā tranquillitatē, & partium singularē conservationē & adjumentum conspirabunt.

Clerus imprimis defendendus.

Iam verò si partium singularum integritas, decor & ordo sit necessario conservandus: nemo non videt, quantū ceteris emineat officii dignitate, necessitate muneris & obligationis rigore Clerus & Præsules: qui in Republica qualibet Dei vices agunt, animorum saluti prospiciunt, coelestia & æterna dona bonaque Secularibus largiuntur.

Nulli

Nulli ad æternam beatitatem obtinendam, quam Clerus ſecularis & regularis magis laicis neceſſarii ſunt, à quibus genitali fonte luſtrati gratia iureq; cœleſtis regni donantur, eoque peccatis deſtituti, rurſum ornãtur: ut medicorum, paſtorum, imo parentũ loco colendi, & honorandi ſint, eoque nomine naturalibus genitoribus à quibus mortalẽ vita accepimus ſint præferendi, quod animum immortalem paſcant eique vitam divinã impertiantur, & coeleſti ditent hereditate: unde quãtum animus præſtat corpore, coelum terrâ, Deus homine, tantũ antecellit munus Clericorũ illud omne, quod laicis committitur, quo ſola publica tranquillitas & corporis bona fortunæque conciliantur. Cavendũ igitur, ne gravioribus exactionibus premantur, vel etiam ab improbis, invidis, & obtrectatoribus moleſtiis, injuriis & calumniis ſinantur affici. Quomodo enim ſeculares propitium ſperabunt ſibi Deum, ſi ejus domeſticos & internuncios violari ſinãt vel opprimi? quomodo divinã mitigabunt iram, ſi legatos ejus, quorũ opera redire debent in numinis gratiam, exoſos habeant vel perſequantur? Nõ hæc eo dicuntur, ut vos hac in re officio defuiſſe judicem, cum gaudeam eos inter vos clavum tenere Reip. qui ut dignitate, ſic pietate, & virtute ceteris antecellunt: ſed ut tam hæreticorum, quam imperitorum quorundam è populo, qui calumniis interdum ſuis magiſtratum in Clerum concitare non verentur, ora facilius veſtrâ prudentiâ opprimantur, dum jure tutelam fortunarum & honoris Cleri apud populum ſubſcipitis: qui veſtræ ſalutis æternæ & animarum cuſtodes, rectores, & defenſores ſunt apud Deum conſtituti. Pari ſolicitudine curaq; univerſitatis honori, ſplendori, & progreſſui à vobis ut ejuſdẽ Mecænatibus & Proviſoribus eſt proſpiciendum: Ex ea enim Cleri & Magiſtratus veſtri clariſsima lumina, & ordinum religioſorum ſidera quædam prodeunt & prodierunt, quorum literariis monumentis & geſtis non Germania tantum ſed univerſus orbis Chriſtianus illuſtratur: de quibus in annalibus veſtris commodior erit agendi locus. Hiſce tribus coronis veſtræ Reip. gloriosè ſplendentibus, dũ ſingulæ ſuis aptè fungũtur partibus, gaudent partis juribus & privilegiis, & idoneis augẽtur membris ac mutuo fœdere concordiæ, vinculis benevolentiæ & obſequiis ſibi invicẽ copulãtur, Reipublicæ totius majeſtas, vires, & auctoritas creſcit, apud Deũ & homines, ſplendet nativo & ingenito ſibi fulgore, nec magnopere hoſtes exteros pertimeſcit: ſi ſibi & capiti Eccleſiaſtico & Politico cõpacta & coagmentata cohæreat: Quod ſi tamen harum coronarum ſplendor nonnihil caliginis & obſcuritatis ab hæreticis hactenus in civitate toleratis participarit: id brevi confido, elapſo quinquẽnio pacis Monaſterienſis conſtitutæ, & vigore inſtrumenti ejuſdem tractatus, eliminatis ipſis Heterodoxis auferetur: nam cum his, multarum diſcordiarum olim hic autoribus, ejectis, tranquillitas maior, coeleſtium donorum abundantia, religionis fervor, cultus Patronorũ refrigeſcẽtis ardor poſtliminio revertentur. Nec eſt quod imperiti quidam vacuitatem ædium, inquilinorum defectu, commerciorum raritatem, & mercaturæ maioris, copioſioris: & quæ-

plus ei quam parentibus obligamur.

vindicandus ab injuriis.

univerſitas promovenda.

fructus hujus concordiæ.

ſublatis hæreticis.

efflorescet Catholicorũ mercatura.

& quæſtuoſioris ceſſationem reformident: Sat opum, ſat ingenii, ſat induſtriæ habent Orthodoxi cives ad continuandas quæſtuoſiſsimas etiã negotiationes, ut uſus docuit, & ipſi recordamini cum alias tumultus excitati rei mille facile capita ſectariorum ex urbe eliminarẽtur & radix incideretur hæreſis, ne novi Acatholici neque hæreticorũ filii civitate donarentur, à Catholicis mercaturam quamvis continuatam: ac in byſſo & quavis aurea tela feliciter inſtitutam, & modo fieri, magno quæſtu: cũ id genus lucri ſectarii ſibi proprium reddidiſſent. Creſcet etiam inquilinis civitas, ob templi Metropolitani fabricam centum & 40. facilè annis intermiſſam Deo favente, ut ſperamus: cum paulum reſpirarit diœceſis reſumendam, quæ ſicut exortâ hæreſi ceſſavit, eâ proſcriptâ, facilius inſtaurabitur, & cultus S. Petri & SS. Regum langueſcens revireſcet. Cum hac fabrica creſcent commercia, peregrinorum & exterorum Catholicorum affluet multitudo, ac fraudibus, dolis injuſtis lucris & monopoliis ſublatis, quæ tolerat & tuetur, adeoque in hanc urbem invexit hæreſis: ærarium etiam urbis ſolutis fideliter vectigalibus ditabitur, majori fide, & ſincera mente abſque fuco & fallaciis negotia publica & privata gerentur: & quæ lucra quæſtuſque ad ſolos hæreticos arcto ſocietatis fœdere devinctos devolvebantur, eadem Catholici inſtitores, ſimili vinculo ſociãdi participabunt: dum velut utiles herbæ ſuccum omnem ad ſe, ſublato lolio, trahent. Nec dubitandum eſt, cum civitates omnes religione magis ac divino favore, cœlitumque patrocinio, quam fraudibus, iniquis lucris, & quibuſvis humanis artibus creſcant, ut hujus urbis allatis SS. Regibus incrementa maxima confirmant, quin quo magis deinceps ſincerus fidei orthodoxæ fervor, ac cultus Divorum Tutelariũ proficiet, erogatis libenter in eam fabricam, quantum cujuſque facultates patientur, impẽdiis, eo major iterum futura ſit Colonienſis urbis opum, civium & mercium illatarum acceſsio: Rata manet & fixa Chriſti certa promiſsio: *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus & hæc omnia adjicientur vobis.* Nã conſtantem & ſolidam pietatem, adjuncta poſtea ſolertiâ quadam in negotiis diligenter conficiendis & induſtriâ, conſequitur felix rerum agendarum ſucceſſus, quas non cæca, volubilis & inconſtans fortuna temerè regit, ſed æterna Dei ſapientia & providentia, velut auriga vigilantiſsimus, expertiſsimus & potentiſsimus temperat & moderatur, ut certis, deſtinatis, & efficacibus modis & viis finem optatum attingant. Quid majores veſtri in Metropolitana ſtructura præſtiterint olim, ſatis demõſtrant coronæ veſtræ in feneſtris ejus variis in locis fulgidæ: Manent ut olim civitatis Patroni & Tutelares principes: quibus adductis auctã quadruplis ſpatiis civitatem agnoſcitis libenter: & olim Senatus univerſus quotannis inſigni ſupplicationis pompâ ad mauſolæum Regum inſtituta ſupplex eos venerabatur. Conſtat enim anno 1513. ſedato populari tumultu, ex Senatus-Conſulto, ſimulque Plebiſcito legem ſuffragantibus omnibus latam, ut quotannis in pervigilio Epiphaniæ Magiſtratus univerſus & 44. de plebe, cum Syndicis etiam, Protonotariis, Secretariis & accenſis

ereſcet civium frequentia reſumta fabrica ſummi templi

per piam liberalitatem opes. *Matt. 6.*

& felix rerum Deo favente ſucceſſus.

imitandi majores in cultu *SS.* Regum.

V. concordata anno 1513. erecta

accensis seu famulis togatis sub curia colligerentur, inde Capitolium petebant, in quo Senatus more veteri solennes exsequias vel celebritates majores habere consuevit: fusis ibi ad Deum precibus, è Capitolio recta Metropolitanam ædem adibant, ut sanctos Reges supplices venerarentur & eorum tutelæ præsidioque civitatem commendarent, quos etiam oratione completa donis oblatis honorabant: inde redibant ad curiã, & in Senatorio sacello concio solennis habebatur, & sacrum ad Dei Opt. Maximi, Sanctissimæ Dei genitricis & SS. Regum honorem cantabatur. Piam hanc legem & consuetudinem hæresis sustulit, quæ licet nunquam urbi sit dominata, nec stabilem erexerit in ea, Deo laus, pestilentiæ cathedram, è qua publicè populo venenum tartareum propinaretur, bis tamen intra seculum idem infecto hæresis toxico Præsule, multis etiam in viscera Reipublicæ receptis incolis ea tabe corruptis, cultus pristinus SS. Regum multum remisit, intermissa paulatim ea supplicatione & patrocinio vicissim eorum non sine periculo exitii civitatis languescente. Nũc cum hæresios, ut confidimus, interitus hic immineat, & inflãmandi cultum sanctorum Regum occasio peridonea præbeatur, eã spero non negligendam, promoto suo tempore viis commodis opere fabricæ, quæ si magnificentiã exteriorem admirabilis structuræ spectemus, & exquisitam lapidum polituram, columellarum, cimatiorum, & pyramidũ ornatum, antarum pulchritudinem & robur, signorum venustatem, quæ in idea turrium geminarum adjunctâ licet intueri: illa tanta moles tam exquisitè fabricata, si ei manus extrema adderetur, miraculis Europæ adnumeraretur. Quo magis vobis adnitendum, ut tãtum urbi vestræ accedat ornamentum. Curiam vestram majores ad decus & splendorem publicum ex vivo sectoque lapide cum turre celsissima sic construxerunt, & statuarum signis venustissimis undique coronarunt, ut quæ in summo loco posita sunt infimorum proportioni tã aptè respondeant, ut omnia ejusdẽ esse magnitudinis videantur. Addiderunt in fastigio summo speculares fenestras, per quas in omnes partes subjectæ civitatis prospectus pulcherrimus aperitur. Chronicon Colonienſe turrim eam senatoriam quinquaginta millibus aureorum ait, constitisse, & ex proscriptarum nobilium familiarum bonis illatis ærario constructam anno 1407. scribit: at Ioannes Liskirchius quintum civitatis Colonienſis Consul, tuusque Constantine avus, in eruditissimo genealogico Liskirchidarum opere Rolandum Odendorpium anni inlequentis Consulem autorem ejus facit: qui leptennio quæsturæ suæ magna diligentia & arte summa eam exstruxit, ut ipse censet, centum millibus: nam parentem suum Constantinum decimum Consulẽ testatur in Quæstura mœniana vestra & porticum subjectam marmoream cum tecto & ambulacro splendidissimo anteædes prætorias cẽtũ & decẽ aureorũ millibus ædificasse. Sunt ea publica civitatis opera maximo ei fateor ornamento, maiori tamen erũt, si ad divina simul augendam gloriam & tantorum Regum ornandũ mausolæum sumtus licet majores conferantur. Digniores hi turribus istis geminis,

qui insigné annuã supplicationem adtres Reges instituerunt.

elegans structurã basilicæ eorum.

perficienda ad ornamentũ civitatis.

descriptio turris Senatoriæ.

sumtus impensi in eam.

& in mœniana ac porticum marmoream.

utilius in hanc fabricam insumentur.

geminis; honori eorum construendis & consecrandis: quam immani Romanâ mole Adrianus, vel Augustus; aut pyramidibus cœlo minitantibus AEgyptii Pharaones, utilius ad horum Divorum tutelarium decorandos tumulos profunduntur opes, quorum patrocinio & tutela cives eas comparârũt, & contra tot harpyarum rapinas defenderunt: Qui simul custodes sunt urbis hujus, muri, turres, præsidium & propugnaculum invictum. Quidquid in horum Basilicæ structuram impenditis, munitioni pariter & splendori civitatis adijcitis. Quam cito hi adventu suo Coloniam cum Archiepiscopo discordem conciliavit, Clerum populo devinxerunt: & tot bellatorum millia contra potentissimos hostes opere tumultuario collecta armarunt & animarunt, quot à condita civitate nunquam defensores habuit? quã subito iidem hostes profligarũt, Civitatem & diœcesin ipsi Friderico Barbarossæ formidabilem reddiderunt, & tam amplis spatiis, auxerunt, qualem videmus hodie, dignamque Cæsares judicarunt, ut primas inter urbes imperii obtineret? Sed hæc clarius ex ipsis encomiis & historia Trium Regum cognoscetis: eam vestris Amplissimis DD. ad trium coronarum scuti vestri defensionem merito inscriptam, suscipite benevolis animis: Ex ea regiam Magorum dignitatem, & ternarium numerum omnium ferè seculorum incorruptissimis testibus stabilitam: translationem verò Coloniam tot coævis scriptoribus & omnium insequentium seculorum testibus, Pontificum Romanorum bullis, Regum multorum & Cæsarum peregrinationibus, ac cultu publico multisque prodigiis testatissimam, oppressis obtrectatorum calumniis intelligetis, ut magis deinceps in horum præcipuorum civitatis vestræ Divorum Tutelarium cultum augendum totis viribus incumbatis, si salvam Rempublicam vestram, florentem, opulentam & invictam servare desideretis. Coloniæ 7. Aprilis Feriis Paschalibus, Anno 1654.

ad tutelã urbis.

ob Regũ merita.

Præmob. & Amplissim. DD. VV.

Addictissimus & Officiosissimus

HERMANNUS CROMBACH
è Societate Iesu.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PRÆFATIO PARAENETICA.

AD OMNES ORTHODOXÆ FIDEI Status Ecclesiastici & Secularis Primores, & Christi-fideles, de beneficio fidei, gratiæque divinæ, à SS. REGIBUS impetrati, totius Operis œconomia, & Basilica REGUM concameranda.

INter reliqua divinæ largitatis beneficia, quæ plena in nos congessit manu, non minimum est, quod spretis Iudæis, è Gentilium populis oriundos fidei luce collustrarit, & efficacibus gratiæ donis affectis, jus regni cœlestis adeundi sit impertitus: sed prô dolor facile tanti beneficii memoria solet excidere, quod rarius æqua lance trutinetur. Iure magni facimus corporati verbi mysterium, & ortum servatoris nostri festivis gaudiis peragimus, velut primam nostræ salutis originem, majore tamen animi lætitia Paschalem solennitatem celebramus, in qua Christus obita pro nobis ignominiosa morte cum triumpho victor & redivivus apparuit, ut nobis in vitam immortalem revocatis spem faceret corporis animiq; beatitatis acquirendæ. Paria tamen, vel majora etiam in Gentiles, & ex iis natos vel nascituros Christus officia contulit in Epiphania, quando prius trium Regum mentes occultis divinis impulsionibus, & affectionibus; postea permotus eorum animi demissione, nostras etiam efficienter incitavit, ut fidei recepto lumine, cordis penetralia divino amori reseraremus. Quid enim nobis ortus & perpessio Domini profuisset, nisi stella divinæ fidei nobis illuxisset, & per efficacitatem gratiæ filii Dei constituti jus cœlestis hereditatis obtinuissemus?

beneficiū cœlestis adoptionis.

comparatur cū redemtionis gratia.

eique præfertur.

Hujus beneficii magnitudinem obcæcatio demonstrat tot infidelium nationum & Iudæorum: quam multi enim vivunt hodie Saraceni, Turcæ & infideles, quibus jam tot, post Christum natum & passum seculis, superstitibus, nunquam leviſſimus fidei Christianæ radius illuxit, qui de Christo nunquam ne fando quidem audierunt? Longè tamen his infeliciores hæretici, qui licet orthodoxam fidem audiant, suis tamen opinionibus, quam ei malunt adhærere: sed infeliciſſimi Iudæi, qui efficacibus & copiosioribus gratiæ præsidiis destituti ad splendorem hujus oblatæ fidei, quasi solis fulgore hebetata visus acie sic caligarunt, ut oculos penitus ab adspectu divinæ lucis averterint, Messiam tot seculis exspectatum, tot votis Patriarcharū, Regum & Prophetarum expetitum, tandem è cœlis ad propinquos & tribules venientē, per summam indignitatem & atrocitatem rejecerint, contumeliis affecerint, & morte turpissima condemnarint. Deerant scilicet iis copiosiora spiritus S. adjumenta, quæ nobis immeritis oblata, nos ad lucem divinam recipiendam permoverunt, ut non minus huic beneficio commotionis efficacis divinæ ad fidem & amorem Christi recipiendum debeamus, quam illi, quo nos ortu suo vel obita morte nostræ salutis vindex & servator à dœmonis dominatu liberavit, quando fructus huius beneficentiæ non nisi per

ob cæcitatem infidelium.

carentiū efficaci vocatione.

gratiæ efficientiam adultis applicatur. Adeoq; nobis evenire solet idem occultè in luce fidei gratiaq; divina recipienda, vel recepta retinenda & conservanda, quod manifestè sanctis tribus Regibus scimus contigisse: si eorum exemplo nobis oblatam non respuamus: iis enim improviso cœlitus affulsit lumen, quod & oculos inusitato splendore astriq; novitate mirifice recreavit, & mentem ita cœlesti vi perculit, ut statim Deum crederent esse natum hominem, & eius videndi desiderio incensi spretis opibus, relictis regnis, desertis coniugibus, per mille vitæ pericula profecti sint, ut recens ortum cœli regem coram oblatis muneribus totius mundi nomine adorarent, ei sceptra submitterent, subiectos ei suos populos & totam Gentilitatem (cuius Legati censebantur) commendarent. Qua quidem fidei magnitudine, moderatione animi, taraque pietate (dum eum, quem Iudæorum principes & optimates velut pauperem & egenum despiciebant, ipsi Gentiles ut Regem supplices honorarent, ut Deum in terram abiecti supplices adorarent) hoc teste SS. Chrysologo & Augustino nobis Gentilium posteris de congruo meruerunt, ut cum Iudæis Christum infantem spernentibus copiosiora sensim dona divinæ beneficentiæ negarentur, deinceps Gentilibus ipsi fontes largitatis panderentur. Nam licet Iudæis olim Deus se tot promissionibus obligasset ob sanctitatem Patriarcharum Abrahæ, Isaaci & Iacobi, quorum trium ideo peculiari beneficio dici Deus voluit, spreto tamen paulatim ab Epiphaniæ tempore (magis tamen post irrogatam Christo necem) Iudæorum populo, iam tum obturato, Gentiles firmius adoptavit, horum triumvirorum invitatus obedientia & pietate: ut hinc in nos hodie Gentilium populos tam copiosè divinæ gratiæ fluenta deriventur; meritoque nobis sæpius collati beneficii & donatæ fidei gratiæque divinæ magnitudo & excellentia patrocinio trium Regum obtenta sit recolenda, sine quo nobis nihil prorsus natalis & mors Christi profuisset, ut crebro nos pro tanto munere Deo gratos exhibeamus: & hos fidei nostræ parentes post Deiparam honore præcipuo veneremur, ac imitari studeamus Illustrissimum Baronem Georgium de pace & Silveira Commendatorem S. Quintini de monte à Graco Ordinis Christi ac equitem S. Iacobi Madriti intra annum demortuum: is moriens tres curavit lampades argenteas fabricandas & primam Hierosolymam ad sepulchrum dominicum ob redemptionis beneficium destinavit, alteram Lauretum ad verbi corporati & Deiparæ ab Angelo salutatæ honorem misit, tertiam mandavit ut Coloniam transmitteretur, & coram mausolæo trium Regum perpetuum nutriret ignem, adiecto censu annuo centum imperialium, ut abundet luminis alimentum, & reliquum in eleëmosynas vel ornamenta templi impendatur: ita Beatrix vidua post obitum mariti 10 Septembris Coloniam Anno 1653. perscripsit ad Metropolitanum Colonienſe Collegium. Agnovit is post servatorem & Deiparam plurimum se Primitiis Gentium obligari, quod Christi regnum fidem & gratiam à Iudæis ad Gentiles transtulerint, eosque filios lucis æternæ reddiderint formâ vivendi relictâ perfectæ cumulataque virtutis, quam in parendo divinis inspirationibus & impulsionibus exprimamus. Ideo desertis postea regnis Episcopi vitam reliquam pascendo gregi dominico traduxerunt, & martyrio coronati tam Ecclesiasticæ quam secularis vitæ sectatoribus & primoribus facem absolutæ perfectionis prætulerunt: dignissimi quos novo lumine perpetuo Georgius dictus honoraret.

quam Reges Gentilibus de congruo meruerunt.

culti ideo recens lumine perpetuo.

suntq; fidelibus propositi ad imitandum.

Miror equidē tot heroica vitæ Christianæ decora, quibus excellentissimæ virtutis speciem & formam posteris adumbrarunt, curtim & leviter tantum à Scriptoribus pertractari, cum mereantur, ut pro rerum gestarum magnitudine & dignitate discutiantur accuratius, ac moribus nostris accommodentur: nam cum à S. Chrysostomo fidei nostræ progenitores appellentur, æquum videtur, ut genuina virtutum Regum lineamenta velut non degeneres filii exprimamus. Ideo sigillatim earum ornamenta proponam, suisq; momentis ponderabo: quæ non minima pars erit encomiorum: ac opus totum tribus tomis partiar.

Ideo gesta eorū sunt enucleatius discutiēda.

Tomo

operis totius œconomia.

Tomo primo, ut lectio reliqua iucundior sit præmittam encomia, quibus prærogativas eorum, oracula de iis reddita, beneficia Gentibus ab iis impetrata, figuras etiam, patriam & exspectationem Messiæ comprehendam.

Altero tomo sacram D. Matthæi historiam secundi capitis, quo gesta Regum in itinere, Hierosolymis & Bethlehemi continentur, commentario illustrabo.

Tertio Tomo reditum eorum & mortem, translationes & cultum eis præstitum, cum effigie augustissimi Colonensis summi templi honori eorum consecrandi persequar, ut illorum meritorum excellentia invitati cupidius vestigiis ipsorum insistamus, & largius ad basilicam eorum verè regiam concamerandam consilium, opem & sumtus conferamus.

beneficia eorũ collata fidelibus.

Nam cum post sanctissimam Dei Genitricem, Apostolos, & primos regnorum vel provinciarum quarumlibet fidei præcones, & fundatores plurimum omnes Christi fideles ex Gentibus procreati debeamus his sanctis Regibus, quod summa velocitate centenis aliquot leucis decursis, sua fide, animi demissione & adoratione supplici præ Iudæis mundi Salvatorem ita Gentilibus conciliarint, ut veteri spreta Synagoga regnum & sacerdotium Christianum ad Gentiles transtulerit, religione evangelica cunctis orbis nationibus Apostolorum opera publicata, & ex iis delegerit Ecclesiæ suæ primarios antistites, Doctores celeberrimos, invictissimos Martyres, & Virgines integerrimas, quibus ut membris suis præcipuis & nobilissimis orbe toto disseminatis corpus Christi mysticum mille jam & sexcentis ferè annis contineretur, ut fusè libro primo declarabo; ideo postulat ratio, flagitat æquitas, & gratiæ referendæ studiosa voluntas exigit, ut hos nascentis Ecclesiæ primos Apostolos, nutricios, & structores cultu præcipuo veneremur, & ad testificandam animi grati significationem ipsorum conditorium perficiamus, ornemus, coronemus. Neque fas est tales Gentium omnium Patriarchas unius populi cultui relinquere, qui totum sibi Christianum orbem suis meritis obligarunt, quique communes sunt totius Ecclesiæ præsides, custodes & defensores, ac statum utrumque secularem & Ecclesiasticum complexi primum regale sacerdotium inchoarunt, dum coronas infulis, ac regna sacerdotiis feliciter copularunt, adjecta purpuræ regiæ, sanguinis purpura. Digni sunt ideo Reges illi potentissimi pariter & antistes sanctissimi, ut eorum memoria perennet apud Monarchas seculi & Hierarchas Cleri, tumulique regiis fulgeant ornamentis, & Ecclesia splendeat augustâ magnificentia, qua gloria cœlestis iis collata in terris saltem adumbretur.

exigunt grati animi testificationem.

in eorũ tumulis ornandis.

Sed non sufficiunt unius Archidiœcesis vel provinciæ facultates ad dignam tantis Regibus, iisdemque Pontificibus & orbis totius fidei Magistris basilicam & mausolæa construenda: qualem maiores, ante quadringentos annos inchoarunt Tomo tertio delineatam. Trecentis annis prope in ea mole quæ visitur, erigenda laboratum est, solus tamen chorus testudinem accepit altitudinis præstitutæ: turris unica tertiam celsitudinis debitæ partem obtinuit: ut igitur concameratio saltem reliqua par altitudini chori citius absolvatur, Monarchas, Reges, & viros Principes; nec non ordinis Ecclesiastici primores, imo fideles omnes decet, quantum opes patiuntur, subvenire, cum Reges Magi cunctos à Gentilibus ortos fideles immortali fidei gratiæque divinæ receptæ beneficio devinxerint, adeoque congruat æquitati, vicissim ipsos cunctorum opibus splendescere, cultu & obsequiis totius orbis celebrari: omnium vocibus, laudibus & præconiis extolli, quibus ut filii parentibus, quorum auspiciis divinam adoptionem & cœlestem hereditatem obtinuerunt, æternum obligantur. Iam verò cum nequeant eorum corpora singulis regnis & regionibus communicari, decet uno saltem in orbis loco cunctorum obsequiis honorari. Sic hactenus seculis omnibus, ex quo Coloniam translati sunt, plurimi Cæsares, Reges, Duces & Principes eo religionis causa confluxerunt, ut libro postremo multis exemplis patefiet.

ab omnibus fidelibus sũt honorandi.

præsertim Regibus.

concursus peregrinorũ principum ad eos ætate nostra.

fiet. Nec nostra desiit ætate cultus ille religiosus: nam anno 1624. mense Augusto Vladislaus Poloniæ tunc Princeps postea Rex, & ad miraculum Turcarum, Tartarorum & Moscovitarum triumphator supplex sacra Regum corpora piè veneratus est: cujus sereniſſima soror Anna Catharina Constantia Philippo Wilhelmo Iuliæ Duci connubio fœderata, frequenter Coloniæ mausolæum eorum visit & muneribus honoravit: gavisa quod in hac eadem civitate sub eorum tutela in agro Thebæorum An. 1652. 9. Octobris defungeretur. Huc etiam Maria Medicæa Regina Franciæ trium potentissimorum Regum Franciæ, Angliæ & Hispaniæ mater, avia, vel socrus, profecta, venit, ut sub iisdem Divis tutelaribus quietius & securius moreretur: quæ anno 1642 3. Iulii decedens voluit intestina sua in sacello Regum inter loculum eorum & altare funerari. Hispania Coloniam anno 1634. misit Ferdinandum Infantem Cardinalem & Archiepiscopum Toletanum, qui multis stipatus belli fulminibus, victor è Nortlingano prælio veniens eosdem pie visit. Italia complures S. R. E. Cardinales huc destinavit: Ginetti, Rosetti, Machiavelli, Caraffam, & Chisium orbis decora, columina totius Ecclesiæ, nisi quod Machiavelli recens mors terris subduxerit, omnes isti cum tota familia sacros Regum cineres insigni religione sæpe sunt venerati. Germania Wolffgangum Casimirum Moguntinum Electorem ejusq; dignissimum successorem Ioannem Philippum à Schönborn, Carolum Casparum à Petra Trevirensem laudatissimum Præsulem, Ernestum Archiducem Austriæ, Wilhelmum & Albertum Duces Bavariæ, Duces Lotharingiæ, Iuliæ, Arscottanos, & innumeros alios ablegavit. Insignis etiam eluxit pietas Cardinalis Hohenzollerani & ejus in Cathedra Osnabrugensi successoris probatissimi Francisci Wilhelmi: qui sæpius ad hoc opus regium perficiendum mihi stimulos addere dignatus est, suggestis variis de S. Atsatio, & literis initialibus Regũ ostiis inscribendis ex vetere Bavariæ instituto, quæ meam fugerant memoriam: transmisit etiam humanissimè adumbrationem sacelli & mausolæi triregii suæ Celsitudinis pictoris manu lcitissimè delineatam, quam tomi tertii figura exhibet. Nec silendus Gaspar Nemius Cameracensis Archiepiscopus festo Epiphaniæ natus, is ipso inaugurationis Maximiliani Henrici Colonienſis Metropolitæ die 26. Octobris Anno 1650. Coloniæ fuit, & postridie sacrum in sacello Regum dixit, lacrymis præ gaudio obortis, dum sacra corpora tot annis desiderata coram intuitus supplex adoraret.

Cardinalium.

Ita fatentur & agnoscunt adhuc omnes Europæ nationes, communes hos esse Christiani populi tutelares, de omnibus gentibus & fidelibus optimè meritos, omnium linguis merito celebrandos.

decreta concameratio templi.

Dabitur forte & absentibus occasio suam animi grati testificationem iisdem declarandi: dum Maximilianus Henricus Archiepiscopus & Elector Colonienſis annis prope 140. templi Metropolitani inter n issam ædificationem decrevit, cum paulum respirarit, instaurare, promissis de suo non modicis impendiis; Capitulum etiam Metropolitanum, Archidiœcesis tota, civitasq; Colonienſis creduntur sumtus, opem & operam collaturi: quin & privati nonnulli magnam vim auri ad concamerationem perficiendam pollicentur. Nec tamen ista sufficiunt ad totum opus arcuatum templi pari structuræ magnificentia, decore & politura absolvendum, ut necessario sint Pontificium, Regum & Principum virorum subsidia conquirenda, exemplo majorum, quos exterorum munificentiam imploraſſe demonstrat tanta gentilitiorum armorum varietas & multitudo infenestris expressa,

sumtus necessarii pro

summorum Pontificum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Cæsarum, Regum, Rerum publicarum & principum Europæ totius familiarum, qui facultatibus suis fabricam promoverunt. Iterum collectitiis impendiis opus est, nec ut quidam autumant infinitis: nam cum pro testudine septem arcus majores in brachio transverso, & sex pro navi ad turres usque geminas requitantur, singulique ad summum decem imperialium millia pro muris &

colum-

columnis altius educendis, pro paraſtatis, & feneſtris, perficiendis, exigant, ita ut ſi quid arcu majore conſtructo reliquum ſit, ad ſacelli regii ornatum, portarum, & turrium & minorum arcuum ſtructuram reſervetur. Quæ ſumma argenti, ſolicitatis primariis Europæ familiis brevi ſperatur conficienda: nam de minorum arcuum teſtudine, cum locis quibuſdam abſoluta ſit, & privati ſumtus ad eam fabricam offerant, parum laboratur: dummodo tredecim arcus majores, & ipſe meditus arcus maximus quieti SS. Regum deſtinatus: & aliqua turriculâ vel cupulâ rotundâ decorandus patronos & mecœnates inveniat.

opus auxilio Regum & Principum.

Digna hæc Monarchis & Regibus munificentia, digna Hierarchis & primariis orbis familiis, iis præſertim quorum filii vel propinqui Collegio Metropolitano Colonienſi ſunt adſcripti, beneficentia, cujus, milleſimis ex uno ductis, immenſo fœnore, recipient in cœlis: remunerationem ut quibus ipſi lapideum arcũ majorem, cupulam vel turrẽ quaſi trophæum & arcum triumphalem in terris, erexerint, ab ipſis viciſſim aureum vel gemmatũ potius palatium in cœlis obtineant: nam ſi S. Gregorio teſte Deus dedit ſutoris domus in cœlis (qui ſabbatino die pauperibus largiebatur, quidquid deducto victu diurno & veſtitu ſuperabat) ipſo die ſabbatino architectis Angelis conſtrui videbatur, multo magis tam munificis decorem domus Dei diligẽtibus æternum & auguſtiſſimum domicilium excitabitur, nec deſinet divina largitas in terris etiam abundantia fortunarum eam beneficentiam ex promiſſo compenſare: ut ſcimus Imperatores & Rege multorum templorum fundatores opibus ſemper redundaſſe. Quos inter imitandus Conſtantinus Magnus & Mater Helena, qui tot baſilicarum centurias orbe toto ædificarunt: hiſce nihil concedere voluit incredibilis Caroli M. liberalitas mille templis conſtructis, ac S. Henrici & Ferdinandi Secundi Cæſarũ inexhauſta munificentia. Prætereo S. Ludovici Regis Franciæ, & Philippi 2. Regis Hiſpaniarum in tot templis, collegiis & cœnobiis intra & extra regna ſua in Oriente & Occidente ædificãdis nunquã ſatis laudatam largitatem. Typus horum fuerunt teſte S. Hieronymo primi nutricii & ſtructores naſcentis Eccleſiæ SS. Tres Reges. Horum igitur quietis locum æquum eſt à Regibus regia conſtrui & ornari magnificentia, nec ullum fidei orthodoxæ participem immunem eſſe velle, cum omnium formam & ſpeciem primam aptis lineamentis duxerint, nec ſinent ipſi vinci ſe liberalitate, quam exſpeteus ſæpius dicitur eſſe Melitenſis quidam eques adhuc ſuperſtes, qui quoties difficilem aliquam navalem expeditionem contra Turcas vel infideles ſuſcepit, oblatis per D. Ioannem Boon Commendatorem Colonienſem S. Ioannis & Cordulæ, utis mihi retulit, tribus imperialibus opem eorum imploravit: & ſemper hactenus felicem ſucceſſum expertus, redux eoſdem Reges novis ſubmiſſis muneribus ſolitus eſt honorare.

l. 4 Dial. c. 30.

imitandi Cæſares & Reges veteres & recentes.

Horum exemplo ſi Pontificum, Regum & Principum virorum beneficentia ferat opem, ſperandum eſt intra decennium, vel breviori temporis ſpatio totam templi teſtudinem parem altitudini chori perficiendam, & ſanctos Reges ad deſtinatum eis ab annis quadringentis locum quietis ætate noſtra deducendos. Promovere porro fabricam hanc poterunt plurimum Antiſtites, Prælati, Decani, Parochi, Concionatores & Confeſſarii ſeculares & religioſi, ſi in concionibus, familiaribus colloquiis viſitatione ægrorum & morientium, utilitatem operis, SS. Regum merita, vimque patrocinii eorum ſæpius inculcent: & ne deſit unquam materia encomiorum: ecce tibi indicem capitum laudum & totius hiſtoriæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ELENCHVS CAPITVM ENCOMIORVM ET HISTORIAE SS. TRIUM REGUM MAGORUM.

TOMI PRIMI.

PRefatio paranetica ad omnes orthodoxæ fidei ſtatus Eccleſiaſtici & ſecularis primores, & Chriſti fideles, de beneficio fidei gratiaque divina à SS. Regibus impetrato, totius operis oecomia, & baſilica Regum concameranda.

TOMUS PRIMUS Encomiaſticus hiſtoriæ SS. TRIUM REGUM MAGORUM EVANGELICORUM *quo eorum prærogativæ, & beneficia ab iis gentibus, impetrata oracula de iis edita, patriæ ſingulorum & exſpectatio Meſſiæ continentur.*

LIBER PRIMUS

De prærogativis SS. REGUM & beneficiis gentibus ab iis impetratis.

Cap. I. Deus Pater ex omnibus hominibus elegit tres Reges ad officia maxima filio ſuo exhibenda. 1

II. Filius Dei cum præ *Angelis homines, & in his tenerius dilexerit eccleſiam gentium, harum primitias ceteris alius evexit.* 2

III. Chriſtus qua homo *finis omnis creaturæi die epiphaniæ* declaratus eſt primogenitus, *adita gentium hereditate.* 4

IV. Idem hæres *Dei, Rex & Monarcha totius mundi à* Regibus publicatus, *Gentiles eorum opera conſortes regni ſui fecit.* 6

V. *Ut verò caput Angelorum & hominum, ac fons totius vitæ ſpiritualis* Reges *hos tanquam membra ſua nobiliſſima maximis gratiarum ornamentis decoravit.* 8

VI. *Ad quartum Eccleſiæ militantis murum ceteris elegantiorem conſtruendum Chriſtus uſus eſt ſtructoribus tribus Regibus.* 10

VII. *Præ Angelis tenerius dilecti tres* Reges, *quorum converſionem deſiderarunt, ad inſtaurandas ruinas cœli, caſu Luciferi editas.* 11

VIII. *Præ Patriarchis & Gentilibus legis naturæ amati, clariuſque eis Meſſiæ divinitas eſt declarata.* 13

IX. *Præ Iudæorum electo populo dilecti, translata ad Gentes Iudæorum gloria.* 15

X. *Matrimonium Chriſti rejectis ob impietatem Iudæis die Epiphaniæ coram tribus Regibus cum eccleſia publicatur & confirmatur, translato ad eos Chriſti Sacerdotio.* 17

XI. *Tres* Reges *ad id à Deo Patre attracti, ducti à Spiritu Sancto, & à Sapientia corporata velut magiſtra ſpeciatim eruditi.* 22

XII. *Optimè meriti ſunt de Chriſto eiuſque familia, à quibus viciſſim ornantur beneficiis & gratia.* 25

XIII. *Sicut Apoſtoli electi ſunt teſtes reſurrectionis, ſic hi adventus nati Chriſti ſalvatoris mundi, ac Doctores primi Iudæorum & Gentilium.* 27

XIV. *Sancti Reges primi Evangeliſtæ & Theologi ex Gentilibus.* 32

XV. *Iidem Prophetæ temporis gratia.* 34

XVI. *Primi Sacerdotes Chriſtiani, poſtea & Archiepiſcopi.* 36

XVII. *Primi Chriſti cõfeſſores & poſtea Martyres.* 38

XVIII. *Sunt Primitiæ Gentium, & radix ſancta earum.* 39

XIX. *Dicuntur Progenitores & Flores eccleſiæ.* 41

XX. *Idem myſterium SS. Trinitatis & alia perſonis ac donis ſuis clarè adumbrarunt, ideoque primi fideles, fidei Chriſtianæ duces, principes & Magiſtri nominantur.* 44

XXI. *Typus & figura exſtiterunt ſtatus florentiſſimi eccleſiæ in perſecutionibus, quem prophetico ſpiritu cognoverunt.* 45

XXII. *Iidem hæreſes præcipuas circa perſonam Chriſti poſtea natas confutarunt.* 48

XXIII. *Sancti Reges idea ſunt ſummæ ſanctitatis Chriſtianorum.* 50

XXIV. *Procuratores fuerunt totius orbis.* 53

XXV. *Legati Gentilitatis ad Meſſiam ſelectiſſimi & felicitſſimi.* 56

XXVI. *Meruerunt Gentilibus de congruo cœleſtem adoptionem, figurarunt & inchoarunt eandẽ.* 58

XXVII. *Ideo Epiphaniæ ſolennitas præ omnibus anni feſtivitatibus à Gentilibus converſis celebrari debet.* 62

XXVIII. *Quæ dignitas SS. Regibus in myſtico Chriſti corpore ſeu hierarchico ordine debeatur.* 65

LIBER SECUNDUS

Prophetiæ & figuræ, vel cõparationes ex veteri Teſtamento de hiſtoria trium Regum & Epiphaniæ feſtivitate. 70

Cap I. De S. Scripturæ reconditis ſenſibus, & Prophetarum oraculis Epiphaniam *præmonſtrantibus, ut* teſtatur Sinenſis *lapidis ab octingentis annis & pluribus inſcriptio.* 70

II. Adamus matrimonium *Chriſti cũ eccleſia prænunciavit, id in Epiphania Domini fuit ſolenniter celebratum cum Gentibus.* 71

III. Alter vates *Noe prædicit Gentilem populum tunc cum Iudæis ſociandum.* 73

IV. *Abrahamo in ſtellis Gentilium converſio promittitur, diem Epiphaniæ deſideravit, quo' ater multarum Gentium eſſe cœpit.* 75

V. *Iſaaco & Rebeccæ prædicitur majorem populum Iudæo-*

rum minori Christianorum serviturum, circa eundem diem id contigit. 78
VI. *Iacobus Patriarcha tempus Epiphaniæ prænunciat.* 80
VII. *Prophetia Balaami de ortu stellæ & muneribus Regum.* 81
VIII. *Davidis variæ Prophetiæ de stella, Regum patria, muneribus & Gentilium conversione.* 83
IX. *Salomon Epithalamium cecinit Gentilitati novæ nuptæ desponsæ Christo.* 89
X. *Oseæ celebritatem diei describit, quo Gentiles cum Iudæis fœderabuntur, matrimonio Ecclesiæ cum Christo contracto.* 89
XI. *Ioel Messiam promittit Doctorem Gentium, & abundantiam bonorum spiritualium.* 91
XII. *Amos prædicit ab eodem Gentilium fundandam Ecclesiam.* 92
XIII. *Abdias Christum legatum vocat ad Gentes missum à Patre ut armet earum Reges contra hostes.* 94
XIV. *Michæas indicat locum Pastorum vigilantium, adorationis Regũ. & fundatæ Ecclesiæ.* 95
XV. *Tobias seniores vaticinatur Regum adventum Hierosolymam cum luce & muneribus, ac ortu Ecclesiæ in ea.* 96
XVI. *Nahum significat felix nati Messiæ nuncium à Magis adferendum Iudæis.* 96
XVII. *Habacuc prædicit Messiam inter duo animalia cognoscendum à Magis, id Iobi duobus de potenti Magorum vocatione vaticiniis illustratur.* 97
XVIII. *Sophonias Regum patrias, dona & concordiam cum Iudæis in eadem Ecclesia præcinit, cum laudis egregio cantico.* 102
XIX. *Ieremias prænunciat sacerdotum Iudæorum cæcitatem, Gentilium ad Christum conversionem, & novum pactum cũ eis ineundum.* 105
XX. *Ezechiel in Babylone prævidit Gentium cum Iudæis in fide Christi consensionem die Epiphaniæ inchoandam & pactum, seu testamentum novum per donum Spiritus S.* 106
XXI. *Baruch gloriosum & regalem apparatum Gentium ad fidem accedentium cum prodigiis describit.* 107
XXII. *Daniel regni Christi initium prædicit, circa Epiphaniam promulgati.* 108
XXIII. *Aggæus promittit Christum desideratum Gentibus, quas cœlestibus prodigiis convertendas esse indicat.* 109
XXIV *Zacharias a Christo vaticinatur Ecclesiam è Gentibus fundandam, & ipsum triplici ab ipsis diademate coronandum.* 110
XXV. *Malachias à Sacerdotibus vult exquirendũ esse legem, & Christi adventum, quem Angelum vocat novi testamenti cum Gentibus & & Iudæis initi.* 112
XXVI. *Iesus Siracides prædicit Gentes magnis prodigiis coram Iudæis esse convertendas.* 114
XXVII. *Isaias totam historiam SS. Regum enucleatè diversis in locis describit, quæ secundum Euangelicam S. Matthæi narrationem ordinatur & digeritur* 115
XXVIII. *Ob hæc diversorum Prophetarum oracula apud Iudæos in traditionibus quinq; vel Thalmudicis scripturis certum hodieque habetur, Messiam à Gentilibus eorumq; Regibus muneribus allatis esse adorandum.* 124
XXIX. *Sanctarum Regum stellæ ductu Messiæ adoratio octo vel decem diversarum Sibyllarum oraculis certis fuit prænunciata.* 126
XXX. *Figuris aliquibus in veteri testamento sancti tres Reges indicantur, & cum Patriarchis comparantur.* 131
XXXI. *Abel, Seth, Enos spe sua figurant ante diluvium Ecclesiam Christi recens ortam, structoribus sanctis Regibus.* 132
XXXII. *Sicut Sem, Cham, & Iaphet mundum posteris mortalibus implevernnt, sic tres Reges orbem fidelibus replendum figurarunt.* 133
XXXIII. *Abrahami, Isaaci & Iacobi virtutes in tribus Regibus emicant.* 135
XXXIV. *Iobus Christi, tres eius amici reges, sacerdotes & sapientes personas triũ Regum gerunt.* 139
XXXV. *Matrimonium Isaaci, Iacobi & Moysis iuxta fontes typus est matrimonii Christi cum Gentilitate contracti in Bethlehem.* 142
XXXVI. *Sadoc, Nathan Banaias regnum Salamonis contra Adoniam, & sancti Reges Christi regnum contra Herodem publicant.* 145
XXXVII. *Tres viri fortes David aquam de cisterna Bethlehemica perrupta statione Philistinorum propinant, & tres Reges Christum aquam vivam Gentilibus.* 146
XXXVIII. *Reges Iudæ sancti David, Ezechias & Iosias sanctitatem & perfectionem SS. Trium Regum adumbrant.* 149
XXXIX. *Noë, Daniel & Iob variè tribus Regibus comparantur.* 151
XL. *Abrahamo, Davidi & Iosepho similes in divina promissione SS. Tres Reges.* 152
XLI. *Regina Saba, & alii Reges orientis Salomoni munera deferentes figuram clarum exhibent Epiphaniæ.* 153

LIBER TERTIUS ENCOMIORVM.

De SS. Regum genere, patria, & exspectatione novi fœderis ac Messiæ.

Cap 1. *An unquam exstiterint aut vixerint Magi Evangelici, seu sancti tres Reges.* 156
2. *Qui negent genere fuisse Reges.* 159
3. *Reges fuisse seculorum omnium consensu iam inde à Christo nato confirmatur.* 161
4. *Quot Reges Magi Christum adorarint.* 168
5. *Nomina eorum propria exquiruntur, & de suspensione eorum ex collo.* 171
6. *De origine nominis appellativi Magus, & ubi præcipue in oriente floruerint Magi.* 178
7. *Per honorificum olim Magorum nomen in sacris & profanis literis fuit, ob vitæ eorum integritatem, & quibus licitis scientiis & divinationibus usi fuerint.* 175
8. *A quo institutore, & quales scientiæ, præsertim Astrologicæ profluxerint, quibus Reges Orientis excolebantur.* 180
9. *Reges Arabiæ & Sabæi posteri Abrahæ expolitissimi*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tissimi studiis Mathematicis Messiæ ortum exspectarunt. 185
10. Quibus autoribus invecta sit dæmoniaca magia maleficorum, & quinam SS. Patrum Evangelicos Magos faciant eiusdem sectatores. 182
11. Fuerintne Magi Evangelici de posteris Balaam, vel potius sectatores doctrinæ eius. 139
12. Eos fuisse deditos Astrologiæ, non tamen Genethliacos. 91
13. Non fuisse maleficos testimoniis & rationibus evincitur. 192
14. Sententiarum quanta varietas de patria vel loco unde venerint. 197
15. Fuerintne ex Arsacidis, vel Parthorum Regibus progeniti. 97
16. Venerintne Reges tres è Tharso Ciliciæ, & minore Asia, ut tradit Rogerius Hovedenus. 199
17. An venerint ex Armenia vel Tartaria ut Haitonus insinuat, & de posteris Regum ibidem, & in Europæ variis locis. 200
18. Sintne in Chaldæa orti. 202
19. Qui velint autores eos fuisse Persas. 205
20. De Arabia situ, Regibus, auri, thuris & myrrhæ redundantia. 206
21. Quibus autoribus Arabes fuerint Magi. 210
22. Venerintne Magi è diversis regionibus. 213
23. An tertius colore fusco ex India? 214
24. De India Regibus & Brachmanis Christi ævo & de regno Melchioris iam Christiano. 218
25. Vnde ergo putentur sancti tres Reges prodiisse? 222
26. Gentilium magna exspectatio ante ortũ Christi ob oracula muta & vocalia, & de effracta dæmonis potestate per Christum: inde quidam Magos Christi natales cognovisse putant. 223
27. Sparsa toto terrarum orbe fama præsertim Romæ circa Augusti ævum Regem orbis nasciturum. 225
28. Persuasum etiam Gentilibus ipsis indicio stellæ ortum eius cœlitus indicandum. 229
29. Ideo Gentiles in oriente populi & Reges ortum stellæ & Messiam multo ante tempore solicitè exspectarunt. 229
30. Quæ prodigia in cœlo, stellis, & terra observarint Gentiles ipsi Augusti tempore contigisse, prænuncia Magni Regis: & quid Plinius scripserit de stella Dei effigiem humana specie repræsentante. 232

TOMUS SECVNDVS
Primitiarum Gentium Exegeticus.

Seu

Commentarius in caput 2. S. *Matthæi.*

Quo

Sanctorum Regum profectio Hierosolymitana stella duce, ibidemque præconium Christi & eiusdem adoratio in Bethlehem, explicatur.

Dedicatio ad Decanum & Capitulum Metropolitanum Colonienſe.

LIBER PRIMVS.

Tempore natalis Domini stella tribus Magis in Oriente visa deducit eos Hierosolymam.

Cap. 1. Sitne historia SS. Regum Evangelica? 237
2 Cum ergo. Connexio capitis secundi S. Matthæi cum præcedente, & cur diversi Evangelistæ certa quædam soli narrent. 238
3. Natus esset. Nativitas Iesu non ementita, sed vera, & quæ commoda attulerit SS. Regibus & humano generi. 239
4. Iesus Nomen salutiferum ante Epiphaniam imponi oportuit. 240
5. In Bethlehem Iuda: locus natalis Christi. 243
6 In diebus Herodis Regis. De tempore. 244
7. Annus & dies natalis Christi juxta communiorem sententiam examinatur. 245
8. Anno imperii Augusti 42. pax universalis in Oriente ac Iudæa cum Romanis, Ianusque tertia vice clausus fuit. 247
9. Stella momento nativitatis Christi creatur. 250
10. De materia eius: fueritne cœlestis & una fixarum, vel errantium. 250
11. Spiritus S. vel Angelus sub stellæ specie? 252
12. Fueritne cometarum aliquis & de qua materia. 253
13. Qualis forma vel lumen illius, num sole clarius? 254
14. An fuerit à Christo puero procreata. 256
15. Crearitne stellam Christus in oriente absens, an in Iudæa. 257
16. Quis motor eius Sanctusne Gabriel vel Michael. 258
17. An Magi visa stella naturali scientia cognoverint ex ea salvatoris ortum, velut ex fato Christi. 259
18. An ex horoscopo natalis Christi Magi Messiam nasciturum deprehenderint, ubi Genethliacorum fatuitas condemnatur. 261
19. Spiritus S. impulsu & afflatu Reges nocte Christum recens natum agnoscunt & venerantur. 264
20. Incredibilis vis efficacis gratiæ, qua sanctorum Magorum voluntates illectæ. 265
21. Suaviter per stellam recordatione prophetiæ Balaam, & oraculorum Sibyllinorum allecti Magi. 267
22 Christusne specie pueruli Magis in stella visus eos verbis ad profectionem invitavit? 268
23 An Augusto Cæsari Romæ die natalis Domini Christus in sinu matris in sole visus sit monstrante Sibylla: & is eo loci Christo aram dedicarit. 269
24. Tres Reges una mente capessunt iter stellæ duæ 272
25. Quando comitatu Reges profecti sint. 272
26 An stella præcesserit proficiscentes. 278

27. Cur

CAPITVM.

XXVII. *Cur stellam Deus voluerit esse ducem totius itineris.* 279

XXVIII. *Stella difformi non uniformi motu Magis ad motum famulatur.* 282

XXIX. *Eadem columna nubis similis & dissimilis fuisse demonstratur.* 284

XXX. *An extra tres Reges stella ab aliis etiam fuerit observata.* 285

XXXI. *Contemtus opum, regnorum, conjugum amore novi Regis.* 286

XXXII. *Laborum tolerantia in itinere.* 288

XXXIII. *Periculorum omnium contemtus in profectione.* 291

XXXIV *Dromedariorum mira pernicitas, quibus usi fuerunt Reges, & quot leucas indies confecerint.* 292

XXXV. *Celeritas sanctorum Regum in divinis jussis exsequendis.* 295

XXXVI. *Stella prope Hierosolymam in Iudæa evanescit.* 296

XXXVII. *Cur evanuerit.* 299

XXXVIII. *Deliberatio Magorum amissa stella, & constantia de pervestigando natali loco Messiæ.* 298

LIBER II. TOMI II.

Commentarii in caput 2. Matthæi. Gesta SS. Regum Hierosolymæ.

Cap. I. *Vocula (ecce) celeritas cum admiratione designatur.* 300

II. *Magi cur hic nominentur, non verò Reges.* 301

III. *Quomodo profecti sint ab oriente.* 302

IV. *Venerunt Hierosolymam. Causæ variæ adferuntur, cur Deus eos Hierosolymam proficisci voluerit, & animi præparatio Regum ad ingressum urbis.* 305

V. *Dicentes: Voce palam fidem in Christum profitentur.* 307

VI. *Ubi est inquirendus cum Magis Deus sapienter simpliciter & humiliter.* 308

VII. *Qui natus est Rex.* 309

VIII. *Cur natus dicatur Rex Iudæorum.* 311

IX. *Ardenter & intrepidè sæpiusque cum sponsa quærunt Regem Iudæorum.* 312

X. *Constanter de Christo interrogant, ubi natus sit, & quodammodo insultant Iudæis.* 313

XI. *Vidimus stellam. Ex stella Magi Iudæis Christum natum esse probant.* 315

XII. *Cur stella eius dicatur.* 315

XIII. *Vidimus & venimus, cita & velox obedientia.* 316

XIV. *Reges adorare Christum cultu latriæ contra Calvinum voluerunt.* 317

XV. *Sancti Reges sua interrogatione functi sunt officio Doctorum ad Iudæos.* 319

XVI. *Concordem & constantem totius ecclesiæ fidei eiusdem confessionem iidem adumbrarunt.* 321

XVII. *Constans & efficax emicat in Regibus propositum voluntatis Christum, superatis omnibus periculis piè religioseque colendi.* 322

XVIII. *Audiens autẽ Herodes Rex turbatus est* 324

XIV. *Et omnis Hierosolyma cum eo.* 327

XX. *Nulline boni in Ierusalem audito hoc nuncio nati Messiæ sint recreati?* 329

XXI. *An Reges ultro accesserint Herodem, & qua animi constantia Christum professi sint coram eo.* 331

XXII. *Herodes videtur honorificè Reges excepisse, & de hospitio iis prope regiam providisse.* 334

XXIII. *Idem anxius metu cogit concilium.* 334

XXIV. *Congregans omnes principes Sacerdotum. Quinam illi: & cur merito consulendi?* 363

XXV. *Et scribas populi seu Doctores Iudæorum qui aliis viam monstrarunt, ingredi verò illam nullatenus voluerunt.* 337

XXVI. *Scisciabantur ab eis. An impii Doctores quandoque consulendi & audiendi.* 341

XXVII. *Concilio posita quæstio: ubi Christus nasceretur.* 342

XXVIII. *Stultitia Herodis, qui & oraculis fidem tribueret & speraret eventum eorum se posse impedire.* 343

XXIX. *At illi dixerunt: An concilium peccarit Herodi respondendo?* 345

XXX. *In Bethlehem Iudæ, cur Christus nasci voluerit.* 346

XXXI *Sic enim scriptum est.* 347

XXXII *Et tu Bethlehem. Discrepantia inter S. Matthæum & Micheam conciliatur.* 349

XXXIII. *De Bethlehem Ephrata etymon nominum, & quomodo frugifera sit & domus panis.* 350

XXXIV. *Nequaquam minima es, & tamen minima.* 352

XXXV. *In principibus seu millibus Iuda.* 153

XXXVI. *Ex te enim exiet Dux. Christus verus Dux animarum.* 354

XXXVII. *Qui regat populum meum Israel: Christus pastor etiam fidelium est.* 355

XXXVIII. *Peccarint ne scribæ & Sacerdotes omittendo verba extrema Michææ: & egressus eius à diebus æternitatis, & an conspirarint in necem Christi cum Herode.* 356

XXXIX. *Tunc Herodes. Eius pavor furor & insania: at Regum contraria studia.* 358

XL. *Clam vocatis Magis.* 359

XLI. *Diligenter didicit ab eis tempus stellæ.* 360

XLII. *Et mittens eos in Bethlelem ait: ite & interrogate diligenter de puero.* 362

XLIII. *Cum inveneritis renunciate mihi.* 363

XLIV. *Vt & ego veniens adorem eum.* 365

XLV. *Qui cum audissent Regem abierunt.* 366

LIBER TERTIVS.

Tomi secundi exegetici Adoratio Christi in Bethlehem.

Cap. I. *Dies Epiphaniæ 6. Ianuarii fuit, & 13 post natalem Christi.* 369

II. *Quam dies desideratus Christo & optatus Magis?* 370

III. *Et ecce stella: Proficiscentibus cum hora spatio abessent Solyma apparet, & quare?* 372

IV. *Stella tunc clarior effulsit, quam in oriente, & fidem Magorum significavit.* 375

V. *Mystice gaudium ex visa stella significat gratiæ reditum post peccatum, & divinæ consolationis post tentationes assuentiam.* 376

VI. *Antecedebat eos.* 379

VII. *Usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.* 381

VIII. *Erat puer extra non intra Bethlehem: in via non in urbe.* 382

IX. *Videntes autem stellam non antecedentem, sed stantem, gavisi sunt.* 383

X. *Gaudio magno valde ob Christum veram stellam.* 385

XI. *Et de aspectu Mariæ stellæ maris.* 387

XII. *Cur gavisi sint gaudio magno valde in Deo.* 388

XIII. *Intrantes domum, stabulumne an diversorium?* 390

XIV. *Domum ecclesiæ intrandam esse, ut Christus inveniatur.* 392

XV. *Stabuli Bethlehemitici descriptio & vestigia locorum, quæ à Magis nomen retinent.* 394

XVI. *Ingens desiderium Magorum adorandi pueri.* 396

XVII. *Invenerunt puerum oculis ut stellis fulgurantem.* 397

XVIII. *Cum Maria læta non trepida, vero Salomonis throno.* 400

XIV. *Iesum cum Maria matre eius & omnium viventium repererunt.* 402

XX. *Iosepho præsente ut œconomo, & custode thesaurorum.* 405

XXI. *Admiratio & lætitia Magorum.* 409

XXII. *Fides eorundem singularis.* 410

XXIII. *Christus in sacratissima Eucharistia præsens exemplo Magorum credendus & adorandus.* 412

XXIV. *Et procidentes.* 414

XXV. *Reges hi verè sapientes facti sunt stulti apud homines.* 416

XXVI. *Humilitatem Christi nascentis Reges sunt imitati.* 419

XXVII. *Adoraverunt eum cultu latriæ.* 422

XXVIII. *Veniam supplices delictorum petunt.* 425

XXIX. *Reges perfectius quam Iudæi Pastores à spiritu sancto & ipsa sapientia corporata instituuntur, ut figurent ecclesiæ fidem & majestatem.* 426

XXX. *Et apertis thesauris suis: ubi & quando bona opera publicè facienda.* 429

XXXI. *Obtulerunt in primo se ei servos: qui titulus Christianorum maximus.* 430

XXXII. *Ei scilicet Christo Trismegisto ipsi Magi Trismegisti obtulerunt.* 433

XXXIII. *Munera cur, & quo ritu.* 435

XXXIV. *An singuli tria obtulerint dona.* 436

XXXV. *Aurum, thus, & myrrha quid secundum literam, & quas dignitates in Christo designent mysticè.* 437

XXXVI. *Sensus alii de Christo allegorici.* 440

XXXVII. *Anagogice de Christo & ecclesia explicantur.* 440

XXXVIII. *Tropologicè accommodantur eadem dona variis ecclesiæ militantis statibus* 441

XXXIX. *Applicantur tribus virtutibus, sapientiæ orationi, mortificationi.* 442

XL. *Et tribus bonorum operum generibus eleemosynæ, jejunio & orationi.* 443

XLI. *Myrrha mortificationis symbolum reddit amara quævis amanti dulcia.* 444

XLII. *Aurum caritatis necessarium ad salutem à Christo emendum.* 447

XLIII. *Thus orationis ardentis penetrat cœlum, recreat cœlites.* 450

XLIV. *Conceptis verbis sancti Reges offerunt dona: quorum pars à Christo & Deipara accipitur.* 453

XLV. *Regum misericordia nos ad eleemosynam excitat.* 455

XLVI. *Christus à Magis Rex & monarcha mundi inauguratur, cui ut legati totius orbis, aurum velut tributum subditi pendunt.* 457

XLVII. *Christus lapis angularis Angelis homines conjungit, una coalescente ex omnibus ecclesia.* 462

XLVIII. *Idem lapis angularis Christus Iudæis Gentiles copulavit.* 465

XLIX. *Sanctorum Regum prærogativa præ pastoribus & Iudæis.* 467

L. *Christi infantis desiderium conjungendi se Gentilitati, paranymphis Deipara, Iosepho & Angelis.* 469

LI. *Sponsalia Christi cum Regibus & ecclesia Gentilium.* 472

LII. *Christus gratum se præbet sanctis Regibus.* 477

LIII. *Primi renunciantur à Christo Sacerdotes & Apostoli novæ legis.* 479

LIV. *Fiunt progenitores ecclesiæ, & coram ipsis novum incipit condi testamentum.* 481

LV. *Colloquiorum Deiparæ cum sanctis Regibus.* 484

LVI. *Tentoriis erectis pernoctant in agro Bethlehemitico Reges.* 484

TOMUS TERTIUS
PRIMITIARUM GENTIUM HISTORICUS.
Quo.

SS. trium Regum Magorum reditus, gesta, Martyrium, translationes & cultus cum effigie augustissimi Colonensis metropolitani templi continetur.

Dedicatio ad Consules & Senatum Colonensem.

LIBER PRIMUS.
Reditus Magorum, gesta & Martyrium.

Cap. I. Cur responsum dicantur Reges accepisse, & de Regum fiducia in Deum, pioque somno. 489

II. In

II. In somnis cautè discernenda divina ab aliis somnia per spirituum discretionem. 490

III. *An per Angelum sit ea facta revelatio, vel per Deum proximè.* 492

VI. *Simplicitas SS. Regum in promta & caca obedientia.* 495

V. *Statuunt non redire ad Herodem, & puero valedicunt.* 497

VI. *Mari an terra discesserint, & de vestigiis quæ superant in speluncis ex transitu illorum.* 498

VII. *Per aliam viam quid mysticè significetur.* 500

VIII. *In regionem suam: ubi de patria paradisi agitur.* 501

IX. *Iterum ne stella duce vel Angelo comite.* 503

X. *In repræsentatione sua Christus firmata pace Iudæos & Gentiles inter, inchoat testamentum novum, homines Patri conciliando.* 505

XI. *Iudæorum obcæcatio Christum respuentium ut lapidem offensionis.* 508

XII. *Herodes occasione Christi præsentati delusum se deprehendit à Magis.* 511

XIII. *Fuga Christi in Ægyptum prima eius ad Gentes legatio & expeditio fuit, & è quo loco sit adornata.* 513

XIV. *Quanto emolumento Gentilium Christus Ægyptum habitarit.* 516

XV. *Quamdiu dilatum sit infanticidium.* 518

XVI. *Pœna infanticidii & SS. Innocentium gloria.* 522

XVII. *Sancti Reges in regionem suam revertuntur non sine molestia & difficultate* 525

XVIII. *Docent regna sua fidem Christianam.* 527

XIX. *Mithræ & idolorum templa subvertunt, cultumq; stellarum abrogant, Christi sacris subrogatis.* 532

XX. MELCHIOR *Indorum Rex biennio post adoratum Christum redit in Indiam, templum condit Deiparæ, cuius vestigia superant.* 534

XXI. *De Baptismo Christi & nuptiis in Cana Galilææ, acciderint ne eodem die 6. Ianuarii diversis licet annis.* 536

XXII. *Christus sponsus Gentilitatis in Cruce consummat matrimonium, obcæcatis ob perfidiam Iudæis.* 541

XXIII. *Quam multa portenderint in morte Christi Gentilium futuram conversionem, & Iudæorum obcæcationem.* 544

XXIV. *Christus Apostolos mittit ad Gentiles, & S. Apostolum Paulum Doctorem Gentium in Arabiam, ubi videtur tres Reges convenisse.* 550

XXV. *S. Thomas Apostolus sanctos Reges adit & baptizat.* 555

XXVI. *Sancti Reges regnis relictis amplexati voluntariam paupertatem, fidem propagant, & à S. Thoma regnorum suorum Episcopi consecrantur.* 557

XXVII. *De Melchioris in Indiam cum S. Thoma profectione, & reditu ante mortē ad Socios* 563

XXVIII. *Mors beata SS. Regum anno salutis septuagesimo: primo sexto, & undecimo Ianuarii contigit, ubi expenditur Canisii de ea sententia.* 565

XXX. *Sancti Reges de morte imminente cœlitus admonentur.* 566

XXXI. S. GASPAR *anno salutis 70. Calendis Ianuarii sacris rite operatus piè decedit, lancea ut quidam volunt transfossus.* 567

XXXII. S. BALTASAR *6. Ianuarii ad aram necatur.* 569

XXXIII. *Martyrium & sepultura prodigiosa Melchioris tertii Regis*

XXXIV *Qui veteres & recentiores scriptores sanctos Reges agnoscant Martyres.* 571

XXXV. *Solvuntur rationes oppositæ, cur non videantur esse Martyres,* 572

XXXVI. *An, ubi & quando fuerit eorum festum una die celebratum, & epitaphium eorundem.* 574

XXXVII. *De loco sepulturæ, & incolis eius, ac Homeritarum fide.* 577

XXXVIII *Certamen nobilissimum Martyrum post A. 500. in Arabia felice apud Sabæos seu Homeritas Regum posteros.* 578

LIBER SECVNDVS.

Tomi tertii historici de translationibus SS. trium Regum Constantinopolim, Mediolanum, & demum Coloniam Agrippinam.

Cap. I. Corpora Sanctorum Regum primo ex *Arabia* in varia loca transferuntur. 588

II. S. Helena Constantinopolim sacra trium Regum corpora defert. 589

III. *Quamdiu manserint Constantinopoli.* 593

IV. *Constantino magno comprobante S. Eustorgius legatus Imperatoris eligitur Episcopus Mediolanensis.* 594

V. *Imperator rogatu Eustorgii Episcopi donat Mediolanensibus corpora SS. trium Regum.* 597

VI. *Miracula quæ in hac translatione contigerunt* 600

VII. *In ædem Eustorgianam sacra reliquiæ deferuntur.* 601

VIII. *Cultus sanctorum Regum Mediolani diu perseverat.* 602

IX. *Reliquiæ sanctorum Regum Mediolano sæpius everso terra conduntur, earum loco ignorato.* 603

X. *Friderici Barbarossæ prima & secunda in Italiā expeditio, & Mediolanensium clades.* 604

XI. *Status Mediolanensium & de Vicecomitis Gualfagi familia tumultus autoris, ac expugnatione Mediolanensium prima.* 605

XII. *Mediolanenses anno 1159. Duce Gualfago legatos Imperatoris, inprimis Reinoldum violant, ad arma se parant, & SS. trium Regum corpora inveniunt.* 607

MM. Reinoldus eodem anno 1159. ex Cancellario Cæsaris eligitur Archiepiscopus Colonienſis, qui ſtrenuam ei navat operam in Italia, ſed ſchiſmati vitam laudabilem contaminat. 610

XIV. Quando cœperit & qua de cauſa & quamdiu extracta ſit Mediolanenſis obſidio poſterior, ad excidium uſque: deque cauſa odii Cæſaris in Gualfagum. 611

XV. Anno 1161. redintegratur obſidio Mediolanenſis. 613

XVI. Henricus ſecundus Epiſcopus Leodienſis petit ab Imperatore donari ſibi reliquias ſanctorum trium Regum. 614

XVII Anno 1162. Mediolanenſis urbis Bohemorum & Reinoldi Colonienſis Archiepiſcopi conſtantia ad extrema redigitur. 615

XVIII. Eodem anno traditum & everſum eſſe Mediolanum non autem ferius. 216

XIX. Gualfagus Angleriæ Comes, cui mortem jurarat Cæſar, offert Reinoldo corpora SS. Regum, ut vitam ſibi impetret. 617

XX. Reinoldus clam accipit corpora Regum ante deditionem urbis. 618

XXI. Miro aſtu Reinoldus corporibus acceptis ea transfert extra caſtra Coloniam verſus. 619

XXII. Civitas Mediolanenſis exhauſta fame, miſſis ad Imperatorem tribus legatis offert deditionem, ſeque tradit victoris arbitrio. 619

XXIII. Gualfagi ſoror Eumeris defert fratrem, ut per Reinoldum vitam ei ab Imperatore impetret. 622

XXIV. Quid reliquis Conſulibus & civibus factum ſit, donec edicto Imperatorio liberarentur, & de excidio civitatis Mediolanenſis. 624

XXV. Papiæ celebrat Paſcha Fridericus I, donativis afficit principes, & reliquiis Reinoldum opulentat. 628

XXVI, Reinoldus compoſitis in Italia rebus circa Iunium impetrat miſſionem Coloniam verſus. 630

XXVII. Legati nomine diſcedit, ut componat res imperii, & ubi prima ſtationis ſanctorum Regum mnmoria recolatur cum Cæſareis quibuſdam literis. 631

XXVIII. Veſtigium ſecundum ſtationis alterius Vercellis, unde Reinoldus literas mittit ad Clerum & populum Colonienſem de reditu ſuo cum SS. Regibus. 633

XXIX. Taurinum pridie idus Iunii venit cum ſanctis reliquiis, & de literis, aliis Coloniam præmiſſis. 634

XXX. Ieritne per Cottias vel Lepontias Alpes. 635

XXXI. Lucernæ tertium veſtigium certum triduanæ quietis ſanctorum Regum in translatione. 136

XXXII. Quartum veſtigium in Burgundia Dolam inter & Veſontionem fons SS. trium Regum, alias Strabona dictus. 638

XXXIII. Quintum veſtigium in Burgundia abbatiæ SS. trium Regum vocata poſt translationem per eum locum facta cum antea Locus creſcens diceretur, & de dyanaſtis Grammontanis, qui tunc adſumtis tribus capitibus coronatis mutarunt inſignia gentilia. 640

XXXIV. De iiſdem & quibuſdam aliis Burgundiæ veſtigiis accuratior diſquiſitio. 642

XXXV. E Burgundia Briſacum Reinoldus ipſe cum ſanctis Regibus venit: ubi magno prodigio SS. Gervaſius & Protaſius remanent: clarent hodieque miraculis: ubi ſextum ſupereſt veſtigium translationis. 647

XXXVI. Teſtimonia aliorum de SS. Gervaſio & Protaſio Mediolano translatis, & miracula primæ eorũ revelationis tempore S. Ambroſii, & poſterioris translationis. 649

XXXVII. Gamundiæ Suevorum ſeptimum ſtationis monumentum ſacellum ob prodigium ibi translationis tempore patratum, ipſis conſecratum. 654

XXXVIII. Bambergæ poſt ingentem circuitum ad declinandos hoſtes exſtat octavum veſtigium ſtationis ſanctorum corporum. 657

XXXIX. Moguntiæ in domo artis typographicæ inventrice nonum translationis ſanctorum Regum indicium. 660

XL. Decimum veſtigium in Erpel: inde loco moveri naves non potuerunt ante quam Sanctus Apollinaris corpus in monte vicino deponeretur. 663

XLI. Virum anno 1162. vel 1164. Coloniam devenerint corpora SS trium Regum. 667

XLII. Philippus Heinsbergenſis Decanus ſanctos tres Reges cum aliis Divinorum reliquiis defert magna celebritate Coloniam, qui in ædem Metropolitanam religioſè transferuntur. 668

XLIII. De ſanctis Martyribus Nabore & Felice una cum ſanctis tribus Regibus Coloniam translatis. 680

XLIV. Reinoldus revertit ad Cæſarem, res eiſdem geſta in Burgundia, Francia & Italia anno 1162. 970

XLV. Anno 1163. ultimo Maii capita ſeptem Machabæorum & matris Salomæ cum ſacris cineribus ſolenniter in templum, quod nunc Machabæorum dicitur, transferuntur, & annis 70. poſt locus nomen ab ipſis mutantur. 672

XLVI. Geſta anno 1163. Reinoldi in Italia. & Friderici Cæſaris tertia expeditio tranſalpina ſemina jacet Belli Colonienſis, occaſione translationis SS. Regum moti. 675

XLVII. Colonienſis Archidiœceſis & civitas 125. millia militum educit pro defenſione ſanctorum trium Regum. 676

XLVIII. Imperator anno 1164. beneficia multa Reinoldo confert in Italia, & Bambergæ pacem inter ipſum & Conradum fratrem componit. 678

XLIX. Coactus & invitus Reinoldus ab Antipapa Paſchali Sacerdos anno 1165. conſecratur, elevatque SS. Carolum M. Caſſium & Florentium. 680

L. Invitus Reinoldus anno 1167. pergit in Italiam, peſte moritur, pietas eius in Deiparam. 682

LI. Qua-

CAPITVM.

LI. *Quatuor teſtimonia ſummorum Pontificum Innocentii quarti Ioannis 22i. Bonifacii 9. & Pii 2 Coloniæ quieſcere ſanctos tres Reges adiectis indulgentiis Item Imperatorum Regum, & Ducum, qui eos Coloniæ honorarunt.* 683

LII. *Teſtimonia coævorum ſeculi duodecimi Mediolani inventos, & Coloniam tranſlatos eſſe ſanctos tres Reges, ibique quieſcere.* 686

LIII. *Teſtimonia autorum ſeculi decimi tertii ab anno* 1200 *ad* 1300. 688

LIV. *Teſtes ſeculi quartidecimi ab anno* 1300. *ad* 1400 691

LV. *Teſtes ſeculi quinti decimi ab anno* 1400 *ad* 1500. 693

LVI. *Teſtes ſeculi ſexti decimi ab anno* 1500. *ad* 1600. 696

LVII. *Teſtes ſeculi ſeptimi decimi ab an.* 1600. 702

LVIII. *Aliud egregium translationis ſanctorum Regum veſtigium Pragæ & Brunæ in Moravia, ob translatam Pragam & deinde Brunam in direptione Mediolanenſi imaginem Deiparæ thaumaturgam, à S. Luca depictam: & ex Auguſtinianorum Patrum Coloniam adventu.* 705

LIX. *An Sancti Reges vnquam Coloniâ ſint translati ad alium locum.* 707

LIBER TERTIUS

Tomi tertii hiſtorici SS. Trium Regum Magorum Evangelicorum.

Honor & cultus eorundem.

Cap 1. Diem 6. Ianuarii Deus præ aliis magnis miraculis decoravit. 709

II. *Sexto Ianuarii multis in locis orientis certi fluvii in vinum convertuntur quotannis.* 710

III *Eodem die alicubi ſudat baptiſterium aridum aqua, & alia quædam miracula circa id facta.* 711

IV. *Aqua SS. trium Regum die Epiphaniæ conſecrata miracula ſolet operari.* 713

V. *Eodem feſto vel pridiano die tribus literis primis nominum Regum cum cruce inſcribuntur poſtes adium, ad arcendas magicas & dæmonum infeſtationes.* 715

VI. *Locus ſepulturæ ſanctorum Regum ab octava epiphaniæ ad hoc uſque ſeculum claret miraculis.* 717

VII. *Feſtum Epiphaniæ ab Apoſtolis inſtitutum eſt, & inter quatuor ſolennitates præcipuas numeratum fuit primis duobus ſeculis à ſanctis Patribus.* 720

VIII. *Sintne Reges illi tres autoritate Apoſtolicæ ſedis in canonem relati, & an die Epiphaniæ eorum celebretur memoria.* 721

IX. *Die Epiphaniæ per totam eccleſiam Paſcha celebrandum olim indicebatur.* 723

X. *Prærogativæ ſolennitatis feſti Epiphaniæ.* 725

XI. *Dies Epiphaniæ præfertur à multis Natali Dominico & ab Imperatoribus Paſchæ æquiparatur.* 726

XII. *Specialia quædam circa vigiliam, feſtum, & octavam in ritibus eccleſiaſticis conceſſa & obſervanda.* 727

XIII. *Die Epiphaniæ aurum, thus, & myrrha benedicuntur, e quibus medicina etiam conficitur ſenibus ad prorogandam vitam ſalutaris.* 729

XIV. *Vigilia & feſtum Epiphaniæ ubique feſtivis gaudiis & inuſitatis ritibus peragitur, de ripudio Colonienſi, Veſontionenſi, & Friburgenſi.* 731

XV. *Miraculum ſolennitatis Epiphaniæ quotidie inſtauratur, & quantæ à Genitibus ideo gratiæ Deo debeantur.* 735

XVI. *Seculo tertio floret S. Clemens Ancyranus* 28. *annis maximis tormentis cruciatus: is ſub finem vitæ cum Chriſtianis feſtum Epiphaniæ mira celebritate peregit.* 738

XVII. *S. Iulianus initio ſeculi quarti die Epiphaniæ Domini à Baſiliſſa & aliis cœlitibus ad martyrium & gaudia cœleſtia invitatur.* 741

XVIII. *Eodem ſeculo celebritas Epiphaniæ & præcones ſanctorum Regum ex vita S. Luciani circa A. D.* 312. 742

XIX. *Cultores SS. Regum S. Helena, Conſtantinus Imperator & S Euſtorgius.* 744

XX *Eodem ſeculo quarto Cæſar Iulianus apoſtata SS. tres Reges publico cultu die Epiphaniæ veneratur.* 745

XXI. *Eodem ſeculo Valens Imperator aurea vaſa offert feſto Epiphaniæ coram ſancto Baſilio admirabili pietate & ſanctitate coruſcante.* 746

XXII. *Altera celebritas ſancti Baſilii in feſto Epiphaniæ, quo ſancto Ephrem, impetrat linguæ Græcæ peritiam, & prophetico ſpiritu multa cognoſcit circa annum Domini.* 370

XXIII. *Coævus ſancti Baſilii Evagrius in Epiphaniæ feſto communicare ſolitus eſt in eccleſia.* 750

XXIV. *S. Theodorus tranſactis gaudiis feſtivis Epiphaniæ eodem veſpere ad ſeculum deſerendum divinitus animatur.* 750

XXV. *Sancti Ambroſii & Arſacii Mediolanenſium Epiſcoporum cultus SS. trium Regum in fine ſeculi quarti.* 751

XXVI. *Seculi quinti initio ſolenniter à ſancto Chryſoſtomo, & circa eadem tempora ab Auguſtis, præſertim Theodoſio & Arcadio celebratur Epiphaniæ feſtivitas, proſcriptis Arianis & ſpectaculis Circenſibus.* 753

XXVII. *Eodem ſeculo S. Euthymius & S Genovefa poſt feſtum Epiphaniæ receſſum vel ſolitudinem petebant.* 755

XXVIII. *Seculo ſexto ſanctus Theodoſius cœnobiarcha ſpeluncam ſanctorum Regum nobili ornat aſceterio.* 758

XXIX. *Seculo ſeptimo inter tres præcipuas ſolennitates anni numerabatur Theophania: quo etiam pro defunctis non ſine miraculis fiebant ſacra.* 759

XXX. Se-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

XXX. Seculo octavo. præcones SS. Regum Europæi & Sinenses Indi. 760

XXXI. Carolus Magnus sæculo nono ipso die Epiphaniæ per Leonem tertium Pontificem Maximum consecrat templum B. V. Mariæ Aquisgranense, quo die duo dicuntur Tungrenses Episcopi ad vitam revocati solennitati adstitisse: Imperium ad Germanos, sedes eius ad metropolim Colonensem & jus coronandi ad eiusdem Archiepiscopum translata. 761

XXXII. Seculo nono Rex Angliæ Edmundus, mirè in SS. tres Reges pius cœlesti visione monitus thesauros reperit. 766

XXXIII. Prodigiosa S. Ioannis Baptistæ manus, qua Christum die Epiphaniæ baptizavit, seculo decimo maximo triumpho eodem die Constantinopolim defertur. 767

XXXIV. Litem difficilem inter S. Bernuardum Episcopum Hildesiensem, & Willegisum Archiepiscopum Moguntinensem seculo decimo exeunte inchoatam feliciter sanctus Henricus Imperator anno 1007. die Epiphaniæ componit. 769

XXXV. Sanctus Erminoldus anno 1120. ipso die Epiphaniæ multis miralis clarus Martyr moritur. 772

XXXVI. S. Elisabethæ Schonaugiensis anno 1112. præclara visio SS. Regum in cœlis glorioforum die Epiphaniæ, & similis A. 1154. Walleno cœnobiarchæ oblata. 774

XXXVII. Philippus Archiepiscopus Coloniensis post annum 1170. in pretiosissimam lipsanothecam sanctos tres Reges transfert, qui cœlestem spirant odorem. 775

XXXVIII. Donationes fiunt ingentes ad sanctos Reges, quas Philippus Archiepiscopus dat Canonicis Metropolitanis, ipse verò à Friderico Imperatore ducatus Angariæ & Westphaliæ primus obtinet. 776

XXXIX. Civitas Coloniensis anno 1180. mutatis ob adventum sanctorum Regum insignibus, ad sumtisq; tribus coronis augetur ingenti hemicyclo, civium frequentia & opulentia, pace inter ipsam & Archiepiscopum stabilita. 780

XL. Initio seculi decimi tertii Otto & Philippus Imperatores cultores SS. Regum eos piè invisunt. 784

XLI. Eodem seculo tertio decimo Christus puellus apparet glorioſus & a Deipara dies idem nobilitatur miraculo.

XLII. Henricus Lotharingiæ Dux cum Vxore Maria fundat anno 1221. Coloniæ altare SS. Trium Regum, & de custodis trium Regum officio. 788

XLIII. Episcopus Armenus Coloniam ad SS. tres Reges delato secum brachio S. Simonis Apostoli peregrinatur, quod magnis illustratũ miraculis defertur ad Seinensem Abbatiam. 790

XLIV. S. Gertrudis Saxonica circa A. 1230. in festis Epiphaniæ varia xenia ad imitationem SS. Regum Christo & cœlitibus gratissima offert: discitque à Christo modos excellentiores. 792

XLV. Circa A. 1233. & sequentem hæreses quædam maleficorum orta contra Christi divinitatem, & SS. trium Regum cultum. 794

XLVI. Innocentius quartus cultum sanctorum Regum A 1245. & 1246. indulgentiis promovet & miracula eorum probat. 795

XLVII. Ecclesia S. Petri & custos SS. Regum incendio funestatur circa A. 1247. Innocentius quartus largis indulgentiis excitat fideles ad constructionem nobilioris basilicæ. 786

XLVIII. Conradus ab Hœnsteden Coloniensis Archimysta metropolitanæ Ecclesiæ jacit A. 1248. fundamenta. 798

XLIX. Descriptio memphitici templi metropolitani Coloniensis juxta ideam primam, quale jam est, & futurum erit, si coronis operi aliquando imponatur 799

Inseritur post fol. 800. æri incisa frons occidentalis turrita Metropolitani Coloniensis templi S. Petro & tribus Regibus consecrandi post, 000

Inseritur 2. vestigium totius templi, turrium, sacellorum, altarium, & portarum cum forma concamerationis

L. Eminentia Archiepiscopi & Clerici metropolitani Coloniensis custodum corporum sanctorum trium Regum. 804

LI. Wilhelmus Imperator ex comite Hollandiæ anno 1249. in Epiphania Coloniæ sanctos tres Reges piè invisit, eodemque die ab Alberto M. raro excipitur epulo. 810

LII. Philippus Pulcher Rex Franciæ circa annum 1285. in festo Epiphaniæ coronatur, & de stelliferi militaris ordinis in Francia origine. 813

LIII. S. Mechtildis eodem seculo exeunte die Epiphaniæ de donis regiis divinum accipit oraculum, & de modo post sacram synaxin dona grata superis offerendi. 815

LIV. Seculi decimi quarti initio festum translationis trium sanctorum Regum Coloniæ fuit in foro celebratum, & ad fabricam ecclesiæ, in qua quiescunt in testamentis legata constituuntur, ac choro absoluto illata sunt solenniter corpora sanctorum Regum. 816

LV. Sodalitatis S. Petri instituitur Coloniæ in fabricæ subsidium: & Religiosi collectores pecuniæ designantur. 817

LVI. Ioannes 22. Pontifex Maximus sodalitatem sancti Petri ad fabricam promovendam, & operis elegantiam commendat: testaturque sanctos tres Reges Coloniæ quiescere. 818

LVII. Statuta varia Archiepiscoporum Coloniensium post annum 1327. de fraternitate S. Petri & collectoribus pro fabrica. 821

LVIII. Reges Angliæ, Cypri, Danieque seculo quarto decimo Coloniæ sanctos tres Reges piè visitant. 826

LIX. Henricus 7. Imperator Aquisgrani & Mediolani die Epiphaniæ coronatur, sæpiusq; Coloniæ SS. Regum corpora piè veneratur. 827

LX. Eodem seculo quartodecimo S. Birgitta revelationem de SS. Regibus accepit, & Bonifacius nonus festum & visitationem corporum sanctorum Regum amplissimis indulgentiis prosequitur 829

LXI. *Seculo quinto decimo Rupertus, Sigismundus Fridericus & Maximilianus Imperatores pie Coloniæ invisunt SS. tres Reges, fiunt Canonici ecclesiæ metropolitanæ.* 830

LXII. *Toto seculo quinto decimo promovetur præsertim per Archiepiscopos fabrica basilicæ sanctorum Regum.* 835

LXIII. *S. Franciscæ Romanæ circa annum salutis ferè 1432. rarum de ætate, conditione, virtutibusque SS. trium Regum visum exhibetur.* 835

LXIV. *Anno 1434. magno miraculo lipsanotheca sanctorum trium Regum fuit conservata, ne à deciduo fragmine saxeo contereretur* 838

LXV. *B. Veronicæ de Binasco Virginis Mediolani visio de ostensa adoratione Christi à Magis.* 836

LXVI. *Peregrinationes Coloniam seculo quinto decimo institutæ.* 841

LXVII. *Die Epiphaniæ anno 1492. Mauricum imperium octingentorum annorum evertitur capta Granata.* 842.

LXVIII. *Seculo sextodecimo Imperatores Maximilianus Carolus & Ferdinandus Coloniæ sanctos Reges piè visitant.* 843

LXIX. *Petrus Faber socios duos Ioannem Aragonium & Alfonsum Alvarum Coloniam anno 1542. mittit peregrinorum more ad visenda sanctorum Regum limina.* 844

LXX. *Coloniæ sanctos tres Reges anno 1543. Petrus Gabor invisit, & quæ illic gerantur die Epiphaniæ congnoscit absens.* 847

LXXI. *Joannes Gropperus Archiaconus Colonienſis anno 1552. die Epiphaniæ Domini diserta oratione monet in Concilio Tridentino Patres exemplo SS. Regum ad fortiter rem gerendam, contra ingruentes hæreses.* 848

LXXII. *Japonica legatio trium Regum Romam anno 1582. circa Epiphaniam destinata, & Sinensis Epiphania anni 1605. repræsentant Evangelicam: Sinensi etiam Regi nocte nativitatis suæ Christus visu, eum ad legem suam invitavit: & ad eum præcones ipsius direxit.* 818

LXXIII. *Duplex Coloniæ sodalitas SS. trium Regum, altera scabinorum vetustior, altera civium recentior, anno 1609. cum emolumento civitatis inchoata.* 868

LXXIV. *Novum figmentum Jacobi de Auzoles A. 1638. publicatum tres, Evangelicos Magos non alios fuisse, quam Melchisedech, Enoch, & Eliam, qui ex paradiso profecti Christum in cunabulis adorarint, exploditur.* 870

LXXV. *Actus solennis anno 1652. die Epiphaniæ 6. Ianuarii habitus, quo Maximilianus Henricus Archiepiscopus & Princeps Elector Colonienſis utriusque Bavariæ Dux &c. primum sacrum Archiepiscopale cecinit Coloniæ in ade metropolitana, Landgravio Hassiæ cum conjuge fidem amplexo Romano Catholicam, eandemq; propagante, cum actu celebriore Ratisbonæ anno in sequenti in Epiphania celebrato.* 880

FINIS.

APROBATIO CENSORIS.

GEorgius Paulus Stravius Dei & Apostolicæ sedis Gratia Episcopus Ioppensis, Serenissimi & Reverendissimi Principis ac Domini D. Maximiliani Henrici Archiepiscopi & Principis Electoris Colonienſis Vtriusque Bavariæ Ducis, &c. per Civitatem & Archidiœcesin Colonienſem Vicarius in Pontificalibus & Spiritualibus Generalis & Metropolitanæ Ecclesiæ Colonſenſis Canonicus, &c. Opus tripartitum Primitiarum Gentium seu encomiorum & Historiæ SS. Trium Regum Magorum à R. P. HERMANNO CROMBACH è Societate Iesu concinnatum, & à Theologis ejusdem Societatis lectum & approbatum, cum ad Hæreticorum & maledicorum calumnias & objecta diluenda peridoneum, & ad refrigescentem in multorum animis horum præcipuorum Archidiœcesis huius Divorum Tutelarium cultum inflammandum aptissimum videatur, luce præloque dignissimum existimamus. Coloniæ die 20. mensis Feb. anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto.

Georgius Paulus Stravius Episcopus Ioppensis,
Suffraganeus Colonienſis & librorum Censor Ordinarius, &c.

FACVLTAS SVPERIORVM.

EGo Godefridus Otterstedt Societatis Iesu per provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi facta ab Admodum R. P Florentio de Montmorencii Societatis Iesu Vicario Generali, facultatem do Ioanni Kinchio Bibliopolæ & Senatori Colonienſi typis mandandi, & liberè distrahendi Primitias gentium, seu Encomia & historiam SS. Trium Regum opere tripartito novemq; libris à P Hermanno Crombach eiusdem Societatis Iesu conscriptam, & à deputatis ad id Theologis lectam & approbatam. In cuius rei fidem has literas manu meæ subscriptas & officii sigillo munitas dedi Coloniæ 19. Sept. Anno 1649.

Godefridus Otterstedt. m. p.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

TOMUS PRIMUS.

ENCOMIASTICVS
PRIMITIARUM GENTIUM
SEV
HISTORIÆ SS. TRIVM REGVM
MAGORVM EVANGELICORVM.

In quo

Prærogativæ SS. REGUM, & Beneficia Gentibus ab iis impetrata, Oracula de iis à Prophetis & Sibyllis edita, cum figuris vel comparationibus è Veteri Testamento,

Item

GENVS EORVM, PATRIA, ET EXSPECTATIO Sideris & Messiæ continentur.

AVTORE

R. P. Hermanno Crombach è Societate IESU.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

PRIMITIÆ GENTIVM,

SIVE

TOMVS I. ENCOMIASTICVS HISTORIÆ SS. TRIVM REGVM MAGORVM EVANGELICORVM.

AVTORE

R. P. HERMANNO CROMBACH Soc. Iesu sacerdote.

LIBER I.

DE PRÆROGATIVIS SS. TRIVM REGVM, ET BENEFICIIS GENTIBVS AB IIS IMPETRATIS.

CAPVT I.

Deus Pater ex omnibus hominibus elegit tres Reges ad officia maxima Filio suo exhibenda.

ENCOMIA præmittuntur, vt Lectoris desiderium acuant; ea petuntur è prærogatiuis Regum, quibus Deus eos præ alijs Sanctis post Apostolos donauit hoc libro discutiendis; & è beneficijs, quæ ipsi Gentilibus obtinuerunt, quorum omnium radix est electio diuina, à qua ducemus initium.

Cum Deus (qui *eligit ea, quæ non sunt*, vt sint, & maxima quæque pro diuina gloria possint operari) vult in sacris codicibus indicare quempiam magnis à se prærogatiuis exornatum esse, solet vti similibus vocibus: *quæsiui, inueni, elegi*, quæ celeberrimis viris, Dauidi, Moysi, Saulo & alijs tribuuntur: nam de Dauide Samuel ita loquitur ad Saulem Regem: *Quæsiuit Dominus sibi virum iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt sit dux super populum suum.* & psal. 88. *Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum*: præmiserat autem: *& exaltaui electum de plebe mea.* Sic Sapiens de Moyse ait: *Elegit eum ex omni carne.* S. quoque Ioannes Baptista vocatur ab Isaia *Sagitta electa.* Paulus verò *Vas electionis* a Domino nominatur ob specialia, quæ Deus ei contulit priuilegia. Quin & vniuersè de sanctis Apostolis Saluator pronunciat: *non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat.* Quærit Deus per scientiam, vt vocant Theologi, mediam, eos, qui libero mentis assensu parati sunt dona diuina recipere; repertos, & gratis ex alijs, & præ alijs electos ijsdem decorat, quos tamen ita remuneratur, vt accepisse beneficium, non dedisse videatur: imò vt de ijs quæsitis & iam inuentis glorietur *seruus meus es tu Israël, quia in te gloriabor.*

1. *Cor.* 1. 27. Eligit Deus iustos vt grandia operentur.
1. *Reg.* 13. *psal.* 88. *Eccli.* 45. *Isa.* 49. *Act.* 9. *Io.* 15. *Isa* 49. 3.

Quærebat præcones & buccinatores regni filij sui in metropoli Palæstinæ promulgandi cœlestis Pater, quærebat nuncios & Euangelistas veritatis cœlo demissæ, qui Messiæ recens nati ortum Iudæis inprimis audacter, audiente licèt Herode Rege publicarent: quærebat Ecclesiæ nouellæ progenitores, altores, structores & defensores; primos quos in orbem terrarum àblegaret Apostolos, vt ortum Messiæ cunctis gentibus, vti duodecim Apostoli eius anastasin, vbique prædicarent, parati sanguine suo fidem Dei filio promissam testificari. Quærebat legatos idoneos, qui nomine totius mundi cœli terræque natum Regem susciperent, eidem regna sceptraque mundi submitterent, in eius fidem & clientelam se cum subiectis populis, & omnibus nationibus conferrent, quos illi suo exemplo verbisque ad tutelam Christi petendam stimularent: inuenit hos orientis Reges ætatis suæ viros sapientissimos, generosissimos

& Tres Reges ad officia nobilissima delecti sunt speciatim

mos & fortiſſimos, quorum maieſtas regia, fama ſcientiæ, celſitudo animi poſſet ampliſſimè Regi recens nato nominis celebritatem apud ſummos infimosque conciliare, tam in Iudæa, quam oriente; elegit eos vt ſcriptura loqui ſolet, *ex omni carne*, quos & officij tanti prærogatiua, dotibusque pro eadem re neceſſarijs tam naturalibus, quam diuinis cumulauit, vt quod hactenus Angelorum miniſterio, præſertim Gabrielis, peregerat, id per homines, & exteros quidem conficeret, qui nullas Tyranni immaniſſimi Herodis inſidias pertimeſcerent, ſed inuicta animi excelſitate, & præcones ſe tanti monarchæ faterentur, & primi vellent eſſe ſupplices eius, è Gentibus adoratores: quos ideo talibus pro infinita ſua potentia ſapientiaque donis inſtruxit, quæ muneris impoſiti magnitudo, patris cœleſtis mittentis maieſtas, & filij recens nati dignitas flagitabat. Vnde maximis eos præuenit gratiarum auxilijs, quos ad muneris ſummi dignè obeundi amplitudinem delegerat, vt promtiſſimè, quamvis in re difficili, Deo tamen perhonorifica, filio glorioſa, mundo toti, præſertim Gentilibus vtiliſſima diuinæ voluntati obſequerentur: tum ea vitæ ſanctimonia fulgerent, quæ Chriſtianæ eccleſiæ Patres deceret, in quibus ſapientia doctorum, fortitudo Martyrum, integritas Sacerdotum, religioſorum deſpicientia rerum omnium, Virginum puritas refulgeret, quam ſeculis ſequentibus Gentiles in Eccleſia Chriſto ſponſo eſſent exhibituri. Ac licet Deus Pater ad Chriſti Filij, ſui natales honorandos, & vulgandos initio Paſtores Iudæos & Angelos adhibuerit nocte, per hos tamen tres Reges voluit regiam eius dignitatem, diuinitatem, munusque ſaluatoris orbis terrarum in metropoli Iudæa, coram Herode Rege, Principibus Sacerdotum, & toto populo clara die publicari, vt facilius ad humanum genus præconio Regum exterorum ſalus præſens emanaret. Quos verò Dei filius præſtiterit ijs fauores ſingulares, pluribus deinceps capitibus examinabo; inde patebit magnitudo amoris æterni S.S. Trinitatis erga tres Reges & electionis eorum præ ſanctis alijs præſtantia, quod fundamentum & radix eſt omnium prærogatiuarum donorum & gratiarum cœlitus ijs collatarum: ideoque primo loco conſiderandum venit.

& dotati.

Pro magnitudine muneris impoſiti.

Ijdem Eccleſiæ progenitores.

& præcones Chriſti ſunt conſtituti.

CAPVT II.

Filius Dei cum præ Angelis homines, & in his tenerius dilexerit Eccleſiam Gentium, harum primitias ceteris altius euexit.

STATVERAT quidem mundi fabricator Deus naturas duas ratione præditas producere, corporatam alteram, alteram verò corporis expertem, quæ licèt dignitate ſua tanto res omnes corporeas interuallo ſuperet, quanto diuinæ menti ab omni concretione materiali ſemotiſſimæ ſimilior eſt, vt tamen manifeſtius infinitæ bonitatis magnitudo panderetur, placuit humanum diligere genus, in quod amorem ſuum effunderet: vnde præterita ſublimiore natura Angelica decreuit humanum induere corpus, cum hominibus verſari, & mortem pro ipſis atrociſſimam tolerare, ſicque vilem hominem & abiectum Angelis efficere celſiorem, & ad diuinæ maieſtatis ſolium extollere, quem genij cœleſtes vt Regem honorarent & vt Deum ſuum adorarent. Fecit etiam auupliſſimam hominibus poteſtatem, ſi diuinis affiatibus & impulſibus reſponderent, quibus ad virtutum vſum & exercitationem prouocantur, vt poſſent ad ſupremam Angelorum hierarchiam adſpirare, pares ipſis meritis & æterna gloria. Cuius beneficij magnitudo debet nobis hoc videri gratior, quod non fuerit Angelis communicata: nam licet quique nouem ordinum in ſuo potuerint choro reliquos gratiâ, meritis & gloriâ ſuperare, nulli tamen conceſſum eſt ſuum ordinem tranſcendere, vel ad altiorem hierarchiam aut chorum euolare.

Dei in homines amor maior quam in Angelos.

Inter homines autem cum duos ſibi populos delegiſſet, & in veteri quidem lege ſtirpem Abrahamitarum, tanquam peculium ſuum adoptaſſet, vt exſtarent in illa diuinæ largitatis illuſtriſſima argumenta, quem etiam populum ſtatis & ſolennibus ceremonijs ſecreuit à reliquis orbis totius nationibus, ſuoq; cultui conſecrauit: vbi tamē ipſe Dei filius mundi totius machinator corporatus in terris apparuit, & à Iudæis fuit

Iudæos primo elegit.

fuit repudiatus, Iudæos & ipse spreuit, & abiecit; Gentiles verò complexus amiciſſimè, delegit ex eis membra nobiliſſima & infinita, innumerabilem Virginum, Confeſſorum, Pontificum, & Martyrum multitudinem, qui fidei conſtantia, vitæ morumque integritate toto terrarum orbe iam inde à Chriſti morte adhanc vſque diem floruerunt, quibus præcipuis & ſolidiſſimis poſt Apoſtolorum tempora columnis nixa ſtetit Eccleſia militans inconcuſſa: adeo quidem, vt licet perpauci fuerint in lege veteri, quorum ſanctitudo poſſit cum primarijs nouæ legis viris contendere, communis tamen illa Iudæorum ſanctitas cum Chriſtiana perfectione collata, quam Deus Gentilium poſteris eſt elargitus, vmbræ tantum ſpeciem ad corporis ipſius elegantiam & dignitatem referat, adeoq; Iudæos, vt Iſmaëlem ancillæ filium ſeruorum in numero habuerit, populos verò Gentiles Chriſti præceptis expolitos, vt Iſaäcū in filijs numerarit: hos vix natus affectu paterno, velut heredes ſuos proſecutus eſt, ac deinceps continuarit, vbique terrarum in ijs perpetua beneficentiæ argumenta, repudiatis à ſe Iudæis. A quibus olim Deus circumciſo corpore, velut cauteriatis vel ſtigmaticis cultum externum difficillimarum ceremoniarum, vt à mancipijs, intentato mortis ſupplicio ſeruilem in modum exigebat, ſi à præſcripta ſacrorum religione latum vnguem declinarent, quæ lex oneris & timoris plurimum, parum verò ſanctitatis internæ vel amoris conferebat, imo quæ gratiæ cœleſtis interiorem abundantiam figurabat, qua conſtituerat Gentiles Chriſtianæ legis profeſſores, vt filios & heredes ſuos exornare. Hæc verò lex amoris cœleſti quodam delinimento ſic fidelium reficit mentes, vt incredibili geſtientis animi cum voluptate virtutis & honeſtatis amore perficiant, quæcunque præcipiuntur, nec onerari ſe credant imperijs, ſed ornari virtutum inſignibus, vt aſpera quæuis, & mortem ipſam amore Chriſti ſitiant, & cupidius ea, quam auari diuitias appetant, quo ſuum erga Deum amorem & fidelitatem teſtificentur.

Gentilibus contulit prærogatiuas præ Iudæis
1. Superant eos multitudine
2. perfectione *Gal.* 4.
3. hereditate filiorum
4. lege interna amoris

Porro ſicut Deus eos ſemper maioribus donis cumulauit, quos operis alicuius magni voluit eſſe architectos; Adamū præ Patriarchis ceteris, quos in lege naturæ condidit; Abrahamum vero Iſaacum & Iacobum primitias electi populi circumcidendi præ poſteris circumciſis ad Chriſti ætatem vſque, vt in his velut ſpeculo Iudæi virtutum ornamenta adſpicerent, quibus Deus optabat populum iſtum decorari: Sicut Apoſtolos velut primitias fidei Chriſtianæ donis auctioribus Spiritus Sancti Deus affecit, vt fontes & ſcaturigines eſſent diuinorum munerū, quæ in orbis totius nationes redundarent, ſicq; ſpeciem omnes & formam abſolutiſſimæ virtutis præ manibus & oculis haberent, clariſſimis expreſſam lineamentis, ad cuius imitationem mores ſuos omnes fingerent, & accommodarent; ita videtur diuina ſapientia hos fidei olim in Gentibus diſſeminandæ Patriarchas præ alijs omnibus à Gentilitia ſuperſtitione ad Chriſtum traducendis, ampliſſimis gratiarum donis exornaſſe quos, archetypon, primamque formam eſſe iuſſit fidelis populi è nationibus omnibus colligendi, & figurare conſtantiam in fide, in vitæ periculis & tormentis, coram tyrannis; quorum decem perſecutiones, quibus incunabula naſcentis Eccleſiæ ſubuertere penitus nitebantur in Magorum fortitudine coram Herode ſæuiſſimo tyranno velut imagine repræſentarentur: nam ſicut veteratorijs ſuis dolis fruſtra vulpes illa Chriſto recens nato, fruſtra tribus Regibus inſidias moliebatur, ita præmonſtrarent irritos fore Regum & tyrannorum conatus in Chriſti fidelibus opprimendis, & Eccleſiæ columnis conuellendis, quas diuina prouidentia in Chriſti confeſſione velut petra firmiſſima ſolidabit: hæc enim paterna ſua cura non patitur filios maioribus ærumnis conflictari, quam poſſint ſuſtinere: ipſos etiam hoſtium inſultus, velut ſubſidia, & inſtrumenta dirigit ad excellentis perfectæq; virtutis decus comparandum. Hoc tirocinio Deus ſanctos Reges tredecim dies, quos in Chriſto perueſtigando conſumſerunt, ad omnem perfectionem informauit, varijs eos permiſit iactari caſibus, & vitæ periculis, vt heroica virtus, quæ obſequendo diuinis impulſibus cœperat efflorescere ſenſim adoleſceret, continua meditatione, vſu & conſuetudine, ac velut in naturam verſa numeris omnibus abſolutam vitæ Chriſtianæ perfectionem adumbrarent, dignam ijs quos perfectores & Magiſtros vti Iudæorum, ſic Gentilium etiam populorum & primos ſacri præcones Euangelij deſignaret. Qua quidem Regum admirabili virtute captus Dei filius, eorumque delinitus obſequijs, repudiata vetere Synagoga velut ancilla, Gentes ſibi perpetuo matrimonij nexu copulauit, eas vt filios

Patriarchæ poſteros ſuperarunt ſanctitate

& tres Reges fideles ortos è Gentibus.

typus fuerunt futuri ſtatus Eccleſiæ.

& Euangelicæ perfectionis

Christus Gentiles sibi despondit.

lios suos regni cœlestis heredes scripsit, sicque in hostes suos Gentiles in abysso ignorantiæ cœlestium rerum & scelerum omnium colluuie miserabiliter demersos effudit infinitæ misericordiæ thesauros; vt dubitare non liceat, quin horum principes & primipilos, (quorum fidei constantia motus posteros adoptauit) præ sobole eorum fideli, maiore virtutum & bonorum cœlestium incremento & ipsâ perseuerantiâ decorarit, quibus-cum nomine totius Gentilitatis se Christus ipse voluit in stabili perpetuoque matrimonio collocare, posteros eorum ad ius regni cœlestis adoptando. Nunc accuratius contemplemur, quomodo eorum præconio voluerit primogenitus & Rex mundi declarari, magno Gentilium emolumento: & trium Regum insigni muneris & dignitatis prærogatiua.

CAPVT. III.

Christus qua homo finis omnis creatæ rei, die Epiphaniæ declaratus est primogenitus, adita Gentium hereditate.

Christus vocatur primogenitus & primitiæ, 1. *Cor.* 15. *Apoc.* 1.

PRimitias Gentium Reges voluit* *Primogenitus omnis creaturæ* Christus Iesus suo nomine, & insigni beneficio die Epiphaniæ honorare: nam Paulus rediuiuum à mortuis Saluatorem* *Primitias dormientium* nominat, quod primus in vitam reuocatus, non esset amplius moriturus, quo sensu à S. Ioanne vocatur idem * *Primogenitus mortuorum & Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo & fecit nos regnum & sacerdotes Deo*: nam ipse primus reuixit ad vitam beatam & immortalem, cœpitque in ipsis etiam regnare Regibus, per gratiam, & fideles fecit sacerdotes, dum se ipsos precibus, suaque Deo quotidie consecrant.

Pro. 8. *Colos.* 1. tres Reges nomine eodem appellauit, & gratia maiore quam posteros cumulauit.

Vocat eundem Deus* *initium viarum suarum*, seu operum: & alibi per Apostolum *primogenitum omnis creaturæ*, quia Pater eum prius alijs, & ad sublimiorem gloriam destinauit; ita Christus etiam tres Reges dici *primitias* suas è Gentibus voluit, quasi primogenitos, seu primos Christianæ fidei professores inter Gentes, præ alijs eorum posteris fulgere diuinis ornamentis, qui primi Gentilium ad vitam gratiæ vocati, regnum in se Christi constituerunt, facti etiam primi Christi sacerdotes, eum primogenitum Dei, excelsum præ Regibus terræ mundo declararunt, & in Gentium possessionem, quasi hereditatem primogenito decretam immiserunt: sed videndum nunc est, quomodo filio Dei, vt fini totius vniuersitatis rerum talis hereditas debebatur, & ipse fuerit prius alijs omnibus ad gratiam & gloriam præfinitus. Fide tenemus Deum non fatali coactum necessitate, sed libero mentis æternæ decreto mundum condidisse, vt potentiam, gloriam & maiestatem suam declararet; licet enim infinitæ menti satis superque bonorum sit ad æternitatem beatè traducendam, quæ sola nullius eget adiumento, consilio, vel adminiculo; ex naturæ tamen fœcunditate & ingenita summi boni propensione, voluit se latius diffundere, & alijs communicare, vt essent, quos ornaret, & quibus infinitæ beneficentiæ thesauros largiretur. Vnde primum viarum suarum, seu operum diuinorum diuinissimum condidit, vt primogenitum omnis rei procreatæ, in quo velut imagine, sic diuinæ maiestatis gloria reluceret, vt nec eo posset opere quidquam nobilius vel diuinius infinita sapientia machinari; adeoque voluit, vt Deus filius, licet esset ab omni materiæ concretione semotissimus, corpus tamen humanum indueret, cœli terræque Rex hominibus & Angelis præsideret, is finis esset totius mundi, cuius honori gloriæque creata cuncta deseruirent, ad quem velut ad summam omnia revocarentur, vt in eius persona cum creatis omnibus creator ipse comprehenderetur. Rectè Rupertus.* *Religiosè dicendum, & reuerenter est audiendum, quia propter hunc hominem gloriâ & honore coronandum, Deus omnia creauit*, Et infra *rectius dicitur non hominem propter Angelos, sed propter quendam hominem etiam Angelos factos esse & cetera omnia.* Sic S. Hieronymus, Concilium Sardicense, & Anselmus non tantum de Christo qua Deus, sed etiam qua homo est, ea

idem est finis mundi.

id probatur 1. è SS. Patribus *Rupert. l.* 13. *de gloria SS. Trinit. & processione Spir. S. c.* 20.

S. Pau-

S.Pauli verba: *Primogenitus omnis creaturæ*,hoc modo interpretantur : quòd homo Christus omnium sit primogenitus,non tempore,sed honore & dignitate: nam Christus,vt homo, finis est, quem Deus maximè intendit, & propter quem omnia procreauit.videri Cornelius à Lapide potest in eundem locum. ConsentitConciliū Ephesinum, in quo Christus dicitur *Vnigenitus vt Deus*: ***Primogenitus vt homo.*** Cùm igitur Christus vt homo,primogenitus sit totius vniuersitatis rerum,debebantur ei iure priuilegia septem vel octo primogenitis olim attributa. vt Deo consecratus pretio redimeretur, fratrum duceret familiam, prærogatiuam regni, sacerdotij, loci, paternæ benedictionis, & duplæ portionis hereditariæ nanciscerétur. Horum præcipuam partem die Epiphaniæ operâ trium Regum est consecutus , à quibus primogenitus Dei filius, Rex, Sacerdos ,& heres primarius & naturalis est in metropoli Iudææ promulgatus; tunc ipsi Reges, seipsos eius dominio subijcientes, ipsum in possessionem præcipuæ portionis hereditariæ Gentilium , promissæ ei à Patre (quam ardentissimè desiderarat,& cuius consequendæ studio cœlum reliquerat) immiserunt, vt Psaltes regius pronunciauit: *Dominus dixit ad me ; filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me , & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ* : quæ verba sic exponit hoc loco sanctus Augustinus. *Postula à me, vt Gentes nomini Christiano copulentur, atque ita à morte redimantur, & possideantur à Deo. Dabo tibi Gentes hereditatem tuam, quas possideas ad earum salutem, & quæ tibi fructificent spiritualia. Et possessionem tuam terminos terræ: idem repetitum est : terminos terræ pro eo positum, est, quod dictum est: dabo tibi Gentes :* Dedit eam hæreditatem Pater petenti & ardenter Gentium fidem sitienti filio, cum tres illi legati nationum omnium totius mundi supplices orarent, admitti in sortem filiorum Dei : nec indigni videbantur, qui iam antea cum vitæ periculo Iudæis natum Dei filium promulgarant , & omnes exemplo suo ad eius seruitium inuitarant, parati iam amore Christi sceptra dimittere, dummodo possent alios ad Christi Regis obsequium inducere. Libenter verò supplices recepit infans, & coheredes suos scripsit, nec ipsos solos, sed omnes prorsus orbis nationes,quæ Regum exemplum sequerentur :idque pietas eorum , animi demissio , liberalitas opportuna, promtumque Christo parendi studium merebantur.Quomodo verò statim Dei filius hos fratres suos primogenitos è Gentibus immutarit, verosq; sibi similes cœlestes Reges fecerit,è dicto psalmi loco sic eruit Augustinus.*Reges eos in virga ferrea , in inflexibili iustitia, & tanquam vas figuli conteres eos ,id est,conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis lutulenta negotia, & quidquid de peccatore limo contractum atque inolitum est. Et nunc Reges intelligite : Et nunc,id est,iam innouati,iam contritis luteis tegumentis,id est carnalibus vasis erroris,quæ ad præteritam vitam pertinent, nunc intelligite iam Reges, id est,iam valentes regere, quidquid in vobis seruile atque bestiale est, & iam valentes pugnare, non quasi aërem cædentes, sed castigantes vestra corpora, & seruituti subijcientes.*

Cornelius à lapide Concil. Epheſ. Christo debentur 7. priuilegia primogenitorum

obtinuit ea opera triū Regum

adita hæreditate Gentium psal. 2.

receptis innumeris fratribus

mutatis eorum moribus

Ita cœpit eodem Epiphaniæ die *primogenitus in multis fratribus* appellari,& inter Reges terræ glorioſus apparere,quod Pater eidem promiserat. *Ipse inuocabit me,Pater meus es tu,Deus meus,& Deus susceptor salutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam,& testamentum meum* (de Gentilibus sancitum) *fidele ipsi: Et ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius, sicut dies cæli.* Nunquam enim cessauit deinceps Gentilium ad Christi regnum concursatio , & innumera fidelium in eo perstitit multitudo : vt potius ijs seruis, amicis & fratribus, quàm Iudæis voluerit gloriari,translato ad Gentes regno & sacerdotio suo. Reges verò tres, vt primogenitos Gentilium secum voluerit commune nomen primitiarum participare, de quo sanctus Ambrosius ait : *Primitiæ dicitur Christus , quia sanctior omnibus fructus , qui etiam cæteros omnes consortes sui fructus sanctificauit.* Ita tres Reges , velut spicas reliquis pleniores,grandiores & magis turgidas,quas Deus Pater ex omnibus Gentilibus ab æterno selegerat, vt honori filij consecrarentur, ipse etiam maioribus quàm posteros donis cœlestibus cumulauit,vt censeantur cum SS.Apostolis primitias spiritus & excellentiora munera meruisse,quæ eorum officio,Christi liberalitati : meritis etiam ipsorum congruerent, sicq; sanctiores omnibus fructus essent & poste-

sic glorioſus inter Reges apparuit. psal. 88. à v. 27.

& primitiæ dictus est cum SS. Regibus S. Ambroſ. l. 1. epiſt. 22.

ros suos fideles consortes sui sanctificaret, omnesq; regni cœlestis heredes faceret: id quomodo Christo primogenito debeatur, & eius participes fecerit Gentiles opera Regum, videamus.

CAPVT IV.

Idem Hæres Dei, Rex & monarcha totius mundi à Regibus publicatus, Gentiles eorum opera consortes regni sui fecit.

Christus superat Patriarchas multis prę rogatiuis.

PRIMOGENITO Dei debebatur ex asse bonorum paternorum hereditas, adeoque totius mundi, tam hominum quam Angelorum dominatus, regnum & monarchia: nam omnes veteris instrumenti Reges, Patriarchas & Prophetas varijs prærogatiuis superabat nec homines tantum, sed & Angelos omnes dignitate longissimè antecellebat: probat hæc pluribus Apostolus c. 1. & 2. Hebræorum, vt confutet errorem Simonis Magi & nonnullorum hæreticorum, qui plus æquo tribuebant Angelis. Id ipse Christus fatetur: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: nam habuit omnium rerum creatarum dominium, vt ijs vti fruique posset iure suo: licèt enim priuatum & vtile permiserit alijs, vsu rerum quarundam sibi reseruato, directum tamen & altum semper possedit; ideo vocatur à Strabo *possessor omnis creaturæ*. eique verba Psalmographi conueniunt: *Meæ sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus & boues: cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum est: si esuriero, non dicam tibi; meus est enim orbis terræ & plenitudo eius.*

Matt. 28. Dominus est mundi.

Psalm. 49.

Rex & monarcha.

Hinc eidem S. Thomas officium Regis tribuit, vt cunctis velut subiectis leges ferre potuerit: ait enim *Christum fuisse Regem, sed noluisse in terris viuentem administrare regnum temporaliter*; consentiunt Doctores alij Suaretz, Vasquetz, Hurtado: Psaltes ideo Reges omnes ipsi subijcit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum eius.* Hortatur autem Reges ad legem eius recipiendam. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, seruite ei in timore, apprehendite disciplinam.* Hieronymus & Pagninus vltima sic vertunt: *Osculamini filium*: item, *adorate purè*. Abenezra Hebræus *Excipite Messiam honorificè, & amanter cum plausibus, & clamationibus: disciplinam, id est, institutionem & doctrinam huius magni Regis.* Hæc multi de Regibus nostris Christi adoratoribus interpretantur: primi regnum eius agnouerunt publicè promulgarunt, eius dominio sceptra sua submiserunt, disciplinam & leges noui monarchæ receperunt, vltro se ei regendos & formandos obtulerunt, in eius militiam primi Gentilium autorati, & adscripti in familiam. Sciebant eum non mundi diuitias & opes quærere, sed vt animabus omnium & ipsis Regibus consuleret, regnum cœlorum dimisisse, paratum id omnibus fidelibus suis communicare, sicque prudenter ilicò relictis regnis & fortunis suis eiusdem regno publicato, dignitatem eius regiam donis & adoratione sunt testificati: nam vt S. Augustinus ait. *Quid magnum fuit Regi seculorum, Regem fieri hominum? non enim Rex Israël Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum hostesque visibiliter debellandos, sed Rex Israël, quòd mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in regnum cœlorum credentes, sperantes amantesque perducat.* Hoc est regnum filij Dei, quo toti militanti & triumphanti Ecclesiæ, hominibus & Angelis dominatur: quod creatæ res Christo nato agnouerunt: dum cœlum stellam Magis, petra fontem Deiparæ in stabulo dedit, Angeli pastores ad incunabula inuitarunt, & ipsi cœlesti symphonia vagientem recrearunt. Primi monarchiæ huius buccinatores & præcones sancti tres Reges exstiterunt, qui Christum non electum, sed natum Regem, Herodi & Principibus Iudæorum publicarunt: illi vt regum Regi potentissimo, tres è diuersis orbis partibus aduolantes sceptra regnaque subdiderũt, iacturam parati libenter regnorum suorum facere, vt cœlestis regni ciuibus, quibus Christus Rex gratiâ decoratis imperat, adscribi mererentur: iam tum ipsis omnis toti-

3. p. q. 22. a. 1. ad 3. q. 59. a. 9. in 3. P. Psal. 2.

Tres Reges eum vt Regem exceperunt. *Auila conc. de Epiph.*

ei se subdiderunt.

Animas regendas obtulerũt.

S. August. tract. 50. in Ioan. in fi.

Regnum eiusdem promulgasunt.

totius orbis regia maiestas,opes & deliciæ desipiebant præ cœlestis regni præstantia, cuius consortes,vt membra eiusdem corporis cum capite suo se futuros credebant.itaque cum S.Chrysostomo dicebant attoniti:*Papæ quomodo & ipsam euexit Ecclesiam, quasi quadam machina trahens in magnam ipsam sublimitatem sustulit, inquit ipsum cælestem thronum sedere fecit*! nam vbi est caput,ibi & corpus,supra omnia visibilia & inuisibilia.Quis dubitet eos orasse tunc & perorasse,vt Gentiles etiam populi, diuinæ legis hactenus expertes in sortem filiorum & heredum Christi adlegerentur? nec id tantum sunt consecuti,sed &regni huius cælestis à Iudæis auferendi ad Gentes translationē inchoarunt feliciter,& vt alibi probabo,fide,pietate & animi demissione meruerunt.Ideo S. Leo frequentissimè fideles ad lætitiam & gratiarum actionem excitat. *Hus igitur dilectissimi, diuinæ gratiæ mysterijs eruditi diem primitiarum nostrarum,& vocationis Gentium inchoationem,rationabili gaudio celebremus,gratias agentes misericordi Deo,qui dignos nos fecit,sicut ait Apostolus: in partem sortis Sanctorum,qui eripuit nos de potestate tenebrarum,& transtulit in regnũ filij dilectionis suæ.*

S. Chrys. in 1.Ephes.

Meruerunt & inchoarunt regni huius ad gentes translationem

S. Leo ser. 3.de Epiph.

Inuitaris ô homo licet pauperrime, miserrime, calamitosissime beneficio trium Regum ad regnum hoc potentissimum, & florentissimum, quale nullum aliud est, fuit,aut erit.Consors filij Dei & heres,si lubet,fieri potes:inuitat te Christus,frater tuus amore tui factus:*specioſus* ille *præ filijs hominum;candidus & rubicundus,electus è millibus,totus desiderabilis,cuius conuersatio non habet amaritudinẽ*: dummodo regnet, vt in Regibus, sic in animo tuo.Regnũ hoc maximum & opulentissimũ est,quia totam rerum vniuersitatem,homines & Angelos perpetuo coercet dominatu: cui soli regna mundi, principatus & opes omnes subijciuntur: Magnificentissimum est, quia satellitij & stipatus illius adstat innumera multitudo. Fortissimum est: solum enim regna mundi vniuersa contriuit: cui nulla vis & potentia non dico præualere, sed nec resistere potest: æternum est: *regni enim illius non erit finis*: *Regnum tuum, regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem.* Idem etiam est iucundissimum,nobilissimum,splendidissimum, quia subiectos omnes facit Reges: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram.* & quòd mireris,ipse Rex gloriæ seruos suos *faciet discumbere*, & *transiens ministrabit eis.* O ter beatos,quos ad talem principatum Deus euocauit! *Gratias* igitur,secuti monitum Apostoli,*agamus Deo Patri, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ;* qui à dominatu principis tenebrarum,ab ignorantia legis diuinæ,& scelerum seruitute ad hereditarium Christi regnum humilitate & fide trium Regum transtulit, vt in cordibus nostris regnet ipse, dum mortalem vitam agimus, eaque decursa consortes regni cœlestis efficiat. Hac spe erecti Reges isti tam cupidè sceptra & diademata Christo submiserunt, eius primi præcones esse voluerunt, omnia postea eius amplificandi studio vitamque post habuerunt,vt doceat nos eorum posteros eiusdem spe terrena commoda despicere, perituras opes & honores contemnere: nec vanis timoribus, ob defectum rerum temporalium nimium solicitari. *Aufert* ait S.Chrysologus, *spes anxias, dubios tollit euentus, omnemque propellit & excludit timorem, quando in exordio ipso regnum nascentibus pollicetur: quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. Quis de victu, quis de vestitu, quis de plebeo censu, & vernantis cespitis vilitate suspiret, de regno certus, de dominatione securus? Satis sibi inuidet, qui eleuatus ad summa, ipse se ad humilia deijcit, ad egena deponit.* Verè *Deo seruire regnare est*: nam is hic cupiditatibus dominatur: post hanc verò vitam ipsis reprobis Regibus & monarchis, vt mancipijs imperabit. *Exsultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus increpationes in populis; ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus, Sanctis eius.* Ad tale vocatos regnum decet ignauiam excutere, corporis delicias abijcere, nullum laborem militum instar inhiantium prædis,venantium famam,ambientium regna,detrectare. *Quid dicis,* monet ardenter desides S. Chrysostomus, *ô homo? ad regnum vocatus es, & regnium filij Dei, & oscitabundus es totus? ac desidum more scalpis ac torpes? si namque singulis diebus in mille mortes insiliendum fuisset, annon omnia facere oportebat? atqui principatus*

Opulentissimum, magnificentissimum, fortissimum, æternum.

Lucæ 1. psal. 144.

iucundissimum.

Apoc. 4. Lucæ 12. 37.

Colos. 1.

Regnum hoc potentissimum

Cant. 5. 10.

Hinc fiducia concipienda in aduersis.

S. Chrysol. serm. 25.

Psal. 148.

despiciendi Reges improbi.

Vecordia exuenda.

cipatus gratia nihil non faceres: cùm verò consors futurus sis regni filij Dei, non obijcies te mille gladijs, non insilies in ignem? at tu luges etiam, quod hinc abiturus es, & præsentibus libenter immoraris, plus æquo corporis curam gerens: quidnam hoc est? & mortem esse horrendam putas? Horum veræ causæ sunt deliciæ, & vitæ remissio: alioquin qui viuit vitam acerbam, auolare quoque vellet, & ab hac vita liberari.

CAPVT V.

Vt verò caput Angelorum & hominum, ac fons totius vitæ spiritualis, Reges hos tanquam membra sua nobilissima maximis gratiarum ornamentis decorauit.

Ioan. 15. 4.

VITEM se Christus nominat, & fideles omnes palmites, vt sciant a se velut radice vitam omnem animæ, fructumque bonorum operum dimanare: *Sicut enim palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis, quia sine me nihil potestis facere.* Voluit ideo hominum dici caput & esse, nosque velut membra sibi copulare, vt in nobis sibi coniunctis facilius operaretur, id attonitus sic prædicat & describit S. Augustinus: *Nullum maius donum Deus præstare posset hominibus, quàm vt verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret, vt esset filius Dei, & filius hominis, & vnus Deus cum Patre, vnus homo cum hominibus, vt quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium separemus, & quando precamur corpus filij, non à se separet caput suum, sitque vnus ipse Saluator corporis sui Dominus noster Iesus Christus filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, vt sacerdos noster: orat in nobis, vt caput nostrum: oratur à nobis, vt Deus noster.* & infra. *Oramus ad illum, per illum, in illo, & dicimus cum illo, & dicit nobiscum. Nemo ergo dicat, non Christus dicit, aut rursus dicat, non ego dico; imò si se in Christi corpore agnoscit, vtrumque dicat; & Christus dicit, & ego dico; non potes aliquid dicere sine illo.* Nec minus Christus est Angelorum caput, quàm hominum: imò S. Thomas, Albertus, Caietanus, Arboreus Ruardus, Galetinus, Suaretz, Valentia, Hurtadus, Granadus, A Lapide cum alijs putant omnem etiam gratiam & gloriam è Christi meritis in Angelos esse deriuatam: vt vnum faciant caput Physicum vitæ totius spiritalis Ecclesiæ triumphantis. Insinuant id SS. Patres.

Christus est caput hominum *S. Aug. in enarrat. psal. 85.*

& Angelorum his etiam meruit gratiam *in 3. p. in cap. 1. Ephes.*

Quæ sententia summam explicat capitis Christi dignitatem, quod sicut secundũ diuinitatem rerum omnium creatarum est conditor, sic vitæ spiritualis, quoad humanitatem sit principium, fons & origo: adeoque totius militantis & triumphantis Ecclesiæ adæquatum fundamentum: ideo non dubium est, quin membra sua præcipua tres Reges, quos eligebat vt sponsas, maximis gratiarum donis cumularit: per quos vt canales voluit in Gentiles etiam vitam, motum & sensum gratiæ deriuare, vt in Christi membris aptè possint ipsi neruis, arterijs, & venis comparari.

tria membra cor, hepar, cerebrum primò generantur

Fernelius & alij Medici Physicique tria volunt humani corporis membra: hepar, cor & cerebrum primò generari, ac per venas, arterias, & neruos, velut ramos dissum & deorsum venas, quas sanguinificas etiam Fernelius vocat, certè sanguinem ab hepate confectum fouent & conseruant, eoque carnem irrigant, & membra nutriũt. Cor per arterias toto diffundit corpore spiritus vitales, quibus vigorem, calorem & mouendi vim partibus omnibus impertitur: quin & arteriæ dum micant, vti cor, fuliginem omnem à se amoliuntur. Deniq; cerebrum videtur per totam continuari spinam dorsi, vnde per neruos toto corpore diffipatos, animales spiritus ad organa sensuum deuehuntur. Pari ratione Christus tribus istis modis omnibus suis membris vitam, sensum, motum, & augmentum spirituale solet communicare per influxum gratiæ, fidei, spei & caritatis, quibus præcipuè vita spiritualis continetur, vsuque

earum

earum mirificè augetur, & ipse per singula diffusus membra, dono Spiritus Sancti ijs communicat, vim omnem sentiendi & augendi tribuit, vt fidelis dicere quilibet possit,* *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.* Adhibuit verò sanctos Reges ad Gentilium conuersionem vti venas, arterias & neruos, quorum præconio, & exemplo plurimis nationibus gratiæ vitam, motum, & calorem communicauit: fuerunt enim corporis dominici tria vasa electionis, quale Apostolus, de quo Christus ait,* *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel*: nam aridis ossibus Gentilium Christi fidem persuadendo factum est, quod promisit Deus apud Ezechielem: **Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis. Et dabo super vos neruos, & succrescere super vos faciam carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum & viuetis, & scietis, quia ego Dominus*: prædicit deinde in vno corpore Christi Gentium & Iudæorum coniunctionem similitudine duorum lignorum per insitionem connexorum:* *& ecce ego assumam filios Israël* (fideles) **de medio nationum, & congregabo eas vndique: & faciam eos in gentem vnam, in terra in montibus Israël: & Rex vnus erit omnibus imperans* (Christus) *& non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna: neque polluentur vltra in idolis suis, & saluos eos faciam de vniuersis sedibus, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum.*

Tres Reges sunt venæ, arteriæ, & nerui corporis Christi *Act. 9. 15.* & Vasa gratiæ *Ezech. c. 37. à v. 5.* Vitam communicarunt aridis ossibus Gentium *v. 21.*

Sed corporis humani similitudo clarius ostendit, quomodo membra licet heterogenea, cœlestes dico mentes & homines, Gentiles & Iudæi gratiæ, donorum & gloriæ parem influxum ab eodem capite & radice meritorum Christi sortiantur, prout ratio cuiusque membri postulat & quomodo arctissimè tam inter se, quam cum capite vinciantur, seque sine inuidia foueant, nutriant, tueantur, vt capitis Christi gloria, adeoque totius corporis decor, proportio, & pulchritudo flagitat: licet quædam eorum lateant, alia semper emineant. vilibus alia, alia muneribus honestissimis occupentur, & ornamentis ampliſſimis decorentur. Hæc enim est summa fidelis hominis dignitas, splendor & nobilitas, membrum esse corporis Christi, sanguine eius vegetari & viuere, eius impulsu influxumque moueri, eiusdem imperio nutuque gubernari: quod beneficium decet etiam aliqua ratione nos sanctis Regibus accepturn ferre: simulque laborare, ne velut membra putida á corpore tam nobili, summo cum Christi capitis dolore præscindamur: nam ægrius fert, si quis hæresi vel peccato mortali se diuellat ab eo, quam si quis mortalem vitam agenti brachium vel aliquod membrum viuum amputasset. Vnde S. Chrysostomus monet.* *Reuereamur obsecro germanam hanc atque cognatam affinitatem nostræ carnis cum Christo capite contractam: timeamus interim, ne quem nostrum contingat à Christi corpore præcidi, ne vllus excidat, neque aliquis tanto capite appareat indignus, si quis ex nobis sibi diadema te caput induerit, corona item aurea, quid non ageremus, vt digni possemus videri gemmis istis inanimatis? Nunc autem non nostro capiti imponitur diadema, imo caput nostrum Christus factus est, quod præcellentius est multo, nec tamen inimus tanti capitis rationem? Et Angeli quidem omni honore ipsum prosequuntur, Archangeli, omnes denique cœlestes illæ potentiæ: nos autem qui ipsius capitis sumus corpus, ne hac gratia neque ob illud eundem reuerebimur?*

omnia membra Christi inter se connexa

non debent peccato præscindi à corpore. *S. Chrysost. ho. 3.*

Quantam verò gratiæ cœlestis & donorum diuinorum redundantiam Christus caput Regibus, vt membris suis & vasis nobilissimis communicarit, capite duodecimo fusius persequar.

CA-

CAPVT VI.

Ad quartum Ecclesiæ militantis murum ceteris elegantiorem construendum Christus vsus est structoribus Tribus Regibus.

Ezech. 48. 16. *Apoc.* 21. Ecclesia ciuit quadrata construitur è viuis lapidibus

ECCLESIA dicitur vti corpus, sic etiam *Ciuitas, in quadro posita*, quam triumphantem vidit Ioannes; Ezechiel Solymæ quadratæ specie adumbrauit. Eius structuræ modum in hymno sic canit Ecclesia: *Cœlestis vrbs Ierusalem. Beata pacis visio, quæ celsas de viuentibus saxis ad astra tolleris, sponsaque ritu cingeris mille Angelorum ciuibus. Mortalis illuc ducitur amore Christi percitus tormenta quisquis sustinet, scalpri salubris ictibus, & tunsione plurima fabri polita malleo, hanc saxa molem construunt, aptisque iuncta nexibus, locantur in fastigio.*

Ædificator primarius est Christus. *Ephes.* 2. Idem fundamentum Hominum & Angelorum. *S. August. l.* 22. *C. D. c.* 6.

Ædificator primarius, fundamentum, & lapis simul angularis eius est Christus: sic enim ait Apostolus: *Ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu*, nam fide in Christum venturum nixi tam Angeli in via, quam patriarchæ veetres & Iudæi vitam æternam meruerunt, vt idem sit basis & fabricator, S. Augustinus inquit; *Hæc Ierusalem* (Ciuitas Dei) *conditorem suum Dominum Christum, vt construi posset & dedicari, posuit in fidei fundamento &c. Salus quidem ciuitatis talis est, vt cum fide & per fidem teneri, vel potius acquiri possit, fide autem perdita ad eam quisque venire non possit.*

Parietes 4. die Epiphaniæ coniunxit inter se. Angeli parietem duxerunt cœlestis ciuitatis *Greg ho.* 14. *in Ezech.*

Concursus parietum perfectus est die Epiphaniæ, quando plenè Christus ex omni latere cœpit muros omnes, & nouissimum Gentilium Iudæis: vti die natali suo Pastorum aduentu Iudæorum parietem, Angelico committere, & inter se deuincire. Hinc decies & sæpius S. Augustinus eo die Christum vocat Lapidem angularem. Nec mirum videri debet, si cœlestis ciuitatis parietem Angelos nominemus: id olim fecit S. Gregorius, qui Ezechielis verba *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique*, sic exponit: *Vnigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, inferius factus est hominum redemtio*, & Laurentius Iustinianus ait, Christum *factum esse Angelis & hominibus parietem*: nam basis & angularis lapis vtrosque parietes firmauit, ne cum ceteris ruerent.

Primum

2. Gentiles in lege naturæ
3. Iudæi
4. Christiani.

Itaque primum duxerunt Ciuitatis cœlestis murum politissimum, firmissimum & ornatissimum Angeli boni, quem nulla Luciferi & apostatarum Dæmonum vis & arietatio conuellere potuit, vel labefactare: sed ob ruinam totius alterius muri perduellium, structore Lucifero extra petram Christi in arena superbiæ fundati, opus erat, vt ex hominibus noui parietes ducerentur: Alterum igitur murum militantis Ecclesiæ Patriarchæ fideleſque omnes construxerunt, quotquot ab orbe condito ad Abrahamum vsque, imo ipsius Christi aduentum sub lege naturæ extra remedium circumcisæ carnis & Mosaicam legem salutem sunt consecuti: Tertium clausit latus Abrahami posteritas certis ceremonijs à Gentibus alijs segregata, Denique postremum politura, ornatu & firmitate nulli imparem populus Christianus ædificauit è Gentilibus præcipuè, ducibus & structoribus tribus Regibus, donatus ciuitate: quem murum præ ceteris tenerius primarius ædificator Christus adamauit, & in quo ad ideam, quam ipse viuus expresserat, moribus & vita sua rectè formando, ad amussim exigendo, poliendo, & perficiendo annis triginta tribus multum sudauit, vt ipse fatetur *Seruire me feciſti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Nec pœnituit suscepti laboris, gustatis tam dulcibus fructibus in primitijs Gentium. Ideo decreuit eum populum inprimis, excolendum suoque nomini consecrare. *Populum istum*, ait, *formaui mihi, laudem meam narrabit. Ecce ego facio noua, & nunc orientur: ponam in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem populo meo electo meo.* Architectos, eis tres Reges misit, quos iussit ad visam in Bethlemico monte ideam legis Christianæ murum nouellæ Ecclesiæ inter

in hoc plus Christus laborauit

Isaiæ 43.

ibidem.

Structores adhibuit Reges Gentium.

Gen-

Gentiles inchoare: quos ſtuctores ideo vocat Iſaias: *Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis meis ſemper, venerunt ſtuctores tui: deſtruentes te & diſſipantes à te exibunt. Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Copioſius muri huius firmitas & nobilitas cap. 60 ſic deſcribitur *Me enim inſulæ exſpectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè, argentum eorum & aurum eorum cum eis nomini Domini Dei tui & ſancto Iſraël, quia glorificauit te. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi; & aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt adferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit. Et ſuges lac Gentium & mammilla Regum lactaberis.* Initium fecerunt tres Reges: ij donis ſuis pauperem Chriſti familiam, eiusque naſcentem Eccleſiam aluerunt: ijdem Eccleſijs Chriſto conſtructis fidem propagarunt: quorum exemplo Conſtantinus Magnus, Theodoſius, Carolus Magnus & S. Henricus Imperatores erectis baſilicis, fundatis epiſcopatibus, dotatis cœnobijs ſtructores pariter Eccleſiæ dici meruerunt

Reges Gentium *Iſa. 49. 16.*

c. 60. tito

poſtea Imperatores Chriſtianos

CAPVT VII.

Præ Angelis tenerius dilecti tres Reges, qui horum conuerſionem deſiderarunt ad inſtaurandas ruinas cœli, caſu Luciferi editas.

ANGELOS Deus initio mundi creauit omnes in gratia, vt inſinuatur Iobi c. 38. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*: nam in eis cœpit Eccleſia Deique ciuitas autore S. Auguſtino, *Ipſe*, ait, *qui in principio condidit mundum, in quo nihil melius conſtituit, quam ſpiritus. quibus intelligentiam dedit, & ſuæ contemplationis habiles, capacesq; ſui præſtitit, atq; vna ſocietate deuinxit, quam ſanctam & ſupernam ciuitatem dicimus, in qua res, qua ſuſtententur, & beati ſint, Deus ipſe illis eſt, tanquam vita, victusq; communis.* ad huius ciuitatis fundamentũ, ſapientiam æternam, videtur loco citato Iobus alludere, cum proximè præmiſiſſet. *Vbi eras, quando ponebam fundamenta, terræ?* & Eccleſiæ meæ: *ſuper quo baſes eius ſolidatæ ſunt, aut quis dimiſit lapidem angularem eius?* ipſa ſcilicet æterna ſapientia, quæ verbo virtutis ſuæ portat vniuerſam mundi machinam, ſe demiſit è cœlo, dum hominem induit, & corporata cœpit caput, fundamentum, & lapis angularis eſſe Eccleſiæ, connectens illam ſupernam Angelorum cum terreſtri hominum: ſuper cuius gratia & firmitate mundi baſes Angeli, qui velut Athlantes *portant orbem*, motores cœlorum, terræ præſides & elementorum ſunt ſolidati, vt docet S. Bernardus & Fulgentius, ne ruina dœmonum eos cœlo deuolueret. Hos in via fidem in Chriſtum habuiſſe tradit S. Auguſtinus: *Nec illos* (Angelos) *latuit myſterium regni cœlorum*, id eſt, incarnatio, vt patet ex contextu: & explicans locum Ephes. 3. ait *ſic fuit abſconditum à ſeculo in Deo, vt tamen innoteſceret Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei, quia ibi primitus Eccleſia.* Sequuntur S. Thomas 1. p. q. 64. a. 1. ad. 3. S. Bern. ſer. 27. in Cant. Rupertus l. 8. in Io. circa finem, Suaretz, Granadus & Alapide: hic videri poteſt in 3. Ephes. Ita cœpit in cœlo Chriſtus fundamenti lapis, eſſe offenſionis, in quem dum Lucifer cum aſſeclis incurrit, concidit, & ruina ſua traxit in tartarum innumeros apoſtatas, acriter S. Michaële cum electis pro Chriſti gloria dimicantibus. Hæc illa Solymæ cœleſtis, & primæ Dei domus & Eccleſiæ ruina terribilis, quæ millenis aliquot annis cœlum inquilinis plurimis viduauit. Ideo non minus quam homines auidè cœleſtes genij Regis ſui aduentum exſpectarunt, qui ſuperis legionibus ſcriberet ſupplementum, ſimulque regiæ ſuæ ruinas inſtauraret: vnde cœpit ipſe *deſiderium collium æternorum* nominari, *in quem deſiderant Angeli proſpicere*: completum id maximè die Epiphaniæ, cum non tantum Iudæis & Gentibus ab orientis Principibus regnum Chriſti fuit promulgatum.

Angeli creati in gratia *Iob. 38.*

primam Eccleſiam militantem in cœlis conſtituerunt.

erat fundamentum Dei Filius

Ieb. 9.

Chriſti fidem habuerunt *S. Augin 3. Epheſ.*

S. Thomas S. Bern. Rupertus Granadus Alapide

eiusdem inuidia corruit Lucifer. *d. 31. n. 53.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tum, sed primi sunt lapides iacti muri cœlestis Ecclesiæ è Gentibus inprimis colligendæ, quæ seculis paucis plures promittebat regni cœlestis inquilinos, quam chiliades aliquot annorum præcedentium: tunc ego vel maximè iudico, damna si sua nouisset, orcum inuidia fuisse flagraturum, cum auctoratis Christo Regi primitijs Gentium, per ipsos toti mundo fuit ostium fidei reserandum, & orbis nobilissima & selectissima pars ducibus & Apostolis Regijous tartaro eripienda; sicque per ipsos etiam, vt per S. Paulum cœlitibus quædam hactenus abscondita sunt indicata, *Mihi* ait: *Omniũ Sanctorum minimo data est gratia hæc in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat Principibus & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*, qua voluit Gentes ad eandem Israëlis sortem admittere: & ijs tenerioris amoris argumenta, quam Angelis & Iudæis exhibere: * *Nusquam enim* ait Apostolus *Angelos apprehendit sed semen Abrahæ apprehendit*: quibus etiã voluit *per omnia*, vt *fratribus assimilari*, vt eos magis ad sui imitationem pelliceret. Sed contumaciores Iudæos sensim abiecit, totum effudit in Gentiles amorem: ex ijs innumeros elegit cœli ciues, Martyres fortissimos, Pontifices integerrimos, ascetas religiosissimos, Virg. castissimas, quorum permulti supremis etiam choris Angelorum permixti, pari cum ipsis Cherubinis & Seraphinis gloria potirentur: & sic magis infinita Dei bonitas patefieret, quæ ex tanto lapsus Angelici malo tantum bonum elicuit, vt inter ratione præditos mortales abiectissimos Gentiles ad supremam etiam hierarchiam posset euehere. Hinc S. Leone teste præ gaudio cœlestis militia cecinit in Christi natiuitate. * *Ab exsultantibus Angelis nascente Domino gloria in excelsis Deo canitur, & pax in terra bonæ voluntatis hominibus nunciatur, vident enim cœlestem Ierusalem ex omnibus Gentibus mundi fabricari: de quo ineffabili diuinæ pietatis opere quantum debet latari humilitas hominum, cum tantum gaudet sublimitas Angelorum?* Merito gaudere vult homines & Angelos: nam Gentium primitijs Christo consecratis, tam mortales, intelligentiæ compotes, quam immortales Angeli diffidentes quodammodo, ad societatem & amicitiam reuocantur sub vno capite, vel vt Apostolus id vocat: *Instaurantur: quod proposuit*, ait, *instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso*. Id rectè S. Gregorius sic interpretatur * *In ipso quippe restaurantur ea, quæ in terra sunt, dum peccatores & Gentiles ad iustitiam conuertuntur: in ipso instaurantur ea quæ in cœlis sunt, dũ illuc humiliati homines redeunt, vnde apostatæ Angeli superbiendo ceciderunt*. Et S. Chrysostomus *dissociata per Adæ peccatum erat hæc Ecclesiæ domus vno pariete, Angelorum, scilicet societate integro & perfecto, alter paries corruerat, nos scilicet homines à societate & Ecclesia Angelorum collapsi eramus in societatẽ & iugum Dæmonum: Christus ergo hunc eius parietem restituit, sicq; totam Ecclesiam hominum & Angelorum restaurauit*, Vtitur idem alibi ad illa verba, * *qui fecit vtraque vnum*: pulchra similitudine, à fusoribus petita. * *Non aliter ac si quis arte fusoria duas statuas in vnam conflaret, & quidem vtraque præstantiorem, ita scilicet Christus è dissimili populo Iudaico, Gentiliq; vnum conflauit moribus similem, quo ruinas cœlestes restaurauit*. Hanc instaurationem cœlestis ciuitatis per nationes omnes orbis, virtute crucis Christi conuertendas Deus initio beatitudinis Angelis, vt S. Augustinus putat, indicauit, eaque mirificè recreatos & beatos esse dicit, * *Nouerunt Sancti Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius ciuitatis exspectet; propter quod, ait: Apostolus instaurari omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris; in ipso quippe instaurantur, quæ in cælis sunt, cum id, quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur; instaurantur autem, quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam à corruptionis vetustate renouantur: ac si per illud singulare sacrificium, quo mediator immolatus, quod vnum multæ in lege victimæ figurabant, pacificentur cœlestia cum terrestribus, & terrestria cum cœlestibus: quoniam sicut idem Apostolus dicit: complacuit in ipso omnem plenitudinem diuinitatis habitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem crucis eius, siue quæ in cælis sunt siue quæ in terris* Tantum elicuit è casu Luciferi bonum diuina prouidentia, vt ideo voluerit ex omnibus orbis nationibus, ducibus sanctis Regibus supplementũ nobilissimum scribere cœlestis militiæ legionibus, quod omnibus ferè hierarchijs, ac

Ephes. 3. 8.

Hebr. 2. 19.

plures ex ipsis quam Iudæis eligendo.

gauisse Angeli in natiuitate Christi *S. Leo S.* 1. *de Nat.*

ob Societatem hominum & Angelorum sub Christo. *Ephes.* 1. 10. *S. Gregor. l.* 3. *Moral. c.* 19. qui instaurat omnia *S. Chrysost.*

Ephes. 2.

S. Aug. in enchir. c. 62.

Sancti Regns iuuant ad cœli ruinas sarciendas

ac ordinibus permiſceretur, magno ſupernæ ciuitatis incremento & ornamento: Cùm verò Dei filius etiam hominem induere dignatus ſit, eumque longè ſuper omnes Angelorum choros exaltarit, qui tribus Regibus potiſſimum vti ſtatim à primis incunabulis voluit adminiſtris, in Gentilium populis ſibi autorandis, non dubium eſt, quin ijs tenerioris amoris argumenta præ Angelis & Iudæis exhibuerit. Ideo merito S. Auguſtinus fideles ad gratias Deo referendas propoſita beneficij collati præ Angelis magnitudine ſic exhortatur. * *Quod tu es, fieri dignatus eſt Deus, fili mi, non factus eſt Angelus, etſi ſit magni concilij Angelus, te exaltauit ſuper Angelos; tu enim iudicabis Angelos; nollem habere locum Angeli, ſi poſſem habere locum debitum homini.*

tenerius dilectiquã Angeli.

Super eos homines exaltatì.

S. Aug. l. 2. de viſit. infirm. c. 6.

CAPVT VIII.

Præ Patriarchis & Gentilibus legis naturæ amati, clariusque illis Meſſiæ diuinitas eſt declarata.

SOLENT filij principum & Regum diligenter in archiuis cuſtodire ſingulorum dominiorum, principatuum, vel regnorum ſuorum origines, nomina veterum poſſeſſorum, titulos, iura, res geſtas, quibus ea maiores compararint: eadem ſubinde recolunt ipſi gratâ cũ parentum recordatione, quorum virtute vel ſanguine familia ſibi tales regiones acquiſiuit, vt contra aduerſarios, eas ſibi vindicantes facilius tueantur. Ita nos è Gentilibus ortos decet ſcire, & gratâ ſubinde memoriâ recordari, quibus primum mortalibus à Deo ius datum ſit, regni cœleſtis adeundi, quomodo deinde delatum ſit Iudæis, & ab ijs tres Reges orientis ad Gentes feliciter tranſtulerint, vt gratos nos ipſis exhibeamus, ius noſtrum teneamus, & quæ requirit, libenter exſequamur, ne eo velut Iudæi excidamus.

Recolendum beneficium tranſlati regni Chriſti ad Gentes.

Crearat Deus Adamum & Euam ijſq; legem in Paradiſo tulerat, quâ ſeruatâ, poſteros genitali gratiâ decorarent, eâ verò violatâ progeniem inficerent originaria labe. Caſum protoplaſtorum ita deſcribit S. Auguſtinus. * *Mortis ſupplicium Dominus homini comminatus fuerat, ſi peccaret: Sic eum munerans libero arbitrio, vt tamen regeret imperio, teneret exitio, atque in paradiſi felicitate tanquam in vmbra vitæ, vnde iuſtitia cuſtodita in meliora conſcenderet, collocauit. Hinc poſt peccatum exſul effectus ſtirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe tanquam in radice vitiauerat, pœnâ mortis & damnationis obſtrinxit, vt quidquid prolis ex illo & ſimul damnatâ per eum quæ peccauerat coniuge, per carnalem concupiſcentiam, in qua inobedientiæ pœna ſimilis retributa eſt, naſceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, dolores que diuerſos, ad illud extremum cum deſertoribus Angelis vitiatoribus & poſſeſſoribus & conſortibus ſuis ſine fine ſupplicium.* Sed quia dœmonis fraudibus homo corruerat, & radice iam peccato maculatâ tota poſteritas conciderat, ne fruſtra creatus, & propter eum cœli machina condita videretur, præ Apoſtatis Angelis, qui propria peruerſitate conciderant, ſtatim Dei filius, licet innumeras ſuppeterent alia ſubueniendi mortalibus remedia, vt tamen extremo rigori iuſtitiæ læſæ ſatisfaceret, ſtatuit humanam induere naturam, per eam ſanare genus lapſum, & infinitæ miſericordiæ theſauros mundo patefacere. Nec diu diſtulit, ſed ipſo commiſſi delicti die remedium obtulit, ac promiſit his verbis. * *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuam, & ſemen illius, ipſe vel ipſa conteret caput tuum.* Concors eſt SS. Patrum ſententia, per mulierem Dei genitricem Mariam; per ſemen eius Ieſum; per ſerpentem verò Diabolum ſignificari. Et iam exinde fide paſſuri Chriſti, mortales ſalutem conſecutos, vti nos fide eiuſdem paſſi nunc eam adipiſcimur. S. Auguſtinus ait: *Hic demonſtratus eſt antiquis Sanctis, vt ita ipſi per fidem futuræ paſſionis eius, ſicut nos per fidem præteritæ ſalui fierent.* Idem docet cum Irenæo & Euſebio *Omnes Patriarchas, Prophetas, & viros ſanctos ab Adamo vſque ad Chriſtum fuiſſe Chriſtianos, non nomine, ſed fide & profeſſione quia credebant in Chriſtum venturum, ſicut nos credimus in præteritum, ſcilicet natum iam & crucifixum, hacque fide iuſtificati ſunt.* Hanc fidem Chriſti venturi paſſurique pro nobis Noë filijs

S. Aug. in enchir. c. 25. 26.

Peccatum Protoplaſtorum.

ſecuta pœna.

in poſteros redundans.

eodẽ ipſo die promiſit Deus remediũ.

Gen. 3.

& Chriſti adventũ.

l. 10. Confeſſ. c. 43.

exinde ſẽper fuere Chriſtiani

Idem l. 12. 13. & 19. cõtra Fauſtũ c. 13. 26. 17.

omnes Patriarchæ.

filijs post Cataclysmum reliquit, qui eam posteris tradiderunt, inducta consuetudine, vt certis hostijs litatis eam testarentur; deinde Deo filios & filias offerrent, vt labe genitali liberarentur: præterea primogenito ius sacerdotij in ea familia permaneret victimis nullo certo ritu, sed pro locorum varietate & maiorum instituto Deo immolatis: nam solus Melchisedech diuino afflatu videtur genus peculiare sacrificij factitasse. Porró plurimas Gentium fidem Christi venturi retinuisse, & eâ salutem esse consecutas, ex Iobi & trium amicorum historia; pulchrè euincit S. Augustin. *Non incongruè creditur fuisse & in alijs Gentibus homines, quibus hoc mysterium reuelatum est, & qui hoc etiam prædicare impulsi sunt, siue participes eiusdem gratiæ* (cum Prophetis) *fuerint, siue expertes: nec ipsos Iudæos existimo audere contendere neminem pertinuisse ad Deum, nisi Israëlitas, ex quo propago Israël esse cœpit, reprobato eius fratre maiore: populus enim, qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit; homines autem quosdam non terrena, sed cœlesti societate ad veros Israëlitas supernæ ciues patriæ pertinentes etiam in alijs Gentibus fuisse, negare non possunt. Iob nec indigena, nec proselytus fuit, sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est, qui diuino sic laudatur eloquio, vt quod ad iustitiam pietatemque attinet, nullus ei hominum suorum temporum coæquetur. Diuinitus autem prouisum fuisse non dubito, vt ex hoc vno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eiq; placuerunt, pertinentes ad spiritualem Ierusalem, quod nemini concessum fuisse credendum est: nisi cui diuinitus reuelatus est vnus mediator Dei & hominum Christus Iesus, qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænunciatus est, quemadmodum nobis venisse nunciatus est, vt vna eademq; fides per ipsum omnes* (ergo etiam Angelos) *in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædestinatos perducit ad Deum.* Sic Abimelech Rex gentem suam iustam vocat. *Num gentem ignorantem & iustam interficies? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc, dixitq; ad eum Deus. Et ego scio, quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te, ne peccares in me, & non dimisi, vt tangeres eam.* Iam verò Abrahami posteri ex Cethura geniti, qui Arabiam coluerunt, tam paternis institutis, quam Balaami oraculo, & responsis Sibyllarum, Christum venturum, & eius indicem stellam exspectarunt, de quibus ita S. Vincent. ait: *Ex quo Deus promisit Abrahæ & sanctis Patriarchis, quod mitteret filium suum nasciturum verum Deum & hominem, de hoc dedit Deus Prophetias claras, & signa non solum Iudæis in Iudæa, sed etiam in diuersis mundi partibus in signum, quod non tantum veniret ad saluandos Iudæos, sed etiam omnes in ipsum credentes, & obedientes: singulariter dedit prophetias in partibus Orientalibus, vbi erant magni Prophetæ & Sapientes, per Prophetam Balaam dicentem: Videbo eum; sed non modo, scilicet Christum non per se, sed per suos successores intueboreum, sed non prope, quia secundum textum Bibliæ à Balaam ad Christum computantur anni* 1500. *Sed isti tres Reges erant de eius genere, & dedit ipsis signum, dicens: Orietur stella ex Iacob, id ist, terra promissionis, & consurget virga de Israël, id est, Messias Saluator, & percutiet Duces Moab, id est, Diabolum: orabant autem, ô Deus Israël, Deus cœli, mitte illam stellam, & quando complebitur illa prophetia?* hactenus Vincentius: vt exploratissimum sit, iam inde à mundi exordio casuque Protoplastorum Gentiles populos varijs orbis in partibus ad Christi aduentum vsq; eius nascituri & passuri notitiam & fidem habuisse, qua possent salutem obtinere. Nihilominus licet Iob inter eos eminuerit regia dignitate, fuerit idem Patriarcha, Propheta, Sacerdos, Doctor Gentilium, & Christi aduentum ac mortuorum anastasia apertissimè declararit, voluit tamen Deus Tres Reges ijsdem ritibus & ornamentis decorare: filium præsentē & natum eorum præconio in metropoli promulgari, ab ijs Gentium omnium nomine receptis donis honorari, quibus eius officium, dignitas, mors & anastasis propheticè designarentur: eosdem voluit non vt Iobum maioribus opibus & potentia, quam antea florere. Sed ad exemplar filij, spretis regnis paupertinam amplecti vitam & Gentibus ostium fidei referare. Quæ cum futura circa Reges hos Abraham & Dauid veteris instrumenti præcipui sanctissimiq; Patriarchæ prouiderent, ad diem illum Epiphaniæ anhelarunt: vt rectè dixerit S. Leo: *Diem hunc celebremus, quoniam sicut prophetauit Isaias: Gentium populus qui sedebat*

post diluuium.

S. Aug. l. 18. C. D. c. 47.

credidерunt in Christum

vt Iob.

aliæ gentes.

Et totū regnum Abimelech. *Gen. 20.*

etiam Abrahami posteri. & Iethura geniti.

S. Vincent. S. 1. de Epiph.

ex Balaami vaticinio.

Tres Reges similes Iobo dignitate.

maiores officio.

Christo similiores

eos desiderarunt Abraham & Dauid.

S. Leo S. 3. de Epipha-

debat

debat in tenebris, vidit lucem magnam, & qui habitabant in regione vmbræ mortis, lux orta est eis: de quibus idem dicit ad Dominum: Gentes, quæ te non nouerunt, adorabunt te, & populi, qui te nesciebant, ad te confugient. Hunc diem Abraham vidit, & gauisus est, cum benedicendos fidei suæ filios, in semine suo, quod est Christus, agnouit, & omnium se futurum Gentium Patrem credendo prospexit, dans gloriam Deo, & plenissimè sciens, quoniam quod promisit potens est facere. Hunc diem Dauid canebat, dicens in psalmis: Omnes Gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. & illud: *Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum Gentium reuelauit iustitiam suam. Quod vtique exinde fieri nouimus, ex quo tres Magos de longinquitate suæ regionis excitatos ad cognoscendum & adorandum Regem cæli & terræ stella perduxit, & rectè intuentibus quotidie apparere non desinit,* Ac licet Deus Christum Iobo, Abrahæ & Dauidi venturum prænunciarit, obscurius tamen, & vix quidem diuinitatem eius indicauit: ideo Rupertus tres gradus in Patriarchis ponit factæ Christi promissionis: *Homo*, ait, *tantùm intelligitur in promissione, quæ ad Abraham hoc modo facta est: in semine tuo benedicentur omnes Gentes: iam autem Rex ea promissione prænunciatur, quæ facta est Dauid: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ostendit postea tribus Regibus, vt hominem, Regem, ac Deum esse declaratum: ideo non mirum est, si præ ipsis Abrahamo & Dauide illustrior eis facta sit notitia Christi, quin eâdem Gentiles in lege naturæ vel alios Patriarchas longe superarint, & officium eis sit circa Gentium fidem máius commendatum: cum Iudæos, gentem licet electam, præuenerint, ideoq; singulares Christi fauores Gentilibus conciliarint, ipsamque Gentium conuersionem de congruo meruerint, inchoarint, & figurarint.

his obscurius Deus Christum revelarat. *Rup. in vol. 4. Euangelist. c. 6. n. 7.*

Regibus autem clarius Christi diuinitatem.

insigni pietate sua

CAPVT IX.

Præ Iudæorum electo populo dilecti, translatâ ad Gentes Iudæorum gloriâ

Abrahamo promissus est Messias

ABRAHAMVM Gentilibus ortum parentibus ex omnibus mortalibus elegit Deus, cui ob illustrem fidem Messiam clarius è posteris prodesit oriturum: eumque per semen, seu Messiam, non tantum synagogæ Mosaicæ postea instituendæ, sed omnium Gentium fidelium patrem nominauit, & ipsum ideo cum posteritate secreuit signo circumcisi corporis à nationibus alijs, cum ipse Gentilis, fide Messiæ venturi præditus, lege naturæ & ratione vitam & actiones omnes metiretur. Hanc verò Deus notam exstare voluit in carne sanctissimi viri, testem certæ legitimæque iustitiæ, quam Ethnicus, fide Christi, fuerat consecutus: id innuit his verbis Apostolus: *& signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit Pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam*: neque enim tantum Iudæorum & legis Mosaicæ sectatorum, sed & fidelium è Gentibus ortorum eum Patrem & Doctorem instituit, tamquam eiusdem fidei heredem, quam ipse Gentilis habuerat, vt scirent extra circumcisionem etiam per fidem Christi gratiam & veram iustitiam posse obtineri: quam Iudæi præter fidem suam vél parentũ in Messiam, adiuncta circumcisione debebant impetrare. Inde sicut Abraham carnalis vocatur Pater Iudæorum, quod ex eius lumbis & semine prodierint; sic idem censeretur spiritualis Pater Gentilium, quia Gentilis ipse credidit, & per similem fidem & religionem exemplar fuit ijs, quomodo fidei tali conuenienter viuentes ipsi possent Dei gratiam acquirere: nam & his credentibus, & fidem Abrahæ sectantibus non minus Deus Messiam filium, quam Iudæis promisit, imo fusè contendit ad Galatas Apostolus, eos potius in veris Israëlitis, & filijs Abrahæ numerari, qui licet orti sint è Gentibus, fidem Abrahæ tamen sectantur, quam Iudæos eiusdem posteros, qui Messiæ fidem abiecerunt. Segregatis iam posteris Abrahæ, cum Isaaco & Iacobo, frequenter etiam Deus Messiam promisisset, Deo, placuit populo speciatim electo certas leges ferre, præscribere ceremonias, imperare sacrificia, quibus primo religio-

& imperata circumcisio, *Ro. 4.*

Pater fuit fidelium tam Iudæorum quam Gentilium.

Iudæis datæ certæ leges, ceremoniæ.

gioſius ad Meſſiæ aduentum præpararetur, deinde clarius omnia contemplaretur in typo expreſſa bona, quæ Deus in aduentu Meſſiæ mundo erat donaturus, quo maius eius deſiderium accenderetur, & exſpectatio vehementior excitaretur. Hac de cauſa populum hunc Deus tantis prodigijs eduxit ex Aegyptiaca ſeruitute, transtulitque in terram promiſſionis vberrimam & fertiliſſimã, vt tot Deo beneficijs obligatus, arctius complecteretur omnes ceremonias, licet difficillimas, quibus Meſſiæ venturi merita deſignabantur. Reuocat autem Apoſtolus potiora Iudæis collata dona ad hæc octo capita: *Qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa: quorum Patres, ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem.* Eadem verbo complectitur capite tertio. *Quid ergo amplius Iudæo, aut quæ vtilitas circumciſionis? multum, & per omnem modum, primum quidem, quia eis credita eloquia Dei*: nam diuinis codicibus peculiaris à Deo Iudæis exhibita beneuolentia, defenſio, vera religio, ſtata ijs mandata ſacrificia, facta circa eos miracula, Patriarchæ eorum, & ex ijs naſciturus Meſſias continetur, nullis promiſſa Gentibus, ideoque Dei peculium nominantur. Finis autem & compendium totius legis veteris, erat Meſſias promiſſus Patriarchis, quem vnum ſacrificia cuncta reſpiciebant, Sacerdotes figurabant, oracula promittebant, vt iure dixerit Apoſtolus * *finis enim legis eſt Chriſtus*, quia *Chriſtus*: ait S. Auguſtinus, *legis vmbras implens, eam terminauit & ceſſare fecit.* Confirmat hanc rem alibi copioſius. *Hoc myſterium vitæ æternæ iam inde ab exordio generis humani per quædam ſigna & Sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit per Angelos prædicatum fuit. Deinde populus Hebræus in vnam Reipublicam, quæ hoc Sacramentum ageret, congregatus eſt: vbi per quoſdam ſcientes id, quod ex aduentu Chriſti vſque nunc & deinceps agitur, prænuntiaretur eſſe venturum: ſparſa etiam poſt eadem gente per gentes propter teſtimonium Scripturarum, quibus æterna ſalus in Chriſto futura prædicta eſt; omnes enim non ſolum Prophetiæ, quæ in verbis ſunt, nec tantum præcepta vitæ, quæ mores pietatemque confirmant, atque illis literis continentur; verum etiam ſacra ſacerdotia, tabernaculum, ſiue templum, altaria, ſacrificia, ceremoniæ, dies feſti, & quidquid aliud ad illam ſeruitutem pertinet, quæ Deo debetur, & Græcè propriè latria dicitur, ea præſignificauerunt, & prænunciauerunt propter æternam fidelium vitam in Chriſto, & impleta cernimus, & impleta credimus, & implenda confidimus.*

Octo privilegia. *Ro.* 9.

& diuina ſcriptura.

Finis legis Iudaicæ Chriſtus Sponſus. *Ro.* 10. *S. Aug. l.* 2. *contra aduerſ. legis & Prophetar. c.* 7. *S. Aug. l.* 7. C.D. C. 32.

Ceremoniæ omnes ad eum directæ.

Quo maior eſt diei Epiphaniæ præſtantia: cum enim lex vetus & ceremoniæ ſpectarint Chriſti diuiniſſimum cum Eccleſia conciliandum connubium, vt ipſa ſponſa Chriſti teſtatur id eo die celebratum eſſe: canit enim: *Hodie cæleſti ſponſo iuncta eſt Eccleſia*: confirmant idem Patres quidam, & Gentilitati ſponſæ gratulantur, cui Chriſtus relicta ſynagoga voluit ſe maritare: nam hanc ob ingratum animum velut Agarem ſeruam abiecit, & illectus Magorum orientis pietate & animi demiſſione, cum Gentibus, vt Sara ſe copulavit, idque matrimonium eſſe à tota lege veteri figuratum teſtatur monumentum vetus Sinenſe ab octingentis annis adornatum his verbis. *Tunc vna de perſonis diuinis SS. Trinitatis dicta Meßias, reſtringendo, tegendoq; maieſtatem ſuam, & ſe humanæ naturæ accommodando, homo factus eſt, & ſtella magnæ huius felicitatis fuit annunciatrix: Reges eius claritate perſpecta munera oblaturi venerunt. vt lex & prophetiæ 24. prophetarum adimplerentur.* Hinc eſt, quod ſynagoga ſimilis Agar ancillæ, Eccleſia verò Chriſtiana è Gentibus congregata par Saræ legitimæ vxori nominetur: quia Dei beneuolentia ſynagogæ veteri exhibita, typus fuit illius infinitæ caritatis & miſericordiæ, qua Chriſtus ſibi Gentium Eccleſiam maritauit.

die Epiphaniæ celebratũ Chriſti cũ Eccleſia matrimonium, Iudæis repudiatis.

translatâ ad Gentes eorum gloriâ.

Habemus in hoc, quod Dei iudicia ſuſpiciamus & reuereamur, quando tot ſibi nominibus deuinctam ſynagogam poſtea repudiauit, & ita quidem abiecit, vt nulla videatur orbe toto natio modo comtemtibilior, nulla ad Legem CARISTI ſuſcipiendam ſub ſole minus idonea, ne quis glorietur: ſi enim peculium Deus ſuum, & filium Iſraël primogenitum ſic ſpreuit, non parcet alijs, quos infinita motus clementiâ ſuâ ſibi aggregauit, niſi ſtudeant legem Chriſti, quam ore profitentur, pariter moribus exprimere. Gentiles verò

rò decet sæpius ingens illud beneficium, sanctorum Regum virtute partum, gratâ animi memoria reuoluere, dum nuptias filij Dei, Iudæis oblatas, ad Gentes feliciter transtulerunt; ius primogeniti, vt Iacob ab Esau, sic ipsi Iudæis debitum suis à Christo donis sunt nundinati; sicque arcam Dei, & filium eius Christum gloriam Israëlis sibi vindicarunt. Id in typo gestum, cum Heli comperisset, dolore nimio corruit exanimatus: nam vt ait ei nuncius, *& arca Dei capta est: cumq; ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum, iuxta ostium, & fractis cernicibus mortuus est.* Corruit eodem fato nurus eius, quæ nec potuit, licet nato sibi filio, doloris magnitudinem lenire; neque defleuit mortem soceri, neque viri sui Phinees. sed quod ipsos, si loqui potuissent, vnum defleuisse oportuit, translatam ab Israële gloriam & arcam Domini, sic enim scriptura ait: *In ipso autem momento mortis eius dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti, quæ non respondit eis, neque animaduertit, & vocauit puerum Ichabod dicens: translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei, & pro socero suo, & pro viro suo, & ait: translata est gloria ab Israël, eo quòd capta esset arca Dei.*

typus eius in morte Heli fuit. 1. *Reg.* 4. 18. captâ arcâ à Philistæis. *v.* 20.

Quanto maior Heli & nurui eius ac Iudæis dolor fuit, non iam in typo, sed verè & reipsa translatâ à Iudæis gloriâ Domini ad Gentes, tanto debet fidelibus è Gentilibus ortis accedere maior lætitia, gloriâ filij Dei, eiusque regno nobis acquisito Regum trium incredibili felicitate: cautè tamen nobis est prouidendum, ne degeneres à maiorum virtute gloriam partam amittamus. id ne fiat contemplemur animum ingratum Iudæorum, quo se indignos connubio Messiæ reddiderunt, vt excidere mererentur promissa hereditate.

gaudendum ideo Gentilibus

CAPVT X.

Matrimonium Christi, reiectis ob impietatem Iudæis, die Epiphaniæ coram tribus Regibus cum Ecclesia publicatur & confirmatur, translato ad eos Christi Sacerdotio.

DERAT *desiderium collium æternorum*, ille promissus Patriarchis, desideratus à Regibus, à Iudæis & Gentibus tot seculis exspectatus Dei filius Christus Iesus: cum enim *venit plenitudo temporum* à patre præfinita, *misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum recipe-remus.* Ambiebat is nuptias, & arctissimum necessitudinis vinculũ cum humana natura, vt eam inter compotes mentis & intelligentiæ vilissimam ad diuinam eueheret maiestatem, subiectis eidem Angelis. Vt primum enim Gabriel legatus consensum expressit Sanctissimæ Virginis Mariæ, Sacrosancta Trinitas è purissimo eius sanguine corpus Dei filio lineamentis omnibus perfectissimũ procreauit, eidem infudit animum ratione præditum, & beatitudine fruentem, vtrumq; verbo copulauit, vt esset eadem hominis & Dei persona, nec peccato obnoxia, sed aptissima, quæ peccata hominum expiaret: ideo enim Pater filium nobis impertiuit, vt piè ponderat S. Basilius Archiepiscopus Seleuciæ: *Etsi verò*, ait, *eiusmodi hoc est, vsq; adeo scelerati & deplorati nostra sponte euasissemus, Dominus tamen fugitiuos non est auersatus, verùm commiserationum suarũ recordatus, ad cumulationis clementiæ & benignitatis excellentiam permotus est; scriptum exstat enim, vbi abundauit delictum, ibi superabundauit gratia: vt ille enim, qui natura sua impatibilis est animaduertit nos prorsus deploratos, omneque præsidium, quod ex præclaris operibus peti solitum est, abesse, imò verò, certum propter praua opera exitium adesse, totumq; quod reliquũ erat talis modi esse, quod omnes redigere in nihilum posset, quadam mox sympathiâ, si ita tamen loqui fas est, tractus, iram, quam iustè promeriti eramus, conuertit in amorẽ, quo prorsus indigni eramus. Itaque ad deprauatã imaginem mittit imaginis autorem, quo benignitatis sua coloribus illam reformet. Eapropter, qui in forma*

Gen. 49. 25. *Gal.* 4. Verbum assumit corpus humanum.

vt hominum peccata expiet. *S. Basil. orat. de verbi incarnat.* misericordiâ permotus.

Dei erat, ſerui formam ſuſcepit, quo peccati ſeruos hac ratione in priſtinam dignitatem & libertatem reſtituat, cœleſtiqúe Patri eiuſmodi filios exhibeat, qui ad ſui ipſius formam denuo ſint inſtaurati: quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem
Ioann. 1. filios Dei fieri, *Ioan. 1. Cùm ergo vellet imaginem ſuam in integrum reſtituere, noſtræqúe carni immortalitatem impertire, ipſemet carne ſe induit, cognatum ſcilicet per cognatum ſanaturus, fitque homo omnibus numeris abſolutus, quo eum integræ ſanitati reddat, quem olim creauerat. Nam cùm generis noſtri primitiæ propter peccatum condemnationi obnoxiæ tenerentur, alteris vſus eſt primitijs, talibus nimirum, quibus peccati omnino expertes eſſent, & omnem iuſtitiæ rationem explere poſſent, per quas proinde totum corpus ſuo conformaretur capiti, conformauit ſe rurſum hominibus, vt quemadmodum omnes in Adamo mortem contraxeramus, ita omnes in ipſo vitam conſequeremur.* Hactenus Baſilius: ſed ô diuinæ bonitatis abyſſum! quæ vt viliſſimam hominis naturam ad ſumma poſſet extollere, ſupremum cœli monarcham ad ima prius inclinauit: ei miſerrimam & calamitoſiſſimam induit & maritauit humanitatem, vt Deus cum ea extremas ærumnas participaret, viciſſim ipſe ſponſam ſuam abiectiſſimam cœlis inferret, ſupra cœleſtes choros in throno diuinæ maieſtatis collocandam: vt verò maior eluceret Dei clementia, populum ſibi deſponditque Gentilium inimicum, & opis cœleſtis egentiorem, ne ſuis id meritis, ſed diuinæ tribueret largitati. *Ideo*, ait Sophronius, *Cùm diues eſſet, vnaqúe cum regno imperium in omnes obtineret, quo nos* (Gentiles) *qui pauperrimi eramus, immortales illius opes conſequeremur, in noſtram mendicitatem vltro ſe dimiſit: cùm increatus, imo creator, vniuerſæq; naturæ conditor eſſet, quo nos in increatæ naturæ ſuæ conſortium eueheret, inter creaturas cenſeri voluit; cùm omnis materiæ, corporeæqúe concretionis exſors degeret, quo nos caducis illis fluxisqúe corporibus & carnibus ſuperiores efficeret, noſtraqúe corpora veſtiret in corruptione, & carnem noſtram donaret immortalitate, caro & corpus fieri induxit in animum. An non cùm ſecundum diuinitatem nullis limitibus circumſcriberetur, quo ad immenſum regnum ſuum nobis aditum pateſaceret, carnem mole definitam ſibi adſciuit? annon cùm ab omni peccato vacuus, ſanctusq; & per omnia im-*
1. Pet. 2. *pollutus eſſet* (peccatum enim non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius) *noſtri cauſa peccatoribus eſt adnumeratus, in peccatricis carnis ſimilitudinem in lucem fuſus eſt? Qui enim peccatum ignorabat, eum Pater, in quem nullum peccatum cadit,* propter nos
Ro. 8. peccatum fecit, *vt carni ab omni peccato immuni peccati condemnationem euacuaret, nosq; peccatores à contractis peccatorum ſordibus expiaret. Ipſe cum liber eſſet filius & naturalis, Domini polleret poteſtate, quo nos dono libertatis ornatos Deo Patri quaſi filios offerret, inter ſeruos cenſeri ſuſtinuit, per ipſum enim id conſecuti ſumus, vt altiſſimi filij nominemur & ſimus. Interim illud adoptionis donum non naturâ, ſed gratiâ nacti ſumus* nos præſertim è Gentilibus orti, quibus peculiari nexu ſtatuerat ſe deuin-
pſal. 18. cire; nam adhuc virgineis incluſus viſceribus *exſultabat vt gigas ad currendam viam ſuam.* vt patibilem & mortalem indutus hominem cum hominibus ageret, eos doceret, & morte ſua vindicaret à dœmonis poteſtate.

Aggæ 2. *Sap. 18.* *Iſa. 9.* Venit tandem *deſideratus* ille *cunctis Gentibus: cum enim medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus* proſilivit. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Inuitat hic Gentiles omnes ad gaudium
pſal. 46. *pſal. 45.* *pſal. 150.* *pſal. 75.* S. Cyrillus: *Omnes Gentes plaudite manibus, omnes fines terræ venite, & videte opera Dei, omnis ſpiritus laudet Dominum, omnis terra adoret, omnis lingua canat, & pſallat, & gloriosè prædicet puerum recens quidem natum, Deum autem æternum, puerum paruum, ſed antiquum dierum; puerum lactentem, ſed effectorem ſeculorum. Infantem cerno, ſed Deum agnoſco; idem enim infans & vbera ſugit, & mundum vniuerſum parat; idem vagit in cunis, & mundo vitam gaudiumq; impertit: idem faſcijs inuoluitur, & me ex peccatorum vinculis eximit; idem carnem verè indutus matris vlnis continetur, neque à Patris tamen ſinu vſquam recedit: hoc eſt idem verus perfectusq; homo eſt in terris, & verus rurſum perfectusque Deus eſt in cœlis.* Sed heu ingrata Iu-
Io. 1. dæa Dominum hunc ſuum nec domo recipit, ſed impiè reijcit! conditor mundi *in mundum venit, & mundus eum non cognouit, in propria venit, & ſui eum non receperunt. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël autem non co-*
Iſaiæ 1. 5. *gnouit*

S. Cyril. de purificat.

abyſſus diuinæ bonitatis

ſe Deus ad ima deijcit.

Orat. de Chriſti nat.

vt hominem eue hat ad diuinitatem

abiicitur à Iudæis

fit Infans

gnouit me, queritur Dominus. Ingrata Bethlehem Cyrillum audi, quis ille sit, quem ad stabulum amandas, indicantem: *Hic est Deus, qui ex Deo, & apud Deum esse dignoscitur: hic est fons vitæ, & vita è patre velut è fonte procedens: hic est fluuius Dei, qui ex diuina abysso ita dimanat, vt tamen nunquam ab ea recedat: hic paternæ bonitatis æternæq; beatitudinis thesaurus est: hic est aqua viua, quæ mundo dat vitam: hic est radius increatus, qui ex patre luminum veluti à Sole progignitur, neque vllo tamen tempore ab illo diuellitur: hic est eius verbum, qui omnia solo verbo, cum antea non essent, ex nihilo produxit.* Si Cyrillum Iudæa audire renuis, Moysi crede sic exprobranti: *Gens absque consilio est, sine prudentia, vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Generatio praua atque peruersa: haccine reddis Domino populo stulte & insipiens? nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit & creauit te? Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me suscitauit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audias.* Sed obsurduit ad ista rebellis natio: ideo luget Deus Iudææ cecitatem: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus: duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deũ tuum.* nam *vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ; & ait: abscondam faciem meam ab eis: generatio enim peruersa est, & infideles filij: ipsi me prouocauerunt in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo eos. Noluit Iudæa benedictionem, & elongabitur ab ea.* Exsultabit solitudo, & florebit quasi lilium, *multi enim ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.*

Omnes Gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exsultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram, elegit nobis hereditatem suam. Psallite Deo nostro, psallite, psallite (CHRISTO) *Regi nostro psallite. Quoniam Rex omnis terræ Deus, regnabit Deus super Gentes, Principes populorum* (Tres illi Reges) *congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt, quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in eum.* his ipse ait: *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. Laudate* igitur *omnes gentes Dominum, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas eius manet in æternum.* Adest enim ipse Deus, *vt sponsus procedens de thalamo* virginis, *à summo cælo egressio eius*, sponsam sibi deposcit Gentilitatem, nigram quidem antea, nunc formosam, & agni sanguine dealbatam, cuius specie captus, ait ipse. *speciosus præ filijs hominum: hanc amaui & exquisiui à iuuentute mea, & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. Veni de Libano* (infidelitatis) *sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon.*

Tres inuitat diuersis è regionibus Gentium sponsas, vt omne genus mortalium à tribus Noë filijs orbe toto dissem̃natum significet; vocat velut sponsas ad coronam, vt fidei gratiæque primitias inter Gentes nanciscantur. Aduolant velocissimè meretur esse sponso festiuum canit epithalamium Ecclesia. *Hodie cælesti sponso iuncta est Ecclesia, currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias.* S. Eucherius idem celebrat. *Tanquam sponsus de thalamo suo descendit* (Christus) *ad terras Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ suscepta incarnatione iungendus, arrhas & dotem dedit.* fusius explicat eius connubij promissionem & initi rationem Innocentius III. Pontifex: *Sacrosanctum*, ait, *coniugium, quod inter Christum & Ecclesiam fuerat Patriarchæ Abrahæ prõmissum, deinde Dauid Regi iuratum, dein matri Mariæ completum, hodie est consummatum, confirmatum & declaratum. Consummatum in adoratione Magorum: confirmatum in Baptismo Iordanis: declaratum in miraculo vini. Olim Deus Abrahæ Patriarchæ promisit, quod in semine suo benedicerentur omnes Gentes, & Dauid Regi iurauit, quod de fructu ventris ipsius poneret super sedem suam: sed quod pro-*

Deus ipse *l. cit.*

ideo Iustâ indignatione repudiat Judæos & Gentiles eligit
Deut. 32.
ps. 108.
Isa. 35.
Mat. 8.

advolant tres Reges
psal. 46.
Ioann. 1.

hos in sponsas adoptat
psal. Si
psal. 116.
psal. 18.
Isa. 44.
Sap. 8.
Cant. 48.

iungit se matimonio
S. Eucher. hc. 7 *de Epiph.*
Innoc. Hom. de Epiph.

promissum id fuerat Patriarchis

promiserat & iurauerat, Mariæ matri compleuit, quoniam in sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: Verbum enim caro factum est, & habitauit in nobis: illud enim coniugium hodie legitur consummatum, quando Gentiles in adoratione Magorum coniunxerunt se Christo per fidem. Quoniam ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Hodie legitur confirmatum: quoniam vox Patris ab ipso in Iordanis Baptisme audita est super Christum: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Hodie legitur declaratum, quando Christus in nuptijs aquam conuertit in vinum; quoniam hoc fecit initium Iesus signorum in Cana Galilææ, vt manifestaret gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. Mandarat Deus pater filio mundum ingredienti, quod olim præceperat Oseæ in typo: *sume tibi vxorem fornicariam, & fac tibi filias fornicationum. Meretrix ista*, ait S. Ambrosius. *typus Ecclesiæ est, aliquando in Gentibus constitutæ, idolorum cultibus vitiatæ, quam vanæ superstitionis stupra polluerunt, quam falsorum Deorum adulteram fecerat multitudo, lasciuosque & turpes incompositis motibus saltus nemorum & locorum inculta lustrabat, dedita luxuriæ, pompæ Gentium mancipata. Hanc posteaquam Dominus noster Iesus Christus puro Baptismatis fonte perfudit, ablutionem criminis accepit, & nominis.* cum S. Ambrosio facit S. Augustinus, Prosper, & Apostolus ipse Rom. 9. Typus alter eius rei Moyses vxorem duxit Æthiopissam Num. 12. *contra quam*, ait S. Hieron. *Aaron & Maria carnale sacerdotium Iudæorum, & prophetia literæ seruiens murmurant, & offendunt Deum, quæ dicit in Canticis Canticorum: fusca sum, sed formosa filiæ Ierusalem.* Pulchrè S. Bernardus ad gratias ideo Deo referendas nos inuitat. *Sponsa nos ipsi sumus, & omnes simul vna sponsa, & animæ singulorum quasi singulæ sponsæ: multum hæc sponsa sponso suo inferior genere, inferior specie, inferior dignitate: attamen propter Aethiopissam illam de longinquo filius æterni Regis aduenit, & vt sibi desponsaret illam, etiam mori pro ea non timuit. Moyses quidem Aethiopissam duxit vxorem, sed non potuit Aethiopissæ mutare colorem: Christus verò quam adamauit ignobilem ac fœdam, glorioſam sibi exhibuit Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. Murmuret Aaron, murmuret & Maria, non noua, sed vetus: non mater Domini, sed soror Moysi: non nostra inquam Maria, illa enim solicita est, si quid forte deest in nuptijs: vos autem vt dignum est, murmurantibus sacerdotibus, murmurante synagoga, toto affectu in gratiarum actione versamini; Vnde enim tibi ô humana anima, vnde tibi hoc? vnde tibi tam inæstimabilis gloria, vt eius sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? Vnde tibi hoc, vt ille sit sponsus tuus, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur? ad cuius nutum vniuersa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi: vt sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami, vt introducat te Rex in cubiculum suum? Vide iam quid de Deo tuo sentias, vide quantum de Deo præsumas: vide quibus brachijs vicariæ caritatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimauit, imo qui tanti te fecit, de latere enim suo te reformauit, propter te à Deo patre exiuit, & matrem synagogam reliquit, vt adhærens ei vnus cum eo spiritus efficiaris.* Quam felici tres Reges legatione Gentium omnium functi, promissum & iuratum certa conditione matrimonium ad se traduxerunt? *Iurauit Dominus Dauid veritatem: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam: si custodierint filij tui testamentum, & testimonia mea, quæ docebo eos*; Sed pactis & conuentis non seruatis, rupit Pater sancita sponsalia, nouas & æternas pactiones cum tribus Regibus inijt teste Osea, *Propter quod ego lactabo eum* (missâ stellâ) *& ducam in solitudinem* (in stabulum) *& loquar ei ad cor, & dormire eos faciam fiducialiter, & sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide, & miserebor eius, quæ fuit absque misericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu: & ipse dicet: Dominus meus es tu*: Iubet ideo Apostolus Gentiles exsultare. *Lætare*, ait, *sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis. quia multi filij desertæ magis, quam quæ habet virum*, Hæc ita SS. Chrysostomus & Hieronymus interpretantur *Sterilis & deserta erat Gentium Ecclesia, quæ sine viro Christo, sine vllo sponsi sermonis alloquio diu iacuit in deserto: contra verò Synagoga virum habebat, sed tamen, si cum Ecclesia Gentium conferatur sterilis quodammodo fuit.* Ita Samson ille fortissimus Israëlitarum divino

contrahitur cum Gentibus.

confirmatur à patre.

idem mandarat filio.

Oseæ 1.

S. Amb. l. de Salomone c. 5.

Figura eius Oseo

S. Aug. l. 12. contra Faustum c. 89.

Prosper lib. de præd. & promiss. c. 15. p. 2. Re. 9

& Moyses Æthiopissæ iunctus

S. Bern. ser. 2. de mutat. aquæ in vinum.

eam Christus dealbauit sanguine suo.

sibi copulauit.

ideo gratiæ referendæ Deo

& ss. Regibus.

Oseæ. 1.

per quos obtentum perpetuum connubium cum Christo.

Gal. 4.

Iudic. 14.

con-

consilio ducit Philistæam, & Assuerus Rex abiecta Vasthi gentis suæ, peregrinam Estherem sibi iungit fœdere nuptiali. Nam die septimo cum esset Rex exhilaratus, & post nimiam potationem incaluisset mero, * *præcepit septem eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent reginam Vasthi coram Rege, posito super caput eius diademate, vt ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde, quæ renuit, & ad Regis imperium, quod per eunuchos mandauerat, venire contemsit, vnde iratus Rex & nimio furore succensus, interrogauit Sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac iura maiorum, cui sententiæ Vasthi subiaceret, quæ Assueri regis imperium quoa per eunuchos mandauerat facere noluisset. Responditq; Manucham audiente Rege, atque Principibus: si tibi placet Rex, egrediatur edictum à facie tua, vt nequaquam vltra Vasthi ingrediatur ad Regem, sed regnum illius altera, quæ melior ist illâ, accipiat.* Venerat promissus Iudæis Messias accipere regnum: misit Angelum ad pastores tres & per hos ad Iudæam, vt Angeli referrent Euangelia, misit & tres Orientis Reges: sed ad horum septem legatorum voces obsurduerunt. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ & non feci ei? an non, quod exspectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas? & nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem eius & erit in direptionem; diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, & non putabitur, & non sodietur, & adscendent vepres, & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Aliam sibi quærit consortem regni Christus, quam Esther adumbrauit: *Esther*, ait scriptura, *inter cæteras puellas et tradita est, quæ placuit Regi, & inuenit gratiam in conspectu illius, & adamauit eam Rex plus quam omnes mulieres. habuit gratiam & misericordiam coram ipso, super omnes mulieres, & posuit diadema regni, in capite eius, fecitq; eam regnare in loco Vasthi, & iussit conuiuium præparari permagnificum cunctis Principibus, pro coniunctione & nuptijs Esther, & dedit requiem vniuersis prouincijs, & dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.* Hæc dies quam fecit Dominus: exsultemus & lætemur in ea. Miratur eam Gentium electionem Apostolus tam ex perfidiâ Iudæorum. *Illorum delicto salus est Gentibus: delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio illorum diuitiæ Gentium, amissio eorum reconciliatio est mundi. Dices, ergo fracti sunt rami, vt ego inserar. Bene propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time: si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Scitum est illud Philosophorum *vnius generatio est alterius corruptio*, & contrà, generatur ignis, corrumpitur lignum: similem Deus legem statuit, vt si quidam iusti peccatis auctis indigni cœlo reprobentur: alij sufficiantur reducti in viam virtutis, qui prioribus paratam cœlestem gloriam, sed spretam nanciscantur. Ita Sauli reprobo subrogatur Dauid melior, Iudæ proditori Matthias Apostolus: monet ideo Christus: *Ecce venio cito, tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Id S. Thomas hoc laudato dicto docet: ac S. Gregorius, Haymo, Beda, Primasius, Rupertus, Lyranus, Ribera, Pererius, Alcazar. Ideo Theologi multi concipiunt ratione prius in Dei prouidentia definitionem certi numeri beatorum, quam hic vel ille Beatis accenseatur, sicut sapiens architectus ex magnitudine structuræ supputat ante numerum lapidum necessariorum, quam hunc vel illum eligat: & electum antea lapidem, quia rumpitur, vel alio modo redditur inhabilis ad ædificium, non ante reijcit, quam alium suffecerit, aptaritque priori loco, ne quod vitium, deformitas vel inæqualites oriatur; sic cœlestis ciuitatis ædificator Deus ab initio certum ciuium præfiniuit prius numerum, quam hunc vel illum aggregarit; tum verò quoties aliquem suo vitio contingit corrumpi, nouum sufficit, vt rata maneat & certa multitudo. Cum igitur pridie Epiphaniæ Iudæi ab exteris & alienigenis Regibus ad visendum, salutandum & recipiendum Messiam inuitati potius inirent cum Herode consilia de eo perimendo, iurique suo cederent, Gentium illi Reges veri legitimique heredes Abrahamiticæ fidei, possessionem Ecclesiæ Dei, ius regni cœlestis, & noui sacerdotij adierunt, Hinc istæ Dei querelæ de iniuria. *Israël noluit intelligere, vt bene ageret. Filios enutriui, ipsi autem spreuerunt me. Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contemnit me domus Israël. Vos ergo Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: seruite*

* *Esth.* 1.

repudiatâ Vasthi & synagogâ veteri. Ob superbiam inobedientiam. *Isaiæ* 5.

& coronatâ Esthere alienigenâ seu Gentilitate.

Ro. 11. Ob Iudæorum repudiationem electi Gentiles.

sic Sauli sufficitur David. Iudæ S. Matthias. *Apoc.* 3. *S. Thomas* 1. *p. q.* 23. *a.* 6. *ad* 1. *S. Greg.* 25. *M. c.* 9. 10. *Haymo* *Beda* *Primasius* *Rupertus* *Lyranus* *Ribera* *Pererius* *Alcazar*

vt Gentiles subrogati Iudæis

psal. 35. *Isa* 1. *Ier.* 3. *psal.* 2.

S. Chryſoſt. he. 3. in Matt.

ſeruite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore. Confundatur, ait Chryſoſtomus, * *natio Iudæorum cernens ad credendum in Chriſtum Magos ac barbaros præuenire, ne poſt illos quidem venire ſuſtinens. Etenim quæ tunc facta ſunt futurorum expreſſere figuram: ab ipſo ſiquidem dominici aduentus principio declaratum eſt, quoniam populum illum fides Gentilium præueniret. Figura erat id, quod tunc accidit, & quædam prædicatio futurorum: erat quippe conſequens, prius ad fidem Iudæos potius accedere: quoniam verò ſponte ſibi oblatum beneficium reſpuerunt, in contrarium verſa res eſt; veruntamen nec ad paruulum adorandum Magi, priusquam Iudæi, accedere debuerunt, nimiæ ſiquidem coarguunt timiditatis, quod iuxta ipſum Dominici ortus ſedentes locum, poſt tot regionum emenſa ſpatia præueniunt, & hi, qui nihil prorſus de Chriſto audierant, præcurrunt eos, quos ad eum ſuſcipiendum tot Prophetarum vaticinia concitabant: quia igitur domeſtica illa præclaraq; bona ignota ſunt, mirum non eſt, à Perſis illa eſſe præpta, quod certè & dicit Paulus Act. 13. vobis quidem oportebat primùm annunciari verbum Dei, ſed quia vos indignos iudicaſtis, ecce conuertimur ad Gentes.* Illuſtrat hanc eandem repudiatis Iudæis electionem Gentium

S. Hieronymus. figura electionis Gentiliũ.

S. Hieron. his figuris: *Primogenitus fuit Cain, ſed Abel electus: primogenitus Iſmael, ſed Iſaac hereditatem accepit: primogenitus Eſau, ſed Iacob benedictionem præripuit: primogenitus Manaſſes, ſed Ephraim dexteræ Iacob commutat â prius fuit benedictus. Quapropter ſatagite fratres, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.*

ex congruo merito Regum.

Itaque ſicut poſteri Iudæorum ob perfidiam & impietatem parentum ætate Chriſti viuentium ſunt à Deo repudiati, quod horum delictum merebatur: ita meritò trium Regum progenies è Gentibus orta cœleſtem creuit hereditatem, vt ijs plurimum debeant orbis totius nationes, qui oſtium fidei cunctis reſerarunt, & regale ſacerdotium ad Gentes tranſtulerunt. ideo Chriſto, cui tres illi ſe Reges ſubdiderunt, conuenit iam illud Apocalypſis: *Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdotes, Deo & Patri ſuo, ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum.*

Apoc. 1.

CAPVT XI.

Tres Reges ad id à Deo Patre attracti, ducti à Spiritu S. & à Sapientia corporata velut magiſtra ſpeciatim eruditi.

Ter Chriſtus declaratus à SS. Trinitate eſt.

TRIBVS Pater cœleſtis vicibus filij mortalis gloriam & nominis celebritatem orbi patefecit: principio die Epiphaniæ, rurſum in Baptiſmo, tertio in monte Thabor: poſteriores vtraſque feſtiuitates Spiritus Sancti præſentia vel columbina, vel nubis inumbrantis ſpecie, voxque Patris è nube detonantis illuſtrauit: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: nec dubium eſſe poteſt, quin

Mat. 3. & 17.

præcipue die Epiphaniæ.

primam, quæ traxit ab apparitione nomen, Theophaniam ſcilicet vel Epiphaniam, SS. Trinitatis præſentia cohoneſtarit. Aderat iam hominibus ſpectatilis Dei filius à Patre miſſus ad eos, dicens: *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam: ecce venio, Deus meus volui.* Iure petebat legationis tantæ cœleſtem declarationem. *Pater clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te*: cui Pater: *& clarificaui, & iterum clarificabo.* Clarificarat ipſo natalis puncto, internuncio Gabriële, cunabula filij Paſtoribus indicante. *Sed parum eſt mihi Fili, vt ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſraël conuertendas. Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Poſtulauit infantulus, Gentium ſalutis auidus, lacrymis, & fuſo, circumciſo corpore ſanguine, quo nigriores Æthiope animos ſcelerum fuligine liberaret. *Ecce* ait Pater * *dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ; Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt propter Dominum. Leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & erunt Reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ., vultu*

Io. 17. 1. Io. 12. 28. Iſa. 49. 6. pſal. 2.

Iſa. 49. 6. 7.

v. 22. v. 23.

vultu in terram dimisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.

Pater creavit novam stellam.

Nouo post orbem conditum thaumate sidus cœleste Pater procreat, quod Reges Orientis Solymam deduceret ad filij natales in metropoli publicandos. Debetur singulari modo talis procreatio Patris omnipotentiæ: sicut & efficax Regum ad filium inuitatio teste Christo: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: traxit eos Pater cœlesti lingua: *cœli* enim *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum: dies diei eructat verbum*, & stella sole pulchrior Regibus: per hanc vt linguam *intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. Illi* ait S. Augustinus *Magi erant primitiæ Gentium, nos populi Gentium: nobis hoc nunciauit lingua Apostolorum, stella illis, tanquam lingua cœlorum: & nobis ijdem tanquam alij cœli enarrauerunt gloriam Dei: cur enim non agnoscamus eos cœlos, qui facti sunt sedes Dei? per hos enim cœlos ille fabricator & habitator cœlorum intonuit, quo tonitruo mundus tremuit, & ecce iam credit.* Linguam hanc formauit ipse Deus Pater: de quo Baruch ait: *Qui emittit lumen, & vadit, & vocauit illud, & obedit ei in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt, & vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit eas.* Sed cur illuxit solis tribus Regibus, ijsque locuta persuasit efficienter filium adorandum? cur non alijs & vicinioribus? * *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius & inuestigabiles viæ eius!* eas Baruch ita persequitur. *Disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, & quis inuenit locum eius, & quis intrauit in thesauros eius? Vbi sunt principes Gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in auibus cœli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant & soliciti sunt, nec est inuentio operum illorum? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij eorum loco surrexerunt. Iuuenes viderunt lumen, & habitauerunt super terram, viam autem disciplinæ ignorauerunt, neque intellexerunt semitas eius, neque filij eorum susceperunt eam, à facie eorum longè facta est, non est audita in terra Chanaan, neque visa in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negotiatores terræ, & Theman & fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ, viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius! O Israël quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus. Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magnâ scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt, & quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Quis adscendit in cœlum, & accepit eam, & eduxit eam de nubibus? quis transfretauit mare & inuenit illam, & attulit illam super aurum electum? non est qui possit scire vias eius, neque qui exquirat semitas eius: sed qui scit vniuersa nouit eam, & adinuenit eam prudentia sua. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

ea fuit lingua cœlestis *Iob.* 44. *S. Aug. ibi psal.* 18. *psal.* 28. *psal.* 17.

solis locuta Regibus *Ro.* 11. *Baruch.* 3.

mira eorum electio.

Elegerat Deus Iacobi posteros, quibus diuinam sapientiam traderet: sed hi cum eam abijcerent, verum elegit, Israëlem, semen diuinum, tres Reges, ijs solis hunc thesaurum reserauit, eos potenti virtute attraxit, stellâ velut cœli linguâ erudijt, eductus è finibus patrijs, in remotissimas deduxit regiones, stitit filio dociles discipulos, ad cœlestem sapientiam ijs inculcandam.

Spiritus S. eos dirigit

Accessit à Spiritu S. facta mentis illustratio, vehemensque voluntatis impulsio, qua sic permouit adspectu sideris perculsos, vt ductum eius continuo sequerentur, nec vllis periculis occurrentibus, molestijs, vel defatigatione corporis se finerent ab instituto dimoueri. Ideo rectè S. Leo exclamat: *ô perfectæ scientiæ mirabilem fidem! quam non terrena sapientia eruditi, sed Spiritus S. instituit, vnde enim ij viri cum proficiscerentur de patria, qui nondum viderant Iesum, nec aliquo contuitu eius, quid eum tam ordinatè venerarentur, aduerterunt hanc deferendorũ munerum seruare rationem? nisi quia præter ipsam stellæ speciem, quæ corporeum incitauit obtutum, fulgentior veritatis radius, eorum corda perdocuit.* Hoc Magistro, prophetico afflati spiritu, futuram Christi mortem & anastasin præuiderunt, quam allatis

S. Leo ser. 4. de Epiph.

Septem donis ornat.

latis muneribus teſtarentur; ſeptem etiam donis inſtructi, egregium intellectus, ſcientiæ & ſapientiæ lumen ſunt adepti, quo abdita fidei Chriſtianæ myſteria penetrarunt, vt æterna præ caducis bona ſitirent, collata ſimul ijs eſt inuicta animi magnitudo, & excelſitas, qua coram Herode pericula mortemque contemnerent: præterea timoris Domini, pietatis ſingularis, & in Deum amoris affectio, quibus ad iter proſequendum, & ad adorandum infantulum ſtimulabantur: iam tum in eius publicanda diuinitate conſtantiores, quam Apoſtoli viſis tot miraculis cum rediuiuum adſpexiſſent.

adducit ad ſapientiã.

Ad ipſam tandem ſapientiam corporatam tot votis expetitam peruenerunt, de qua verius, quam Salomon dicere poterant * *Optauimus, & datus eſt nobis ſenſus: inuocauimus & venit in nos ſpiritus ſapientiæ, & præpoſuimus illam regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duximus in comparatione illius, nec comparauimus illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius eſt arena exigua & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dileximus illam, & propoſuimus pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius: venerunt autem nobis omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætati ſumus; quoniam antecedebat nos iſta ſapientia, & ignorabamus, quoniam horum omnium mater eſt, quam ſine fictione didicimus, & ſine inuidia communicabimus, & honeſtatem illius non abſcondemus: infinitus enim eſt theſaurus hominibus, quo qui vſi, ſunt participes effecti amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati. Eſt enim hæc ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, huic comparata inuenitur prior*; Sic Spiritus Sancti magiſterio longe Salomone cupidiores ſapientiæ cœleſtis, ad incunabula properant, vt huic ſe fœdere nuptiali ſocient: perueniunt ad diuinam ipſius exedram, in genua prouoluti velut infantes ipſam docentem non verbis ſed exemplo, plus opere quam ſermone diligenter auſcultant, & viam cœli, quam animi demiſſione, contemtu rerum caducarum, & aduerſorum tolerantiâ demonſtrat infantulus, eam certiſſimam & vnicam agnoſcunt, & ſequendam ſtatuunt: vim huius doctrinæ ſic S. Bernardus declarat. * *Quæ neceſsitas fuit, vt ſic exinaniret ſe, ſic abbreuiaret ſe Dominus maieſtatis? niſi vt vos ſimiliter faciatis? Iam clamat exemplo, quod poſtmodum doctu-rus eſt verbo: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, vt verax inueniatur, qui dicit. Cœpit Ieſus facere & docere. Obſecro igitur, & plurimum rogo, ne patiamini ſine cauſa tam pretioſum exemplum exhibitum eſſe, ſed conformamini illi, & renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Studete humilitati, quæ fundamentum eſt, cuſtosq; virtutum: ſectamini eam, quæ ſola poteſt ſaluare animas veſtras: quid enim magis indignum, quid deteſtandum amplius, quid grauius puniendum, quam vt videns Deum cœli paruulum factum, vltra apponat homo ſe magnificare ſuper terram? intolerabilis impudentiæ eſt, vt vbi ſe exinaniuit maieſtas, infletur vermiculus & intumeſcat.* Ad quam vocem vel tonitruum ſapientiæ Reges in terram abiecti ſceptris & coronis ad pedes infantuli poſitis, eum vt Deum venerati, non verbis, ſed opere factisque Chriſti doctrinam expreſſerunt, eamque profeſſi tota vita ſua (quam vt multi volunt ſupra 50. annos produxerunt) abdicatis regnis paupertatem amplexi, Euangelium Gentilibus primi Apoſtoli publicarunt, quod à ſapientia non clamante, ſed vagiente & lachrimante didicerunt. Sunt igitur hi verè à Deo dilecti, à Patre cœleſti ſtellæ linguâ euocati, Spiritus S. afflatu ad Sapientiam corporatam adducti, ab ea fidei myſterijs inſtituti, primi præcones fidei Chriſtianæ ad Gentes ablegati, quæ ſola tribus Regibus tribuitur prærogatiua.

Sap. 7.

vident eius deſiderio.

appetunt connubiũ.

Chriſtus exemplo docet eos. S. Bern. S. 1. de Nat.

humilitatem.

profitentur eam Reges.

& docent Gentiles.

* *
*

CAPVT

CAPVT XII.

Optimè meriti ſunt de Chriſto eiusqúe familia, à quibus viciſsim ornantur beneficijs, & gratiâ.

ERANT tres Reges, vt ſupra dixi velut arteriæ, venæ neruique corporis Chriſti è Gentibus conſtituendi, qui cum à fonte ſanguinem, ſpiritus vitales & animales hauſiſſent copioſius & purius, eoſdem in membra cetera abundè deriuarent. Felices, quibus præ veteris inſtrumenti patriarchis contigit ipſum vitæ ſpiritualis& omnium donorum cœleſtium fontem recens ſcaturientem haurire, radijsque ſolis iuſtitiæ colluſtrari: nam vt S. Thomas & Cornelius à Lapide in 1. Petri 1. docent, quo quiſque Sanctorum ante vel poſt Chriſtum ei fuit vicinior & propinquior eo magis ab illo radijs fidei & gratiæ fuit illuminatus; ideo tam Apoſtoli, quam primi fideles dicuntur *primitias ſpiritus* accepiſſe. Sic ante Chriſtum Ioachim & Anna parentes Deiparæ; Zacharias & Eliſabeth, Simeon, Ioannes Baptiſta, S. Ioſeph & Deipara Chriſti ſide & ſanctitate remotioribus præcelluerunt,&ab Eccleſia feſtis honorantur,paucis fortè exceptis,vt Abrahamo, Dauide,Moyſe,Iſaia & Iobo. nam quo quiſque ſoli vicinior eſt,aut igni,hoc plus illuſtratur & incaleſcit. Laudatur dictum Borgiæ Gandiæ Ducis, cum initæ Societatis Ieſu recens inchoatæ rationem Carolo V. redderet, præteritis antiquioribus. *Si verè eſtimare volumus*, ait, *quo ab origine res propius abeſt, eo melius verum cernit, & accuratior eſt,& motus initio ſemper incitatior eſt,& vehementior: ſimiliter ad fontium capita limpidior aqua, puriorqúe bibitur, ita pariter Euangelium & lex gratiæ tanto præſtantiores virtute iuxta ac doctrina viros extulit, quanto principio ſuo extiterunt propinquioret.*

Sancti quo Chriſto viciniores hoc ſanctiores. *S. Thomas. in 1. Pet. 1. Corn. Lapide. Ro. 8.*

Borgiæ dictum. *Schotus in vita.*

Sic hi Reges cum ante Apoſtolos in ipſo fontis ortu primitias ſpiritus ex ipſo hauſerint, & tot exantlatis laboribus àb vltimo pene oriente eo properarint tanta cum Chriſti gloria, videntur ab eodem maximis donis cumulati, velut ſponſæ dilectiſſimæ, quarum præſentiam quatuor millenis annis præ Angelis,& Iudæis expetebat, quarum deſiderio cœleſti gloria conſortioque mentium beatarum relicto hominem induerat, pro ijsdem paratus emori. Quantus acceſſit diuinæ munificentiæ cumulus, cum infantulus quodammodo præueniri ſe à Regibus illa celeritate aduentus pateretur,& dona prius ipſorum regia ſuſciperet beneuolè, quaſi rerum omnium opifex ijs indigeret, vt haberet occaſionem copioſius in eos diuina munera prodigendi? Solent enim puſiones eſſe multo viuis profuſiores, gaudent cum liberaliter educantur, dona ſpargere æqualibus, & honeſtare coæuos amant, regna ipſa prodigerent antidotali compenſatione pro pomo vno, niſi à tutoribus ijs caueretur. Ideo Chriſtus etiam infantulus naſci voluit, vt aleret & accenderet hominum petendi audaciam, plura largiturus, quam ſperare audeant. Hinc primos è Gentibus adoratores, quos auidiſſimè dies tredecim exſpectarat, & quibus præ Iudæis optimè cupiebat, eos moleſtijs longinqui itineris fatigatos, continuo cœleſtibus pauit delicijs,vt vires corporis&animi vigorem reciperent,&inſtaurarent;eoque magis, quod ijs in reditu maiora eſſent pericula ſuperanda: vt prodigi ſanguinis & fortunarum ad cœleſtes anhelarent delicias: præterea cum eoſdem in ſponſas cooptaſſet, cumulauit donis & ornamentis, quæ talem decerent ſponſum, & infinito congruerent amori, quibus epithalamium tanto ante Salomon accinuerat diuino afflatus ſpiritu: & hoc magis eos ornabat, quia vnicè præ genijs cœleſtibus,& Iudæis adamabat & exſpectarat ardentius in his igitur velut vilioribus, & indignioribus, gratis & ſolâ clementiâ ſelectis, honeſtandis, miſericordiæ volebat abyſſum mundo reſerare, dum Æthiopiſſam reliquis deſpicatiorem, ita do-

tres S. S. Reges ex fonte primitias ſpiritus hauſerunt.

Benefici in infantem.

pueri liberaliores viris.

Chriſtus profuſus in eos.

vti ſponſas ſuas.

vt magis declararet miſericordiam.

norum diuinorum pigmentis colorat, vt iure filiarum pulcherrima diceretur & digna fieret, quæ diuini thalami regnique cœlestis consortium participaret.

Ob merita eorum.

Antea tamen eos de se voluit optimè mereri, deque tota familia sua, adeoque genere humano: quod ipsi cumulatè præstiterunt, dum regia dona pro matris inopia subleuanda, pro sustentando puero, pro curandis ad Ægyptiacam imminentem profectionem necessarijs rebus abundè largiuntur; sicque videntur vnionem hypostaticam Christi præ omnibus post virginem matrem, & S. Iosephum educatorem aluisse, & conseruasse, beneque de salute totius humani generis meriti. Quare si tanti fecit seruator Magdalenæ liberalitatem, quæ corpus suum moriturum nardo pretioso perfudit, & ad vltimam luctam roborauit, vt dixerit, toto terrarum orbe memoriam eius celebrandam, vt taceret quæ eidem contulit præ reliquis dona cœlestia, sic hanc Regum voluit in sacris literis exstare munificentiam, tum vt eius recordatio nunquam interiret, & posteri Gentiles haberent exemplum, quod imitarentur: tum vt ex acceptorum munerum regia magnificentia perspiceretur cœlestium donorum & gratiarum magnitudo, quibus Deus eorum liberalitatem infinitis partibus superauit: & hoc vberius, quo magis opportunè, celeriter & hilariter ijs, quamuis exteri præ cognatis in Christum velut exsulem, & humana destitutum habitatione pauperem & egentem tam benefici exstiterunt.

opportuno tempore præstita.

Nam* *in propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in eum.* Ieiecerant filium Dei tribules generis Dauidici Iudæi, imo consanguinei & affines: Rgees alienigenæ relictis regnis ad trecenta milliaria hyeme per mille vitæ pericula properant, vt eiectum recipiant, foueant, nutriant, subleuent eius egestatem: tantum auri conferunt, quantum in multos annos ipsi, Sanctissimæ Matri & altori Iosepho sustentandis & ad fugam Ægyptiacam viatici necessarium erat Hi quia fide & caritate, spretum à Iudæis receperunt: *dedit eis potestatem filios Dei fieri;* fratres suos primogenitos instituit, & primitias Gentium exosculatus, ea refudit ijs gratiarum ornamenta, quæ tanti Regis maiestati, diei nuptialis solennitati, Regum pietati & merito conuenirent. Suaretz S. Iosephi dignitatem inde æstimat. *Quia de nullo tam proprie sicut de Ioseph potest dicere Christus: Esuriui & dedisti mihi manducare. Itaque illud fuit excellens in munere huius viri, quod omnes ferè labores, & actiones suas proximè circa personam Christi exercebat: vnde sicut peccatum crucifigentium Christum fuit in genere suo maximum propter personæ dignitatem, ita opera pietatis & beneficentiæ circa personam Christi in hoc viro fuerunt eximij cuiusdam valoris tanto maiori ratione, quanto ipsi ex perfecta cognitione & amore illius personæ operabatur: cui si adiungatur diuturna Christi conuersatio, frequens & intima, & quasi continua occasio orandi ad illum, & cum illo, nihil certè magis ad perfectionem vitæ contemplatiuæ desiderari potest.* Hæc de S. Iosepho Suaretz: quæ si sanctis Regibus accommodentur, extollunt eorum gloriam & dignitatem, qui regia præditi potestate tot emensi sunt terrarum spatia, vt Christum hospitem & exsulem viserent, pauperem & egenum suis thesauris sustentarent, ab omnibus desertum & abiectum, vt Regem suum & Deum adorarent: hinc ex ea Christi præsentis veneratione putant multi eos donum contemplationis impetrasse.

Io. 1.

Compensata à Christo.

Suaretz to. 2. in 3. p. q. 25. d. 8. s. 2. p. 78.

Sicut Iosepho altori pueri.

quem imitati Reges.

Impetrauunt contemplationis donum

Denique vinculum amicitiæ, quod cum Deipara & Iosepho contraxerunt, meruit etiam gratiarum cœlestium incrementa: nam & inde Suaretz auget S. Iosephi dona: ait enim: *intercessisse inter Mariam & Ioseph, & inter Iesum & Iosephum singulare vinculum mutui amoris, ac perfectissimæ amicitiæ: accedebat ratio gratitudinis, quæ benefactoribus debetur, & nulla re magis, quàm amore perficitur. B. autem Ioseph multa passus est, multosq; labores propter Virginem sustinuit, & quidem amore & voluntate, vt par erat, maximâ.* Fuerunt & tres Reges licet exigui temporis vsurâ fruiti vsu & consuetudine Iesus, Mariæ & Iosephi: multum etiam sua regia præsentia, & insigni veneratione familiam illam sanctissimam recrearunt, & honorarunt: laboribus autem suis, donis & amoris in Christum exerciti magnitudine meruerunt, vt redamarentur, & vt ijs B. Virgo cum sponso omne bonum animarum

profuit ijsdem congressus cũ Maria & Ioseph.

is efficax medium sanctitatis.

præ-

præsertim apud filium procuraret; quam tam tum filius canalem parabat & vsurpabat, per quem hominibus gratiæ dona largiretur. S. Chrysostomus ait * *Christum sicut in vtero cum existeret per Matrem Ioannem sanctificauit, ita per eandem summam quandam gratiam Ioseph communicasse, quia illius difficillimi negotij pondus tam forti ac prudenti animo sustineret, ac propterea*, inquit, *tantam Philosophiam mentis ostendit.* Confirmat idem Suaretz *Nam*, ait, *si verum est, vnum ex efficacissimis medijs ad obtinenda gratiæ dona esse deuotionem erga virginem, & eius interessionem, qui credi potest sanctissimum, virgini dilectissimum, ac deuotissimum per illam non obtinuisse eximiam sanctitatis perfectionem?*

S. Chrysost. hom. 4. in Mat.

Nam Deipara canalis est Christi donorum.

Suaretz l. c. p. 79.

Nec ego dubitandum censeo, quin Deipara virgo visâ tanta Regum istorum pietate, ac munificentiâ, filium precibus inclinarit, vt hisce primis gentium fidelibus non parca manu dona gratiæ & perseuerantiæ cum eximio sanctitatis gradu donaret, & facilè adducor, vt credam ipsos sanctis Apostolis vt officio ferè proximos fuisse, sic & excellentia sanctitatis non multum concessisse. S. Thomas Apostolos Abrahamo, Isaaco & Iacobo Patriarchis anteponit: & vult ideo Paulum Patriarchas radici, Apostolos autem oliuæ pinguedini comparasse. Idem de SS. Iosepho & Ioanne Baptista Suaretz cum alijs testatur, qui duo ob muneris præstantiam ipsis putantur Apostolis antestare. Cur non & hos Christo coæuos fidei & Ecclesiæ Gentium progenitores veteris testamenti Patriarchis quis audeat comparare? nolo tamen quidquam temerè, vel nimis asseueranter affirmare, quia reuera vbi deest scripturæ autoritas, aut Ecclesiæ traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo in re præsertim ex diuina electione pendente; cuius consilia sunt abditissima mysteria. Ex dictis elucet electionis diuinæ & amoris singularis Regibus præstiti præ Angelis & veteris instrumenti Patribus magnitudo, nunc officia sigillatim persequar; ad quæ Deus eos præcipuo fauore destinauit in Euangelica lege: sic enim eorum priuilegia & prærogatiuæ ceteræ clarius apparebunt.

Apostoli sanctiores Patriarchis.

S. Thomas q. 21. de verit. a. 14. ad 5. lect. 3. Super Rom. 11.

CAPVT. XIII.

Sicut Apostoli electi sunt testes resurrectionis, sic hi aduentus nati Christi Saluatoris mundi, ac Doctores primi Iudæorum & Gentilium.

Duo munera Apostolorum. 1. testari Christi resurrectionem.

CORPORIS Christi membra nobilissima sunt Apostoli, quos elegit Seruator mundi duplici de causa, primo vt testes anastasis suæ, deinde vt Iudæos ac Gentiles fidem edocerent: vtrumque munus aliquo modo Christus etiam tribus Regibus communicauit.

Isaiæ 55. Apoc. 1.

In Christi titulis honoratissimus est, quod testis appelletur: quò Deus Pater filium in Epiphania decorauit.* *Ecce testem populis dedi eum, ducem, & præceptorem Gentibus*: eodem post anastasin gaudet appellari Apoc. 1. *Christus qui est testis fidelis. Primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Id nomen Apostolis communicavit: ob munus ijs demandatum, vt orbi toti suam anastasin testarentur: ita Luc. 24. ijsdem ait.* *Oportebat Christum pati, & resurgere: vos autem testes estis horum.* Actorum primo: *Accipietis Spiritum Sanctum, & eritis mihi testes in Ierusalem; & Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.* Cuius memor S. Petrus hoc Apostolatus quasi munus præcipuum profitetur Actorum primo. * *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati omni tempore, quo intrauit, & exiuit in nos Dominus noster Christus Iesus, incipiens à Baptismo Ioannis vsque indiem, quâ assumtus est à nobis, testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis*: & hoc vocant orantes *locum ministerij, & Apostolatus.* Quoquidem officio duce semper, & antesignano S. Petro functi egregiè sunt deinceps.

Luc. 24. Act. 1.

ceps ; qui c. 2. ait, *hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus.* Cap. 3. *quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus.* Iterum Act. 5. In Concilio, *Deus Patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem vos interemistis, & nos sumus testes verborum horum.* Clarissimè tandem Act. 10 S. Petrus Gentilibus explicat hoc Apostolatus officium: *& nos*, ait, *testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo nobis, qui manducauimus, & bibimus cum eo postquam resurrexit à mortuis, & præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* Quid quod & S. Paulus cum inusitato modo à Deo eligeretur vertex futurus post S. Petrum totius Collegij Apostolici; his verbis per Ananiam Christi Apostolus sit renunciatus. *At ille* (Ananias) *dixit: Deus Patrum nostrorum præordinauit te, ut cognosceres voluntatem eius, & videres iustum, & audires vocem ex ore eius: quia eris testis illius ad omnes homines, eorum, quæ vidisti & audisti*: quam rem Apostolus verbis Christi coram Agrippa Rege, & Festo sic confirmauit Act. 26. *Dominus autem dixit, Ego sum Iesus, quem tu persequeris: sed exsurge & sta super pedes tuos, ad hoc enim apparui tibi, vt constituam te ministrum, & testem eorum, quæ vidisti: & eorum, quibus apparebo tibi, eripiens te de populo, & Gentibus, in quas nunc ego mitto te aperire oculos eorum, vt conuertantur à tenebris ad lucem, & de potestate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem, quæ est in me.* Hac de causa plerique sanctorum Patrum volunt à Deo permissam fuisse S. Thomæ de Christo rediuiuo dubitationem, vt eius rei fieret & luculentior testis attrectatis, & palpatis glorioſis Christi vulneribus; & quo in oppugnandâ veritate fuerat reliquis peruicacior, hoc in anastasi testificanda cunctis euaderet animosior; plures etiam quàm ceteri toto Oriente barbaras nationes percursaret, ipsosque tres Reges ablueret Baptismo, quibus peracta vitæ Christi mysteria testis oculatus enarraret, quæ ipsi Prophetæ, futurorum præscij, suis muneribus præsignificarent. Iam verò sicut æternus Pater testes 12. anastasis Filij sui, vt articuli creditu difficillimi, designauit, qui eam toto terrarum orbe inde ab Ierosolyma publicarent; ita filij quater millenis annis exspectati aduentum sex statuit exteris testibus comprobare, vt Sanctissimam Virginem Matrem, & Iosephum sponsum domesticos, & familiares, quasi minus idoneos in re sua non adhiberet. Ac tres primos quidem Israëlitas in Iudæâ remanere voluit, perpetuos monitores, & testes eorum, tam quæ coram oculis vsurpassent de nato Saluatore, quam eorum, quæ cœlestibus internuncijs didicissent: Alios tamen ex Oriente sapientia, dignitate, & auctoritate præstabiliores Ierosolymam primum euocauit, quibus præconium recens nati Regis detulit: ij diuinis statim iussibus obtemperarunt: ortum Messiæ, regnumque in Metropoli Iudææ Ierosolymâ publicarunt, & ad inaugurationem noui Regis quâ exemplo, qua verbis suis conati sunt omnes permouere. Erant hi dignitate Reges, religione sacerdotes, sapientia Magi quasi Magistri, & Philosophorum Principes: Hos voluit testes oculatos, sed grauissimos, & prudentissimos, exteros tamen, ne Iudæis fraudi talis publicatio esset, de Christo testificari, ac primo se spectatores astri tot sæculis ante oraculo Balaami prædicti profiteri, vt ideo sceptri à Iudæis ablati recordarentur, natumque recens Messiam, legitimum Iudæorum Regem viserent, & adorarent. *Vidimus*, aiunt, *stellam eius, & venimus adorare eum*: eius inquam Messiæ à Balaam præmonstrati, & à vestris, & nostris Maioribus multis sæculis exspectati, vt in ore trium horum testium, quorum fidem callidissimus Rex Herodes multum, diuque exploravit, staret verbi illius prophetici iam impleti certissima veritas. Secundò voluit, vt diuinitatem, & regiam potestatem Messiæ nati asseueratione suâ stabilirent, eiusque præconium coram Rege, & Principibus facerent. Cuius an magis poterant idonei testes Regibus istis exteris & sapientissimis reperiri? Qui non iam rumore, nuntijsque incertis, sed diuinis edocti oraculis huic etiam velut Regi suo sceptra subijcere, & se in fidem ac clientelam eius cum

Act. 2. 3. 5. 10.

Act. 22.

S. Paulus ad idem vocatus.

Sex testes designati aduentus Messiæ.

aptissimi inter hos sancti Reges.

testificati sunt ortum stellæ prædictæ.

diuinitatem, & regiam Messiæ dignitatem.

cum regnis conferre cogitabant; vt Iudæos legitimos eius subditos ad idem Regi suo deferendum obsequium verbis, tamque illustri exemplo permouerent: aut si recipere dominatum eius detrectarent, vel inuiti saltem ex eo tempore subderentur, cuius iam esset imperium in Metropoli per legatos clarissimos viros promulgatum.

Sed quia Iudæa natum suum Regem noluit agnoscere, placuit cœlesti Patri, vt postridie solenni ceremonia Rex inauguratus à Gentilibus inueniretur, reciperetur, adoraretur: vt rectè die Epiphaniæ soleat Ecclesia sacrum hoc introitu, velut noui Regis præconio, auspicari. *Ecce aduenit Dominator Dominus, & regnum in manu eius, & potestas, & imperium.* Noua profectò regni facies, inaudita Reipublicæ descriptio, leges inusitatæ, diuersa politia à Filio Dei in orbem inducebatur. Quam opus erat formam hos tres Reges coram oculis suis contemplari vt testes eius, præcones, & laudatores existerent, & nouis istis moribus regna sua conformarent, ijsdem institutis imbuerent, & noui Regis exemplo factis, & operibus potius, quam verbis subiectos populos erudirent. Noua dico, inaudita, & inusitata regni politia, vbi tribunal clementiæ, solium præsepij, satellitium brutorum constituebatur: vbi Regia stabuli, paupertatis opulentia, humilitatis eminentia vigebat, regnabat, imperabat. Veniunt ergo Reges isti ad regiam stabuli testes, spectatores, & præcones tantæ egestatis, abiectionis, & demissionis Filij Dei: nec curiosi tantum spectatores nouitatis: sed admiratores, imitatores, & adoratores paupertatis. Pannos viles præ sceptris venerantur; inopiam amplectuntur, iacentem inter animalia exosculantur. Quem vbi Regem muneribus suis oblatis renunciarunt, & vt Deum adorarunt, eius mox vbique terrarum præcones, laudatores & imitatores effecti, paupertatem sceptris prætulerunt, & veri Christi cum Apostolis testes fidem istam sanguine consignarunt.

ijdem die Epiphaniæ Regem Christum inaugurarunt.

nouum regnandi modum inchoantē

Ita testes Christus voluit habere suæ quidem anastasios piscatores & vilissimos, qui virtute diuinâ, non humanâ potentiâ Deo genus humanum subijcerent: testes ortus sui Reges elegit potentissimos, sapientissimos, & fortissimos Ecclesiæ nouæ structores, in quibus velut typo, & imagine facies Ecclesiæ Christianæ florentissima reluceret, cuius Reges totius orbis decernebat esse altores, & tutores: vt iam tum facies eius orientis pulcherrima in istis senescentis & occidentis Synagogæ rugis, & maculis emicaret, sicut horum dona fidei Christianæ mysteria Christi mortem, & anastasin adumbrabant.

testes ortus sui Reges & anastasis voluit esse piscatores.

Alterum Apostolatus officium est fidem Christi Iudæis, & Gentibus prædicare. Hoc suis discipulis à mortuis rediuiuus seriò commendauit. *Euntes docete omnes Gentes.* Quid tradere debeant subiungit: *docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis*: proprium hoc eorum erat; quod ideo S. Paulus administrationi baptismi prætulit, cum diceret: *non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare, non in sapientia verbi, vt non euacuetur Crux Christi.* Hæc causa fuit, & ferè origo Diaconorum, vt externis illi quibusdam officijs deputati liberam relinquerent Apostolis Euangelij prædicationem: Act. 6. *Conuocantes*, ait scriptura, *duodecim multitudinem Discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: Considerate ergo Fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus: nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Erat sanè diuinum consilum per hos duodecim viros simplices & indoctos in crucem acti Christi virtutes publicantes, omnem sibi sapientiam humanam, & potentiam subijcere, vt operis illius laus & gloria solius Christi meritis, & diuinæ gratiæ occultis permotionibus, non humanæ viribus eloquentiæ tribueretur: *prædicamus*, ait Apostolus, *Christum crucifixum Dei virtutem, & Dei sapientiam: nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos*

Alterum munus Apostolorum docere Gentes. *Mat.* 28. 19.20. 1. *Cor.* 1. *Act.* 6. 1. *Cor.* 1.

facere credentes. Necesse tamen erat, vt quotquot hoc officio defungerentur, ij à Christo, vel eius ac Apostolorū successoribus ad id destinarentur: Rom. 10. *Quomodo audient sine prædicante, quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur: sicut scriptum est, quàm speciosi pedes euangelizantium, euangelizantium bona*! Hoc autē discrimen Apostolorum Christi fuit, & aliorum postea succedentium verbi diuini præconum: primum, quod non ab homine alio, quàm à Christo huic officio essent deputati. Hoc de se ipse etiam scribit, & affirmat S. Paulus Galatis. *Paulus*, ait, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis*. alterum discrimen est, quod ipsis illis duodecim, & postea S. Paulo contulerit eam, quam à Patre acceperat potestatem, Iudæis, & nationibus omnibus fidem annunciandi his verbis; *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Miserat cœlestis Pater filium suum vnigenitum in mundum, vt non Iudæi tantum, sed & Gentes omnes salutem consequerentur: quod statim internuncio fecit Angelo sic publicari: *Euangelizo gaudium magnum, quod erit omni populo*: Vnde Christus æquè Gentilium quorumuis saluti, & commodis prospicere per se & suos desiderabat Coloss. 3. *In Christo non est Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, barbarus, & Scytha, seruus, & liber, sed omnia in omnibus Christus, & non est acceptio personarum apud Deum*. Satis id orto Saluatore mundi docet euocatio, prima quidem Iudæorum, sed tenuium, ac vilissimorum pastorum; postea potentium Regum, & Gentilium: quod præmonstrabat fidem Christi Iudæorum abiectiores & plebeos ferè professuros; Gentilium verò Principes & Reges statim orbe toto mentibus promtissimis, & auribus auidissimis excepturos. Sed quid sibi vult dictum illud Christi ad Chananæam Gentilem, Matt. 15. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël*? Nonne & Apostolus Rom. 15. Christum vocat *ministrum circumcisionis*, quasi Doctorem & prædicatorem Iudæorum, quibus solis diuina lege illa carnis mutilatio erat demandata? Israëlitis nimirum seu Abrahæ posteris, præsentia Christi viuentis debebatur toties promissa Patribus ipsorum Regibus, & Prophetis, ac iurisiurandi religione confirmatâ: illis vt filijs primogenitis Dei panis miraculorum à Messia patrandorum primò fuit offerendus, quibus ad fidem inuitarentur: ideo licet Chananææ filiam, & centurionis Gentilis puerum sanarit, ac Gentiles alios à Philippo ad Christum introductos non reiecerit; imo centurionis virtutem præ Iudæorum omnium fide commendarit: totum se tamen in salutem Israëlitarum impendit, Apostolis ad salutem nationum omnium per vniuersas orbis plagas amandatis.

Deligi, à Christo ad id officiū debuerunt. Sic missi sunt Apostoli. *Galat.* 1.

Cū plenitudine potestatis Christi *Io.* 20.

qui ad Gentes, & Iudæos legatus. *Colos.* 3.

dicitur tamen minister circūcisionis. *Ro.* 15.

Venio ad tres Reges, quos Deus ex Oriente in Palæstinam vocatos, Ierosolymam ablegauit more suo, primò ad Iudæos, vt ijs Messiæ præsentiam, diuinitatem, ac regiam potestatem manifestarent: qui poterant ijsdem, quibus Apostolus Corinthijs Christum persuadere verbis. * *Pro Christo* (Messia vestro) *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo: eum qui non fecerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso*. Quatuor præcipuè Principibus Sacerdotum, & Herodi Regi ab ipsis inculcantur: primò vaticinium Balaami de ortu Messiæ completum esse docuerunt: deinde natum Christum tot votis, & disiderijs Regum, Prophetarum, & Patriarcharum exspectatum: vnde verbis luculentis à Iudæis Herodes nomine Regum *sciscitabatur*; *vbi Christus* siue Messias *nasceretur*. Tertiò, Regem eum Iudæorum, & natum quidem priuilegio Messiæ reseruato, promulgarunt: quartò, diuinitatem prædicarunt, dum & stellæ illius insinuant ipsum conditorem, & suo prouocant exemplo, verbisque, vt adorarent: quod quidem claris adeo vocibus videntur indicasse, vt vulpes illa versipellis, dum seruit tempori, & loquentium Regum se verbis (qui mos politicorum est hodie) accommodat, ea quasi laudare, probare, & imitari gestiens, quæ Reges toties iterabant, hac eos conditione præmiserit, *vt & ego veniens adorem eum*. Nunquam Herodes Augustum, nec Agrippa Caium tam benè de se meritos Imperatores adorauit, vnde numen ab illis diuinum prædicari satis fraudulenter hac voce significabat. Quàm bellè nouis istis, & primis Christi Apostolis conuenit illud Pauli Deo præcone decantatum elogium? *Vasa electionis erunt mihi isti, vt portent nomen meum coram Gentibus, & Regibus*,

Sancti Reges primi Apostoli ad Iudæos destinati. 2. *Cor.* 5. *v.* 20.

quatuor ijs inculcarunt.

Vasa electionis sunt *Act.* 9.

gibus, & filijs Israël. Quam audacter, Paulus Apostolus Agrippæ Regi, Petrus autem Concilio Iudæorum Christi anastasin; tam hi fortiter & constanter Christi Regis ortum quasi corriualis, Herodi & ipsis Principibus Sacerdotum egregiâ mentis altitudine publicarunt: vnde Suarez, Tannerus & alij eos *Doctores,& Magistros Iudæorum* nominant duce S. Chrysostomo, qui, voluisse, ait, Christum, ab initio ostium Gentilibus reserare, vt Iudæorum amentiam reprehenderet, & *domesticos cultores suos per externos erudiret*: & alibi disertè ait: *Magi Iudæorum magistri effecti*: sic hom. 7. in Matt. ait, *propterea quasi gauisi sunt, quoniam quæsitum desideratumqúe repererant, quoniam effecti fuerant Angeli, seu nuncij veritatis Iudæis, & quia non frustra tam longæ uiæ spatia confecerant.* Alteram sancti Reges, ad Gentes legationem à Christo puero obtinuerunt, ideo doctores Gentium, & primi magno consensu sanctorum Patrum, & aliorum nominantur. Origenes hom. 3. in diuersos de ijs ait: *Ipsi verò annunciauerunt cunctis, nomenque sanctum vnigeniti prædicantes ad suam prouinciã perrexerunt.* S. Chrysostomus: *vnde mihi videntur etiam in regione propria facti esse postea ciuium suorũ Magistri; qui enim ista nequaquam dicere timuerunt: multo hæc ipsa liberius patriæ suæ prædicarunt: quippe præter stellæ indicium, habebant & Angeli responsum & Prophetæ testimonium.* Consentit Theophylact. *Videntur hi Magi magnâ virtute præditi: nam qui in aliena regione adorare voluerunt, quomodo non in Perside ipsa magna libertate prædicauerunt?* vt rectè hoc elogium Ildefonsus Giron ex collatione cum Abraha dederit sanctis Regibus. *Abraham de terra longinqua, & ab Oriente nempe de Vr Chaldæorum siue de igne, quem Chaldæi adorabant, ab ea regione idolorum cultura dedita magno Dei beneficio segregatus evocatus est, vt esset fidei, & constitueretur multarum Gentium pater: Similiter Magi tanquam heredes fidei Abrahæ ab Oriente vocantur, vt sint primi Prædicatores, Euangelistæ, atque Parentes totius Gentilis multitudinis*: Sic laudatorum Patrum & aliorum sententiâ possunt Apostoli nominari cum S. Paulo: *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem*: poterant cum eodem affirmare, quod de se idem subdit: *Cum autem placuit ei, qui nos segregauit ex vtero matris & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in nobis, vt euangelizaremus eum in Gentibus, continuò non acquieuimus carni, & sanguini, abijmus in Arabiam*: ubi statim Ecclesijs Christo viuenti erectis, eius fidem Arabiæ populis subiectis sibi promulgarunt: ac tertius quidem eorum gente Indus triennio post adoratum Christum, cum patriam reuisisset, Virgini Matri superstiti templum condidit, cuius vestigia putantur hodie Cranganore supereſſe. Sed de hac re & vitâ eorum Apostolicâ fusius aliàs. Illud obseruandum, Apostolum Doctorem Gentium priuilegio singulari delectum, in Arabiam primùm abijsse: vocationem hanc suam ita charissimo suo Timotheo exponit: *vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus testimonium temporibus suis: in quo positus sum ego prædicator & Apostolus (veritatem dico non mentior) Doctor Gentium in fide ex veritate.* Nam quæ gens ad fata fidei Christianæ citius & auidius capienda videretur aptior, & dignior, quam ea, quæ *primos Ecclesiæ progenitores* protulerat in quâ iàm à 30. annis fuerat ab ipsis S S. Regibus sementis Euangelij sparsa, vt tantum opus Apostolo fuerit baptisma, Christique mortem & anastasin nunciare ijs, qui primi Gentium & Iudæis etiam ortum illius prædicarunt

Doctores Iudæorum vocantur. *S. Chrysost. hom. 6. in Matth. Ho. 11. in cap. 1. Iuan* ac Gentiũ.

Orig. ho. 3. in deu. S. Chrysost. hom. 6. in Matt. Theophyl. In 7. Matt. serm. de Epiphania.

Comparantur Abrahæ.

& S. Paulo *Gal. 1.*

in Arabiam primo profecto.

1. Tim. 2.

* *
*

CAPVT. XIV.

Sancti Reges primi Euangelistæ & Theologi ex Gentilibus.

Etymon nominis Euangelistæ, *Lucæ. 2.*

EVANGELISTÆ nomen eb Euangelio felici & fortunato nuntio traxit originem,& ferè ab eo gaudio,quod nocte natalis Domini peperit Angelus pastoribus, dum ait: *Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* Inde libri,qui Saluatoris nostri natiuitatem, vitam,res gestas, mortem & anastasin persequuntur, solent Euangelia nominari; quæ quia Isaias vates ita præcinuit, quasi præterita memoraret, ab alijs Apostolus (vt S. Chrysostomo hom.de S.Ioanne Bapt.) ab alijs Propheta Euangelicus, vel Euangelista nuncupatur.

Isaias ita vocatur.

Mat. 4. Marci. 14.

Accedit quod ijdem libri vitam æternam (quam regnum Dei vocamus) annuncient; ideo Matth. 4. de Christo narratur: *& circuibat Iesus prædicans Euangelium regni*; regni inquam cœlorum.Marcus enim addit: *prædicans Euangelium regni Dei.* Ab his libris quotquot diuinitus inspirati eos scripserunt, Euangelistæ, & quatuor tantum ab Ecclesia nominantur: in quem censum non possunt Reges nostri, sed nec Apostoli extra duos venire.

Diaconi primi sic dicti.

Latiore tamen significato septem Diaconis, vt Stephano, & Philippo fuisse nomen illud impositum,SS.Patres,& sacræ paginæ interpretes consentiunt, quorum multi Ephes.4. (vbi hierarchicus ordo constituitur militantis Ecclesiæ) post Apostolos & Prophetas, Euangelistas collocant: ita S.Ambrosius ait: *Euangelistæ sunt Diaconi,sicut fuit Philippus: nam quamuis non sint Sacerdotes, eungelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum & Stephanus & Philippus memoratus.* Assentiuntur Ambrosio S.Anselmus & Theophylactus; hos enim Apostoli & Presbyteri ad certa destinabant loca, in quibus velut Catechistæ de fidei doctrina populum erudiebant.Præter hos tamen ipsis Episcopis,& Apostolis is titulus tribuebatur: quo nomine S.Paulus sic S.Timotheum insigniuit *Tu verò vigila in omnibus labora, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto.* Constat Timotheum nullum scripsisse Euangelium,id enim Ecclesia recepisset: & scriptoris Euangelici tantum munus videtur esse, posteris à Spiritu S. dictatam Christi vitam miracula, & mortem literis transmittere: sed plura hic à S. Timotheo exiguntur; *labor, vigilantia, sobrietas, muneris sui exsecutio,* quæ potius Episcopo & Apostolico verbi diuini præconi tribuuntur. Hac ratione præcipuo quodam modo SS. Reges dicuntur Euangelistæ, qui optatissimi, iucundissimi, & primi nuncij exstiterunt à Deo Patre in Iudæam,à Christo infantulo ad Gentiles populos amandati, vt ortum tot millenis annis expectati Saluatoris publicè renunciarent: quod solis illis conuenit; rectè tamen & ijs tribuitur, qui fidem Christi in certas terras primi intulerunt,adeoque primi veritatis istius nuncij,& Apostoli nominantur.

& Apostoli.

2. *Tim.* 4.

munia veri Evangelistæ complura.

S. Chrysost. vocat ita reges. *hom.* 16. *de varijs in Matth.*

De nostris Regibus ita scribit S. Chrysostomus: *ipse aduentu tuo Magos ab Oriente vocasti, & Euangelistas eos ad sua remisisti.* Euangelium eorum paucis his verbis à S.Matthæo comprehenditur. *Natus est Rex Iudæorum, vidimus stellam eius, & venimus adorare eum.* geminum est illi Angelico,sed nocte, & paucis cœlitus allato: *Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus:* Nam Christum satis ab ijs indicatum Herodes innuit,dum Christi seu Messiæ scisitatur à Iudæis locum natiuitatis,cuius diuinitatem satis adorationis voce expressérant, vt rectè S.Augustinus dixerit: *Natum esse didicerant, in quo adorando se salutem, quæ secundum Deum est,consecuturos minimè dubitabant,* id volebant ea voce,*qui natus est Rex,* significare.Græcus rectè habet ὁ τεχθεὶς ille natus Rex,non electus, non à Romanis Iudæis datus, qualis alienigena Herodes: sed qui cum ortu ipso possessionem adijt regni Iudæorum.

Euangelium eorum abijs publicatum.

S. Augusst. serm. 6. de Nat.

Theologi dicuntur.

Sed num eos ideo censebimus inter Theologos referendos, vt S. Ioannes solus

S. Ioannes

Euan-

tribus Theologus nominatur: nam & diuinitatem Christi ceteris omnibus clarius & vberius explicauit, & Euangelicâ suâ doctrinâ Cerinthi, Ebionis, & aliorum tunc nascentes hæreles contra eanden ortas plenius confutauit? quamuis S. Dionysius Areopag. voluerit hoc nomẽ SS. Apostolis omnibus esse commune, qui vocat ideò S. Petrum * *supremam, & antiquissimam Theologorum summitatem*: forte quòd primus omnium Collegij Apostolici verbis istis Christi diuinitatem prædicarit: * *Tu es Christus filius Dei viui*? S. Gregorius Nazianzenus etiam passim à SS. Patribus Theologus nominatur, quod Trinitatem personarum, & diuni verbi arcanum aduersus hæreticos aliter docentes egregiè defenderit, vt Elias Cretensis exponit; siue, vt Nicetas loquitur, quod nemo ex Patribus Trinitatis mysterium, & diuinitatem Verbi (quæ Theologiæ nomine designant Græci) sublimiori & grauiori stylo pertractarit. Ita tria potissimum officia Theologi possunt numerari: primo diuinitatem Christi, mysterium SS. Trinitatis, ac reconditas fidei sacræ quæstiones non tantum animo complecti & profiteri: sed & clarè diserteque credenda proponere: deinde eorum probabilitatem, quam credibilitatem vocant, argumentis, adstruere: denique heterodoxorum sophismata contraria rationibus infirmare. Hoc nomine censeo SS. Reges esse Theologos, & è Gentibus primos nominandos. Iam tum enim à Spiritu S. eâ nocte, quâ visâ stellâ consensu dato sacris impulsibus ad iter se comparabant, penitissimam fidei Christianæ cognitionem diuinitus infusam acceperunt: vt nec sacrosanctæ Triados, nec verbi corporati & diuinitatis Christi, passionis & anastasis mysterium ignorârint, quæ omnia tum iubebantur mysticis secum allatis muneribus significare. Imò Diuinitatem nati Messiæ meritò ab omnibus adorandam primi Herodi & Solymæ publicarunt: & suo omnes exemplo ad eius cultum prouocarunt. Rectè Pineda noster docet rationi consentaneum esse, omnes Patriarchas & Prophetas, qui se ipsis figuram exprimebant Christi Domini, vel mysteriorum Euangelicorum; præditos fuisse singulari rerum istarum intelligentiâ; sensu, gustu, dulcedine; sic Iob & Dauid Dominicam Passionem; Ioseph venditionem & resurrectionem; & alij quædam alia figurarunt. Consentiunt SS. Patres, qui passim contra Montanum docent Prophetas intellexisse, quæ prædicebant; Origenes, Basilius, Chrysostomus. Hieron. & Christophorus Castrius: qui lib. 3. Isagoges cap. 12. plures laudat.

Theologi dicuntur S. Ioannes. S. Petrus *S. Dionys. epist. ad Timoth. & S. Patrum Matt. 16.* ac S. Gregor. Nazianz.

Tria officia eorum.

Sanct. Regibus conueniunt.

1. Cognouerunt mysteria præcipua fidei & publicarunt. *Pineda l. 3. Salom. c. 26. § 3. n. 8.* *Orig. hom. 6. in 16. Ezech. Basil. proœmio in Isai. Chrysost. hom. 29. in 1. Cor. 12. S. Hieron. in prœmio Isai.*

Atqui S. Augustino teste (de quo alias) tres Reges mysterium SS. Trinitatis seipsis adumbrârunt; Christi etiam diuinitatem, patibilitatem & anastasin donis indicarunt: & suis verbis clarè satis adorandam Deitatem Christi pronunciarunt: Ipsi typus, & figura fuêre rerum, quæ Ecclesiæ ê Gentilibus conuertendæ per Apostolos erant euenturæ; quando orbis terrarum Reges & Imperatores Christi fidem erant amplexuri: Vnde non est dubitandum, quin harum rerum accuratam notiam magisterio Spiritus S. acceperint, antequam Hierosolymis diuinitatem Christi, & regiam dignitatem confiterentur, adeoque Theologiam perfectam Theodidacti & combiberunt, & sicut Ioannes, Petrus, & Gregorius Nazianzenus alijs tradiderunt. Neque ratiocinatiua videtur eos Theologia latuisse; nam vndecim voculis suis, præter fidei professionem, fidem videntur tam scripturæ testimonio, quam ratione naturali confirmasse, dum stellam *eius* visam asserebant, quam Balaam (vt constabat Iudæis) oraculo diuino prænunciarat, & ipse puer Deus procrearat, sicque stellam eius, vti conditoris, dominatui subiectam, & iussui seruientem indicarunt, quæ officio legati & ducis iter hactenus præmonstrauit. Ita Theologorum officium iam Ierosolymis videntur sustinuisse, dum fidei articulum de nati Christi diuinitate argumentis è scripturâ & ratione corroborarunt. Præclarè hanc eorum scientiam laudat, & è donis colligit Rupertus Abbas Tuitiensis. *Reuera gauisi sunt; gaudio magno gauisi sunt, & gaudium eorum fuit in Spiritu S. qui & iucunditatem, & exsultationem thesaurizauit super eos, quibus nihil defuit de plenitudine scientiæ, vel fidei, quæ à nobis exigitur diuinâ sanctarum scripturarum lectione instructis* (Theologicam intelligit) *quod comprobatur ex eorum muneribus benè consideratis: & vide quanta sit distantia in modis sciendi, quantum distet inter eruditionem illius, qui per Angelum siue per hominem, & illius, qui per solam Spiritus Sancti reuelationem meretur erudiri.*

Scilicet SS. Trinitatem & Ecclesiæ euenta.

2. vsi sunt ratiocinatione.

in Natiuitate Messiæ confirmanda.

l. 2. in c. 2. Matt.

Auctum

auxit Christus eorum scientiam.

Auctum illud lumen mirificè fuit ab ipsa Sapientia diuina cum eam coram adorarent, & velut sponsæ totius Gentilitatis nomine se sponso Christo totos consecrarunt: tunc enim legem ab eo primum Christianam acceperunt, & virtutum ornamenta, quibus ipsi tanquam Patres Ecclesiæ toti per orbem terrarum promulgandæ prælucerent posteris Regibus: tunc etiam soli ipsi & primi ab ipso fonte Christo primitias Spiritus è Gentilibus Regibus hauserunt: norma futuri, & regula Christianorum Regum & Imperatorum.

Sandæus. L. 3. Theologiæ variæ Commem. 03. exer. 2.

Merito Maximilianus Sandæus censet quemlibet antiquorum Patriarcharum vel Prophetarum, ijs excelluisse, in quibus illustrior fuit Christi figura itaque Abrahamum clarius cognouisse tanquam fidei Patrem, quæ fidelium esset futura ratio: quomodo reparator humani generis nasciturus esset ex sua progenie; quomodo esset pro hominibus immolandus; Moyses verò quæ legi latæ esset successura gratia; præterea prædestinationis, reprobationis, obdurationis arcana, Gentilium vocationem, & his similia. Hos igitur Christus cum sponsas suas sibi copularet, è quibus velut parentibus Ecclesiæ Gentilium posteritas nasceretur, cum vt ait S. Aug. * *non tantum accipere propriam: sed etiam omnium Gentium salutem significare meruerunt*, tunc cum ad Christum videndum adorandumque venerunt, clarius à sapientia corporata lumen accepisse videntur, quo plura, quam antea fidei mysteria, Ecclesiæ Gentilium toto orbe propagationem, Martyrum in eâ asserenda constantiam, Doctorum sapientiam, virginum pudicitiam didicerunt, quorum velut Abraham, Isaac, & Iacob Synagogæ, sic ipsi post Apostolos Patres essent nuncupandi. Erant quædam scientiæ Theologiæ rudimenta, quæ perceperant in itinere, cum Iudæorum Magistri mitterentur: nunc cum Gentium futuri essent Doctores, plenius à Christo velut Apostoli Pentecostes festo edocentur: vt non pro se ipsis, sed alijs etiam populis erudiendis gratiâ, & sapientiâ donarentur. Ita post Apostolos vix nulli videntur maiore scientiâ Theologica donati, quàm SS. Reges, præsertim cum ante pollerent omni naturali & humanâ Theologia Astrologicis ac Metaphysicis placitis essent expolitissimi: cum Moyse *eruditi omni scientiâ Aegyptiorum*: quo facilius possent ex natura rerum petitis argumentis, & claris similitudinibus abditissima mysteria referare.

ab eo constituti sunt Gentium Doctores.

antea poliri omnibus scientijs naturalibus.

3. uidem hæreses confutarunt.

Et quia non solum officij Theologici est fidem auditoribus clarè disertèque proponere & argumentis confirmare, sed etiam eadem contra hæreticorum errores, & obiectat stabilire: id ita præstitere: vt ex ipsis illorum verbis & donis SS. Patres præcipuas postea natas hæreses confutarint. Qui vero Doctorum & Patrum, & quas hæreses, vt Arianorum, Manichæorum, Marcionistarum ex ipsis redargueriut, fusè suo loco c. 22. prosequemur: satis nobis sit indicasse eos in Euangelio suo diuinitatem Messiæ cum S. Ioanne contra hæreses adstruisse, adeòque Theologorum nomen iure mereri: vt rectè Colonienſis vniuersitas festo Epiphaniæ Anno 1386. inchoata eos præcipuos adsciuerit Patronos, in quorum peruigilio Theologi solent in exedra de laudibus eorum, vt primorum è Gentilibus Theologorum, concursu frequenti totius iuuentutis perorare.

CAPVT. XV.

Ijdem Prophetæ temporis gratiæ.

SAtis superque videmur eos Prophetas esse docuisse, quos primos Apostolos & Euangelistas diuinitus inspiratos ostendimus: qui non ab homine vel Angelo, sed Deo ipso suam doctrinam hauserunt, ut cum Apostolo potuerint in Domino gloriari. * *Notum vobis facio Fratres euangelium: quod euangelizatum est à me: quia non est secundum hominem: neque enim ab homine ego accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi*: nam hi donis suis & personis fidei præcipua mysteria ab Euangelistis postea litteris consignata Spiritu Prophetico primi adumbrarunt; quæ quia fusè Rupertus persequitur verbis ipsius recitabo.

Gal. 4.

vaticinati sunt donis suis.

* *Rupertus. loc cit.*

* *Verè, ait,* (Magi) *cælitus inspirati, verè cælesti magisterio docti veram, & cælestem habentes materiam gaudendi; quid, inquam, hic dicendum, nisi quia Prophetæ*

ipsa

ipsi & Prophetica ipsorum munera fuerunt? veritatem & mansuetudinem & gloriam & honorem protestati sunt: veritatem assumtæ carnis, mansuetudinem, id est, humilitatem passionis, gloriam Regni & honorem diuinitatis vnius eiusdemque Iesu Christi:, Quatuor facies vni erant, ait Propheta, facies hominis, facies leonis, facies vituli, & facies aquilæ volantis. Quatuor istas facies quatuor constat esse Sacramenta, quæ nescire non licet homini Christianæ professionis, scilicet Incarnationem, Passionem, Resurrectionem, atque adscensionem eiusdem Iesu Christi, quarum circa inspectionem facierum tota versatur intentio præsentis opusculi enumerat deinde mysteria à Magis prædicta. *Faciem vnam ex his, videlicet hominis præsentem* (Magi) *inuenerunt, quam & procidentes adorauerunt, ceteras mysticis muneribus mirabiliter præsignauerunt. Myrrha faciem vituli, id est Sacramentum Passionis, quâ ipse Sacrificandus, atque mixturâ myrrhæ, & aloës condiendum erat in sepulturâ corpus eius. Aurum faciem leonis, id est gloriam resurrectionis, per quam caro, quam ex nobis mortalem susceperat, tantum meliorata est, quanto aurum puluere, seu limo terræ pulchrius atque pretiosius est. Thure faciem aquilæ volantis, id est sublimitatem adscensionis, & confessionem ad dexteram Patris, ex quo dato hominibus Spiritus S. cognitus est, quod sit idem filius Dei, cuius Sacrificium incensi legitimum iure debeat offerri aque vt Patri & Sancto Spiritui.*

Corporatũ Dei filium.

passum.

sepultum.

Resurgentem.

adscendentem ad cœlos.

Hæc igitur munera, hæc ore sacro Euangelista magnificavit, & sic magnificè enunciauit, vt dicturus, obtulerunt ei munera; præmitteret; & apertis thesauris suis. Nam verè thesauri fuerunt, & thesauri merentur appellari, non tam sistartia seu thecæ qualescunque, quibus clausæ portari poterant species eiusmodi, quam corda ipsa offerentium, quorum ex abundantia potuerunt inuisibili Deo inuisibiliter proferri causæ tam sanctæ, quas Ecclesia sancta in illis speciebus visibilibus venerabiliter intelligit. Hæc Rupertus: qui ea, quæ 4. Euangelistis à Prophetis & Ecclesiâ tribuuntur, ijs solis adscribit: quia quod ipsi suis Euangelijs gestum fideliter literis consignarunt, hoc isti Reges spiritu Prophetico afflati futurum mysticis suis muneribus expresserunt, vt dixerit S. Hilarius: *Oblatio munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expressit, in auro Regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo, atque ita per venerationem eorum Sacramenti omnis est consummata cognitio: in homine mortis, in Deo resurrectionis, in Rege iudicij*; & hic agnoscit eos Christi resurrectionem & iudicium vaticinio præmonstrasse.

Prophetice sensus contentos in adoratione & donis cognouerunt.

S. Hilarius commens. in Matth.

Christi resurrectionem & iudicij præmonstrantes.

Non minus eos in Prophetis numerat operis imperfecti auctor, *Venerunt*, ait, *Magi ad iudicium Gentium, & præiudicium Iudæorum: illorum fidem Prophetantes futuram, & istorum incredulitatem condemnantes præsentem. O Beati Magi, qui ex omnibus Gentibus primitiæ fidelium fieri meruerunt: illi Magi futuræ Ecclesiæ formam portabant; sicut enim illi Regem, quem non viderunt credentes quærebant, & confitebantur, sic & nos, qui sumus ex Gentibus Dominum, quem nunquam vidimus credentes quotidie quærimus & confitemur.*

Hom. 2. in Matth.

Passim ideò munera eorum sacramentalia & plena mystenijs nominantur S. Cyprianus *primitiæ Gentium sacramentalia dona proferunt de thesauris.* Arnoldus Carnotensis Abbas *Iesum nostrum pannosum adorantes, donis sacramentalibus venerati sunt*, & Ecclesia in responsorio; *tria sunt munera & habent in se diuina mysteria*: hæc mysteria suo loco fusè eruentur. In hoc etiam similes erant Magi Prophetis instrumenti veteris: quod sicut non tantum cæcam Deus eorum obedientiam periclitabatur in rebus ingratis tam Iudæis, quam ipsis Regibus annunciandis: sed etiam volebat eos monstratis symbolis, vt catenis prolatis & exhibitis, oculis futura subijcere: sic ad nutum sibi paratos Reges hos Deus habuit: in hoc, vt ostentui Regi Iudæisque essent in re ipsis ingratissima tam Rege Deo homine promulgando: quam ei debitam adorationem verbis & signis demonstrando. Erant igitur signum & portentum Israëli & Herodi: erant & columna ferrea, nihil insidias Herodis metuentes: vt ipsis, quod Ieremiæ dictum fuit, possit accommodari *Vos ergo accingite lumbos vestros, & surgite, & loquimini. Ne formidetis à facie eorum nec enim timere vos faciam vultum eorum. Ego quippe dedi vos hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream. & in murum æreum, super omnem terram Regibus Iuda, Principibus eius, & sacerdotibus & populo terræ: & bellabunt aduersum vos,*

S. Cyprianus de stellâ & Magis.

similes ijdem Prophetis fuerunt in cæca obedientia.

Iere. 1.

vos, & non præualebunt, quia ego vobiscum sum, vt liberem vos. Ita verbis & factis veros se Prophetas exhibuerunt.

CAPVT XVI.

Primi Sacerdotes Christiani, postea & Archiepiscopi.

S. Chrys. hom. 7. in 2. Matth.

CHRYSOSTOMVS vult Magos à Christo factos Sacerdotes, quem cultu diuino fuerant prosecuti: * *Priusquam, ait, puerum cernerent* (Magi) *vndique illis opponebantur timores, conturbationes atque discrimina, postquam verò adorârunt, securitas & tranquillitas subsecuta est: nec iam stella, sed Angelus suscipit, quia scilicet adorando facti fuerant sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis.*

Adorando facti sunt sacerdotes.

Præmittit verò contra hæreticos eos munera Christi, vt Deo quasi quædam sacrificia obtulisse. * *Nam quod in carne vera sit, ostendunt panni, & præsepe: quod verò non nudum, id est, non solum adorent hominem profectò declarat, quia adhuc æui rudem his muneribus honorent, quæ offerri Deo solent.* S. Ambrosius assentit sacrificium obtulisse. *Vnum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus, & myrrham supplices obtulerunt, auro Regem fatentes, vt Deum thure venerantes, thesaurus enim regni Sacrificium Dei.* Eodem eos titulo complures alij decorarunt; duorum sufficiat meminisse.

Oblatis quæ Deo soli sacrificantur.

S. Ambros. 1. de fide c. 2.

C.

Guilliaudus

Guilliaudus in 2 Matt. * *Reuera tria munera obtulerunt: triplici genere munerum nouum Sacrificium offerentes, & velut per ænigma Trinitatem illam ineffabilem profitentes Patris, & filij, & Spiritus S. simulque in vno homine mortalitatem Sacerdotium & regnum agnoscente* Subdit, *thure Sacerdotium Christi significant, quo antiquatur Leuiticum, & stabilitur nouum: vel thus Deo obtulerunt, quod offerimus cum testamur, quidquid habemus Deo esse tribuendum.*

Garzia in thesauro Euangelico descursu 22.

Modum, & apparatum Sacrificij illius noui, & primi Christo dedicati describit Garzia noster his verbis: *thus in Sacrificium obtulerunt, quo latriæ adoratio significatur, quam omnis creatura Deo suo exhibere tenetur; nisi velis ipsos de more Persarum thuribulos in thesauris suis & scrinijs eduxisse, adorasse, & suffimentis odoriferis cultum istum, & obsequium exhibuisse, non sine vestium & vasorum apparatu: Quod pium est, & dignitati pueri, & sapientiæ eorum, & præuiæ cognitioni quâ illustrati sunt, consentaneum.* Hunc ipsum vestium diuersicolorem apparatum S. Vincentius fusè narrat, & approbat.

apparatu sacro vsi.

fuerant antea sacerdotes. iure primogenitorum.

Sed quinam hic sacerdotes, quod sacrificij genus, quod altare: sine quibus non videtur ratio sacrificationis posse consistere? Erant tres ipsi Reges eo iure sacerdotes, quo Adamus, Abel, Noë, Abraham, quo Melchisedech, & Iobus Gentiles etiam, iure dico primogenitorum, quibus solis id cum regno debebatur: qui poterant Synagogâ licet e ectâ legibusque suis à Moyse temperatâ Deo vero more suo victimas, vel alia genera sacrificiorum instituto maiorum immolare, quibus fidem in Christum venturum testarentur: quod licet ante id temporis litatis victimis melius exprimeretur, vt in sanguine Messiæ pro cunctis effundendo salutem exspectarent: voluit quandoque Deus, vt in Melchisedeco pateat, alijs ritibus exhiberi.

Non opus erat viuo Messia cruento sacrificio. sed quod personæ dignitatẽ repræsentaret.

Venerat Messias ipse, figuræ & vmbræ finem accipiebant: eius personæ dignitas erat nouo Sacrificij genere significanda, quod filio Dei soli congruebat: Inuitati iam erant Leuitici Iudæorum sacerdotes: quos cum loci vilitas, & natalium, vt ipsis videbatur abiectio paupertasque nimis offenderet; Gentiles hi Reges, Magi & sacerdotes ab extremis Orientis finibus euocati, velut orbis totius Legati suam libentes volentes operam obtulerunt, & terræ suæ primitijs, & dotibus præstantissimis, oblatis (quibus personæ diuinæ carnem indutæ mortalem potestas diuina, regia, & sacerdotij aptè exprimebatur) solemni ritu sacrificarunt: ita quidem vt ijs ipsis donis præmonstrarent ea munera, quæ Gentilium Ecclesia continuò ad finem vsque mundi esset Christo in Virginibus, Martyribus, & Doctoribus oblatura. Aliam adsignat causam S. Augustinus, quod ijs solerent donis, suis facere Dijs, ideo vero iam Deo cognito similibus voluerunt eum muneribns, & cultu

Iudæi recusabant facere Christo.

Magi obtulerunt sacrificiũ, quod dijs suis immolare solebant.

latriæ

latriæ venerari, *illi autem*, ait, *hoc audito venerunt & adorauerunt, aurum, thus & myrrham obtulerunt secundum consuetudinem suam: talia enim solebant offerre Dijs suis.* Erorem hunc suum, quomodo Magi agnoverint, dum Christum præsentem intuerentur, dum mirarentur latere in stabulo, quod quærebant in Dijs, & astris, præuenerintq; sacrificio suo Iudæorum tarditatem, nemo subtilius, elegantius, & accuratius S. Chrysologo persequitur: cuius aureum flumen inspiciamus. S. Augus. ser. 67. de 12. diuersis. S. Chrysologus.

Hodie Magus, quem fulgentem quærebat in stellis, in cunis reperit vagientem. Hodie Magus clarum miratur in pannis, quem diu in astris patiebatur obscurum. Hodie Magus quid, vbi videat, profundo stupore peruoluit, in terrá cælum, in cælo terram, in Deo hominem, in homine Deum, & in vniuerso seculo non capacem concludi corpore perpusillo. Vnde Magus, quia scrutari valet, capere non potest mox adorat: videt enim non sic lucere in cælo stellas, lunam, solem, qualiter illuxisse carnem contemplatur in terris: videt in vno eodemq; corpore diuinitatis & humanitatis conuenisse commercium. Hic dum credit Deum, sentit Regé, intelligit humani generis amore morituru m, & pauida cogitatione pertractat quemadmodum posset mori Deus, qualiter posset vitæ restitutor occidi. Ac sic cessat Magus arte quærere, quod arte nõ potest inuenire, & quia se in cælo diu cum astris errantibus videt erraſſe, gaudet in terra se ad Deum ducatu vnici sideris peruenisse: & deprehendit Magus cũ dens credere se, & non discutere, mysticis muneribus confitetur thure Deum, auro Regem, myrrha esse moriturum, vt eum diuiti placaret obsequio, quem curioso & importuno incessurat, & offenderat instituto; atq; implet illud quod multi de Spadone ex Æthiopia suspicantur: Æthiopia præueniet manus eius Deo: videt Christum Magus, Iudæum præueniens manibus suis, quia quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur. Hinc est, quod Gentilis, qui erat nouissimus, factus est primus: quia tunc ex Magorum fide est Gentium credulitas dedicata, & Iudæorum est notata crudelitas: & præcedenti sermone ait, *Erant hi de genere Noë, de filijs Abrahæ, qui Christum nasci per Deum didicerant, eumq; hominem Deum, Regem moriturum alto cognouerant sacramento. Hinc est quod apta latrum fidei munera portauerunt, vt aurũ Regi, incensum Deo, morituro myrrham scienter offerrent, taliq; munere & pietati satisfacerent, & honori.* S. Marcell. papa ep. ad Salom. ex hoc sacrificio à Magis oblato Christo, eius probat diuinitatem, verba eius dabo l. 2. c. 7. Vt mirum non sit à primis his Christi Sacerdotib, noua cæremonia tali personæ præsenti, mystica munera præter incensum thus sacrificata, quibus & fidem suam, & affectũ mentis, & dignitatem personæ figurabant, iure Magi dicti, quia sapientiam suam diuinam & naturalem satis indicarunt. Abant, iure Magi dicti, quia sapientiam suam diuinam & naturalem satis indicarunt. Aram quis in stabulo desideret, cum Aram cœli præsentem habeat Deiparam, in cuius gremio velut altari sacerrimo Christus residebat; vnde templũ Deiparæ dicatũ Romæ eo loci, vbi Augustus Christo fecit, hodie *Ara cæli* nominatur, & vt A. 1640. 28. Ian. misit ad me Româ Valent. Mangion. istius altaris talis inscriptio hodie legitur: *Hæc quæ Ara cæli appellatur, eodem in loco dedicata creditur, in quo Virgo sanctiss. Dei mater cum filio suo se Cæsari Augusto in aureo circulo è cælo monstrasse perhibetur.* quam rem Corn. à Lap. ita refert. *Hac de causa Augusto Cæsari Virgo Deipara infantem vlnis gestans apparuit in Capitolio cum iam ante ipso oraculo Apollinis edoctus, natum esse puerum Hebræum, qui idolorum oraculis silentium indixisset, eidẽ in Capitolio aram erexisset, hoc titulo: ara primogeniti Dei. Quocirca Constantinus M. ibidem templũ erexit in memoriam Dei genitr. Mariæ, quod etiamnũ exstat, & vulgò Ara cæli nuncupatur: vbi & locus visionis Augusti ostenditur.* Adiungunt alij hanc vocẽ cœlo lapsam insonuisse: *Hæc est ara cæli*: De S. etiã Luciano scribitur in gremio Deo sacrificium obtulisse. Rem gestam refert ita Metraph. *Cumergo aduenisset dies festus, qui exspectabatur, desiderabant quidẽ discipuli hanc vltimam à Magistro consequi diuini mysterij celebrationẽ: videbatur autem esse dubiũ: quonã modo mensam quidem in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cũ multi quidem illuc tunc partim adessent, partim autem accederent: ille vero: mensa quidem, inquit, erit vobis hoc pectus meum, non, vt arbitror, Deo futura minus honesta eâ, quæ sit ex inanimá materiâ: templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes. Et sic hæc facta quidẽ sunt hoc modo: iam enim, vt quod esset sanctus in fine vitæ, & remissi erant custodes, Deo, vt ego quidem arbitror, qui Martyrem honorare volebat, & suorum discipulorum non sustinebat intolerabile videri desiderium, efficiente, vt citra impedimẽtum perent ea, quæ erant proposita: Nam cum omnes eos Martyr fecisset in orbem consistere,* S. 158. S. Marcellinus. Metaphrastes Baronius A. 311.

Ara sacrificij huius Deipara fuit.

in 2. Luc.

stere, vt inter se inuicem alter propè alterum stantes eum tutò comprehenderent, iussit suo pectori imponi signa diuini Sacrificij. postquam autem hæc fecissent, & in cœlum protinus sustulit obtutum, cum iam vix posset extollere, & preces peregit consuetas. Deinde cum diuina plurima esset effatus, & sacro ritu omnia peregisset proposita, ipse & fuit particeps Sacramentorum, & transmisit ad eos, qui aderant, vt ipse quoq; ostendit in vltimâ ad eos epistolâ, & hunc quidem diem cum eis transegit, sicut erat pollicitus.

ara in carcere pectus S. Luciani.

tres Reges consecrati sunt postea à S. Thoma Episcopi.

Atq; ita quidem rectè SS. Reges primi Christi sacerdotes nominantur, & hoc videntur meruisse suo cultu religioso, vt post Christi anastasin superstites, à S. Thomâ plenius de dominica perpessione & resurrectione eruditi, ab eodē sacris initiati veri ac propriè dicti legis nouæ sacerdotes ac regnorum suorum primi sint Archiepiscopi constituti, erectis iam antea Christo basilicis, vt iam tum cœperit regale Christi sacerdotium, quando Reges sceptris abiectis Christi spontaneam amplexi paupertatem, totos se cultui diuino & saluti proximorum impenderunt: Auctores, qui hoc doceant suo loco recensebo

CAPVT XVII.

Primi Christi Confessores, & postea Martyres.

Confessores qui olim dicti latiore significato.

CONFESSORES olim latiore verbi notione dicebantur, qui ne Christū negarent in tormentis, exsulabant, ita ad A. Christi 286. apud Baronium Caius pontifex Christi fideles alloquitur. *D. N. I. Christus præscius fragilitatis humanæ, duos credentium in se ordines constituit, Confessionis scilicet, & Martyrij: vt qui Martyrij pondus se non posse ferre viderent, Confessionis gratiam teneant, & concedentes laudem bellaturis Christi militibus, & pro eius nomine pugnaturis, illorum solicitè curam gerant. Pergant itaq; qui volunt vna cum filijs nostris Chromatio & Tiburtio; & mecum in hâc vrbe, qui voluerint, remaneant; non enim nos terrarum spatia diuidunt, quos Christi gratia nectit; neq; absentiam vestram sentiunt oculi nostri; quia interioris hominis vos intuemur adspectu.* Subdit Baronius ex Cypriano, non tantum Confessorum nomine dignum esse, qui coram præside se Christianum esse confitetur, sed & qui ne capiatur, relictis bonis, cognatis, & patriâ, tibi dum timet, ne vi tormentorum deficiat, Christumq; neget, in alias secedit regiones, vtpote quod eam Christi fidem his omnibus prætulerit, Christum opere videatur esse confessus, ac proinde dignus nomine Confessoris. At vero isti, qui vel coram præside cum vitæ periculo fidē fuissent professi Christianam, vel ad metalla damnati, vel carceribus concluſi, candidati Martyrij censebantur, ij propriè Confessores dicebantur. Hi nō secus ac ipsi Martyres literas ad Episcopos de lapsis exarabant, vt cōmunioni Ecclesiæ restituerentur: quales multæ hâc super re exstant apud S. Cyprian. Vrgebat scilicet lapsos Ecclesia, vt à Confessoribus primò veniam peterent, in quos inuerecundius deliquissent, dū fortiter confitentibus illis, ipsi fidem ignauiter pernegassent: magna huiusmodi pœna esse videbatur ipsos turpi negatione fœdatos, vel vultus eorū inspexisse confessionis gloriâ fulgidos: consulebatur hâc viâ Confessorum dignitati, & lapsorum vtilitati, nam vt victi victoribus subijciebantur dum eâ; animi demissione eorum precibus veniam ab Ecclesiâ promerebantur. Inde præcipua dignitas eorum in Ecclsiâ colligitur: nam Confessorū oblatis literis non audebant Episcopi facile refragari. Tales & primi fuere SS. Reges nostri teste S Bernardino. *Mirabile*, ait, *quippe est, quod non timuerunt in præsentiâ Regis Tyranni atq; iniqui confiteri dignitatem regalem pueri nati ipsum in terrâ alienâ coram Herodianâ furiâ atq; sæuitiâ, qui hoc sentiebant, Tyrannum Regem & tyrannicè Regem, & iniusta vsurpatione, non successione regnare. O Sanctissimi Magi, prius Christi Confessores, quàm contemplatores: an nescitis, quod qui confitetur alterum Regem in alterius regno, regnanti iniuriam facit? an creditis quod vobis parcat crudelis Herodes, qui nec filijs suis sua impietate pepercit, sed plures trucidauit ex eisdem; qui etiam paruulis innocentibus nefanda crudelitate, & diabolica compositione lac vberum miscuit cum sanguine puerorum? sed puto quod vos iam illuminati de fide, & à paruulo illustrati, licet nondum videatis eum, cum Apost. Paulo, alligari, & mori in Ierusalem pro nomine D. N. Iesu Christi parati estis, vt dicitur Act. 21.*

propriè vocati qui fidem coram Tyrannis confessi essent.

eorum literæ pro lapsis mittebantur.

quibus Episcopi vix audebant refragari. *Bernardin. ser. 14. de Epiphan.*

Confessio SS. Regū.

Eandem fidei confessionem ita demiratur S. Chrysost. *Nam etsi valde insipientes fuissent*

fuissent, istud tamen nequaquā ignorarunt, quod ingressi vrbem à rege gubernatā talia prædicando, aliumq; Regē præter eum, qui tum sedem tenebat esse demonstrando, decies mille sibi accersérent mortes. Considera igitur horum virtutem, non modo ex eo, quod tam longi itineris subiére laborem, sed etiā vide, quod tam simpliciter, & liber èloquuntur; & neque populi furorem, neque Regis reformidant Tyrannidem, vnde mihi isti videntur etiam in regione propria facti esse ciuium suorum Magistri: qui enim hic nequaquam ista dicere renuerunt, multò hæc ipsa liberius patriæ suæ hominibus prædicarunt. S. Chrysost. hom. 6. in Matt. absque terrore.

His concordant, quæ operis imperfecti autor habet: *Nunquid nesciebant, quia in Ierusalem regnabat Herodes? nunquid non intelligebant iustitiam legis, quia quicunq; Rege viuente alterum Regem pronunciat, & adorat, quasi minister Tyranni punitur in sanguine? sed dum considerabant Regem futurum, non timebant regem præsentem. Nunquid non habebant præ oculis suis periculum mortis, qui talem rem illicitam vsurpabāt? sed non curabant de morte: si autem curassent de morte, nunquam ad hoc ausi fuissent. Adhuc non viderant Christum, & iam parati erant pro eo mori. O beati Magi, qui ante conspectum crudelissimi regis, antequam Christum cognoscerent Christi facti sunt Confessores.* Consonat his Guido Geluensis Episcop. *in Ierusalem regem inueniunt Herodē & Regem quærunt Iudæorum adorandam, vbi eorum fidei constantia cernitur; contemnunt præsentem, venerari veniunt futurum, exponunt se pro Christo morti: iam se prostituunt praclari Confessores, alium clamant Regem, quam regnantem, quod humana lex morte punit; sed mortem contemnunt, & crudelem Regem non timent propter Christum verum Regem.* in Harmonia Euang.

Hac in fide confitenda animi celsitudine & constātia illud vidētur meruisse, vt quā tunc nondum viso saluatore pro fide prodigere vitam desiderarunt, eam post 50. vel 70. annos, cum multos populos Christo peperissent, in eiusdem fidei prædicatione ponerēt. Martyres enim eos expressis verbis Lucius Dexter S. Hieronymi æqualis facit, cui B. Alb, M. & maximo consensu recentiores scripturæ interpretes assentiūtur, quos fusè suo loco recensebo: sufficiat hoc loco A Lapide. *Deniq; Magos hosce Christum prædicantes ab idololatris occisos, & Martyrij lauream adeptos, ac se ipsos quoq; aurum, thus, & myrrham Christo in holocausto obtulisse tradunt nonnulli, inter quos L. Dexter, &c.* Postea martyrio sunt coronati. in 2. Matth.

CAPVT XVIII.

Sunt Primitiæ Gentium, & radix sanctæ earum.

HIc titulus, à SS Patribus, omniū frequentissimè Magis tribuitur; paucos è multis proferam, deinde notionem nominis, & dignitatem examinabo. S. Augustin. ait, *Illi erant Primitiæ Gentium; nos populus Gentiū: nobis hoc lingua nunciauit Apostolorum. stella illis tanquam lingua cælorum.* S. Leo: *Agnoscamus in Magis adoratoribus Christi vocationis nostræ fideique Primitias, & exsultantibus animis beatæ spei initia celebremus:* Haymo: *sed tamē qui quilibet horum fuerit sciendum est: quia primitiæ Gentiū fuerunt, & Gentes in Christum creditura signauerunt.* S. Cyprian. *Primitiæ Gentiū sacramentalia munera proferunt de thesauris, & Domino aurum, & odoramenta repræsentant: profitentes ex ratione munerum de eo, quem adorabant, quid crederent, quid sentirent.* S. Fulgentius. *Nam quia ipse est Deus, qui in veteri testamento sibi primitias offerri mandauit, idem Deus hos natus Primitias Gentium suo cultui dedicauit.* S. Eucherius *Isti sunt primitiæ Gentium, isti prius ex Gentibus in Christum crediderunt; his non terra, sed cælum Christi natiuitatem prædicarunt.* Paschasius Ratbertus vixit cum Carolo. M. *In Magis istis fides Gentium velut Primitiæ Domino consecrantur, qui per fidem in Oriente sidus cernentes matutinam stellam, quæ Christus est, feliciter sunt secuti; nisi enim Lucifer ille matutinus primum eorum cordibus oriretur, nequaquam stella præuia Regem Iudæorum tam constantes inquirerent.* Sancti patres eos vocant Primitias. S. Augustin. Serm. 2. de Epiph. S. Leo. Ser. 2. de Epiph. Haymo de Epiph. S. Cypr. ho. de stella & Magis. S. Fulgentius. hom. de Epiph. S. Eucher. Ratbertus in 2. Matth.

Primitias omnium frugum Deus olim iubebat sibi dedicari; nec tam primos agrorum vel arborum prouentus & fructus, quam è reliquis omnibus natis meliores, & electiores: vt per pauculos hos fruct. Deo consecratos reliqui, quos in vsus suos destinabant à Deo cœlesti fauore benedicerentur, vt fusè sic S. Chrysost. probat. *Quod de campis.* ait, *accidit spicarum plenis, vbi quis ex paucis spicis collectis paruū manipulū conficiens eumq; Deo offerens paucitate illâ toti aruo benedicit, ita Christ. fecit, qui per vnā illā* erant eæ fruges meliores & selectiores

Ista Christus primitiæ humani generis.

carnem atque primitias totum genus nostrum benedicendum curauit; sed cur non totam naturam obtulit? eò quod non sit hoc offerre primitias, si totum quis offerat, at si partuum aliquid quis offerat, per partuum totum benedicendum curat. Atqui si primitiæ, dicet quispiam, essent, primum ipsum hominem procreatum offerri oportuit: primitiæ enim sunt, quæ primum tolluntur, & primum germinant: Non sunt primitiæ censendæ carissime, si primum fructum obtulerimus exilem & euanescentem, sed si probum ac perfectum offeramus. Quoniam igitur fructus ille peccato obnoxius erat, ideo non est oblatus, etiamsi primus esset: at hic à peccato liber erat, ideòque oblatus est, licet posterius exstiterit, Hæ enim sunt primitiæ. Et vt discas non primum germinantem fructum primitias dici, sed bonum atque probatum, generosum, & qui ad vigorem opportunum perfectionemque perueniat, ex scripturis tibi depromam testimonium: si ingressus fueris, inquit, in terram promissionis, quam Dominus Deus dat tibi, Moyses ad populum ait, & plantaueris in eâ omne lignum pomiferum faciens fructum ad vescendum, tribus annis non dabis fructum eius: quarto autem anno fructus erit sanctus Domino. Atqui si essent primitiæ, primus, qui producitur, eum qui primo anno nascebatur offerri Domino oportebat. Nunc verò, ait, tribus annis non mundabis fructum eius, sed relinques illum: propterea quod euanida adhuc, & imbecilla est arbor, & fructus præcoces, & immaturi. Quarto autem anno, inquit, fructus eius sanctus erit Domino: & in hoc cerne sapientiam Legislatoris, qui illo vesci nox permisit, ne ante Deum quisquam fructus sumeret, neque offerri illum mandauit, ne crudus & immaturus offeratur Domino, sed dimitte, inquit, quia primus est; ne offeras autem, quia indignus est honore acceptantis. Vides ergo non primum fructum, qui producitur, sed bonum atque probatum primitias dici; & hæc propter carnem nostram, quam obtulit, dicta sunt: Obtulit igitur primitias nostræ naturæ: atque ita donum oblatum admiratus est pater, ac propter dignitatem offerentis, puritatemque ipsius oblati, quasi proprijs illud manibus accepit, sibique proximum constituit dicens: Sede à dextris meis.

præ Adamo.

potest quid in primitijs censeri quod primum & melius est.

Hactenus S. Chrysost. rectè euincit Christum primitias generis humani nominari, non quod tempore sit primo reliquis hominibus generatus, sed quia præstantiâ & dignitate cunctos anteiuit: nec tamen ideò negauit primitias mortuorum & resurgentium, item & ad cœlos adscendentium debere appellari, quod prior omnibus hominibus rediuiuus cœlos suâ virtute primus penetrauit. Sic nec inconueniens est SS. Reges nostros duplici titulo primitias nominari: 1. quia velut è spicis Gentium ceteris grandiores & pleniores gratiâ & sanctitate sunt huncin finem segregati: 2. quia primi etiam Gentilium fidem suam ita Deo dedicarunt, vt exemplar & speculum essent, in quibus Gentilium posterorum fides clarè reluceret, vt rectè, quæ fusius dicta sunt, hoc breui simili *Lidac. Vega* sic cõprehendat: *Post pastores sequuntur Reges primitiæ Gentium, & Patres fidei Ecclesiæ: nam sicut agricola ex vberi messe lætus colligit turgidas spicas, quas eminere viderit super alias falce prostratas, easque in fasciculum colligens demum offert super altari, quasi virtualiter vniuersam offerens segetem, ac in illo modico promtum suum animum contestans. sic gentilitas tres obtulit spicas ex omnibus suis agris selectissimas ceu pignus nomine totius paganismi.*

Di. lacus Vega. Sem. de Epiph.

Nam primi ad fidem conversi vocantur etiam primitiæ.

S. Paulus in Dei beneficijs numerat, gentem vel ciuitatem præ alijs citius fidē Christianam accepisse, vnde cum Thessalonicensib. scribit, *Nos*, ait, *debemus gratias agere Deo semper pro nobis, fratres dilecti, à Deo, quod elegerit vos Deo primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, & in fide veritatis.* Sensus est, elegit vos Deus, vt sitis primitiæ saluandorũ; inter primos enim S. Paul. eos ad fidē conuerterat; quia subdit, & *vocauit vos per Euangelium nostrum in acquisitionem gloriæ D. N. I. Christi*: vt per fidem, gratiam, & salutem vestram maior Deo gloria vt auctori omniũ acquiratur.

Deut. 22. v. 9.

Sancti Reges peculium Dei. fuerunt.

Obseruat Cornelius hic in Græco, voce εἰς περιποίησιν alludi ad c. 19. Exodi, vbi Deus Hebræis dicit: *Eritis mihi in peculium*, quasi hereditas peculiaris, totum pecus & substantia mea, totæ opes meæ, *Pars enim Domini populus eius Iacob, funiculus hereditatis eius.* Vnde Septuaginta vertunt, *eritis mihi populus peculiaris*; Theodotion verò electus: quod si id insinuet de suis Thessalonicensib. Apostolus, potius id de Gentium omnium primitijs sanctis Regibus erit asserendum, quos triumviros speciatim ex omnium nationum populis delegit, vt suâ fide egregiâ, constantiâ singulari, pietate admirabili totius Ecclesiæ Christianorum è Gentibus cogen-

cogendæ ſanctitatem figurarent: imò ex tota hac maſſa Gentilitatis velut reliquis eminentiores, grandiores & pleniores ſpicas ſepoſuit, quæ dum primitiarum nomine totæ Deo conſecrabantur, per ipſos in poſteros etiam omnes diuina benedictio dimanaret. In hos cadit illud Apoſtoli,* *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa; & ſi radix ſancta, & rami*: nam ſi delibatio ſancta ſeu primitiæ ciborum, frugum, vel panum, qui hic maſſa nominantur, ea tota Deo maſſa in ſuis primitijs cenſetur conſecrata: adeoque tota Gentilitas ſe Deo per hos Reges ei dicatos obtulit: ſi enim vt vult Chryſoſtomus Iudæi ſunt per Patriarchas ſuos & Prophetas, vt Theodoretus per Chriſtum: vt Ambroſius & Anſelmus per Apoſtolos & primos Chriſtianos: ipſos vt ego credo Paſtores tres Chriſto initiati; tota Gentilitas eſt per hos Magos eidem dedicata. hoc vult S. Auguſtinus, qui dum Magos vocaſſet primitias Gentium; de Iudæis addit, *Primitiæ quippe Iudæorum ad fidem reuelationemque Chriſti in illis paſtoribus exſtiterunt, qui ipſo die, quo natus eſt eum de proximo veniendo viderunt: illis Angeli: iſtis Magis primitijs Gentium: ſtella nunciauit: illis dictum eſt: gloria in excelſis Deo: in iſtis impletum eſt, Cæli enarrant gloriam Dei: vtrique ſanè tanquam initia duorum parietum de diuerſo venientium circumciſionis & præputij ad angularem lapidem cucurrerunt.* Itaque ſicut per Patriarchas, vel potius Paſtores totum corpus Iudæorum Chriſto deſtinatum eſt, & morali quadam æſtimatione, ſeu analogica ſanctitatis adſpergine ſanctificatum, quaſi in ſpe, præparatione & ſtirpe; ſic & in tribus è diuerſis orbis partibus accurrentibus Regibus tota Gentilitas, è quibus velut Patriarchis & progenitoribus reliqui fidei horum ſuorum parentum imitatores Gentiles Chriſtiani prodierunt inſerti arbori Chriſti, dum horum fidem imitantur: ſubdit ideo, *& ſi radix ſancta & rami*, poſteri dum radici ſuæ, ſeu fidei & ſanctitati parentum inſiſtunt, eamque in Patribus adumbratam moribus exprimunt viui rami matris Eccleſiæ conſtituuntur. Ideo Fulgentius, vt ante dixi, rectè monet, Deum, ſicut in veteri teſtamento ſibi mandauit offerri primitias, *ita in nouo Gentium primitias ſuo cultui dedicauit*: vt quidem Ratbertus addit, fidem eorum & conſtantiam conſecraſſe, quibus Gentiles præ Iudæis erant decorandi. Quare non in poſtremis hæc Magorum prærogatiua numeranda: qui ex tanta Gentilium populorum maſſa, velut ſpicæ nobiliores & pleniores electi, totam Gentilitatem Deo ſua fide conſecrarunt. De iiſdem prædixit Oſee, *Quaſi vuas in deſerto. & quaſi primæ poma ficulneæ inueni Iſraël, in cacumine eius, vidi Patres eorum.* Explicat Auila noſter hæc de SS. Regibus, quos in loco ſterili, cacumina enim montium ſterilia eſſe ſolent, & inuia elegit Dominus prima, poma primos Eccleſiæ fructus: vt ſint *gloria Libani, Carmeli & Saron, ipſi vident gloriam Domini & decorem Dei noſtri.*

* *Rom.* 11. v. 16. & radix ſancta.

Per quos tota Gentilitas Chriſto dicata eſt.

ſunt etiam prima poma ficulneæ. *Oſee* 9. *Auila cone. de Epiph. Iſa.* 35.

CAPVT XIX.

Dicuntur Progenitores & Flores Eccleſiæ.

CHRISTVS nomina quædam ſibi propria, voluit alijs communicare. Ipſe propriè *lux vera* eſt, *quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*: *& fundamentum Eccleſiæ*, eoſdem titulos Apoſtolis etiam ſuis attribuit: quos ipſe *lucem mundi* nominat: & S. Paulus ſecundaria Eccleſiarum fundamenta: *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide. Chriſto IESV*, Sic cum ipſe verus Parens Eccleſiam genuerit, ſanctos tamen Reges noſtros eodē permiſit nomine compellari. Ita enim hos S. Chryſoſtomus nominat: *Erubeſcat* ait *Marcion & Samoſatenus ille Paulus, qui nolunt videre, quod Magi viderunt Eccleſiæ progenitores; nequaquam eos ſic erubuerim appellare.* Aſſentitur Chryſoſtomo Didacus Vega. *Poſt Paſtores Gentium ſequuntur Reges, ceu primitiæ Gentium & Patres fidei Eccleſiæ.* Clarius hæc exponit Ildephonſus Giron, & cauſam inſinuat allato Patriarchæ Abrahami exemplo. *Abraham de terra longinqua & ab Oriente nempe de Vr Chaldæorum: ſiue de igne, quem Chaldæi adorabant ab ea regione idolorum culturæ dedita magna Dei beneficio ſegregatus, & vocatus eſt, vt eſſet Pater fidei & conſtitueretur Pater multarum Gentium: Similiter Magi tanquam heredes*

Ioan. 1. *Matt.* 5. *Epheſ.* 2. Tres Reges ſunt Eccleſiæ progenitores. *S. Chryſoſt. hom.* 7. *in* 2. *Matt. Didacus Vega de Epiph. Ildephonſus Giron hom.* 1. *de Epiph.* Cōparatur Abrahæ.

heredes fidei Abrahæ ab Oriente vocantur, vt sint primi Prædicatores & Euangelistæ, atque Parentes totius Gentilis multitudinis: & Sasbout, cum eos Abrahæ prætulisset, concludit & postea sæpius repetit: *En hos habemus autores fidei, imitemur eos.*

Sarbout hom. de tribus Reg.

Abrahæ fides ita placuit Deo, vt posteros eius in peculium, vt capite superiore vidimus, non elegerit tantum: sed semini etiam ipsius promiserit omnium Gentium benedictionem: quas innumerabiles voluit esse fidei ipsius æmulas, idque stellarum nomine & numero designauit. Semen Abrahæ Christus prædicebatur, cui nationes terrarum omnes, velut *filij vnius moris* & fidei adhæsuræ erant, qui verus futuri seculi Pater, veluti fonte pleno gratias cœlestes & fauores in Iudæos & Gentes erat deriuaturus: is impletæ promissionis Abrahæ factæ stellam indicem Gentibus misit, signum euidens tempus adesse, quo innumeri populi, vt astra cæli, Christo essent crediturі tanquam heredes Abrahami fidei & promissorum, quæ Deus ei fuerat pollicitus, qua de re sic ratiocinatur Rupertus † *Vidimus* aiunt *stellam eius in Oriente, multum ad rem tale signum pertinuit, si ritè recorderis, quia quando pepigit Dominus cum Abraham fœdus, à quo liber generationis IESV Christi cœptus est, & ad quem beati seminis repromissio facta est, tunc etiam eduxit eum foras, & ait illi: suspice cœlum & numera stellas, si potes, ac deinceps: sic erit semen tuum. In die illo, ait scriptura pepigit Deus fœdus cum Abraham dicens; semini tuo dabo terram hanc. Hinc Apostolus: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius: non dixit & seminibus; quasi in multis: sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Hinc vnus est, propter quem omnia, qui multos filios in illam gloriam adducere veniebat: vt sicut in cœlo stellæ innumerabiles sunt, sic essent splendidi & incommutabiles per ipsum, atque compleretur, quod fidelis & verax promisit, sic erit semen tuum Recte igitur non qualecunq; signum, sed nouum sidus cæli dederunt, videlicet propter eiusmodi promissum quodammodo dicentes nobis: Laudate & congratulamini, quia fœdus, quod pepigit Deus cum Abraham non fecit irritum: impleuit, quod promisit, suspice stellas: sic erit semen tuum: Prodijt ergo semen Christus: semen fœcundissimum, quod vno fœtu gentem integram generabat quæ postea stellarum instar innumeris filijs abundabit.* Seminis huius diuini fœcunditatem ita describit *Isaias*,* *Quis audiuit vmquam tale: & quis vidit huic simile? nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens simul: quia parturiuit Sion filios suos? Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem ceteris tribuo sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? Et ponam in eis signum stellam, & annunciabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres vestros de cunctis Gentibus donum Domino, in equis & in mulis, ad montem sanctum meum Ierusalem: quomodo si inferant filij Israël munus in vase mundo in domum Domini, & assumam ex eis sacerdotes & Leuitas: quia sicut cœli noui & terra noua, quæ ego facio stare coram me, sic stabit semen vestrum & nomen meum*: Iterum cælo comparat semen Christi veri Patris & progenitoris fidelium: qui tot filiorum matrem elegit Gentilium primigeniam Ecclesiam, & Magos istos sponsam suam Æthiopissam: quæ nigra moribus antiquis, formosa fide, meruit a Rege diligi, & in thalamum introduci coniugalem. Sterilis erat Gentilitas, quæ nullos Deo filios, sed orco pariebat: iam Verbo fœta longè veteris Synagogæ fœcunditatem superabit. *Lauda sterilis, quæ non paris, decanta laudem: & hinni, quæ non pariebas: quoniã multi filij desertæ* (Gentilitatis) *magis quam eius quæ habet virum. Dilata locum tentorij tui* (Ecclesia Gentilium) *& pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas. Longos fac funiculos tuos & clauos tuos consolida Ad dexteram enim & læuam penetrabis, & semen tuum Gentes hereditabit, & ciuitates desertas inhabitabit.*

per stellã impletur eadem.

Gen. 15. Gal. 3. Heb. 2.

Gen. 12.

multitudo earum.

c. 66. v. 8.

Christus simul gentem peperit, estque verus Pater Gentium.

adducit eam in Ierusalem.

Mater partus Tres Reges.

Isa. 54.

Primi fœtus SS. Regum quos ipsi converterunt.

Ac duplices quidem Magi nostri Christo fœtus ediderunt: primo earum Gentium & regnorum, quæ primi velut Apostoli ad fidem eius adduxerunt: de his non minus ipsi, quam Paulus dicere potuerunt * *In Christo IESV per Euangelium ego vos genui*: & de Onesimo: *quem genui in vinculis*; & ad Gal. 4. *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Huc pertinere S. Augustinus ea Christi verba arbitratur: *pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram, propterea populi confitebuntur tibi*: similes S. Felicitati de qua S. Gregorius ait, quod *septem filios, quos carne pepererat mundo, spiritu parturiuit Deo, dum eos ad Martyrium*

1. cor. 4. v. 15. Ad Philemon. S. Augustinus ps. 44. v. 17. S. Gregorius Hom. 3. in Evang.

viam animaret, qua quidem in re nihil eximium ab Apostolis vel Pastoribus & Doctoribus habuerunt Magi: quotquot enim prædicando fidem alijs, vel charitatem Dei potius persuaserunt: Deum in animis eorum genuerunt, & Christus eos etiam Matres suas nominauit.

Alter tota Gentilium posteritas

Alios sancti Reges fœtus, imo totam Gentilium Ecclesiam Christo genuerunt: nam dum illi Gentium primi, sic professionis publicæ fidei Christianæ, constantiæ, pietatis, animi demissionis spretis omnibus vitæ periculis, contemtis aliorum hominum iudicijs, fluxis & caducis rebus præ cælestium amore derelictis; ideam posteris efformarunt, ad cuius similitudinem Gentiles orbe toto dispersi vitam & mores exprimerent: eos omnes sibi virtutum lineamentis simillimos Christo pepererunt: Vnde non tantum *delibatio sancta*, seu *primitiæ Gentilium* nominantur, quorum sacrificio tota Gentilitatis massa Deo fuit consecrata, sed *radix* etiam *sancta*: seu sancti posterorum Gentilium progenitores; quales sancti Patriarchæ Abraham, Isaac & Iacob respectu Iudæorum exstiterunt. Flores præterea dicuntur, qui lætissimos & vberrimos promittunt fœtus, & satis indicant, qualis etiam & cuius generis vel speciei fructus ê tali radice vel arbore exspectentur. Theodoretus hoc eos titulo decorauit dum in cantica commentatur * *Vineæ nostræ florentes dederunt odorem, vineas* ait *vocat Ecclesiam credentium Christo, quæ per ipsius prædicationem in Gentibus plantatæ sunt. Quarum Ecclesiarum flores fructum ex ipsis per virtutem futurum prænunciantes exstiterunt Magi, qui munera Christo ab Orientis partibus aduehentes, ei vt Regi & Deo & propter nos mortali, aurum, thus & myrrham obtulerunt, suauem Gentium fidei in ipsum Christum odorem exhibentes ijs, qui à Spiritu S. donum scientiæ sunt consecuti.* Talem nimirum odorem de se non subiectis tantum sibi populis, sed omnibus toto disseminatis orbe Gentilibus adspirarunt, vt tot postea Reges & Imperatores eorum exemplo sceptris ad Christi crucem abiectis colla fastumque regium submiserint fidei Christianæ, & tanta mundi nomina pedibus etiam pauperrimorum Sacerdotum Christi Vicariorum aduoluantur, vt per ipsos potestate claiuum ipsis commissarum sibi cælestis regni fores reserantur. Hoc odore constantiæ Regum istorum Martyres vitæ prodigi, mille tormenta tolerarunt vt illam fidei publicam confessionem æmularentur, quos omnes in Gentilitatis præ Iudaismo futuros fructus præstantissimos: flores isti primi & promittebant, & ab alijs discernebant. Horum odorem cum tanto ante præsensisset vates ille Euangelicus in hæc prorupit gestienti animo cantica: *Lætabitur deserta & inuia, & exsultabit solitudo & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exsultabit lætabunda, & laudans: Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini & decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Scissæ sunt in deserto aquæ & torrentes in solitudine, & quæ erat arida erit in stagnum & sitiens in fontes aquarum, In cubilibus, vbi prius dracones habitabant, ostendetur viror calami, & iunci, & redemti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitiâ sempiternâ super caput eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt.* Hunc solitudinis virorem ac Gentilitatis fidem ipsi vt longè ante præmonstrarent, & vt in parentibus & radice filij fructusque significarentur, meruerunt teste S. Augustino, *Magi*, ait, *primitiæ Gentium ad Christum videndum adorandumque venerunt, & non tantum accipere propriam, sed etiam omnium Gentium salutem significare meruerunt. Celebremus ergò deuotissimè hunc diem & Dominum Iesum, quem primitiæ illæ nostræ adorauerunt iacentem in diuersorio, nos habitantem adoremus in cælo.*

Flores dicuntur ijdem. 2. Cant.

Fructus tulerunt in Regibus & Martyribus.

odoris horum sua vitas. Is. 35.

meruerunt eam præmòstrare. S. Augustinus ser. 24. de diuersis.

* * *

CAPVT XX.

Idem mysterium SS. Trinitatis & alia personis ac donis suis clarè adumbrarunt, ideoque primi fideles, fidei Christianæ Duces, Principes & Magistri nominantur.

VT Magi veri Magistri fidei Gentilium censeantur, è Patribus ostendam, eos primum eius & præcipuum mysterium SS. Trinitatis & alia non tantum credidisse, sed suis etiam personis & donis posteris adumbrasse; quod etiam de tribus pueris in fornace Babylonica testatur S. Ambrosius * *Vnum Deum Prophetæ dicunt, Apostoli audiunt, vnum Deum Magi crediderunt: & aurum, thus & myrrham supplices ad Christi cunabula obtulerunt: auro Regem fatentes; & Deum thure venerantes, thesaurus enim regni sacrificium Dei: myrrha est sepultura. Quid igitur sibi voluerunt mystica munera inter abiecta præsepia? nisi intelligeremus in Christo differentiam Divinitatis & carnis: vt homo cernitur, vt Deus adoratur: latet in pannis, sed fulget in stellis: cunæ nascentem indicant, stella dominantem. Caro est quæ inuoluitur, diuinitas, cui ab Angelis ministratur: ita nec diuinitas naturalis maiestatis amittitur & assumtæ carnis veritas comprobatur. Hæc est fides nostra: Sic se Deus cognosci voluit ab hominibus, sic tres pueri crediderunt, nec incendia circumiecta senserunt, cum infidos noxius ignis exureret, & fideles innoxia flamma voraret, quos aliorum incendia refrigerabant: quia meritò fidei perdiderat suam pœna naturam. Aderat enim in specie Angeli, qui muniebat; vt in numero Trinitatis vnius esset laudatio potestatis: benedicebatur Deus, videbatur in Angelo Dei filius, sancta & spiritualis in pueris gratia loquebatur.* Hactenus S. Ambrosius, qui clarius in tribus pueris ostendit monstrari mysterium Trinitatis, cum multi negarent id luculenter in veteri Testamento innotuisse, quæ eadem sanctis Magis accommodantur: illi enim adorabant Deum, videbant Dei filium: & in ipsis hæc Spiritus S. operabatur vt crederent, & Trinitatem agnitam debitis & mysticis muneribus venerarentur.

S. Ambr. l. de fide c. 1. cor. 1.

Diuinitas Christi adorata à Magis.

Tres pueri in fornace SS. Trinitatem crediderunt. *Dan. 3.*

S. Maximus de Epph. eundem in vno Christo Magi adorarunt.

Præclarè S. Maximus * *Et Bene vno itinere tres simul adoraturi veniunt Magi, quia in vno Christo IESV, qui omnium credentium via est, inseparata ab eis erat Trinitas adoranda: deferunt autem & munera, quæ non tam munera, quam mysteria probarentur: offerunt ei aurum. In auro fratres ostenditur captiuitatis nostræ pretiosa redemtio: in thure autem & dæmoniorum superstitio cessatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur. In myrrhâ verò resurrectio mortuorum & carnis nostræ reparatio præfiguratur.*

S. Augustinus S. 1. de Epiph.

S. Augustinus * *ipsi etiam Magi, qui ad illa veneranda pueri cunabula, stella indicio peruenerunt, quid aliud expresserunt in istis muneribus, nisi fidem nostram? in eo enim quid tria offeruntur, Trinitas intelligitur: in eo verò quid tres sunt & singuli singula offerunt, in Trinitate vnitas declaratur: Nos quoque personam Magorum spiritualibus imitemur obsequijs: ducatum nobis præbeat velut stella cœli lux fidei: sit quasi trium munerum Trinitatis perfecta confessio: credatur à nobis vna diuinitas sine confusionis separatione distincta, Pater & Filius & Spiritus S. vnus Deus; credentur tres personæ, sed non tres substantiæ.* Hic S. Doctor insinuat à singulis Regibus singula oblata dona contra communiorem sententiam: vis tamen argumenti non infringitur: & pro communi etiam opinione valet sequens S. Augustini locus *Ac sic Trinitatem oblationum numerus loquitur: vnitatem deuotio vna testatur*, siue igitur singuli singula, siue terna dona obtulerint, vna fuit in tribus fides, par deuotio, & similis voluntas. S Sedatus * *Ac sic Trinitatem oblationum numerus loquitur: vnitatem vna deuotio*, quæ videtur a S. Augustino mutuatus. S. Eucherius *sed quare tria munera Magi obtulerunt*: nisi vt Trinitatis mysterium reuelarent: primum enim munus *offerimus credendo in Patrem: secundum in Filium: tertium in Spiritum S. hæc nobis munera sufficiunt: qui hæc non offert à Christo non recipitur:*

Ser. 1. dominica infraoct. Epiph.

S. Sedatus. homil. de Epiph.

S. Eucherius cons. de Epiph.

recipitur: hæc igitur causa est, quare tria munera obtulerunt: si enim plus vel minus offerrent, fidem Catholicam non tenerent: quod igitur vnusquisque tria munera obtulit, Trinitatis fidem aptissimè demonstrauerunt. Et alibi. *Quid aliud in illis muneribus, nisi fidem nostram expressérunt? in eo enim quod tria offeruntur, Trinitas intelligitur, in eo verò quod tres vni & singuli singula offerunt, in Trinitate vnitas declaratur.* *Ho. 1. de Epiph.*

Hic locus ne superiori aduersetur explicari posset: licet singuli tria obtulerint, ab vno tamen plus auri, ab alio plus thuris, à tertio plus myrrhæ oblatum esse, vt in cuius muneris abundantia reliquos præcesserunt, id singuli dicantur obtulisse.

Iam verò fuisse ab ijsdem alia fidei Christianæ mysteria credita & expressa; vt mortis, sepulturæ, anastasis & iudicij Christi, quidam ex laudatis indicant, & clarius hi contestantur.

S. Hilarius, *oblatio munerum intelligentiam in eo totius qualitatis expressit; in auro Regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo: atque ita per vocationem eorum Sacramenti omnis consummata est cognitio: in homine mortis, in Deo resurrectionis, in rege iudicij.* *S. Hilarius. Commen. in Mat.* Alia mysteria cognouerunt.

S. Rupertus ait: *Magos quatuor Christi facies inuenisse Myrrha faciem vituli, id est, Sacramentum Passionis, qua ipse sacrificandus atque myrrhæ & aloës mixtura condiendum erat in sepultura corpus eius. Aurum faciem Leonis, id est, gloriam Resurrectionis, per quam caro, quam ex nobis mortalem susceperat, tantum meliorata est, quantum aurum puluere seu limo terræ pretiosius est; thure faciem aquilæ volantis, id est, sublimitatem Adscensionis, & consessionem ad dexteram Patris, ex quo dato hominibus Spiritus S. est cognitus, quod sit idem Filius Dei, cui Sacrificium incensi legitimum iure debeat offerri æque vt Patri & Spiritui Sancto.* *l. 7. in 2. Matt.* Passionis. Resurrectionis. Adscensionis.

Rectè ergo Garcia noster pueritiam Christianam ad fidei primos & præstantissimos Magistros mittit: à quibus quam optimè legibus fidei & morum imbuantur: *Postquam* ait, *vera Mater fides apparuit, omnis eloquentiæ splendor est obscuratus, dum tu ô alma fides quasi signum magnum appares in cælo. En tibi ô puer veram matrem vnicam sponsi columbam, Ecclesiam Catholicam, te ad optimam Magistram mitto, & ad primos illos tam credendi, quam rectè viuendi præceptores, Magos videlicet, qui alma fide præduce, & stella fulgentissima ducti fidem diuinam & fidei auctorem nobis manifestarunt.* Vocat deinde eos *primos fideles, qui fidem humilitate & simplicitate manifestarunt.* *Garcia. in con. Euangel. instit. 8.* ideo Magi sunt primi credendi & rectè viuendi Præceptores. primi fideles.

Hos igitur primos fideles & fidei primos præceptores decuit omnia fidei mysteria apprehensu difficiliora mente comprehensa tenere, quæ symbolicis aptè monstrarent donis, & quibus alios erudirent. *S. Chrysologus. Ser. 159.*

Vt rectè S. Chrysologus fidei nostræ Duces & credulitatis nostræ Principes nominarit: vnum nos obtestans, vt quos fidei duces & vitæ viæque semper habeamus: ait enim. *Et nos sicut Magi, qui sunt fidei nostræ duces credulitatisque principes, commoniti in somnis*, id est *in hac vita, quæ somno est similis, illuso Rege, id est diabolo huius mundi Principe, per aliam viam, id est per alteram vitam ad illam nostram patriam reuertamur, de qua per Adam electi sumus infeliciter, per Christum verò misericorditer nunc reducti.* Nunc quomodo Reges isti totius Ecclesiæ Christianæ statum, persecutiones Tyrannorum futuras, vigentem & florentem eius orbe toto propagationem velut in typo expressérint, videamus. Fidei duces & credulitatis Principes.

CAPVT XXI.

Typus & figura exstiterunt status florentissimi Ecclesiæ in persecutionibus, quem Prophetico spiritu cognouerunt.

IAm supra probaui Patriarchas veteres & Prophetas ea, quæ fatidico spiritu de Christo prænunciarunt, vel factis suis, vt typo quidam expressêre, afflatu Spiritus Sancti cognouisse, quale siue in Christo, siue in Ecclesia futurum mysterium præmonstrarent, vt id mente comprehensum, expressioribus characteribus & lineamentis præfigurarent: vnde cum iam è sanctis Patribus confirmaturus Patriarchæ & Prophetæ cognouerunt mysteria, quæ figurarunt.

maturus ſim, hos ſanctos Reges ideam totius Eccleſiæ futuri ſtatus ſuis geſtis adumbraſſe, eundem videntur, ſpiritu præditi prophetico compertum, & exploratum habuiſſe, vt cum Eccleſiæ quaſi progenitores eſſent, eam viuis coloribus repræſentarent, & formam ſpeciemque filijs relinquerent quam conſectarentur.

& Magi fidei translationem ad Gentes, à ſe præſignatam.

Principio quidem obcæcationem Iudæorum, & fidei ſacerdotijque ad Gentiles toto diſſipatos orbe tranſlationem figurarunt.

S. Leo *hoc ſignum quod Magos in longinquo poſitos efficaciter mouit, & ad Dominum IESVM perſeueranter attraxit, illius ſinè dubio gratia Sacramentum, & illius fuit vocationis exordium, qua non in Iudæa tantum, ſed etiam in toto mundo Chriſti erat Euangelium prædicandum: vt per illam ſtellam, quæ Magorum viſui ſplenduit, Iſraëlitarum verò oculis non refulſit, & illuminatio ſignata ſit Gentium, & cæcitas declarata Iudæorum. Iudæi verò qui extra regnum Chriſti eſſe voluerunt, adhuc ſub Herodis ſunt poteſtate, & dominante ſibi Saluatoris inimico, alienigenæ ſeruiunt poteſtati, quaſi neſciant prophetatum dicente Iacob: non deficiet Princeps de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat, cui repoſita ſunt, & ipſe eſt exſpectatio Gentium. Perdiderunt igitur ſucceſſionem Regum, placationem hoſtiarum, locum ſupplicationum, ordinem ſacerdotum: & cum omnia ſibi clauſa, omnia experiantur ſibi finita, non vident ea in Chriſtum eſſe translata &* ſermone tertio. *Huius ineffabilis miſericordiæ* (vocationis Gentium) *manifeſtatio facta eſt Herode apud Iudæos ius regium tenente: vbi legitima Regum ſucceſſione ceſſante, & Pontificum poteſtate deſtructa, alienigena obtineret principatum: vt veri Regis ortus illius Prophetiæ probaretur voce, quæ dixerat, non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repoſitum eſt, & ipſe erit exſpectatio Gentium. De quibus quondam beatiſſimo Patriarchæ Abrahæ innumerabilis fuerat promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine: ſed fidei fecunditate generanda, & idcò ſtellarum multitudini comparata, vt ab omni Gentium Patre non terrena, ſed cæleſtis progenies ſperaretur.* Sed de hac vocatione alibi plura.

eiſque per Apoſtolos conuertendas.

Deinde ijdem Reges ſtellâ vocati, lucemque præuiam ſecuti ad Chriſtum vſque præmonſtrarunt orituros alios, nouos cœlos vocales, Apoſtolos dico, qui totum per orbem diuidendi, Gentes omnes eſſent Chriſto aggregaturi.

In pſal. 18. S. Auguſtinus id paucis, ſed efficaciter ſuadet: *Illi erant Primitiæ Gentium; nobis hoc lingua nunciauit Apoſtolorum: ſtella illis tanquam lingua cælorum: & nobis idem Apoſtoli tanquam alij cæli enarrauerunt gloriam Dei: cur enim non agnoſcamus eos cælos, qui facti ſunt ſedes Dei: per hoc enim cælos ille fabricator & habitator cælorum intonuit, quo tonitruo mundus tremuit, & ecce iam credit.*

in Matth. Plures SS. Patrum hoc argumentum perſequuntur alias recitandi: nemo tamen vberius Ruperto *Gloriam Dei, gloriam & honorem filij hominis enarraturi erant quidam cæli iuxta illud Propheticum: Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum. Eius gloriæ & honoris principium illud eſt, quia in ſole poſuit tabernaculum ſuum, & hoc ferè omnibus notum, quod cæli illi, qui gloriam hanc enarraturi erant, Apoſtoli fuerunt, cæli vocales, cæli eloquentes, quia non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum, in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Quorſum illud? videlicet ad concilij diuini pulcherrimæque diſpoſitionis laudem atque admirationem: quia futuram poſtmodum talium cælorum enarrationem, taliſque firmamenti annunciationem & auditum, ſiue obauditionem Gentium, quæ creditura erant per voces eorundem cælorum, continuò præſignauit, vbi natus eſt Chriſtus in his, quæ confeſtim narrat diuinus Euangeliſta: cum ergo natus eſſet Ieſus, vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Nonne iam tunc cæli gloriam enarrauerunt? vtique enarrauerunt, & alios cælos, de quibus iam dictum eſt, enarraturos eſſe ſignificauerunt: & ſicut tunc Magi, id eſt ſapientes, vtique Gentiles claritatem ſiue illuſtrationem iſtius cæli inanimati, ſcilicet ſtellam cognoſcentes atque ſequentes venerunt, dicentes. Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? ſic futurum erat, vt Gentes illuminationem cælorum rationalium, id eſt, Apoſtolorum, videlicet donum Spiritus S. quod acceperant intelligentes, venirent. & pœnitentiam ſibi ad vitam donari poſtularent.*

hi dicuntur cæli.

Vocales.

Matt. 2.

S. Leo Ser 2. Et S. Leo: *Tunc cæli enarrauerunt gloriam Dei, & in omnem terram exiuit ſonus eorum.*

eorum. Quando & Pastoribus exercitus Angelorum Saluatoris editi annunciator apparuit, & Magos ad eum adorandum præuia stella perducit, vt à solis ortu vsque ad occasum veri Regis generatio coruscaret, cum rerum fidem & regna Orientis per Magos discerent, & Romanum imperium non lateret.

Sed quia multis oraculis Prophetarum sæpius erat decantatum, fore, vt Reges orbis omnes, non tantum verum Deum abiectis idolis essent veneraturi, sed tutores Patroni & nutritij futuri: hæc ijdem Magi suis moribus figurarunt S. Hieronymo teste in illud psalmi *Reges Tharsis Omne*, ait, *hic mundiale imperium, honores & ordines ad Christum Dominum accedere, eique colla submittere bonorumque suorum dona deferre Propheta prænunciat: quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum: ipsi enim Gentium Regumque typum tenuisse monstrantur.* præsignificant Regũ conuerhonem. *S. Hieron. comment. in psal. 71.*

Vt enim Magi thesauris apertis in alendo Christo, & virgine Matre aurum effuderunt, vt fundamentum domus Dei positum conseruaretur, caput corporis mystici nutriretur & augeretur, eiusque omnium diuinissima membra Maria & Ioseph alerentur. Sic Reges & Imperatores ac Reginæ, Constantinus, Carolus, Henricus, & æuo nostro Ferdinandus secundus cum Helena, Mathilde, Cunegunda in templis excitandis, Episcopatibus erigendis, Religiosis familijs sustinendis, aurum & thesauros impenderunt. Quod Rupertus in auro vult esse præmonstratum. *Aurum*, ait, *eiusmodi tota quidem illi offert Ecclesia, credens & confitens, quia resurrexit & immortalis regnat, qui mortalis & mortuus fuerat: maximè autem Regum & Principum potentia, diuitumque fidelium opulentia, qui ad construendas nomini eius Ecclesias, aurum & argentum ei fideliter obtulerunt, domumque eius, qui cum diues esset, propter nos pauper factus est, largis donarijs ditauerunt: iuxta illud propheticum, quod tam secundum literam quam spiritum verissimum est, & viuet & dabitur ei de auro Arabiæ. psal. 71.* naſcentem Christi Ecclesiam alunt. vt Cõstantinus & Carolus Mag. corroboratã. *Rupertus in 2. Matth.* 1. *Cor.* 8.

Iam verò persecutiones tam à Iudæis, quam à Gentilibus mouendas Ecclesiæ sic explicant sancti Patres, Rupertus reliquis vberius, ideò eum præmitto: * *sicut tunc Herodes propter Magos seu Magorum inquisitionem turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo, & quæsiuit puerum ad perdendum eum: sic futurum erat, vt Gentibus Euangelium IESV Christi suscipientibus eadem ciuitas Ierusalem totumque regnum Iudaicum seditionibus turbatum conaretur funditus exterminare praedicationem Apostolorum, & ipsum quodammodo occidere Christum, occidendo crucifigendo, flagellando & de ciuitate in ciuitatem persequendo plerosque ex prophetis & sapientibus & scribis, quos ille misit. Nihilominus sicut tunc dictum est Ioseph: surge & accipe puerum & matrem eius & fuge in AEgyptum; sic futurum erat, vt loquens in Apostolis suis Christus diceret: vobis quidem oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repulistis illud, & indignos vos iudicastis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes.* persecutiones futuras prænuntiant. *Matt.* 23. *act.* 13. 46.

Breuiter S. Augustinus * *Sicut nostis in stellæ fulgore DEI gratia, & in tribus viris vocatio Gentium, & in rege impio crudelitas Paganorum, & in occisione infantium cunctorum Martyrum forma præcessit.* Zacharias Chrysopolitanus *Mysticè stellæ ortus primum à Magis intellectus indicat Gentes in Christum credituras, stella enim Propheticum sermonem, Christi ortum confitentem significat; Herodes verò Diabolum, qui cognita Christi natiuitate persequitur eum in membris suis, à quo Magi pergunt, dum ab Idololatria Gentes recedunt, & ad domum, in qua Christus est, Catholicam Ecclesiam perueniunt: in quam per fidem intrantes inueniunt Christum cum Maria matre eius; Christi mater intelligitur fidelium Societas, in qua Christus per fidem habitat.* *S. August. Ser. 5.* *Zacharias Chrysopolit. in 2. Matt.*

S. Hilarius subscribit. * *Parante autem*, ait, *Herode necem paruuli, Ioseph per Angelum monetur, vt eum in AEgyptum transferat, AEgyptum idolis plenam, & omnigenum Deorum monstra venerantem: Iam post Iudæorum insectationem, & in extinguendo eo profanæ plebis assensum, Christus ad Gentes inanissimis religionibus deditas transit, & Iudaicam relinquens ignorantiam seculo colendus infertur, Bethlehem id est Iuda Martyrum sanguine redundante. Herodis verò furor & infantium interfectio, populi Iudaici in Christianos sæuientis est forma: existimantis se in beatorum Martyrum corde posse fidem & Christi nomen extinguere.* *S. Hilarius. in 2. Matt.*

CAPVT.

CAPVT. XXVII.

Ijdem Hæreſes præcipuas circa perſonam Chriſti, poſtea natas confutarunt.

SAnctos Reges Euangeliſtas fuiſſe ſupra docui, ſimul & Theologos, quorum Euangelium tam ore traditum, quam ſymbolis expreſſum Diuinitatem inprimis adſtruit Chriſti Saluatoris: vt ex horum doctrina non ſecus ac Euangelijs vel Apoſtolorum epiſtolis ſancti Patres multis ſeculis (præſertim quarto & quinto) hæreſes ortas confutarint: præſertim eorum, qui circa perſonam Chriſti turpiter aberrarunt.

S. Chryſoſtomus hom. 7. in 2. Matt.

S. Chryſoſtomus, qui A. 400. floruit, ita veteres hæreticos alloquitur: *Erubeſcat Marcion, erubeſcat & Samoſatenus ille Paulus, qui nolunt videre, quod Magi viderunt, Eccleſiæ progenitores. Nequaquam ſic erubuerim nuncupare eos: confundatur, inquam, videns Dominum Marcion in aſſumtione carnis adorari; confundatur & Paulus, videns non ſicut hominem adorari. Nam quod in carne verâ ſit, oſtendunt panni atq; præſepe, quia verò non nudum, id eſt non ſolum adorent hominem, declarant, dum ætate immaturâ his muneribus honorant, quæ offerri Deo par erat.* Paulus ille Samoſatenus circa finem ſeculi tertij Chriſti negauit diuinitatem.

tres Reges confutant Paulum Samoſatenum & Marcionē.

Poſtea Neſtorius duas in Chriſto perſonas effinxit, damnatus in ſynodo Epheſina circa a. 431. in qua recitata eſt, & probata oratio S. Theodati Ancyrani Epiſcopi, qui contra Hæreſiarcham eidem perſonæ contendit tria oblata munera. *Hæc Magi*, ait,* *confeſsi ſunt, ſtellæ credentes, & non ſcrutantes naturam, Barbari ſuſcipiunt fidem miraculis, & fidelis tu cur incredulus es, & in rationem humanam concidis? Qui ex Chaldæa venerunt, ſicut Euangeliſta dicebat, hodie ipſi ſuis muneribus myſterium monſtrauerunt: ſi quis barbarorum iſtorum propoſitum rectè conſideret: triplicem namq; munerum ſpeciem adferunt, aurum, thus & myrrham. Aurum quidem, quia is Rex eſt, qui honoratur: thus, quia Deus erat, qui natus eſt, id enim ſecundum conſuetudinem offerebant eis, quos ipſi putabant Deos: obtulerunt quoq; & myrrham, paſsionem, vt arbitror mortis per hanc annunciantes.* Sequitur inuectiua in Neſtorium.* *Vides quomodo etiam Magi cognouerunt, quia & Deus manſit, & homo factus eſt, ſuſcipiens mortem? Factus eſt enim quod ego, vt noſtram eleuaret naturam ad dignitatem ſuam. Vnitas enim hoc facit vtriq;, qua alterius ſunt coniungens. Propterea ergò cum Deus eſſet, homo factus eſt, vt homo fieret Deus hac copulatione ad diuinam gloriam eleuatus: vt vnus idemq; ſit & diuinè glorificatus, & quæ ſunt humana perpeſſus. Et hoc nobiſcum confeſsi ſunt, confitentes vnitatem diuinitatis & humanitatis. Quod enim vnitum eſt, nequaquam duo; ſed vnum nominatur. Mente autem rurſus ſi diuidis, & vnum quodque ſeorſim contempleris, nimium ſoluis vnitatem: impoſsibile eſt enim ſimul & cuſtodire vnitatem, & vtrumque ſeorſim conſiderare. Sed quod vnitum eſt inſolubiliter vnum factum eſt, & nequaquam fiunt duo,* & infra: *Nam & Magi ei, qui videbatur thus obtulerunt tanquam Deo, non ſeparantes naturam à natura, neque cogitatione diuidentes, quod ſemel vnitum eſt; ſed ſemel miraculo eum, qui apparebat, noſcentes Deum, thus obtulerunt, eo munere diuinam dignitatem indicantes.* Subdit: *tanquam Regem quærebant Magi Regis natiuitatem interrogantes: Iudæiſque dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Regem quæris ô Mage? & cur tanquam Deo thus offers, & muneribus ſimul Deum ſimul Regem deſignans?* hæc Theodatus in concilio Epheſino contra Neſtorium. Sed dum huic imprudenter aduerſatur Eutyches, nouæ fit hæreſeos fabricator, qui circa 447. vnam conflauit ex diuina & humana naturam, vt vnam in Chriſto perſonam tueretur. Quare A. 451. quarta generalis Synodus Chalcedonenſis erroris eum manifeſti condemnauit, vt meritò hunc & ſuperiores omnes Hæreticos extremo ſeculo eodem è Sanctorum Magorum doctrinâ & muneribus ita S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, qui circa A. 494. floruit, inſectetur. *Per iſta tria munerum genera in vno eodemque Chriſto, & diuina maieſtas, & regia poteſtas & humana mortalitas intimatur: thus ad Sacrificium, aurum ad tributum, myrrha*

Eutychetem.

S. Fulgentius.

rha ad ſepulturam pertinet mortuorum: omnia hæc ſancta fides Chriſto veraciter
offerre non deſinit, dum vnum eundemque Deum, verum Regem, verumque Arium.
hominem credit, vt verè pro nobis mortuum veraciter recognoſcat. In oblatione Manichæũ
thuris confunditur Arianus, qui ſoli Patri ſacrificium offerre contendit; in
oblatione myrrhæ confunditur Manichæus, qui Chriſtum verè mortuum pro no-
ſtra ſalute non credit; in auro verò ſimul vterque confunditur: quia vt Ma-
nichæus de ſemine Dauid ſecundum carnem natum, non credit Regem, & Aria-
nus Deo vnigenito naturalem adſignare nititur ſeruitutem, proinde vterque non
experietur Regem, à quo per fidem regatur, ſed à quo pro infidelitatis crimine
puniatur; quia ab vno diuinitatis, ab altero carnis veritas denegatur. In ijſdem & alios
etiam muneribus confunditur Neſtorius, qui nititur Chriſtum in duas Perſonas Hæreticos
diuidere, cum videat Magos non alia Deo & alia homini, ſed vni DEO homi-
ni eadem munera obtuliſſe ſuppliciter: non ergò diuidatur in Perſonis, qui non
diuiditur in donis: propterea quippe vnus idemque iſtis muneribus honoratur:
vt vnus idemque Deus & homo cognoſcatur. Iſta Magorum oblatio confundit
etiam Eutychetis inſaniam, qui non vult in Chriſto vtramque veram prædicare
naturam: veritatem quippe iſtorum munerum tollit, dum in Chriſto vnam na-
turam prædicare contendit. Nos igitur Fratres dilectiſſimi offeramus Chriſto
indubitanter in fide, quod Magi obtuliſſe cognoſcuntur in munere; vt veræ
diuinitatis humanitatiſque confeſſio, ipſa ſit apud Chriſtum noſtra fidelis obla-
tio: hæc munera cum Magis vnanimiter offeramus, & ad regionem ſanctorum
tota cordis deuotione tendamus: Centum annis poſt Fulgentium ſedem Apo-
ſtolicam radijs doctrinæ & ſanctitatis decorauit verè Magnus Gregorius, qui *S. Greg.*
paſſu pari munerum ſymbolis breuiter & neruosè ſic conuincit Hæreticos. *hom. in*
Magi aurum thus & myrrham deferunt: aurum quippe Regi congruit, thus *Euang.*
verò in Dei ſacrificium ponitur; myrrha autem mortuorum corpora condiun-
tur. Eum ergò Magi, quem adorant, etiam myſticis muneribus prædicant, au-
ro Regem, thure Deum, myrrha mortalem. Sunt verò nonnulli Hæretici, qui
hunc Deum credunt, ſed vbique regnare nequaquam credunt, hi profectò ei thus
offerunt, ſed offerre etiam aurum nolunt: & ſunt nonnulli, qui hunc & Deum
& Regem fatentur, ſed aſſumſiſſe carnem mortalem negant. Hi nimirum ei au-
rum & thus offerunt, ſed offerre myrrham aſſumtæ mortalitatis nolunt. Nos
itaque nato Domino offeramus aurum, & hunc vbique regnare fateamur; offeramus
thus, vt credamus, quod is, qui in tempore apparuit Deus, ante tempora exſtitit:
offeramus myrrham, vt eum, quem credimus in ſua diuinitate impaſſibilem, credamus
etiam in noſtra fuiſſe carne mortalem.

Hactenus cunctos ferè errores, qui Chriſti Perſonam attigerunt, Magorum ſymbolicis muneribus Patres redarguerunt. Sed quia Priſcilianus & alij circa refellant ijdem. Priſcilianiſtas. ann. Domini 400. fato voluntatem humanam ſubiecerunt, & aſtrorum domi-natui, ijdem his Magorum vocibus: *vidimus ſtellam eius*: eoſdem concordiſſimè oppreſſerunt.

S. Chryſoſtomus * *Ea primum*, ait, *proferamus in medium, quæ de hoc loco* *S. Chryſoſt.*
diſputant veritatis inimici: Nam tanta vi eos diabolus afflauit, vt etiam hinc & fatum.
conentur ſe munire, armareque contra veritatis ſermonem. Quidnam ergò pro-
ponunt? Ecce, inquiunt, etiam Ieſu nato ſidus apparuit, quod certè argu-
mentum eſt, Aſtrologiam firmam & ſolidam eſſe: Porro id apertè falſum con-
uincitur: Si enim ſecundum legem eſt natus aſtrorum, quomodo Aſtrologiam ſol-
uit, fatumque deſtruxit, ac Dæmonum os obturauit, erroremque profligauit, &
quidquid præſtigiarum huiuſmodi eſt, ſuſtulit? Quod non vulgaris hæc ſtella
fuerit, imò, vt ego arbitror, nec ſtella omnino, ſed quædam inuiſibilis virtus in ſpeciem
ſideris transfigurata, ex ipſius motu liquet. Non eſt enim ſtella, non eſt, quæ iſtum cur-
ſum peragat: ſed ſiue dixeris Solem; ſiue Lunam, aſtraque cætera ab Oriente ferri om-
nia in Occidentem videmus. Hac verò à Septentrione in Meridiem ſtella ferebā-
tur, ſic enim ſecundum locorum ſitum Palæſtina ſpectabat ad Perſidem. Secun-
dò etiam iſtud ex tempore videre eſt; neque enim in nocte cernitur, ſed ipſo medio
die

die ac sole fulgente. Vide ibidem plura in hanc sententiam, quæ commodiùs alibi proferentur.

Neruosiùs, torosius, & concisiùs eosdem sic insectatur S. Chrysostomus eo-

S. Chrysost. serm. 158. dem seculo, * *Vidimus stellam eius. Et quid non eius? stella eius est: non ille stellæ: stellam eius, quæ accepit esse, sed non dedit; stellam, cuius ortum tenebat autor, non quæ ortum tenebat autoris; stellam eius, venientem non à genesi, sed à genitore; mandato, non fato; non à computatore, sed ab autore; non quæ daret ortum, sed quæ sustineret occasum: stellam non legiferam, sed significram; ferentem non dierum ordinem, sed noctium lumen: Stella hæc ministra viæ, non vitæ, comes Magorum, non cognata Christi, non Dominantis domina, sed ancillula seruorum.*

stella ministra fuit Magorum non domina.

Hom. 10 in Euangel. Eosdem Hæreticos S. Gregorius ex sequentibus conuincit verbis: *Sed & inter hæc sciendum est*, inquit, *quod Prisilianistæ Hæretici nasci vnumquemque hominem sub constitutionibus stellarum putant, & hoc in adiutorium sui erroris assumunt, quòd noua stella exijt, cum Dominus in carne apparuit, cuius fuisse fatum eandem, quæ apparuit, stellam putant: sed si Euangelij verba pensamus, quibus de eâdem stellâ dicitur, vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer, dum non puer ad stellam, sed stella ad puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is, qui apparuit, puer fuit.* Passim contra eosdem S. Augustinus detonat. Sed de hoc errore fati alias: hic ea necesse fuit insinuare, vt appareat Magorum historiæ excellentia, è quâ tot Hæreticorum sequentium errores à sanctis Patribus infirmantur, adeoque rectè in censum Theologorum primorum ij veniant, qui fidei Christianæ Magistri, sic eam verbis promulgarunt, & symbolis expressérunt, vt ad hunc lydium lapidem Patres Hæreticorum errores examinarint. Sed quia non fidei tantum, sed etiam rectè viuendi ritu Christiano, morumque Magistri exstiterunt: age videamus compendio, quomodo fidelium Christi futuram sanctitatem, suis virtutum lineamentis expresserint.

CAPVT XXIII.

Sancti Reges idea sunt summæ sanctitatis Christianorum.

S. Chrysost. Hom. 7. in Matt. RECTE S. Chrysostomus ait de Magorum historiâ: *Quæ tunc facta sunt, futurorum expressere figuram: figura erat id, quod tunc accidit, & ceu quoddam præsagium*: Quod ego non tantùm in Gentium fide & idolorum euersione, sed & moribus ac sanctitate verum existimo, quasi horum vitæ integritas exemplar absolutum fuerit virtutum illarum, quas postea Reges, sacerdotes, & Martyres Christiani feliciter imitati, incredibiliter vmbratilem quasi Iudæorum, & legis veteris sanctitudinem superarunt. Vt nobis insonet Deus ea, quæ Iudæis, dum Abrahami virtutes

Isa. 51. v. 1. imitandas proponeret: *Audite me, qui sequimini, quod iustum est, & quæritis Dominum. Attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum, & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum.* Genuit nos Ecclesia mater, eiusque primogeniti Gentilium sancti Reges, quos solos Gentilium euocauit ad ortum Filij sui Deus: horum imitatores fideles mirificè toto terrarum orbe multiplicauit, fecit iam Deus in deserto Gentium delicias; iam solitudo floret ad instar paradisi lilijs virginum, rosis Martyrum, redundat fructibus & manipulis sacerdotum. Attendere nos iubet Deus ad progenitores; eorum vitæ normam imitari, ad quam dicta factaque nostra exigantur.

Abraham Iudæis proponitur imitandus.

nobis progenitores nostri sancti Reges.

S. Thomas 3. p. q. 36. a. 6. Doctor Angelicus fidem eorum, pietatem & constantiam statuit exemplar, cui se posteri è Gentilibus orti Christi fideles & Martyres conformarunt. *Magi,* inquit,

inquit, sunt primitiæ Gentium, in Christum credentium; in quibus apparuit, sicut in quodam præsagio fides & deuotio Gentium venientium à remotis ad Christum. Et ad 2. *per illam annunciationem Magorum præfigurabatur constantia Gentium Christum vsque ad mortem confitentium: vnde Chrysostomus dicit, quod dum considerarent Regem futurum, non timebant Regem præsentem; adhuc non viderant Christum, & iam parati erant pro eo mori.* Rupertus in muneribus vult etiam expressisse virtutes, quas status præcipui Ecclesiæ solent exercere: *Eiusmodi, ait, Myrrham tota quidem offert sancta Ecclesia, dum credens & confitens, quod verè passus, mortuus, & sepultus fuerit, vitiorum in se mala propter eum mortificat, maximè autem exercitus Martyrum, qui gustu mortis amaro eius passioni communicauerunt. Item thus eiusmodi tota quidem illi offert Ecclesia credens & confitens, quia verè Deus est, & omnis in eo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat, maximè autem sanctorum ordo sacerdotum, qui cælibem ducentes vitam, semper altari præsto sunt, offerre illi incensum dignum, & omne sanctum iugiter exsequi sacri altaris eius ministerium: itidem aurum eiusmodi tota quidem illi offert Ecclesia, credens & confitens, quia surrexit, & immortaliter regnat, qui mortalis & mortuus fuerat: maximè autem Regum & Principum potentia, diuitumque fidelium opulentia, qui ad constituendas nominis eius Ecclesias, aurum & argentum illi fideliter obtulerunt.*

Præsignãt Gentium fidem, pietatem, constantiam.

Rupertus. L. 2. in 2. Matt.

Figura sunt Martyrum

sacerdotũ.

& Regum Christianorum.

Denique Innocentius tertius allegoricè, *per Magos*, ait, *significantur tres ordines fidelium in Ecclesiâ, Noë. Dauid, & Iob: quod est Prælati, continentes, & coniugati fidem Trinitatis habentes, quos Ezechiel vidit in visione saluandos.* Horum scilicet virtutes eos vult moribus expressisse, vt omnes haberent posteri saluandi quouis in statu, & vitæ conditione rectè viuendi præceptores, qui factis potius, quam verbis fideles dociles ad omnem vitæ sanctimoniam erudirent.

Nunc particulatim quasdam virtutes attingamus, ad quarum vsum & exercitationem nos sancti Patres horum SS. Regum exemplo prouocant:

Certum est fidem in his Triumuiris tenere principatum, qua Patrem credentium si non superarunt, quod multi dicunt, certè æquarunt. Tonat & fulminat contra tepidos Christi fideles S. Laurentius Iustinianus: ac horum exemplo, vocat ad credendum, & fidem operibus externis exhibendam. *Prostrati igitur solo humillimè Deum adorauere in homine, sapientiam in carne, atque in imbecillitate infantis Dominum Maiestatis: suam deinde credulitatem muneribus protestantur, Regi namque, &c. Vide quæso, quanta fides? vnde tam clara beatis istis diuinitatis affulsit cognitio? minimè ibidem regius apparatus, non ornatus thorus, non famulantium turba, sed puerulus vagiens, panniculis inuolutus, fœnum aridum, arctum præsepe, fœtens stabulum, & iumenta irrationabilia adstantia conspexère: porro intus operabatur gratia, loquebatur verbum, se manifestabat diuinitas: propterea cognouerunt, prociderunt, adorauerunt. Clamat prorsus contra vos istorum fides Gentilium, absentem quæsierunt, & nos præsentem contemnimus? hominem regnaturum super Israël agnoscere & adorare voluerunt: nos autem præsidentem in cælo & in terrá nec adspicere, neque illi famulari dignamur: respicite ô mortales: redite ô præuaricatores ad cor, currite affectu non corpore: votis non pedibus: vt Regem vestrum in præsepio inuenietis Christum.*

Laur. Iustin. ser. de Epipha.

Fides incredibilis Regum.

Fidei cognata, imo mater & altrix est humilitas: cui hanc S. Augustinus laudem tribuit, quod meruerit, vt Gentilitatis oleaster oliuæ insereretur ac regnum Dei à Iudæis ad nationes omnes transferretur. Hanc idem Doctor ita in SS. Regibus prædicat. *Veruntamen,* ait, *illi (Pastores) Deum ex eo, quod Christum viderant, laudauerunt: isti autem visum Christum etiam adorauerunt: in illis gratia prior: istis humilitas amplior. Fortasse ergo isti Pastores minus rei de salute alacrius exsultabant; isti autem Magi multis onerati peccatis summissius indulgentiam requirebant. Hæc est illa humilitas, quam plus in illis, qui ex Gentibus erant, quàm in Iudæis diuina scriptura commendat. Ex Gentibus erat ille centurio, qui cum Dominum in toto pectore suscepisset,*

Humilitas summa.

S. Augustin. ser. 6. de Epipha.

Gentiles conuersi humiliores Iudæis. vt Centurio

set, tamen dixit indignum, vt in domum eius intraret: nec ab illo ægrum suum voluit videri: sic interius præsentem corde retinebat, cuius à suo tecto præsentiam honorificè reuocabat. Denique Dominus: non inueni, ait, tantam fidem in Israël. Illa etiam Chananæa ex Gentibus erat, quæ cum se à Domino audisset canem, & cui panis mitteretur filiorum, indignam, micas tantum panis exegit, & ideo non esse meruit; quia quod fuerat non negauit, nam & ipsa audiuit à Domino, ô mulier, magna est fides tua! Humilitas in eâ fecerat fidem magnam, quia se ipsam fecerat paruam. Hæc est humilitas, qua inseri meruit oleaster in oliuam, & oliuam dare contra naturam meruit mutare per gratiam: nam cum hoc oleastro totus mundus siluesceret.

Chananæa

Magi ita meruerunt conuersionem Gentilium.

Vide quantum Magorum humilitati tribuat profundissimus Doctor, dum eam vnam ponit causam, ne mundus in Gentilitate siluesceret, sed illa nationum omnium solitudo nunc Paradisi instar amœnitate perenni vigeret & floreret.

Spes eximia eorũ. *S. Chrysost. hom. 7.*

Spem verò Christi per tot pericula laboresque, quæsiti inueniendi, nullis occurrentibus difficultatibus retardantibus, ita considerat S. Chrysostomus, & insectatur desides, qui nullum salutis ergò laborem suscipiunt. *Qui enim*, ait, *vestrum, qui innumeris estis Christi beneficijs obligati tam longinquè propter eum arripiunt expeditionis laborem, quem illi barbari, imò sapientiores profecto sapientibus? imò quid ego de spatio loquor itineris longioris, cum plurimæ feminarum tanta iam animi mollitie inuoluantur, vt nisi aduectæ mulis; quamlibet exiguo spatio, à domibus suis venire nequeant ad videndum Dominum in præsepio spirituali: & barbari quidem priusquam Dominum viderent, tam longam propter ipsum exsuperarunt viam: tu vero nec posteaquam videris illos, probaris imitari?*

Deuotio singularis. *S. Bernard. ser. 1. de Epipha.*

Iam verò adorationis Christi studium ita SS. Magorum exemplo S. Bernardus prouocat: * *Illud, inquit, mirabile magis, quod agnitus est à Magis: Nam quod Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio; nec solum Deum, sed & Regem agnoscunt, quod designatur in auro, & in his non latet eos magnum pietatis sacramentum: vnde & myrrha indicat moriturum. Adorant Magi, & offerunt munera adhuc sugenti matris vbera: sed vbi est, ô Magi, Regis purpura? nunquid viles panni isti, quibus est inuolutus? si Rex est, diadema eius vbi est? sed vos eum verè videtis in diademate, quo coronauit eum mater sua: in sacco mortalitatis. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Vobis dicimus filiæ Sion animæ seculares, debiles, delicatæ filiæ non filij, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi. Egredimini filiæ Sion: egredimini de sensu carnis ad intellectum mentis: de seruitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra vestra & de cognatione vestra, & de domo Patris vestri, & videte Regem Salomonem: alioquin non erit tutum vobis videre eum Ecclesiasten: idem enim qui Salomon, id est pacificus est in exilio, Ecclesiastes, id est concionator erit in iudicio. Suscipite coronam paruuli propter vos, Regis vestri, & vna cum Magis humilitatem eius adorate: quoniam fidei deuotio vobis hodie proponitur in exemplo:*

Munificentia.

S. Chrysostomus pauperum vbique Patronus spatiosum nactus campum in liberalitate Sanctorum Regum; excurrit prolixè in auarorum & tenacium exstimulandis animis ad misericordiam. *S. Chrisost. Hom. 7. in Matt.* *Igitur adoraturi cuncta proijciamus è manibus: si habuerimus aurum offeramus ipsi, non terræ defodiamus: si enim illi tunc barbari in honorem tantummodo Domini obtulerunt libenter aurum, qualis tu eris, si ei non tribuas indigenti? illi tam longo itinere cucurrerunt, vt natum viderent, tu autem qua tandem satisfactione poteris absolui, qui ne breue quidem plateæ spatium transis, vt visites ægritudine afflictum, & vinctum catenis? Et certè solemus ægrotantium vinctorum, etiamsi inimici sint misereri: tu verò nec erga Dominum quidem tuum, & eum, qui tantorum tibi est auctor bonorum hoc permoueris affectu: & illos quidem aurum legimus obtulisse: tu verò panem ipsum vix tribuis: illi viderunt stellam atque lætati sunt: tu autem ipsum adspiciens Christum peregrinum nudumque non flecteris?*

Contra immisericordes.

Permulti Patres in reditu eorum deſcribendo vitæ perſuadent mutationem: vt declinato Herode, & ſemita latiore vitiorum, virtutis ingreſſi ſtrictiorem tramitem ad patriam cœleſtem contendamus: Quam rem diſertè ſic ſuadet Cyprianus: *Adorato Domino Magi hilares alio tramite in ſuam patriam reuertuntur: quia neceſſe eſt, vt qui credunt ad iuſtitiam, ore etiam confeſſi ſint ad ſalutem, deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent: quoniam per vias latas deſcenſuſque præcipites itur ad inferos; per arctas vero & difficiles reditur ad ſuperos. Propter verba labiorum Dei religioſus quiſque vias duras ingreditur. Arcta via eſt Caſtitas, trames ſtrictus humilitas: ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere ſcopuloſæ ſunt ſemitæ: ſed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur. Non eſt tutus ad Herodem regreſſus; nec expedit cum his, qui oderunt Deum, fœdera iungere: nec de religione cum malignantibus inire conſilia; quorum familiaritas infantiam Chriſti ſtudioſè perſequitur, & antequam formetur in nobis Chriſtus, in ipſo piæ conuerſationis initio, vt extinguatur ſpiritus & ſuffocetur vita iuſtitiæ penitus elaborat. Deluſum ſe Herodes conqueritur, cum Magos aliò comperit diuertiſſe, quia moleſtiſſimum eſt principi tenebrarum, cum ex cogitatis laqueis tentatos quoſlibet nouerit euaſiſſe, & acriore inflammatus rabie, in neces innocentum debacchatur.*

Via arctior ingrediendа.

declinatis auijs impiorum.

Ita voluit diuina ſapientia filiorum Eccleſiæ perſecutiones, viuendi rationem, virtutum vſum, & exercitationem in ſanctis Regibus expreſſam ante exiſtere, vt exemplari ſuo quam proximè conformarentur: Reges verò non ſua tantum; ſed & poſterorum cauſa tantis iactari calamitatibus, & exerceri periculis, vt haberent, quod inſpicerent & imitarentur. Vnde magis adducor, vt credam veriſſimum videri, quod ſupra rationibus ſtabiliui, Deum ijs, quos rei alicuius figuram eſſe voluit, id ipſum indicaſſe, vt viuis coloribus rem geſtam poſteris velut in tabula figurarent: ſic & Religioſarum familiarum autores S. Benedictum, Romualdum, Franciſcum, Ignatium legimus operis totius fabricam; membra ſui inſtituti, progreſſum, varios euentus & caſus ordinis præuidiſſe: & quædam ex ijs longè ante denunciaſſe: vt in condendis regulis poſſent conſilio precibuſque præuenire, ne vigor diſciplinæ ſtatim ſiacceſceret: ita, quos ad ingentia voluit Deus eligere incommoda pro Dei gloriâ toleranda, vt S. Paulum, & S. Xauerium, eorum ante mentis oculis exhibuit eadem, vt minùs ferirent præuiſa iacula: quæ ſcirent non niſi à patre clementiſſimo, & ſalutis eorum amantiſſimo dimanare. Pari puto ratione Deum ſanctis Magis Eccleſiæ ſtatum florentiſſimum futurum præmonſtraſſe, tot Reges & Imperatores fidei orthodoxæ defenſores; tot illuſtres Martyres; illud regale ſacerdotium: illam omnium totius orbis nationum ad Chriſtum aggregationem: quorum omnium cum ſe Duces eſſe præuiderent: eos ductus, & lineamenta virtutum, quam exactiſſima voluerunt in ſe exprimere, quæ nos poſteri miramur in Regibus, & conamur æmulari. Sed nunc quod præcipuum in ijs & à poſteris ſæpius & ardenter eſt conſiderandum, quanam ſolertiâ & induſtria Gentibus adoptionis cœleſtis beneficium obtinuerint, accuratius inſpiciamus: vt quantum de orbe toto meriti ſint intelligatur.

Fundatores quidam ordinum præuiderunt ſucceſſum & fatura euenta.

ſancti Reges Eccleſiæ futuræ ſtatum florentiſſimū.

CAPVT XXIV.

Procuratores fuerunt totius orbis.

MIsit Pater cœleſtis filium ſuum, vt multorum ſeculorum litem inter homines acerbiſſimis odijs & inimicitijs ventilatam componeret. *In iudicium*, ait, *ego in hunc mundum veni: vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant.* Sed ne partes diutius altercarentur, abſolutum ei commiſſum eſt omnis controuerſiæ arbitramentum, nulla deinceps permiſſa appellandi poteſtate: *Neque enim Pater iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent Patrem*: Nam quomodo de ſententiæ huius æquitate quis dubitet, quæ ab infinita ſapientia dimanat & voluntati diuinæ conformatur? *Non poſſum*, ait, Chriſtus, *ego à me ipſo facere quidquam, ſicut audio, iudico, & iudicium meum iuſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me.*

Chriſtus vt Iudex miſſus. *Io. 9. v. 39.*

Supremus, *Io. 5. v. 22.* & æquiſſimus, *Io. 5. v. 30.*

Gentilium & Iudæorum. Querela Gentilium. Iactantia Iudæorũ.

Partes inter se diu multumque litigarunt Iudæi & Gentiles, capitali à se odio diffidentes: eundem tamen Patrem Deum, mundi totius conditorem, naturam omni humana sublimiorem agnoscebant: Gentiles querebantur, desertos se à Domino, nec peculiaribus, fauoribus vti Iudæos, donatos & gubernatos: quasi in spurijs & adulterinis prolibus censerentur, ab ipsis etiam Iudæis fratribus canum more abijci. Iudæi verò deberi suis quasi meritis illam beneuolentiam superbè iactitabant, sibi Messiam promissum, Gentes verò diuini cultus ignaras in detestandos errores degenerasse, & indignas videri, quibus fauores cœlestes tribuerentur: ideo nec electi Dei populi commercio, conuictu, & alloquio satis idoneos videri, ne suo contagio Dei populum inficerent.

Arbitro vel Iudice Christo lis disceptanda. *Eph. 2. v. 14.*

Fecialem vtriusque partis Pater cœlestis Filium suum misit, arbitrum simul & iudicem, qui partibus coram auditis, sententiam ex æquo pronunciaret, imò morte sua pacem adferret sublatis inimicitijs, *ipse*, ait Apostolus, *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua legem mãdatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per Crucem, interficiens inimicitias in semetipso.* Venit tandem optatum tempus, quo a regalibus sedibus filius Dei æquissimus rerum omnium æstimator & arbiter mitteretur: solium & tribunal erexit sibi in Bethlehem, regione Iudæorum extra portam, vbi pateret accessus omnibus nocte & interdiu. Citatæ partes, Iudæi cœlitibus internuncijs, Gentes stella duce & interprete.

Tribunal in Bethlehem erigitur. Citantur partis.

Iudæi quidem suo nomine Pastores legarunt, quibus nec inuitis; sed volentibus placuit, vt Gentes etiam ad sortem filiorum Dei admitterentur, & lapidi angulari Christo copularentut; satis simplicibus illis & agrestibus hominibus fuit, se dulci pusionis diuini adspectu pascere, laudare præsentem, & admirari.

Procuratores Iudæorum Pastores. Gentilium Reges tres

Interim stellâ præuiâ properant nationum omnium tres Procuratores, quos tota Gentilitas ablegarat, vt tot populorum salutem impensius Regi nato commendarent. Sed cur tres tantum? Hector Pintus disceptat. *Quando Reges comitia in certum diem indicunt, oppidorum Procuratores & Syndici ad ea concurrunt, iuramentum præstant, fidem, obsequium & operam pollicentur, eumque Regem ac Dominum agnoscunt, morem in omnibus gerentes. In Bethlehem comitiorum conuentus decretus erat: Christus Dominus pro vero Deo, vero homine, veroq; cœli terraque Rege venerandus. Mundi Procuratores tres, tres scilicet Reges Magi Iesu Christo morem gerentes in terram prociderunt, ipsumque Deum Dominum & Saluatorem venerati sunt, & quoniam mũdus à tribus filijs Noë processit, par etiam erat, vt tres eius essent Procuratores. Noë vt Scriptura dicit, tres habuit filios, Sem, Cham & Iaphet, qui in Arca tempore diluuij salui facti sunt, in quo quotquot exstabant in mundo homines submersi sunt: excepto Noë, eius vxore, tribus filijs, eorumque vxoribus, & ex his tribus filijs vniuersus est mundus exortus. Cum igitur hi tres Magi, tanquam mundi Procuratores venerint, mundusque à tribus processerit, æquum etiam erat, vt tres essent.* Rectè quidem tot erant missi, vt capite sequenti, videbo, ad comitia, vt Legati ad Regem suum: nunc dico, vt Procuratores ad Iudicem, vt eius sibi fauorem & Gentibus omnibus conciliarent: venerunt: Iudicem salutarunt, adorarunt: causam suam, & orbis totius beneuolis & attentis Christi auribus exposuerunt. Alienatos se à conuersatione Israël querebantur, *& hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.* Ipsi nationum omnium obsequia, fidem & obedientiam Regi recens nato deferunt: muneribus etiam regijs oblatis infantuli sibi gratiam student demereri, vt vel iam oculis clementioribus diuinæ Maiestatis respiciantur, gratia & cognitione Dei ac rerum salutarium cum Iudæis donentur: non se refugere eorum societatem, à quibus velut canes, extorres cœlo, diuinæ expertes hæreditatis abijcerentur, & despicatui ducerentur. Hæc egregia animi demissione abiecti in terra genibus prouoluti Reges querebantur, pacem orabant & concordiam.

quia à tribus totus orbis disseminatus est.

Industria horum

Ephes. 2. v. 12.

Oratio & querimonia.

Liberalitas

Humilitas

Aberant Principes Sacerdotum & Scribæ Iudæotum; nec ignorantia eos excusabat, qui vocati à Regibus, eorum assueratione natum iam Messiam didicerant: imò pariter ijs ipsi natalem locum indicarant: conuenire tamen Regem suum, & suscipere

Iudæorum contumacia.

tam

tam vilem & abjectum detrectabant. Alium ſcilicet Monarcham orbis potentem viribus, exercitu & armis formidabilem exſpectabant, qui dominatui ſuo terrarum orbem ſubiungeret, quem ſibi etiam non Gentibus promiſſum, è Iudæis in Iudæa oriturum deberi arbitrabantur. Hoc mereri legales obſeruationes: quas tamen impunè violabant, licet cum faſtu & ſupercilio Dei promiſſa ſibi arrogarent. Scilicet hoc ipſum erat aduentus Meſſiæ tempus, eiuſque iudicium, quo Gentes cum Iſraëlitis ſocietate Fidei colligaret, tunc quidem, cum neglectis diuinis ſanctionibus Iudæa iam indigna videbatur, cui diuina promiſſa exhiberentur: Gentes verò deſertæ ſua videbantur indigentia & ſubmiſſione mentis diuinam miſericordiam extorquere. Vt rectè S. Leo dixerit. *Prouidentia miſericordiæ Dei diſpoſitum habens pereunti mũdo in nouiſſimis temporibus ſubuenire, ſaluationem omnium Gentium præfinuit in Chriſto: vt quia cunctas nationes à veri Dei cultu impius dudum error auerterat, & ipſe peculiaris Dei populus Iſraël ab inſtitutis legalibus pene totus exciderat, concluſis omnibus ſub peccato, omnium miſereretur: deficiente enim vbiqúe iuſtitia, & toto mundo in vana & maligna prolapſo, niſi iudicium ſuum diuina bonitas differret, vniuerſitas hominum ſententiam damnationis exciperet: Sed in indulgentiam ira translata eſt, &, vt clarior fieret exercendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis peccatis hominum Sacramentum remiſſionis adferri, quando nemo poterat de ſuis meritis gloriari.*

Perfidia ſuperbia eo tempore venit Meſſias Iudex opportunè. *S. Leo ſer. 3. de Epiſpha.*

Placuit infanti Regi tanta Regum iſtorum demiſſio, pietas, obſequium: nec munera recuſauit admittere, ſibi vt Regi à clientibus debita: & hoc cauſa Iudæorum deterior videbatur, quod nullo Regem ſuum honore dignarentur, quem vrbis excluſum mœnibus in ſtabulum cum iumentis velut carcerem detruſerant.

Obſequia Gentilium placant

Digni iam miſericordia Gentiles videbantur, qui tantis impendijs, laboribus periculis accurrerant, vt Principem recens natum exciperent, diuinis honoribus afficerent, regna ſua ſeq; ipſos eius ſubmitterent imperio, in eius fidem recepti & clientelam. Ergo pro ijs contra Iudæos lata ſententia eſt, oleaſtrum oliuæ inſerendum, duos illos parietes vno vinciendos angulari lapide, & vna ſocietate fidei, eodem nomine copulandos, id ſi ſuperbè Iudæa detrectaret, ſolis Gentilibus Eccleſiæ totius gubernatio committeretur.

Pro ijs iudicat. contra Iudæos.

S. Fulgentius concordiæ huius initæ rationem rectè declarauit. *Apoſtolica*, ait, *teſtatur auctoritas, quia vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Circumciſionis nomine Iudæos, præputij nomine Gentes indubitanter oſtendens: iſti ſunt duo parietes, qui ex diuerſo venerunt, & in lapidem, qui factus eſt in caput anguli, in vnitatem fidei conuenerunt. Vnus paries venit ex Iudæis, alter ex Gentibus: longè à ſe diuerſi erant, quando diuerſa credebant, poſitus eſt in medio lapis angularis, qui ad ſe vtrumqúe parietem duceret, & vtrumqúe vno nomine nuncuparet, eſſentqúe vni communione vocabuli, qui fierent in vna gratia ſacramenti: per Chriſtum enim, qui eſt pax noſtra, faciens vtraqúe vnum, Iudæi & Gentiles facti ſunt vnum, quibus fidei vnitas vnum indidit nominis Chriſtiani vocabulum. Ad lapidem ergo angularem vterqúe paries venit, & verè angulum fidei vnitas fecit, horum parietum vnus adductus eſt, quando Paſtoribus Iudæis Angelus natum Chriſtum nunciauit: alter paries adductus eſt, quando Gentilibus Magis nouum ſidus apparuit. Illi fuerunt primitiæ Iudæorum, iſti facti ſunt primitiæ Gentium, iſti de propinquo adducti, iſti de longinquo reducti: propè enim erant Iudæi, qui Deum colebant: longè erant Gentes, quæ idolis ſeruiebant.*

S. Fulgentius ſer. de Epiph. Rom. 3. fœderantur Gentiles cum Iudæis.

Vno vocantur nomine.

Ita tandem pacis firmatis perpetuis fœderibus, odia vetera cum omnibus inimicitijs ſunt conſopita, Iudice vel potius arbitro & feciali Chriſto: *ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem copulauit, diſſoluens inimicitias in carne ſua: & veniens euangelizauit pacem his, qui longè, & his qui propè ſunt: quoniam per ipſum acceſſum habemus ambo in vno Spiritu ad Patrem.* Ergo talium trium Procuratorum induſtria, labore, ſubmiſſione vos omnes orbis nationes, *Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo Summo angulari lapide Chriſto Ieſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu.*

Odia ſopiuntur. *Ephes. 2.*

Gentiles fiunt domeſtici Dei.

Hanc

Isa. 42. Hanc litem Gentibus dandam Messia Iudice prænunciauit Isaias. *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium Gentibus proferet: non accipiet personam: in veritate educet iudicium, non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium, & legem eius Insulæ exspectabunt. Dedi te in fœdus populi, & lucem Gentium, vt aperires oculos cœcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Ducam cœcos in viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta. Quis cœcus nisi seruus meus* (Israël) *& surdus, nisi ad quem nuncios meos* (Reges) *misi? Quis cœcus nisi seruus Domini? Qui vidas multa* (in lege) *nonne custodies? & qui apertas habes aures, nonne audies? Quis dedit in direptionem Iacob, & Israël vastantibus: Nonne Dominum ipse, cui peccauimus? & noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius.* Datus erat Christus in *fœdus populi*: vt Gentiles cum Iudæis (quibus ex promisso & fœdere debebatur) reconciliaret: & ex vtraque gentem vnam conflaret Christianam: Sed quia Iudæi Christum repulerunt, & postea trucidarunt, lux Gentium effectus est, quibus potiores partes Ecclesiæ, principatus & gubernatio fuit attributa: vt prædixerat Noë: *Dilatet Deus Iaphet*, posteros eius Gentiles *& habitet in tabernaculis Sem*, non tantum eadem fide cum Iudæis copuletur; sed Romam etiam ad Gentium & orbis theatrum principatus Ecclesiæ transferatur.

obcæcatis Iudæis.

Gentilibus datur gubernatio Ecclesiæ. Gen. 9.27.

Quam bellè tres illi Procuratores omnium Gentium personam, & causam in iudicio decretorio sustinuerunt: vt electis filijs regni & domesticis, ad exteros ius regni & hereditas transferretur? vt rectè S. Leo dixerit.* *Vnde quod illi tres viri vniuersarum Gentium personam gerentes adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quæ iustificat impios, totus mundus assequitur, & hereditatem Domini ante secula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt, qui videbantur legitimi.*

S. Leo. ser. 4. de Epiphan.

Multum debet Gentilitas hilce suis procuratoribus: dum enim Christum Regem suum Iudæi recipere vel agnoscere recusarent, hi licet Reges eum diuino sunt honore prosecuti, ad pedes infantis abiecti sceptra sua Regi nouo subdiderunt, & hac animi demissione Gentilibus fidei donum obtinuerunt.

CAPVT XXV.

Legati Gentilitatis ad Messiam selectissimi & felicissimi.

Legati officium.

VT Procuratores alterius negotia, præsertim in iudicio tractant, ita Legati mandata deferunt aliorum, quorum etiam personam ita sustinent, vt eodem fere honore quo ij, à quibus legantur habeantur: quod officium à totâ quasi Gentilitate sanctis Magis oblatum egregiè nomine Imperatorum & Regum, qui postea prodierunt è Gentilibus pro dignitate sustinuerunt: vt fauorem Iudæis iure quasi hereditario debitum suis obsequijs, industria & solertia præripuerint, quod non obscurè sacræ paginæ verbis istis testificantur: *Venient Legati ex AEgypto, AEthiopia præueniet manus eius Deo.* Versum hunc magno consensu Patres sanctis Regibus solent applicare: D. Chrysostomus de Magis, ait, *Dauid significare monstratur, cum dicit: Venient Legati ex AEgypto, AEthiopia præueniet manus eius. Nam quia mundum istum sæpe scriptura diuina AEgyptum nuncupat, rectè Magos illos intelligimus AEgypti Legatos, qui quasi totius mundi Legati electi in muneribus, quæ obtulerunt, credulitatem omnium Gentium ac fidei initia dedicauerunt.*

ita SS. Reges vocantur in scriptura. Ps. 67.

Interprete. S. Chrysostomo. hom. 1. de diuers. in Matt.

Æqualis ei Latinorum Patrum subtilissimus Augustinus confirmat, dum ait, *Interea Magorum beata legatio perducta ad sacra cunabula radio desuper currente miratur: Iudæam præcedit AEthiopia, peccati exuenda nigredine, & fidei induenda candore.* Assentit S. Chrysologus, qui Legatorum horum prudentiam & industriam ita describit: *Implet illud* (Magus) *quod multi de spadone ex AEthiopia suspicantur: AEthiopia præueniet manus eius Deo: videt Christum Magus, Iudæum parueniens manibus suis, quia quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Chri-*

ex S. Augustino ho. infra 8. Epipha.

S. Chrysologo. hom. 160. de Epiph.

Christum muneribus fatebatur. Hinc est, quod Gentilis, qui erat nouissimus, factus est primus, quia tunc ex Magorum fide est Gentium credulitas dedicata, & Iudæorum est notata crudelitas.

Amalarius Fortunatus Archiepiscopus Treuirensis, frequenter hoc eos insigniuit titulo. *Tres*, ait, *Magi, qui venerunt in ista nocte ad Dominum, Legati exstiterunt, mysticis suis muneribus Gentilis populi, qui in terra Insulisq; habitat*: Et alibi *In illis Magis, quos credimus fuisse Legatos totius mundi, omnes de Saba venientes possumus intelligere, per eos, qui de Saba, id est, de captiuitate veniunt ad Dominum, intelligimus multitudinem Gentium conuertentium se ad Dominum.* c. 21. de ordine antiphonarij. c. 22.

Magnum nomen est, magna species, dignitas, & maiestas Legatorum : ij velut simulacra quædam Regum ipsorum & Imperatorum, à quibus legantur, sustinent splendorem & amplitudinem. Quo decus illustrius horum Regum fuit, qui mundi totius, imò regum omnium consequentium personam & dignitatem gerebant, quorum omnium & totius Gentilitatis nomine Regem totius vniuersi recens natum, cœli terræque dominum excepturi mittebantur, vt illud diuinissimum mortalibus & Gentili præsertim populo tribuendum donum horum manibus reciperetur: & per eos in totum terrarum orbem, & omnem Gentilis populi posteritatem quasi per manus transfunderetur. Quod quia Iudæi fastu superbissimo reijciebant, opportunitate diuina prorsus, sua comitate & omni regio obsequio sic Gentilitatem omnem Christo deuinxerunt, vt spretis popularibus & cognatis suis; exteris insigni beneuolentia eaque perpetua iungeretur. Erant ad hoc munus Reges illi sapientissimi totius orientis aptissimi : quos præter fortunæ bona liberaliter & regiè in domum pauperrimam regis recens nati prodigenda, dotes animi præcipuæ commendabant, quas in Legatis Reges solent exquirere : Nam præter temperantiam quam in illa tam difficili peregrinatione libenter suscepta satis ostenderunt, & ingenitam Regibus munificentiam in muneribus erogandis, prudentia enituit in gerendis negotijs coram Iudæis & Herode, fides in publicis potius quam priuatis conse-ctandis commodis, & in periculis occurrentibus egregia fortitudo animi, constantiaque cum rerum formidolosarum & mortis ipsius despicientia: dum nullis Herodis blanditijs, dolis, insidijs eorum infringi potuit animi magnitudo, nec fidelitas, quam Deus ab ijs contra fidem Herodi datam in reditu per aliam viam exigebat, labefactari.

Dignitas Legatorũ.
Et horum Regum.
Industria & solertia eorundem.
Dotes Fortunæ.
animi.
fides.
fortitudo.

Laudatur Pompei Magni legationem obeuntis animi constantia & fides, cum in via interceptus Regi Illyricorum iussus esset prodere secreta Romanorum, lampadi ardenti admoto digito contestatus est, eum se potius digitum incineraturum, quam quidquam sibi creditorum vlli patefaceret: sic illi non salutato Herode, vt addixerant, clam se fuga inde proripere maluerunt cum nominis & fidei regiæ quasi violatæ infamiâ : quam diuinum infantem impio Tyranno proderent, nec vllas ideo Herodis vel Augusti Cæsaris ac Romanorum inimicitias vel insidias subire recusarunt, vt vnius se Christi seruos profiterentur : eius nouam ad Gentes omnes difficillimam susciperent legationem, in qua putantur pro fide Christi trucidati. Tria potissimum aduerto susceptæ huius legationis munia fuisse ab ijs feliciter obita : primum quod totius mundi nomine Christum Regem natum recens exceperint, & abiectum à suis ipsi Gentilitatis totius vice diuinis honoribus sint prosecuti, fortunisque suis inopem eius familiam regia munificentia sustentarint, de quo sat multa paulo ante dixi. Alterum est : quod cum in comitijs orbis totius in agro Bethlehemico à cœlesti Patre indictis solenni ceremonia Filius Dei, terræ cœlique Dominus & rector vniuersi esset renunciandus, nuptiæ diuinissimæ cum Ecclesia è Iudæis (quorum personam virgo Deipara & Ioseph, vt prius Pastores) & Gentibus colligenda celebrandæ, harum vices legati isti sustinebant & maximas solennitatis istius partes egerint egregiè : nam primi mortalium & regem eum, in metropoli regni pridiè promulgarunt, & cultu debito inaugurarunt, suis ad pedes infantis sceptris & coronis abiectis : ipsi licet Reges huius se seruuos & mancipia noui Reges publicè sunt professi, in eius tutelam & clientelam se contulerunt ac velut vectigales primum ex omnibus mortalibus tributum publicè tunc obtulerunt, cum ille venisset in Bethlehem, vt Augusto, capite census, tributum penderet. Quam rem Eucherius, ita contem-

Exemplũ Pompei.
Tria munia feliciter ab ijs obita.
1 Excepe-runt Messiam.
2 Promulgarunt in Metropoli Regnum eius.
Tributum pro toto orbe ei pendentes.

S. Eucher. ser. de Epiphan. platur, dum Deiparam his verbis alloquitur: *Quanta igitur tunc tibi exsultatio fuerit, ô virgo Beatissima Maria, quis agitare valeat, quando eum, quem nuper genueras, iam quasi Deum adorari videbas? Suscipe prima munera filij tui, suscipe tributa, quæ ei soluuntur, & quæ alijs tributa soluere veneras, ipsa ab alijs tributa suscipias: ad hoc enim, vt Lucas ait, venerat Ioseph in Bethlehem, vt ipse quoque, sicut cæteri profiteretur, & obligaret se tributa persoluere, eo quod esset de domo & familia Dauid.*

III. seruos se Christi profitentur inc. 14 Iosue. Tertium & præcipuum munus erat, vt dum se actibus fidei, spei, charitatis & religionis seruos noui Regis recens nati profitentur, spretis regnis suis sibi posterisque suis imo Gentilitati toti ius acquirerent adoptionis, quo in Christi familiam admissi, regni cœlestis hereditatē consequerentur. De qua re ita Magallianes noster, *Ego hos beatissimos Reges Deo se in præsepis angustijs perpetuo seruitutis nexu deuinxisse existimo, eoq; spectare puto proiectas ad diuini pueri pedes coronas, & cetera imperij insignia, seruos Dei ad mortem vsque fore trina munerum oblatione professi sunt, quibus eas virtutes mystice significabant, quæ diuino numini sunt gratissimæ, caritatem videlicet, orationem & mortificationem.*

Et sponsæ deliguntur. Atque hoc quidem tam feliciter expedierunt, vt eos ipsos Legatos sibi in sponsam peculiari fauore, gratiâ & amore delegerit, repudiata sensim veteri Synagoga: ipsos Ecclesiæ Christianæ Patriarchas statuerit, quorum felici propagine toto terrarum orbe disseminata omnes orbis totius nationes filijs deinceps Dei accenserentur, regni cœlestis hereditatem adituri. Felix legatio, quæ legatis ipsis & tantum peperit bonum & toti Gentilitati: *Fuerunt enim* (ait Ildephonsus Giron) *Legati & procuratores totius Gentilissmi, qui venerunt nomine Regum omnium, & subditorum: vt in Bethlehem, vbi Dauid per Samuelem in Regem vnctus fuerat, puerum Iesum Christum Regem Regum & Dominum Dominantium adorarent.*

Hom. 1. de Epipha. I. Reg. 16.

CAPVT XXVI.

Meruerunt Gentilibus de congruo cœlestem adoptionem, figurarunt, & inchoarunt eandem.

similes sūt SS. Reges, Patriarchis tribus. QVAM veteris instrumenti Patriarchæ Abraham, Isaac & Iacob nominis, dignitatis & sanctitatis prærogatiuam habuerunt: eam post sanctos Apostolos in lege noua sanctis Magis tribuendam merito iudicabit, qui expendere voluerit, quæ ab eis sint in nationes totius orbis, adeoque vniuersam Ecclesiam Christianam profecta beneficia: quæ sæpius repetenda duxi, vt ipsorum meritorum perspecta magnitudine prouocemur ardentius ad eorum sœpius inuocanda patrocinia, & gratos nos tam bene de nobis meritis exhibeamus.

Debebant iis Iudæi adoptionē cœlestem. Debebat Israëlitarum tota posteritas suis progenitoribus initium adoptionis illius, quo Deus ipsos ex omnibus orbis nationibus solos elegit, in quibus diuina Maiestas mira prodigia operaretur: in quos infinitæ bonitatis præ omnibus Gentibus thesauri effunderentur: quibus & iuramento promitteret, se terram Chananæam & postea & summā nobilitatē filium suum Messiam largiturum, vt merito *populus peculiaris & hereditas Dei* Iudæi dicerentur. Hinc summa gentis illius nobilitas, & sanguinis natalium splendor erat, quod ab Abrahamo sic à Deo dilecto & electo descendissent. Hoc igitur Patre magnificè gloriabantur, per hunc, vt præcipuum Dei amicum, à Deo veniam commissorum, & alia beneficia postulabant; quando & Deus ipse Abrahami, Isaaci, & Iacobi singularis beneuolentiæ significationis gratia voluit appellari.

Meruit saltem de congruo talem posteris suis diuinam beneuolentiam Abraham ob insignem Dei iussui parendi promtitudinem: id ipse confirmat Deus his verbis. *Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia feci sti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in litore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, quia obedisti voci meæ.*

Gen. 22. 16. Abraham per obedientiam meruit posterorum electionē. Exod. 19.

Stetit his promissis Deus, & posteris eius exaggerat ipse beneficia præstita. *Vos ipsi vidistis; quæ fecerim Aegyptijs, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumserim mihi: si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis*

mihi

in peculium de cunctis populis; mea enim est omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta: & alibi: *En populus sapiens & intelligens, gens magna, nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris: quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustaqúe iudicia, & vniuersam legem, quam ego proponam hodie? interroga de diebus antiquis, si facta est aliquando huiusmodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Dei loquentis? si fecit Deus, vt ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa & portenta, per pugnam & robustam manum, & horribiles visiones iuxta omnia, quæ fecit pro vobis Deus in AEgypto videntibus oculis tuis.* Causam verò tantorum bonorum Israëlitis à Deo collatorum vnam hanc Deus adfert. *Quia dilexit Patres tuos, & elegit semen eorum post eos.* Pari ratione videntur tres sancti Reges posteritati Gentilium fidem & adoptionem cœlestem de congruo meruisse.

Deut. 4. ac maxima diuina beneficia. & tres Reges Gentilibus.

Meritum de congruo vocant Theologi, cum quis rem salutarem à Deo petit, & ad eam impetrandam se disponit: nam æquitati consentaneum est, & ipsis Dei promissis congruit, vt iusta petenti Deus fons bonorum omnium & infinita bonitas eadem largiatur. Atqui tres Reges personam totius Gentilitatis, non propriam tantum sustinuerunt, & pro eius totius salute Christum recens natum inuocarunt: seque & sua regna ad id disposuerunt: vt expressè S. Leo asserit, & consentiunt SS. Chrysostomus, Augustinus, Chrysologus & alij, qui eos legatos Gentilitatis nominarunt: *qui quasi*, ait Chrysostomus, *Legati totius mundi electi in muneribus, quæ obtulerunt credulitatem omnium Gentium: ac fidei initia dedicauerunt.* Alludit ad primitias, quibus Deo consecratis massa tota frugum anni illius censebatur esse dedicata, & apta, quæ ab ipso benediceretur; sic per has Gentilium primitias (quod ijs nomen propriè conuenit) Gentiles omnes fideles Deo sunt consecrati, & idonei redditi, vt fidei lumen impetrarent: hanc causam Chrysologus præmittit, ex qua infert, vt effectum, Gentilium secutam spretis Iudæis electionem. *Videt*, ait, *Christum Magus, Iudæum præueniens manibus suis: quia quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur. Hinc est, quod Gentilis, qui erat nouissimus, factus est primus, quia tunc ex Magorum fide est Gentium credulitas dedicata, & Iudæorum est notata crudelitas.* Et Origenes idem fidei merito tribuit *Nos proselyti per fidem* (Magorum) *facti sumus sursum, & primi; Israëlitæ, qui fuerant priores, sunt facti nouissimi propter infidelitatem.* Eiusdem fidei merito S. Leo Gentium adoptionem adscribit. *Vnde quod tres illi viri vniuersarum Gentium personam gerentes adorato Domino sunt adepti, hoc in populus suis per fidem, quæ iustificat impios, totus mundus assequitur, & hereditatem Domini ante secula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt, qui videbantur esse legitimi.* Comes est indiuidua fidei humilitas, vel etiam mater, sine qua consistere nequit, ideo potius humilitati meritum hoc S. Augustinus adsignat. i *Magi*, nquit, *multis onerati peccatis summissius indulgentiam requirebant. Hæc est illa humilitas, quam plus in illis, qui ex Gentibus erant, quam in Iudæis diuina scriptura commendat. Hæc est humilitas, qua inseri meruit oleaster in oliuam, & oliuam dare, contra naturam meruit mutare per gratiam; nam cum hoc oleastro totus mundus silueſceret.* Idem meritum de congruo agnoscunt, qui duce S. Chrysostomo capite 19. laudati, eos ecclesiæ progenitores, & patres nominarunt & ipsi Abrahæ synagogæ veteris autori compararunt, vel etiam prætulerunt. Accedit etiam ad eorum laudem, quod vt fusè capite 21. & 23. docui, fuerint figura florentissimi status ecclesiæ, virtutesque fidelium omnium expresserint: id verò etiam vt significarent meruisse S. Augustinus ita declarat * *Magi primitiæ Gentium ad Christum videndum, adorandumqúe venerunt, & non tantum accipere propriam, sed etiam omnium Gentium salutem significare meruerunt*, Sentit idem Rupertus: *Isti primitiæ Gentium neque per Angelum, sed per Spiritum Sanctum modo, de quo iam dictum est, laudem perfecerunt, & tres homines tribus partibus orbis Asiæ, Europæ atqúe Africæ fidei vel confessionis atque adorationis exemplar existere meruerunt.* In reliquis hoc etiam præcipuum significare meruerunt, ex Gentibus sapientissimos quosque Principes etiam & Reges, quales ipsi erant, Christo credituros: hoc ex psalmographi vaticinio, &

merito de congruo.

S. Leo ser. 5. c. 25.

hom. 1. in Matth.

adoptionē diuinam.

20. 160. de Epipha.

Origenes tract. 9. in Matth. per fidem.

S. Leo ser. 5.

& humilitatem.

S. Aug. ser. 6. de Epipha.

ideo vocā. tur progenitores Ecclesiæ.

ser. 64. de diuersis & 6. de Epipha. meruerunt etiam figurare statū Ecclesiæ.

Rup. l. 1. in Matt.

mune-

muneribus Regum ita probat S. Hieronymus. *Reges Tharsis, &c. omne hic mundiale imperium, honores, & ordines ad Christum Dominum accidere, eiqúe colla submittere, bonorumqúe suorum dona deferre Propheta prænunciat, quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum: ipsi enim Gentium Regumqúe typum tenuisse monstrantur.* Deducit id clarius Luduicus Pontanus: *Ex Hebræis venerunt Pastores ignobiles, & plebei; ex Gentibus verò Reges & Sapientes, quod futurum erat, quod Pharisæi, sacerdotes & Iudæorum magnates Christum non reciperent, sed solum humiles & indocti, iuxta illud, quod ipsi fassi sunt dicentes; nunquid ex Principibus aliquis credit in illum? aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem: & Christus hoc significans dixit: Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: at ex Gentibus non minores tantum, sed etiam Reges & Principes, nobiles & sapientes eorum conuertendi erant, iuxta illud: & ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Satis è dictis apparet duo sanctos Reges ratione salutis Gentium de congruo meruisse: primo, vt spretis Iudæis adoptarentur; deinde vt ipsi Reges figura typusque essent Regum & Gentium orbis ad Christi fidem aggregandorum: quorum etiam virtutes, statumque tam turbulentum sæuientibus tyrannis, quam pacificum conuersis Imperatoribus expresserunt, vt fusè probaui cap. 21 & 23. Deniqúe hoc sunt consecuti tres Reges, vt ipsimet iam tum Gentium fidem & sanctitatem inchoarent, ostio fidei Gentibus exinde reserato: nam ipsis ad regna sua diuersa remissis, velut tribus fermentis massa tota Gentilitatis ante mortem etiam Christi cœpit fermentari fide Christi per regna eorum tria disseminata, & subacto passim quasi vomere Gentilitatis agro, vt Apostolorum sementem postea spargendam facilius reciperet & breui tempore longè numero fideles Iudæos superaret. Vnde S. Leo diem Epiphaniæ vocat exordium Gentium conuersionis, & nostræ salutis, ac vocationis * *Hoc autem signum, quod Magos in longinquo positos, efficaciter mouit, & ad Dominum Iesum perseueranter attraxit, illius sine dubio gratiæ Sacramentum, & illius fuit vocationis exordium, quo non in Iudæa tantum, sed etiam in toto mundo Christi erat euangelium prædicandum, & per illam stellam, quæ Magorum visui splenduit, Israëlitarum oculis non refulsit, & illuminatio signata est Gentium, & cæcitas declarata Iudæorum: radiat namque è cælo stella per gratiam, & tres Magi coruscatione Euangelici fulgoris acciti in omnibus quotidie nationibus ad adorandam summi Regis infantiam accurrunt. Permanent igitur, sicut euidenter apparet, mysticorum formam gestorum, & quod imagine inchoabatur, veritate completur: radiat namqúe stella per gratiam, & tres Magi coruscatione Euangelici fulgoris acciti in omnibus quotidie nationibus ad adorandam summi Regis infantiam accurrunt.* Ideo sermone secundo monet omnes fideles è Gentibus ortos, vt eum diem celeberrimum habeant, & gratos exhibeant se diuinæ maiestati. *Agnoscamus in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ fidetqúe primitias, & exsultantibus animis beatæ spei initia celebremus: exinde enim in æternam beatitudinem capimus introire: exinde nobis Christum loquentium scripturarum arcana patuerunt, & veritas, quam Iudæorum obcæcatio non recepit, omnibus nationibus lumen suum inuexit.* Licet igitur Christus postea potius Iudæis, quam Gentilibus fidem publicarit; Iudæis præcipua miracula, pauca Gentilibus exhibuerit, & Apostolis mandarit initio subsistere in Iudæa; vt satisfaceret promissis, & ne quid in peruicacia eorum domanda neglexisse videretur: exinde tamen præconibus sanctis Regibus Christi fides cœpit per varias Gentes disseminari, vt alibi dicam. Vnde tria sunt beneficia præcipua, quæ opera trium Regum Gentes sunt omnes consecutæ. Primò, quod ijs adoptionem præ Iudæis impetrarint: secundò eandem figurarint, & tertiò per se & sibi subiectas nationes inchoarint, vt exinde nunquam desierint in Ecclesia Reges etiam & Principes è Gentibus orti fideles: quod beneficium triplex proprium sibi vindicant sancti Reges, non ita commune sanctis alijs, ideo non minus videntur è Gentilibus orti fideles obligati Tribus esse Regibus, quam Iudæi Abrahamo, Isaaco & Iacobo: imò tanto magis, quanto lex noua Christi, vetere fuit nobilior, quæ non posteris fluxa terræ promissionis bona, sub grauissimo circumcisionis & innumerarum cæremoniarum onere præstat, vt vetus, sed æterna vitæ cœlestis largitur præmia; nec quasi mancipijs, intentato mortis periculo, sed vt filijs Dei amoris vinculis obligatis & offensæ diuinæ metu regnum sempiternum pollicet

S. Hiero. in psal. 71. & Regum conuersionem.

Lud. Pont. l. 1. Cant. exh. 25.

Mat. 11. 25.

Isa. 60.

idea fuerũt perfectionis Christianæ.

inchoarũt Gentium conuersionem.

S. Leo ser. 5.

ser. 2.

semper cõtinuatum.

tria peculiaria beneficia à Regibus impetrata Gentilitati.

felicitas fidelium præludæis.

lerunt : vnde de ipsis ait sanctus Leo : *Quod tres illi viri, vniuersarum Gentium personam gerentes adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quæ iustificat impios, totus mundus assequitur, & hereditatem Domini ante secula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt, qui videbantur esse legitimi.* Ita Iudæis tantum Christi videtur hereditas præparata, nobis attributa; illis olim figurata, & adumbrata, nobis exhibita: hinc illis temporalis vitæ commoda, velut mercenarijs; nobis æterna & cœlestia, vt heredibus promittuntur; illis præscriptæ ceremoniæ legalem, externam & politicam; nobis sacramenta, diuinam, internamque sanctitatem conferunt: adeoque magis nos fideles tribus Regibus, quàm Iudæi Patriarchis suis, videmur obligari: Quod si igitur maiores illi, qui familiam suam, vel factis illustrarunt, vel è tenebris, & obscura origine produxerunt in lucem & splendorem, iure tanto sunt in honore, & grata viuunt seræ posteritatis memoria, qualis Arsaces olim apud Parthos, Ptolomæus Lagi filius apud Ægyptios, Rudolphus Habsburgicus in inclyta domo Austriaca, qui primi rebus suis præclarè gestis in suam progeniem regna & imperia inuexerunt, quibus meritò posteri felicitatem suam acceptam tulerunt, monumenta erexerunt, statuas locarunt, imagines aureas constituerunt, vt eorum cultus, lineamenta cum factis heroicis, & nominibus ad nepotes cum grata eorum recordatione transfunderentur: quantam nos decet Eois Regibus, quorum post Christum meritis salutem acceptam referimus, venerationem, & animi grati significationem exhibere, quorum ductu & auspicijs è caligine errorum, & cœcis idololatriæ, & rerum omnium cœlestium tenebris in lucem fidei euasimus, heredes regni cœlestis constituti? Quàm hoc genus illustrius, atque eorum, qui sanguine traduce Camillos, Cæsares, Pompeos, Fabios, vel Æmilios in auis & maioribus referant? Felicissimi nos, qui sanctis his Regibus, velut parentibus orti, ad tantam claritudinem diuini generis ex infima sorte emersimus, spirituali, & longè nobiliore, quàm sanguinis propagine, qua nos omnes Christiani è Genrilibus orti fraternæ caritatis vinculo colligamur.

ob quam plus his Regibus quam Iudæi Abrahamo obligantur.

Tam nobiles ergo nacti progenitores, in clariorem inserti familiam Christi, quã vel Ægidarum fuit apud Lacedæmonios, vel Alcmœonidarum apud Athenienses, vel Æmiliorum, apud Romanos, totis viribus ductus & lineamenta virtutum, quas nobis imitandas reliquerunt, exprimamus, & diem Epiphaniæ quotannis læti celebremus: tunc cum Ecclesia magnitudinem illius beneficij memoria repetamus, quo reiecta gente Hebræorum in prosapiam Christi adlecti & adsciti sumus, nobisque versum hunc Arati cum Apostolo applicemus. *Ipsius enim & genus sumus.* Act. 17. 28.

per eos in Deifamiliam adoptati.

CAPVT XXVII.

Ideo Epiphaniæ solennitas præ omnibus anni festiuitatibus à Gentilibus conuersis celebrari debet.

ADmissi beneficio Triũ Reg. in ipsius Dei familiam, ac Regni cœlestis heredes designati, diem Epiph. quo ius illud obtinere cœpimus, meritò semper maximi faciamus: adeoq; verè cum animis nostris statuamus, non malè recentiores quosdam pronuntiasse nobis in anni dieb. nullam festiuitatem debere lætiorẽ videri, vel optabiliorẽ Epiphaniâ.

Ita fidenter de hoc die dixit Osorius noster Hispanus: *Hodiernus*, ait, *dies latissimus nobis super omnes dies esse debet, quia omnibus alijs fruimur huius vi atque virtute: hoc enim die Ecclesia è Gentibus collecta admissa à Deo fuit, vt diuinis eius donis & gratijs frueretur, cùm ante oblita & derelicta à DEO esset, nec ad eam prophetas mitteret, nec legem daret, aut sacrificia. Hoc est profundissimum mysterium. de quo Paulus. Alijs generationibus non est agnitum mysterium hoc, Gentes esse coheredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius in Christo IESV. Hoc mysterium manifestè ostensum est Petro Act.* 10. in linteo è cœlo dimisso. Applicat deinde varias figuras huic festiuitati. *Heli*, ait, *cum patienter audisset filiorum mortem, & populi interitum in bello, audiens arcam DEI ad alienigenas translatam, cadens retrorsum exspirat: illud enim figura fuit, explicans DEVM aliquando ad Gentes transmigratum: quod ille præsensit, nec tamen potuit explicare, sed explicuit eius nurus dicens: Transiit*

conc. de Epiph.

Epiphania præ omnibus anni diebus Gentilibus celebrando. *Eph.* 3. ob translatam gloriam DEI de Israël ad Gentes. *1. Reg.* 4.

lata est gloria Domini de Israël, quia capta est arca Domini: & licet ei dicatur: filium peperisti, nihil attendit, intelligens DEI gloriam ad Gentes transmigrasse. Contra Gentilibus hæc summa lætitia, hoc eximium gaudium: quod enim lætius nuntium reiectæ Vasthi dari posset, quam Rex tibi conciliari vult, reuocatque in pristinum statum? Vnde psalmus, qui de hac vocatione Gentium loquitur, ait, sicut lætantium, omnium habitatio est in te. Quid enim mirum, latissimam esse hodie Gentium Ecclesiam tanto hodie Principi desponsatam? hodie cœlesti sponso iuncta est Ecclesia: Tres ponit causas huius, præ alijs, festiuitatis excellentiæ: quia virtute huius nobis aliæ profuerunt, alias nihil nobis profuturæ: deinde quia gloria totius Israëlis translata fuit, ad Gentes: denique, quia Gentilis populus diu desiderato Christo, repudiatis Iudæis, fuit copulatus. Quare Gentiles olim diem istum Paschali æquauerunt, vt Cottonus ait. *Dies hæc*, ait, *quæ Ianuarij sexta est, à Græcis Epiphania, id est, apparitio dicitur, hinc & à Patribus nonnullis antiquis vocatur in sancta lumina: hinc denique non minori solennitate & celebritate colebatur, quàm ipsa solennitas Paschalis.*

ps. 16.

& desponsam Christo Gentilitatem.

similis olim erat Paschali solennitati.

Cottonus Medit. de Epiphania.

Subscribit Mussus Episcopus Bitontinus, Italus. *ô Verè festum omnium festorum! ô dies meritò Pascha, id est, transitus dicendus! ecce DEVS transit à Iudæis incredulis ad Ethnicos fideles. Similiter Christianus transit à fide imperfecta in Pastoribus nata ad fidem magnam Regibus dignam.*

Mussus in Epiphan.

Gabriel Biel Germanus comparat fructum huius festi fructui natiuitatis, & illum præferre videtur. *Neque enim, ait, solum voluit nasci, sed etiam agnosci, & licet in illa Sacrosanctæ natiuitatis ex Iudæa Pastoribus innotuit, atque in Israël est magnificatum nomen eius. rectius tamen manifestationis eius solennitas præsenti diei reseruatur, in quo à solis ortu vsque ad occasum laudatum est nomen eius, dum hodie Gentium primitiæ ab Oriente, stella duce, ad agnoscendum verum Orientem sunt profecti.*

Gabriel Biel.

Guarricus verò, Abbas Igniacensis, vocat diem hunc secundam natiuitatem, quâ Christianitas & nos ipsi nati sumus, quem laudat & sequitur is, quem iam Gabr. Biel, audiuimus ipso potius è fonte hauriamus. *Secunda nobis hodie fratres natiuitas celebratur, quæ de illa prima natiuitate, tanquam de causa effectus consequenter nata videtur. Illa siquidem, quam vsque hodie celebrauimus, natiuitas Christi est; ista, quam hodie celebramus, natiuitas nostra est: in illa namque Christus natus est: in ista Christianitas nata est: cum enim hic sint, quæ nos faciunt Christianos, Fides, Baptismus, & altaris participatio; hodiernus dies fidem nobis initiauit, baptisma consecrauit, ac mensæ cælestis miracula præformauit.*

Guaricus. serm. 4. de Epiph.

ob natam hodie Christianitatem.

Habet hæc solennitas ab ipsis Apostolis, vt institutionem, sic celebritatem peculiarem, vt post Natalem Domini inter Apostolicas festiuitates proxima numeretur, ita S. Clemens lib. 1. Constit. Apost. cap. 12. & lib. 8. cap. 33. Vbi quod bene notandum est, pro ratione festiuitatis illius hanc causam adfert, *quod in illa die declarata sit diuinitas Christi testimonio Patris in Baptismo, & Spiritus Sancti, qui in specie columbæ ostendit adstantibus eum, cui tributum erat testimonium*: quam rationem confirmat Sanctus Isidorus, additque aliam præcipuam de manifestatione Christi Magis facta eorumque adoratione: item de aqua in vinum conuersa: sed in his tribus apparitionibus diuinitatis eminet ea, qua Magis stella Christum indicauit, vt fusè S. Leo primus probat epistola, quam inscripsit Episcopis Siciliæ.

ab Apostolis instituta est. *Clem. l. 1. constit. Apostol. c. 12. & l. 8. c. 33.*

ob diuinitatis Christi declarationem triplicem. *S. Isidorus l. 1. de diuinis nominibus c. 26.*

Citat sancti Leonis verba Rupertus, & concludit. *Eminet autem, & præcipuum est illud, quod à Magis, vtique Gentilibus est adoratus, & illuminatarum cordibus Gentium magnam præstat materiam gaudiorum: Gentium namque primitiæ iam tunc in illis assumtæ sunt: de hoc ergo dignè totum Missæ compositum officium, in quo sancta Ecclesia de Gentibus electa pro suæ vocationis initio gratiosum DEO pro sua salute laudis offert præconium.*

Eminet tamen apparitio Magis facta. *Rupert. l. 3. de div. offic. c. 24.*

Insedit porrò ea semper religio Gentilibus conuersis, etiam Regibus & Imperatoribus, vt eum diem celebritate, si non maiore, pari certè

Imperatores celebrant eã,

cum

cum Paschali agerent, & tunc præcipuè templa stipatu maximo frequentarent, cum Reges Orientis sceptra sua Christo subiecerunt: quem in finem Theodosius sanciuit, vt iustitium diebus septem esset, qui præirent, & totidem, qui sequerentur Epiphaniam. Theodosius.

S. Chrysostomus nullam in anno festiuitatem aptiorem iudicauit, qua præsentem Imperatorem Arcadium de relegandis Arianis commoneret, quam Epiphaniæ; rem, gestam, & Imperatorum ea die sacram synaxin obeuntium pietatem recensebo libro vltimo. & Arcadius.

Sancti Patres, etiam diem hunc præ alijs maxime semper fidelibus commendarunt, duos sufficiat attulisse S. Augustinum & Leonem. Et S. quidem Augustinus, vt eius dignitatem magis commendet Christianis Gentilibus commonet, singulis hac die Sermonibus habitis, Iudæos die Natalis Domini, Gentiles hoc festo vocatos esse, & pari si non maiori gaudio celebrandum. *Nuper*, ait, serm. 5. *celebrauimus diem, quo ex Iudæis Dominus natus est: hodie celebramus, quo à Gentibus adoratus est: quando salus ex Iudæis, sed hæc salus vsque ad fines terræ: ideoque ipsi illo die de proximo venientes; isti hodie delonginquo peruenientes duos dies celebrandos posteris signauerunt: vnam tamen lucem mundi vtrique viderunt. Celebremus ergo deuota solennitate hunc diem, quo cognitum Christum Magi ex Gentibus adorauerunt, sicut celebrauimus illum diem, quo natum Christum Pastores ex Iudæa viderunt.* ac SS. Patres. S. *Augustinus.* pari cum Natali Domini solennitate.

Et tamen hoc quidem parem videtur facere natalem cum Epiphania: in alijs etiam respectu Gentium festiuiorem: vnde serm. 6. ait. *Hic dies solennissimus, debita Sanctitate factus est Ecclesiæ, maximè quæ creuit ex Gentibus, & angulari lapide alterum parietem structurâ vberiore compegit, vt illi pax nostra faceret vtraque vnum, ex præputio & circumcisione condens Ecclesiam, ecce alius paries ex præputij desperatione concurrens nos propriè figurauit, & diem nobis festum familiari lætitia geminauit.*

Et serm. 64. de diuersis. *Hodierno die manifestus redemptor omnium Gentium fecit solennitatem omnibus Gentibus; iustum enim visum est, quod verè iustum est, vt quoniam illi Magi primi ex Gentibus Christum Dominum nostrum cognouerunt, & nondum eius sermone commoti, stella sibi apparente, & pro infante verbum inuisibiliter loquente velut linguam cœli secuti sunt, vt diem salutis primitiarum suarum Gentes gratanter agnoscerent, & eum Christo Domino cum gratiarum actione solenni obsequio dedicarent.* Quibus verbis insinuat, proprium hoc & vnicum festum Gentilium non minori, quam Natalem Domini gaudio celebrandum esse. imò maiore.

Copiosior hoc in argumento S. Leo est: seligam præcipua. Principio vult diem Epiphaniæ esse eum, quem Patriarchæ videre desiderarunt, Reges exspectarunt, Prophetæ prædixerunt, quem Christus ipse speciatim commendauit: ait enim, *diem hunc celebremus: quoniam sicut prophetauit Isaias: Gentium populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, & qui habitabant in regione vmbræ mortis, lux orta est eis: de quibus idem dicit ad Dominum: Gentes, quæ te non nouerunt, adorabunt te, & populi qui te nesciebant, ad te confugient. Hunc diem Abraham vidit & gauisus est, cum benedicendos fidei suæ filios, in semine suo, quod est Christus agnouit, & omnium se futurum Gentium Patrem credendo respexit, dans gloriam DEO, & plenissimè sciens, quoniam quod promisit, potens est facere. Hunc diem David canebat, dicens in psalmis: Omnes gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum: & illud: notum fecit Dominus salutare suum ante conspectum Gentium reuelauit iustitiam suam: quod vtique exinde fieri nouimus, ex quo tres Magos, de longinquitate suæ regionis excitatos ad cognoscendum & adorandum Regem cæli & terræ stella perduxit, & recte intuentibus quotidie apparere non desinit.* S. Leo commendat celebritatē hāc quia Prophetæ hūc diem prædixerunt. *Ser. 3. Isa. 6. Iu. 55.* Abraham exsultauit eo die. *Psal. 85. Psal. 97.*

Altera lætitiæ causa est fidei gratiæque beneficium Gentibus donatum, id ibidem ita proponit. *His igitur, dilectissimi, diuinæ gratiæ misterijs eruditi,* 2. ob donum gratiæ collatum Gentibus. *ad Colos. 1*

diem primitiarum noſtrarum, & vocationis Gentium inchoationem rationabili gaudio celebremus, gratias agentes, miſericordi DEO, qui dignos nos fecit, ſicut ait Apoſtolus, in partem ſortis Sanctorum, in lumine: qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ: & ſerm. 5. *hic ille dies eſt, quo ad cognoſcendum adorandumque DEI filium tres Magos præuia ſtella perduxit, cuius facti memoriam merito placuit honore annuo celebrari. Hoc autem ſignum, quod Magos in longinquo poſitos efficaciter mouit & ad Dominum IESVM perſeueranter attraxit, illius ſine dubio gratiæ ſacramentum, & illius fuit vocationis exordium, quo non in Iudæa tantum, ſed etiam in toto mundo Chriſti erat Euangelium prædicandum, vt per illam ſtellã, quæ Magorum viſui ſplenduit, Iſraëlitarum vero oculis nõ refulſit, & illuminatio ſignata ſit Gentium, & cæcitas declarata Iudæorum: radiat namque è cælo ſtella per gratiam, & tres Magi coruſcatione Euangelici fulgoris aucti in omnibus quotidie nationibus ad adorandam quotidie ſummi Reges infantiam accurrunt, &c.*

3. ob tranſlatam adoptionem à Iudæis obcæcatis ad Gentiles. Ideo ſpecialis dignitas eſt huius feſti.

Tertia cauſa. Quia repudiatis & obcœcatis Iudæis Gentes, quibus Chriſtus non erat promiſſus, hereditatem filiorum DEI hodie meruerunt. Serm. 2. *Gaudete*, ait, *in Domino dilectiſſimi, iterum dico gaudete: quia breui interuallo temporis poſt ſolennitatem Natiuitatis Chriſti, feſtiuitas declarationis illius illuxit, & quem in illo die Virgo peperit, in hoc mundus agnouit. Meritò igitur dilectiſſimi dies iſte manifeſtatione Domini conſeratus, ſpecialem in toto mundo obtinuit dignitatem, quæ in cordibus noſtris digno debet ſplendore clarescere, vt rerum geſtarum ordinẽ non ſolũ credendo, ſed etiã intelligendo veneremur. Quantã enim gratiarum actionem debeamus Domino pro illuminatione Gentium, probat obcœcatio Iudæorum: quid enim tã cæcum, quid tam lucis alienum, quam illi Sacerdotes & ſcribæ Iſraëlitarum fuerunt?* pergit deinde fuſè perſequi eorum mentis obtenebrationem, & concludit. *Agnoſcamus ergo dilectiſſimi, in Magis adoratoribus Chriſti, vocationis noſtræ fidei que primitias, & exſultantibus animis beatæ ſpei initia celebremus: Exinde in hereditatem æternã cœpimus introire: exinde nobis Chriſtum loquentium arcana ſcripturarum patuerunt, & veritas, quam Iudæorum obcæcatio non recepit, omnibus nationibus lumen ſuum inuexit.* & Serm. 3. *Veritas illuminat Magos, infidelitas excœcat Magiſtros; carnalis Iſraël non intelligit, quod legit; non videt, quod oſtendit: vtitur paginis, quarum non credit eloquijs. Vbi eſt Iudæe gloriatio tua: vbi de Abraham Patre ducta nobilitas? nonne circumciſio tua præputium facta eſt? ecce maior ſeruis minori, & alienigenis in ſortem hereditatis intrantibus, eius teſtamenti, quod in ſola litera tenes, recitatione famularis: intret, intret in Patriarcharum familiam Gentium plenitudo, & benedictionem in ſemine Abrahæ, quâ ſe filij carnis abdicant, filij promiſſionis accipiant. Adorent in tribus Magis vniuerſi populi, vniuerſitatis auctorem, & non in Iudæa tantum DEVS, ſed in toto orbe ſit notus, vt vbique in Iſraël ſit magnum nomen eius. Quoniam in hanc electi generis dignitatem, ſicut infidelitas conuincit in ſuis poſteris eſſe degenerem, ita fides facit eſſe omnibus communem.*

Rom. 2. Gen. 25. Rom. 4.

4. Figura eſt Eccleſiæ

Quarta cauſa, quia velut in imagine feſtiuitas illa formam repræſentat Eccleſiæ, & quæ poſtea futura erant, longè ante perſpicuè figurabat. Ita ſerm. 8. *in ſtellæ fulgore DEI gratia, in tribus viris, vocatio Gentium, & in Rege impio crudelitas paganorum, & in occiſione infantium, cunctorum forma Martyrum præceſſit.* Fuſè rem hanc deducit ſerm. 5. *Permanet igitur, ſicut euidenter apparet, myſticorum forma geſtorum. & quod imagine inchoabatur, veritate completur: Radiat namque è cælo ſtella per gratiam, & tres Magi coruſcatione Euangelici fulgoris acciti in omnibus quotidie nationibus, ad adorandum ſummi Regis infantiam accurrunt: Herodes in Diabolo quoque fremit, & auferri ſibi iniquitatis ſuæ regnum in ijs, qui ad Chriſtum tranſeunt, ingemiſcit. Vnde ſi paruos interficiat, IESVM ſibi videtur occidere, quod vtique facere ſine ceſſatione molitur, dum primordijs renatorum Spiritum Sanctum eripere, & quandam tenera fidei infantiam tentat extinguere.*

quotidie & continuo agendum eſt hoc feſtum

Quinta cauſa eſt, quia feſtum hoc non annuum, ſed quotidianum, ſed continuum agere debemus, vt omni tempore rei geſtæ ſeries nobis & oculis repræſen-

sentetur & factis exprimatur, modum id continuò celebrandi etiam hunc præscribit ser. 8. dum ait: *Sacramentum præsentis festi oportet in nobis esse perpetuum, quod vtique sine fine celebrabitur, si in omnibus actibus nostris Dominus IESVS Christus appareat. Scilicet festum apparitionis nominatur: opus ergo est, vt sicut cognitio Christi per fidem continuo Christi fidelibus illucescit, ita cum Magis lucem prætiam secuti vitam & mores conentur venerari & imitari, vt ex eorum actibus vita continuo resplendescat.* Quod accidit ijs, qui beneficij adoptionis cœlestis memores, dum se filios DEI & regni eius hæredes recordantur non degeneres, ad sola perpetuo desideranda diuina & æterna tota mente & totis præcordijs rapiuntur.

Quibus animaduersis nemo temeritatis eos arguerit, qui diem hunc Gentilibus solennissimum, lætissimum inter omnes dies anni, & cuius vi ac virtute reliqui nobis festi fiunt, adeoque festum omnium festorum nominarunt, nihil enim nobis, nasci, mori & resurgere saluatorem profuisset, si non eum agnosci à nobis, & mentibus nostris stellam fidei illucescere contigisset: vt ideo meritò Apostoli è Iudæis orti, eam solennitatem primam à Natali Domini iusserint esse, quam præcipuè Reges & Imperatores, licet à fide Catholica alieni vel Apostatæ, censuerunt tamen ceremoniæ singulari celebrandam esse. Qui dies licet in Christi festis numeretur, sanctis tamen Regibus & singulis etiam fidelibus congruit iure meritissimo, quod enim in illis actum primo suspicimus, hoc in nobis iam impletum esse gaudemus: vt ideo deceat eo præcipuè quasi natali nostro die illam spiritalem generationem adoptionis nostræ grata recordatione, festiuis gaudijs, & morum insigni renouatione perage-re, quo regni sumus cœlestis hæredes nominati: illos etiam Ecclesiæ Gentilium Patriarchas venerari & imitari, qui nobis sua rerum humanarum despicientia, fide admirabili, & exquisita pietate tantam felicitatem pepererunt.

CAPVT XXVIII.

Quæ dignitas Sanctis Regibus in mystico Christi corpore seu Hierarchico ordine debeatur.

ECCLESIA Christi corpus vnum constituit, membris suis omnibus inter se connexum & coagmentatum: cum enim singulæ partes non perfectè bonum in se totum contineant, confluunt & vnum inter se aptant conflantque corpus, vt quod singulis boni deest, à membris participent coniunctis. Cui fideles per fidem Christi & charitatem sic inseruntur, vt cordis & capitis influxum spiritalem accipiant, animis & voluntatibus tam inter se, quam cum capite consentiant, & vnus cum DEO spiritus efficiantur. Caput illius Christus Ephes. 4. nominatur, *Crescamus in illum, qui est caput nostrum Christus*: non quasi pars sit, & propter ipsam Ecclesiam: sed quia nobilior eâ, sanguine suo ipsam sibi acquisiuit, & ei velut princeps dominatur. Vnus enim ipse membris reliquis omnibus simul aggregatis longè præstantior est. Ideo cum Apostolus ordinem hierarchicum construeret, Christo prætermisso, partes & ministros tantum enumerauit, hac facta distributione. *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & Doctores.* quibus subnectit alibi plures, qui dona quædam alia diuina munificentia sortiuntur. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Ac priori quidem loco finem dispositionis huius hunc adfert: *ad consummationem Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Ita primum sibi locum vendicant inter cœlestis ciuitatis secundarios ædificatores, & partes *Apostoli*, qui à fonte Christo Domino plenitudinem eiusdem potestatis his verbis acceperunt. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*, ijdem propter eandem causam etiam *fundamenta portæque* duodecim domus illius cum Christo nominantur. Secundum gradum obtinent *Prophetæ*, quia diuinæ mentis arcana per eos referantur: nam Moysis instar à Deo legantur nobis, vt diuinam voluntatem aperiant. Tertio locantur in ordine ij, qui sanctissimi Spiri-

Eccleſi corpus num c fiat.

caput eius Christus est.

Membra præcipua *Ephes. 4.*

1. Cor. 12.

Io. 20.

Apostoli Prophetæ Euangelistæ.

SS. Reges cum Apostolis numerandi.

tus afflatu libros Euangelicos conscripserunt : sequuntur Episcopi & Doctores.

Sed quonam in gradu Reges nostri poterunt collocari? An Pastoribus Episcopis, an Prophetis accensebimus? possunt oquidem: ijs aggari mihi tamen in Apostolos videntur potiùs numerandi cum S. Paulo & Barnaba, qui licet duodenarium numerum superarint, potestate tamen pares reliquis Apostolis exstiterunt, vbiuis locorum fidem Christi promulgarunt, ecclesias erexerunt, Episcopos constituerunt, sacerdotes consecrarunt. Dubitari potest, quis in structura spiritalis ædificij locus & honor ijs debeatur. Nam Apostoli 12 tantum lapidibus pretiosis in fundamentis ecclesiæ designantur, nec apta ciuitatis illius descriptio proportioque patitur adijci vel noua fundamenta, vel priora non congruenter contrahi, vt noua quædam inserantur.

in ps 66. cur dicantur fundamenta & portæ.

Hanc litem S. Augustinus dissoluit. *Quare fundamenta*, inquit, *Apostoli & Prophetæ? quia eorum autoritas portat infirmitatem nostram. quare sunt portæ? quia per ipsos intramus ad regnum Dei: prædicant enim nobis, & cum per ipsos intramus, per Christum intramus: ipse est ianua, & cum dicuntur duodecim portæ Ierusalem, & vna porta Christus, & duodecim portæ Christus, quia in duodecim portis Christus, & ideo duodenarius numerus Apostolorum, Sacramentum magnum huius duodenarij significatio est numeri: sedebitis inquit super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israël, si duodecim sella ibi sunt, non est vbi sedeat tertius decimus Paulus Apostolus, & non erit quomodo iudicet, & ipse se iudicaturum dixit non homines tantum, sed & Angelos. Nescitis, inquit, quia Angelos iudicabimus? responderet ergo turba, quid te iactas iudicaturum? vbi sedebis? duodecim sedes dixit Dominus duodecim Apostolos: vnus cecidit Iudas, in locum ipsius S. Matthias ordinatus est, impletus est duodenarius numerus sedium: primo locum inuenias, vbi sedeas, & sic te minare iudicaturum: duodecim ergo sedes, quid sibi velint videamus. Sacramentum est cuiusdam vniuersitatis, quia per totum orbem terrarum futura erat Ecclesia, vnde vocatur hoc ædificium ad Christi compagem, & ideo quia vndique venitur ad iudicandum, duodecim sedes sunt; sicut quia vndique intratur in illam ciuitatem, duodecim portæ sunt: non solum ergo illi duodecim & Apostolus Paulus, sed quotquot iudicaturi sunt, propter significationem vniuersitatis ad sedes duodecim pertinent: quemadmodum quotquot intrabunt, ad duodecim portas pertinent: atque ita non Apostolos tantum, sed & Prophetas S. Paulus fundamentum nominat Ephes. 2. superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV.*

Ephes. 2.

Apostolatus prærogatiua.

Equidem Apostolatus dignitas reliquos etiam gradus inferiores, si Euangelistæ nomen latius acceperis, complectitur, vti iam prolixè de sanctis Regibus ostensum est, ijsdem fuisse titulis honorum à SS. Patribus insignitos. Eximiam tamen in se splendoris excellentiam indicat, quam Christus speciali electionis nomine sæpius solet designare, qui honor nec ipsis 70. discipulis à Christo licet euocatis, tribuitur. Cum igitur de peculiari facta, ex omnibus Gentibus selectione trium Regum, de æquali officio legationis ijs à Christo ad Iudæos, & Gentes omnes commisso non liceat dubitare, videntur etiam fuisse non testes tantum nati Saluatoris & diuinitatis, regiæque potestatis constituti, sed & fidei & salutis per ipsum solum obtinendæ præcones vbique gentium, primò tamen in Iudæam destinati, postea ad Gentes, qui mentes mortalium velut prodromi præpararent, & subigerent, vt sementem Apostolorum facilius reciperent, & cum fœnore messem refunderent vberrimam. Præterea cum ijdem etiam postea velut Barnabas ab Apostolis sint electi, qui regiones Gentium obeundo cunctas ad Christi fidem ritu Apostolico perducerent, hæc ijs videtur Apostolatus deberi prærogatiua, vt post ipsos sanctos Apostolos à Christo speciatim electos, hi in proximis numerentur.

Apoc. 3. Columnæ dici possunt.

Mihi sanè videntur iam tum, quando relictis regnis, coniugibus, liberis Deum secuti sunt eos præuia vocantem stella ad incunabula Saluatoris, illud promissum meruisse, quod delatum postea fuit Episcopo Philadelphiæ. * *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei noua Ierusalem, quæ descendit de cælo, à Deo meo, & nomen meum nouum.* Quibus Christus eos, qui tenera, nondumque robusta & confirmata virtute sunt cohortatur ad sui generosam victoriam, vt indies cumulationibus virtutum exercitationibus, ad ipsum perfectionis culmen & soliditatem

tem adſpirent, nullam partem eorum prætermittendo, quæ ad mundi & ſui ipſius contemtum & odium conducere videantur, ijs igitur virtus excellens numeriſque ſuis abſoluta promittitur in hac vita, vt velut columnæ fulciant Eccleſiam in terris militantem, eique ſint maximo decori, robori & ornamento.

Ecclesiæ militantis *S. Greg. 17. Mor. c. 14. Haymo Primasius Beda Anselmus S. Thomas 2. Pet. 2.*

Vnde de militante potius quam triumphante (quæ templo caret) eum locum S. Gregorius 17. Mor. c. 14. Haymo, Primaſius, Beda, Anſelmus & S. Thomas interpretantur: nam columnæ vices ſuſtinere, graue deſignat onus Eccleſiæ, quod vitæ potius præſenti, quam patriæ conuenit. Ideo ſubiungit, *& foras non egredietur amplius*. Præmiſerat huius firmitatis cauſam: *& ego ſeruabo te ab hora tentationis*, vt Deus Reges ab Herodis inſidijs in reditu protexit, ne fraudes ijs neſarij tyranni fierent nocumento, *Nouit enim Dominus* teſte S. Petro *pios de tentatione eripere.*

similes trophæis & columnis Salomonicis. *3. Reg. 7.* Herculeis, & Machabæiticis.

Erant in porticu templi Salomonici duæ prægrandes æreæ columnæ conſtitutæ tanquam trophæa quædam victis & ſpoliatis hoſtibus erecta, de quibus ſcriptura: *& finxit duas columnas æreas decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam; & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque; & ſtatuit duas columnas in portica templi, cumque ſtatuiſſet columnam dexteram, vocabat eam nomine Iachin: ſimiliter erexit columnam ſecundam, & vocauit nomen eius Booz.*

Quales enim Gadibus geminas Hercules, tanquam limitem victoriarum ſuarum conſtituerat hac inſignitas epigraphe, *Ne plus vltra.* Similes duas ducentis (vt putant) poſt annis, Dauidi parenti ſuo. Salomon erexit, quibus inſignia victoriarum illius continerentur: Salomonis exemplum ſecutus Simeon, vt fortiſſimi parentis, & fratrum palmas immortales poſteritati conſecraret, de eo ſcriptura ait: *adificauit Simeon ſuper ſepulcrum patris ſui, & fratrum ſuorum adificium altum viſu, lapide polito retro & ante. Et ſtatuit 7. pyramidas, vnam contra vnam, patri & matri, & quatuor fratribus, & his circumpoſuit columnas magnas. & ſuper columnas arma ad memoriam æternam, & iuxta arma naues ſculptas, quæ videntur omnibus nauigantibus mare.* Erant hæ Machabæorum columnæ nauigantibus, ſicut Iſraëli toti columnæ Salomonicæ ſpectabiles, quoties orandi cauſa Iudæi templum ingrederentur; in oculos enim omnium incurrebant. Ita Chriſtus ſapientiſſimus architectus muro iam Iudæorum tredecim diebus ante ad ſe ducto, cui velut limes & angulus ipſe ſubijceretur, tres erexit è Gentibus columnas altiſſimas, politiſſimas, ſolidiſſimas, ornatiſſimas, quæ ſui operis ſplendore, firmitate, & quadam maieſtate cunctorum Iudæorum ſimul & Gentilium oculos admiratione defixos detinerent, tales orbis Dynaſtas tam remotis è locis tam breui tempore in Palæſtinam aduolaſſe, ad lapidem recens iactũ angularem, vt fundamento illo deinceps omnes terrarum nationes niterentur, ab eo ſolo ſalutem ſpretis Dijs falſis exſpectarent, & ipſi dum Iudæos eximia religione monitis & exemplo præueniunt, tale trophæum erigerent vincendæ Chriſti morientis virtute idololatriæ.

cur 3. noui teſtamenti columnæ ſint ſtatuendæ.

Ac rectius tres in nouo teſtamento conſtituuntur, quam duæ, vt præcipua myſteria fidei ijs deſignentur: ſymbola ſint SS. Trinitatis, Chriſtiſque perſonæ regiam, diuinam, & ſacerdotij poteſtatem explicent, vnde donis etiam ſuis tam inſignibus, raris, inuſitatis hæc teſtatiora poſteris fidelibus tam Iudæis quam fidelibus reliquerunt. Adde quod tribus item titulis inſigniantur. *Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, & nomen meum nouum.* Hic nomen Dei ter repetitum innuere poteſt triadem perſonarum, & primo quidem Deo Patri ſunt illa Regum erecta decora, quem abiectis idolis, vt filij Dei, fidelesque ſupplices adorarunt: ſecundo adiectum nomen Ieroſolymæ militantis nouæ, à Chriſto iam fabricandæ, & à Spiritu Sancto gubernandæ, deductis ex Oriente marmoreis, vel æreis iſtis columnis verè Regijs, vt maior firmitas & ſplendor accederet inchoato recens operi: qui ſicut in terrena Chriſti ſtructura primas Gentilium obtinebant, ita in libro vitæ cœleſtique Solyma cum primis accenſerentur. *Et nomen meum nouum*, ſalutiferum nimirum Iesvs recens in circumciſione ſanguine meo partum, vt primi Chriſtiani vel de Societate Iesv nominentur, & ſtabiles illius ſolidæque columnæ, in quibus elucet gloria, gratia triumphusque Seruatoris, qui ſic eas auxilijs ſuis diuinis ſtabiliuit, vt turbines omnes & tempeſtates à Iudæis & Herode excitatas, vel metuendas vincerent: & verè nomine Iesv ſunt inſigniti: quem ob paſſionis & mortis meritum Deus *exaltauit & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine* Iesv

inſcriptio triplex earum, Dei Patris. 2. eccleſiæ militantis. 3. & ſalutiferi nominis Iesv.

ſalutaris affectus harum columnarũ.

omne

omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum: Nam Iudæi Gentesque summa reuerentia & animi submissione, qua Reges isti pannosum, inter pecudes abiectum infantulum adorarunt, omni corporis & mentis subiectione regnantem in cœlis venerantur, vt ex his tribus erectis nouis trophæis, & Patris cœlestis, & matris illius, de qua Galat. 4. Apostolus ait; *Quæ sursum est Ierusalem libera est mater nostra*: & verò præcipuè Iesu gloria, maiestas, virtus & potentia refulgeat, quando tales columnæ nullis hominum, vel dæmonum machinis, arietationibus & impulsibus conuelluntur; sed semper roboris instar, ventorum flatibus, altioribus radicibus fundantur: de his Ieremiæ 1. Deus pronuntiat: *Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream*: vt essent in se firmi per fidem (sic explicat Richardus de Victore) recti per æquitatem, erecti per intentionem, sublimes per contemplationem, sustentantes alios per verbum consolationis, suffragio orationis, exemplo actionis. Tales fuisse columnas Ecclesiæ à cœlo ad terram porrectas, stellatas vel igneas vidit S. Seuerinus Coloniæ de S. Seruatio, cui eodem loci sacellum erexit, quod portam cœli nominauit: de S. Blasio Ephrem Syrus: & veritatem rei gestæ dies Epiphaniæ declarauit: quando conspexit eundem igneâ loqui linguâ, & die eadem Græci idiomatis peritiam eiusdem precibus diuinitus accepit. Nec militanti deest Ecclesiæ à columnis istis fulcimentum, robur & subsidium: quam sicut exemplis instruunt, ita suffragijs muniunt, vt & ipsius clientes confirmentur. Habemus hac de re S. Bernardi præconium illustre, S. Victoris trophæum nobile Deo Patri Filioque supplius victoriæ erigentis, & nos precibus fulcientis, vt & nostris palmis Deus glorietur.

proprietates.

vtilitas.

orat. 2. de S. Victore.

S. Victor Columna.

Victor inclyte, qui & de terra & de cœlo glorioſiſſimè triumphaſti, illius gloriam nobiliter ſuperbus deſpiciens, & huius regna piè violentus diripiens, reſpice de cœlo ad euinctos terræ, vt hæc ſit tuorum conſummatio triumphorum: ſi & nobis demum te vicisſe ſentiamus: nam ſi ex re nomen tibi perfecta veritas nominis ex noſtra liberatione concedetur, & certò deeſt interpretationi, quamdiu nos, qui hic ſumus, minimè liberamur. Quam pium, quam dulce, quam ſuaue ô Victor in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari? nomen tuum, & memoriale tuum fauus diſtillans in labijs captiuorum, mel & lac ſub lingua eorum, qui tui memoriâ delectantur. Eia ergo fortis athleta, dulcis patrone, aduocate fidelis exſurge in adiutorium nobis, vt & nos de noſtra ereptione gaudeamus, & tu de plena victoria glorieris. Omnipotens Pater peccauimus tibi, facti filij alieni, ſed appropiauimus in Victore, qui dum vicit cupiditatem ſuam, vincat & iram tuam, nos quoque in gratiam potenter reſtituat. O victor Ieſu, te in noſtro victore laudamus, quia in illo te vicisſe cognoſcimus: da ei pulſime Ieſu ſic de ſua in te victoria gloriari, vt non ſubeat obliuio noſtri. Fili Dei immitte ei noſtri ſemper in conſpectu tuo memorem eſſe, noſtram in tuo tremendo iudicio ſuſcipere & agere cauſam.

& aduocatus fidelis.

Sed cum fundamenta sanctos Reges cum Apostolis fulciendæ fabricæ statuemus, quomodo nunc extra quasi structuram pro trophæis extollimus, vt nullam videantur ædificij Christi partem attingere, nec niti quidem communi fundamento?

Ego dum penitius adyta scripturæ lustro; duo reperio templi ostia foribus bipatentibus distingui: nam apud Ezechielem lego c. 41. *& duo ostia erant, & in templo & in sanctuario, & in duobus ostijs ex vtraque parte bina erant ostiola, quæ in se inuicem plicabantur, bina enim ostia erant ex vtraque parte ostiorum, & calata erant in ipsis ostijs templi Cherubim, & sculptura palmarum.* Sic 3. Reg. 6. v. 32. *Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos, & duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, & vtrumque ostium duplex erat, & se inuicem tenens aperiebatur, & sculpsit Cherubim & palmas, & calaturas valde eminentes, operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.*

fores bipatentes.

Christus ostium nominatur. 1. *Io.* 1. 1. *Cor.* 16. *Philost. lib.* 8. *vitæ Apollonij.* 2. *Cor.* 2.

Ostium scimus in scripturis Christum appellari, de se enim ipse loquitur: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*: sed quid sibi vult ostium duplex? solent diuinæ paginæ occasionem doctrinã Euangelicam, & fidem Christi promulgandi etiam ostium nominare, ita dicit Apostolus de Epheso: *Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten, ostium enim mihi apertum est magnum & euidens, & aduersarij multi*: commoditates insinuat, & occasiones multas Ephesi fuisse Gentes conuertendi: nam ad emporium istud totius Asiæ nobilissimũ, innumeræ gentes confluebant: iterum; *Cum venissem autem Troiadem propter*

propter Euangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino, aditus nimirũ propagandæ fidei Christianæ, petit eundem in finem à Colossensibus preces, *orantes simul & pro nobis, vt DEVS aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi.* Sed clarissimè Christus ipse fatetur se Philadelphino quem columnã facere voluit Ecclesiæ pro Iudæis conuertendis ostiũ reseraſſe, *Ecce*, ait, *dedit coram te ostium, quod nemo potest claudere: ecce dabo de Synagoga satanæ, qui dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed mentiuntur: ecce faciam illos vt veniant, & adorent ante pedes tuos, & scient, quia ego dilexi te.* eos promittit illi Iudæos reliquis contumaciores, qui de satanæ potius, quam DEI synagoga videantur esse diuina tamen virtute immutatos supplices admitti petituros in DEI filios. Vt ex his locis colligere liceat Apostolum Paulum de ostio Gentibus reserato, Christum de altero Iudæorum, illa verba protulisse, adeoque duas quasi concipiendas videri portas Ecclesiæ militantis, alteram quæ Judæis, alteram quæ Gentibus conuersis aditum fidei & caritatis patefaciat: Ac licet Christus Iudæis potissimum ætate sua fidem annunciarit, Apostolis tamen post Anastasin etiam Gentium ostium ijs verbis aperuit: *docet omnes Gentes.* ideo fortasse fundamenta & portæ, non Apostoli tantum, sed & Prophetæ nominantur: & 24. dicuntur seniores, partim ex Apostolis & Apostolicis viris noui testamenti, partim ex veteris, Patriarchis & Prophetis collecti, qui bases quasi reliquorum electorum constituuntur, vt liceat & ideo duplicare portas & ostia, quibus tam Gentes, quam Iudæi in Christi templum ingrediantur.

duæ fores Ecclesiæ.

Et hac ratione tres licebit columnas erigere intra ædificium Ecclesiæ, mediam vnam & geminas, quæ parietes terminent, & quibus ostiorum cardines inserantur: vt in ijs fores versatæ & ad medium flexæ seris & repagulis ipsi incumbentibus claudantur & aperiantur; quarum ornatus, species & emblemata respondeant Salomonicis postibus, anglyphorum ornatu decoratis, qui postes trium harum columnarum in propylæo militantis Ecclesiæ formam exprimebant: nam diuina humanaq; scientia Cherubinorum instar præditos, & sui ipsius victoria & plamis nobiles, Reges in uictos repræsentant, eosdemq; Sacerdotij quasi charactere cælatos, postea & plagis martyrijq; notis pro Christo insignitos, qui tam trophæi instar SS. Triadis gloriam & fidem illustrarunt, quam fulcierunt domum DEI: atque dum supra fundamentum vix nati Christi structuræ tum orienti inseruntur, proximi ostijs censendi sunt; ijdem quia Iudæis & Gentibus primi fidem promulgarunt, ad vtriusque gentis ingressum in domum DEI multum videntur contulisse, imò & ostium ipsum Christum Dominum sustinuisse: dum opibus largè donatis matrem & infantulum, desertum à Iudæis, sustentarunt.

ornamenta postiũ templi Salomonici.

sunt colũnæ ostiorum Ecclesiæ.

Et quoniam sanctos Reges Apostolis duodecim ducimus inferiores, qui post Christum fundamenta & portæ ciuitatis secundaria nominantur, ideo super Apostolus ædificati ab ipsis & inprimis S. Thoma plenius instituti, ipsorum dicuntur fuisse Adiutores. Hinc & conspicuo magis loco, quam fundamenta locantur, & ostia fulciunt, vt facilius claudantur & reserantur. Hæc accommodatitio sensu dicta velim, qui gloriam SS. Regum mirificè potest illustrare, sicut alibi significaui eosdem in corpore Christi mystico venarum, neruorum & arteriarum officium præstare.

Hactenus sanctorum Regum prærogatiuæ ex diuinæ electionis excellentia, officij magnitudine, gratiæ copia & beneficijs Gentilibus impetratis repetiuimus, deinceps vaticinia quædam & figuras, quæ seculis multis ante Magorum historiam præsignarunt, persequemur.

TOMI PRIMI SS. TRIVM REGVM MAGORVM ENCOMIASTICI.

LIBER SECVNDVS.

PROPHETIÆ ET FIGVRÆ VEL COMPARATIONES EX VETERI TESTAMENTO DE HISTORIA TRIVM REGVM, ET EPIPHANIÆ FESTIVITATE.

CAPVT I.

De S. Scripturæ reconditis sensibus, & 24. Prophetarum oraculis Epiphaniam præmonstrantibus, vt testatur Sinensis lapidis ab octingentis & pluribus annis inscriptio.

MAGNVM miseris mortalibus solatium exstare voluit diuina Sapientia in diuinis scripturis, vt earum assidua lectione, & contemplatione mens humana sæpius è terra ad cœlos vsque subuolaret, & ibi bona sempiterna sibi parata degustaret, sicque spretis caducis iis tantum veris inhiaret. Atque ne prima lectione perspectis omnibus mens expleta fastidiret repetitionem, voluit eas variis & occultis distinguere sensibus, vt dum nouas reperit; nec hactenus deprehensas veritates, auidus lectionem iteraret: præsertim cum hominis vita breuior sit, quam vt possit oceanum istum exhauriire, quantumuis S. Augustinum ingenio superaret: is enim hoc die sua tenuitate & codicum istorum majestate fatetur ingenue. *Tanta est Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solus ab ineunte puertia, vsque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere; non quo ad ea, quæ necessaria sunt saluti tanta perueniatur difficultate, sed cũ quisque ibi fidẽ tenuerit, sine qua pièreque non viuitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorũ umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant tantaque non solũ, in verbis, quibus ista dicta sunt, verumetiam in rebus, quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimus, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet: cum consummauerit homo tunc incipiet.*

Causa cur sint tot reconditi sẽsus in scripturis sacris

S. Aug. t. 2. ep. 3. ad Volusianũ.

Profunditas earũ.

Eccl. 18. v. 6.

Solet verò vel maximè legentem detinere sensuum varietas: quorum præter historicum, vel literam tres mystici numerantur; allegoricus, typos Ecclesiæ Christi continet: multa sunt in sacro codice, quæ à SS. Patribus & interpretibus eo sensu mysteria diei Epiphaniæ dicuntur figurare: de angogico non laboro: plurima etiam sensu morali ab ijsdem SS. Regibus accommodantur, præsertim in Prophetis: imò iam ab octingentis annis senserunt nonnulli 24. Prophetarum oraculis Epiphaniam fuisse prænunciatam. Penetrarat sexcentis post Christum natum annis Palæstinus Christianis sacris initiatus in Chinam, & regnum illud vastissimum magnam partem fidem docuerat orthodoxam: quæ ne sensim interiret: quidam circa annum Domini 782. incidit eius capita primaria lapideo monumento, adiectis Regibus & Episcopis Christianis: quã inscriptionem Latio donauit nuper Athanasius Kircher in Copto prodromo, quæ illustre continet SS. Reg. encomium hoc exemplo. *Tunc vna de diuinis personis SS. Trinitatis dicta Messias, restringendo tegendoq; maiestatẽ suam & se humanæ naturæ accommodando homo factus est; quamobrem ad hoc gaudiũ annun-*

quatuor sensus.

Allegoricus sæpè respicit Epiphaniam.

Conuersio regni Chinensis.

Athanasius Kirchen in cepto prodromo.

nunciandum Angelum ablegauit, & de virgine in Iudæa natus est; STELLA MAGNA HVIVS FELICITATIS FVIT ANNVNCIATRIX: REGES EIVS CLARITATE PERSPECTA MVNERA OBLATVRI VENERVNT, VT LEX ET PROPHETIÆ 24. PROPHETARVM ADIMPLERENTVR. Eximia gloria trium Regum.

Facit hoc mirificè ad commendationem SS. Regum: cum enim præter Christum, Deiparam, S. Ioannem, & Apostolos, perpauci Sanctorum sint noui testamenti, quos vel figuræ veteres expresserint, vel vaticinia Prophetarum longè ante in veteri lege indicarint, augusta profecto dignitas istorum Magorum esset, si eos lex ipsa figurasset, & 24. vates diuinitus inspirati cognouissent, vt latissimum mihi tot oracula Prophetarum & figuræ quædam, vel comparationes Patriarcharum campum aperiant in quo toto libro secundo in Regum elogijs exsultet oratio. à 24. Prophetis prænuncia ti sunt.

Atque sicut Prophetæ alij solam Christi natiuitatem, alij prædicationem; miracula quidam; nonnulli anastasin, vel iudicium reliquis omissis prædixerunt, solus autem Isaias totam Christi vitam sic complexus est, vt rem præteritam, quasi vnus Euangelistarum narrare, non futuram prædicere videatur: sic eorum, quos allaturus sum quidam tantum vocationem Gentium Epiphaniæ die inchoatam, alij matrimonium Christi tunc cum Gentilitate contractum; nonnulli Iudæorum obcæcationem & repudiationem, Gentilium vero electionem, vel dona Regum tantummodo retulerunt. Vnus autem Isaias varijs in locis totam videtur rei gestæ seriem enarrasse. Quod vero Sinensis inscriptio dicit, *vt lex adimpleretur*, ea censeri potest à Christo tunc fuisse consummata, quando matrimonium cum Ecclesia, præsertim Gentilium inijt, & ejecta anicilla Synagoga veteri, se nouæ sponsæ fidelium Ecclesiæ copulauit: id quod sæpius dictum fuisse, licet in Epiphania Domini inchoatum, sic in cruce per mortem impletum, vt dies ille primus nuptialis Christo videatur desideratissimus ab æternitate illuxisse, quando ex Oriente vocatis Regibus sanctiori se eis, & fortiori vinculo, quam olim Iudæis obligauit, fidem ijsdem promittens stabilem & sempiternam, cuius diei celebritatem Deus Adamo, Noëmo & Abrahamo præcipuis Patriarchis videtur non obscurè significasse, vt iam videbimus, plures tamen quam 24. adducam: vt si quæ aliis prophetiæ videantur obscuriores, vel minus idoneæ, aliarum accessione, robur & claritatem maiorem nanciscantur: postea Sybillarum subnectam de ijsdem oracula: denique figuras, attexam varias à SS. PP. & interpretibus insignitas: quas si quis neget proprie & in rigore sic nominandas, licebit accommodatio saltem ijs sensu applicare, vel comparationes appellare. Isaias vniuersam hanc historiam prædixit.

CAPVT II.

Adamus matrimonium Christi cum Ecclesia prænunciauit, id in Epiphania Domini fuit solenniter celebratum cum Gentibus.

PRIMVM fuisse vatem generis humani protoplastum Adamum apud SS. Patres extra controuersiam est. S. Epiphanius, ait, *Adam Protoplastus formatus est, non autem erat idololatra, & nouit Patrem Deum & Filium & Spiritū S. Propheta enim erat.* Concinit S. Hieron. ad Ephes. 5. *Primus vates Adam hoc de Christo & Ecclesia prophetauit.* quem sequitur S. August. qui vult *per eam exstasin factum fuisse Adam participem tanquam Angelicæ curiæ, vt intrans sanctuarium Dei intelligeret nouissima.* & ante hos Tertul. ait, *Adam statim prophetasse magnum Christi sacramentū, quia accidentia,* inquit, *Spir. passus est, cecidit enim exstasis super eum, & S. Spir. vis operatrix prophetiæ.*

Adam primus vates. *S. Epiphanius. In exordio Panarij. aduersus 80. hæreses. S. Hieronymus lib. 9. gen. lit. c. 19. S. Augustin. Tertullian. de vita c. 11. & 21. & l. 3. cōtra Marcion. cap. 5.*

Prophetiam Adamus, adducta prius ad se, de suo formatā latere Euā talem, edidit: *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniā de viro sumta est: quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Quam ex Apostolo sic exponit Prosper: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia: sacramentum igitur magnum, quod promissum sperauit Adam; sibi coniunctam vidit, quam credidit coniugem; Nobis*

prædixit Ecclesiæ cū Christo coniunctionem maximā. *Prosper. p. 1. de prædict ei. Ephes. 5.* per

per fidem viuorum, signauit futuram Ecclesiam, matrem appellauit omnium viuorum, ea scilicet causa, qua ex latere Adæ dormientis formata Eua, ex latere Christi in cruce pendentis formandam, vt factum est, præuidit Ecclesiam, quæ vere est mater omnium viuorum. Cum B. Prospero S. Hieronymus facit, qui sic explanat. *Primus vates Adam hoc de Christo & Ecclesia prophetauit, quod reliquerit Dominus noster atque saluator patrem suum Deum, & matrem suam cælestem Ierusalem, & venerit ad terram propter suum corpus Ecclesiam & de suo eam latere fabricatus sit.* Sed quomodo de latere Christi morientis præuidit Ecclesiam fabricandam, nec cognito mysterio redemtionis? An prophetico spiritu quædam Adamus vaticinatus est, quæ ipse (vt quidam volunt) non intellexit? An quod ego potius probo, sola res mysterij verbi corporandi seu summa verbi futura cum Ecclesia coniunctio, & reciprocus amor ei diuinitus patuit; modi vero & adiuncta, quæ peccatum hominum consecuta sunt, Adamum latuerunt? ita Suarez recenset: *Cum ergo*, ait, *sancti applicant significationem illorũ verborum ad aliqua mysteria, quæ supponunt culpam, non intelligunt Adamum omnia illa in particulari, & iuxta proprium illorum modum cognouisse, sed solum mysterium ipsum, quo ad eius substantiam, & quo ad summam coniunctionem cum Ecclesia sua, quæ de latere eius ædificanda erat: non autem de latere Christi morientis in cruce; ita vt hoc totum Adam cognouerit: cum neque hoc per verba Adæ significatum sit sed in communi potest intelligi de latere, id est, de amore & de corde Christi: pertinuit autem ad perfectionem Adæ, vt ea intelligeret, quæ verbis suis significabat, & ideo à Sanctis non solum dicitur locutum fuisse spiritu prophetico, sed fuisse verè Prophetam: non est autem necesse, vt intellexerit omnia mysteria, quæ in illis verbis possunt inueniri, seu ad quæ possint accommodari, quod in omnibus ferè prophetijs commune est.*

S. Hieron. in epist. ad Ephes. 5.

Suarez to. 2. 3. p. dis. 45.

abstrahendo à morte Christi.

Ex his iure quis ambigat: num Adami vaticinium possit celebritati Epiphaniæ conuenire: nam si de repudiata Synagoga & electa Gentilium Ecclesia Christoque iuncta voluit id affirmare, necesse fuit eum propria & posterorum in Synagoga peccata cognouisse. Mea quidem sententia summam gestorum ijs verbis expressit, dum amorem beneuolentiæ sponsi cum sua sponsa reciprocum satis indicauit, quem vterque coniunx gratiæ & pietati in parentes esset præpositurus, dum vnum iam quasi corpus cum suo compare constituit. Hanc mutuam beneuolentiam, quæ mortales inter coniunctiones suprema est, non satis apertis signis Iudæi Pastores manifestarunt; ea, magis in Regibus Orientis emicuit, dum relictis regnis, coniugibus, liberis per mille vitæ discrimina sponsum iniquissima tempestate anni quæsierunt, vt eius tantummodo castis amplexibus, & adspectu semel fruerentur, ijdem amore sponsi thesauros exinaniverunt, vt ipsius subuenirent egestati, & audire dilecti vocem mererentur. *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna.* an quisquam Euangelistarum meminit vllius, qui ante perpessionem Dominicam præter Deiparam & Ioseph tantas vltro molestias itineris & vitæ pericula susceperit amore Christi, quantas tres isti Reges Orientis? qui tantis indicijs, ea pollens dignitate suum affectum infantulo declararit? vt tunc rectè Gentilium ecclesia suas dicarit Christo primitias, & amoris vicem verè maritali affectu rependere laborarit, cum die Epiphaniæ per Reges ipsum adorauit, & vnum cum Christo corpus coaluit Gentilitatis, fide, & caritate, sponsi membris agglutinata. Hinc eo ipso die matrem suam Synagogam, è qua natus erat Messias, deserere statuit, vt nouæ nuptæ Gentilitati sese arctius obligaret. vnde hæc ipsa prophetiæ Adami verba sic S. Augustin. interpretatur. *Christum reliquisse Patrem, cum carnem sumsit, matrem vero cum synagogam repudiauit, & adhæsit Ecclesiæ, quæ formata est ex latere ipsius dormientis in cruce.* subdit. *Propterea immisisse Deũ soporem in Adam, quando hoc præsignificabatur, quia Prophetia illis temporibus futuro huic tempori dispensabatur.* Nulli dubiũ esse debet, quin Epiphaniæ festo cœperit Christus matrem suam Synagogã repudiare, & Saram ducere, tunc cum lapis angularis iaceretur vtrumq; parietem connexurus, de quo sæpius actum est: hoc igitur mysterium allegorico sensu latebat in ipsa Adami prophetia, licet illam Gentilis & Hebræi populi de peccato natam dissensionem nondum cognosceret, tempus tamen idem designabat, quo mutuæ dilectionis vicem & amorem sumum nupta noua Ecclesia sponso Christo præsenti & nato rependeret, vt corpus vnũ mysticũ & vna caro sponsam & sponsum inter coalesceret. CA-

Epiphaniam prænunciauit.

per amorem Regũ recipiocũ erga sponsum.

propter Gentilitatis amorẽ Christus deseruit matrem suam synagogam.

S. Augustinus tract. q. in 10. post. medium.

CAPVT. III.

Alter vates Noë prædicit Gentilem populum tunc cum Iudæis sociandum.

NOëmum Prophetam fuisse is tantum dubitet, qui negarit eum arcæ fabricatorem centum annis in ea contra diluuij aquas excitanda laborasse. Hic tribus susceptis liberis, cum eorum uni Iapeto bene precaretur, oraculo tali Gentilis populi futuram cum Semitis in aduentu Messiæ consensionem significauit: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Gen. 4. v. 27. Hebræa vox si vt sonat, efferatur, tota alludit ad miram Iapeti per orbem propagationem: significat enim *Dilatet Deus dilatatum.* Nam cum Chami posteritas impia totam Aphricam cum meridionali plaga maioris Asiæ possedisset, Semus vero regionem Orientalem Asiæ ad Indicum oceanum vsque; Iapeti progenies totam per Europam dispersa non tantum Asiæ partes Aquilonares iam inde à Tanai fluuio ad Taurum & Amanum vsque montes occupauit: sed & successu temporis viribus aucta maioribus, per Semi regiones se dicitur diffusura. Est hic sensus literæ: nam licet Delrio, Pererius & complures alij velint, ad literam per tabernacula non posteritatis Semi regiones; sed Ecclesiam intelligi; verisimilius tamen est, hunc sensum allegoricum esse. qui tamen præualeat literæ, quemque præcipue Spiritus S. intenderit: nam longè ante denunciat Noëmus fore, vt circa Messiæ aduentum Gentium ecclesia sit dilatanda, Iudæisque socianda per Christum; id constat Epiphaniæ festo iuxta SS. Patres accidisse. Horum, & quorunda recentiorum adferam expositionem Principio S. Hier. *de Sem*, ait, *Hebræi, de Iaphet populus Gentium nascitur: quia igitur lata est multitudo credentium, à latitudine, quæ Iaphet dicitur, nomen inuenit, quod autem subditur, & habitet in tabernaculis Sem de nobis præparatur, qui in eruditione & scientia scripturarum electo Israel versamur.* Huc facit ea S. Chrysostomi sententia: *iterum hæc quoque maxima benedictio est, forte latentem aliquem habens thesaurum: Dilatet, inquit, Deus Iaphet: non aberrabit quis si dixerit benedictiones iusti prophetias esse: nam si pater Noë, non simpliciter, neque frustra vocabulum indidit Noë; sed vaticinatus est, per nomen, futurum diluuium, multo magis iustus iste non simpliciter, neque frustra benedictiones protulit: opinor enim quod benedicendo hos duos, duorum populorum vocationem significare voluerit, & per Sem quidem Iudæos: ex illo enim & Abraham & Iudæorum genus multiplicatum est; per Iaphet autem Gentium vocationem: Vide autem quid & benedictio hæc prænunciet. Dilatet enim, inquit, Deus Iaphet. & habitet in tabernaculis Sem: hoc in Gentibus adimpletum videmus: dicendo enim dilatet, omnes Gentes significauit; sed dicendo habitet in tabernaculis Sem, quia Gentes frui cæperunt ijs, quæ Iudæis parata.* Reliquis omnibus accuratius hunc locum Rupertus sic interpretatur. *Tabernacula Sem, in quibus habitaturus esse dicitur Iaphet, priuilegia sunt Iudæorum, his verbis à Paulo numerata: Quorum est adoptio filiorum & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa & Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus. In his tabernaculis longo tempore solus habitauit Iudaicus populus, Gentibus extra positis. Eratis enim aliquando (ait Paulus scribens Gentibus ad Christum conuersis) sine Christo, alienati à conuersatione Israël, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo, hæc enim omnia vnius Hebraicæ linguæ clausura tenebat, quæ cum confusio & diuisio linguarum facta est, sola remansit in familia Heber, inde & Hebraica nominata est. Atque hæc fuere tabernacula Sem, & posterorum eius, non quidem omnium; sed qui ex eo tantum per Heber Abraham & Iacob genus duxerunt. Quomodo autem in hisce tabernaculis habitauerint posteri Iaphet breuiter indicandum est. De Iaphet nati sunt Græci & Latini: namque eius filij septem numerantur à Moyse: Primus Gomer, à quo Galatæ fuerunt oriundi, secundus Magog ex quo Scythæ, tertius Madia vnde Medi, quartus Iauan à quo Iones, sextus Mesech, & hinc Cappadoces, apud quos etiam vrbs quædam inde Masecha dicta est, Septimus Thiras á quo Thraces. In his porro atque in cunctis fere Gentibus Græca & Latina lingua principatum obtinuerunt, illa propter Sapientiam & eloquentiam Græcorum; hæc propter potentiam Romanorum*

Noëmi prophetæ. — Gen. 4. v. 27. vaticinium. — sensus literæ. — de Iaphetri posterorum habitatione dilatanda. *Delrio. Pererius.* — sensus allegoricus. — de Gentium conuersione. — *S. Hieron. in traditionibus in genesin.* — *S. Chrysostomus. Ho. 29. in 9. Gen.* — & cum Iudæis coniunctione. — *Rupertus c. 4. Comment. in Gen. c. 39.* — *Rom. 9.* tabernacula Sem sunt priuilegia Iudæorum. *Ephes. 2.* — ea posteris Iaphet Gentilibus.

per quas linguas tabernacula Sem patefacta sunt cunctis Gentib. ad inhabitandum: per illas enim, translatis ex Hebræo diuinis eloquijs Scripturarũ scientiam & veri Dei notitiã Gentes perceperunt, & primo quidem Iudæi, quib. illa tabernacula ædificata fuerunt, in ea introierunt, nec non & aliqui Gentilium ex Cham: sed posteri tamen Iaphet, à quibus Europa possessa, in illis tabernaculis habitando præualuerunt.

Per linguã Græcam & Latinam patuerunt. Cœpit in ea die Epiphaniæ ingressus

Cœpisse primam Gentilium ad Christi Ecclesiam aggregationem die Epiphaniæ nemo sanæ mentis potest dubitare: tunc enim positus lapis angularis accurrentibus Gentilibus duos cœpit parietes coniungere & soluere maceriam, quæ Gentes à Iudæis odijs capitalibus disiungebat: vt vnius eiusdemque capitis societate corpus idem coalesceret, id quod recentiores nonnulli clarius exposuerunt.

in c. 9. v. 25.

Et societas Gentilium cum Iudæis.

Pererius noster ait: *Ex illis verbis duplex alia exprimitur sententia, altera significari vnionem futuram in Christo Gentilium, & Iudæorum, qui cum antea non solũ disjuncti; sed etiam discordes atque inimici essent, & tanquam parietes ingenti maceria interiecta longissimè dissiti, per lapidem tamen angularem Christum Dominũ inuicem copulati sunt, ipse est pax nostra, inquit Apostolus, de Christo scribens ad Ephesios, qui fecit vtraq; vnum, & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorũ Dei decretis euacuans, vt duos condat, in semetipso in vnum hominem, faciens pacem & reconcilians ambos in vno corpore Deo, per crucẽ inimicitias interficiens in semetipso, Itaq; Gentilis populus, qui erat velut Oleaster amarus, insitus est per Christum in pinguem Oliuam, socius radicis & pinguedinis eius factus, & hac ratione impletum est illud Isaiæ vaticinium: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos, vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum; & leo quasi bos comedet paleas. Ergo Iaphet habitaturum in tabernaculis Sem prophetia est, ænigmatica locutione operta de Gentibus, quæ futuræ participes erant bonorum, quæ Iudæi à Deo, potissimum autem per Messiam accepturi erant.*

Ephes. 2.

Isa. 11.

his paulatim repudiatis.

Altera sententia est posteros Iaphet habitaturos in tabernaculis posterorum Sem, inde ipsis electis: posteri enim Sem fuerunt Hebræi: per eorum tabernacula intelligere oportet veri Dei fidem & cultum & sacrarum literarum eloquia deniq; promissa per Messiam bona ipsis præstanda: in hæc tabernacula intrarunt Gentes per Christũ conuersæ, eaq; perdiderunt Iudæi à Christo alienati. Consprirat cum Pererio Delrio ratione dirutæ maceriæ, collectis in vnum Gentib. & Iudæis: *Significabatur*, ait, *fore vt tandem aliquando Gentes (quarum secundum carnem ferè omniũ parens est Iaphet) cum Iudæis, qui sunt carnales posteri Sem, in vna tandem Christi Ecclesia coalescant: hæc vocatur Tabernaculum Sem: quia principio in sola Iudæa notus & cultus verus Deus, postea per Christum veri tabernaculi. Pontificem & fabricatorem, qui etiam secundum carnem Semi heres & spiritualis Israëlis Rex, quos adoptauit Iapheti posteros, nempe Gentiles in tabernaculum hoc introduxit, & destructa maceria in vnum habitare vtrumque populum iussit. Carnales posteri Sem hac spoliati benedictione fuêre, & in Europa, quam Iapheti genus colonijs impleuit: tabernaculum hoc Romæ, vbi Christi vicarius Petri successor degit, erectum, vt obseruant S. Chrysost. ho. 29. Rupertus & alij: reclamet quantum volet Musculus cum suis, maneat de Iudæorun tabernaculo sarmentun, nec paxillo idoneum: nos in Ecclesia Christi oriundi, orti, Deo dante morituri, salutem fatemur ex Iudæis esse, Io. 4. fatemur oleastrum insertum Oliuæ & pinguedinis ipsius participem effectum: sed contendimus etiam vetus illud tabernaculum Sem cum templo materiali destructum, & nouum petræ Apostolicæ superædificatum, cuius indubitati administratores sunt Romani Pontifices: in hoc primitiæ Semitarum ingressi prædicatione sua nos Iaphetianos introduxerunt, & sic spirituales Semitæ cum Iaphetianis in vnius populi Christiani ciuitatem coaluerunt.*

Delrio in glossis literalibus c. 9. Gen.

Ro. 11. 16.

ideo Sem cum Chanaam fit seruus Iapheti, pridie Epiphaniæ. cum Semitæ deriderẽt Christi nuditatem.

Sed quid sibi vult, quod non tantum Chanaän, vt seruus his verbis Iapheto subijciatur. *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculo Sem, sitq; Chanaän seruus eius,* sed etiam interpretes laudati multiq; SS. Patres Semitas & Iudæos eidem subdant? an ipso die Epiphaniæ Noë verus Christus sanctis Regibus hanc contulit, relicta vt cap. superiore vidimus, matre Synagoga prærogatiuam: vt maior in promissis seruiret Gentium populo? derisusne iam tum etiam à populo Iudaico spretus & abiectus, vt postea dormiens in cruce, cum nudus omnium probris exponeretur? Cer-

Certum est Noë multis in rebus imaginem Christi gessisse, vineæ verò parabolâ (quam plantauit Noë) vetus synagoga varijs in locis scripturæ indicatur: *Vineam*, ait Dauid, *de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam, Dux itineris fuisti in conspectu eius, plantasti radices eius, & impleuit terram.* floruit ea quidem initio nec racemis caruit, electa prorsus & speciosa præ cunctis totius orbis regionibus à Deo tenerius adamata. Sed iam in ipso Messiæ exortu, cum viserent eam Reges Orientis, & ad fructus vineæ Domino deferendos suo monerent exemplo, *exspectata vt faceret vuas, tulit labruscas.* Herodi Messiæ natalem locum indicauit, vt cum eo in necem eius iam tum coniuraret: nimis enim abiectus, vilis, & pauper videbatur, quam vt à Iudæis, tot licet annis exspectatus, reciperetur. ideo mœnibus exclusum in tugurium suburbanum inter pecudes abiecerunt. an non ille Noëmus iam tum amore vineæ dilectæ suæ ebrius, & nudatus suorum irrisioni, ludibrio, & contemtui cœpit exponi? cuius tantum aberat, vt inopiam & nuditatem tegerent Semitæ; vt eum etiam iam tum neci Iudæa destinaret, & post paulo in Ægyptum profugere cogeretur. Præclarè vero & regia magnificentia & munificentia texerunt eam Christi vilitatem Reges Orientales Iaphetiani Gentiles, qui thesauros ad infantiam Saluatoris sustinendam liberaliter effuderunt, neque tantum eum dignati sunt per tanta locorum interualla proficiscendo suis adspectibus; sed honore regio diuinoque pariter, quem licet in stabulo pecudes inter vagientem, adorarunt: Inde profluxit illa Noëmi solis Iaphetianis relicta precatio. Sed mihi quidem hanc opinationem confirmat radix Iapheti, *pata*, hoc est, pellicere, persuadere, vt ex Hebræo sic rectè vertat: Cornelius à Lapide: *persuadeat Deus Iapheto, seu Gentibus ex Iaphet oriundis, vt habitet in tabernaculis Sem, in Ecclesia Christi.* suauiter blanditus Regibus Orientis Christus est, missa stella & persuasit, vt relictis regnis se recens natum infantem adorarent, & ita Semitarum benedictionem & hereditatem obtinerent, quos illa Messiæ infantis infirmitas, matris paupertas, casæ humilitas nimis offenderat, vt missum à Deo Patre filium arroganter despicerent, nec honore, cultu, vel adspectu dignarentur: ab hominum etiam conuictu velut leprosum & mortalium nouissimum ac despicatissimum depulsum ad pecudes amandarent. Fecit hoc familiare Regibus Astrologis signum stella fulgentior sole, in qua dum noui Regis ortum suspiciunt, eum dominantem in cœlis vagientem licet in cunis, vt Deum muneribus oblatis venerantur: oleastri oliuæ inseruntur; ipsa Semitarum tabernacula occupant, quæ posteris Gentilibus deinceps ad nos vsque transmiserunt, veri facti filij spirituales Abrahæ, cernentes eius, legitimis exclusis, hereditatem, vt capite sequenti videbimus: nam hanc nouam ei posteritatem Deus monstratis cœli stellis repromisit.

qui prius electa erãt vinea.

ob quam nudatus Christus, quem deriserunt.

Gentilibus tegentibus eum, qui bene ijs precatus est.

Cornelius à Lapide hic.

Per stellã attraxit eos suauiter.

CAPVT IV.

Abrahamo in stellis Gentilium conuersio promittitur, diem Epiphaniæ videre desiderauit, quo pater multarum Gentium esse cœpit.

VT Magos Euangelicos Deus indicio stellæ duxit ad cunabula Christi, veluti peritos Astronomiæ, ita Patriarcham Abrahamum eadem scientia excultissimum cœlum suspicere iussit, & stellas numerare, vt inde tam posterorum suorum corporeorum, puta Iudæorum innumeram multitudinem, quam spiritualium, scilicet Gentilium, sibi nosset à Deo esse promissam: canit de Abrahamo apud Clementem l. 5. Stromatum Orpheus

Clemens l. 5 Stromatũ.

Vnus præterea, cui deriuatur origo.
Chaldæum ex genere, is noscebat sidera cæli,
Illorumque vias, & qua moueatur in orbem
Sphæra.

Abraham Astronomus.

Hausit eam astrorum cognitionem à maiorib. & forte Semo cum quo vixit: Noëmũ calluisse Astronomiam & posteris tradidisse docet *Berosus* (si tamẽ auctor illius libri est) ait enim: *sed Noë diu ibi mansit, & Armenos primũ docuit agriculturam artemq; colen-*

Et Noëmus ac Sem.

colendi vites,& conficiendi vinum,tum ſacros ritus, & ceremonias colendi Deũ: docuit præterea curſus aſtrorum,& diſtinxit annũ ad ſolis curſum,& menſes.12.ad motum lunæ, multaq́;in poſterum ventura Aſtronomiæ ſcientia prædicebat. Nunc prophetiam audiamus: *Eduxitq́;eum foras & dixit illi:ſuſpice cœlum,& numera ſtellas ſi potes: ſic erit ſemen tuum.* At ſi tam peritus Aſtronomiæ fuit Abraham; numerum-ne ſtellarum paſſim receptum mille & viginti ignorauit? ego non ambigo, quin ea Mathematicorum ſcita calluerit ad vnguem, nec tam hebes fuit, vt ſuſpicaretur extra eum ſtellarum tunc notabilium multitudinem non longè plures aciem humanam effugere, quas nos hodie ſcimus dioptræ beneficio innumeras viam lacteam occupare: præterea in ipſis deprehendimus Planetis ſocios adiectos, vt teſtantur Iouiales: certè Plato in Timæo, Ariſtoteles l. de mundo ad Alexandrum, & l. de cœlo t. 61. Seneca l. 6. naturalium qq. 9. c. 16. Stellarum inerrantium innumeram multitudinem ſtatuerunt; quos ſequitur S. Auguſtinus, qui hæc aptè conciliat. *Promittitur Abrahæ ſemen innumerabile, non ſicut arena terræ, ſed ſicut ſtellæ cœli, vbi mihi magis videtur promiſſa poſteritas felicitate ſublimis: nam quantum ad multitudinem pertinet, quid ſunt ſtellæ cœli ad arenam terræ? niſi quis & iſtam comparationem in tantum eſſe ſimilem dicat, in quantum etiam ſtellæ dinumerari non valent. Non enim eas omnes videri poſſe credendum eſt, cum quanto quiſque acutius intuetur,tanto plures videat. Vnde & acerrimè cernentibus aliquas occultas eſſe merito exiſtimatur, exceptis ijs ſideribus, quæ in alia parte orbis à nobis remotiſſima oriri & occidere perhibentur. Poſtremo: quicunque vniuerſum ſtellarum numerum comprehendiſſe & conſcripſiſſe iactantur, ſicut Aratus & Eudoxus, vel ſi qui alij ſunt, eos libri huius contemnit auctoritas.* hactenus S. Auguſtinus. Qua quidem promiſſione iuxta literam multitudo Iudæorum, ſenſu tamen allegorico, Gentium conuerſio ſignificatur, vt eam Apoſtolus ad Galatas, & Romanos interpretatur, vbi in veris Iſraëlis & promiſſionis filijs Gentes fideles numerat, qui fidem Abrahæ imitantur: nam ij cuncti quaſi cœleſtes quidam & diuini homines ſtellis in ſcripturis, & à Philone ſic comparantur: *Egregium dictum,*ait,*ſic erit ſemen tuum: non tantum par ſtellarum numero; non enim ſolam multitudinem, ſed & alia multa ad perfectam felicitatem conducentia voluit indicare, quaſi diceret: quale vides cœlum, & quæ in cœlo ſunt, talis virtus tua eſſe debet planè cœleſtis, nihilque ſordidum terræ habens, ſemper vmbra carens, plenaque ſplendore puriſſimo ornatè diſpoſita, neſcia interitus, immoto manens ordine,ſemper ſui ſimilis: vult enim Deus velut quandam cœli effigiem animam eſſe ſapientis, vt quæ ad ſimilitudinem cœli lucida habet ſidera, ſtatos motus, concinnas choreas,diuinos circuitus, virtutum ſplendores fulgidiſſimos, & ſtellis ſimillimos; nam ſi ſenſibilium ſtellarum inuenire numerum eſt impoſſibile, multo magis intelligibilium.* Cadit is ſiderum ſpiritalium ordo, concinnitas, ſtabilitaſque in eccleſiam orthodoxam è Gentibus congregatam. vt rectè, ſicut ſiderum ordo militia cœli, ſic ipſa militans appelletur, cuius ſcopus & finis eſt bellare contra effrenes animi cupiditates, & perturbationes, quæ ſolent homines cœlo natos in mores abijcerebelluarum, vt nihil in ijs concinnum, ordinatum & ſtabile; ſed mera vitæ totius & actionum confuſio & perturbatio naſcatur, dum ad effrenem voluntatis ſuæ libidinem ſuos omnes actus & cogitatus moderantur, in quibus non ſereni cœli facies reſplendet; cum inferni quandam imaginem in vita ſua circumferat. Cœpit autem die Epiphaniæ diuinum oraculum impleri, quo SS. Patres ſentiunt, Chriſtum reſpexiſſe. Notanda egregia S. Auguſtini ſententia: dum vult SS. Patriarchas, quibus hæc Deo facta promiſſa ſunt, tam temporalia quam ſpiritalia; plus ad noui teſtamenti expletionem ſpiritalis ſponſionis, quam veteris temporalem aliquam felicitatem anhelaſſe. *Temporalium,* ait, *quidem rerum promiſſiones veteri teſtamento contineri,& ideo vetus teſtamentum appellari nemo noſtrum ambigit, & quod æternæ vitæ promiſſio regnumque cœlorum ad nouum pertinet teſtamentum. Sed in illis temporalibus figuras fuiſſe futurorum, quæ implerentur à nobis, in quos venit finis ſeculorum, non ſuſpicio mea, ſed Apoſtolicus intellectus* 1. Cor. c. 6. *eſt, dicente Paulo, cum de talibus loqueretur. Hæc omnia figura noſtri*

Prophetia ex adſpectu ſtellarum. *Gen.* 15. 5. quæ ſunt innumeræ.

Plato in Timæo Ariſtoteles lib. ad Alex. Seneca l. 6. qq. nat. c. 16. S. Auguſtinus l. 16. C. D. C. 23.

earũ multæ viſum fugiunt.

ſenſus literæ & allegoricus. *Rom.* 9.

In lib. qui inſcribitur quiſnam diuinarum rerum ſit heres.

Sancti ſtellis rectè comparantur. & cœlo.

item Eccleſia. ideo dicta militans eſt.

S. Auguſtinus lib. 4. contra Fauſtum c. 2.

fuerunt & iterum: hæc omnia in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem propter nos, in quos finis ſeculorum deuenit. Non ergo vetus teſtamentum ad conſequendas illas promiſſiones; ſed ad intelligendas in eis noui teſtamenti præ-nunciationes accipimus. Veteris quippe teſtificatio fidem nouo conciliat. Non itaque ſpes noſtra in temporalium rerum promiſſione defixa eſt: quandoquidem nec ipſos temporis illius SS. viros, Patriarchas & Prophetas hiſce rebus terrenis fuiſſe deditos credimus. Intelligebant enim reuelante ſibi ſpiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas res omnes geſtas & dictas futura figuranda & prænunciandas decerneret, magisque deſiderium eorum de nouo teſtamento erat, ſed præſens functio corporis ad ſignificanda bona ventura pollicitationibus veteribus præbebatur, ita illorum hominum non tantum lingua, ſed & vita prophetica fuit, carnalis autem populus promiſſis vitæ præſentis inhærebat: de quo tamen etiam populo nihilominus futura ſignificabantur. Abrahamum magis teſtamenti noui veritatem, quam veteris vmbram deſideraſſe in ſemine ſuo Chriſtus ipſa teſtatur veritas. *Abraham pater veſter exſultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauiſus eſt.* Deſiderauit autem diem Epiphaniæ, quo complendum erat illud ſtellare datum illi vaticinium, vnde rectè id ei feſto S. Leo accommodat. *De quibus quondam beatiſſimo Patriarchæ Abrahæ immumerabilis fuerat promiſſa ſucceſſio, non carnis ſemine; ſed fidei fœcunditate generanda. Et ideo ſtellarum multitudini comparata, vt ab omni Gentium patre non terrena, ſed cœleſtis progenies ſperaretur. Ad creandam ergo promiſſam poſteritatem heredes in ſideribus deſignati ortu noui ſideris excitantur, vt in quo cœli adhibitum fuerat teſtimonium, cœli famularetur obſequium.* & infra. *Quoniam ſicut prophetauit Iſaias: Gentium populus, qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam & qui habitabant in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis; de quibus idem dicit ad Dominum: Gentes, quæ te non nouerunt, inuocabunt te, & populi qui te neſciebant, ad te confugient. Hunc diem Abraham vidit & gauiſus eſt, cum benedicendos fidei ſuæ filios in ſemine ſuo, quod eſt Chriſtus, agnouit, & omnium ſe futurum Gentium patrem credendo proſpexit, dans gloriam Deo & pleniſſimè ſciens, quoniam quod promiſit, potens eſt facere.*

Patriarchæ veteres plus anhelabant ad promiſſa ſpiritalia noui teſtamenti, quã temporalia veteris. Abraham Chriſtum deſiderauit videre. vidit die Epiphaniæ. *S. Leo ſer. 3.*

Nec verò ſemel, ſed ſæpius hanc Deus Abrahamo benedictionem inculcauit Gen. 12. *faciam te in gentem magnam.* & c. 17. *eris, pater multarum Gentium,* &, *nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: ſed appellaberis Abraham, quia patrem multarum Gentium conſtitui te, faciamque te creſcere vehementiſſimè, & ponam te in Gentibus.* Iterum c. 18. *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ:* denique c. 22. *benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris, & benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Cur gitur non exſultaret die Epiphaniæ, quando Reges iſti Gentium cœperunt in Abrahæ filijs numerari, & initium dare cunctis Gentibus, vt in Abrahæ ſemine ſeu Chriſto benedicerentur. Ita rectè dixit Rupertus, non niſi ſtella Magis apparente fœdus diuinum cum Abrahamo pactum fuiſſe impletum: ait enim. *Quid pertinet ad iſtam gloriam Dei ſigna eiusmodi: vidimus aiunt ſtellam eius in Oriente, multum ad hanc rem pertinuit, ſi rite recorderis, quia quando pepigit Dominus cum Abraham fœdus, à quo liber generationis Ieſu Chriſti cœptus eſt, & ad quem ſeminis beati repromiſſio facta eſt, tunc etiam eduxit eum foras, & ait illi ſuſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes: ac deinceps ſic erit ſemen tuum: in illo die ſcriptura ait: pepigit Dominus fœdus cum Abraham, dicens: ſemini tuo dabo terram hanc. Hinc Apoſtolus, Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius: non dicit & ſeminibus, quaſi in vno & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hinc vnus eſt, per quem omnia, qui multos filios in illam gloriam adducere veniebat, vt ſicut in cœlo ſtellæ innumerabiles ſunt, ſic eſſent ſplendidi & incommutabiles, per ipſum atque compleretur, quod fidelis & verax promiſit, ſic erit ſemen tuum. Rectè igitur non qualecumque ſignum; ſed nouum ſidus cœli dederunt, videlicet propter huiuſmodi promiſſum nobis dicentes: Laudate & congratulamini, quia fœdus, quod pepigit Deus cum Abraham, non fecit irritum; impleuit, quod promiſit: ſuſpice ſtellas, ſi erit ſemen tuum.*

c. 18.

c. 22.

Rupertus.

impleto fœdere Dei cum Abraham inito. *Gen. 15. Gal. 3. Heb. 2.*

ideo vita Christianorum debet esse cœlestis.

Nos igitur Gentiles populi cùm per stellas promissi, designati, & postea simus indicati, decet fulgere continua luce vitæ sanctitatis & doctrinæ sanæ, statum & ratum seruare militiæ cœlestis ordinem, ecclesiasticis magistratibus obsequi; stationem fixam in cœlis retinere, *vt vbi thesaurus noster, ibi & cor sit: nostra igitur conuersatio in cœlis sit: vnde etiam Saluatorem exspectamus Dominum nostrum Christum* *Phil.* 3. 21. *Iesum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratũ corpori claritatis suæ.*

CAPVT V.

Isaaco & Rebeccæ prædicitur maiorem populum Iudæorum minori Christianorum seruiturum, circa eundem diem id contigit.

Gen. 25. 21. SCRIPTURAM prius & oraculum diuinum tum eius allegoriam videamus. *Deprecatus*, ait, *est Isaäc Dominum pro vxore sua, eo quòd esset sterilis, qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius parvuli: quæ ait; si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? perrexitque, vt consuleret Dominum, qui respondens, ait: duæ Gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori.*

Vterque consuluit Isaac & Rebecca.

Quid est quòd Isaac solus dicatur pro vxoris depellenda sterilitate supplicasse, & merito precum id obtinuisse, sola propter infantum collisionem Rebecca Dominum consuluisse: cùm nulli sit dubitandum, quin & Rebecca pro conceptu Deum exorarit? nam quod Latinus vertit, *deprecatus est pro vxore sua.* Hebræa habent *multiplicauit* (preces) *è regione vxoris suæ*, vel coram vxore sua: ipsa scilicet vna cum viro Dominum deprecante, vt & Isaaco postea Dominum cum vxore consulente: sed illud innuitur diuersa Sanctorum esse merita, munera, priuilegia: quamuis etiam magis videatur ad Isaac depulsio sterilitatis pertinuisse: cui, non Rebeccæ facta fuerat promissio posteritatis, quam ille potius ex Rebecca ducere desiderabat: ad Rebeccam vero paruulorum collisio spectabat, quæ eam in vitæ salutisque discrimen adduxerat: vt possit hoc oraculum tam Rebeccæ, quam Isaaco tribui. Vterque igitur vicinum & domesticum altare (iuxta Theodoreti, Diodori, & Procopij mentem) adierunt. ibique dum Deum consulerent, internuncio cœlesti genio dictum oraculum obtinuerunt: quod maximè Rebeccæ fuit inculcatum; vt sciret Iacobo præ Esau primogeniti ius à Deo reseruatum esse, cuius posteri Iudæi sub Dauidis dominatu gentem Idumæorum (Esau progeniem) erant in potestatem suam redacturi. Et quamuis iterum se postea in libertatem asseruerint, sub Hircano tamen rursum subiugati, recepta circuncisione vna cum Iudæis gentem conflarunt. Allegoricè sensu præcipuè à Spiritu S. intento, collisio dicta, Christianorum indicat cum Iudæis dissensionem, & hos quidem, licet antiquitate maiores, illis tamen gratia dignioribus seruituros. Hunc è tali cortice nucleum S. Augustinus eruit. *Quod autem*, ait, *dictum est, Maior seruiet minori, nemo ferè nostrum aliter intellexit, quã maiorem populum Iudæorum, minori populo Christianorum seruiturum. Et reuera, quamuis hoc videri potest impletum in Idumæorum gente, quæ nata est ex mara, quamuis hoc videri potest impletum in Idumæorum gente, quæ nata est ex maiore fratre Esau, cui & nomen fuit Edom, quia postea superanda erat à populo Hebræorum, ex Iacob orto; eique futura erat subiecta; attamen in aliquid maius intentam fuisse illam Prophetiam, qua dictum est: populus populum superabit, & maior seruiet minori, coimenientius creditur: Et quid est hoc, nisi quod in Iudæis & Christianis euidenter impletur?* Libet hic diuinæ mentis arcanum consilium admirari; Non enim voluit Deus Iudæos (vti varijs idololatricis Gentibus fecit) stirpitus exscindere cum ritibus, ceremonijs, traditionibus & libris auitis: sed ijsdem retentis perpetuò superesse, & seruire Christianis ac Gentilibus proprijs è libris & vaticinijs demonstrare, non esse leuiter ea confecta à Christianis post natum Christum, quæ ante eius ortum futura Iudæorum etiam oracula prænunciarunt: vt si nolint fidem habere scriptis Christi-fidelium, eam tamen non abrogent eorum capitalissimis inimicis

licet vni tribuatur. 1. 2.

Modus cõsulendi Deidomi. *Theodoretus. Diodorus. Procopius.* sensus literæ & historicus. 2. *Reg.* 8. Allegoricus. *S. Aug. l.* 16. *c.* 25. *C. D.*

Deus Iudæos non exstripauit, vt seruirent Christianis.

micis, qui eadem incorrupta retinuerunt. S. Augustinum hac super re libet attendere, *Quod dictum est*, ait, *populus populum superabit, & maior seruiet minori, secundum literam in Iacob & Esau videmus impletum; non enim corporaliter beato Iacob seruisse Esau commemorat scriptura: & quia nisi id fieri deberet, non commemorasset Scriptura, oportere id spiritualiter intelligere. Ergo id factum & impletum agnoscimus in Christianis & Iudæis, maior enim & senior populus Iudæorum minori & iuniori, id est, populo Christiano seruire probatur, dum per totum mundum libros diuinæ legis ad instructionem omnium Gentium portare cognoscitur. Ideo enim per omnem terram Iudæi dispersi sunt: vt cum aliquem Paganum ad fidem Christi volumus inuitare, Christum Dominum ab omnibus Prophetis prænunciatum esse testantes, & ille resistens dixerit, à nobis potius, quam à Spiritu S. libros diuinæ legis & propheticos esse conscriptos, nos habemus, vnde redarguere eum certa ratione possumus, dicentes: si de meis libris tibi dubitatio nascitur, ecce Iudæorum libros, vtique inimicorum nostrorum, quos certum est, si ego conscribere vellem, mutare non potui: ipsos relege: & cùm in ipsis hoc ipsum, quod in meis libris inueneris, noli esse incredulus: sed fidelis, Hoc igitur ordine maior populus minori seruire cogitur, dum etiam per illorum libros ad credendum in Christum Gentium populus inuitatur.* portantes veteres de Christo Prophetias.

Dùrat hodieque seruitus ista Iudæorum, inchoata pridie Epiphaniæ, quo Sanctis Regibus locum natalis dominici è Michæa monstrarunt, eum tamen visere noluerunt: vt prodessent Gentibus conuertendis, & contra se mortis & æternæ repudiationis sententiam pronunciarent, dum quem natum sciebant, & cuius natiuitatis locum indicabant exteris, adire detrectarunt. *Veritas*, itaque rectè pronunciat S. Leo: *Illuminat Magos, infidelitas occæcat magistros; carnalis Israel non intelligit, quod legit: non videt, quod ostendit; vtitur paginis, quarum non credit eloquijs. Vbi est Iudæe gloriatio tua; vbi de Abraham patre ducta nobilitas? Nonne circumcisio tua præputium facta est? Ecce maior seruis minori, & alienigenis in sortem hereditatis tuæ intrantibus, eius testamenti, quod in sola litera tenes, recitatione famularis. Intret, intret in Patriarcharum familiam Gentium plenitudo, & benedictionem in semen Abrahæ, qua se filij carnis abdicant, filij promissionis accipiant.* Cœpit ea seruitus pridie Epiphaniæ. *S. Leo ser. 3. de Epiphan.*

Idem Iudæorum cæcitatem sermone 2. sic depingit: *Noluerunt*, ait, *agnoscere oculis, quem de sacris libris indicabant; vt quem non adorabant in infantiæ infirmitate humilem, postea crucifigerent in virtutum sublimitate fulgentem. Quæ ista Iudæi tam imperita in vobis scientia est, tam indocta doctrina? interrogati, vbi Christus nasceretur, veraciter & memoriter dicitis, quod legistis: in Bethlehem Iudæ, sic enim scriptum est per Prophetam; Et tu Bethlehem terra Iuda, non es minima in principibus Iuda; ex te enim exiet Dux, qui reget populum meum Israel, hunc principem nàtum, longinquæ Orientalium Gentium nationes, insolito nouì sideris splendore didicerunt, & ne de loco editi Regis ambigerent, vestra eruditio prodidit, quod stella non docuit. Cur vobis viam, quam alijs aperitis, obstruitis? cur in vestra infidelitate residet dubium, quod ex vestra sit responsione manifestum? Locum natiuitatis de scripturarum testimonio demonstratis, præsentiam temporis de cœli & terræ attestatione cognoscitis; & tamen vbi ad persequendum animus Herodis exarsit, ibi ad non credendum vester sensus obduruit.* occæcatio Iudæorũ.

Ita iusto Dei iudicio, dum naturales oliuæ Iudaicæ rami per infidelitatem pridie Epiphaniæ, & ipso etiam die frangerentur, statim oleaster contra naturam inseri tamen ei meruit: vt socius fieret non pinguedinis tantum, sed protensis in totum terrarum orbem ramis, omnem radicis succum combiberit, vt iam folijs suis extremos mundi fines comprehendat, quod simile petitum ex Apostolo Rupertus huic rectè prophetiæ illigat. *Populus, qui de Gentibus venit, Iudaico populo secundum vocationis ordinẽ rectè minor dicitur, quippe hospes testamentorum erat, & promissionis, & sine Deo, in hoc mundo: nam ille maior est, cuius vt Apostolus ait, Rom. 9. adoptio erat filiorum, & gloria, & legis latio, & obsequium, & testamentum, & promissa, cuius Patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus; Quòmodo autem minor maiorem superauerit, & maior seruierit minori, iuxta historiam est notum: quia percussit Dauid Edom, & tributarium fecit, iuxta spiri-* peperit fidem Gentium. *Rupertus l. 7. c. 4.*

2. *Reg.* 8. *Ro.* 11. oleaster insertus est oliuæ.

tualem verò sensum pulchrè Apostolus Rom. 11. *id docet per similitudinem oliuæ, & oleastri. Facti sunt, inquit, naturales rami, & tu cùm esses oleaster, contra naturam insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. Propter incredulitatem facti sunt illi, tu autem fide stas, ergo maior in incredulitate fractum minor in fide stans superauit, & maior seruit minori, dum oleastro naturalis olivæ ramus in societatem cedit radicis oliuæ, & pinguedinis.* Hic iterum locus fideles admonet, vt originis suæ recordentur: inserti sumus abiectis Iudæis corpori Christi, nec inserti tantum per fidem, sed in eo meritis, & gratia iusti magis & magis augentur: gratos nos conuenit esse tam munifico in nos & immeritos, & exteros largitori, ne minus grati & habiles ad influxum copiosioris auxilij recipiendum à corpore, velut putida membra resecentur.

CAPVT VI.

Iacobus Patriarcha tempus Epiphaniæ prænunciat.

Prima de Messia Prophetia. 2. 3. *Gen.* 49. 10.

RVPERTVS obseruat Messiam tertia vice fuisse Iacobo diuinitus promissum. *Primò* enim Deus Adamo eum his verbis indicauit: *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen mulieris, & ipsum conteret caput tuum. Iterum*, Abrahamo promisit eundem hoc modo: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes.* Tandem per Iacobum clarius publicauit: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio Gentium: ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili, asinam suam.*

His & sequentibus verbis multa solennitati Epiphaniæ consentanea prædicuntur.

Iacob prædicit regnũ Christi. variæ lectiones. 1. 2. 3. 4.

Principiò regnum Christi prænunciatur pacificum hoc modo: *Donec veniat, qui mittendus est.* quod Chaldæum & Hierosolymitanum Thargum sic interpretatur: *donec veniat Messias, cuius est regnum.* regnum putat illud præcipuum, quod per excellentiam regnum est, & à Regibus erat in metropoli publicandum. Septuaginta legunt iuxta Clementem Alexandr. Cyprian. Euseb. Cyrill. Alex. Chrysost. & Augustinum: *donec veniant, quæ reposita sunt ei*: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ· vel vt scribunt Irenæus, Ignatius, Nouatianus, Ambrosius, Hieronym. ᾧ ἀπόκειται *cui repositum est* vt Angelus Caninius rectè de eo exponit, *qui habet omnia, & cui sunt omnia, quæ reposita sunt.* Christo enim die Epiphaniæ à Deo Patre tradita est hereditas, ei per Psalmographum promissa: *postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Vatablus & oleaster cùm deriuent à verbo *scalah* quod significat esse, & reddere quietum, pacificum, securum, salute & bonis omnibus refertum, Hebræum *Scalah*, quasi per metathesin scalias vocant tranquillatorem, seu auctorem pacis. Titulum hunc Christus Epiphaniæ die meruit, verè *Princeps & auctor pacis*, quam Deum inter & mortales, Iudæos ac Gentes tunc conciliauit stabilem & perpetuam, positus inter vtrumque populum lapis angularis. Huc facit & communis recentiorum interpretatio, qua Christus missus dicitur, vt pacem hanc Dei cum hominibus, & horum ad inuicem stabiliret.

pacificum. publicatũ à Magis.

5. Dominabitur Gentibus. die Epiphaniæ. *ps.* 71. *ps.* 17.

Festo eidem sequentia congruunt. *Et ipse erit exspectatio Gentium.* Hebraicè *Et erit obedientia populorum.* seu Gentium vt Kimchius exponit. *Ipsi* ait Onkelus *obedient Gentes*, vel *seruient vniuersa regna terræ*: quod Ionathano placet. R. Iarrius vertit *Congregationem*: *ad ipsum confluent, & congregabuntur Gentes.* Nunquid de Epiphania canit Psaltes regius: *Adorabunt eum omnes Reges terræ omnes Gentes seruient ei?* & alibi *Populus, quem non cognoui seruiuit, & in auditu auris obediuit ei.* Alij vocant desiderium, spem, & exspectationem. Interpretes pleriqué tropum hic agnoscunt: quod Gentes, quæ vt natum esse Messiam cognouerunt, verè exspectarunt: virtute tamen & decentia citius etiam exspectarint, quam agnouerint: ita scriptura sacra frequenter inanimatis rebus affectus & appetitus animatorum tribuit: quæ Deut. 11. *terram* promissionis asserit *pluuias de cælo exspectare*: nam si vegetaretur anima, non aliunde eam, quam è cœlo peteret: sic res omnes creatæ ad ea feruntur appetitu natiuo quasi pondere suo, quibus ad sui conseruationem

est exspectatio Gentium.

tionem

tionem indigent. Itaque cùm Gentes aduentu Messiæ maximè indigerent; ideo si nasci eundem comperissent, exspectassent auidè: excepissent natum hilariter, & vt citius nasci voluisset omnibus votis expetijssent, nec minus, quàm Abraham videre diē illum desideraſſent. Vt dem hæc vera esse: non video tamen, cur non liceat verba propriè interpretari: multi enim Gentilium tam Iudæorum Prophetarum, quàm Balaami Sibyllarumque vaticinijs edocti, non minus, quàm Iudæi Messiæ, non aduentum tantùm, sed & aduentus signa comperta habuerunt, vt auiditate pari vel maiori fortè eum exspectarint, & ita propriè Iacobus vocat Christum *exspectationem Gentium*: & Aggæus: *cunctis Gentibus desideratum.*

& desideratus ab ijs. *Aggæi 2.*

Tertiò, Iacobus consensionem Gentium cum Iudæis Epiphaniæ festo coalituram his verbis præcinit: *ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam. Pullus*, Gentilis dicitur populus, qui, vt Iustinus obseruat, *iugum legis hactenus non tulerat. Asina*, Iudæos significat, iugo legis assuetos & attritos. *Vitis*, Christus est: Ecclesia verò *Vinea*. Christus igitur ad se veram vitem, asinam seu Iudæos alligauit, quos primò & per se docuit: contra vineæ seu Apostolis è vite palmitum instar propagatis, ac primæuæ Ecclesiæ Gentes adstrinxit: quas per ipsos orbe toto fide imbuit Christiana. Adeoque populum vtrumque tam sibi ipsi funiculis fidei, spei & caritatis deuinxit, quàm ipsos inter se mutua concordia paceque colligauit, ipse vinculū & pax vtriusque: quæ confœderatio die natali cœpit Christum inter & Iudæos pastores: perfecta demum est Epiphaniæ die Gentilibus in concordiam & societatem adductis. Adde cùm Hebræum *Iephen* tam vitem, quàm vineam significet, eo die Gentes tam Iudæis conuersis, quàm sibi deuinxit. Ex dictis huius capitis claret, Deum, quoties ab initio Messiam orbi promisit, toties ferè sponsæ suæ dilectissimæ Gentilitatis meminisse, quam tantopere desiderauit, vt eius amore cœlis relictis vitam prodegerit.

Pullus designat Gentiles Asina Iudæos. Vitis Christum. alligatio facta die Epiphaniæ. Quoties prædicitur Messias fit mentio sponsæ.

Subdit enim Iacobus: *Lauabit in vino stolam suam*, carnem candidam & innocentem caritate flagrantissima per sanguinem in anastasi reddendo nitidiorem. *Et in sanguine vuæ*, id est, vino pallium suum: eodem sanguine Ecclesiam, qua velut veste amicitur dealbando. Candidum hoc amiculum Christi purum à vitijs custodiamus, animos peccatorum sordibus eluendo: vt nobis velut podere pulcherrimo Pontifex ille maximus semper glorioſus absque macula & ruga vestiatur.

Amor erga eam.

CAPVT VII.

Prophetia Balaami de ortu stellæ, & muneribus Regum. Num. 24. v. 17.

Prophetia Balaami. *Rupertus.* exponitor de natiuit. Christi Communiter. *S. Chrysost. ho. 8. in Matth. Euthym. in 2. Matth.*

CELEBERRIMA hæc est, & his comprehensa verbis. *Videbo eum*, ait Balaam, *sed non modo, intuebor eum, sed non prope: orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.* Rupertus de concordi Patrum sensu sic vniuersè pronunciat. *De Christi natiuitate manifesta & vera est Prophetia qui &: ipse stella clara est, quem visurum se fateatur, in parabola bene aperit, cuius sensum satis manifestum totus nouit orbis.*

Quod autem visurum se ait S. Chrysostomus, Euthymius, & alij ad posteros vel successores doctrinæ saltem eius Magos reuocant. Fuerunt, qui nomine stellæ Dauidem acceperint, eos Chaldæa talis versio redarguit: *Consurget Rex de domo Iacob, & vngetur Christus de domo Israël, & occidet Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum*: Vnde Christus tam virga quam stella nominatur: virga quidem ob regiam in Ecclesia potestatem; stella verò ob Doctoris munus, qui verbo & exemplo cunctis iter pandit ad immortalitatem cœlestem. Caietiani sententia merito reprobatur: docet is *primo* communem sententiam de stella Magorum, & ex Hebræo *darach* eruit, quod natus Messias ex Iacob direxerit stellam indicem suæ natiuitatis ducem Magorum ad videndum, & adorandum ipsum: in Commentario tamen in Matthæum, negat hic significari ortum Messiæ; sed assimilari Messiam stellæ;

Christus virga simul & stella. sententia Caietani reijcitur.

læ, quoniam dicitur ſtellam ex Iacob orituram ſeu inceſſuram. Sed non licet ab orbita communi deuiare, Chriſtum igitur ſtellam prædicit Balaam: *Is lux vera eſt, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: eſt quidem ſtella propriè corpus luminoſum: myſticè autem Chriſtum deſignat hominem, adiungit enim progeniei habitudinem, quam ex Iacob facit orituram.

Gentilibus peruulgatum fuit hoc oraculum.

Celebratum hoc apud Gentiles etiam fuit oraculum: eoque perſuaſos Magos ad incunabula Chriſti aduolaſſe volunt ſancti Patres. S. Leo: *Quamuis autem diuinæ dignationis eſſet hoc munus, vt cognoſcibilis Gentilibus fieret natiuitas Saluatoris, ad intelligendum tantum miraculum potuerunt Magi, & de antiquis Balaam prænunciationibus commoneri, ſcientes olim eſſe prædictum, & celebri memoria diffamatum. Orietur ſtella ex Iacob, & exſurget homo ex Iſraël & dominabitur Gentium* aſſentit ei S. Baſilius: *Nimirum Balaam vaticinium ſequi ſunt viſi; qui de Chriſto talia viſus eſt dicere.* Origines fuſius id tractat. *Ideo id præuenit Deus, & verbum tamen ſuum inijcit in os eius, vt pro maledictis proferat benedictiones, & prophetias, quæ poſſunt ædificare non ſolum Iſraël: ſed & reliquas Gentes: ſi enim à Moyſe eius prophetiæ inſertæ ſunt ſacris voluminibus, quanto magis deſcriptæ ſunt ab ijs, qui habitabant tunc Meſopotamiam, apud quos magnificè habebatur Balaam, quoſq; ante eius conſtat fuiſſe diſcipulos. Ex illo deniq; fertur Magorũ genus, & inſtitutio in partibus Orientis vigere, qui deſcripta habentes apud ſe omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt ſcriptum, quod orietur ſtella ex Iacob, & exſurget homo ex Iſraël. Hæc ſcripta habebant Magi apud ſeipſos, & ideo, quando natus eſt Ieſus agnouerunt ſtellam & didicerunt adimpleri prophetiam magis ipſi, quam populus Iudæorum; qui Prophetarum ſanctorum verba audire contemſit, illi ergo ex illis tantum, quæ Balaam ſcripta reliquerat, agnoſcentes adeſſe tempus, venerant, & requirentes eum ſtatim adorauerunt: & vt fidem ſuam eſſe magnam declararent, paruum puerum quaſi Regem venerati ſunt.*

Origines ibidem.

Altera Balaami prophetia.

Nonnulli ſanctorum Patrum aliam Balaami prophetiam Maiorum muneribus accommodant, & vitæ Chriſti myſterijs. *Accubans dormiuit vt leo, & quaſi leæna, quam ſuſcitare nemo audebit: Qui benedixerit ſibi ſit & ipſe benedictus; qui maledixerit, in maledictione reputabitur* S. Baſilius hæc ita interpretatur: *Per leonem eius* (Chriſti) *imperium ſermo demonſtrat; per accubitum vero ſupplicium; per benedictionis virtutem eius diuinitatem. Igitur hoc vaticinium ſequentes* (Magi) vt *Regi aurum, vt moritnro myrrham, vt Deo thus obtulerunt.* Adſtipulatur huic Theophylactus. *Vides Magorum fidem; quod & à Propheta Balaam didicerunt, Dominum & Deum, & Regem eſſe, ac pro nobis moriturum: Audi autem Prophetam. Cum recubuerit, inquit, requieſcet, vt leo: ecce regiam dignitatem per leonem ſignificat, mortalitatem autem dum ait, cum recubuerit: qui benedicunt te, benedicentur; ecce & Deitatem: ſola enim Dei natura hanc benedictionis virtutem habet.*

S. Baſilius.

Theophyl. in 2. Matt.

Luc. 1.

Ita Chriſtus *ſol oriens ex alto illuminauit* Reges *ſedentes in tenebris, & in vmbra mortis*, idololatriæ *ad dirigendos pedes in viam pacis*, & veræ proſperitatis, quæ Chriſtus eſt, ipſa ſcilicet via noſtra, veritas & vita, cuius ſplendore gratiæ & Prophetiæ, eius diuinitatem, regnum, & mortalitatem non cognouerunt tantum; ſed & myſticis ſuis muneribus indicarunt. *Domine in lumine tuo videbimus lumen*: orere mentibus noſtris, vt ignorantiæ pulſa caligine tenebriſque, quas vitæ præſentis amor nimius nobis obijcit, ad te lucem veram oculos ſemper mentemque eleuemus: in hoc lumine vitæ tuæ viarum noſtrarum errores, & prauitatem cognoſcemus, & per te reducti in ſemitam mandatorum, ad te vnicum lumen oculorum contendamus in hac vitæ peregrinatione: donec in patria tuo in lumine gloriæ lumen illud æternum diuinitatis reuelata facie videamus.

ps. 35. 10.

Chriſti gratiæ lumen petẽdum.

CA-

CAPVT VIII.

Dauidis variæ prophetiæ de ſtella, Regum patria, muneribus, & Gentilium conuerſione.

PRincipio iuxta pſalmorum ordinem adducam, quæ feſto Epiphaniæ accommodantur: tum iuxta rei geſtæ ſeriem pſalmos digeram Pſalmo 2. *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, apprehendite diſciplinam.* Hier. & Paguinus ita vertunt. *Oſculamini filium*: Item *adorate purè*. Abenezra Hebræus: *excipite Meſſiam honorificè & amanter, cum plauſibus, & clamationibus diſciplinam, id eſt inſtitutionem & puram doctrinam huius magni Regis* V. Auila Conc. de Epiphania. *pſ. 2.* Reges vocantur ad Meſſiam adorandũ.

Pſalm. 18. initium SS. Auguſtinus, Leo, Greg. Nyſſenus & alij ſolent vocationi Magorum applicare. *S. Auguſtinus ſer. 2.*

S. Auguſtinus *Illi erant primitiæ Gentium, nos populi Gentium; nobis hoc lingua nunciauit Apoſtolorum, ſtella illis tanquam lingua cælorum: & nobis idem Apoſtoli tanquam alij cæli enarrauerunt gloriam Dei.*

S. Leo *Iam tunc cæli enarrauerunt gloriam, & in omnem terram ſonus veritatis exiuit, quando & Paſtoribus exercitus Angelorum ſaluatoris editi annunciator apparuit, & Magos ad eum adorandum præuia ſtella perduxit, vt à ſolis ortu vſque ad occaſum veri Regis generatio coruſcaret, cum rerum fidem & regna Orientis per Magos diſcerent, & Romanum imperium non lateret.* *S. Leo ſer. 2.*

S. Gregor. Nyſſenus: *Quod paſtoribus nunciant Angeli, cæli enarrant Magis, & prophetiæ ſpiritus multis varijſque rationibus prædicat, vt etiam Magi præcones gratiæ fiant; nam qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos, quiq; pluit ſuper malos & bonos, cognitionis radium, & rorem ſpiritus etiam alienis linguis dimiſit, vt aduerſariorum teſtimonijs etiam magis apud nos veritas confirmaretur.* *S. Greg. Nyſſenus De Nat. Dominj.*

Optabat Chriſtus puſio reclinatus in præſepio Reges hos & Aſtrologos cœleſtes eſſe homines, & velut *ſplendor firmamenti* fulgere clariſſimis virtutibus: ideo cœleſti docuit eloquio, ſæpius vt oculos & mentem ad aſtra tollerent, ad patriam & cœleſte regnum adſpirarent, ex diuinæ mentis æterna diſpoſitione; velut aſtrorum rata, nec fallaci lege vitæ ſuæ ſuſpenſas haberent rationes: ſæpius patrem in cœlis reſidentem ſupplices adorarent. Cuius auſpicijs & ductu certo pro terreno regno ſempiternum in cœlis exſpectarent. Magi docti ſunt per linguam cœlorum.

Pſalmus 67. de Hebræorum triumphis ſcriptus afflatu Spiritus Sancti Chriſti continet & Eccleſiæ victorias: vnde plurima in rem præſentem veniunt, quæ hic ſeligo. *Ex pſalmo 67.*

Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo: concordes & vnanimes in ritibus & religione S. Hier. Aug. Hilarius *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus*, eccleſia abundat lacte, butyro, caſeo, & omni alimonia ſpirituali & temporali. *Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in finem*: in eccleſia è Gentibus congreganda. *benedictus Dominus die quotidie, proſperum iter faciet nobis, Deus ſalutarium noſtrorum*: indies laudetur Deus, qui dirigit iter ad Gentiles conuertendos; non enim mortem eorum vult: ſed vt ſaluentur. *Deus enim noſter Deus ſaluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis*: propria Deo eſt eductio & liberatio à morte. *Manda Deus virtuti tuæ*: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.* Fac potentiam tuam nos perficere: & conuerte Reges. *A templo tuo in Ieruſalem*: *tibi offerent Reges munera*: *venient Legati ex Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius Deo*: *regna terræ cantate Deo, pſallite Deo, pſallite Domino.* propter ſanctitatem Eccleſiæ tuæ Reges offerent munera: *obtulerunt*, ait Lorinus, *Reges templo Iudaicæ munera, ſed hæc figura eſt Regum plurimorum, qui ſicut Magi, Chriſto ſunt oblaturi munera, & ipſi colla ſubdituri.* Eccleſiæ conſenſus. eius alimonia ſpiritualis. optat Deus Gentium conuerſionem. Sancti Reges Legati earum. *Lorinus.*

Legatos hos Magos Euangelicos intelligunt SS. Chryſoſtomus, Auguſtinus, Chryſologus, Hilarius. Fauet acceleratio ſignificata, quam S. Hieron. exponit *feſtinat dare manus Deo*: alij, *currere faciet manus ſuas, accelerabit, celeriter protendet eas*: *S. Hier. hic & in 11. Iſa.* præuenerunt Iudæos.

eas: non enim Reges noſtri tantum pedibus aduolarunt tanto locorum interuallo, ſed ilico muneribus Iudaicum populum præuerterunt, fauorem ſibi Meſſiæ donis præripiendo.

Fauet & vox *Ægypti* & *Æthiopiæ*: Iſidorus ait prædici conuertendam peccatis decoloratam Gentilitatem ante Iudæos, tametſi ad hos redimendos primùm venturus eſſet Chriſtus. Non negligendus eſt S. Hilarij myſticus ſenſus: *A templo ſancto tuo in Ieruſalem: omnis renatus in Chriſto eſt templum, maximè in quo mors magis non ſit regnatura; ſed vita: & qui ipſe rex ſit eius, cuius ſeruus ante fuerat peccati, hoſtiam ſe ipſum viuam & rationabilem & placentem Deo offerens; tum ab hoc templo, id eſt hac ſancta corporis ſui habitatione in illo conuentu Angelorum frequentantium, id eſt, in illa cæleſti Ieruſalem ſi qui Reges ſint, id eſt, qui peccato vltra non ſeruiunt, offerent ſeipſos Deo munus.* ſubdit in legatorum explicatione: *expleta autem hæc eadem ſunt Magis ex Oriente venientibus.*

S. Iſid. c. 4. de vocibus Gentium.

Exp. 71.

Pſalmum 71. Non ſancti Patres tantùm: ſed & Rabbini veteres & recentiores Salomoni decantatum, de Chriſto & Eccleſia eius interpretantur. Initio regnum filij Dei deſcribit, quod in feſto Epiphaniæ fuit Meſſiæ ſolenniter à Regibus delatum, velut ſoli totius orbis monarchæ, & pridie mundo promulgatum: laudat iudiciariam Chriſti poteſtatem felicitatem eius, & pacem; regni perpetuitatem: tum ei regna terræ ſubijcit vniuerſa. *Deus iudicium tuum Regi da, &c. dominabitur à mari vſque ad mare, & á flumine vſque ad terminos orbis terrarum; coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent*, oſculabuntur: vt ſummam eidem monſtrent reuerentiam & adorationem. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabũ & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſeruient ei: & viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipſo* (id eſt, Meſſiam) *ſemper: tota die benedicent ei* Reges *Tharſis* vocat Reges maris & Indorum: de quibus loquitur, quoties alludit ad naues Salomonis. Coniungit eis Reges Inſulanos: Chaldæus habet, *inſulæ magni maris oceani*: Indici & Eoi, in quo plures auriferæ ſunt, vt Malaca. Tertium Magorum accipit reliquis nigriorem antea Cheriperimale, & poſtea Melchiorem nominatum, Cranganoris & Calecuti dominum, qui non tantum Indiæ maritimis oris, ſed & obiacentibus ei latè inſulis videtur dominatus eſſe, vt poſtea cũ ſceptro poſito, & regnis abdicatis voluntariam amore Chriſti paupertatem elegiſſet, templis erectis, quorum veſtigia ſuperant, in plures famulos Chriſtianam profeſſos fidem, ditiones ſuas diuiſerit, qui nouis & diuerſis à ſe conditis regnis imperarunt. Alij duo ex Arabia & Saba dicuntur prodituri: quorum alter Sabæ videtur imperaſſe: ad quem cum reliqui diuino monitu prima die confluxiſſent, omnes dici potuerunt de Saba aduenisse. Reſtat vt Patres laudemus, qui dictos pſalmi verſus Magis applicarunt.

Iudicaria Chriſti poteſtas. & Monarchica.

à Regibus adorata.

S. Marcellinus papa circa A. 296. epiſtola ad Salomonem Epiſcopum ex eo loco & Magorum adoratione deducit hoc modo Chriſti diuinitatem. *Idem Dei filius per Prophetam loquitur dicens: Tibi offerent Reges munera: & vt hæc de filio Dei ſe dixiſſe doceret, dixit: Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſeruient ei. Et vt hæc omnia ſuperius deſignata Chriſto Filio Dei doceamus oblata, fuiſſe in Natiuitate eiuſdem filij Dei, quæ ſecundum carnem facta eſt, probamus fuiſſe completa Euangelio comprobante. Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam dicentes: vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum.* Et infra: *Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Sacrificium itaque, quod à Chriſtianis ſacris altaribus admouetur, non ſolùm Deo Patri, ſed etiam Filio communi deuotione offertur, quoniam nec Patri ſine Filio poteſt offerri, neque Filio ſine Patre ſacrari.*

S. Marcellinus papa.

¶ Sacrificium Chriſto obtulerunt.

Tertulianus eundem locum Marcioni & Iudæis obijcit: vocat Magos Reges & ſpolia Damaſci & Samariæ, quæ diſſipanda prædixerat Iſaias, ob idololatriæ abiectionem, ratione cuius Magi figurati dicti ſunt Samaritani. Simile refert Hilarius addu-

ctis

ctis his ex Isaia versibus: *Labor Ægypti, & mercatus Æthiopum, Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt serui: & post te sequentur alligati vinculis, &c.* S. Hieron. hic ita cõmentatur: *Omne hic mundiale imperium honores & ordines ad Christum accedere, eique colla submittere, bonorumque suorum dona deferre Propheta pronunciat: quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum; ipsi enim Gentium Regumque typum gessisse monstrantur.* Eadem sententia S. Chrysostomi, hom. 1. è varijs locis Matthæi. Idatij lib. 9. ad Varimundum, Haymonis & Hugonis, qui monet versum illum in Epiphania cantari ac repeti frequenter: item Lyrani, Arnoldi Bonæuallis de laudibus B. Virginis, Isidori, Procopij in c. 60 Isaiæ, Prosperi in 3. p. de promis. c. 36. His ita subscribit Incognitus *Ad literam hoc exponitur de illis tribus Regibus, de quibus dicitur Mat. 2. Ecce Magi ab Oriente venerunt.*

S. Hilar. lib. 4. de Trin. c. 41. S. Hieron. S. Chrysost. Idatius. Haymo. Hugo. Liranus. Arnoldus. Isidorus. Procopius. Prosper. Incognitus.

Expressâ Magorum patriâ mox ad munera eorum Psaltes delabitur: *& dabitur ei de auro Arabiæ.* Euthymius auriferam facit Arabiam, & Cassiodorus commendat aurum eius vt maximè rutilans & purissimum, qui etiam auri nomine vult eorum dona munera significari, sed de hoc fusè libro tertio disputabitur.

Munera Regum expressa. Arabia aurifera.

Psalmus 85. Regum adorationem præcinit & Gentium. *Omnes Gentes quascunque feciſti, venient, & adorabunt te Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Lorini iuuat hic commentationem aduertere. *De Gentium ad Ecclesiam vocatione hoc nostri passim interpretantur, etiam qui psalmum ad Isaiam pertinere asserunt, seu Basilius, seu Theodoretus; præterea Nicetas Choniata l. 3. thes. c. 1. propterea que placuit psalmum hunc ecclesiæ in Epiphaniæ festo recitari, quando Gentiles Magi, vt communis fert sententia, ambulauerunt in lumine noui sideris. Isa 60. & Regem Reges procidendo adorarunt.* Illustris & S. Leonis locus est: *Hunc diem & David canebat in psalmis dicens: omnes Gentes, quascunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. ps. 85. & illud ps. 97. Notum fecit Dominus salutare suum, ante conspectum Gentium reuelauit iustitiam suam: quod vtique exinde fieri nouimus, ex quo tres Magos de longinquitate suæ regionis excitatos ad cognoscendum & adorandum Regem cœli & terræ stella perduxit, & rectè intuentibus quotidie apparere non desinit.* Plures psalmos Ecclesia sanctis Regibus attribuit, quos in ordinem redigam, iuxta Euangelicæ historiæ seriem.

Psalmus 85. Lorinus. S. Leo ser. 3. de Epiph.

Historia Magorum ex psalmis.

Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi, lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede & regna. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum Regis. Sedes tua in seculum seculi, virga directionis virga regni tui. Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis: iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam: orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna. Lux orta est iustis, & rectis corde lætitia: Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem vt luceret eis per noctem. & eduxit populum suum in exsultatione, & electos suos in lætitia.

Cœli enarrant gloriam eius, & opera manuum eius annunciat firmamentum: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: in omnem terram exiuit sonus, & in fines terræ verba eorum. Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.

Omnes Gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exsultationis. quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite. quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. Regnabit Deus super Gentes, Deus sedet super sedem sanctam suã. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. Iubilate Deo omnis terra. psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius: dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua. Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo. venite & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. benedicite Gentes Deum nostrũ, & auditam facite vocem laudis eius.

Adferte Domino filij Dei, adferte Domino filios arietum: adferte Domino gloriam &

Psalmus 44. Christi pulchritudo. fortitudo. regnum eius. Psalmus 71. pacificum. Psalmus 86. stellæ ortus. Psalmus 104. profectio & protectio Regũ, Psalmus 18. Adhortatio Gentiũ ad Christi veneration-nem. Psalmus 45. affectus Regum in itinere. Psalmus 65. invitant Hierosolymæ ludæos ad Messiã adorandũ. Psalmus 28.

& honorem, adferte Domino gloriam nomini eius; adorate Dominũ in atrio sancto eius. Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani: & comminuet eos tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium. Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa, & in templo eius, omnes dicent gloriam. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me, filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exsultate ei in tremore: apprendite disciplinã, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.

ps. 2. Christus vocat Gentes ad se.

Deus in loco sancto, Deus, qui habitare facit vnius moris in domo: Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos (quasi alij essent montes hoc meliores? *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, Benedictus Dominus die, quotidie, prosperum iter fecit nobis Deus salutarium nostrorum: Deus noster Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis. Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. A templo tuo in Ierusalem, tibi offerent Reges munera. Veniunt Legati ex Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius Deo: Regna terræ cantate Deo, psallite Domino, psallite Deo. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam super Israël, magnificentia eius & virtus eius in nubibus.*

ps. 67. salutant montem Bethlehē. aduentus Regum.

Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent, Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes Gentes seruient ei: & viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper; tota die benedicent ei. sit nomen eius benedictum in secula, ante solem permanet nomen eius. Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mirabilia solus; & benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.

ps. 71. donatio munerũ.

Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit: Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu Gentium reuelauit iustitiam suam: viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. Annunciate inter Gentes gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius: quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes Deos. Quoniam omnes Dij Gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Commoueatur a facie eius vniuersa terra: dicite in Gentibus. quia Dominus regnauit. Laudate Dominum omnes Gentes, laudate eum omnes populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternũ.

ps. 97.

ps. 95. prædicatio Christi.

ps. 116.

CAPVT. IX

Salomon epithalamium canit Gentilitati nouæ nuptæ desponsæ Christo.

PROPHETAM fuisse Salomonem Pineda in eum & Lorinus in Ecclesiasten fusè probant: cecinit Christi sponsi cum Ecclesia epithalamium: Eam iam teneram & nouellam è Gentibus collectam die epiphaniæ non silet: nigram tunc vocat ob infidelitatem, & mores pristinos: mox formosam per gratiam: dilectam à sponso tenerrimè, vocatam mirabiliter, admissam ad ius hereditatis cœlestis: vicissim sponsæ refert affectus dulcissimos dilectum noctes diesque spretis periculis quærentem, inuenientem, tenentem, amplexantem. quæ Ludoicus de Ponte doctus & pius interpres Cantici Regibus nostris accommodat hoc modo.

c. 1. Cantic. Prima Ecclesia Gentium ex Oriente venit.

Indica mihi, ait sponsa, c. 1. *quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Cum primum Christus Dominus natus est in Bethlehem Iudæ, excitauit nouellam ecclesiam in Oriente, quæ Gentium esset primitiæ, congregationem dico trium Regum, & sapientum seu Magorum, qui videntes stellam nouo miraculo subito efformatam à Deo intus illuminati per fidem crediderunt verum Christum saluatorem mundi natum esse in Iudæa, quæ*

quæ regio erat meridiana respectu eius, in qua ipsi degebant. Quamuis autem scirent natum in meridie, ignorabant tamen, qua in vrbe, & loco natus esset, & ideo illum videndi & adorandi desiderio inflammati decreuerunt ab Oriente versus Meridiem tendere, illaque congregatio numero parua, sed fide & dilectione magna orabat, & dicebat magis affectu quàm voce: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. *Id est: o Domine, quem diligo, & videre desidero, indica mihi locum, vbi tu verus pastor in hoc mundo natus pascis oues tuas, domus Israël, propter quas missus es: & vbi cum eis cubas in meridie, splendidam & iucundam tui cognitionem & dilectionem eis præstans: ne fortè incidam in greges sodalium tuorum qui me errare faciãt, & à te vero pastore auertant. Exaudiuit Deus orationem ecclesiæ, vt hunc ei locum ostenderet: pastoribus quidem per Angelos, dum claritas Dei circumfulsit eos; Magis verò per stellam, quæ illos excitauit & deduxit ad locum, vbi natus est: vt hic applicare liceat, quod scriptum est. Quis suscitauit iustum ab Oriente, & vocauit eum vt sequeretur se? id est ego, & non alius suscitaui congregatiunculam istam iustorum, quæ in Oriente erat, & traxi eam, vt me quæreret, & inueniret, ac me ipsum palam manifestaui, vt meâ gauderet præsentiâ. Vnde non immeritò hoc festum Ecclesia nuncupauit Epiphaniam: id est, manifestationem, quia Christus Dominus mirabili quodam modo se manifestauit Gentibus, tribus vtens medijs, quibus manifestari solet.* Fusè deinde modos tres persequitur · quomodo per stellam, sermonem Propheticum; & per se ipsum ijs Christus se declararit, ne ab Herode, qui dolosè Christi sodalem se fore fingebat, ab eodem auerterentur, quos ibidem lege.

quærens in meridiè natũ Christum.

Isa. 42. 8. ab eo inuento.

dicta est Epiphania.

cantic. 3.

Alter locus capitis 3. huc facit: *In Lectulo meo quæsiui per noctes, quem diligit anima mea: quæsiui illum & non inueni. Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsiui, & non inueni.*

Explicat ea *Pontanus* de Ecclesia Gentium, cuius typum gesserunt Magi, *tot enim* ait, *non solum Iudæi, sed etiam Gentes venturum Christum exspectabant, quærebant & inuenire cupiebant: nam & Iacob de ipso dixit*: & ipse erit exspectatio Gentium, *& Aggæus Propheta*: veniet desideratus cunctis Gentibus: *Hoc autem desiderium, licet respectu Gentilium, qui nullam habuerunt Christi notitiam, tantum sit mataphoricum eo genere loquendi, quo terra sicca desiderat aquam, & segetes pluuiam; quia earum indigentia id expostulare videtur, tamen non defuerunt, qui aliquam Christi Redemtoris nostri notitiam habuerint, sicut de Iob constat, quoniam etiam inter Gentes Deus excitauit aliquos Prophetas, nimirum Sibyllas, quibus id ipsum reuelauit. Sed celeberrimus inter omnes Gentilium vates fuit Balaam, qui ita de Christo Domino vaticinatus est: videbo eum, sed non modo, intuebor eum; sed non prope; quæ verba non tam dicit (vt Abulensis putat) in propria persona, quæ non erat visura illum oculis corporis vsque ad diem Iudicij vniuersalis; quam nomine gentis suæ, seu generis humani, quasi prædicans Christum, quem annunciabat non nisi post plurimos annos venturum, de quo sic ait: Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël: vbi iuxta communem sanctorum Patrum interpretationem ortus futurus Messiæ describitur. Hæc duo quasi ex traditione conseruabantur apud Magos, seu sapientes illius regionis Orientalis: vbi Balaam degit; Vnde Magi semper erant stellarum seduli inspectores, tanquam periti Astrologi, exspectantes ortum illius stellæ, quam prædixerat Balaam. Appropinquante igitur Natiuitate Christi Domini, ex peculiari Dei instinctu sapientes quidam in Oriente curiosius huius stellæ ortum exspectabant, quæ regis & Messiæ ortum indicaret: quorum nomine sponsa suam texit narrationem dicens: In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni: Asserit hoc congregatio Magorum, quæ Ecclesiam Gentium sponsam Christi futuram repræsentabat, desiderabat autem aduentum eius, & quærebat in lectulo, id est in sua regione tranquillè manens: hoc enim nomine Amos Propheta has regiones vocat, c. 3. v. 127. sed inquirebat per noctes plurimas: quærens, an orietur stella illa? quis enim ignorat nocturnum tempus, cum serenum est cælum, aptum, esse sideribus inspiciendis? cum igitur natus est Christus, subito etiam orta est stella nouæ claritatis, illustrior ceteris pulchriorque sideribus; quam videntes Magi mox cognouerunt natum esse regem Iudæorum.*

Gentes exspectarunt Messiam. serm. 49. Ag. 2.

eius notitiam habentes.

ex Balaamo.

vt communis est sent. PP. de Magis.

Per noctes desiderant. c. 3. v. 127.

&quærunt sponsum. Hierosolymæ.

Paruula igitur Magorum congregatio fide armata, instar sponsæ, quæ exijt quærere dilectum, nesciens, quo in loco illum inueniret, ait, surgam & circuibo ciuitatem, *per vicos & plateas, quærens quem diligit anima mea, id est, surgam à mea patria, indeque in terram Israël, & circuibo ciuitatem: quam ciuitatem? eam scilicet, quã designat Euangelista dicens: cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iuda: ecce Magi ab Oriente Hierosolymam venerunt dicentes: vbi est qui natus est Rex Iudæorum? humano enim sensu ducti (inquit sanctus Leo) significatum sibi Regis ortum æstimauerunt in ciuitate Regia esse quærendum: gradiuntur ergo per vicos & plateas inquirentes & dicentes; vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* &c.

Non inueniunt.

Sed quid subdit sponsa? quæsiui & non inueni: omnes Hierosolymitæ dicebant, nullum talem Regem ibi natum esse: nec poterant eum inuenire, vbi non est dignatus nasci: vnde cùm rumor iste per vniuersam ciuitatem spargeretur, & ad aures Herodis peruenisset, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum eo; cùm ergo commotio illa in ciuitate orta esset, contigit, quod ait sponsa: Inuenerunt me vigiles, qui custodiũt ciuitatem: num quem diligit anima mea vidistis? Vigiles autem isti, & custodes non solùm erant Scribæ & Doctores legis, sed prætores & tribuni, & Herodes ipse rex. Audita ergo Magorum interrogatione, Herodes congregat omnes Principes sacerdotum, & Scribas populi: sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur? & cùm responderent in Bethlehem Iudæ, idem responsum dedit Magis. Consonant verba sponsæ insinuantis, vigiles nihil sibi respondisse: sic etiam Scribæ nihil dixerunt Magis, nec auderent; sed Herodi, à quo instructi exierunt Hierosolymis, vt cæptum iter persequerentur: & tunc contigit, quod sponsa ait: Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Nam paulò post, venerunt in Bethlehem stellà, quam in Oriente viderant, eos antecedente, & ducente vsq; ad stabulum, & intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius. In infantis autem vultu tantus diuinitatis splendor effulsit, vt cum primum eum viderant, vnusquisque in corde suo dixit: Inueni, quem diligit anima mea.

indicio tamen concilij.

sponsum reperiunt in Bethlehem.

Cuiusmodi etiam fuerunt Magi, quibus egregiè quadrat, quod subdit sponsa: Tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, & cubiculũ genitricis meæ. Decreuerunt enim firmissimè Christum, quem fide & amore tenuerant nunquam dimittere; sed cùm admoniti essent in somnis, ne redirent ad Herodem, promta fide, & obedientia sanctè paruerunt diuinæ admonitioni, & per aliam viam reuersi sunt in regionem suam, vt Christum, quem in cordibus suis portabant, in suam patriam & ciuitatem, in qua nati sunt, quæ velut mater eorum erat, introducerent: nam Christum ciuibus suis prædicando in eorum corda eum introducebant: vnde etiam fertur post Christi resurrectionem à S. Thoma Apostolo fuisse baptizatos, eiusque coadiutores fuisse ad Gentium conuersionem.

Concionãtur Gentibus. Baptizantur.

Est & aliùs eiusdem Cantici locus de vocatione SS. Regum ad fidem, vbi & numerus eorum indicatur, c. 4. v. 8. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus draconum, & de montibus pardorum.* Exponit ea de SS. Regibus ita Ludoicus: *Hic etiam describitur vocatio trium Magorum ad adorandum Christum: quibus, quia tres erant, ter dicitur* veni: *& quia tres Reges, de tribus montibus vocantur valde sublimibus & altis, & quia potentes & sapientes inter Gentiles, de cubilibus leonum, & montibus pardorum exire iubentur. Vocantur autem ad coronam, id est, vt recipiant primitias fidei & gratiæ inter Gentes.*

c. 4. v. 8. accommodatur Regibus.

Enumerat Alapide complures hoc modo Patres, qui id Gentium conuersioni tribuerunt: *Melius alij per Libanum, Amana, Sanir & Hermon montes, vtpote extra Iudæam in Phœnicia sitos, accipiunt Phœnices, i.e. Gentiles. vnde S. Athanas. in synopsi S. Script. in Cant. censet hisce montibus designari ecclesiam Gentium: Gentes enim hic euocantur ab idololatria, & Gentilismo ad fidem & Christianismum, vt Christi Ecclesiæ inserantur. Sic & Tertul. l. 4. contra Marcionem. c. 11.*

à pluribus Patribus.

Iam illud Cant. 1. v. 4. *Nigra sum sed formosa.* S. Gregorius, Philo Carpath. sanctus Hieron. in c. 2. Sophoniæ. S. Chrysost. ho. 1. de virtute, passimque SS. Patres ecclesiæ Gentium accommodant. ac Origines & Nissenus sic interpretantur. *Ego ecclesia Gentium olim infidelitate fui nigra, ac proinde fui tabernaculum. Cedar,*

& Cant. 1. v. 4.

id

id est obscuritatis, in quo habitauit princeps tenebrarum diabolus, nunc autem abluta, & per gratiam Christi Sanctificata. facta sum formosa, sicut pelles, id est, tabernaculum Salomonis, quia effecta sum templum Christi pacifici Salomonis. Sic c. 3. v. 6. *Quæ est ista, quæ adscendit per desertum,* Patres explicant de primœua ecclesia mirante Gentilium conuersionem: vnde hæc verba stupentium, Act. 10. *Quia & in nationes gratia Spiritus S. effusa est, ergo & Gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam?* Iam verò totum quartum caput Canticorum assensu communi describit Ecclesiæ Gentilium pulchritudinem, & admirabilem decorem ac perfectionem: huic capiti parallelum & antistrophon est septimum, quo Sulamitis, seu Synagogæ Iudæorum in fine mundi conuertendæ species & formæ decor enarratur: sed quàm præcellat eam Ecclesia Gentium, indicat cap. 6. vbi in laudibus eius in figura filiæ Pharaonis Gentilis, quam prætulerat omnibus sponsus, sic extollit eam præ cunctis. *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ: viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt; reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam:* hæc è sanctis Patribus ita interpretatur Alapide: *Ego Salomon* 60. *habeo reginas, &* 80. *concubinas, quæ pluribus stipantur adolescentulis virginibus: at his omnibus præfero filiam Pharaonis. Hæc enim mihi prima & summa vxor: hæc reginarum est regina, hæc vna mihi plus dilecta, quàm ceteræ omnes. Vnde de hac dico: vna est columba mea, perfecta mea; sicut eadem vna est matri suæ, electa genitrici suæ, quia ob pulchritudinem tum corporis, tum animi, moresque castos, modestos, & compositos, tam mihi, quàm matri suæ præ ceteris filiabus vnicè cara est.* Habuit autem Solomon post filiam Pharaonis aliquam Hierosolymitanam alijs cariorem, quam Sulamitem vocat, & in eius typo describit cap. 7. laudes Synagogæ Iudaicæ, sub finem orbis ad Christum conuertendæ. Iam verò nuptias illas Salomonis cum filia Pharaonis Dauid conciliauit, & epithalamium præuiso Christi cum Gentilitate connubio Spiritus S. affatu cecinit elegantissimè psal. 44. qui incipit: *Eructauit cor meum.* de quo sic Iansenius ait: *verum quoniam pleraque huius psalmi Salomoni congruere non possunt, vt quòd is, de quo fit mentio, Deus dicitur, & filij eius constituendi Principes super vniuersam terram, de Messia exponendus est, & sponsa eius Ecclesia, non quidem absolutè, nec sine vlla relatione; sed prout Christus per Salomonem, Ecclesia verò ex Gentibus collecta per filiam Pharaonis, inter multas Salomonis vxores præcipuam & vnicè dilectam præfigurata est. sub qua figura etiam liber, qui Cantica Canticorum inscribitur, descriptus est.* Ita Iansenius.

ac totum c. 4.

v. 7. Filia Pharaonis figura ecclesiæ Gentium.

sumè adamata præ alijs.

Alcazar in Allus. Apocal. ad cant. 7. Alapide in cant. 7. v. 1.

Dauid cecinit ei epithalamiũ *Iansenius.* vt figuræ Gentilitatis & Christi Sponsi

CAPVT X.

Osee celebritatem diei describit, quo Gentiles cum Iudæis fœderabuntur, matrimonio Ecclesiæ cum Christo contracto.

PRIMAS inter Prophetas minores & maiores, si antiquitatem spectes, Osee tenet, sub initium Regis Iudæ, Oziæ, vel Azariæ quinto illius anno cœpit vaticinari, annis ferè, vt Tirinus censet 775. ante natalẽ Domini. Cui c. 1. dicitur à Deo: *Vade, sume tibi vxorem fornicariam; & fac tibi filios fornicationum.* Tres ex ea suscepit liberos: primus dictus est *Iezrael*: alter *absque misericordia*: tertius, *Non populus meus*, subdit Dominus: *& erit in loco, vbi dicetur eis, Non populus meus, vos dicetis eis, filij Dei viuentis: & congregabuntur filij Dei Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & adscendent de terra, quia magnus dies Iezrael.* De his verbis ita S. Augustinus ait: *Hoc testimonium Propheticum de vocatione Populi Gentium etiam Apostoli intellexerunt: & quia ipse Populus Gentium spiritualiter est in filijs Abrahæ: ac per hoc dicitur Israel. Recolatur ipse lapis angularis, & duo illi parietes, vnus ex Iudæis, alter ex Gentibus,* quæ propriè secundum dicta supra Epiphaniæ solennitati conueniunt, Gentibus & Iudæis, in vnam Ecclesiam Rectore Christo congregatis.

A. 775. ante Christũ c. 1.

Prophetia de Iudæorum cum Gentibus concordia. *S. Aug. l. 18. C. D. c. 28.*

hi conuersi dicuntur Iudæi spirituales.

hi conuersi dicuntur Iudæi spirituales. ideo celebritas summa est dici Epiphaniæ.

Tunc enim, tam naturales, quam spirituales Iudæi, veri Israëlitæ, & spirituale semen Abrahæ per imitationem fidei eius, Christum ipsum, vt ducem & doctorem suum vnicum agnouerunt: de quibus dicitur: *& adscendent de terra*, seu ab infidelitate & tenebris ad lucem ecclesiæ, vt viuant deinceps vita cœlesti, & spirituali. *Quia magnus dies Israël*: celeberrimus, iucundissimus & felicissimus, qualem præ omnibus anni diebus debent Epiphaniam è Gentilibus conuersi celebrare: quo Gentes *Non populus Dei*, iam Israël *semen & filij Dei* cœperunt esse, & nominari: nam capita & Reges trium nationum orbis per gratiam Christo maritati, virtute sua quasi in radice, populos etiam sibi subiectos Christo copulabant.

isque magnus dies apud Gentiles. *Tacitus Virgilius Ecclega* 1. qualis Mathematicorum magnus annus est *Cicero*

Apud Gentiles magnus dies ille dicebatur, qui longis periculosisque laboribus finem imponebat, ita Tacitus ait in vita Agricolæ: *Transite cum expeditionibus, imponite quinquaginta annis magnum diem.* Sybilla apud Virgilium, de his ipsis Messiæ nati diebus ait: *incipient magni procedere menses.* Et Mathematici *magnum* solent *annum* vocare, quo Planetæ 7. proprijs suis expletis cursibus sibi concordant: cuius reuolutionis tempus Cicero sic definit: *Magnus annus est, qui tenet duodecim millia quingentos quinquaginta quatuor annos. Post quos Platonici dicebant omnium rerum fore reditum & reuolutionem.*

Non aliter Christus magnum reduxit annum, dum omnia reparauit, & ad primæuam reuocauit originem, & felicitatem: eumque populum Gentilem, qui *absque misericordia fuit*, gratia sua & misericordia repleuit: qui *non populus Dei* dicebatur; *semen* Dei constituit: vt sicut initio creationis mundi nulla fuit dissimilitudo religionis & cultus: ad eundem totus mundus Dei cultum & religionem reduceretur. Hoc ipsum tempus iterum rediturum Sibylla descripsit, & ex ea Virgilius:

Virg. Eclog. 4.

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cælo dimittitur alto,
Clara Deum soboles, magnum Iouis incrementum.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo
Casta faue Lucina.

Gentiles decet diem conuersionis præcipuè celebrare. authore Apostolo *Ephes.* 2.

Sæpè hortatur Apostolus fideles, ad diei eius recordationem, quo fidem Christi receperunt: ita ad Ephes. 2. *Memores estote, quod aliquando vos Gentes eratis, sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, & promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo: Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi.*

Exemplo Constantini Magni *l.* 4. *c.* 62. *& 63. vitæ*

Par est Constantinum Magnum in Christo renatum fideles omnes imitari, de quo ita Eusebius (cui tamen in tempore Baptismi & quibusdam attributis alijs, non assentior) *confectis omnibus sacris, splendido regioque apparatu, atq; adeo luce clariore conuestitus: candidissimo in lecto se reclinans rejecta iam purpura, quam amplius nolebat attingere: tum vero clarissima voce cum precatus Deo gratias egisset, hæc ferè addidit. Nunc reuera noui me beatum esse: nunc immortali vita dignum esse habitum, nunc diuinæ lucis participem esse factum.* Et infra, *nunc veram vitam adeptum se esse, seque ipsum solum intelligere, cuius felicitatis particeps factus sit, ac propterea non procrastinare, sed migrationem ad Deum festinare.* Tanti Cæsarum potentissimus, inuictissimus, opulentissimus, & felicissimus fecit gratiam adoptionis, & diem, quo Christo renatus obtinuit veram immortalitatem: vt iam in sordibus purpuram, & fastum Imperatorium, cum omni mundi gloria, vitaque præsenti duceret, anhelaret autem ad mortem, velut ambitiosi metuunt eandem, vt fluxis fruantur honoribus, sæpè cum iactura salutis.

Post Baptismum purpuram abijcientis desiderio cœlestis gloriæ.

Matrimonium Christi cum Gentilitate.

Describit deinde Matrimonium Christi, cum Gentilitate, cap. secundo, his verbis Oseæ: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus: & non vocabit me vltra Baali: & auferam nomina Baalim de ore eius: & non recordabitur vltra nominis eorum. Et percutiam cum eis fœdus in illa die, cum bestia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ, & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos*

faciam

faciam fiducialiter, & sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in fide, & seminabo eam mihi in terra, & miserebor eius, quæ fuit absque misericordia: & dicam non populo, Populus meus es tu; & ipse dicet, Deus meus es tu.

Vltima verba satis euincunt de Gentilibus ea, quæ præcedunt esse accipienda: præsertim de SS. Regibus, & die Epiphaniæ, quo sibi eos quasi fœdere coniugali maritauit, non despondit tantùm: ideo S. Bernardus ait: *Talis conformitas maritat animam verbo, cum cui similis est per naturam, nihilominus ipsa se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est: ergo si perfectè diligit, perfectè nupsit.* Et alibi: *Si ergo amare specialiter sponsis principaliterque conuenit, non immeritò sponsæ nomine censetur anima, quæ amat.* et cum anima per amorem *S. Bern. Ser. 83. in Cant. & Ser. 7.*

Nouum cum eis fœdus inijt: & pacem eos, & Iudæos inter, velut agnorum cum leonibus firmauit, ac primò *lactauit* eos, dum suo Magos Astrologos hamo cœpit, creato nouo sidere, cuius ductu ad stabulum vsque ferarum sequerentur: inijt cum eis matrimonium, voluitque vir Gentilitatis, & *sponsus* vocari, non verò *Baali*, id est, *Dominus meus*. Vt enim Augustus Domini seu tyranni vitauit nomen, ne ciuibus Romanis videretur vt seruis velle dominari: sic DEVS maluit *Sponsus* ecclesiæ, vir etiam seu maritus dulciori vocabulo nominari. *Non enim accepistis*, ait Apostolus, *spiritum seruitutis in timore; sed spiritum adoptionis filiorum Dei*; vnde ablaturum se promisit Deus nomina Idolorum Baalim, ne recordentur eorum: & *fœdus* paciscetur *cum bestia agri*. S. Hieronym. legit: *Percutiam fœdus inter eos & bestias*, seu barbaras Gentes, & Iudæos, vt Isaias testatur: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*: subdit desponsionem nuptiarum, de qua alibi. Quid non debes anima Deo sponso tuo, sic te diligenti: vt nolit nomen à te Domini, neque Patris, sed sponsi audire, quo coniunctissimum, pares inter amorem declararet? Citat hæc Oseæ verba S. Bernardus, & subdit: *Si non fecit ille, quod sponsus, si non tanquam sponsus amauit. Si non zelatus est tanquam sponsus; noli acquiescere sponsam te arbitrari.* Vnam petit sponsus dotem à sponsa, amorem, eiusque crebram memoriam, qui te æterno dilexit amore, voluitque tui tot oraculis Prophetarum meminisse. Lactatur Magi stella. *Ro. 8.* *S. Hieron. in commentario c. 11.* amor infinitus sponsi

CAPVT XI.

Ioël Messiam promittit Doctorem Gentium, & abundantiam bonorum spiritualium.

IOEL cum Osee initio regni Oziæ fudit oracula, & cap. quidem 2. pœnitentibus Iudæis promittit salutem per Cyrum, & per Christum Doctorem Iustitiæ primis Christianis Spiritum Sanctum. *Noli timere*, ait, *terra, exsulta & lætare, quoniam magnificauit Dominus, vt faceret. Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt speciosa deserti; quia lignum attulit fructum suum; sicut & vineæ dederunt virtutem suam.* Annon idem videtur promittere, quod Isaias his verbis: *Lætabitur deserta, & inuia, & exsultabit lætabunda solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit, & exsultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli, & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* Cur timeant Iudæi Christiani, deinceps animalia terræ, Gentilem populum, de quo promiserat Osee, *Et percutiam fœdus cum bestia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ?* pergit Doctorem Christum promittere. Gentilium conuersio proditur. *Isa. 35.*

Et filij Sion exsultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum, sicut in principio, & scietis, quia in medio Israël ego sum; & effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Christo per excellentiam Doctoris & Magistri nomen conuenit Matt. 23. *Nec vocemini Magistri, quia Magister vester vnus est Christus.* Et quidem Gentium ferè lumen ducem & Præceptorem docent scripturæ, per Christum *Mat. 23.*

Isa. 55. is vocatur Dux & Doctor Gentium

Isa. 55. *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus*: & cap. 30. *Et non faciet auolare à te vltra Doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Subdit de *filijs Sion*, per quos interpretes non Iudæos; sed omnes ex Gentibus & Iudæis intelligunt, totamque Christi nouellam Ecclesiam, cuius figura erat Ierusalem: *vt exsultent in Domino Deo suo*, illique gratias agant: quandoquidem Christum illis dedit, à quo discerent veram iustitiam, sinceramque pietatem, ne vt ait Ribera, aut errantium Iudæorum, aut inani eloquentiâ Philosophorum deciperentur. Spondet deinceps in Ecclesia fore veram solidamque doctrinam Euangelij, qua fideles fœcundentur, & omnibus donis impleantur: quam donis suis mysticis sapientissimi Magi figurarunt: *& descendere ad vos faciet imbrem matutinum & serotinum.* Promittit etiam Spiritum S. omni carni, tam Iudæis, quam Gentibus: vt patuit Act. 10. in Cornelio centurione, alijsque conuersis è Gentilibus, & sic exponunt S. Hieron. Albertus, Lyranus, vt diei Epiphaniæ conueniat, quo Reges tres ab unde dona Spiritus S. receperunt, visiones viderunt, & somnia diuina somniarunt: è quibus didicerunt, quâ viâ gradiendum, & Herodes esset declinandus. Subdit Ioel: *Et erit omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quia in monte Sion, & in Ierusalem erit saluatio.* Citat hæc Rom. 10. S. Paulus, & ad Gentes extendit. *Dicit enim Scriptura. omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum, omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*: in sola autem Ecclesia Catholica salus erit, quam cum Iudæis Gentiles Magi die Epiphaniæ inchoarunt: tunc enim vniuersalis dici cœpit, cùm regna tria diffita Christi fidem publicè in Regibus suis profitebantur.

quibus Spiritus S. æque ac Iudæis promittitur. *Act.* 10.

S. Paul. Ro. 10.

CAPVT XII.

Amos prædicit ab eodem Gentilium fundandam Ecclesiam.

ob reiectionem Iudæorum

OEPIT is circa annum 25. Oziæ vaticinari: & 9. quidem cap. cùm Iudæorum repudiationem futuram narrasset, subijcit Gentilium conuersionem, vt S. Iacobus explicat: *Nunquid non vt filij Æthiopum, vos estis mihi, filij Israël ait Dominus? nunquid non Israël adscendere feci de terra Ægypti? Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ*: paucos tamen se spondet è Iudæis seruaturum, vt Christi fidem amplectantur his verbis: *Veruntamen conterens nõ conteram domum Iacob: ecce enim mundabo ego, & concutiam in omnibus Gentibus domum Israël, sicut concutitur in cribro, & non cadet lapillus super terram: in gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt non appropinquabit, & non veniet super nos malum.*

paucis exceptis selectis.

Gentilibus repromittitur conuersio, &c.

Sequitur Gentilibus facta promissio. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius, & ea, quæ corruerint restaurabo: & reædificabo eum, sicut in diebus antiquis: vt possideant reliquias Idumeæ, & omnes nationes.*

Act. 15. S. Petrus id explicat de Gentibus,

Hunc locum concilium primum Apostolorum Solymis habitum, Act. 15. Gentium conuersioni accommodauit: in quo primo S. Petrus hæc ait: *Viri fratres: vos scitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit per os meum, audire Gentes verbum Euangelij, & credere: & qui nouit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum S. sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda illorum.* Confirmat S. Petri verba S. Iacobus oraculo Amos, his verbis:

consentit S. Iacobus.

Viri fratres audite me: Simon narrauit, quemadmodum primum Deus visitauit sumere ex Gentibus populum nomini suo: & huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: post hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud; vt requirant ceteri hominũ Dominum, & omnes Gentes, super quas est inuocatum nomen meum, dicit Dominus faciens hæc.

Rectè

Rectè monet hoc ſoco S. Hieronymus. *Vbi Apoſtolorum præcedit autoritas* (maximè Petri & Iacobi, quos columnas Eccleſiæ vocat vas electionis) *ibi omnis variæ ex planationis tollenda ſuſpicio eſt: & quod à tantis viris exponitur, hoc ſequendum eſt.* Nec dubitandum, quin die Epiphaniæ, cum Iudæorum palam fieret obcæcatio, (quippe qui Gentilibus nati recens Meſſiæ locum natiuitatis oſtenderent, ire tamen ipſi & recipere eum nollent) & ipſi ruinam darent ingentem veteri Synagogæ, tunc eccleſia Chriſti Tabernaculum veri Dauidis cœperit inchoari: tribus euocatis diuerſis regnis, vt ruinas illas inſtaurarent, quod S. Paulus alia ſimilitudine oliuæ & oleaſtri ſic interpretatur: *quod ſi delibatio ſancta eſt & maſſa, & ſi radix ſancta eſt, & rami: quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cum oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduerſus ramos, quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. dicis, ergo fracti ſunt rami, ut ego inſerar. Bene propter incredulitatem fracti ſunt; tu autem fide ſtas, noli altum ſapere ſed time; ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ſic forte nec tibi parcet.*

& S. Hieronymus.

Cœpit die Epiphaniæ reparatio Tabernaculi Dauidici.

Idem S. Paulus alia ſimilitud. explicat.

Accomodat hanc Apoſtoli ſimilitudinem, prophetico tabernaculo ſic Ribera noſter. *Ex his verbis intelligimus Tabernaculum Dauid apud Amos vocari, quam oliuam Paulus vocat, id eſt populum Iudæorum: aperturæ vero murorum, & ea, quæ corruerant, ſunt rami fracti ex oliua, inſtauratio & reædificatio eſt ramorũ oleaſtri inſitio in bonam oliuam, vt ità ſit illa integra, cum rami alij pro fractis inſeruntur. Quemadmodum autem niſi Iudæi per incredulitatem cecidiſſent, non eſſent in eorum locum vocatæ Gentes, ſicut docet Paulus: dicis ergo fracti ſunt rami, vt ego inſerar: Bene propter incredulitatem fracti ſunt: & paulo ante: nunquid ſic offenderunt, vt caderent? abſit: ſed illorum delicto ſalus eſt Gentibus: vt illos æmulentur Quod ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ Gentium: quanto magis plenitudo eorum?* & poſtea; *ſicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nunc autem miſericordiam conſecuti eſtis, propter incredulitatem illorum, & ita niſi fracti eſſent rami oliuæ non inſererentur rami oleaſtri, & ſi non eſſent rupti muri Tabernaculi nullæ eſſent aperturæ, quæ reædificarentur. planum ergo eſt eundem prorſus eſſe ſenſum Apoſtoli & Prophetæ.* Hactenus Ribera. vtraque ſimilitudo locum habet in feſto Epiphaniæ, vt aliàs explicaui; nos igitur oleaſtros in oliuam inſertos decet de nobis ipſis ſubmiſsè & humiliter ſentire, quos non meritis noſtris; ſed infinitâ ſuâ benignitate inſeuit, vt pinguedinis participes fructus vberes bonorum operum referamus, ne velut aridos, & infructuoſos ramos reſecet, igni comburendos.

Coniungit vtramque Ribet.

Contigerunt ea die Epiphaniæ.

Per *Tabernaculum* autem *Dauid*, accipit cœtum fidelium, ſeu eccleſiam, cui fuerat olim Rex Dauid dominatus: quod regnum ſub Ieroboamo, Nabuchodonoſore, & Antiocho labem fecerat, & ruinis varijs diuiſum hiabat: at Herode Rege penitus corruerat. DEVS igitur, qui in rebus omnino deſperatis amat ſuccurrere, mittet MESSIAM, qui Tabernaculum, velut domum propriam & auitum regnum patris ſui reſtituet: & auguſtius reddet: nam Iudæos ſimul: & orbis totius nationes hereditario ſibi iure obligatas adoptabit, vt omnes toto terrarum orbe diſſeminati mortales ſe Chriſti ſeruos profiteantur. Sequitur ætate proximus Iſaias cuius prophetiam nimis prolixam vltimo loco reſeruabo.

Decet Gentiles conuerſos eſſe humiles.

Quid Tabernaculum Dauid.

Quando ruptum? & reparatum.

CA.

CAPVT XIII.

Abdias Christum Legatum vocat ad Gentes missum à Patre, vt armet earum Reges contra hostes.

Christus legatus iuit ad Gentes.

SVb Oziæ filio Ioathan Abdias diuinitus inspiratus Idumæis excidium prænunciauit. Hoc initium eius Christo solet accommodari: *Auditum audiuimus à Domino: Legatum ad Gentes misit: surgite & consurgamus aduersus eum in prælium*: sensus est, audiuimus à DEO concitatas ad bellum esse Gentes: Allegoricè legatus ille Christus appellatur: *is magni consilij Angelus* prælio vicit *Edom*, seu mundum, carnem, Diabolum. Ad hoc bellum Gentes euocauit, vt contra eosdem hostes auctorati militent: vnde de Gentilium vocatione locum hunc *S. Hieronymus, Remigius, Rupertus, Hugo Cardinalis, & Victorinus* interpretatur. Ac primi quidem adlecti sunt in militiam Christi tres Reges: stellam legauit illis, vt cœlestem nuntium, qui eos euocauit. Isa. 5 *& eleuabit signum in nationibus, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet*: venerunt velocissimè simul, tres illi Reges euocati: sacramento militiæ se nouæ statim in stabulo obligarunt. Vbi gloriosè de carne, mundo & dæmone triumpharunt, sceptris positis, fastu regio, & sapientia mundana contemta, dum supplices pannos, & præsepe infantis adorarunt; hoc præludium erat quoddam belli diuturni, quo per septuaginta annos vitæ reliquos cum vitijs decertarunt, electa demum voluntaria paupertate: quando Christo suis adhortationibus nationes varias subiecere, facti & ipsi Christi legati ad Gentes & militiæ simul duces & antesignani.

Expositio Prophetiæ ad literam Allegorica de Gentiũ vocatione.

Primos sibi milites trés Reges authorauit *Isa. 5.*

Cœlesti nuncio eos vocans.

ad arma contra dæmones.

Hugo Victorinus facit verbis allatis DEI filium reliquas in triade personas sic alquentem. *Surgite & consurgamus aduersus eum in prælium: surgat pater hostem filio potenter prosternendo; ego surgam sapienter nescium docendo, pater soluat vincula humanæ captiuitatis; filius tenebras illustret humanæ cæcitatis; Spiritus munera suggerat & desideria caritatis.* Prostrauit potentes Reges Magos DEVS, dum compulit tanta velocitate ad filij cunas aduolare. Tunc vincula soluit, non humanæ tantum, sed Diabolicæ seruitutis, cum eductos è regnis liberos stitit filio qui sapienter nescios docuit pretium humilitatis, & tenebras humanæ cæcitatis, terrena præ æternis bonis commoda sitientis illustrauit, vt calcatis omnibus nudum IESVM sequerentur: Suggessit in hunc finem ijsdem Spiritus Sanctus munera & desideria caritatis, sua in ijs perpetuo auxit & cumulauit dona, quæ inter Gentiles gratiæ, fideique primitijs debebantur.

Alia expositio.

Operationes diuersæ SS. Triuratis in Regibus.

Tria (ait, idem Hugo legatus) *iste secum attulit, lucem, vnguentum, panem, lucem cæcis, vnguentum ægrotis, panem famelicis: lucem exposuit in monte, panem in cœnaculo, vnguentum in crucis patibulo. Christus namque mundum illuminauit pulsa ignorantia; ipse cum satiauit ordinata concupiscentia; idem ipsum in melius commutauit exterminata miseria. Vnde ipse in euangelio, Ego sum, ait via, veritas & vita: via illuminando, veritas sanando, vita felicitando: primum contra ignorantiam, secundum contra concupiscentiam, tertium contra miseriam.* Hanc viam primum magis aperuit, dum veritate monstrata, itinere alio reduxit, ne ad Herodem reuerterentur: quos & hic vita gratiæ sanauit, & perpetuo recreauit, & post martyrium æterna beauit felicitate. Sed tropologicum sensum à S. Hieronymo discamus.

Tria Christus legatus attulit, &c.

Via veritas & vita nostra.

Sunt qui Idumæos ad carnem referunt: & aduersus illius pugnam animi æstimant prouocari, vt mortificantes membra nostra super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, æternam in Christo victoriam consequamur.

Sensus tropologicus contra vitia pugnãdum esse.

Præclarè Hugo Victorinus eiusdem nos commonet; cum enim ostendisset, vt Iacob cum Esau luctatus est, sic Christum contra Idumæos spiritales decertasse, finem & scopum huius pugnæ nobis ita proponit. *Primo luctatus est pro te, vt tu Diaboli fastum & eius regna vinceres.* Secundò vt mundi luxum & gloriam superares, tertiò vt carnis concupiscentiam & petulantiam sensuum expelleres: vltimam verò faciet luctam, vt præfatis omnibus spretis victor possideas gloriæ coronam.

tres luctæ Christi.

Præiuêre nos Gentium primitiæ sui ipsorum veri Reges, & Domini cunctarum mentis perturbationum, Christum secuti ducem clamant & nobis posteris suis, *Imitatores nostri estote, sicuti & nos Christi.*

CA-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

CAPVT XIV.

Michæas indicat locum Pastorum vigilantium, Adorationis Regum, & fundatæ Ecclesiæ.

CLARVIT cum Abdia & Isaia, regnante Ezechia: is natalis Domini locum, pastorum, & Gentilium ad Christum infantulum aduentum ac Ecclesiæ fundamenta ponenda prænunciauit: huius cognoscendæ Prophetiæ causa stella Magos deseruit prope Ierosolymam: vt dum ipsi natum Christum publicant, Iudæi è Michæa docerent eos locum Natalitium. Ac primo quidem Gentes Hierosolymis ad Christum aggregandas ita prædicit. *Et erit, in nouissimo dierum, erit mons Domini præparatus, in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi, & properabunt Gentes multæ, & dicent: venite adscendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem. & iudicabit inter populos multos, & corripiet Gentes fortes vsque in longinquum: & concident gladios suos in vomeres & hastas suas in ligones: non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltra belligerare.*

tria prædicit.

Gentes Hierosolymis conciliabuntur Iudæis.

Peruulgatum est, in diuinis scripturis, Sionis monte Ecclesiam Christi designari propter templum in eo excitatum, de quo Psaltes canit. *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Ad hanc Ecclesiam confluunt omnes nationes: & tres Reges amissa stella, ad ingressum Solymæ Ciuitatis Regiæ, sedis etiam synædrij & Pontificum, vbi possent de ortu Saluatoris & Ecclesiæ plenius edoceri. Sic se animant: *de Sion enim egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem*, lex gratiæ lex Euangelij: quæ pacem componet inter Gentes ferocissimas: hanc igitur legem pacificam portendit ortus Christi Iano clauso pacis tempore: & concursatio Hierosolymam SS. Regũ: vt inde Dei nati notitiam perciperent: quam viso Christo, postea ad alias nationes transfuderunt. Præsertim cum ipsi à Principibus sacerdotum locum natiuitatis didicerint, paulo post, quam Pastores eandem ab Angelis accepissent: de quibus ideo v. 8. subdit. *& tu turris gregis nebulosa filiæ Sion, vsque ad te veniet: & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem.* Quem locum, Haymo, Remigius, Beda in Lucæ 2. Baronius A. primo Christi, de Pastoribus gregis, ad Christi cunabula vocatis sic interpretantur; tu ô turris Eder, rusticana, vilis & pastoritia, gaude & exsulta: quia primo ad te veniet nuncius cœlestis, qui Christi Regis ortum annunciabit, cuius potestas prima & regnum incidit in Ierusalem, indeque per orbem totum propagabitur: de quo subdit, *Nunquid Rex non est tibi?* regnum illud SS. Reges primi pridie Epiphaniæ Solymis publicarunt: & Iudæi postea agnouerunt: nam die palmarum ingredientem solenniter Hierosolymam, his vocibus exceperunt: *Osanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, benedictum, quod venit regnum Patris nostri Dauid.* Tunc etiam Christus per portam gregis quasi agnus paschalis immolandus in Paschate inuectus est in vrbem.

in Ecclesia Christi. *Isa. 5. 73.*

SS. Reges se inuicem animant amissa stella ad ingressum Solymæ.

Pastores Angelus ad Christum adduxit.

Matth. 10.

Capite verò quinto verbis disertis Domini natalem locum designat: *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.*

3. Locus natalis Domini.

Quem locum cum prolixè sim in textu Euangelico sæpius explanaturus, hic supersedebo: satis ex his liquet, & hunc aliquod oraculum pro Epiphaniæ festo velut symbolum contulisse.

CAP.

CAPVT XV.

Tobias senior vaticinatur Regum aduentum Hierosolymam cum luce & muneribus, ac ortu Ecclesiæ in ea.

Tempus Tobiæ.

TOBIAS sub Ezechia ferè Rege Iudæ cum Michæas, Abdias, & Isaias viuerent, exsul cæcitate sua liberatus, erupit in laudis canticum, in quo Ierusalem prædicit instaurandam, & ut Lorinus noster adnotauit, etiam SS. Regum aduentum prænunciat, his verbis. *Ierusalem ciuitas Dei, castigauit te Dominus in operibus manuum tuarum, confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum seculorum, vt reædificet in te tabernaculum suum, & reuocet ad te omnes captiuos; & gaudeas in omnia secula seculorum, luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te: Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum: & terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen enim magnum inuocabunt in te: Maledicti erunt, qui contemserint te, tu autem lætaberis in filijs tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum. Beati omnes, qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua.*

Ad c. 24. Num. c. 13.

Stellæ luc. Gentium adventus Cum muneribus.

Et capite sequenti 14. *Prope erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini, & fratres nostri, qui dispersi sunt à terra Israël reuertentur ad eam; omnis autem deserta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incisa est iterum reædificabitur: ibique reuertentur omnes timentes Deum: & relinquent Gentes idola sua, & venient in Ierusalem & inhabitabunt in ea, & gaudebunt in ea omnes Reges terræ, adorantes Regem Israël,* verba postrema rectè de SS. Regibus exponuntur; de luce qua collustranda Ierusalem; de donis & aduentu Gentilium, congruenter ijs, quæ cecinit Isaias c. 60. *surge illuminare Ierusalem.*

Earum conuersio & Regum adoratio.

CAPVT XVI.

Nahum, significat felix nati Messiæ nuncium à Magis adferendum Iudæis.

VATICINATVS est *Nahum* sub Ezechia cladem, quam Deus per Angelum excitaturus, erat in castris Sennacherib: post quam felicia fore euangelia & optatissimos nuncios, cladis tam inopinatæ narratores significat, tunc & idola Gentilium prædicit comminuenda: quæ SS. Patres solent de Ecclesia Gentilibus conuersis interpretari.

Litera.

Verba Prophetæ sunt. *Afflixi te, & non affligam vltra: & nunc conteram virgam eius de dorso suo, & vincula tua disrumpam; & præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius, de domo Dei tui interficiam sculptile, & conflatile: ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem: celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua, quia non adijciet vltra, vt pertranseat in te Belial: vniuersus interijt.*

Prophetiæ.

Solebant Iudæi missis ad montes cursoribus & præconibus tubæ signo lætum nuncium significare: vt inquilini subiectarum vallium citius gaudio recens allato fruerentur, eo modo prædicit post cæsum Sennacherib tota Iudæa felix hoc euangelium quantocius diuulgandum, vt læti Deo festis institutis & votis persolutis grates referant de reportata victoria. Videri S. Hieronymus, Haymo, & Theophylactus possunt, qui allegoricè referunt ad Apostolos, pacem & gratiam Christi nunciantes. Mysticum præclarè ad nostrum institutum sensum explicat hoc modo S. Augustinus. *Hæc ad nouum testamentum pertinent, quorum dies festi ita spiritualiter innouantur, vt in vetustatem transire non possint. Porrò per Euangelium exterminata sculptilia, id est, idola deorum falsorum, & obliuioni tradita videmus. Et hanc etiam hac in re prophetiam completam esse cognoscimus.* S. Hieronymus ad cæcos Ecclesiæ persecutores, ita refert. *si quando grauissima persecutio fuerit, qualis sub Valeriano, &*

Allegoria. Tubarum clangor in montibus.

est Euangelica prædicatio Apostolorum. *S. August.*

S. Hieronymus.

De

Decio & Maximiliano, & Domini vltio apparuerit in aduersarijs eius, dicamus ad Ecclesiam: celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua

Ego sané existimo tunc, cum post 30. annos Iudæi Herodi alienigenæ repugnassent, & iam eius oppressi dominatu, cogerentur Regem agnoscere, nullum à condita Solyma felicius & lætius Euangelium è montibus fuisse publicatum, quam illud, quod SS. Reges primi promulgarunt ijs verbis: *vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus stellam eius, & venimus adorare eum.* Vt non immerito præcedat vocula stuporis index & inauditi nuncij. *Ecce Magi ab Oriente venerunt*: Vel vt hic Nahum ait: *Ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem.* An vnquam pacẽ certiorem, firmiorem, & lætiorem sibi nunciatam Solyma audijt, eâ, quam Angeli nuper Pastoribus, Reges verò Solymæ prædicabant, de nato Principe pacis Deum inter & homines, Sanciendæ? vt hos Reges ita hortetur, & admiretur Isaias. *Super montem excelsum adscende tu, qui euangelizas Sion,* & 52. *quam pulchri super montes pedes annunciantis & prædicantis pacem!*

Feliciss. mum Solymæ nuncium attulerunt SS. Reges.

de pace.

Firmitas autem futuræ pacis è fine colligitur. *Quia non adijcet vltra, vt pertranseat in te Belial*: impius & blasphemus Sennacherib, & Rapsacer locum deinceps in ciuitate Dei nullum reperient, quod 70. sic vertunt, *non apponent vltra, vt pertranseant in vetustatem: consumtum est, consũmatum est, adscendit insufflans in faciem tuã cruens de tribulatione.* Quasi diceret: vetera consumata sunt, noua facta sunt omnia: quæ de renouatione Ecclesiæ sic exponit Hieronimus. *O Iuda redde vota tua, quia vltra nequaquam pertransient inimici, qui te adducent in vetustatem: hoc est, qui te volunt portare imaginem veteris hominis. Quoniam quod vetus est, senescit, perditioni proximum est. Completus est mundus, consumtus est aduersarius, venit tibi Christus, qui prius insufflauerat in faciem tuam, cum te de limo fingeret, & post resurrectionem quoq; insufflans in faciem Apostolorũ ait: accipite Spiritum Sanctũ: ipse est, qui liberabit de tribulatione. Vastata enim Niniue & trãseunte mũdo tribulatio quoq; pertrãsiet.*

firmissima & perpetua.

S. Hieron. expositio.

Posset hoc Regibus in patriã reuertentibus accommodari, qui sculptilibus exustis, Herode declinato, festiuitates Christi cum gaudio tota vita constanter celebrarunt, nũquam à fide semel recepta deuij, nullis idololatriæ, vel grauioris noxiæ subiecti: nam primitijs acceptis Spiritus Sancti, per Christi infantuli beneficum afflatũ, vetustate vitæ prioris deposita in vitæ nouitate per omnem vitam ambularunt: donec eam gloriosa morte pro eo ponerent.

corundem stabilis conuersio.

CAPVT XVII.

Habacuc prædicit Messiam inter duo animalia cognoscendum à Magis, id Iobi duobus de potenti Magorum vocatione vaticinijs illustratur.

CANTAVIT sub finem Ezechiæ & initium regni Manasse: canticum is accinit capite tertio Christo, cuius ortum, res gestas, & miracula persequitur, concluditq; sacrum carmẽ hoc dulci epiphonemate. *Ego autem in Domino gaudebo; & exsultabo in Deo* Iesu *meo, Deus Dominus fortitudo mea.* natalem verò Domini, & eius manifestationem Gentibus etiã factam ita describit. *Domine audiui auditionem tuam, & timui: Domine opus tuum, in medio annorum, viuifica illud: in medio annorum notum facies, cum iratus fueris misericordiæ recordaberis. Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan: operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena est terra: splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.*

Prophetia è versione vulgata.

Quorum verborũ hæc est sententia: Domine audiui opus magnum, quod facturus es pro salute hominum: intra annos à te tali operi præsignatos mitte Messiam. Huic sensui cõgruit ad Spiritus S. mẽtem declarandã apertior versio 70. recepta á SS. Patribus: his verbis comprehensa. *Domine audiui auditum tuum, & timui, Domine consideraui opera tua & expaui, in medio duorum animalium cognoscêris, cum aduenerit tempus demonstraberis. cum turbata fuerit anima mea in ira misericordiæ recordaberis.* Quem sensum recipit Ecclesia: dum in festo natiuitatis ita canit, *ô magnum mysterium, & admirabile sacramentum, vt animalia viderunt Dominum*

sensus literæ.

ex versione 70. quã Patres sequuntur. Christus natus inter duo animalia.

num natum iacentem in præsepio,& in festo Circumcisionis, *Domine audiui, auditum tuum,& timui,consideraui opera tua,& expaui; in medio duorum animalium iacebat in præsepio, & fulgebat in cœlo.* Vt rectè dicat de 70. Ribera, *eos in Christi mysterijs valde illustratos fuisse à Spiritu S. vnde quæ Hebraice sunt obscurius dicta, ipsi planius & luculentius explicarunt: quocirca mutatis interdum quibusdam, aliàs additis nonnullis multa transtulerunt: sensu tamen retento.* 11. egregiè S. Augustin. hanc sententiam explanat. *Dic & tu Hebraicè Propheta testimonium de Christo: Domine, inquit, audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera tua Deus,& expaui: quæ opera Dei iste miratus expauit, nunquid fabricam mundi iste miratus expauit? in medio, inquit, duorum animalium innotescas opera tua Deus:* VERBVM CARO FACTVM *est, in medio duorum animalium cognoscaris, qui quousq; descendisti, expauescere me fecisti, quia Verbum, per quod facta sunt omnia, in præsepio iacuisti: agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, in medio duorum animalium cognoscaris.*

Ribera. 70. quædã a Spiritu S. docti clarius explicarun.

S. Augustinus, oratione contra Iudæos & Paganos c. 13.

Consentit S. Chrysost. *quare, ait, in præsepio? vt compleretur vaticinium Isaiæ Proph. cognouit bos possessorem suum,& asinus præsepe Domini sui. Scriptum est alio in loco: homines & iumenta saluos facies Domine. Si homo es, panem comede, si animal es ad præsepe accede.* Hæc animalia duo prophetica rectè Chrysol. Magos & pastores esse dicit. *Israëlitici pastores Angelis annunciantibus cognouerunt, hodie in eadem carne manifestatum Gentiles Magi curiosa sectantes, signis indicantibus inuenerunt: dicunt illi transeamus usq; Bethlehem, vt videamus hoc verbum: dicunt isti, vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum: accedunt ergo illi de proximo, hi veniunt de longinquo, vtrique tamen ad vnum eundemq; fidei locum pari deuotione, conueniunt: ibique Regem Christum appositum, ante duo prophetica illa iumenta, duorum videlicet populorum typum, figuramque gestantia, intuentur, admirantur, agnoscunt. Agnouit enim bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Agnouit enim bos Iudæus iugo legis excusso; agnouit & asinus paganus stultitiæ feritate deposita, ille deserens superfluum obseruationis laborem: hic relinquens vagum superstitionis errorem vterque agnouit: quia vterq; ad vnum præsepe Domini epulaturus accessit; epulaturus non fœnum mortis, sed cibum salutis: Edite, edite pia animalia æternæ salutis cibaria, & perpetuæ retributionis escam auidis, quantum potestis, faucibus occupate: non diuidentes in frusta sed integrum, solidumque sumentes.* Hæc animalia die Epiph. consentientia pariter in vnum Christi seruitium diuersis licet alias functionib. occupata conspirarunt: vnum &idem esse crederes animal, eundem populum Gentilem, cum Iudæo: eodem astu vi-ctitantem, eidem muneri destinatum; vt rectè S. Greg. Nyss. aduertit: *porro ait, præsepe rationis, atque sermonis expertium animalium domicilium est: in quo verbum nascitur: vt bos cognosceret possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Bos subditus legi, asinus oneribus portandis deputatum animal, quod peccato simulacrorum cultus oneratum atq; grauatum est. At brutis quidem conueniens cibus & victus gramen & fœnum est, qui enim producit gramen & fœnum pecoribus, inquit Propheta, rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem, idcirco in præsepio, quod est, habitaculum brutorum, is, qui de cœlo descendit panis vitæ proponitur, vt etiam bruta rationali inuicem sumto cibo rationem adipiscuntur. Medius igitur inter bouem & asinũ in præsepio vtriusq; est, vt soluto interstitio sepis ambos in sese creet, in vnum nouum hominem, & ab hoc graue legis onus auferat, & illud simulacrorum cultus onere leuet.*

conueniũt ad præsepe

edunt simul cibũ salutis.

Idem quasi fit animal ex duobus.

S. Greg. Nyss. sermone de Christi Natiuitate.

Apertè autem S. Ambrosius Magorum eadem in expositione meminit: præmiserat hanc ad Christum apostrophen. *Plus Domine* IESV *iniurijs tuis debeo, quod redemtus sum, quam operibus, quod creatus sum: non prodesset nasci, nisi redimi profuisset. Subdit hic est Dominus, hoc præsepe, quo nobis diuinum mysterium reuelatum est, irrationabiles Gentes, pecudum more, intra præsepia viuentes, alimoniæ sacræ vbertate pascendas. Agnouit ergo asina species certè, & forma Gentilium, præsepe Domini sui, & ideo dicit Dominus, pascet me, & nihil mihi deerit: an mediocribus signis probatur, quod Angeli ministrant? quod Magi adorant & Regem appellant? istum igitur paruulum, quem tu quasi vilem, qui infidelis es, arbitraris, Magi ex oriente venientes, tam longo spatio sequuntur. & procidentes adorant, & Regem appellant*

& vnus homo.

S. Ambros. c. 2. ques.

&

& resurrecturum fatentur. Huc faciunt quæ Iobus c. 6. ait: *Nunquid rugiet onager, cum habuerit herbam, aut mugiet bos, cum ante præsepe plenum steterit*: nam onager siluestris asinus, efferum & indomitum animal est, de quo Iob. c. 1. dicitur: *tanquam pullum onagri se liberum natum putat*: ideo typus est Gentilium, vt bos iugo assuetus Iudæos significat, subiectos legi, vtriusq; pabulum factus est in præsepio Christus. Vt pulchrè S. Greg. contemplatur, *herba* ait, *onagri & fœnum bouis est hæc ipsa mediatoris incarnatio: per quam simul Gentilitas & Iudæa satiatur. Quia enim per Prophetam dicitur omnis caro fœnum, vniuersitatis conditor ex nostra substantia carnem sumens fœnum fieri voluit, ne nostra in perpetuum caro fœnum remaneret. Tunc ergo herbam onager inuenit, cum Gentilis populus gratiam diuinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præsepe non habuit, cum plebi Iudaicæ eius carnem exspectanti lex exhibuit, quem diu prophetatum exspectauit. Vnde & natus Dominus in præsepi ponitur, vt videlicet signaretur, quia sancta animalia, quæ ieiuna diu apud legem inuenta sunt, Incarnationis eius fœno satiarentur. Præsepe enim natus impleuit, qui cibum semetipsum mentibus mortalium præbuit dicens, qui comedit meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.*

onager Gentiles, bos Iudæos designat. c. 7. moral. c. 4. Humanitas Christi cibus Iudæorum & Gentilitatis.

Sed in sequentibus Habacuc Prophetæ verbis saluo meliore iudicio, videtur oraculum clarius de Magis insinuari. *Deus*, ait, *ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan*. Sunt ea loca Arabiæ, & quidem Hierosolymæ versus austrum. Idem ferè sensus est loci huius, qui illius Mosaici, Deut. 33. v. 2. quo alludere Prophetam interpretes omnes consentiunt: *Dominus de Sina venit & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia*. Tres hi montes in Arabiæ deserto siti viam continent, qua Israëlitæ duce columna nubis & ignis in Chanaitidem contenderunt, ideo sensus verborum est: Deus, qui patribus peregrinantibus per desertum Arabiæ in nube se ostendit, dum sensim è montibus Seir, Pharan, & Sina emergens per columnam ignis & nubis præcessit eos, legemque dedit in Sina magnis prodigijs, ac tandem per mille pericula deduxit in Chanaam, idem se suamque præsentiam ostendet nobis in Babylone ab Austro: nam à Media & Perside, quæ Australes sunt Chaldææ, adducet Cyrum & Darium, qui Babylone vastata, Iudæos inde liberent: idem Deus cum nascetur homo, cum luce & gloria veniet ab Austro, quando in Bethlehem, quæ Australis est Solymæ, producetur. An forte tria Arabiæ loca trium nostrorum SS. Magorum designant patriam, vel potius, quia spectant Austrum, viam ipsam, qua simul secuti stellam gradientes Solymam contenderunt? Fauet primo vox illa *venit*: Deus enim venire dicitur, cum signis & prodigijs, suam indicat præsentiam, & diuinitatem: vti tribus in dictis locis dum legem ferret; dum sanaret serpentis ænei conspectu, dumq; Prophetiæ dono se declararet Israëlitis: venire dicebatur: ita iam ortum suum stellâ Magorum duce per idem iter manifestauit, quasi qui in illis delitescens montibus hactenus, inde nunc iterum erumpens deduxerit Magos in Iudæam, & præsentiam ac diuinitatem oculis spectandam obiecerit ijsdem in locis, noui sideris procreatione. Fauet deinde stellæ & lucis ortus, cuius hic est clara verbis istis descriptio, *operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena est terra: splendor eius vt lux erit*. Fauet tertio, quod sequitur de potentia Dei hactenus occultata, sed in hac præcipuè Magorum vocatione mundo declarata. *Cornua* ait, *in manibus: ibi abscondita est fortitudo eius.*

Deut. 33. 2. Tres montes Arabiæ celebres in peregrinatione Iudæorum.

Allegorico sensu. Patriam designant, & loca transitus SS. Regũ. Deus venit cum se manifestat miraculis. Habacuc indicat ortum stellæ Dei omnipotentiam adducẽtis SS. tres Reges.

Fauet quarto virtute huius potentiæ Christi repentinam de diabolo & idololatria victoriam esse reportatam, & conuersionem secutam superbarum Gentium: ait enim *ante faciem eius* (Christi) *ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius, adspexit & dissoluit Gentes, & contriti sunt montes seculi, incuruati sunt colles mundi* (Reges sapientissimi Magi) *ab itineribus æternitatis eius* (considerantes Deum æternum & immensum amore hominum factum esse mortalem & patibilem) audi S. Augustinum 70. versionem explicantem, *stetit & terra commota est: quid est, nisi quod stetit ad subueniendum, & terra commota est ad credendum? Respexit & tabuerunt Gentes, hoc est misertus est, & fecit populos pœnitentes, contriti sunt montes violentia, hoc est vim facientibus miraculis elatorum, contrita est superbia: defluxerunt colles æternales, hoc est humiliati sunt ad tempus, vt erigerentur in æternum. Ingressus eius pro laboribus vidi: hoc est non sine mercede æternitatis laborem claritatis adspexi.*

Idololatriæ exterminationem.

S. Augustinus l. 18. C. D. l. 32. Gentium conuersionem per miracula.

Arabiæ fidem post reditum.

Fauet quinto, quod Æthiopes Orientales, seu Arabes Madianitas ad Christum conuertendos redeuntibus in patriam Magis prænunciet: *pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian, qui adscendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Pulchrè exponit hoc idem S. Augustinus: *Gentes repente perterritæ nuncio mirabilium tuorum* (ortus stellæ & vita à Magis Christi nati) *etiam quæ non sunt in iure Romano, erunt in populo Christiano: quia adscendes super equos tuos, & equitatio salus: hoc est Euangelistæ tui* (primi tres Reges) *portabunt te, quia reguntur à te: & Euangelium tuum salus est eis, qui credunt in te. Fluminibus scindetur terra: hoc est fluentibus sermonibus prædicantium te aperientur ad confitendum hominum corda, de quibus dictum est: scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Quid est videbunt te, & dolebunt populi, nisi, vt legendo sint beati? Quid est dispergens aquas incessu, nisi ambulando in eis, qui te vsquequaque annunciant? hàc, illàc, disperges fluenta doctrinæ. Quid est abyssus dedit vocem suam? an profunditas cordis humani, quid ei videretur, expressit?*

l. 18. C. D. c. 32.

per primos Euangelistas SS Reges.

Fauet Theophyl.

Certe Theophylacta, quæ de luce dicuntur, explicat per locum Isa. 60 *Surge, illumina Ierusalem*, & illum Isa. 9. *populus, qui ambulat in tenebris, vidit lucem magnam*, quæ diei Epiphaniæ tribuuntur.

Mihi sanè quæ de cornibus in manu Christi seu trophæis, & vexillis crucis Christi (vt ea S. *Hieronymus* exponit) ac emicante inde virtute diuinitatis dicuntur, de nati Christi fortitudine rectè interpretari posse videntur, quam S. Iobus c. 39 sic adumbrat apta similitudine. *Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabatur ad præsepe tuum? nunquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium post te? nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius & derelinques ei labores tuos?* Animal hoc indomitum quod in Orientis partibus dominatur, Gentilem designat populum Christi virtute subiungendum, vt eius iam cicuris cornua velut domestici animalis manibus apprehendat, & ducat, quo velit: imo ad arandum bouis instar, vel triturandas fruges in subigenda carne propria, & alijs Deo Gentibus acquirendis vtatur, quales fuere tres Reges, quorum cornua seu superbia Christi pressa manibus & potentiâ sunt, vt in omnium aliarum Gentium conuersionem totis viribus per omnem vitam incubuerint. Illustrat hoc simile S. Hieronymus. *Sunt*, ait, *huiusmodi feræ in solitudine Orientis; hic igitur Monoceros siue Rhinoceros populi Gentilis imaginem præfigurat: cuius etiam superbia significatur in cornu, sicut quibusdam peccatoribus & superbis à Deo per Prophetam dicitur: Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu: nolite in altum extollere cornu vestrum. Hic monoceros, qui per sapientiam mundialem tumore superbiæ erat in sublimi porrectus, nunquid tibi subijcietur, ait Dominus ad Iob: vt per fidem in sanctitate, & iustitia seruiens, obedientiæ colla submittat, & mansuetus effectus atque humilis ad dominicum præsepe recurrat, ac verbis Dei hominisque assumti sacris cibariis saturetur? siue nunquid subijcietur, vt in Ecclesiæ meæ claustro habitet? quod erit viantibus stabulum atque huic seculo renunciantibus salutare perfugium: vbi spiritualium ciborum alimonijs, institutionibus & cœlestibus pinguescat eloquijs, & impleatur in illo, quod erit per Prophetam postea prædicendum. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: in Monocerote quippe hic nominato sicut iam Propheta per asinum immundus & incircumcisus significatus est populus, omnium nationum.*

Lib. 39. c. 12. 5. Christi nati fortitudo.

in Rhinocerote Gentili populo.

& SS. Regibus conuersis.

S. Hieron. in Iob.

Ps. 74. Cornu superbiam significat.

stabulum Christi Ecclesia vel status religiosus est.

Aptè quod Isaias & Habacuc de propheticis animalibus dixerant, Rhinocerotis Gentili populo per Magos ad Ecclesiam & stabulum Christi adducto accommodat, quem vinculis fidei, spei, & caritatis alligat præsepi dominico, vt sacris Deiparæ & Iosephi sponsi colloquijs & vbere diuinæ gratiæ pabulo saturetur. Pergit Iob. *Nunquid alligabis Rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te: lorum ait* (S. Hieron. hoc loco) *dictam ipsam caritatem Christi, quæ est inter omnes virtutes præcipua, intelligere debemus: de qua ad diligentes atque amantes Deum ait Apostolus, copulati in charitate: cuius vinculis colligandos Propheta olim prædixerat, dicens ad Deum: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, & post te ambulabunt, vincti manicis per-*

Reges isti vinculis fidei, & spei, alligati Ecclesiæ. loroque caritatis fortissimo.

Coloss. 2.

Isa. 45.

pergent: & Dauid, quemadmodum charitatis vinculis per ministros Verbi Dei vinciendi essent credentes, ita loquitur dicens: ad alligandos Reges eorum in vinculis ferreis. Quorum vinculorum nominibus charitatis Christi fortitudinem voluit demonstrare: quæ etiam fortis & potens in manicis ferreis ad amorem Domini constringit. Hic ergo Rhinoceros, id est populus quondam incircumcisus, præputio scilicet carnalium voluptatum & infidelitate immundus hoc loro charitatis Christi fortissimo alligatus ita, vt nulla eum creatura separare possit à Christo, conficit in corpore glebas conuallium, duritiam scilicet peccatorum, & colit in corpore suo terram dominicam secundum Apostolum, qui ait, non estis vestri: & ideo hic specialiter Domini est terra, in qua primitus omnium peccatorum, quasi vepriũ spinarumq; purgatio, deinde aratro crucis & ferro dominicæ passionis duricia cordis atteritur, & confringuntur vallium glebæ. Vallium nomine humiliatos peccatis homines atque in ima depressos significari existimo: sicut habemus in psalmo: adscensus in corde suo disposuit in valle fletus: vnde & Isaias cum increpatione prophetaturus contra Ierusalem peccatricem prophetiæ suæ huiusmodi titulum præposuit dicens: Onus vallis visionis. Talium igitur vallium glebas Monoceros comminuit, quando humiliati corporis terram edomat, & suscipiendis cœlestium præceptorum seminibus, ac reddendis fructibus præparat, quando cum Apostolo castigat corpus suum, & in seruitutem redigit, quando omnem hebetudinem obstinati cordis duramque stoliditatem à se auferre ostendit, quod tamen efficere nequaquam poterit, ait Dominus, nisi Rectorem & gubernatorem suum obedienter me fuerit secutus. Vnde ait Dominus ad Iob: aut confringet glebas vallium post te: sicut habemus in psalmo: adhæsit anima mea post te, & Propheta de huiusmodi, post te ambulabunt inquit, vincti compedibus: vbi admiratione dignos video tales pedes, qui quanto magis compediti fuerint, tanto velocius sine offensione egrediuntur. Compedes iniecerat in horum pedes iam tum Christus cum educeret è patria: tanto velocius per quadringentas ferè leucas ad Christum aduolarunt, quanto tenerius cognitum adamarunt: interim itineris molestijs defatigatione corporis, vitæ periculis velut vomere glebas vallium prosciderunt, contriuerunt, & in puluerem minutissimum redegerunt, vt terra aptissima videretur, quæ euulsis iam penitus omnibus sentibus non vitiorum tantum: sed & vitiosarum omnium propensionum sementem à Christo ipso reciperet, vt hunc in omnibus viæ & vitæ ducem sequerentur: huic florerent, huic matureſcerent fata mentis, in horrea Christi colligenda. Pergit S. Hier. ex Iobo. *Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius? ego Dominus noui fortitudinem caritatis, & patientiæ eius: & patientiæ & longanimitatis: & idcirco dereliqui ei ad imitandum me omnes labores dispensationis meæ, quos in me credendo intelliget, quia pro illo sustinui alapas, verbera, ac sputa suscipiens, eidem laboraui, eique ad cœlos euolans exempla laborum ac virtutum reliqui: cui quæ credidi atque commisi opitulante tibi gratia mea reddat multiplex semen, & in area Ecclesiæ germen trigesimum, sexagesimum, centesimumque fructificet, & arcam tuam congreget, sicut Apostoli & post Apostolos multi fecere Doctorum.* Addo & hi sancti Reges, quos ab Apostolo Thoma institutos & verbi diuini præcones electos maximè Deus longæuos esse voluit, & annum centesimum vitæ superare, vt & ipsi Apostoli fierent & tam visa à se in ortu Christi, quam de morte eius prænunciata muneribus, iam reapse completa facilius & libentius summo cum Ecclesiæ incremento totum per Orientem publicarent: illustre semper futuri trophæum victoriæ nati saluatoris, *cuius in manibus* (ait Habacuc) *cornua eius: ibi est abscondita fortitudo eius*: quando tam potentes & sapientes orbis Reges velut Monocerotes præsepio suo alligauit, vt puer paruulus eos gubernaret. Quam bene cum *Habacuc* exsultarunt coram hoc duce & pastore suo generosi illi Rhinocerotes & illud ingeminarunt, *Ego autem exsultabo in Deo* IESV *meo: Deus Dominus fortitudo mea. Trahe & nos post te ô bone* IESV, *curremus in odorem vnguentorum tuorum, vt post te glebas vallium conteramus, in te vno gaudeamus, exsultemus, gloriemur.*

2. Cor. 6. Exstirpans vitia.

inserunt virtutes, ps. 85.

vrgent castigationem corporis.

ps. 62. & imitationem Christi.

patientis.

inde fructus multiplex germinatur.

in reditu Regum.

CAPVT XVII.

Sophonias Regum patrias, dona & concordiam cum Iudæis in eadem Ecclesia præcinit, cum laudis egregio cantico.

IOSIA Rege sanctissimo dominante Sophonias Gentium ad Christi Ecclesiam cum Iudæis aggregationem tam c. 2. quam 3. prænunciauit. Et c. quidem 2. ait: *horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes Deos terræ, & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium.* Hæc apud Lorninum sic S. Augustinus interpretatur, *non migrando de loco, sed de locis suis adorando.* Notat hic rectè *Ribera* per *Insulas* accipi tam regiones, quæ mari vndique alluuntur, quam eas, ad quas è Palæstina per mare tantum proficiscebantur: hoc sensu videtur illud Gen. 10. intelligendum: *ab his diuisæ sunt Insulæ Gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam*: & Ier. 25. *& Regibus Insularum, quæ sunt trans mare*: vnde rectè tertius Regum ex India veniens Rex *Tharsis* & *Insulæ* nominatur. Alter locus c. 3. est: *iudicium meum vt congregem Gentes, & colligam regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra, quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei, filij dispersorum meorum deferent munus mihi.*

Insulæ sũt in scriptura loca transmarina nauibus adeunda.

Vaticiniũ de insulanis Gentibus conuertendis.

S. Hieronymus. Symbolicus sensus.

S. Hier. ho. 2. in Cant. *hæc prædicta*, ait, *in Ecclesia de Gentibus colligenda*: & aptè ex 70 reddit; quæ facile sanctis Regibus de Saba profectis applicantur: ait ergo, *Quoniam iudicium meum est ad congregationes Gentium, vt suscipiam Reges, & effundam super eos omnem iram indignationis meæ: in igne zeli mei consumetur omnis terra: Quoniam conuertam in populis linguam in generationem eius, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruiant ei sub iugo vno: de vltra flumina Æthiopiæ suscipiam eos, qui dispersi sunt, & adferent sacrificium mihi: in illa die non confunderis Saba ab omnibus adinuentionibus tuis, in quibus impiè egisti in me.*

versio 70. interpretum.

Videtur (ait Hier.) *quod vltra flumina Æthiopiæ esse dicitur ille, qui nimijs & superabundantibus peccatis infuscatus est, & atro malitiæ fuco infectus, niger & tenebrosus est redditus: & tamen ne hos quidem repellit Dominus; sed omnes, qui sacrificia contribulati spiritus & humiliati cordis offerunt Deo, confessionis scilicet, ac pœnitentiæ titulo ad eum conuersi non repelluntur ab eo, sic pacificus dicit Dominus noster. Ego venientem ad me non repello.* Symbolicus ille sensus est postea considerandus, nunc literam & allegoriam vestigamus, facit hîc pro vocatione Gentium, & imprimis sanctorum Regum die Epiphaniæ. Primo promissio labij electi, quasi locutionis eximiæ & pulchræ, quia tres Reges, vno eodemque labio lingua & locutione de vno Christo verò Deo Solymis interrogabant: *vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* An non in hanc locutionem cadit dictum Gen. 11. *Erat autem terra labij vnius, & eorundem sermonum*: cum omnes vna lingua eundem Iudæorum Deum loquerentur? nulla *Babel* hic, vel Gentium, ac linguarum confusio: Vnum dixisses hominem triumuiros illos: vnum enim & idem sentiebant, volebant, loquebantur: id Synmachus rectè *labium mundum* nominauit, quod nullis vocibus idolorum inquinatur: non enim diuersorum illi populorum Reges Martem, Melcho vel Iouem, sed vnum Regem natum Iudæorum inuocabant, vt præ reliquis aptissimè verterit Chaldæus, *Conuertam in omnes Gentes locutionem vnam electam, vt precentur omnes in nomine Domini.*

Allegoricus. labium electum.

Vnum.

mundum.

Facit secundo *humeri vnius* succollatio, vt *seruiant ei humero vno.* Gloriam Dei cogita quasi sublimi in feretro magnificè, baiulis Gentium Regibus & Iudæis, Solymis circumferri, vel insignia regni noui Christi postridiè in stabulo Bethlehemitico cum titulis sceptro corona & trabea regia deportari, vno scilicet humero tam Gentes, quam Iudæos oneri succollare, vna mente voce, & sensu & pari quasi passu rapi, vt Christi solius nati regnum cœlestibus prodigijs & claris scripturæ testimonijs firmatum publicetur: quod rectè vertunt 70. Syrus & Arabicus, iugo vno: velut enim boues connexi

& humerus. vnus. est consensus Iudæorum & Gentiliũ.

nexi in plaustro iugum eius pari ferunt onere, sic tres Reges & Gentes excusso iam graui dæmonis & tot falsorum Deorum iugo, cum pastoribus Iudæis eandem Christi fidem profitentur, vt sicut prophetica prius vidimus animalia eodem vesci cibo fidei: sic nunc eidem officio Christi gloriæ propagandæ destinantur. dicitur etiam Iugum.

Facit huc tertiò, quod de *Saba & vltra flumina Æthiopiæ* dicantur aduenturi, quæ ipsæ sunt sanctorum Regum patriæ & regiones; vt enim omittam breuitatis causa variorum opinationes, ea mihi vero similior videtur, quam recentiorum multi probant, per Æthiopiam in Scriptura quam sæpissimè felicem Arabiam intelligi, vt ex ea, non autem Africana *Pineda* noster solertissimus veterum & recentiorum huius puncti indagator Reginam Saba duxerit Hierosolymam, & Lorinus noster cum Ribera Alapide & alijs frequenter insinuauit: nam in Arabia locantur Madianitæ, è quibus prodijt vxor Moysis, quam ideo semper Æthiopissam Scriptura nuncupat: & de Pharaone merso in mari rubro dicitur ps. 73. *dedisti eum escam populis Æthiopum*, seu Arabibus, accolis maris rubri: & Arabia passim Chus seu Æthiopia dicitur, in qua sunt Gison fluuius è Paradiso deriuatus, Euphrates ac Tigris, qui per mediam Arabiam manant, vltra hæc flumina, ex ipsa India Orientali veniet vnus saltem Regum Perimel seu Melchior. Patriæ Regum. in Arabia per Æthiopiam significata. 1. 2. 3. 4. ibi tres fluuij paradisi.

Fauent huic sententiæ Chaldæus Vatablus & Arias, qui de Indis exponunt: nam Chaldæus vertit *trans fluuios Indiæ*: sunt autem Indicæ Æthiopiæ tres fluuij, *Tigris, Indus & Ganges*. Quid quod Pererius in c. 25. Gen. ex Beroaldo & Dionysio quosdam Sabæos nominet Indos æque ac Persicos Arabicos & Abyssinos. Facit pro hac opinione, quod aliqui filij Chus, puta Heuila, versus Indiam habitarint: & S. Cyrillus Theodorus, Procopius (quos citat Pineda) Sabæam gentem vocant, Æthiopiam Indicam. Quorum omnium sententiæ, quæ sua non carent probabilitate (licet alias non improbem) indicari locus Orientalis Cranganoris potuit, è quo tertium Regem prodijsse non tantum constans Indiæ populorum traditio, cum vestigijs templorum ab ipso & successoribus ad memoriam rei gestæ testantur hodie, sed ipsi loquuntur annales vetustissimi, sicut alibi dicam. In India Sabæi quidam sunt. *Pineda l. 5. de Salom. c. 14. sub. 5. n.*

Facit huc etiam illa 70. versio, quam ex S. Hieronymo præmisi: *In illa die non confunderis Saba.* qua voce Arabica designatur, è qua & vicina parte duo reges alij prodierunt: vt rectè Gentes hic numeratas, ita post varias aliorum allatas opiniones Alapide conciliet: *Summa*, ait, *vult dicere hac phrasi Sophonias, remotissimas Gentes, quales sunt Æthiopes, & quæ vltra Æthiopiam, siue Arabicam, siue Africanam habitant, Garamantas & Indos ad Christum conuertendos. Propriè tamen & præcisè per Æthiopiam Sophonias accipit, non illam, quæ sub Ægypto est, puta Abyssiam, sed & Arabicam*: citat pro hac sententia Castro, Marianam & alios.

Denique faciunt huc quæ de sacrificijs, vel donis horum populorum subijciuntur: *inde supplices mei filij dispersorum meorum munus deferent mihi.* quæ verba S. Hieronymus ex Hebræo sic vertit: *trans flumina Æthiopiæ supplices mei: filiæ dispersorum meorum adferent munus mihi.* sic autem hoc exponit: *O Israël, ô synagoga quondam mihi filia, quam nunc toto orbe dispersi, licet inuideas, licet æmulatione crucieris, tamen de Æthiopia mihi victimæ deferentur, id est, Gentilium populo.* Vulgata lectio filios, non filias appellat, vnde ægrè patitur dictam expositionem. Alapide igitur intelligit de Gentibus toto orbe dispersis, etiam remotissimis in Indijs degentibus: *de hisce*, ait, *prædicit quod per prædicationem Apostolorum, perque Christi vocationem & gratiam venient ad Ecclesiam: in eaque sua vota & munera offerent Domino: hoc enim est, quod ait S. Ioannes c. 11. Prophetauit (Caiphas) quòd Iesus erat moriturus pro gente, & non tantum pro gente (Iudaica) sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Hic filios Dei dispersos Ribera accipit, quotquot erant in Gentibus electi, quorum dispersorum progenitores, & primitiæ cum essent sancti Reges, primum & potissimum explicandum esse de illis nullus dubito: illi enim supplices & primi Christo nato sacrificium obtulerunt. Illi primi Æthiopum in sanguine agni die circumcisionis effuso sunt dealbati, quorum nos parentum felix progenies, fuligine detersa vitiorum, & pelle iam mutata Æthiopica, candidi Deo sincera fide munera deferimus sanctorum operum: sanctorum istorũ donario munerum. *S. Hieronymus.* Gentiles Messiæ sacrificabunt. qui dispersi dicuntur.

Regum imitatores: de quibus ita S. Hieronymus myſticè commentatur: *Chriſtus mundat omnem nigredinem animæ, & tetrum colorem, ac draconis venenum, quo tincti fueramus vitijs atque peccatis: reddito nobis labio electo, ſiue mundo & candido, & facit derelinquere nos in fluminibus Æthiopiæ peruerſorum dogmatum magiſtros, quibus ante irrigabamur, & cum diſperſis quondam Iſraël Chriſto munera delaturos.* Benedictus Dominus Deus, qui nos *vocauit de tenebris* cum Magis *in admirabile lumen fidei: eramus enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulemus, fructus autem lucis eſt, in omni bonitate, & iuſtitia & veritate.* Subdit Sophonias de die Epiphaniæ: *in illa die non confunderis Saba* ſuper peccatis idololatriæ, quæ commiſeras antea: *nec te puniam, & ignominiâ afficiam*, vt ſolebam; ſed cuncta tibi remittam. Pulchrè locum iſtum SS. Regibus ita S. Cyprianus applicat: *Ecce alienigenæ à fluminibus Æthiopiæ ad paruulum Chriſtum ſupplices veniunt, & filij diſperſorum deferunt munera, accedunt qui longè erant, & qui propè recedunt: in loco humili & ſupellectile vili Rex Regum & Dominus dominantium inuenitur, cognoſcitur & ab alijs adoratur: quia vere neminem in conſpectu Dei apparere vacuum antiqua lex edocet, prænaricatoribus legis abeuntibus vacuis, primitiæ Gentium de theſauris ſuis proferunt ſacramentalia munera.* Sequitur deinde canticum laudis eximium: id die Epiphaniæ, conuerſis SS. Magis ad fidem Chriſti, primigeniæ naſcenti Eccleſiæ Sophonias accinit: *lauda*, ait, *filia Sion; iubila Iſraël*, (Eccleſia fidelium Chriſtiana) *lætare & exſulta in omni corde filia Ieruſalem* (è Gentibus, Regibus, & Iudæis paſtoribus congregata, cuius figura fuit Ieruſalem, quam etiam Sion nominat) ter lætitiam prouocat ob tres Reges: hos vult 1. laudare Deum; Hebraicè vociferari præ lætitia 2. iubilare, quòd ex inexplicabili lætitia oritur, quæ nec taceri poteſt, neque tamen verbis vllis congruis declarari: vult tertio in toto corde exſultare: vt motu totoque geſtu corporis, quæ vocibus exprimi nequit, geſtiens animi lætitia de Gentibus conuerſis ſignificetur: ac ſimilis ſit Dauidi iubilanti pſ. 26. dum canit, *circuiui & immolaui in tabernaculo hoſtiam vociferationis*, qualis Deiparæ iubilus ſic triumphantis: *Magnificat anima mea Dominum & exſultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*: qualis iterum Dauidis, *qui ſaltabat totis viribus ante Dominum, & domus Iſraël ducebant arcam teſtamenti Domini in iubilo & clangore buccinæ*: ita Gentiles decet Deum laudare, Chriſto iubilare & exſultare in omni corde: cauſam ſubiungit, *quia abſtulit Dominus iudicium tuum*: ſeu ſupplicium & condemnationem peccatis tuis debitam: culpam & pœnam omnem: *auertit inimicos tuos* dæmones & vitia: vnde *Chald.* vertit. extirpauit inimicos tuos: 70. *Redemit te de manu inimicorum tuorum Rex Iſraël*: Primo denunciat omne iam depulſum à SS. Regibus conuerſis eſſe malum: deinde addit omnia donata eis bona: *nam Rex Iſraël Dominus in medio tui*, vt paſtor inter oues te aliturus; vt Rex inter ſubditos protecturus: vt pater vel ſponſus vnicam ſuam defenſurus: *non timebis malum vltra*, nec ab Herodis inſidijs; nec à Romanorum potentia, quod ſi Deus ob fidem velit vos gladijs Gentilium occumbere, vires dabit, vt aduerſa non conſtanter tantum: ſed hilariter etiam perferatis: *in illa die dicetur Ieruſalem: noli timere Sion: non diſſoluantur manus tuæ*, ob ortas contra te idololatrarum perſecutiones, quare? *Dominus Deus tuus in medio tui, fortis, ipſe ſaluabit*, En Saluator & ipſe pro te, & in te pugnat ſalus. *Silebit in dilectione ſua*, præterita peccata tua nunquam refricando: vnde Chaldæus habet, *abſcondet delicta tua in miſericordia ſua*: vel quia ſtabilis & firmus erit, nec vnquam amorem ſuum reuocabit: vel cum tentaris quandoq; diſſimilando: vt hoc glorioſior ſit tua de hoſte victoria, quo magis videbaris eſſe à Dei ſolatio derelictus: & de tali victore ſubdit, *Exſultabit ſuper te in laude*, tuam patientiam & victoriam tuam prædicando. Tigurina vertit *geſtiet de te cum iubilo*, qualis triumphus Dei vincente Iobo coram Sathana, & Iſaias c. 62. *eris corona gloriæ in manu Dei, vocaberis voluntas mea in ea: quia complacuit Domino in te. & gaudebit ſuper te Deus tuus*: *ideo* Paulus *gratias ait Deo, qui ſemper triumphat nos in Chriſto* IESV: dum per Chriſti merita gratiam nobis largitur, qua victoriam de nobis & diabolo reportemus: & ita per nos triumphum deuicto diabolo ducat: plura lætitia geſtientis ſigna Sophonias edit, quæ apprimè nouellæ de Gentibus SS. Regum congregationi paulo ante fuſcæ & decoloratæ, nunc formoſæ conueniunt.

C A.

ſenſus moralis.

1. *Pet.* 2.

Epiphania remiſſionis dies.

S. Cypri. de ſtella & Magis.

applicat SS. Regibus.

Gentilium de conuerſione.

laus, iubilatio, exſultatio.

Pſ. 26. *Luc.* 1.

2. *Reg.* 6.

quinque de cauſis.

Deus in medio Eccleſiæ vt ſaluator.

3. diſſimulat commiſſa.

4. gloriatur de victoria iuſtorum.

Iſa. 62.

vt carona ſua.

2. *Cor.* 21. 14.

CAPVT XIX.

Ieremias prænunciat ſacerdotum Iudæorum cæcitatem: Gentilium ad Chriſtum conuerſionem & nouum pactum cum ijs ineundum.

IOSIA & Sedecia Regibus *Ieremias* futura prædixit, præſertim excidium Solymæum fuse lamentatur, is nonnulla quæ Epiphaniam attingunt vaticinatur. 1. Apud S. Bonauenturam Religioſis & Eccleſiaſticis cum de cæcitate Iudæorum agit, occinitur is locus Ieremiæ 2. *Sacerdotes non dixerunt: vbi eſt Deus, & tenentes legem neſcierunt me: Ecce* (ait Bonauentura) *Reges, homines ſeculares regni negotia intermittunt, & Deum quærunt: quem tamen multi literati & aliquando religioſi negligunt: vnde Gregorius plerumque actione ſecularium confunditur vita continentium: dum illi extra habitum aſſumunt opera, & iſti iuxta ordinem proprium non excitant corda.* Adijcit & illud Iſaiæ 23. *Erubeſce Sidon, ait mare*: quid enim mari tempeſtuoſius, inconſtantius, mobilius, & hominibus ſecularibus, maximè Regibus, qui tot procellis & turbinibus honoris, plauſus, adulationis agitantur? & hos tamen conſtantius, cupidius, alacrius ortum Dei veſtigare, quam Sidonem vrbium fortiſſimam, imo Sionem, imo Sionis ſacerdotes, *Erubeſce Sidon, ait mare.*

Bonauentura ſer. 2. de Epiphan. Seculares quandoque ipſis ſacerdotibus religioſiores. *S. Greg. in Mor. præf. in c. 2. Iob.*

Interim palmam Magi Reges ipſi Sacerdotibus Iudæis præripiunt, qui Ier. 3. ad vocem primam cœleſtis ſinguæ cordibus trium hæc inſonantis: *Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras*, ilico voce concordes reſpondent, *Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noſter: verè mendaces erant colles & multitudo montium: verè in Domino Deo noſtro ſalus Iſraël* & c. 16. quem locum his præmiſſis laudat S. Auguſtinus *De Vocatione Gentium, quæ futura fuerat, & eam nunc impletam cernimus, ſic locutus eſt. Domine fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum in die tribulationis. Ad te Gentes venient ab extremis terræ, & dicent; Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem, quæ eis non profuit, nunquid faciet ſibi homo Deos, & ipſi non ſunt Dij: idcirco ego oſtendam eis per vicem hanc, oſtendam eis manum meam, & virtutem meam: & ſcient, quia nomen mihi Dominus.*

Ier. 3. 22. Vocantur Reges, accelerant conuerſionem. *c. 16. S. Auguſtinus l. 18. C.D. c. 32.* Idola deteſtantur.

Hæc oratio ſanctorum Regum eſſe potuit in ſtabulo ad Ieſum. qui c. 37. eum his Regibus & tota Gentilitate, cuius ſequeſtri erant, legati, & procuratores ita paciſcitur: cum enim deſcripſiſſet ortum Chriſti & infanticidium, præmiſſis tamen his: *in illo tempore ero Deus vniuerſis cognationibus Iſraël, & ipſi mihi erunt in populum: in caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te* (per ſtellam) *miſerans: Erit dies qua clamabunt* (Magi) *ſurgite & adſcendamus in Sion ad Dominum Deum noſtrum.* mox ſubdit: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Iacob, & domui Iuda fœdus nouum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, quod irritum fecerunt: ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſraël: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens, cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum.*

Ier. 31. Pactum Deus init cum ipſis.

Sicut in Sina Deus Moyſi & Iudæis ſe obligauit fore ſe populi defenſorem, & daturum terram Chanaäm, ſi diuinis legibus obſequerentur, ſic miſſus à Deo Patre Chriſtus fecialis, & Pater patratus die Epiphaniæ promiſit Gentilitati cœlorum regnum; pignoris loco dedit ſpiritus S. adoptionem. cum omnibus auxilijs gratiæ: ſi Euangelicæ legi parerent, & fœdus ſanguine iam non vitulorum, ſed filij Dei nuper in circumciſione, iterum & copioſius in paſſione ſanciendum admitterent: in quod cum Magi lubentes-volentes conſenſiſſent, cœpit impleri promiſſio, dari Spiritus S. copioſior gratia cordibus ſingulorum inſcripta lex eſt Chriſti, nam intelligentiam fide, prudentia, & ſacris illuſtrationibus, velut antea ſideris cœleſtis fulgore irradiauit: voluntatem

per Chriſtum conſentiunt. implentque pactionem.

tem per impulsum efficacem ad pia inclinauit; memoriæ legem dictam refricuit: vnde S. Augustinus: *quæ sunt aliæ leges scriptæ à Deo in cordibus, nisi præsentia Spiritus Sancti?* Qui Spiritus eos in patria sic prophetiæ dono impertiuit, vt vitæ perfectionis, anastasis regni, & iudicij Christi mysteria tam perfectè combiberent, & symbolis exprimerent, qui docuit, quo cultu latriæ, quibus animi ornamentis & virtutibus, quâ mentis demissione, pœnitudine delictorum præuia, obsequendi promtitudine Christus adorandus; idem & legis totius Christianæ fastigium sic ijs inspirauit, vt digni censerentur, qui primi legem eam Iudæis & Gentilibus publicarent: locum hunc Ier. latè proponit & explicat S. Paulus & nos ex Ezechiele c. sequenti nonnulla eorum attingemus,

ea cordi eorum inscribitur. *S. Aug. de spiritu & litera c. 27.*

CAPVT XX.

Ezechiel in Babylone præuidit Gentium cum Iudæis in fide Christi consentionem die Epiphaniæ inchoandam, & pactum seu testamentum nouum per donum Spiritus S.

c. 11. Prophetia de Messia.

OÆVVS Ieremiæ fuit Ezechiel, qui cum eodem prædixit excidium Solymæ: solatur captos Iudæos Messiæ promissione c. 11. *Congregabo vos de populis, & adunabo de terris, in quibus dispersi estis, daboque vobis humum Israël, & ingredientur illuc, & auferent omnes offensiones cunctasque abominationes eas de illa, & dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent, & iudicia mea custodiant, faciantque ea, vt sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum.*

sensus literæ & allegoricus. cor carneum Reges accipiunt. dum corda Iudæorum lapidescũt. *c. de gratia & lib. arb. c. 14.*

Reduces è Babylone Iudæi veros repræsentarunt Christi fideles, imprimis sanctos Reges è peccati dœmonisque seruitute Christi gratiâ vindicatos, qui statim dono Christi cor carneum obtinuerunt: sed iurè mirandum est: dum SS. Regibus cor cerâ mollius Deus impertitur: quouis adamante durius lapidescere corda Iudæorum: & hoc sensim magis indurescere, quo Gentilium plures Ecclesiæ Christi adiungerentur: *Quid vero* cor lapideum & carneum sit, ita clarè S. Augustinus interpretatur: *Quod lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari?* & infra: *cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem, & aduersus Deum omnino inflexibilem*

Consensio Iudæorum cum Gentilibus. *S. Augustinus l. 18. C.D. c. 34.*

Clarius c. 37. ita fidelium Christi consensionem prænunciat Ezechiel: *Et rex erit vnus omnibus imperans, & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna, nec polluentur amplius in idolis suis, & abominationibus suis, & in cunctis iniquitatibus suis, & saluos eos faciam de vniuersis sedibus, in quibus peccauerunt, & emendabo eos, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & seruus meus Dauid* Christus (nam Dauid pridem obierat) *& pastor vnus erit omnium eorum, in iudicijs meis ambulabunt, & mandata mea custodient & facient ea, & percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis, & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.* S. Augustinus l. 18. C.D. c. 34. explicat ea de Ecclesia Christi, vt alibi ostendam, ex duobus lignis sibi insitis & inhærentibus, de quibus præmittit; ea non nisi die Epiphaniæ accidisse. sic c. 34. ait, *Et suscitabo super eos Pastorem vnum, qui pascat eos seruum meum Dauid, ipse pascet eos, & ipse erit eis in Pastorem, & faciam cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra* (dœmones ne noceant) *& qui habitant in deserto* (Reges inter Gentiles) *securi dormient in saltibus, & ponam eos in circuitu collis mei benedictionem, & deducam imbrem in tempore suo, pluuiæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra absque timore; & scient quia ego Dominus cum contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi. Et suscitabo eis germen nominatum, & non erunt vltra imminuti fame in terra, neque portabunt vltra opprobrium Gentium.*

Pa-

Pactum pacis promittit, quod Angeli in ortu Messiæ his verbis nunciauerunt, *Pax hominibus bonæ voluntatis*: quam pacem moriturus reliquit Christus discipulis. Io. 14. *Pacem meam relinquo vobis*: & qua post anastasim suos salutauit, cum diceret: *Pax vobis*, maxime vero die Epiphaniæ, *quo Princeps pacis* est renunciatus, eam Iudæos inter & Gentiles eo die constituit: hos etiam Deo patri suo reconciliauit, & tunc *posuit in circuitu collis*; seu Ecclesiæ Bethlehemi, iuxta muros, inchoatæ in colle: *posuit inquam eos benedictionem*, vt felices & benedicti Reges isti totum per orbem in Euangelio nominentur. *Contriuit* ibidem *catenas iugi* ipsorum, sub quo carni, mundo, dæmonique seruiant, aut *suscitauit ijs germen nominatum*: vt 70. vertunt *plantam pacis*: vt Chaldæus *plantationem quæ permaneat*; Hebræa vox significat plantam in nomen, quæ pariet ijs nomen & gloriam: *planta* hæc *Christus* est, qui dicitur *Oriens* & Hebraicè *germen*, à quo tam SS. Reges: quam Iudæi dicendi Christiani: quæ plantatio & vocatio permanebit.

Christus autor pacis germen nominatũ, planta pacis, planta in nomen. Oriens. feriet nouum pactũ

De eodem pacto die Epiphaniæ inchoato ait c. 16. ad Iudæos *& suscitabo tibi pactum sempiternum, & recordaberis viarum tuarum, & confunderis cum receperis sorores tuas maiores cum minoribus suis*: cum te ad gratiam & regnum Christi eueham, erubescès vitam & peccata tua vetera. v. Act. c. 2. miraberis bonitatem meam, qua sororem tuam maiorem Samariam & minorem Sodomam, id est, Gentes omnes vicinas ad te adducum, vt eas in Ecclesiam & regnum tuum recipias, quasi filias, *non ex pacto tuo cum* Moyse inito in Sina, *quod tu violasti. Suscitabo ego pactum meum: & scies: quia ego Dominus, vt recorderis, & confundaris, & non sit tibi vltra aperire os præ confusione tua*: Quæ inchoata constat die illa, qua Gentes fœderatæ Iudæis fidei capitisque societatem admiserunt.

die Epiphaniæ.

CAPVT XXI.

Baruch glorioſum & Regalem apparatum Gentium ad fidem accedentium cum prodigijs deſcribit.

IVit Baruch à calamis Ieremiæ; diuersas tamen, vt multi volunt ipse Prophetias suas edidit: ac primo S. Bonauentura ser. 2. ad Epiphaniam trahit illud *Baruch* 3. stellæ vocatæ sunt & dixerunt adsumus: *vnde*, ait, *stella in Oriente, quam viderant, antecedebat vos* de quo loco & electione Gentilium fusè actum est alibi.

S. Bonauentura ser. 2. de Eppha.

Sed caput 7. totum conuenit cum 60. Isaiæ, quod Epiphaniæ festo accommodatur, & octo Solymæ felicitates prænunciat, quæ in aduentum Magorum quadrant, *Exue*, ait, *te Ierusalem stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore & honore eius, quæ à Deo tibi est sempiternæ gloriæ. Circumdabit te Deus diploide iustitiæ, & imponet mitram capiti honoris æterni, Deus enim ostendet splendorem suum in te omnem qui sub cælo est. Nominabitur enim tibi nomen tuum in sempiternum. Pax iustitiæ, & honor pietatis. Exsurge Ierusalem & sta in excelso, circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente sole vsque ad Occidentem: in verbo Sancti gaudentes Dei memoria. Exierunt enim de te pedibus ducti ab inimicis, adducet autem Dominus ad te portatos in honore, sicut filios Regni: Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum & rupes: valles replere inæqualitatem terræ, vt ambulet Israël diligenter in honorem Dei. Obumbrauerunt autem & siluæ, & omne lignum suauitatis Israël ex mandato Dei: Adducet enim Deus Israël cum iucunditate in lumine maiestatis suæ, cum misericordia & iustitia, quæ est ex ipso*, Licet hæc de reditu Israëlitarum dicantur è Babylone: figurant tamen Gentium ad Ecclesiam Christi, quæ vera Ierusalem est, accessum.

felicitates in profectione SS. Regum emicantes:

literæ sensus & allegoricus.

Primo precatur Ecclesiæ diploidem lætitiæ & iustitiæ. 2. splendorem maximum. 3. nomen nouum pacis. 4. Gentes ex omni plaga mundi maximè Oriente conuertendas, ait, cum gaudio ex recordatione Dei Saluatoris. 5. venturas cum apparatu regio, puta in dromedarijs & magno stipatu 6. cum prodigijs, ita vt à Deo montes eis complanentur, & valles repleantur, ne retardentur, sed expeditè & celeriter aduolent &

Octo precatur Ecclesiæ.
1.
2.
3.
4.
5.
6.

7. 8. & ex hoc aduentu Dei gloria celebretur. 7. siluæ eos obumbrabunt & suauissimo odore recreabunt. 8. face vel stella prælucebit eis: sic iustè & fideliter promissa complebuntur. Hæc promittuntur Israëli seu veris Abrahæ spiritalibus filijs, quales Reges erant Orientis, ideo in eorum aduentu Solyma debuisset exsultare posito luctu, ex Herodis tyrannide per 30. annos toleratâ, à qua per Messiam iam natum erat liberanda. cui loco si addideris de stella ex c. 3. *Qui emittit lumen, & vadit, & vocauit istud & obedit illi in tremore*, & quæ de verbo corporato subijcit *Hic est Deus noster, hic adinuenit omnem viam disciplinæ & tradidit illam Iacob filio suo* (in Siria) *& Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus*: nemo facilè dubitabit, quin de felicitate Ecclesiæ sub Messia vaticinetur: vtinam qua promtitudine stellæ sine repugnantia vocatæ, & quæuis res inanimæ suo parent conditori, & homines diuinis obsequerentur imperijs, lucerent ei cum iucunditate, qui fecit eos, omnia sua cogitata dicta & opera solius honori Dei consecrarent, quod sancti Reges fecere ductu stellæ: tunc non minus quam ipsi montes ad nutum Dei complanati, & repletæ valles & creata reliqua filijs Dei electis obsequerentur: quæ nunc cogitur Deus armare aduersus insensatos.

quæ conueniunt SS. Regibus.

stellæ docent nos obedientiam.

CAPVT XXII.

Daniel regni Christi initium prædicit circa Epiphaniam promulgati.

Daniel prædicit Regnum Christi. Sempiternum.

DANIEL secutus Baruch ipso iam dominante Cyro superstes, reditum è Babylone prænunciauit, & regnum Christi notatis annis, quod inde ad eius initium essent supputandi, id quia fuit à SS. Regibus publicatum, huc facere videtur.

C. 2. ait: *In diebus autem regnorum illorum* (quatuor, primis euersis & Romanorum ad huc stante) *suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur* (spiritale non temporale) *& regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum*: insinuat Gentes ei regno subdendas; nam die Epiphaniæ cœpit Christus iam per gratiam eis dominari: & ab hoc rege nomen traxerunt Christiani, euersa sensim toto orbe idololatria. Mira Romæ potentiam huius regni portenderunt. *Primò* quando Augusto imperante Capitolinæ Deorum statuæ de cœlo tactæ corruerunt. 2. quando die Epiphaniæ 6. Ianuarij Augustus dictus, noluit Dominus appellari. 3. quando idem ipse imperator (vt multi tradunt) visa cum puerulo Deipara in cœlis, primogenitum Dei excitatâ ei arâ supplex adorauit, qui locus in Capitolio nunc etiam ex ea visione *ara cœli* nominatur, vt iam dominatus mundi & idololatriam Christus cœperit conterere, Regibus Orientis principatum Messiæ Solymæ & toti orbi promulgantibus.

prodigia.

prognostica huius Romana.

Sed regni huius à filio aditam possessionem ita ca. 7. depingit eleganter. *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem. & regnum; & omnes populi, tribus, linguæ ipsi seruient, potestas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur.* & infra. *cuius regnum, regnum sempiternum est, & omnes Reges seruient ei, & obedient*, congruunt hæc ijs, quæ Gabriel Deiparæ nunciauit *Hic erit magnus & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Pater Dauid filio Christo.

Danielis 9. Celeberrima Danielis c. 9. est prophetia de ortu, Baptismo, & morte Christi Regis: adeoque exordio Christi regni, à SS. Regibus pridie Epiphaniæ publicati: *septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt* (id est breues & paucæ decretæ sunt) *super populum tuum, & super vrbem Sanctam tuam: vt consumeretur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna: & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Per Christum consumta præuaricatio, seu peccatum totius mundi: inducta in orbem iustitia: qui

eius initiū in ortu Christi.

vbi

vbi *factus est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemtio, tunc est impleta visio Prophetarum: Lex enim, & Prophetæ vsque ad Ioannem*: quando Christus apparuit finis legis, & omnium Prophetarum: vnctus quidem est in Regem die quo carnem induit, at festo Epiphaniæ eius regnum, sacerdotium, legis ferendæ & diuina potestas, ac redemtio mundo promulgata: tunc enim Reges Gentium solenni ritu Regem illum suum & Dominum oblato tributo sunt publicè professi; & Iudæos ad eum adorandum exemplo suo prouocarunt: subijcit Daniel eorum repudiationem: *& non erit eius populus, qui eum negaturus est*: nam Iudaicus populus à Deo reprobatus, desinet in Dei populo numerari: vt & Osee prædixerat, *voca nomen eius non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero vester Deus.* S. Cor. 1. 30. Luc. 16. publicatur die Epiphaniæ. Osee 1. 9.

Huic nos regno Christi Domini certè clementissimi seruos subijciamus, *cui seruire, regnare est. Non habeo*, ait S. Bernardus, *Regem, nisi Dominum* IESVM: *veni ergo Domine & disperge hostes in virtute tua: regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Christus animæ nostræ Rex. S. Bernardus ser. 4. super missus est.

CAPVT XXIII.

Aggæus Christum promittit desideratum Gentibus, quas cælestibus prodigijs conuertendas esse indicat.

CVM Zorobabel è Babylone reuerteret in Iudæam, Messiam Aggæus in templum Solymæum venturum prænuntiat, & adiungit Gentilium ad eius Ecclesiam accessionem. Sic enim c. 2. ait, *adhuc vnum modicum, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus.* prophetię.

Vaticinatus est hæc anno Darij secundo, ante Christum annis prope 500. vocatque modicum, respectu 3500. circiter annorum, qui iam inde ab ortu mundi præterierant. Commoturum se Deus promittit cælum & terram, vt homines excitati per maxima prodigia, aduerterent animos ad operum diuinorum diuinissimum, quod erat patraturus. Voluit ergo Christo nato statim ab Angelis nunciari pastoribus Dei filij natiuitatem: stellâ Magis eandem manifestare: Romæ etiam tam ante, quam in ortu Christi magnis prodigijs eandem declarari stellis nouis, vel circulis circa solem collucentibus: præterea terrâ bellis sublatis vbique paccata, & oleum Romæ paulò ante profundens Christi Regis vncti maiestatem portendit. Quin etiam. tam Romæ, quam toto fama vulgarat Oriente, Sibyllinis oraculis fauentibus, Regem & orbis totius Monarcham nasciturum: quando censu indicto, cunctæ ferè Gentes cogebantur de patria migrare, & certis in locis nomina sua profiteri, Hac de re ita S. Augustinus loquitur: *mouit cælum Angelorum & siderum testimonio: quando incarnatus est Christus: mouit terram ingenti miraculo de ipso Virginis partu. Mouit mare & aridam, cum & in imbribus, & in orbe toto Christus annunciatur. Ita moueri omnes Gentes videmus ad fidem.* tempus eius. cur commotio talis facta a Deo incœlo. & Terra. per varia portenta. Allegoria. S. Augustinus lib. 18. C.D.c. 35.

Et veniet desideratus cunctis Gentibus, is est Christus totius vniuersi principium, exemplar, & finis hominum: centrum, vita, salus, & felicitas. At cur *Gentibus* dicitur cunctis *desideratus*? Hebræa sic habent: *venient desideria*: 70. verò *electa cunctarum Gentium*; vel vt S. Augustinus refert: *venient, quæ electa sunt Domini de cunctis Gentibus*: quia non Iudæi tantum, sed & omnes Gentes, quæ à Deo electæ fuerunt, ad Christum venient, ita vt à Deo Patre pars aliqua Gentium selectior, velut thesaurus desiderabilis, sancti inquam Reges sint euocandi. cur desideratus Gentibus Christus? lib. 18. c. 48.

Arabicus Antiochenus vertit: *venient populi cum desiderio*: Syrus: *adferent desiderium, quod est cunctis Gentibus*: hunc locum ex Ludouico de Ponte superius explicaui: quia Gentes plurimæ fidem in Messiam venturum habuerunt: ita enim ait: *non solum Iudæi, sed etiam Gentes venturum Christum exspectabant, quærebant, & inuenire cupiebant: nam & Iacob de ipso ait, & erit exspectatio Gentium: & Aggæus Propheta, veniet desideratus cunctis Gentibus: quoniam etiam inter Gentes Deus aliquos excitauit Prophetas, nimirum Sibyllas quibus id ipsum reuelauit.* in illud Cantico. in lectulo meo per noctem quæsiui. &

& Tirinus. *Vnde Gentes omnes merito ad ipsum anhelant, & ardent, ipsum desiderant, amant, & exoptant vehementissimo appetitu, non solum naturali, sicut terra arida sitit & exoptat pluuiam; & quæuis res desiderare dicitur illud, quo eget (inquit Martinus de Roa. l. 1. sing. capite decimo tertio, sed & rationabili: nam etiam Gentes ex maiorum suorum traditione iam inde ab initio mundi, post etiam ex relatu Iudæorum sciebant venturum aliquando saluatorem & redemtorem mundi, vt constat de primis Patriarchis: de Iobo, eiusque amicis, de Sibyllis, & tot alijs.* Hoc vtinam desiderio cum sanctis Regibus, Deum videndi, eoque fruendi ferueamus: vt cum Isaia capite vigesimo sexto liceat dicere. *Nomen tuum atque memoriale tuum in desiderio animæ: anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis manè vigilabo ad te.*

CAPVT XXIV.

Zacharias à Christo vaticinatur Ecclesiam è Gentibus fundandam, & ipsum triplici ab ijs diademate coronandum.

tempus. Prophetia. OÆVVS Aggæi fuit Zacharias: is Ecclesiam è Gentibus excitandam nunciat: & Christum vocat *Orientem*: ad quem locum, ideo sancti Patres & interpretes alludi volunt festo Epiphaniæ, dum Reges dicuntur venisse *ex Oriente*. Ait autem capite sexto: *& sumes aurum, & argentum, & facies coronas; & pones in capite* IESV *filij Iosedec sacerdotis magni, & loqueris ad eum dicens. Hæc ait Dominus exercituum: Ecce vir Oriens nomen eius, & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos, & qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo Domini.*

tres aurum procoronis contulerunt. Multa dictorum attingunt sanctorum Regum historiam: *Primò* tres aurum & argentum, legati transmigrationis, *Holdai, Tobias, & Idaias* pro coronis fabricandis contulerunt, vt *Cyrillus, Haymo, & Remigius* ex hoc versu decimo colligunt: *sume à transmigratione, ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia; & venies tu in illa die, & intrabis in domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone: & sumes aurum*, quamuis *Theodoretus* putet Iosiam quartum adiungendum ijs esse. Ideo tres illi Reges Gentilitatis legatos referunt.

typi Trium Regum.

Cornelius à Lapide. *Secundò* coronas iubetur non coronam fabricari: sicut ex varijs Cornelius à Lapide exponit, vnam totam ex alijs minoribus, velut partibus conflatam, vel ijs instar duplicis, aut triplicis diadematis redimitam: vt significaret triplicem Christi dignitatem diuinam, regiam, & sacerdotij, siue plenam & perfectam: vti post reditum è Babylone accidit, quando summa potestas tam politica quam sacra fuit penes Pontifices, vt patet in Machabæis. Talis Pontifici maximo solet imponi Tiara corona triplici decorata, quam regnum appellamus. Vnde à tribus Regibus ijsdem sacerdotibus & sapientissimis ea fuit oblata Christo per munera: quo & ipsi per seipsos & dona sua Christi dignitatem triplicem indicarent.

triplex corona oblata Christo.

qui Oriens dicitur. *Tertiò* Christus Oriens hic appellatur, qui ad se ex Oriente Magos euocauit: vt S. Thomas, Haymo, & alij Sancti Patres passim loquuntur.

Quartò Idem propriè cœpit die Epiphaniæ suam Ecclesiam nuper in Iudæis inchoatam, tunc in Gentibus ædificare.

Quintò eodem die sceptris sibi Gentium quasi à tribus orbis partibus subiectis, *dominabatur super solio suo* Regibus ipsis, *& erit sacerdos super solio suo: & consilium pacis erit inter illos duos*: quod licet secundum literam dicatur de regia & sacerdotij potestate in Christo copulanda: quia tamen Arabicus Antiochenus habet: *& regnum pacis erit super eos omnes*: vti Alexandrinus Arabicus: *& erit consilium concordiæ inter eos* poterit ad Regem CHRISTVM &

Rex simul & Sacerdos.

Pacificus.

& subiectos, tam Iudæos quam Gentiles pertinere, quos inter se & cum patre cœlesti *magni consilij Angelus* conciliauit eodem die, delecti autem sunt Reges nostri, qui simul erant sacerdotes, has offerendas coronas, quia in ipsis potestas regia, cum sacerdotio, quamoptimè consentiebat, vt typus essent concordiæ, quam exigit Ecclesia Christiana, *vt nec*, ait S. Hier. *regale fastigium, sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotij dignitas regale fastigium: sed in vnius gloria Domini* IESV *vtrumque consentiat.* vt regnum Sacerdotio consentiat.

Sexto post donorum largitionem viri quatuor coronis inscribuntur, & coronæ (vt ait scriptura) *erunt Helem, & Tobiæ, & Isaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini*: nam Iosias filius Sophoniæ secundum alios fuit ædituus templi: secundum alios thesauri præfectus, vel pecunijs colligendis, pro templi fabrica designatus: vt voluit *Cyrillus, Haymo, Remigius*; vel certè aurifex erat, qui coronas has ex auro & argento erat fabricaturus. Vnde cum priores materiam, ipse operam velut symbolam suam contulerit; eius fuit nomen etiam (postquam capiti IESV semel imposita Christum figurasset) incidendum & postea templi thesauris inferenda. Fortè hi quatuor orbis regiones designabant, à quibus tam è Iudæis, quam Gentilibus erat Ecclesia Christi congreganda: quo trahit Ribera, quod tam ex auro, quam argento, tam è Iudæorum, quam Gentilium populo Christi cœtus esset colligendus. quatuor nomina inscribuntur coronæ. ob 4. orbis regiones.

Septimò nomina virorum quatuor inscripta, conueniunt sanctis Regibus in suam regionem redituris postquam Iudæis pastoribus in concordia fidei, mutato iam nomine se coniunxissent, vtrisq; iam dictis Christianis. *Holdai deprecatio* vocatur, Tobia *placens Domino*, *Idaia notus Domini*: sed pro Holdai posuit *Helem* (*somnium*) & quarto loco *Hen* addidit, quod gratiam significat. Hisce nominib. mysticè declaratur, quod ijs qui cum SS. Regibus Christum accedunt eum supplices deprecaturi; à Deo cogniti sint & dilecti: huiq; gratia cœlestis & dona Spiritus S. tribuantur, quæ nomine Hen significantur: præterea Helem, id est: *somnium*, seu cognitio rerum occultarum à Deo per Spiritum S. sit eijsdem impertienda, de quo Ioëlis secundo dicitur: *senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt*: quæ facta Regibus nostris est gratia, *qui admoniti per somnium, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Pro nominibus tribus dictis eorum, qui è transmigratione venerunt, 70. vertunt pro Holdai *exspectantes*; pro Tobia *vtiles*, pro Idaia *cognoscentes*: vnde sic transferunt. *Corona autem erit exspectantibus, & vtilibus eius, & qui cognouerunt eum*; & in gratiam filij Sophoniæ, *& in psalmum in domo Domini.* Pulchrè S. Hieronymus in has voces ita commentatur, *corona id est insigne victoriæ cum Christus fuerit coronatus, his quoque repromittitur, qui exspectant eum: iuxta illud 2. Tim. 4. in reliquo mihi reposita est corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex: non solum autem mihi; sed & ijs qui diligunt*, ideoq; exspectant aduentum eius; *& intelligunt captiuitatis vtilitatem quondam suæ, & nouerunt Dei vniuersa mysteria, vt sint in gratia filij Sophoniæ; id est visitationis Domini, & qui in Babylone dicebant: super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, cum recordaremur Sion, postquam reuersi fuerint in Ierusalem, accipiant psalterium & tympanum & canant in Ecclesia Domini.* Quæ bellè sanctis Regibus aptari queunt. Erant à longo tempore Messiam exspectantes, vtiles futuri doctores Gentium, & Iudæorum ad Christi Ecclesiam construendam: erant vniuersorum fidei mysteriorum peritissimi, qui visitati à stella Domini cum coronam Christo triplicem singuli bonorum externorum suorum, corporis & animi quasi holocausto perpetuo consecrassent: psalmos eidem laudis cecinerunt. nominum inscriptorum coronis interpretatio. Ioëlis 2. Mat. 2. 70. versio. alia. eius interpretatio. 2. Tim. 4. accommodatur SS. Regibus.

Octauò denique Magorum historiam prænunciant ea verba: *& qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo sancto Domini.* Non licet amplius dubitare, quin ea Gentilibus tribuantur, oraculo sancti Pauli prolato verbis istis. *Vos qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi Domini*: & inde colligit: *ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues Sanctorum, & domestici Dei*: de his Isaiæ 60. capite dicitur: *filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere*

S. Hiero. *surgent.* Quod S. *Hiero.* in laudata commentatione sua sicexplicat: *& qui per maiora peccata longe fuerant à Iudæa, & confessione verissima, per singulos profectus suos ædificent domum Domini: fient autem omnia, quæ promissa sunt, si Dominum audire voluerint (vt cum Magi audierunt) & acta pœnitentia in bonis operibus manserint.* Hactenus Hieron.

qui ædificarunt Ecclesiam. Reges nostri domum Domini tum ædificarunt, cum Christo passim erectis Ecclesijs non tantum regna sua, Doctores ipsi fidei, subiecerunt; sed & in exteris regionibus sceptris abiectis Christum vbique locorum prædicarunt, vt multas Christo gloriæ coronas & fideles animas consecrarint. *Corona ait Sapiens seniorum filij eorum*: cur non corona doctorum filij eorum spirituales? cum glorietur Apostolus, *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *estis?* & alibi: *gaudium meum & corona mea.* Sed & Isaias idem cap. 49. de Regibus nostris vaticinatur, *Ecce isti de longè venient: leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: viuo ego dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.* Sed has coronas suas sancti Reges ad pedes Agni cum viginti quatuor senioribus abiecerunt eique soli laudem & gloriam operis boni tribuerunt, non tibi; qui cum gratia sua præuenerit eos, & ad id excitarit: ac cum eis auxilio præsenti sit operatus, duplici titulo sibi iure debitum exigebat, hoc Isaias coronæ nomine designat c. 62. *eris corona gloriæ in manu Dei, & diadema regni in manu Dei tui.* Vt enim Reges diademate nihil habent carius, pretiosius, gloriosius, ita Deus his suis coronis nihil gratius, Hos vicissim *coronat ipse misericordia & miserationibus, vt eant de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion*: vbi suis imponet electis *coronam de lapide pretioso.*

filij sunt corona parentum *Pro.* 17. *Thes.* 2. 19. & fideles conuersi corona Doctorum suorum.

sicut iusti. corona Dei. *psalm.* 102. *psal.* 20.

CAPVT XXV.

Malachias à Sacerdotibus vult exquirendam legem adeoque Messiæ aduentum, quem Angelum vocat noui testamenti cum Gentibus & Iudæis initi.

MALACHIAS vltimus ferè Prophetarũ sub Dario Hystaspis, & confecta iam templi fabrica floruit: is à sacerdotibus, vult quæstiones legis definiendas esse, qualis ea de loco natalis Messiæ fuit, primum à sanctis Regibus Hierosolymis proposita: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum*: nec Herodes immemor huius, idcirco sacerdotum coëgit concilium: quia vt hic cap. secundo prædicit Malachias. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est.* Nam Aaroni & successoribus collata diuinitus potestas est legem explicandi Ecclesiast. 45. *& dedit illi in præceptis suis potestatem docere Iacob testimonia* (seu præcepta & leges: quæ testantur, quid Deus nobis vetet vel imperet) *& in lege sua lucem dare Israël*, quam virtutem ita commendat in Aarone Malachias versu priore. *Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius, in pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.* Vnde vocat hic sacerdotem Angelum Domini, quasi nuncium, legatum & sequestrum, qui diuinam hominibus pandat voluntatem: sanctus Hieronymus, *Angelus*, ait, *id est nuncius, sacerdos Dei verissimè dicitur; quia Dei & hominum sequester est, eiusque ad populum nunciat voluntatem: & idcirco in sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina, & veritas ponitur: vt discamus sacerdotem doctum esse debere & præconem dominicæ veritatis.* Discant hinc pœnitentes confessariorum suorum vt Angelorum & Dei voces & monita excipere, ijsque obtemperare, veri autem sacerdotis exemplar proponitur Malachiæ 3. capite, Christus, vbi Angelus testamenti nominatur.

c. 2. Sacerdotes interpretes legis. *Eccl.* 45.

vt Aaron.

sunt angeli Domini. *S. Hieron.*

Ec-

Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis: ecce venit dicit Dominus exercituum. vaticinij de S. Ioanne.

De fide est per hunc Angelum S. Ioannem Baptistam accipi: Christus disertis verbis id asserit Matt. 11. is enim Christum venturum prædicauit, & digito monstrauit agnum, à quo peccatum mundi deleretur: potest tamen idem Eliæ circa tempus iudicij; & SS. Magis conuenire, qui 30. diebus antequam Christus templum Solymæum ingrederetur futurus legatus noui testamenti, eius iã ortum & regnum Herodi, ciuibusque Hierosolymitanis publicarant vna eademque voce; vt quasi vnus nuncius viderentur. Ideo die purificationis Ecclesia solet hanc Prophetiam recitare, qua dominator seu Rex templum suum ingressus est statim postea, quam regnum eiusdem præconio Magorum fuerat indicatum. potest applicari SS. Regibus.

Dicitur verò Christus, *Angelus Testamenti*, tum veteris, quia Mosi apparuit à Patre missus in Sina, per eumque fœdus inijt, cui promisit venturum se in mundum carne vestitum humana: vt homines redimerentur. Ideo apud Isa c. 52. iam natus dicit, *qui loquebar, ecce adsum*; tum etiam, *noui testamenti*, quod ipse cum Iudæis & Gentilibus sanciuit; pollicitus ijs non terrena bona (qualia Iudæis in veteri lege promiserat) sed spiritualia, cœlestia, & æterna, quæ tunc stipulabatur Abrahæ, cum diceret: *In semine tuo benedicentur omnes Gentes*, qua quidem benedictione remissio peccatorum, gratia, iustitia, salus, & æterna vita continentur: de hoc Angelo subdit: *quem vos vultis*, Chald. *desideratis*. Vnde Gen. 49. vocatur *desiderium collium æternorum*; inde voces illæ veterum: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Sed demiranda cæcitas Iudæorum: quem Gentiles Messiam natum, tam solicitè quæsierunt: eum vltro templum subeuntem, & magnis iterum prodigijs ibidem manifestatum nullo dignari honore voluisse: imo quod sanctorum Patrum multi volunt cum Herode in necem nati coniurasse. Nos potius, qui viua templa Christi sumus, dominatori & Regi nostro venienti fores vtrasque cordis referemus: vt inde diuina nobis promat oracula, & suam perpetuo declaret voluntatem: secundum quam opera nostra, verba & cogitata velut amussim moderemur. Quo spectat aureum illud S. Bernardi monitum ad Pastores in synodo, *templum Dei sanctum est, quod estis vos: anima iusti sedes & templum Dei est: Dominus in templo suo facit mirabilia, & præbet oracula. Veniat ad templum suum dominator quem quæritis, quo possitis dominari carnalibus desiderijs, & diabolicis resistere tentationibus: veniat & Angelus Testamenti, quem vos vultis, qui annunciet vobis suam voluntatem, & confirmet promissam hereditatem, inducant eum in templum suum parentes eius, pater videlicet, & mater, & fratres eius. Qui sint illi, respondeat ipse: quicunque fecerit voluntatem Patris, qui in cœlis est, ipse meus pater, & mater, & frater, & soror est. Pater generando per verbum prædicationis, vt dicit Apostolus, ego per Euangelium in Christo vos genui: mater pariendo per exemplum sanctæ conuersationis, frater & soror castè diligendo in amore fraternitatis: hi parentes estis vos, aut esse debetis.* Vtinam quam promtè progenitores nostri sancti Reges ad primum Christi pulsum cordis intima velut templa eidem consecrarunt, & bona corporis externa, ac animi diuino cultui dedicarunt, pariter & nos mentis penetralia panderemus, per quos in hereditatem filiorum Dei spretis & abiectis Iudæis immissi sumus: non parciore manu sua in nos dona congereret is, quem in sanctos Reges tam munificum, & quasi prodigum fuisse non ignoramus.

Christus Angelus testamenti vtriusque.

Gen. 16.

desideratus olim à Iudæis. Isa. 64.

postea repudiatus.

S. Bern. ad Pastores in synodo. in templũ animæ est recipiendus.

CAPVT XXVI.

IESVS *Siracides prædicit Gentes magnis prodigijs coram Iudæis esse conuertendas.*

author libri Ecclesiastici, Iesus sirach.

VERIOR opinio tenet Ecclesiastici autorem non alium esse, quam IESVM filium Sirach, auum interpretis, qui sub Ptolomæo Philadelpho floruit: hunc multi putant vnum ex 72. senioribus exstitisse, qui sacros codices primum in idioma Græcum transtulerunt. Ita reliquis enumeratis Prophetis posterior, sub optandi forma Gentium conuersionem est vaticinatus. Locus ea de re præclarus est S. *Augustini*, quem cum ipsis Prophetæ verbis adnumerabo.

S. Augustinus l. 17. C. D. c. 20. Eccl. 36. v. 1. prophetia.

In Ecclesiastico autem sides Gentium futura prædicitur isto modo. Miserere nostri dominator Deus omnium, & immitte timorem tuum super omnes Gentes; extolle manum tuam super Gentes, & videant potentiam tuam: vt sicut coram illis sanctificatus es in nobis, ita coram nobis magnificeris in illis, & agnoscant te secundum quod & nos agnouimus, quia non est Deus præter te Domine. Hanc sub optandi & precandi specie prophetiam per IESVM Christum videmus impletam.

accommodatur SS. Regibus. Timor Dei eis incussus.

Multa hic insinuantur, quæ conuersioni sanctorum Regum apprimè conueniunt. *Primo* timorem Dei Gentibus inspirari desiderat: quia *initium sapientiæ timor Domini*, qualem immisit Deut. 2. *hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur*: Suauior tamen fuit & qualis filiorum est sanctis incussus Regibus: qui sideris adspectu non nihil conterriti, mox recreati sceptra libenter sua sine pugna subiecerunt nouo Regi, mundi Seruatori: ad quod forte nullius eos Regis vel Cæsaris formido vel potentia compulisset.

efficaciter & fortiter.

Deinde potentiam petit exeri diuinam, vt capita Gentium & principes facilius permoueantur, *alleua*, ait, *manum tuam super Gentes alienas, vt videant potentiam tuam*: sic Pharaönem promittit Deus se prodigijs ad Israëlem dimittendum perculsurum; *Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaöni: per manum enim fortem dimittet eos & ejiciet de terra sua* & sanè magis enituit omnipotentia Dei, quæ Reges tres vnico sideris ductu ad quadringentas prope leucas è patriæ finibus eduxit, vt nouo se regi subijcerent, quam dum Pharaonis pertinaciam tot ostentis & prodigijs coercuit: id clarè demonstrant, verba Iobi supra recitata de Rinocerote præsepio Domini alligato.

Exod. c. 6. eos duxit ad Christū.

quem melius quam Iudæi cognouerūt, tenerius dilexerunt.

Pergit: *sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis* (cum siccis vestigijs alueum maris rubri aquis murorum in morem sursum erectis & consistentibus Israël pertransiret) *sic in conspectu nostro magnificaberis in eis.* In Solymis, quando coram principibus Sacerdotum, & vrbe tota stellam à se visam nati Messiæ prædicabunt. *Vt cognoscant te, sicut & nos cognouimus, quoniam non est Deus præter te Domine.* Imo melius etiam cognouerunt ortum Messiæ, diligentius inuestigarunt: inuentum demissius adorarunt, & tenerius dilexerunt, quam Iudæi, qui tantis excitati monitoribus, nec persuaderi potuerunt, vt Messiæ Regis sui gratia pedem mouerent. Sequentia De Christo Rabanus, Hugo & alij exponunt.

Innoua signa Rabanus, *optat*, ait, *vt per Christum, manum & brachium Patris, per quem facta sunt antiqua miracula, Gentes conuertantur, & agnoscatur idem Deus veteris & nouæ legis.* Assentit ei Dionys. Hugo sic explicat; *per Christum ede miracula tempore legis gratiæ, qualia per ipsum tempore legis veteris feciſti.* Fecit creatione noui sideris, vt enim columnæ nubis, & ignis beneficio ductuque sibi Iudæos reddidit obsequentes; sic noui sideris ortu Gentes ad se traxit.

Immuta mirabilia magis miranda patra miracula:

Glorifica manum ostende gloriosam potentiam, & virtutem tuam, vt promisit Deus Moysi Exodi 34. *Faciam signa, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis Gentibus, vt cernat populus iste opus Domini terribile, quod facturus sum.*

Exodi 34.

Fe-

Festina tempus: vrge & accelera tempus conuersionis Gentium per prodigia & Messiam: *& memento finis*: Græca nonnulla habent ὁρισμῶ *iuramenti*, quo promisisti Abrahæ in semine seu Christo tuo benedicendas omnes Gentes, vel ὁρισμῶ mento decreti & definitionis illius, vt Messias finis legis veteris adueniat, finem daturus infidelitati Gentium, *vt enarrent mirabilia tua* Gentes & Reges ad te conuersi, vti tam Solymis, quam in patria post reditum vbique natum Messiam prædicarunt. Maius ego prodigium censeo, tam raram Regum istorum conuersionem, quam Pharaõnem demersum aquis, tres pueros in fornace Babylonica conseruatos Constantinum Magnum de Maxentio & Licinio triumphantem: quem enim Regum vnquam auditum est ea celeritate per tot pericula properasse, vt regnum suum defenderet, acquireret, vel stabiliret, qua velocitate Bethlehem versus Reges illi festinarunt, vt Regi nouo sceptra subijcerent: eumque recens natum & puerum adorarent? *fecit* profecto *potentiam in brachio suo*, vt Reges Magi ad eam se abiectionem vltro dimitterent, cupidius, quam vllus ambitiosorum solet honoribus inhiare. *Hæc mutatio dexteræ excelsi* & efficacitas gratiæ copiosioris, quam solet electis suis Deus seponere. Hanc & finalem vt vocant seu perseuerantiam indies, imo si fieri posset momentis singulis flagitemus; obtinebimus certè: dum enim nos non amouemus *orationem*: *Pater miserationum & Deus totius consolationis* non amouebit *misericordiam*: imo *coronabit nos misericordia & miserationibus*, *replebitur in bonis anima nostra*, donec eundem *reuelata facie* videamus.

quantum prodigium conuersio Regum.

Finalis gratia semper est petenda. *psal.* 102.

CAPVT XXVII.

Isaias totam historiam SS. Regum enucleatè diuersis in locis describit, quæ secundum Euangelicam S. Matthæi narrationem ordinatur, & digeritur

ISAIAS sic Euangelicam Christi refert historiam, vt non oracula fundere de rebus futuris: sed rem gestam præteritam oculis subijcere lectorum videatur; idem etiam Magorum historiæ sparsim attingit adiuncta, vt totam complexus esse videatur: quam secundum Euangelistæ seriem narrationis colligam. Coepit Oziæ 25. prænunciare; deinde Achaz & Ezechiæ tempora superauit. Quintus in Prophetis numeratur.

Cum natus esset.

Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel: butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum. c. 7. Natalis.

Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis. c. 9.

IESVS.

Egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur: & videbunt Gentes iustum hunc, & cuncti Reges inclytum hunc: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit: eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. c. 62. Iesu.

In Bethlehem Iudæ.

Egredietur virga de radice Iesse (Bethlehemitica) *& flos de radice eius adscendet: habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: & delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. In illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur: & leuabit, signum in nationes.* Conuenit hoc Christo in antro Bethlehemitico & præsepio delitescenti, & inde ad se Magos euocanti. c. 11. locus.

In diebus Herodis Regis

Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, c. 7. *quam* tempus:

quam tu detestaris à facie duorum regum suorum: velut Symmachus, Aquila, Theodotion & Chaldæus vertunt: *à facie ipsius*: vt Alapide explicat, *Herodis & Obodæ*, quorum typus & antecessores fuerunt *Phacee, & Rasin*: hi enim Reges; ac præsertim *Herodes* fuerunt hostes Iudæorum, conatique sunt regiam stirpem Dauidis & Achatz extinguere.

Herodis crudelitas.

Quocirca *Herodes* licet Iudææ, & Hierosolymæ quoque Rex esset, vocatur tamen Rex Samariæ ab Isaia, & Appiamo Alexandr. l. 5. bellorum ciuilium: tanquam alienigena, Iudæorum tyrannus & hostis: id patuit in infanticidio SS. Innocentum; & crudeli decreto, quo moriens iussit primores Iudæorum circo conclusos occidi, ne Iudæi in morte eius gauderent, sed cogerentur vel inuiti suorum stragem lamentari. sensus ergo est: Hi Reges ac præsertim *Herodes* sataget Iudææ regnum à tua ô Achatz stirpe ad se transferre, tuosque posteros euertere. sed ecce Emmanuel ex te nasciturus, adhuc infans eum celeriter euertet, & phitiriasi cruciatum interimet, itáque regnum Iudææ ad se suamque stirpem reuocabit, augebit, & illustrabit. Alludit ergo Isaias ad Herodis infanticidium: asseritque quod Emmanuel infans infanticidam Herodem, à quo quærebatur ad necem, superabit, & occidet: hunc sensum conuenire literæ, vel saltem allegoriæ patet ex c. 8. v. 4. *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* intra annum circiter prædicit à Rege Assyriorum Salmanasare occupandam Samariam occiso iam Placee: Deinde, Thegiathplalassare Damascum, Rasin interemto; sic Emmanuel iam natus, regno & vita exturbauit Herodem ait Lapide, *cum tres Magos antea infideles duce stella ex Damasco, id est ex Oriente cum suis opibus & gazis de spolijs Samariæ, id est Idololatriæ, cui imprimis dedita erat Samaria, ad suas cunas, & præsepe vocabit: vt illi quasi Regi & Domino suo offerant aurum, thus, & myrrham, quæ prius idolis & diabolo offerebant.* Sed de hoc loco inferius agam.

ex sensu literali vel allegoriæ.

id Alapide exponit de aduentu Regum.

Ecce.

c. 62. verba eorum Hierosolymæ.

Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, erigite lapides, & eleuate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.

c. 4. stella ducuntur.

Et creabit Dominus, vbi inuocatus est, nubem per diem; & fumum & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia. Vbi tuitio diuina, & stellæ ductus SS. Regum similis ductui populi Israëlitici declaratur

Magi.

c. 60. Reges Magi.

Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes. & ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi.

Et aperientur portæ tuæ iugiter, vt adferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.

c. 49.

Leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, & erunt Reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. Ecce dedi te in lucem Gentium: vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum.

Ab Oriente.

c. 41. Orientales.

Quis suscitauit ab Oriente iustum, & vocauit eum, vt sequeretur se? dabit in conspectu Gentes eius, & Reges obtinebit: Et tu Israël (Christiani Reges) *serue meus, semen Abraham amici mei* (secundum fidem & benedictionem) *in quo apprehendi te ab extremis terræ, & a longinquis eius vocaui te & dixi tibi, seruus meus es tu: elegi & non abiecite. ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines: quia ego Deus tuus: confortaui te: & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur & erubescent omnes* (Hierosolymitani cum Herode) *qui pugnant aduersum*

Deus animat & confortat eos.

aduersum te, erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos & non inuenies, viros rebelles tuos (Iudæos) *erunt quasi non sint, & veluti consummatio, homines bellantes aduersum te; quia ego Dominus Deus tuus, apprehendens manum tuam, dicensque tibi, ne timeas: ego adiuui te. Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israël* (Hier. & Haymo ad literam accipit de primis Christianis) *ego auxiliatus sum tibi, sicuti Dominus & redemtor tuus sanctus Israël. Ego posui plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia, triturabis montes* (Herodem Regem & principes Sacerdotum) *& comminues, & colles quasi puluerem disperges: ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo dispergет eos, & tu exsultabis in Domino, in Sancto Israël lætaberis.*

Mirum sanè Reges istos tantum repente Solymæ timorem incutere potuisse verbis suis; vt omnes posita superbia, in re tam inusitata, & Herodi aduersa, ipsis seruirent, & Rex quidem ipse conuocaret Sacerdotes; hi locum Messiæ declararent; nemo ipsis repugnaret: mirum etiam ausos peregrinos tam fortiter noui Regis in metropoli ortum publicare, nec Tyranni rabiem formidare: sed quia Dominus cum eis: ipse vt puluerem hostium fraudes, & insidias dispulit.

cap. 43. Christo Gentes Orientales promittuntur.

Ego Dominus Deus tuus Sanctus Israël Saluator tuus dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam & Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis & gloriosus, ego dilexi te: & dabo homines pro te, & populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum: dicam aquiloni da, & austro noli prohibere: adfer filios meos de longinquo & filias meas ab extremis terræ.

Simul prædabuntur filios Orientis. cap. 46. *vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ.* S. Hier. in comment. sic explicat. *vt putant Hebræi Cyrum Regem: siue vt nos verum esse conuincimus, Dominum Saluatorem: De quo & Balaam vaticinatur: Orietur stella ex Iacob, & homo ex Israël, cuius nomen est Oriens: quem adorauerunt Magi de Oriente venientes: hic enim loquitur de psalmis: Deus vt voluntatem tuam faciam, volui.*

cap. 11. S. Hieron.

Venerunt Hierosolymam.

Et erit in nouissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium (Ecclesia exaltabitur super omnes sectas & religiones) *& eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes Gentes. Et ibunt populi multi & dicent* (amissâ stellâ Regis) *venite & adscendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas: & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.*

cap. 2.

cap. 49. vocantur Reges.

Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram & possideres hereditates dissipatas (Gentes dispersas) *vt diceres his, qui vincti sunt exite: & his, qui in tenebris, reuelamini: super vias pascentur; & in omnibus planis pascua eorum: non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & sol, quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti de longè venient, laudate cæli, & exulta terra: iubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum; & pauperum suorum miserebitur. Venerunt structores tui* (Sion) *destruentes te & dissipantes* (Herodes) *à te exibunt. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, viuo ego dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos tanquam sponsa.*

proteguntur in via.

structores fiunt Ecclesiæ.

Ecce leuabo ad Gentes manum meam & ad populos exaltabo signum meum (stellam) *& adferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt. Et erunt Reges nutricij tui.*

stella ducit eos.

cap. 52. sunt nutricij Ecclesiæ.

Consurge, consurge: induere fortitudine tua Sion; induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas Sancti; quia non adijciet vltra, vt pertranseat per te incircumcisus & immundus: (quia Christus æternum te reget, cui nec inferi prævalebunt) *excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem: solue vincula colli tui captiua filia Sion. Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum, Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri: iste*

à Christo donantur gratia.

S. Max. ho. 2. de Epphania. S. Leo ser. 6.

iste adsperget Gentes multas (sanguine suo & Baptismo) *super ipsum continebunt Reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt.* De hoc loco S. Maximus: *Ecce enim Chaldæus, cui neque annunciatum de Christo fuerat, neque audierat, vt vidit stellam Christi, & adesse eum in stella intellexit, adorat.* & S. Leo: *impletur prophetia Isaiæ dicentis: reuelauit Dominus brachium suum in conspectu omnium Gentium, & viderunt omnes Gentes terræ salutem, quæ à Domino Deo nostro est: Et quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent: vnde cum cernimus homines mundanæ*

Vis & efficacia eius.

sapientiæ deditos, & à Iesv *Christi confessione longinquos de profundo erroris sui reduci, & ad cognitionem veri luminis aduocari, diuinæ procul dubio gratiæ splendor operatur & quidquid in cordibus tenebrosis nouæ lucis apparet, de eiusdem stellæ radijs micat, vt mentes, quas suo fulgore contigerit & miraculo moueat & ad Deum adorandum præcundo peraucat.* Illustrissimum caput est 60. Isaiæ, quod Ecclesia cum SS. Patribus Epiphaniæ festo tribuit.

Stella.

Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum (stella Magorum secundum Prosperum 3. p. promis. c. 6. Chrysost. hom. 1. ex varijs in Mat. Iulianum Archiepisc. Tolet. l. 1. contra Iudæos post medium) *& gloria Domini super te orta est; quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos; super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis, & affluës, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris* (Reges & Gentes Insulanæ) *fortitudo Gentiũ venerit tibi* (Sanchetz, ait, Regum conuersorum maiestas) *Inundatio Camelorum operiet te* (abundantia eorum, quasi fluctus maris, vel nubes pulueris eorum pedibus excitata) *Dromedarij Madian & Epha* (seu Arabum: ille fuit Abrahæ è Cethura filius: hic Madiani soboles) *Omnes de Saba venient* (id est multi) *aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.* Sabam Arabiæ intelligit per scin scriptam, & conuersionem significat: nam Reges isti per Christum à peccati seruitute conuersi ad Dominum gratiam & salutem in stabulo Bethlehemitico repererunt.

Reges ducit.

cum camelis properant.

Arabes cũ donis.

Saba Arabiæ.

Dicentes.

c. 52. Reges Euangelistæ.

Propter quod sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: regnabit Deus tuus. (Leo Castrius ex Procopio & Eusebio vertit ex Hebræo prædicantis Iesvm: hic enim Rex & Sionis & Deus, quamuis Hæbræum iescuah propriè salutem significet *vox speculatorum tuorum leuauerunt vocem, simul laudabunt* (sic Reges ijsdem verbis) *quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion.*

& primi Apostoli.

q. d. Apostoli & Euangelistæ tui primi tres Reges stentoria voce, non timida Christum annunciabunt, quem oculo ad oculum videbunt in stabulo, & simul in iubilum erumpent præ gaudio. *Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium Gentium, & videbunt, omnes fines terræ salutare Dei nostri*: parauit Dominus Christum, qui est brachium & fortitudo Dei, & qui vt Simeon ait est: *salutare Dei, quod paraßi ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem Gentium*: viderunt hoc salutare symbolicè in stella: visuri statim in carne, hortantes Iudæos, vt se comitarentur, Isaiæ 2. *Domus Iacob venite & ambulemus in lumine Domini.* Sed heu! *quis credidit auditui nostro? & brachium Domini, cui reuelatum est? proiecisti enim populum tuum domum Iacob.*

Inuitant Iudæos ad Christum.

Isaiæ 2. 5
Isa. 53.
Isaiæ 2. 6.

Vbi est.

Vbi est Saluator & Messias.

Vbi est, qui eduxit eos de mari cum Pastoribus (Mose, Aarone, Iosue) *gregis sui? Vbi est, qui posuit in medio eius* (gregis & populi sui) *Spiritum Sancti* (Mosis & Christi sui, *qui eduxit ad dexteram Moysen brachio Maiestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, vt faceret sibi nomen sempiternum?*

Qui

Qui natus est Rex Iudæorum.

Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse salua- c. 33.
bit nos. Christus natus Rex.

Paruulus enim natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est Principatus super c. 9.
humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis: multiplicabitur imperium eius, & pacis non erit finis: super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corrobo-ret in iudicio, & iustitia, a modo vsque in sempiternum.

Vidimus stellam eius in Oriente.

Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in vmbra c. 9.
mortis lux orta est. c. 18. *sicut meridiana lux clara est; & sicut nubes roris in die messis.*

Et venimus adorare eum.

Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea.

Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia c. 66.
pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi: & vocabunt te ciuitatem Domini c. 6.
Sion Sancti Israël.

In die illa clangetur tuba magna, & venient, qui perditi fuerant de terra Assy- c. 27.
riorum, & qui eiecti erant de terra Ægypti, & adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem.

Audiens autem Herodes Rex turbatus est.

Propterea lumbi mei repleti sunt dolore, angustia possedit me, sicut angustia par- c. 21.
turientis: corrui cum audirem (aduentum Regum) *conturbatus sum, cum viderem,* Turbatio & timor Herodis.
emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me.

Et omnis Hierosolyma cum eo.

Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitauit in ea: c. 1.
nunc autem Sodomitæ: argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua, Principes tui infideles, socij furum.

Vinea Domini exercituum domus Israël est, & in Iuda germen eius delectabile & c. 5.
exspectaui, vt faceret iudicium: & ecce iniquitas, & iustitia & ecce clamor.

Audite, qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam: c. 33.
conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas.

Et congregans omnes Principes Sacerdotum & Scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur?

Cernent terram de longè: cor tuum meditabitur timorem: vbi est literatus: vbi c. 33.
legis verba ponderans, vbi doctor paruulorum? Conciliū.

Verum hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate errauerunt: Sacerdos & c. 28.
Propheta nescierunt præ ebrietate: absorpti sunt à vino: errauerunt in ebrieta- eius im-
te, nesciuerunt videntem (Messiam natum esse) *ignorarunt iudicium.* Obcœcatio- pietas.
nem hanc Sacerdotum, qui iam fauorem potius Herodis, quam nati Messiæ defide-rabant, idem c. 29. sic depingit. *Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate; inebriamini & non à vino: mouemini & non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, Prophetas & principes vestros, qui vident visiones operiet.*

Ebrietas illa fuit superbiæ & inuidiæ nolentis Bethlehemitico puero deferre hono-rem Messiæ: fauorem potius Herodis, quam salutem à nato Messia exspectantium: sed ebrij vtraque caruerunt.

At illi dixerunt in Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est.

Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti lite- c. 29.
ras dicent: lege istum: & respondebit non possum: signatus est enim: & dabitur li-ber nescienti literas: dicetur que ei: lege, & respondebit: nescio literas Et dixit Do-

minus,

minus, eo quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longe est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis: ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.

Iudæi librum signatum & corticem tenent: nos nucleum & apertum librum.

Hoc scilicet grande Dei miraculum: quod è populo Dei tam docti, quam indocti legis libros sibi signatos & clausos alijs ministrarent Gentibus alienigenis, qui sensum, medullam, & Spiritum Prophetarum diuino lumine cognoscentes: & ei obsequentes, Iudæis librum signatum & clausum reliquerunt: corticem videlicet & literam occidentem: vt contra se ipsos tabulas signatas portent, quibus conuicti flagitiorum condemnentur. Ideo de cœcis & surdis hactenus & egentibus diuina gratia & cognitione subijcitur.

Nonne adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus (Gentilitas sterilis) *in Carmel* (agrum fertilem) *& Carmel* (Iudæi hactenus ager vberrimus) *in saltum reputabitur, & audient in die illa surdi* (ob ignorantiam infidelitatis) *verba libri: & de tenebris & caligine oculi cæcorum* (Gentilium) *videbunt. Et addent mites* (Magi per Christum mansuefacti) *in Domino lætitiam, & pauperes* (fide & spiritu) *homines in Sancto Israël exsultabunt.*

c. 42. Obcœcatio Iudæorum.

Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum: quis cæcus, nisi seruus meus? Et surdus, nisi ad quem nuncios meos misi? quis cæcus, nisi qui venumdatus est? & quis cæcus nisi seruus Domini? Qui vides multa (ô congregatio Scribarum & Sacerdotum) *nonne custodies? qui apertas habes aures nonne audies? & noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius.* Ex his locis Christus ad Iudæos ait: *In iudicium veni in hunc mundum: vt qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant: & : confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus* (superbis scribis) *& reuelasti ea paruulis*: humilibus Regibus.

Ioan. 9.

Tum Herodes clam vocatis Magis.

c. 29. Fraudulentos Deus decipiet.

Væ, qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium (quasi secreta & fraudulenta consilia Deus ignoraret) *quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos & quis nouit nos? peruersa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet & dicat opus factori suo: non feciſti me: & figmentum dicat fictori suo: non intelligis.*

Cum inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

c. 32. Simplicitas Magorum.

Stultus fatua loquetur: & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter (promittendo eius adorationem) *& vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat* (occidendo quæsitum tot periculis & laboribus Messiam) *Fraudulenti vasa* (consilia & instrumenta) *pessima sunt, ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites* (in reditu) *in sermone mendacij: cum loqueretur pauper* (simplex & sincerus) *iudicium.*

c. 29.

Defecit qui præualebat: consummatus est illusor (diabolus & Herodes) *electi sunt & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem.*

Qui cum audissent Regem abierunt.

c. 43. Deus deducit eos.

Hæc dicit Dominus: qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus semitam, nec memineris priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur. Vtique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam & in inuio flumina. Glorificabit me bestia agri, Dracones & struthiones (feræ Gentes) *quia dedi in deserto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo. Populum istum formaui, laudem meam narrabit.*

Et ecce stella, quam viderant in Oriente.

c. 42. Stella rursus apparet

Ducam cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam; ponam tenebras coram eis in lucem, & prauia in recta: hæc verba feci eis & non dereliqui eos.

Au-

Antecedebat eos.

Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. c. 60. Præcedit ambulantes.

Gauiſi ſunt gaudio magno valde.

Canticum erit vobis, ſicut nox ſanctificatæ ſolennitatis (qua tranſito mari rubro & merſo Pharäone Iudæi exſilierunt) *& lætitia cordis: ſicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fortem Iſraël.* c. 30. Gaudium eorum.

Vſque dum veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer.

Ecce DEVS *ſaluator meus fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* c. 12. Fides.

Et intrantes domum.

Venite & adſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. c. 2. Animant ſe ad ingreſſum.

Inuenerunt puerum.

Ecce DEVS *noſter iſte: exſpectauimus eum, & ſaluabit nos iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exſultabimus & lætabimur in ſalutari eius. In ſemita iudiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ: anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis, de manè vigilabo ad te. Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera noſtra operatus es nobis Domine* DEVS *noſter: poſſederunt nos Domini abſque te* (Dæmones & idola) *tantum in te recordemur nominis tui.* 70. vertunt, *poſſide nos Domine.* c. 25. 1. Saluant Chriſtum. c. 26. 2. 3.

Ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum

Non me inuocaſti Iacob, nec in me laboraſti Iſraël (Gentilis populo) *Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure: Non emiſti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriaſti me. Veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis: Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam; & iudicemur ſimul: narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.* c. 52. c. 43. eius Reſponſio. Excitat in his dolorē de peccatis.

Et nunc audi ſeruе meus, quem elegi: hæc dicit Dominus faciens & formans te ab vtero, auxiliator tuus: noli timere: effundam enim aquas ſuper ſitientem & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum: & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam: & germinabunt inter herbas quaſi ſalices, iuxta præterfluentes aquas: nolite timere neq; conturbemini: Vos eſtis teſtes mei: nunquid eſt DEVS *abſq; me & formator, quem ego non nouerim? Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum, non proderunt eis, ipſi ſunt teſtes eorum, quia non vident, neque intelligunt, vt confundantur.* c. 44. Spem veniæ & gratiæ. eligit eos in teſtes. & idolorū deſtructores.

Et procidentes adorauerunt eum.

Et erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. c. 49. Proſternunt ſe.

Ecce intelliget ſeruus meus (Chriſtus iuſſa Patris intelliget & obſeruabit) *exaltabitur & eleuabitur, & ſublimis erit valde. Iſte adſperget Gentes multas: ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum: quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt, & qui audierunt, contemplati ſunt.* c. 25. Silent præ verecundia.

Hæc dicit Dominus: labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt, poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te eſt DEVS *& non eſt abſque te* DEVS. *Verè tu es* DEVS *abſconditus,* DEVS *Iſraël Saluator.* c. 45. adorant.

Congregamini & venite, & accedite ſimul, qui ſaluati eſtis ex Gentibus, neſcierunt, qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant DEVM *non ſaluantem. Annunciate & venite, & conſiliamini ſimul: nunquid ſum ego Dominus & nō eſt vltra* DEVS *abſq; me? Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego* DEVS, *& non eſt alius: mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.* Locum hunc illuſtrem in Magorum hiſtoria reddiderunt SS. Patres ſeligam, qui eum de Gentium conuerſione expoſuerunt. SS. Patres ea exponũt de SS. Regibus. v. *Hilarius lib. 4. de Trin.*

S. Hilarius: *Et quis tandem æstimandus est labor Ægypti, & mercatu[illegible]opum. & Sabaim? recordemur Orientis Magos, adorantes Dominum & munerantes, & laborem veniendi vsque in Bethlehem Iudæ tanti itineris metiamur: in Principum enim labore totius Ægypti labor demonstratus est: Magis enim diuinæ virtutis operationes falsa rerum specie mentientibus, potissimus religionis impiæ honor à seculi omni deferebatur: ijsdem Magis ex mercatu Æthiopum, & Sabaim auri, & thus & myrrhæ munera deferentibus (quod quidem & ipsum Propheta præmonuit, dicens: Reges Tharsis &c.) in Magis & muneribus labor Ægypti & mercatus Æthiopum & Sabaim ostenditur, scilicet mundi error Magis adorantibus, & electæ Gentium munera adorato ab his Domino oblata.* S. Hieron. in commentario sic ait: *vocatis Ægypto & Æthiopia & Sabaim viris excelsis, per quæ demonstratur salus vniuersarum Gentium barbararum, & totius mundi ad Deum conuersio, ostendit Deus iustitiam suam, quod non solum Iudæorum sit Dominus; sed & Gentium.*

S. Hiero.

Lactantius. Tertullianus. S. Epiphan. Eusebius. S. Ambros. in ps. 37. post princ.

Concludit deinde ex sequentibus non simul, sed per partes, Gentes in Christum credituras: assentit his Lactantius l. 4. c. 13. Tert. contra Praxeam. S. Epiphan. l. 2. contra Noëtianum. Euseb. l. 5. Euang. demonstrat. Sed quibus vincti manicis Reges isti Christum adorarunt? an Spiritus Sancti gratia efficaci, de qua rectè S. Ambrosius, *cuius vincula adamante sunt fortiora.*

Et apertis thesauris suis.

c. 8.

Voca nomen eius accelera, spolia detrahe, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum: libet hic iterum insistere & sanctos audire Patres, qui hæc de Magis expoluerunt:

S. Hieron. hic. fortitudo Damasci scientia secularis.

S. Hieron. *Adhuc in infantia in profectu positus vincet fortitudinem Damasci, doctrinam videlicet sapientiæ secularis* (Magorum) *& auferet spolia Samariæ, quibus Hæretici Ecclesiam spoliauerant, dicentes: non est nobis portio in Dauid, neque hereditas in filio Iessæ præsente Rege ipso Assyriorum diabolo.*

Iustinus in Dialogo cum Triphone.

Iustinus dialogo cum Triphone: *antequam puer sciat appellare patrem aut matrem, capiet virtutem Damasci & Samariæ. Ac vos alicui inquam Iudæorum hoc accidisse probare non potestis: nos autem demonstrare quimus factum esse in Christo nostro: nam simul is natus est, Magi ab Arabia venientes adorauerunt eum: cum prius ad Herodem in terra vestra tunc regnante adijssent, quem verbum propheticum Regem Assyriorum vocat, propter iniquam & impiam eius auaritiam.*

Herodes accipiendus per Regem Assyriorũ. *Tertul. lib. aduersus Iudæos.*

Tertulianus lib. aduersus Iudæos. *Antequam puer cognoscat vocare patrem, accepit Christus infans virtutem Damasci, & spolia Samariæ aduersus Regem Assyriorum. Moneant enim illi Orientales Magi infantiam Christi, vt Regem auro, thure & myrrha remunerantes: & accipit infans virtutem Damasci sine prælio & armis. Nam præter quod omnibus notum est, Orientis virtutem, id est vires auro & odoribus pollere solitam: certum est ex diuinis scripturis, virtutem quoque ceterarum Gentium aurum constituere, sicut per Zachariam dicit: & Iudas prætendit Ierusalem, & congregabit omnem valentiam populorum per circuitum, aurum & argentum: nam de hoc auri munere etiam Dauid dixit: & dabitur ei de auro Arabiæ: & Reges Arabum & Saba munera offerent illi. Spolia autem Samariæ ipsos Magos accepit, qui cum illum cognouissent, & muneribus honorassent, & genu posito adorassent, quasi Deum & Regem sub testimonio indicis & ducis stellæ, spolia sunt facti Samariæ, id est idololatriæ, credentes Christo: sic bellipotens & armiger Christus accepit spolia non solius Samariæ, verum & omnium Gentium.*

Virtus Damasci est aurum Arabiæ & aromata. *Zach.* 14. Spolia Samariæ sunt idololatræ conuersi.

S. Epiphanius l. 3. contra Hæreses.

S. Epiphanius, *quorum donorum manifestam certitudinem Propheta declarat, dicens: priusquam nouerit puer vocare patrem aut matrem, & capiet vim Damasci, & spolia Samariæ, contra Regem Assyriorum: hæc enim à Damasco in temporibus Abrahæ, velut antea dixi à Regibus, qui venerant accepta sunt & à Samaria: quando igitur accepit ipse priusquam noscet vocare patrem aut matrem? quando venerunt Magi, & aperuerunt peras suas siue thesauros, velut aliqua exemplaria habent, & obtulerunt myrrham, & thus, & aurum.*

S. Aug. serm. 4. de Epsc. exponit vt Tertullianus.

S. Augustin. *Puer accepit virtutem Damasci: illius scilicet, vnde Damascus præsumebat*

mebat: in diuitijs siquidem ciuitas illa secundum seculum florens aliquando præsumserat: in diuitijs autem principatus auro defertur, quod Christo Magi suppliciter obtulerunt: spolia vero Samariæ ijdem ipsi erant, qui eam incolebant: Samaria enim pro idololatria posita est.

S. Ambrosius. *Per signum illud salutis, quod Deus generi dedit humano, dicente ipso Propheta Isaia: Dominus ipse dabit vobis signum hoc. Virgo in vtero accipiet, & pariet filium & vocabitur nomen eius Emmanuel: qui antequam ipse sciat vocare patrem & matrem, accipiet fortitudinem Damasci: qui spolia Samariæ à Magis accipiens, homo, Rex & Deus comprobatus est.* S. Ambrosius to. 4. in symbolo.

Obtulerunt ei munera.

In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius: à Gente exspectante, exspectante & conculcata: cuius diripuerunt flumina terram eius: ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion. Et hunc locum SS. PP. quidam Magis accommodant. c. 18. Gentiles exspectabant salutem.

Isidorus Hispalensis: *& hoc Prophetæ nobis narrant: sic enim Isaias ait: in tempore illo, &c. Et hoc autem dixit propter Persarum Gentem robustissimam: ad cuius tunc potentiam nullus populus comparabatur: de quibus Magi venientes Christo munera detulerunt:* eadem habet Paschasius Ratbertus. *Isidorus c. 14. nat. Domini. Ratbertus in 2. Matt.*

Aurum thus & myrrham.

Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes: omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo: & domum maiestatis meæ glorificabo. Suges lac Gentium, & mammilla Regum lactaberis. c. 16. munera enumerata.

Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Domine miserere nostri: te enim exspectauimus: esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. c. 33. Petunt SS. Reges oraculum.

Exspectat Dominus vt misereatur vestri: & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus: beati omnes qui exspectant eum: ad vocem clamoris tui statim vt audierit, respondebit tibi (petierunt enim Magi vesperi à Deo reditus ductum & reductionem) *non faciet vltra auolare, à te doctorem tuum: & erunt oculi videntes præceptorem tuum: & aures tuæ audient verbum post tergum monentis* (siue Angeli corporea specie siue Spiritus Sancti) *hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Et contaminabis lamminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis argenti tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ: egredere dices ei.* c. 30. accipiunt. Ostenditur via reditus. Mandatur eis confractio idolorum.

Aperiam in supinis collibus flumina & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudinem cedrum & spinam, & myrrham, & lignum oliuæ. Ponam in deserto abietem, vlmum & buxum simul. c. 41. Prædicitur conuersio Gentium.

Lætabitur deserta & inuia, & exsultabit solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit, & exsultabit lætabunda, & laudans: gloria libani data est ei, decor Charmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei vestri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate: confortamini & nolite timere, ecce Deus vester vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit vos. c. 35.

Ite Angeli veloces, ad Gentem conuulsam atque dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad Gentem exspectantem, & conculcatam. c. 18. Mittuntur Euangelistæ & Apostoli.

Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc salient sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et quæ erat arida erit in stagnum: & sitiens in fontes aquarum: & erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur: non erit ibi leo, & mala bestia non adscendet per eam, nec inuenietur ibi, & ambulabunt, qui liberati fuerint. c. 35.

Denique Gentes à Deo præferendas idem prædicit Isaias.

c. 19. Præferendi erunt Gentiles Iudæis.

In die illa erit Israël tertius Ægyptio, & Assyrio: benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum dicens: benedictus populus meus Ægypti: & opus manuum mearum Assyrio: hereditas autem mea Israël. Sanctus Chrysostomus sic interpretatur. *Quid ais Iudæe: qui primus eras tertius factus es? Ægyptij & Assyrij tibi antelati sunt: & primogenitus Israël nunc posterior est?* ita est: merito Assyrij primi erunt: quandoquidem & ipsi per Magos primi adorauerunt; Ægyptij vero post Assyrios quandoquidem ipsum Herodis insidias fugientem exceperunt: postremo loco nominatur Israël, qui post adscensum eius ex Iordane tum demum in Apostolis eum agnouit.

Hucusque vaticinia veteris instrumenti de tribus Regibus & vocatione Gentium allata sunt, quam illi tres simul meruerunt, figurarunt, & inchoarunt, translato feliciter à Iudæis ad Gentes Christi regno & sacerdotio, quæ laus eorum propria videtur, non ita sanctis alijs communis: quod beneficium cum nos participemus, decet in sacro codice libenter oracula dicta reuoluere, quibus sponsus infinitum amorem nostri tot seculis anteaduentum suum orbi patefecit, vt vicissim eum redamemus.

CAPVT XXVIII.

Ob hæc diuersorum Prophetarum oracula apud Iudæos in traditionibus quinque, vel Talmudicis scripturis certum hodieque habetur, Messiam à Gentilibus eorumque Regibus, muneribus allatis esse adorandum.

Galatinus l. 8. c. 3. prima traditio.

COLLEGIT Galatinus in arcanis Catholicæ veritatis L. 8. c. 3. Rabbinorum veterum hac de historia pronunciata, traditiones & scripturæ sacræ interpretationes.

Primo in expositione psalmi 87. ex Hebræo *commemorabo Raab & Babylonem scientibus, vel cognoscentibus me, Rabbi Ioses filius Simeon ait: futurum est, vt nationes mundi adducant munera Regi Messiæ, sicut dictum est, Cantici canticorum 4. c. munera dabis de capite Amana. Pergit psaltes: Deus computabit, vel scribet in scriptura populos: iste natus est ibi: sensus est: ex illis populis, qui adducent munera Regi Messiæ, Deus sanctus & benedictus adscribet eos cum Israël: & hi tales erunt, ac si nati in illa hora fuerint,* hæc prima traditio.

Gentiles Messiæ adferent munera. *ex ps. 87.* concordes cum Iudæis

Chaldaica versio c. 60. Isaiæ.

Altera ex 60. c. Isaiæ, quam Rabbi Ionathas traducens Chaldaicè sic vertit & exposuit. *Surge illuminare Ierusalem, quia appropinquauit tempus saluationis tuæ, & honor Dei super te reuelaut se. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo regna. Super te autem descendet diuinitas Dei, & honor eius reuelabitur super te, & ibunt Gentes ad lumen tuum. & Reges ad suscipiendum splendorem tuum.* Et post longam probationem subdit: *omnes ipsi de Saba venient, aurum & thus deferent, & laudes Dei (tetragrammaton) annunciabunt. Hic enim est Rex Messias, sicut dictum est Ieremiæ 23. & 33. cap. & hoc est nomen, quo vocabunt eum, Deus (tetragrammaton) iustus noster. & sic Isaias 60. capite ait: & super te illucescet, vel orietur Deus (tetragrammaton) & gloria eius super te apparebit, & ibunt Gentes ad lumen tuum, & Reges ad splendorem illustrationis tuæ*

Messias verus DEVS adorandus à Regibus.

Probat hæc altera traditio ex nomine tetragrammaton, quod Messiæ conuenit: eum à Regibus & Gentilibus adorandum esse.

3. Traditio

Tertia traditio quæ priori inclusa melius secernitur. In Bereshith Rabba seu expositione Geneseos 25. capite, vbi noster habet de Lethuræ filijs: *filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos, Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret ad plagam orientalem*, legunt Rabbini, *& emisit eos desuper Isaac filio suo, dum adhuc viueret ad Orientalem plagam, hoc est, quod scriptum*

Cethuræi filij Abrahæ.

est

est Iob. 6. respicite semitas Tema, itinera Saba, exspectate eum, vel eos. Non est Saba nisi filij Abrahæ, Gen. 25. & Iecsan genuit Saba, & Dedan: cum magnificatus esset Salomon in regno suo, dixerunt: forsitan hic est Messias, & statim venerunt ad illum, sicut dictum est 3. Regum 10. & Regina Saba audita fama Salomonis in nomine Dei venit ad tentandum eum in ænigmatibus. Non legas Regina Saba, sed regnum Saba: & quid est dictum in nomine Dei? Prophetæ fuerunt apud eos, qui eis in nomine Domini Dei sui prophetauerunt verba, quæ eis tradita fuerunt: & quæ successiuè ad manus eorum per Abraham venerunt. Et vnde habetur, quod venturi essent in diebus Messiæ eique seruituri? ex eo quod dictum est Isaiæ 60. multitudo camelorum operiet te, aromedarij Madian, & Epha: omnes ipsi de Saba venient aurum & thus deferent, & laudes Dei (tetragrammaton) annunciabunt. Vides non malè Talmudistas illud explicare: *omnes de Saba venient*, cum Rex tantum Sabæ cum paucis assectis venturus sit: nam Rex siue Regina velut caput omnes potestate continet & repræsentat subiectos, vt maluerint legere regnum Sabæ venisse cum sola Regina venisset. Ijdem volunt Regum eorum saltem aliquos ex Abraham descendere, & siue Abrahami, siue alterius regionis suæ Prophetæ oraculo (qualis Balaam fuit) hanc Regibus mandatam profectionem ad Meiliam adorandum, per manus à patribus suis accepisse.

Gentiles adorabunt Messiam cum muneribus. Per Regem vel Reginã totum regnum significatur.

Quarta traditio ex ps. 72. Vbi ex Hebræo legunt: *Reges Tharsis & Insularum munus reddent, Reges Saba, & Seba xenium adferent: & viuet, & dabitur ei de auro Saba, & orabunt ipsum iugiter, tota die benedicent ei, quæ de Messia sic in Berescith Rabba, seu expositione Geneseos* c. 33. *explicantur. Et compulit eum & recepit, ita legitur. Dixit Rabbenu, siue Magister noster: quod omnia munera illa, quæ dedit Pater noster Iacob, Esau fratri suo, futurum est, vt Reges mundi Regi Messiæ restituant. Vnde probatur hoc? ex eo quod scriptum est psal. 62. Reges Tharsis & Insularum munus adducent: non ita scriptum est, sed munus reddent.* Quod autem omnia præmissa in Domino nostro IESV Christo completa fuerint, ex ijs ostenditur, quæ Matt. 2. c. hoc modo scribuntur. *Cum natus esset* IESVS.

4.

munera à Iacobo data Esau restituentur Messiæ per Reges.

Quinta Prophetia Aggæi c. 2. supra laudata eam sic exponunt Talmudistæ: *nam in libro Sanhedrim in capite Helec Rabbi Akiba interpretatur: adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum & terram, & adducam desiderium cunctarum Gentium, de diebus Messiæ & de Rege Messia & de tempore, quod fuit post destructionem primæ domus. Altera talis sequitur expositio: adhuc vnum modicum est, modicum scilicet regni venturi Israël post destructionem prioris domus: & post illud regnum: ecce ego commouebo cœlum & terram, & mare & aridam & omnes Gentes, & postea veniet Messias. Subdit Propheta: deinde venient cum desiderio cunctæ Gentes, id est secundum R. Dauidis glossam. Et venient ad adorandum cum desideratis rebus suis, vt prædixit Isaias* c. 60.

quinta ex Aggæi c. 2.

Gentiles adorabunt cum desiderio & desideratis rebus.

Sunt & aliæ eorum traditiones de donis tribus ab Abrahamo Cethuræ filijs oblatis & à posteris Messiæ offerendis, de quibus alias ex S. Epiphanio dictum est. Vt vel hinc liceat oraculorum diuinorum de Magorum historia veritatem confirmare, quando capitaliſſimi Christianorum hostes, licet factum negent cum aduentu Messiæ: futurum tamen non inficiantur: aut si recentiores quidam negare audeant, maiorum suorum scriptis conuincantur.

Sed à Rabbinis ad Gentiles transeamus: nam eum Iudæi velint à Gentibus & exspectandum, & adorandum Messiam vaticinijs suorum Prophetarum eruditis, quæ illa sint conuenit examinare: vt huius historiæ veritas & Iudæis Talmudistarum traditionibus, & Gentilibus, qui sacras paginas reijciunt, authenticis Sibyllarum oraculis confirmetur.

CAPVT XXIX.

Sanctorum Regum stellæ ductu Messiæ adoratio, octo, vel decem diuersarum Sibyllarum certis oraculis fuit prænunciata.

Regum adoratio oraculis Gētilium prænunciata.

SOLENNITATEM Epiphaniæ filio DEI nuptialem, vt Pater coelestis orbi redderet celeberrimam & testatissimam, à Gentilibus etiam Christianorum hostibus infensissimis voluit quingentis & pluribus annis ante mundo publicari: vt non ea res casu & fortuito gesta, sed æterno DEI consilio decreta: & seculis multis prænunciata certior & explo-

Deut. 32. 31. ratior ad posteros transmitteretur. Ita cadit in hanc historiam illud Moysis effatum: *Non enim est Deus noster, vt Dij eorum, & inimici nostri sunt iudi-*

& Sibyllinis Romæ custoditis summa cura. *ces.* Placuit etiam diuinæ prouidentiæ tanta cura & solicitudine Romanorum, responsa Sibyllarum adseruari semper inuiolata: nec nisi cum fatalis vrgeret necessitas & excidium vrbis, vel imperij timeretur, vel prodigia terrerent, à delectis incorruptissimis, & integerrimis viris consuli, ne vllius temeritate deprauarentur: vt postea

Ea Constantinus vulgauit. Constantino Magno Christianis aggregato publici facta iuris mirificè fidei nostræ mysteria contra Gentiles assererent. Hinc imperator ipse Constantinus elegantissimam orationem ad coetum Sanctorum exarauit, in qua ex Sibyllinis oraculis clarissimè fidei Christianæ præcipua mysteria probauit, & aduersarios redarguit. Sic tam

ad fidei Christianæ confirmationem *Lactantius.* ante ipsum (nam pauca etiam ætatæ Virgilij emanarant) quam postea SS. Patres, Iustinus, Lactantius, Augustinus, ad hæc oracula coram Gentilibus appellabant. Egregius supereſt Lactantij locus, quo ex Varrone tam Sibyllæ decem enumerantur, quam vetustissimi scriptores, qui earum longè ante Christi tempora meminerunt: eoque fiet SS. Magorum gloria testatior, quam DEVS voluit variarum Sibyllarum

ex Varrone 10. Sibyllas numerat. oraculis, doctissimis etiam Gentilitatis Magistris persuadere. M. Varro, inquit, *quo nemo vnquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos vixit, in libris rerum diuinarum, quos ad C. Cæsarem Pontificem Maximum scripsit, cum de quindecimuiris loqueretur, Sibyllinos, ait, libros non fuisse vnius Sibyllæ, sed appellari vno nomine Sibyllinos, quod omnes feminæ vates Sibyllæ sint à veteribus appellatæ, vel ab vnius Delphidis nomine: vel à consilijs Deorum denunciandis. Itaque Sibyllam dictam esse quasi* βουβολὰς. *Cæterum Sibyllas decem numero fuisse: easque omnes*

nomina singularū. *enumerauit sub autoribus, qui de singulis scriptitarunt. Primam fuisse ex Persis, cuius mentionem fecerit Nicanor, qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit. Secunda*

Persica Libyssa *Libyssam, cuius meminit Euripides in Lamiæ prologo. Tertiam Delphicam, de qua*

Delphica Cumana *Chrysippus loquitur in eo libro, quem de diuinatione composuit. Quartam Cumæam in Italia, quam Næuius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat. Quintam E-*

Erythræa. *rythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse ciuem, eamque Graijs petentibus Ilium, vaticinatam & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia*

Samia. *scripturum. Sextam Samiam, de qua scribit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septimam Cumanam nomine Amaltheam, quæ ab alijs*

Cumana libros suos Tarquinio vendidit. *Demophile, & Herophile nominatur, eamque nouem libros attulisse ad Regem Tarquinium Priscum, ac pro ijs trecentos Philippeos postulasse, Regemque asperna-*

tum pretij magnitudinem, derisisse mulieris insaniam, illam in conspectu Regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium poposcisse, Tarquinium multo magis insanire mulierem putasse, quæ denuo tribus alijs exustis cum in eodem prctio perseueraret, motum esse Regem ac residuos trecentis aureis emisse. Quorum postea numerus sit auctus, capitolio refecto: quod ex omnibus ciuitatibus & Italicis & Græcis, & præcipue Erethræis coacti, allatique sunt Romam, cuiuscunque Sibyllæ nomine fuerunt. Octauam Hellesponticam in agro Troiano natam, quam scribit Heraclides

Hellespõtica, Phrygia: Tiburtina *Ponticus Solonis & Cyri temporibus fuisse: Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtem nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur vt* DEA, *iuxta ripas Anienis, cuius in gurgite simulacrum eius inuentum esse dicitur.*

Ha-

Harum omnium Sibyllarum carmina & circumferuntur, & habentur, præterquam Cumææ, cuius libri à Romanis occuluntur, nec eos ab vllo, nisi à quindecimviris inspici fas habent: & sunt singularum singuli libri, qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur vnius esse creduntur, suntque confusi, nec discerni ac suum cuique adsignari potest, nisi Ærythrææ: quæ & nomen suum verum carmini inseruit; hactenus Lactantius. Erythrææ duæ.

Quod ad Erythræam attinet, duas Strabo numerat c. 14. dum ait: *Erythris nata fuit priscis temporibus Sibylla mulier fatidica & diuino furore incitata: Alexandri etiam tempore alia fuit ibidem orta, & itidem* vates nomine *Athenais*, & c. 17. *de generis quidem nobilitate etiam Erythræam Athenaidem effatam ferunt, quæ Erythrææ antiquæ similis fuerit.* Vnde duplex proferemus Erythrææ oraculum.

Primum oraculum Erythrææ senioris.

De hac loquitur Constantinus Magnus. *Sibylla Erythræa, quæ se sexta post diluuium ætate fuisse affirmat: hæc quodam tempore inter adyta illa conclusa, & diuino quodam instinctu afflata versibus ea, quæ erant de Deo futura prædixit, notisque & ordine primarum, literarum quæ acrostichis dicitur, historiam de* Iesv *aduentu declarauit.* Eadem Magorum, profectionem, stellæ ortum: donaque obiata his exprimit versibus. *Const. Mag. C. 18. ad cœtum SS.*

Hoc puero nato properauit gaudia tellus,
Cœlestis risit sedes, & gestijt orbis.
Diuinamque Magi stellam coluere recentem,
Monstratusque Dei *præcepta sequentibus infans*
Est in præsepi, quem fascia circuit, estque
Dicta Logi Bethlehem diuino patria nutu.

stella Magorum

infans in præsepi

locus Bethlehem.

Alterum, quo in Christi persona diuinam & regiam dignitatem, ac mortalitatem his carminibus comprehendit.

Christi triplex dignitas.

Οὗτος ὁ νῦν προγεγραφεὶς ἐν ἀκροστίχισιν θεὸς ἡμῶν
Σωτὴρ ἀθάνατος βασιλεὺς, ὁ πάθων ἕνεκ' ἡμῶν.
Versibus his nostris descriptus in ordine summo:
Rexque Deusque hominum est passus Saluator amore:

muneribus Regum declarata

Hanc triplicem Christi dignitatem Dei, Regis, Saluatoris per mortem sancti Reges muneribus tribus significarunt.

Secundum Cimmeriæ.

Onuphrius hanc vult in Italia vaticinatam paulo post Troianum excidium & ex Cimmerio Campaniæ vicino Cumis oppido oriundam.

Huius ex vetustissimo M.S. codice à Lorino in 24. Numerorum & ab alijs hoc circumfertur, de stella Magorum oraculum. *Lorinus in 24. num.*

——Eoo lucebit sidus ab ortu
Mirificum: sua dona Magi cum laude ferentes
Obijcient puero myrrham, aurum, thura Sabæa.

stella in Oriente & munera tria expressa.

Tertium Samiæ.

Eratostenes vetustus scriptor ait huius in antiquis Samiorum annalibus fieri mentionem: vocata est Phyto: cuius Ælianus lib. 12. variæ historiæ meminit. Et Eusebius eam vult in suis Chronicis Numæ Pompilij temporibus circa Olympiadem 16. floruisse & Heriphilem nominatam: eam stellam Magorum prænunciasse testatur Salmeron in. 2. Mat. & antiquissimus M. S. Codex. vixit secundum Augustinum cum Isaia.

Ecce dies nigras, quæ tollet læta tenebras,
Nox veniet, soluens nodosa volumina vatum,
Gentis Iudææ referent vt carmina plebis,
Hunc poterunt clarum viuorum tangere Regem,
Humano quem virgo sinu inuiolata fouebit:
Annuit hoc cœlum, rutilantia sidera monstrant:

C. 18. C. D. c. 24.

Quartum oraculum Cumanæ vel Helleſponticæ.

Dicta fuit Amalthea, ab alijs Demophile, ab alijs Herophile nominatur: putatur illa fuiſſe, quæ Tarquinio nono libros Sibyllinos obtulit trecentis philippeis coëmendos: vt ex Lactantio retuli. Huic à multis hæc de Chriſti ortu, Magorum adoratione, Gentilium electione & fide tribuuntur oracula: quamuis Helleſponticæ quædam adſcribantur.

tria dona Sacerdotes offerent.

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipſis
In terris ſimilis, natus Patris omnipotentis:
Illi libabunt aurum, myrrhamque ferentes
Thuſque Sacerdotes: hæc omnia namque patrabit.
Tunc erit indicium ſubito mortalibus ægris
Cum lapis Ægypti felix ſeruatus ab oris
Venerit: huic populus impinget Hebræus, & huius
Ductu conuenient Gentes, per eumque ſupremum
Cognoſcent numenque, viamque in lumine rectam.

Chriſtus lapis offenſionis Iudæis & lapis angularis Gentibus.

Græcum textum habes lib. 1. Sibyllinorum oraculorum f. 187. vbi Magi vocantur ἱερεῖς Sacerdotes, multa ex his carminibus Sixtus Senenſis adſcribit Cumanæ Sibyllæ: quamuis Iacobus Boſius lib. 4. c. 10. de Magis tribuat Helleſponticæ natæ in agro Troiano: floruit ea cum Solone, licet duo priora carmina adſignet Cumanæ: res ambigua eſt.

Iacobus Boſius l. 4. c. 10.

Quintum illuſtriſſimum oraculum Perſicæ Sibyllæ.

Perſicæ Sibyllæ tribuunt oraculum plurimi, quo Magi ſtella viſa ſunt euocati: de quo alias: huius Nicanor, dum res geſtas Alexandri perſequitur meminit, eam Chaldæam vocat Iuſtinus & Beroſus. Alij teſte Onuphrio fuiſſe Hebræam malunt, dictam Sambetha, natam in vrbe Noë dicta, ſita ad mare rubrum: vnde carmen eius ad Hebræam alludit vocem. Fuerunt libri huius quatuor & viginti. Cumana a nonnullis dicitur, quo nomine venit etiam Phrygia & Erythræa: Laudant huius oraculum acta S. Procopij Martyris in ſynodo Nicæna lecta, & approbata: in quibus hæc ad Iudicem profatur Procopius. *Vocatur Sibylla, eaque mulier, & quæ celebrata fuit apud Græcos & Romanos; in hanc enim honore habuere eam Romani, tantique eam fecerunt, vt non ſolum vulgus; ſed etiam Reges, vt Tarquinius multis talentis eius libros emerit: hæc igitur, quæ apud vos in magna habita eſt admiratione: in ſecundo ſuo libro de ſuſcipiendæ à Chriſto carnis conſilio: & de eius ortu ex Virgine hæc apertè prædicit*

Surius 8. Iulij.

ſtella.
adoratio Magorũ.
munera tria.

Verbum quando Dei ſummi eſt paritura iuuenca,
Clara die in medio ſtella apparebit ab ortu,
Nuncia permagni ſigni mortalibus ægris;
Magni tuncque Dei natus venturus ad ipſos
Eſt homines, geſtans carnem, aſſimilatus & illis,
In terra, huicque Magi portabunt munera, nempe
Aurum, & myrrham, thus: hæc omnia namque placebunt,

Iuuencam autem appellat Virginem expertem nuptiarum: apud Hebræos enim Virgo, & iuuenca eodem nomine ſignificantur. Hactenus Procopius: qui ſubdit de acroſtiche: vnde videtur confundere inter ſe Sibyllas: & Sibyllæ nomine quæuis Sibyllina accipere carmine.

pax orbis.

Sextum de pace vniuerſali & ortu ſtellæ libro 2. prope initium.

—Rurſum magnus Deus incola cœli
Relliquias hominum penitus ſeruabit vbique,
Tunc pax, & veri prudentia ſumma vigebit,
Terraque frugiferens fruges feret vberiores,
Ne diuiſa quidem, neque ſeruitura dein ceps.
Tunc autem ſignum dabitur diuinitus ingens,

Nam-

stella.

Namque relucebit clarissima stella coronæ
Assimilis claræ cælo visenda sereno
Lucibus haud paucis, humanis nempè coronam
De cælo ostendet, qui præmia quærere certant,
Nam tunc incipiet magnum procedere seclum.

Posset quis forte hæc ad Christi Iudicis aduentum reuocare: ad Magorum tamen vocationem rapit hoc carmen Prosper: *Exuret terras ignis, pontum, populumque.* Quod videtur è libro 5. Carm. Sibyll. acceptum esse: vbi sic lego.

Sed cum astrum stato magnum lucebit in anno,
Quod solum perdet, terram omnem, propter honorem
Ipsi Neptuno primum posuere marino
Deque polo veniet sidus magnum in mare magnum,
Altumque exuret pontum, atque ipsam Babylonem.

Septimum oraculum siue Maronis, siue Cumææ, vel alterius Sibyllæ.

S. Prosper cum de Magis loquitur duos è Virgilio sic laudat versus. *Dicit & Maro quædam congrua.*

Stella facem ducens, multa cum luce cucurrit. Æneidos 2.
Muneribus cumulant, & magnum sidus adorant.

Complura latent in Maronianis ecclogis: quæ sancti Patres volunt è Sibyllarum vaticinijs emanasse. Quid quod Constantinus M. crediderit Virgilium afflatu cœlesti cecinisse Christi regnum & ortum, idemque Sibyllæ nomine vendtasse. Cæsarem ipsum in oratione ad sanctum cœtum audiamus.

Iam noua progenies cælo dimittitur alto. Constantinus erat. ad SS. Cœtum.

Quid illo apertius? addit enim vltima Cumæi, venit iam temporis ætas. Cumæam vult planè Sibyllam esse; neque his contentus erat ille quidem; sed progressus est longius, adeo vt eius vti testimonio necessitas postulare viaeatur: quid igitur?

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna. Deipara virgo.

Quid ergo? quæ ista est virgo, quæ redijt? an non quæ plena & grauida est è Spiritu Dei, virgo maneat perpetuo, recuperetur etiam Dominus ipse, qui virgo est secundo, & orbem afflictum aduentu suo leuabit, adiungit enim Poëta.

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum. reducet aurea tempora.
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta faue Lucina.
Hoc duce si qua manent sceleris vestigia nostri Christus peccata expiabit.
Irrita perpetua soluent formidine terras.

Perspicuè ergo possumus intelligere etiam hæc, quæ dicta sunt per allegoriam, occultè his, qui vim verborum altius perquirunt Christi diuinitatem sub adspectum subijcere, ac Poëtam, ne quis Princeps in ciuitate, quæ caput imperij est, ipsi quod contra patrias leges scripsisset, quodque maiorum instituta olim de dijs sancita reiecisset, crimini dare posset, veritatem tanquam inuolucris quibusdam texisse. Vidit enim credo beatum ac eximium aduentus Seruatoris mysterium; verum vt immanem vitaret crudelitatem, mentes audientium ad suam ipsorum consuetudinem traduxit: aitque nouæ proli aras exstruendas, templa apparanda, sacrificia obeunda: ea igitur, quæ sequuntur aptè ad prudentium intelligentiam inducit: ait enim.

Ille Deum vitam accipiet, diuisque videbit Coletur vt Deus.
Permistos Heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem, reget mundum.
At tibi prima puer nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim, cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acanto.

Vir admirabilis, & omni doctrina apprimè ornatus, accuratè eorum temporum crudelitatem prospiciens inquit.

Nam-

Ipsæ

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones,

Vera planè sunt, quæ dicit: nam regiæ aulæ Principes, fides (Magorum) *non extimescet.*

vincet peccatum.

Ipsa sibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & serpens, & fallax herba veneni,
Occidet. Assyrium vulgo nascetur amomum

His certè nec verius quidquam: nec ad Seruatoris virtutem aptius dici poterit. ipsa enim Dei cunabula, Spiritus S. virtute fragrantes flores nouæ soboli extulerunt. serpens verò, à quo primi parentes primam in fraudem impulsi, & mentes eorum à temperantia naturaliter ipsis indita ad voluptatum blanditias traductæ eram, omnino perijt, & venenum eius pariter sublatum est: Cum autem dicit Assyrium amomum vbique nasci, Assyriorum genus, quod fidei diuinæ causa fuit multitudinemque hominum Deum religiosè colentium innuit. Est præterea illud summè mirandum quo pacto homines, quorum vita media quasi inter bonorum malorumque vitam interiecta est, quæque subitam, repentinamque mutationem neutiquam admittit, ab eo rudi mediocrique vitæ genere ad cæleste ac diuinum, quod in rebus mente sola comprehensis positum est adscenderint (intellige de Magis, & Gentilibus conuersis).

Molli paulatim flauescet campus arista,
Hoc est fructus diuinæ legis ad hominum vsum producetur
Inculti sque rubens pendebit sentibus vua
Id est mores, qui non erant impia viuendi ratione deprauati.
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Plura scribit idem Constantinus in laudem huius poëmatis: vbi quæ de Christi regno, de pace leones inter & capreas, de Assyrio amomo, de sentibus viniferis addit, aptè Magis accommodantur: vt & de stella & oblatis donis. laudat hæc ipsa Carmina S. August. *Fuerunt*, ait, *& inter Gentiles prophetiæ, in quibus etiam aliqua inueniuntur, quæ de Christo cecinerunt; sicut etiam de Sibylla dicitur: quod non facilè crederem, nisi quod Poëtarum quidam in Romana lingua nobilissimus, antequam diceret illa de innouatione seculi, quæ in Domini nostri regnum satis concinere, & conuenire videntur, præposuit verbum dicens: Vltima Cumæi venit iam carminis ætas. Cumæum autem Sibyllinum esse nemo dubitauit,*

S. Augustin. initio expositionis epist. ad Romanos.

Octauum Cumææ, quæ prædicit Gentium conuersionem sub metaphora ferarum ex Isa. 11.

Gentium conuersio.

Cum Deus ex alto Regem dimittet olympo,
Tunc terra omniparens fruges mortalibus ægris
Reddet inexhaustas, frumenti, vini, oleique
Dulcia tunc mellis diffundent pocula cœli,
Et niueo latices crumpent lacte suaues,
Oppida plena bonis, & pinguia culta vigebunt,
Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus,
Verum pax terris florebit in omnibus alta,
Cumque lupis agni per montes gramina carpent,
Permixtique simul pardi pascentur & hædi,
Cum vitulis vrsi degent, armenta sequentes,
Carniuorusque leo præsepia carpet vti bos.
Cum pueris capient somnos in nocte dracones,
Nec lædent, quoniam Domini manus obteget illos.

Regem tunc Pater olympo etiam dimisit: cum eius nati regnum præconibus Regibus publicauit: quando ipsi Gentiles feri alias lupi & leones, in stabulo veras Israëlis oues Christo pastori suo ductu & exemplo sistere voluerunt.

Nonum Libycæ de ſtella, vixit circa 80. olympiadem.

Ecce dies venient, quo æternus tempore Princeps
Irradians ſata læta, viris ſua crimina tollet, Stell.
Lumine clareſcet cuius ſynagoga recenti
Æquus erit cunctis, gremio Rex membra reclinet
Reginæ mundi, ſanctus per ſecula vivus.

Decimum Perſicæ, vel alterius de donorum oblatione.

Ille Deus caſta naſcetur virgine magnus,
Virgine matre ſatus pando reſidebit aſello
Iucundus Princeps, vnus, qui ferre ſalutem
Rite queat lapſis: tamen illis forte diebus
Multi multa ferent, immenſi fata laboris. Dona.

Vndecimum Tiburtinæ, locum adorationis nominat, cuius tertio fit mentio in hiſtoria Regum.

Verax ipſe Deus dedit hæc mihi munia fandi,
Carmine quod ſanctam potui monſtrare puellam,
Concipiet quæ Nazareis in finibus illum, locus adorationis.
Quem ſub carne Deum Bethlemica rura videbunt.
O nimium felix cœlo digniſſima mater.
Quæ tantam ſacro lactabit ab vbere prolem!

Deum Bethlehem tunc præcipuè agnouit, cum eius diuinitas à Regibus adorata: verè tunc feliciſſima mundi nationibus mater apparuit, quæ talem filium ad orbis ſalutem educaret.

Satis ex his liquet tam Gentiles naſcituri de Virgine Meſſiæ, & ſtella declarandi certam cognitionem habuiſſe, quam eius ortum expectare potuiſſe, vt eam conuenienti honore & muneribus aptis adorarent

Nec mirum infidelibus & fortaſſis impijs Deum futura patefeciſſe, quando Caiphas Iudæorum improbiſſimus, & Balaam idololatra flagitioſiſſimus diuino concitati ſpiritu ventura prænunciarunt:

S. Hieronymus id virginitati Sibyllarum tribuit. *Quid referam Sibyllas Erythræam, atque Cumanam, & octo reliquas? nam quantum inſigne virginitas eſt: & virginitatis præmium diuinatio? Quod ſi Æolici generis ſermonis προφητις appellatur rectè, conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas.* S. Hier. l. 1. aduerſus Iouian.

CAPVT XXX

Figuris aliquibus in veteri Teſtamento ſancti tres Reges indicantur; & cum Patriarchis comparantur.

QVOS Prophetæ vaticinijs ſuis longe ante prædixerunt, eoſdem Patriarchæ factis expreſſerunt, vt Chriſtum, Deiparam Apoſtolos, & rariores quoſdam Teſtamenti noui viros ſanctos. Ita Chriſti patientis imaginem Iobus, Dauid & Ioſeph adumbrarunt: ſimiliter virtutes heroicæ, quæ in varijs feminis Iudith, Debora, Iahel, Sara, Noëmi ſparſæ ſingularem habent admirationem, collectæ in vna virgine Dei genitrice tanquam archetypo multo illuſtrius emicuerunt: ſi tamen hæ cum geſtis iſtarum mulierum contendantur, lucem quandam accipiunt, ſimilem ei, quam ſolis radij leuore ſpeculi excepti luculentius reuerberant, vel cum ijdem vitro collecti fulgent clarius, & ſubiectam etiam quandoque materiam inflammant; ſic figuris varijs virtutes ſanctorum adumbratæ collectæque faciunt lectoris animum exardeſcere ad eas pronioribus animis & voluntate magis inclinata, comprehendendas; & moribus etiam exprimendas. Vnde varios ſelegi diuinarum paginarum Patriarchas, Figuræ Chriſti & Deiparæ. vtilitas earum.

cur Deus tot figuris SS. Reges præmonstrarit.

chas Reges, Prophetas, in quorum virtutibus & factis admirandis sanctorũ Regum nostrorum quædam facinora, velut in imagine repræsentantur. Nolo tamẽ contendere figuras illas propriè dicendas esse: nam in pleriſq; solum accomodatitium sensũ agnosco: quædam tamen SS. Patres vel autores alij per allegoriam applicant SS. tribus Regibus & conuertendæ Gentilitati quam velut: dilectissimam sponsam Synagoga repudiatâ tam vehementer Deus adamauit, vt non Gentiles arctius quam cœlestes ipsos genios sibi deuinxerit, ideo sparsim in diuinis scripturis huius electæ suæ sponsæ meminit, & eorum interdum, trium paranymphorum, qui primi nuptias istas Christi secum, nobiscum ac cum tota Gentilitate conciliarunt: quos etiam tres velut primitias reliquis omnibus digniores, & gratiores selegerat, in quos amoris sui, donorumque fluenta pleno velut alueo deriuaret: Quam eminentiam Ecclesiæ Gentilium præ Synagoga S. Gregorius cursu S. Petri & Ioannis illustrat. *Nec mirum*, ait, *esse videatur quod per iuniorem Synagoga, per seniorem vero Ecclesia signari perhibetur; quia etsi ad Dei cultum prior est Synagoga, quam Ecclesia Gentium, ad vsum tamen seculi prior est multitudo Gentium, quam Synagoga Paulo attestante, qui ait: quia non prius quod spirituale est; sed quod animale. Per seniorem ergo Petrum significatur Ecclesia Gentium, per iuniorem vero Ioannem Synagoga Iudæorum: currunt ambo simul, quia ab ortus sui tempore vsque ad occasum pari & cõmuni via, etsi non pari & communi sensu Gentilitas cum Synagoga cucurrit. venit Synagoga prior ad monumentum; sed minimè intrauit, quia legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione & passione Domini audiuit, sed credere in mortuum noluit.* Nimirum tam veteres Patriarchæ, quam Synagoga tota, velut in typo Gentilium Ecclesiam, nonnulli etiam primitias eius figurabant: in quibus longe clarius diuina dona, & solidarum virtutum perfectio velut in archetypo radiarunt, quam in Patriarchis vel etiam Pastoribus. *Isti* ait Rupertus, *nec adorarunt, nec muneribus Christum honorarunt, contenti Christum ad Angeli monitum piè & reuerenter adspexisse: at Magi thesauris & sacrificijs, & diuinis regijsque sunt eum honoribus prosecuti, Gentilitatis totius fidem, cultum & amorem in Christum figurando.* Vt ideo voluerit Deus Regum pietatem copiosè remunerari, quam tot ante Prophetarum & Sybillarum oraculis prænunciarat, ac quibusdam figuris Patriarcharum adumbrauit, quas deinceps perueſtigabimus.

eminentia Ecclesiæ Gentium præ synagoga Iudæorum.

Rupertus.

CAPVT XXXI.

Abel, Seth, Enos spe sua figurant ante diluuium Ecclesiam Christi recens ortam, structoribus sanctis Regibus.

l. 18. C. D. c. 18.

Enos primus collegit cœtum fidelium.

CONSTAT sanctos tres Reges ad initia nascentis Ecclesiæ Christi pertinere: huius S. Augustin. figuram ante diluuium quærit in primis Patriarchis, qua futurus primus cœtus Christianus adumbretur: putatq; Enos Sethi filium similem congregationem piorum hominum collegisse; eamque docuisse spretis terrenis bonis æterna post mortem sperare, & à Deo exspectare præmia. Spem hanc fundauit Enos in fide mortis & resurrectionis Christi, quam Abel & Seth patruus & parens eius nominibus suis figurarunt; nam Abel luctum parentum ex parricidio fratris ortum, & Seth compensantionem pro Abel, seu resurrectionem significat. Initio S. Doctor hanc ponit quæstionem.

figuram Ecclesiæ Christi.

in spe resurrectionis Christi à mortuis. significatæ nominib. Abel & Seth.

Ro. 8.

Quid significatum sit in Abel, & Seth, & Enos, quod appareat ad Christum, & corpus eius Ecclesiam pertinere? Resoluit deinde præmissis Scripturæ verbis: *Et Seth, inquit, natus est filius, & nominauit nomen eius Enos. Hic sperauit inuocare nomen Domini Dei: nempe clamat attestatio veritatis, in spe igitur viuit homo filius resurrectionis: in spe viuit, quamdiu peregrinatur hic Ciuitas Dei, quæ gignitur ex fide resurrectionis Christi. Ex duobus namque illis hominibus Abel, qui interpretatur luctus, & eius fratre Seth, qui interpretatur resurrectio, mors Christi, & vita eius ex mortuis præfiguratur. Ex qua fide gignitur hic ciuitas Dei, id est homo, qui sperauit inuocare nomen Domini Dei. Spe enim salui facti sumus, ait*

A

Apostolus. Spes autem, quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus. Comparat deinde Enos cum Abele & Seth. ac præfert spem eius, spei ceterorum: qua animatus cœpit cogere cœtum bonorum, qui Christi figurarent Ecclesiam. *Nam quis vacare hoc existimet ab altitudine Sacramenti? Nunquid enim Abel non sperauit inuocare nomen Domini Dei, cuius sacrificium scriptura tam acceptum Deo fuisse commemorat? Nunquid ipse Seth non sperauit inuocare nomen Domini Dei, de quo dictum est: suscitauit enim mihi Deus semen aliud pro Abel: cur ergo huic propriè tribuitur, quod piorum omnium iure intelligitur commune, nisi quia oportebat in eo qui de patre generationum in meliorem partem, hoc est supernæ ciuitatis separatarum primus commemoratur exortus, præfigurari hominem, id est hominum societatem, quæ non secundum hominem in re terrenæ felicitatis, sed secundum Deum viuit in spe felicitatis æternæ? Nec dictum est, hic sperauit in Dominum Deum, aut hic inuocauit nomen Domini Dei; sed hic sperauit inuocare nomen Domini Dei. Quid sibi hoc vult sperauit inuocare: nisi quia prophetia est, exoriturum populum, qui secundum electionem gratiæ inuocaret nomen Domini Dei. Hoc est, quod per alium Prophetam dictum Apostolus de hoc populo intelligit ad Dei gratiam pertinente: Et erit omnis, quicunq; inuocauerit nomen Domini saluus erit. Hoc enim ipsum, quod dicitur: Et nominauit nomen eius Enos, quod interpretatur homo, ac deinde additur: Hic sperauit inuocare nomen Domini Dei: satis ostenditur, quod non in se ipso debeat spem ponere homo. Maledictus enim omnis (sicut alibi legitur) qui spem suam ponit in homine, ac per hoc nec in se, vt sit ciuis alterius ciuitatis quæ non secundum filium Cain dedicatur hoc tempore, hoc est mortalis huius seculi labente transcursu, sed in illa immortalitate beatitudinis sempiternæ:* hactenus S. Augustinus. dum Christus vix natus in Bethlehem suam condit Ecclesiam spe cœlestis beatitatis fundatâ adiutoribus tribus Regibus, velut operis industrijs ex Oriente vocatis, qui Iudæos & Gentiles exemplo suo ad eandem vbiq; inuitarunt: ecce Dæmon per Herodem Cainam instaurat operâ Iudæorum ciuitatem, in sola fundatam terrena felicitate, clamantium de Christo *nolumus hunc regnare super nos.* tres Reges Christi diuinitatem & regiam publicant dignitatẽ, ac licet myrrha moriturum agnoscant, auro tamen gloriam rediuiui & regni æternitatem cum amicis eius communicandam profitentur, ac tali spe cœlestis beatitatis & immortalitatis consequendæ erecti, regna sua coniuges & liberos deserunt, vt augeant fidelium numerum: eodem etiam fine mortem oppetituri, vt eo sint similiores, tribus illis Patriarchis tanto spe firmiores quanto plura, à se terrenæ felicitatis, cõmoda abdicarunt amore cœlestium; Hos structores Sionis destructuros Cainam Herodis & Iudæorum ciuitatẽ, præuidit Isaias cum ait. *Ecce istide longè venient, laudate cœli, & exsulta terra: iubilate montes laudem. Venerunt structores tui (Sion) destruentes te & dissipantes (Herodes) à te exibunt. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt venerunt tibi:* & alibi: *Ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi.* innuit idem Zacharias *& qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini.*

Vtumque Enos spe superauit.

collecta congregatione.

spe æternæ felicitatis.

non terrenæ vt Cain.

Tres Reges iuuant in condenda Christi Ecclesia. *Luc.* 19.

muneribus mortem & resurrectionem prædicant.

Isaiæ 49. structores sunt Ecclesiæ. c. 60. 10. *Zach.* c. 6.

CAPVT XXXII.

Sicut Sem, Cham, & Iaphet mundum posteris mortalibus impleuerunt, Sic tres Reges orbem fidelibus replendum figurarunt.

AD ORBEM terrarum eluuione aquarum mortalibus viduatum iterum disseminandum, & hominibus implendum tres elegit Deus Noëmi filios Sem, Cham & Iaphet, qui immensa terrarum spatia partiti, trifariam initio secuerunt, & breui posteritate fecundissima sic occuparunt, vt linguarum etiam varietate nationes inter se moribus diuersas generarent: huic generis humani corporeæ propagationi, & fecunditati felicissimæ sancti Patres comparant fertilitatem seminis Christiani quod tres Reges Christi fidem complexi per omnes terrarum nationes sparsum figurarunt vberrimo fœtu fideles vbique germinaturum, vt nos eorum posteri fœtum cernimus Rupertus cum triadem Regum è maiorum traditione petijsset, causam eius numeri subdidit: *Vt per eos Gentium multitudo, quæ de tribus Noë filijs enascitur ad fidem Christi ventura præsignaretur.* Consentit hoc antiquior Beda. *Mysticè autem tres Magi tres mundi partes significant, Asiam, Africam. & Europam, siue humanum*

trium Noë filiorum propagationi corporali.

SS Patres comparant trium Regum spiritalem fecunditatẽ.

Honorius l. 3. de antiquo ritu missalis.

genus, quod à tribus filijs Noë seminarium sumsit, Pulchrè Honorius Augustodunensis. *Ideo à tribus inueniri voluit, quia à tribus partibus mundi, Asia, Africa & Europa voluit coli.* Idem Anselmus ait, additis Noëmi filijs. *Tres sunt, quia de tribus partibus mundi Gentes veniunt, id est Asia, Africa & Europa: vel quia de tribus filijs Noë procreatæ sunt.* Rupertus meruisse vult, vt orbem fidelem figurarent.

Rupertus in 2. Matt.

Isti, ait, *primitiæ Gentium, neque per Angelum, sed per Spiritum S. modo, de quo iam dictum est, laudem perfecerunt, & tres homines tribus partibus orbis Asiæ, Europæ atque Africæ fidei, vel confessionis, atque adorationis exemplar existere meruerunt.* Figuram in ipsis etiam Hugo Cardinalis agnoscit. *Per istos enim tres*, ait,

Hugo. S. Bruno hom. de Epiphan.

Gentes, quæ ex tribus filijs Noë natæ sunt, venturæ ad fidem præfigurabantur. Vberius his omnibus S. Bruno Carthusiensium Patriarcha idem persequitur. *Non vacat*, inquit, *mysterio, quod tribus solum viris extraneæ Gentes suæ natiuitatis gloriam Saluator noster manifestare voluit: tres fuerunt filij Noë, qui tempore diluuij in arca saluati sunt: ex quibus vbique disseminatum est omne genus humanum: in tres partes totus diuisus orbis mundus, in Asiam, Africam & Europam. Tres igitur isti viri venientes ad* IESVM, *ex omnibus mundi partibus sanctam Ecclesiam in vnam fidem colligendam significabant: siquidem ex tribus hominibus orti sunt omnes, & in tribus mundi partibus habitabant omnes, & vnum Deum in tribus personis adorare debemus omnes: quoniam ab hoc vno creati sunt omnes.* Licet verò postea quarta pars orbis accesserit America, priscis ignorata Patribus, prodierunt tamen etiam

vnde Americani prodierint.

istius incolæ à filijs Noë: vnde & hos suo tempore, vt iam fit, conuertendos isti Reges figurarunt: nam qua fecunditate tres Noëmi filij totum orbem huius & alterius

cœlestis Regũ progenies *Gen. 9.*

hemisphærij corporibus humanis propagarunt, eadem figurarunt orbem totum vbique fidelibus & Christi cultoribus implendum: vnde & his, vt Noë filijs promissum videtur: *Crescite & multiplicamini, & replete terram*; non vt Noëmi posteri plerique impia sobole, sed cœlesti & electa, stellis ideo designata, cui ius esset regni cœlestis adeundi. Illud hic venit obseruatione dignum, Deum generis humani per orbem propagationem linguarum varietate, fidelium autem amplificationem eadem

Discordia genuit nationes varias. *Gen. 11.*

introduxisse lingua. Nam Angelis vel Archangelis præfuturis singulis 72. linguarum nationibus dixit olim Dominus. *Ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* Sicque linguarum multiplicatio genus humanum in varias orbis nationes discriminauit. Contrarium Spiritus S. in fidelibus per orbem dissé-

concordia fideles.

minandis fecit: nam Reges è diuersis ortos regionibus ita gratia sua conglutinauit, vt vna tribus voluntas, idem consilium, eadem lingua videretur, è qua voces eæ proruperunt. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* nec aliter potuere tot Gentes orbis vniuersi moribus, ritibus & religionibus variæ in fidei societatem conuenire, nisi cunctis

Sophon. 3.

idem vt Sophonias ait, labium tribueretur. *Tunc*, ait, *reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Vltra flumina Æthiopiæ inde supplices mei, filij dispersorum meorum deferent munus mihi.* Varietas linguarum & nationum varios induxerat Deos, Iouem, Martem, Belum, Astaroth: nam hi à diuersis populis adorabantur: contra vna Regũ lingua fidei Christianæ consensum genuit, vt Reges ipsi, posteriq; fideles vbiq; terrarum vnum Deum ijsdem ritibus & ceremonijs colerent. *Ecce*, ait, Cyprianus *alienigenæ à fluminibus Æthiopiæ ad*

Ora. de stel. & Magis.

paruulum IESVM *supplices veniunt, & filij dispersorũ deferunt munera; accedunt qui longè erant, in loco humili & supellectile vili Rex Regum & Dominus Dominantium inuenitur, cognoscitur, & adoratur.* Hæc humilitas Regũ meruit Gentibus fidei

& humilitas.

consensionem; ista superbia Nemrodi (dũ suadet turris Babel pro sede regni constructionem ad cœlos vsq; quasi cum Deo Gigantum more decertaturus) linguarum confusionem & diuisionem Gentium inuexit, qua compressa mortaliũ insaniâ tantis opus impendijs inchoatum est ilico dissolutum. At Christi iacentis in præsepio demissio, quã Reges tres sunt imitati, reddidit nationibus idem labium fidei, qui felicius per orbem totum fideles propagarunt, quam Noëmi filij Gentes pleraq; vitijs inquinatas, ideoque supplicijs æternis mancipatas: cum Reges nostri Dei filios fide genuerint relicta illis cœlestis regni hereditate, quam æternum cernerent, si constantes ad vitæ finem ei con-

congruenter viuerent. Ex illis Cham à parente merito maledictus & repudiatus peſſimas genuit ſoboles ipſo patre deteriores. Tres verò Reges omnes ſanctitate conſpicui ſanctam progeniem fidelium ſolam, ſuis virtutum ornamentis ſiue figurarunt, ſiue Chriſti ſeruitio manciparunt. Vnde ſimiles fuerunt Noëmi filijs ſobolis fecunditate, diſſimiles moribus & inſtitutis: ſicut etiam duodecim Apoſtoli totidem Patriarchas Iacobi filios typos ſuos non vitijs, quibus infecti fuerunt horum plerique, ſed virtutibus & læta poſteritate fidelium expreſſerunt, & ſuperarunt.

tres Reges moribus diſſimiles Noë filijs

CAPVT XXXIII.

Abrahami, Iſaaci, & Iacobi virtutes in tribus Regibus emicant.

Fuerunt tres illi celebratiſſimi veteris inſtrumenti Patriarchæ primitiæ Iudæorum & ceteris omnibus Iudæis nobiliores, à quibus vt amicis ſuis integerrimis voluit Deus Abraham, Iſaac & Iacob appellari. Similiter è Gentibus omnibus tres ſelegit Reges, quibus offerret filium recens natum adorandum, per quos regnum Meſſiæ publicaret & qui fidelibus fidei virtutiſque Chriſtianæ exemplar eſſent, cui quicumque ſe confirmarent, hereditatem filiorum Dei nanciſcerentur: Delegam nunc binas virtutes Patriarchis iſtis communes, addamque tertiam ſingulis peculiarem, in quibus ſancti Reges illos adæquarunt.

ſimilitudo horum cũ tribus Regibus.

Fides Abrahami.

Fidem Abrahami commendat Apoſtolus: *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret Pater multarum Gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuum: & non eſt infirmatus fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum iam ferè centum eſſet annorum: in repromiſſione etiam Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit potens eſt & facere.* Celebrat eandem fidem in Iſaac & Iacobo. *Fide benedixit Iſaac, Iacob & Eſau. Fide Iacob moriens ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius.* Vterque prævidit oculis fidei filium natu maiorem minori ſeruiturum, ſynagogam Eccleſiæ Chriſtianæ, quod ſuis benedictionibus Iacobo & Ephraëmo datis, non Eſau & Manaſſe velut in ſigno expreſſerunt.

Rom. 4.

Iſaaci & Iacobi.

Heb. 11.

Altera communis omnibus obedientiæ raris à Deo factis experimentis probatio. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac, & vade ad terram viſionis, atque offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium.* Sed iam ante etiam Deus idem parendi ſtudium fuerat periclitatus dicens: *Egredere de terra tua, & cognatione tua, & de domo patris tui & veni in terram, quam monſtrauero tibi, faciamquè te in Gentem magnam*: pari modo voluit Deus Iſaaci obſequendi ſtudium experiri: *ne deſcendas in Ægyptum*, ait, illi Dominus: *Sed quieſce in terra quam dixero tibi: & peregrinare in ea, eroquè tecum & benedicam tibi*: ſimiliter & Iacobi Deus explorauit obedientiam Gen. 35. *ſurge & adſcende Bethel & habita ibi, facquè altare Deo: qui apparuit tibi*: & c. 46. *noli* (iubet ei Deus) *timere: deſcende in Ægyptum, quia in Gentem magnam faciam te ibi, ego deſcendam tecum illuc: & ego inde adducam te reuertentem*: ita fidem & obtemperandi ſtudium Deus in Patriarchis iſtis & commendauit & largè fuit remuneratus: ſufficiat mercedem Abrahamo promiſſam, & Iſaaco Iacoboquè ſæpius à Deo noua ſtipulatione confirmatam attuliſſe: per *memetipſum iuraui dicit Dominus: quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me. benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in litore maris; poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum & benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ: quia obediſti voci meæ*: eadem promittit Deus Iſaaco c. 26. eadem Iacobo c. 28.

Obedientia Abrahæ duplex. Gen. 22.

Gen. 12.

Gen. 26. obedientia Iſaaci & Iacobi.

Merces ijs redditur.

Gen. 22.

Cum ijſdem fœdus antea cum Abrahamo ſancitum inſtaurauit.

instaurauit. Statuam, dixerat Abrahamo, *pactum inter me & te, inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.* In quem finem adiecta litera nomen ipsius auxit, vt deinceps Abraham seu pater multarum Gentium diceretur. In nostris tribus Gentilium Patriarchis non minor fides, constantia, & obsequendi promtitudo reperitur. Ac de fide in illos, quod in Centurionem cadit eloquium Saluatoris: *non inueni tantam fidem in Israël*; Arabicus habet: *in vno ex Israël*: Audet S. Chrysostomus huius Centurionis Gentilis fidem fidei sanctorum Apostolorum anteponere. *Credidit Andreas; sed Ioanne dicente: ecce agnus Dei, credidit Petrus; sed euangelizante sibi Andrea; credidit Philippus: sed legendo scripturas; & Nathanael prius signum diuinitatis accepit, & sic fidei confessionem obtulit.* vt meritò Christus occasione fidei istius cœperit Gentium vocationem, & repudiationem Iudæorum his verbis prædicere: *dico autem vobis, quod multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores*: quia horum fidem Gentiles erant imitaturi, quibus terra Chanaam fidei merces à Deo fuit repromissa typus cœlestis beatitatis; ideo fidei talis imitatores, hereditatis eiusdem accipiunt cum ijsdem Patriarchis stipulationem.

Fides Regum.

similes fidei Centurionis.

quæ fidem Apostolorum superat.

Matt. 8. 11.

Sed Reges isti Centurionis fidem longè superarunt: erat Christus iam tum, confirmata ætate vir, speciosus præ filijs hominum, cuius Angelico longè diuinius eloquium, & continua miracula tota Iudæa peruulgata, clarum diuinitatis dabant vbique testimonium: quod turbæ sequentis innumera multitudo comprobabat, vt non posset non in spem venire sanitatis ab ipso misericordiæ patre famulo precibus obtinendæ, quando plenæ ciuitates, oppida, vici, domus, sanis ab omni morborum diritate, cæcitate, leprâ, & quibuscunque malis passim liberatis erant: nec deerant rediuiui, qui Christi diuinitatem vbiquè testarentur: nihil istorum Magi viderant, vel audierant: imò quod mirabilius est, pro rege pauperem reperiunt, & pannosum infantulum, inter pecudes, in stabulo vagientem, & eum tamen primi post homines natos Regem salutant: quis vnquam audijt aut legit talibus in sordibus infantulum Regem à subiectis adoratum? & hi tamen exteri Reges vltro seipsos, vt Deo Regique subdidere: Patriarchas istos tres Deo fidem tribuisse cui mirum est? vocem loquentis audiebant: promissis ingentibus inuitabantur: fidem pactam rei veritas comprobabat: at Reges quibus conuentis & receptis inuitati? quanta tamen fide, religione, & cultu tenerum infantulum sunt venerati? Iure propterea fidem horum præfert omnibus alijs sanctus Bernardus. *Quorum*, ait, *Magorum fidei deuotio vobis hodie proponitur in exemplo: cui enim comparabimus, & cui similes æstimabimus viros istos? Si latronis fidem, si Centurionis confessionem considero: in eo supercellere videntur isti, quod iam tum miracula multa fecerat: iam tunc à multitudine prædicatus fuerat, à multis adoratus: attamen considerem us, quod & illi dixerunt, clamabat latro de Cruce: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum: quis indicauit tibi, quoniam oportebat Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? tu quoque Centurio vnde eum nosti? videns quod sic clamans exspiraſſet? verè, inquit, hic filius Dei erat: mira res & omni admiratione digna: propterea rogo vos, intuemini, & videte, quam occulata sit fides, quam lynceos oculos habeat diligentius considerate: cognoscit Dei filium latentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem: siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo; cognoscit ille clauis infixum, hi pannis inuolutum; Centurio interim cognouit in morte, isti Dei virtutem in teneri corporis infirmitate: ille summum spiritum in exspiratione, isti Dei verbum in infantia cognouerunt, siquidem quidquid illi sermonibus confitentur: Latro regem, Centurio Dei filium simul & hominem pronunciat: & hæc tria ipsa Magorum munera indicant, nisi quod thure non tam Dei filium, quam Deum ipsum monstrauere*, ita longè præfert fidei latronis & Centurionis fidem Magorum, cui parem in Israël Christus non inuenit.

Fides maior in Magis quam Centurione.

superant ea Patriarchas.

S. Bern. s. 2. de epiph.

Lucæ 23.

De

De obedientia vero ſanctorum Regum & probationis à Deo de ipſis ſumtæ experimento, quid dicam? vtrique veteris & noui teſtamenti Patriarchæ de terra ſua & cognatione iuſſi ſunt egredi in regionem, quam Deus illis erat indicaturus, vnde varijs tota vita peregrinationibus moleſtis & periculoſis exerciti non in vrbibus & domibus, ſed tentorijs, & campis habitabant. At Reges noſtri multo difficiliore, remotiore, periculoſiore itinere, iniquiſſimo anni rempore iuſſi ſunt regnis relictis ſtellam præuiam ſequi. Quorum conſtantiam cum Deus duce viarum ſtella ſublata periclitaretur, viros ſe & Reges ſui ipſorum victores oſtenderunt, humanis etiam vſi ſubſidijs cum diuina ſubtraherentur: vt voluntati vocantis Dei obſequerentur; & Patriarchæ quidem veteres tantis pollicitationibus terræ Chananitidis octo regnorum per poſteros obtinendæ vocabantur: Reges vero noſtri viſa domini pauperie ad regna propria deſerenda, & amplectendam voluntariam inopiam fidemque Chriſti vbique Gentium propagandam ſpe cœleſtis regni cum vitæ periculo ſtimulis occultis excitabantur: quibus etiam omnes paruerunt.

obedientia Magorum, præ Patriarcharum.

in peregrinatione.

Sed in Abrahamo præcellere videtur obedientia, qua filium (in cuius ſemine Gentes omnes prædictum erat benedicendas eſſe) libenter voluerit Deo iubenti immolare: at non minus demirandum exiſtimo regna, coniuges, liberos & facultates omnes amore Chriſti penitus à ſe abdicare, nec vilam fluxorum bonorum curam gerere, vel poſteritatis ſecuturæ, quam *contra ſpem in ſpem credere* filium ſemel immolatum & à Deo rurſus ad vitam reuocatum promiſſa diuina largè recepturum: & eius progeniem ad finem vſque mundi duraturam. Etiam in Patriarchis ſingulæ quædam virtutes eminuerunt, in Abrahamo ſingularis hoſpitalitas, in Iſaaco contemtus præſentis vitæ: in Iacobo rara cum Deo in aduerſis coniunctio: vnde pluribus fuit à Deo viſionibus illuſtratus, & clarius Meſſiam exſpectationē Gentium prænunciauit: notæ ſunt virtutes iſtæ ſingulorum, ideo nec opus eſt fuſius eas proponere: neq; tamen præterire queo S. Chryſoſtomi luculentam hoſpitalitatis Abrahæ commendationem, dum ſingula verſus iſtius enucleat verba: *apparuit autem ei Deus apud quercum Mambre, ſedente ipſo ad ianuas tabernaculi ſui meridie. Conſidera*, ait, *hic oro virtutem iuſti: ſedente, inquit, ad fores tabernaculi ſui: tantopere curabat hoſpitalitatem, vt nollet hoſpitum venationem cuipiam familiarium committere; ſed trecentos decem & octo habens vernaculos homo ſenex, & nunc decrepitæ ætatis (centenarius enim erat) apud ianuam ſedebat: & hic quidem hoc ſummo ſtudio curabat, & neque ſenectus illi obſtaculo erat, neque ſuæ quietis cura, neque intus ſuper lectum recumbebat, ſed ad oſtium ſedebat, alij autem ſæpè non tantum ſtudium adhibent; ſed & plane diuerſum, & horum congreſſus fugiunt & deuitant, vt ne inuiti cogantur excipere, verum non iuſtus ille ita agebat; ſed ſedebat ad ianuam meridiè, hoc enim valdè auget hoſpitalitatem & virtutem iuſti. Et meridiè inquit hoc faciebat: meritò quoniam ſedebat, quod quibus eſt itineris neceſſitas eo tempore maximè indigent cura, proinde tempus hoc, vt idoneum elegit, & ſedens eos, qui præteribant, venabatur, pro ſua quete ducens miniſtrare viatoribus, & eos, qui calore æſtuabant ſub tectum introducere ſtudebat, non curiosè explorans eos, qui præteribant, neque inquirens, an noti, vel ignoti eſſent, neque enim hoſpitalitatis fuerit diligenter ſingula perſcrutari, ſed omnibus ſimpliciter ſuam communicare benignitatem: & quia hoſpitalitatis ſagenam expanderat, meruit & vniuerſitatis Dominum cum Angelis ſuis ſuſcipere: ea propter & Paulus dicebat hoſpitalitatis ne obliuiſcamini. Per hanc enim quidam neſcij Angelos exceperunt hoſpitio, Patriarcham omnino inſinuans: atque ab hoc Chriſtus dicebat, qui ſuſceperit vnum ex his minimis in nomine meo me ſuſcipit. Viſis autem tribus viris, & nulla infirmitatis ſuæ ratione habita ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilque ruſticitatis vel deſidiæ præ ſe tulit, cucurrit, quaſi diceret: magnus theſaurus eſt, magna negotiatio: per memetipſum hanc mercedem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum* hæc S. Chryſoſtomus, qui etiam alibi pulchrè exponit cur Deus Abraham voluerit nominari: *conſidera benignitatem Dei: nam cum dixiſſet, ego ſum Deus Abrahæ patris tui, oſtendit, quomodo*

& filio immolando.

In ſingulis, Patriarchis virtutes ſingulæ peculiares.

S. Chry. hi. 41. in. cap. 18. genes. hoſpitalitas Abrahami.

ſenex venatur ipſe hoſpites.

meridie.

non explorās conditionem. eorum.

Matt. 18.

viſis hoſpitibus aduolat.

Homil 52. in 26. gen.

Homil 32. in 26. Gen.

sibi vindicauerit & proprium fecerit Patriarcham, ita vt dignatus sit se vocare Deum Abrahæ, & Dominus orbis, ac conditor vnius hominis Deum se dicens non concludit, & abbreuiat cum Patriarchæ appellatione suum dominium, sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat: ita, inquit, cum mihi feci proprium, vt apud me reputetur tanti, quanti alij omnes.

our Deus dicatur Deus Abraham.

O industriam, celerem & laboriosam hospitalitatem Abrahami, sic venantis aduenas; sic visis illis aduolantis: sic per se ipsis famulantis, quasi beneficium accipere, non verò dare videretur! Maior tamen ea Regum liberalitas & hospitalitas, qui vt ipsi Deo (non Angelis tantum) hominem induto deseruirent, quadringentas fere leucas, hieme asperrima, Reges ipsi, tanta velocitate, per mille pericula vitæ properarunt, vt inopiæ tenelli & pauperis infantuli suis allatis thesauris subuenirent: ideoque nec abhorruerunt subire casam, vel antrum potius sordidissimum, vt pecudes inter iacenti Domino, quibus possent obsequijs ipsi per se famularentur, parati diutius ibi subsistere, totamque vitam eius seruitio se mancipare, nisi per quietem à Deo moniti iussi essent in patriam remigrare, ne quod periculum puero, vel ab Herode vel à Romanis obstationem diuturniorem crearetur; itaque relictis ibi thesauris suis, regiam suam munificentiam declararunt, vt suis saltem opibus parentum inopiæ & puero iam in Ægyptum abiturienti subuenirent. Iam verò de promtitudine moriendi pro Christo quis dubitet, quin mortis contemtum Isaaci superarint: dum in apertissimum mortis discrimen capita coniecerunt, cum coram tyranno regni inuasore legitimi regis ortum & regni ius prædicarent. Laudat & suo testimonio corroborat Doctor Angelicus illud ex operis imperfecti autore dictum de Magis: *adhuc non viderant Christum & iam parati erant pro eo mori*: præsertim cum multi velint, eos postea pro fide Christi sanguinem profudisse.

tanti Deus eum fecit quãti omnes.

maior Magorum hospitalitas & liberalitas.

velocitas in subueniendo.

promtitudo seruiendo.

regia magnificẽtia.

Denique coniunctio eorum cum Deo, & fiducia in aduersis, quam admirabilis? quem vt coram oculis suis contemplarentur, tot itinera susceperunt: Vnde cum Iacobus *Messiam exspectationem Gentium* nominauit, ad literam videtur de ijs Magis intelligendus, qui cum pluribus creduntur non leui fundamento, multis annis ante (Sibyllorum oraculorum monitu) stellæ nouæ exortum exspectasse. Ideo mox ea visa, per tot pericula ad ipsum accurrerunt: vt pullum Gentilitatis vineæ Christi (sicut prædixerat Iacob) alligarent: & ipsi Gentium mererentur esse Patriarchæ, quorum fidem & constantiam nationes orbis vniuersæ sequerentur. Ad Abrahamum redeo: cui Ildephonsus Giron sic Reges confert. *Abraham de terra longinqua & ab Oriente nempe Vr Chaldæorum siue de igne, quem Chaldæi adorabant ab ea regione Idolorum culturæ dedita magno Dei beneficio segregatus & vocatus est, vt esset pater fidei, & constitueretur pater multarum Gentium. similiterque Magi tanquam heredes fidei Abrahæ ab Oriente Vocantur: vt sint primi prædicatores, & Euangelistæ, atque parentes totius Gentilis multitudinis*; sed Salmeron præfert Magorum fidem, *quæ fides* ait, *Magorum, si non maior, par tamen illi Abrahæ fidei potest videri; nam vt ille primo exijt de terra sua ad imperium Dei, sic isti solo ductu stellæ nullo alio, quod quidem legitur imperio diuino ad Christum venerint: ille confisus verbo Domini venit in terram, quam nesciebat. Sic isti in terram, quam ignorabant: deinde exijt Abraham in spe, quòd esset futurus in gentem magnam: istis nihil est tale promissum, imò cum diuites & sapientes essent domi suæ, omnibus tamen propter Christum adorandum ad tempus nudati sunt. Adhæc promissus est Abrahæ Christus Gen. 15. in quem credidit, & reputatum est ei ad iustitiam Rom. 4. at isti non crediderunt tantum, verumetiam in regia ciuitate coram hominibus apertè confessi sunt: neque deterriti stabuli paupertate, squalore & fœtore eum adorarunt: denique Abraham egrediens de Vr Chaldæorum fugiens imminens periculum ignis: quod nollet adorare eorum idola, vt dicitur Iudith. 5. isti sponte & sine necessitate egressi sunt, de regno suo & obtulerunt munera Saluatori: item venerunt Magi vt fidem Christi profiterentur in confusionem Iudæorum.* Consentit Regius: *obstupescimus Abraham exijsse de terra sua, & cognatione sua, vt Dei pareret imperio: sed nescio qui fiat, maius quiddam elucere in his Magis videtur, quod Abrahæ fidem pluribus capitibus excedat: ille vt exiret mandatum habebat a Domino: isti nullum præceptum acceperant: sed cum liberum illis esset, exiere tamen de ter-*

coniunctissimi fuerunt cũ Deo.

vt Iacob Patriarcha. *Gen. 49. 10. v. 11.*

in festo Epiph.

alij autores præferunt eos Patriarchis.

Salmeron 3. tract. 38. f. 345.

Regius in 2. Mat. l. 1. c. 10.

terra sua & de cognatione: ille licet loci nomen & situm, quo pergeret, ignoraret, certus tamen erat, quod peruenire ad destinatum locum. Deus enim erat, qui vt proficisceretur, mandabat: isti non itidem: ille magnis promissis euocatus est, faciamque te in gentem magnam, dictum est illi: istis pollicitatio nulla facta est: terram ille deseruit, in qua manere illi haud tutum erat: isti cum tuto agerent in terris suis, aliena adiere per aperta pericula; quod autem Abrahæ non esset tutum inter suos degere constat Iudith. 5. vbi scribitur Abraham & totam familiam Thare persecutionem esse passam à Chaldæis ob veram pietatem, ob cultum nempe vnius veri Dei. Iam velim vide, in quod se discrimen coniecere Magi: erat Herodes, si quis alius superbissimus & per tyrannidem regnum inuaserat, interfecto Hircano. Itaque vel regem alium nominare in ea vrbe, vbi ipse regnabat, quid rogo erat aliud, quam se manifesto periculo exponere? fecerunt tamen isti: tanto fidei & deuotionis ardore tenebantur. Ita nihil concedit virtus sanctorum Regum virtutibus tantorum Patria charum: de meritis & gloria temerarium est mouere terrigenis quæstionem: nos progenitorum fidei nostræ velut genuini filij posterique mores & exempla vitæ constanter imitemur: vt in quam Dei filiorum hereditatem cœpimus die Epiphaniæ ducibus sanctis Regibus introire, ab ea nec in morte velut degeneres & spurij repellamur.

CAPVT XXXIV.

Iobus Christi, tres eius amici reges, Sacerdotes & sapientes personas Trium regum gerunt.

Iobo nemo ætate illa sanctior.

EXIMII sa Deo laudibus, Iobus commendatur, negat enim ei similem in terra repertum esse eo tempore, quo Ioseph ceterique Patriarchæ, & Iacobus ipse vitam traducebat: qui licet tot à Deo miserijs & calamitatibus septennium, vt quidam putant, affligeretur, quantis post homines natos vix alius; nullius tamen sibi grauioris noxiæ conscius fuit: id Origenes rectè miratur. *Mirifica fuit iusti fiducia:* *Iob. 22. 5. 6.* qua non modo vita eius superior, sed ærumnosi etiam *temporis conditio nitebatur, vt dicere non dubitauerit, quod deinde Paulus vsurpauit: nihil mihi conscius sum.* In Iobum vnum omnes omnium dignitatem tituli conuenerunt, quales libro primo sanctis etiam Regibus adscripsi. Fuit enim primo *Patriarcha* populi tertius mundi, qui extra Israëlitas Deum verum stabili & recta pietate ac religione venerabantur, imo præ Patriarchis multis Israëlitarum, multiplex figura Christi Domini, & perspicuè, vt paulo post demonstrabo, tres Reges repræsentauit. Deinde *Prophetam* fuisse tam clara nascituri Christi & rediuiui à mortuis attestatio conuincit, vt nemo quisquam ante eum diem protulerit manifestiorem; *Regem* subiectis multis imperasse, docet ea verè regia magnitudo animi aduersus potentes, summa comitas & mansuetudo aduersus tenuiores, iustitia, clementia & sapientia aduersus omnes. Adhæc *Sacerdotem* egisse, munus ipsum sacrificandi pro filijs & amicis Dei iussu obitum satis indicat. Præterea *Martyrem* eum sancti Patres faciunt: quid dico Martyrem? S. Chrysostomus sexcentis eum Martyribus audet adæquare. Fuit etiam *Doctor* Gentium scriptura teste, quas de fidei mysterijs abditissimis, vt de verbo corporato, de anastasi mortuorum, de peccato genitali erudiuit: hoc ei laudi ducit Eliphaz c. 4. *ecce docuisti multos & manus lassas roborasti: vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti.*

caruit peccato graiore etiã in morbis.

Patriarcha fuit Gentilis populi extra Synagogam Iudæorum.

Propheta. Rex.

Sacerdos. Martyr *S. Chrysost. hom. 4. in 2. Cor.* Doctor Gentium. *c. 4.*

Denique sapientissimus Regum sui temporis habebatur, vt liceat vni libro Iobi & subtilissimis eius disputationibus ex vero tribuere: quod Origenes de sacra scriptura asserit vniuersè, diuina inquit *scriptura mundus est intelligibilis, suis quatuor partibus, velut quatuor elementis constitutus, cuius terra est veluti in medio, instar centri historia, circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiæ, circa historiam & Ethicam veluti duas præfati mundi inferiores, aër ille naturalis scientiæ circumuoluitur: extra autem omnia, & vltra æthereus ille igneus autor empyrij cæli, hoc est supernæ contemplationis diuinæ naturæ, quam Theologiam nominant, circumglobatur.*

sapientissimus & Trismegistus. *Origenes in 1. Iob.*

Certè passim hoc lib. creatio terræ, maris & vniuersi: generatio meteororum, vires gemmarum & mineralium: naturæ piscium, dotes auium, iræ quadrupedum: morales virtutes, diuinæ maiestatis attributa clarissimè describuntur: quæ summam arguunt Iobi diuinam humanamque scientiam: qua solitus fuit subiectos sibi populos ad omnem virtutem informare; ideo Pineda noster Iobum *fermento* comparat, *quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Namque Regum ait & Principum pietate quasi in subditorum animis abscondita fermentatur totum regnum, & diuino spiritus igne præparatur.* Comparat deinde Iobo & fermento tres item Reges. *Tres* inquit *profecto Orientis Reges in Christi recens nati fide instructi atque edocti, velut tria fermenti frusta, ad tria sua regna redierunt, quod singuli non satis farinæ singulis, sed singulis regnis fermentandis, & ad veram fidem & religionem adducendis satis essent*, hæc Pineda.

Fermento comparatur. *Pineda in l. 2. v. 2. Luc. 13.* figurat tres Reges totidem fermenta.

Vt mihi sanè Iobus ille virorum integerrimus videatur expressa fuisse Regum nostrorum imago. Quos etiam supra docui Patriarchas, Prophetas, Reges Sacerdotes, Martyres & Doctores exstitisse. Imò Iobus videtur prælusisse ijs, quæ ipsi postea ad regnorum suorum & aliarum Gentium conuersionem præstiterunt. Quo Pineda noster locum quendam Prosperi & regij Psaltis trahit. *Obserua*, ait, *cum Prospero id, quod multum facit ad sanctitatem, & encomium Iobi, Gentium, ad veram fidem Christi, conuersionem quodammodo in Iob præfiguratam. Iam inquit per iustum virum tranfitura Christi vestigia ad Gentes signabantur. De quibus Dauid in persona eius dicit, in Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt; quasi diceret: redigam in meam potestatem, atque possessionem, penitusque subijciam, sed ita tamen, vt subiectum populum non habiturus sim vt mancipia, sed amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo nota faciam eis. Tum etiam promittit Christus extensurum proiecturumque se calceamenta in Idumæam, id est: sua incarnationis atque conuersationis cum hominibus mysteria Gentibus reuelaturum: hæc enim per calceamentum intelligunt sancti Patres Luc. 3 & Mat. 3. huius igitur corrigiam soluit atque portauit S. Iob, dum Christi fidem habuit, atque decantauit Prophetico illustratus lumine c. 19. in carne mea videbo Deum saluator meum, cum quo illud facit, quod Rabbi Himmanuel apud Pagninum in radice ngbal ait in eo loco psalmi 60. non solum calceamentum, aut compedem legisse; sed etiam chirothecam meam: mos enim, inquit, erat Regum, cum aliquam obsidebant vrbem fortem, vt chirothecam proijceret Rex intra vrbem, significans nunquã se ab ea recessurũ, nisi capta vrbe. Porrò antiqua solemnisq; fuit consuetudo apud Hispanos bellica ceremonia, vt qui alterum lacesseret ad singulare certamen hosti præsenti & hostiliter appellato in multorum oculis chirothecam proijceret, illumque deposceret ad pugnam. Vnde etiam affirmare possis, Deum veluti extendere calceamentum, & contorquere chirothecam in dæmonum turbas viro sanctissimo atque fortissimo Iobo inter Idumæos constituto, atque Angelorum hominumque circumfusa multitudine auidè exspectante furialibus dæmonum exercitibus, bellum denunciare periculosum, & acerrimum, vides igitur vt tres Reges, qui ab Oriente venerunt primitiæ Gentium Deum hominem adoraturi, & Regem Iudæorum veneraturi, præuium alium Regem habuerint, magnum inter omnes Orientales & quasi pignus etiam Gentium, qui non minori Deum hominem videndi arsit desiderio, videbo, inquit, in carne mea Deum saluatorem.*

Pineda n. 34. Prosper de præduct. l. 1. 22. ac conuersionem futurã Gentilium. *Ie. 15.*

quæ calceamenta. Christi?

soluit ea Iobus

modus in bello vel duello proijciendi chirothecam.

Deus contorsit eam in dæmones per Iobum.

figuram SS Regum.

Iob 14.

Fuit igitur Iobus Regum nostrorum imago & forma; idem Rex, idem sacerdos, & sapientissimus: fuit etiam typus excellentissimus saluatoris, qui eadem officia voluit viuus sustinere.

passionis Christi.

Atque vti Magi plus muneribus, quam verbis dignitatem, & conditionem personæ Christi expressêrunt, sic Iobus plus patiendo, quam loquendo dominicam perpessionem prophetauit: teste Gregorio: *nam per ea, quæ pertulit, quæ passurus esset Redemtor, ostendit, vt tanto verius passionis illius sacramenta prædiceret, quanto hæc non loquendo tantummodo, sed etiam patiendo prophetaret.* Nolo per singula ire: præstitere id copiosè Salianus & Pineda noster, qui eum vt Christi, orientis, docentis, patientis & relurgentis imaginem proponunt. Mihi sufficit eum & Christum Orientem seu nascentem significasse: *vir erat* (scriptura teste) *Iob in terra Hus*:

Gregorius.

Pineda Salianus.

consi

consilium denotat vox *Hus* & rectè dicitur Christus in terra *Hus* in stabulo quieuisse, dum in matris gremio resideret, quam bene S. Gregorius hic *consiliatricem*, & *sapientiæ matrem* nominauit: nam de ea dictum est Prou. 8. *ego sapientia habito in consilio*. Vbi tunc habitabat, cum à sanctis Regibus fuit adoratus: sed nunquid Christum licebit Iobum, dum nascitur appellare? licebit verò; nec aptior in stabulo conuenit ei nominatio: nam S. Hiero. Greg. Chrysost. Iob interpretantur dolentem & gementem: nunquid in stabulo Christus licet infans, *tamen vir dolorum, pauper & dolens, & sciens infirmitatem*: cum inter animalia, summa hyeme tempestate gelida corpusculum infantuli nudi rigeret frigore: stillarent oculi lacrymis, tremerent infantilia membra? iam tunc vti magnus inter omnes Orientales Iob: ita pueruli Christi, *Oriens nomen eius*, & ipse Reges Orientis ad sua traxit incunabula, nouitate tantæ vilitatis filij Dei attonitos, non minus, quam erant amici Iobi tres confines Reges Orientales cum ad sterquilinium Iobi accessissent, vt ægrum solarentur: *ipse lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, hos Orientis Reges illustrauit luce fidei, quam ipsi postea Gentibus communicarunt.

& natiuitatis eius.
S. Gregorius Prou. 8.
Christus nascens verus Iob dolens *Isa 53.*
Oriens dictus.
attraxit & illustrauit tres Reges

Sed Iobi miseriam, & amicos solatores attentius consideremus, septennium ipsum (vt sanctorum Patrum quidam volunt) Iobus dirissimis morbis fuerat conflictatus, extremus autem annus sub finem ea dolorum habuit incrementa, vt cum pestilentissimus vlcerum fœtor, continua scaturigo vermium, purulenta sanies decidua sic cuncta domus loca mephiti non amplius toleranda contaminaret, fuerit ad sterquilinium deferendus: huius inusitati spectaculi fama cum latè vulgaretur, exciuit tres confines Reges amicos Iobi, *qui condixerunt* (ait scriptura) *ipsi inter se, vt pariter venientes quisque de loco suo visitarent eum & consolarentur*. Iam vrbis mœnibus propinquabant, eminus cernunt lugubre spectrum, cadaueris potius, quam hominis: vix Iobum esse credebant: hic Dei occultam prouidentiam venerantur: & ad Iobum conuersi pariter in singultus & eiulatus prorumpunt, attoniti rei nouitate, & affectu commiserationis perculsi: tum se in terram abiciunt, septem ipsos dies assident dissectis vestibus, & capite puluere adsperso, testantur dolorem & commiserationem.

ob extremam calamitatem Iobi.
Iob 2. 11.
aduenium tres amici.
stupent commiseratione.

Videor in his mihi videre Reges nostros tres Orientis, cum stante stella stabulum introissent, ac infantulum cœli terræque dominum, & Regem Angelorum è præsepio leuari cernerent in sinum matris, inter pecudes: tam inusitatæ rei nouitate attonitos hæsisse, mox in terram prostratos ac fixis in infantulum oculis diuturno silentio stuporem indicasse; nec enim quid dicerent succurrebat: cum oculis coram intuerentur tantam maiestatem hominum amore se ad paupertatis & inopiæ abyssum demisisse, vt fastum mundi supprimeret, veramque nos doceret gloriam in humanarum rerum omnium despicientia collocari: tunc nimirum in lacrymas pariter resoluti, anteactæ vitæ superbiam suam defleuerunt: quam innocuus ille pusio Dei filius tanto sui ipsius contemtu lueret: & coronis sceptrisque positis, & ad pueri pedes abiectis, omnem mentis elationem exuerunt. O si & nos sæpius contingeret & Iobi Regis in sterquilinio, & Christi in præsepio meminisse, & horum exemplo Regum fastum omnem & mundi gloriam vt stercora cum Apostolo calcaremus, futuri hoc magis in cœlo glorioſi inter beatos, quo mundo contemtibiliores.

similiter.
similis ss. Regum visa paupertate Christi admiratio.

Congruentur dictis Besseus *tres*, ait, *amici Iob, qui Tob. 2. Reges appellantur: cum in sterquilinio vlceribus plenum sedentem conspexissent, illacrymari cœperunt, oculis & manibus cælo erectis, quos credibile est tres Reges imitatos, dum Christum in præsepio iacentem, & inter animalia vagientem, in summa egestate & inopia cernerent, perculsos stetisse, & vbertim præ commiseratione lacrymatos iuxta illud psl. 47. Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum, ipsi videntes admirati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* Abſit tamen, vt in Reges nostros cadat ea Iobi iusta reprehensio, *onerosi consolatores omnes vos estis*: fuere sanè Christo exspectatissimi, gratissimi, carissimi, qui se suaque omnia recens nati seruitio consecrarunt. vt & speciem referant amicorum, qui restituta Iobo pristina sanitate venerunt ei gratulatum, cum muneribus, & ij quidem, vt ex Tobia vidimus, Reges erant, simulque sacerdotes, vt illa Dei verba significant: *& holocaustum afferte pro vobis*: erant & sapientia diuina humanaque politissimi, quod argutæ eorum de diuinis attributis, meteoris, mundique molitione disputationes indicant, sæpè enim de sup-

Besseus in Epipha.
erant amici isti Reges *Iob 42.*
sacerdotes.

plicijs

sapientes. plicijs impiorum, & præmio iustorum, sæpè de prouidentia, sapientia, & iustitia Dei differunt, de Angelis frequenter: de Physicis etiam sapienter meminerunt: passim patientiæ vel aliarum virtutum officia persequuntur; & licet minores eorum propositiones ac conclusiones: deductas ex quadam ignorantia sanctus Iobus interdum neget. interdum erroris eos rearguat, quoties id res exigit: principia tamen doctrinæ & maiores propositiones non inficiatur, hinc rectè sic Origenes vniuersè de scientia eorum loquitur. *Quæ diuini spiritus consilio habentur, digna, quæ literarum monumentis insigniantur, ideo scribuntur: vt qui in ea incidit, ex eorum lectione capiat vtilitatem: quare trium amicorum Iobi sermones nisi fructuosi essent, nunquam diuina prouidentia passa esset, vt in librum Iobi conferrentur.* Hinc ipse S. Apostolus Eliphaz. c. 5. laudat & probat effatum, *comprehendam sapientes in astutia eorum.* Sed cur igitur à Deo verbis istis corripiuntur, *non estis coram me locuti rectum, sicut seruus meus Iob.* Respondet S. Anselmus, *qui dixit non estis locuti coram me rectum, ilico adiunxit, sicut seruus meus Iob: licet ergo quædam in dictis eorum recta sunt; sed meliori comparatione superatur. Nam inter alia, quæ irrationabiliter dicunt ad beatum Iob; fortes multas sententias proferunt, sed comparatæ dictis fortioribus vim fortitudinis amittunt.*

reprehenduntur ob ignorantiã rerum aliquarum.

1. *cor.* 3. S. Paulus vtitur eorum testimonio.

Fideles certè fuisse pios que & probos viros amicitia cum Iobo persuadet, ideo scriptura ait, *condixerunt, vt pariter venientes consolarentur, sederuntque cum eo in terra,* sunt hæc officia verorum amicorum: qui nec desertum ab alijs in aduersa fortuna derelinquunt; imo & sanctos eosdem fuisse docet Origenes initio lib. 3. Olympiodorus hic, Chrysostomus in præfat. catenæ; & alij multi eos Prophetas nominant: nam cum Deo non familiariter tantum loquuntur; sed & diuinas imagines & affiatus occultiores accipiunt: vnde rectè sanctorum Regum ipsi Reges, Prophetæ, ac sacerdores personas sustinent, ijdem vncti & Christi, adeoque Trismegisti dici possunt, triplicis enim generis personæ inungebantur, sacerdotes, Reges, & insignes Prophetæ, erant hi summa generis humani capita, populique gubernatores: sacerdotes in spiritualibus, quæ diuinam attingunt maiestatem; Reges in moribus politicis & terrenis bonis procurandis; Prophetæ potissimum ea tractabant, quæ legem, doctrinam & sapientiam attingunt, vt vtrique rectius ex diuina mente suis in negotijs dirigerentur: quæ tria præcipuo quodam modo in Christo Saluatore, eminuerunt, eius enim regnum prædixit Angelus: *ipse regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis:* sacerdotium psalmographus: *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech;* & prophetiæ donum Moyses promittit Dei nomine: *Prophetam de gente tua, & de fratribus, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies:* ideo voluit à SS. tribus Regibus simul Prophetis & sacerdotibus primis sacrificijs & muneribus honorari: vt suis ipsi personis: sicut muneribus Christi nati dignitatem adumbrarent: hos etiam voluit Reges in tribus amicis Iobi figurari, qui Regis amici solandi causa conuenerunt, licet errore lapsi, & quadam ignorantia decepti, leuius deliquerint, ideoque quandoque personam videantur hæreticorum induisse.

sancti fuerunt.

& Trismegisti.

vt & Christus *Luc.* 1. *Psal.* 109.

Deut. 18. 15. ac tres Reges.

CAPVT XXXV.

Matrimonium Isaaci, Iacobi, & Moysis iuxta fontes typus est matrimonij Christi cum Gentilitate contracti in Bethlehem.

Dei amor in homines.

DEi filius, cuius sapientia mundus est procreatus, & prouidentia gubernatur, cum vellet amoris sui vehementiam, quo Gentilem populum vnicam & dilectam Rachelem suam, & nos posteros prosequitur, significare, varijs typis eum sæpius figurauit in veteris instrumenti Patriarchis, prænunciando desiderium, quo ipse ab æterno exarsit, suum nostri amorem atrocissimo mortis genere pro nobis tolerato testandi. Ipse reciprocum in nobis amorem sui flagitat, vt cum sponsa sæpius arden-

ardenter amoris oſculum expetamus, quo noſter ſpiritus Deo coniunctus vnus & idem efficitur, & nos in ſponſum noſtrum quodammodo conuertimur: nam Plato dicere ſolebat per oſculum animam transfundi quaſi in aliena corpora, refertque parum abfuiſſe, quin ideo quidam in oſculo moreretur, cum anima proprium penè deſerens corpus in aliud tranſmigraret, applicat id amori diuino præclarè S. Ambroſius. *Per oſculum*, ait, *adhæret anima mea Deo, per quod ſibi tranſfunditur ſpiritus oſculantis: ſicut etiam ij, qui ſe oſculantur non ſunt labiorum prælibatione contenti, ſed ſpiritum ſuum ſibi videntur inuicem infundere. Illa oſculum poposcit, Deus ſe ei totum infudit, & anima etiam ſe totam infudit Deo: & ita per mutuum oſculum & amorem ſunt vnus ſpiritus, & perficitur ſpiritualis deſponſatio.*

oſculo transfunditur anima in aliud corpus. *apud Gel. l. 19. c. 11. S. Ambro. l. de Iſaac & anima c. 3.* & anima in Deum per amorē.

Sed antequam anima poſſit ad oſculum ſponſi Chriſti adſpirare: neceſſe eſt, vt fontem accedat, in quo præteritæ vitæ maculas expiet: hinc dies Epiphaniæ, qui nuptialis Gentibus eſt, Baptiſmatis fontis meminit, quo mens elutis ſordibus vitiorum, ſponſo Chriſto copuletur: ſic Spiritus S. voluit tres Patriarchas Iacobum, Iſaacum, & Moyſen figuras Chriſti iuxta puteum de nuptijs conuenire, vt Eccleſiam præmonſtrarent fonte Baptiſmatis & lacrymarum ablutam, dignam eſſe, quæ Chriſto copuletur: hanc rem S. Auguſtinus eleganter ita perſequitur: *quomodo Chriſtus venturus erat in mundum, vt iungeretur Eccleſiæ, ita in beato Iacob hoc præſignatum eſt, quando in regionem longinquam peregrinatus eſt, vt coniugiū ſortiretur. Abijt ergo, ſicut audiſtis B. Iacob in Meſopotaniam ad accipiendam vxorem: & cum veniſſet ad quendam puteum, vidit Rachel venientem cum ouibus patris ſui, & cum agnouiſſet conſobrinam eſſe ſuam,* adaquato grege oſculatus eſt eam. *ſi diligenter audiſtis, fratres, poteſtis agnoſcere, non fuiſſe ſine cauſa, quod ſancti Patriarchæ matrimonia ad fontes & putcos inueniunt, ſi hoc ſemel tantummodo euenisſet, poterat aliquis dicere, non pro aliqua ſignificatione factum eſſe, ſed caſu potius accidiſſe: cum vero & beata Rebecca, quæ iungenda erat Iſaac ad puteum inuenitur, & Rachel, quam accepturus erat Iacob ad puteum agnoſcitur, nihilominus & Sephora, quæ Moyſi iuncta eſt ad puteum reperitur, ſine dubio aliqua in his ſacramenta debemus agnoſcere. Et quia toti tres illi Patriarchæ typum Domini Saluatoris præferebant, ideo ad fontes vel ad putcos inueniunt matrimonia, quia Chriſtus ad aquam Baptiſmi inuenturus erat Eccleſiam: denique veniens Iacob ad puteum prius gregem adaquauit, & poſtea oſculatus eſt eam. Verum eſt niſi prius per aquam Baptiſmi Chriſtianus populus à malis omnibus abluatur, pacem Chriſti habere non meretur. Nunquid beatus Iacob videns conſobrinam ſuam, non eam potuit oſculari prius, quam aquam gregibus daret? potuit ſine dubio; ſed myſterium gerebatur. Oportebat enim, vt per gratiam Baptiſmi ab omni iniquitate vel diſcordia liberaretur Eccleſia, & ſic pacem habere cum Deo mereretur.* Volebat Chriſtus Eccleſiam ſponſam ſuam ſibi ſpecioſam ſine ruga vel macula copulare: vt diſcerent Chriſtiani candidam illam innocentiæ veſtem in Baptiſmo nobis per gratiam donatam puram & inuiolatam perpetuo conſeruare, ſi velint cœleſtis ſponſi complexibus delectari: vnde neceſſe eſt ſæpius lacrymarum fonte maculas noſtras detergere, quo ſemper dilecto placeamus. Pergit deinde S. Auguſtinus vocationem Gentium nobiliorem in eadem figura perſcrutari. *Quod autem in illa peregrinatione duas vxores accepit Iacob, duos populos figurabat, Iudæorum & Gentium: duæ ergo illæ mulieres Lia & Rachel iſtos duos populos figurauerunt, Lia Iudæorum, Rachel Gentium; iſtis duobus populis, velut duobus parietibus tanquam lapis iunctus* (die Epiphaniæ) *Chriſtus: in ipſo enim ſe oſculati ſunt, & in ipſo æternam pacem inuenire meruerunt: ſicut Apoſtolus Paulus dicit: ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum: quomodo fecit vtraque vnum? vtique duos greges iungendo, & duos parietes ſibi inuicem copulando.* Sanè quam præ Lia Iacobus dilexerit Rachēlem, & Chriſtus Gentilem populum ſcriptura loquitur, & conuerſio Gentilium obcæcatis Iudæis vbique teſtatur, vt par ſit nos amore mutuo & formæ electa ſpecie, ſeu virtutum pulcherrimis lineamentis ſponſo ſic nos gratis eligenti, fouenti, diligenti reſpondere: & proles ſpecioſiſſimas Beniaminum & Ioſephum bonis operibus quotidie procreare:

ideo Patriarchæ inierunt matrimonia ad fontes. *Ser. 80. de tempore.* Iacob figura Chriſti. *Gen. 29.* Iſaac. *Gen. 24.* Moyſes. *Exod. 2.* Chriſtus Eccleſiam reperit ad Baptiſmi aquam. Lia Iudæos Rachel Gentiles. figurat. *Epheſ. 2.* præfert Chriſtus Gentilem populum.

Sed redeamus ad puteum cum Rachēle & Iacobo; vt in gregibus adaquandis tribus, Gentilem populum diu præſtolantem Meſſiam inueniamus. Puteus iſte Chriſti

Quis puteus. sti gratiam & euangelicam doctrinam significabat, qui grandi lapide claudebatur, figuris & vmbris antiquæ legis coopertus, quæ licet illam indicarent gratiam, non tamen sitientibus & exspectantibus conferebant: sed vbi Iacobus verus mundi Saluator aduenit, amouit vmbrarum integumenta, cuncta hominibus exemplo vitæ & doctrinæ referauit, dum promulgauit legem Euangelij, ideo sæpius clamauit. *Si quis sitit, veniat ad me: & bibat.* Stabant iuxta clausum puteum, *in agro tres greges ouium accubantes iuxta eum,* cum Iacob venit in terram Orientalem, qui tres Gentium populos per Noëmi tres filios toto terrarum orbe disseminatos in Europa, Asia & Africa signabant non tam à Iacobo & Christo, quam Apostolis erudiendos: Iacobus enim solus Labani & Rachëlis gregem primo adaquauit, *quia non sum missus, ait Christus, nisi ad oues: quæ perierunt domus Israël,* Matt. 15. Mat. 15. Postea tamen quam à mortuis rediuiuus apparuit: suis Apostolis tres istos omnium Gentium greges dedit adaquandos Matt. 28. *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & filij & Spiritus Sancti, docentes eos omnia, quæ mandaui vobis.* Mat. 28.

Pastores tres ouium signant SS. Reges. Sed quid dicemus à Christo præstitum esse sanctis Regibus, & Gentilitati in hac figura reconditum, cum eos ipse noluerit adaquare? an Pastores illi tres trium gregum, exspectantium aduentum ouium aliarum, Magos significant; qui cedebant Iudæis prærogatiuam, missi ad ipsos Messiæ; interim & ipsi beneficio remotionis lapidis grandis fruebantur, quò se possent & greges eo iam remoto satiare?

1. Probatur ex 5. capitibus. Fauet, 1. quod *Iacob profectus venit in terram Orientalem* (& misso sidere Christus.

2. Reperit *tres greges ouium accubantes iuxta eum*, Gentiles auidè per noctes ortum noui sideris & Messiæ exspectantes.

3. Iacob Pastores tres alloquitur, vti Spiritus Sancti impulsus hos solos & primos Magos ad Euangelicam gratiam euocat.

4. Audit ab ipsis Rachëlis aduentum: & Gentilis populi desiderium ingens Christum recipiendi.

5. Rachel Gentilitatem exprimit. Exardescit amore illius vnius, qui licet gregem Labani prius adaquaret & Iudæos legem Euangelicam per se erudiret, ac Liæ citius matrimonio coniungeretur, Rachëlem tamen iam ad puteum voluit exosculari, vt tenerum, quo eius amore teneretur, affectum indicaret.

ducit tamẽ Iudæos ad Christum. Iam tum allocutione illa Pastorum & Rachëlis osculo videbatur illud fuisse matrimonium significatum, quod cœpit die Epiphaniæ cum Gentilitate contrahere, licet alio fuerit tempore consummatum. Nec vacat mysterio, quod Rachël figura Gentilis populi ducat gregem Iudæorum, forte quia Gentiles Reges ipsos Iudæos ortum Messiæ docuerunt: & suo monstrarunt exemplo viam ad vitam, quo nouum deberent cœli terræque Regem adorare.

Lud. de Ponte lib. 1. canticis ex-Hor. 20. ad 3. Hanc ipsam rem sanctis Regibus adaptat Ludouicus de Ponte cum ait. *Interim autem erant exspectantes iuxta puteum clausum tres greges populi Gentium: id est omnes nationes, quæ in tribus mundi partibus Asiæ, Africæ & Europæ degebant: in cuius rei signum ad adorandum Christum natum in Bethlehem venerunt Magi primitiæ Gentium, quos Ecclesiæ traditio habet fuisse tres, & Reges, trium vt credibile est Regnorum Orientis, vt vice trium gregum Gentium Ecclesiæ Christi adunarentur.* Tres igitur Pastores ouium Orientalium, dum Christo Rachëlis desiderium formam & speciem monstrant, facti sunt Paranymphi totius Gentilitatis: cuius cum ipsi nobilissima simul portio & primitiæ censerentur cum ipsis sponsus contraxit de præsenti: eos primo sanguine suo peccatorum sordibus expiauit: tum velut Rachëlem suam desideratam vestiuit ornamentis, quæ ipse Ezech. 16. v. 4. describit. *Vestiui te discoloribus; calceaui te hiacinthino; cinxi te byssо, & indui te subtilibus & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum, & d di inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo.* Quæ designant gratiæ & virtutum donorumque Spiritus S. varietatem, qua exornata sponsa cuncta sua desideria, verba & opera solius amori sponsi consecrat: nihil iam videre, nihil audire, nihil manibus nisi sponsum contrectare gestit: quam speciem & pulchritudinem sancti Reges tunc obtentam nullo videntur peccato grauiore maculasse, S. Spiritus maioribus aucti quotidiè donis & auxilijs, vt & greges suos, & subiecta regna Christi doctrina iam Gentibus ipsis reserata adaquarent.

ei desponsetur. *Ezech. 16. 4.* ornamenta data sponsæ Gentilitati.

CA-

CAPVT XXXVI.

Sadoc, Nathan, Bananias regnum Salomonis contra Adoniam & Sancti Reges Christi regnum contra Herodem publicant.

CVM Dauid Rex ætate confectus, & morbi inualescentis inclementia lecto decumberet, Adonias cœpit regnum patris affectare. *Fecit enim sibi currus, & equites, & 50. viros, qui currerent ante eum*: & voces ipsius ambitiosæ vulgo iactabantur: *ego regnabo*: ac iure, quasi primogenito regnum ipsi deberi videbatur: vnde nec primi subsellij viri deerant: nam principes factionis Ioab & Abiathar, spiritus iuuenis superbos fouebant, & partes eius publicè sequebantur; contra, quam à Deo decretum erat, qui *de filijs meis* (ait Dauid) *elegit Salomonem, vt sederet in throno regni Domini super Israël*, quod diuinæ mentis consilium suo pater suffragio confirmarat teste Bethsabæa *Nonne*, ait, *tu Domine mi Rex iurasti mihi ancillæ tuæ dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo*? Iam Adonias ab Abiathare sacerdote sacro fuerat oleo Rex delibutus: aderat Ioab militiæ princeps cum delecta militum manu, qui faustis acclamationibus nouum Regem salutabant: sperabat Abiathar hac ratione Pontificatum contra Sadocum æmulum sibi nouum Regem stabiliturum, Ioab verò scelerum grauissimorum, quibus Dauidem offenderat, impunitatem: vtrumque spes sua fefellit. Nam cum rumor ad aures Nathanis Prophetæ & Berhsabææ dimanasset, eam rem ad Regem Dauidem detulerunt: is nouitate facinoris Adoniæ permotus, ad se vocari mandat viros præcipuos fide, dignitate, prudentia, & fortitudine, Sadocum sacerdotem, Nathan Prophetam, & Bananiam filium Ioiadæ; præstabat Sadoc Pontificatus officio ad regem inungendum necessario, Nathan Propheta valebat ad contestandam hoc in negotio Dei & Regis autoritatem: Bananias verò plurimum poterat cum legionibus Pherethi & Cerethi ad vim Adoniæ & Ioabi reprimendam: vt planè diuino magis, quam humano consilio factum sit, cum omnes ferè reliqui Principes Adoniæ partes sequerentur, solos triumuiros nominatos maximè ad Dei voluntatem exsequendam idoneos fidos Dauidi & Salomoni Regi permansisse. Qui continuo iussu Dauidis ad fontem Gihon Salomonem in mula regia deduxerunt: vbi Sadoc cum oleo sacro delibutum eum ex more exosculatus, Regem salutasset, & buccinis reliqui Sacerdotes festiua gaudij signa edidissent, in vrbem cum plausu & faustis acclamationibus redeunt, introductum in regiam paterno in solio collocant, corona regia redimitum, Qua re ad Adoniam & complices in conuiuio nunciata, turbatum est tota aula: nec quo se reciperent anxijs succurrebat. Hac imagine cuncta repræsentantur, quæ tres Sancti Reges in filij Dei noui Regis inauguratione feliciter peregerunt. Deus hactenus per substitutos è Dauidis stirpe posteros Iudæis multis seculis imperabat: regnum Iudæ iam Herodes alienigena violenter inuaserat, legitimis heredibus multis interfectis, quod semini Dauidis promissione & iuramento diuino, debebatur: idem sanctissimæ Christi genitrici genius cœlestis Dei iussu sponderat de filio his verbis: *& dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*: interim Herodes Iudæis dominabatur: Principes Sacerdotum, Scribæ & Pharisæi, quem alienigenam & intrusum non ignorabant, vt Regem agnoscebant: difficile fuit in regno Israëlis idoneos inuenire Principes, qui miserti pauperis & eiecti à Iudæis infantuli, regni tamen veri heredis regiam eius dignitatem publicarent. Verus ergo Dauid cœlestis Pater fideris noui exortu tres orbis Reges sapientissimos, & fortissimos, euocauit Solymam: edixit eis: vt in vrbe Regia coram Herode tyranno, Principibus sacerdotum, & ciuium innumera multitudine filij sui recens nati promulgarent. Illi non segnes è diuersis conuolant eodem spiritu, & fortitudine regionibus; conueniunt: pariter Solymam ingrediuntur regio appa-

3. Regum 1. Adonias viuo Dauide inuadit regnum

1. Par. 28.

3. Reg. 13.

inungitur & coronatur. ab Abiatharo & Ioabo

Tres eliguntur, qui promulgent regnum Salomonis Sadoc Nathan Banaias.

Rex inauguratur. clangentibus ilico

euerso Adonia

Herodes regnum Iudæ inuaserat. quod Christo Filio Mariæ Virginis promissum erat

Principes sacerdotũ sequebantur Herodem

Sancti Reges iubentur Hierosolymis regnũ Christi publicare.

apparatu, & vna voce per vrbis vicos & compita proclamant: *vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus stellam eius, & venimus adorare eum.* Turbatur ad vocē noui Regis nati tyrannus Herodes, turbantur Principes sacerdotum, scribæ: verbo dicam, tota Solyma: nec se quisquam commouet loco: vt Regem suum natum cum exteris Regibus veneretur: timebant omnes sibi suisque rebus, ne fortè Herodis potentiâ suis exturbarentur facultatibus, sub cuius tutela sibi securiores videbantur. At cum Ioabo & Abiathare vestra spe excidetis, cum Rege vestro tyranno æternis addicendi supplicijs, & à nouo Rege sacerdotio spoliandi. Pergunt interim Bethlehemum Magi, & extra vrbem prope portam Dei filium inuentum agnoscunt, recipiunt & venerantur vt Regem, adorant vt Deum, cui tamen etiam mortali & egeno regia munera largiuntur, se pariter, vt eius subiectos sceptris & coronis ad pedes eius positis supplices contestantur: eumque solum cæli terræque monarcham profitentur. Denique reduces per orbem vniuersum Regis huius potentiam, & dignitatem mortis etiam periculis contemtis, contra Romanos, & dominantes Oriente toto idololatras publicant: ita quem Regem suum Iudæi dedignantur: quem vt egenum & pauperem domo & vrbe eijciunt, & ad pecudes amandant, exteri Reges, orbis totius viri sapientissimi per mille vitæ pericula studiosè quærunt, Regem agnoscunt, eius se seruos & mancipia profitentur; sicque merentur à Iudæis ad Gentes regnum & sacerdotium Christi traducere, & Gentilitatem ei despondere. Vnde circa idem ferè tempus Dauid Salomoni filiam Pharaonis Gentilem connubio sociauit expressam figuram gentilis populi Christo perpetuo matrimonio fœderandi: idemque Dauid epithalamium tam filio, quam Christo concinnauit, cuius exordium est: *Eructauit cor meum verbum bonum*: & ipse Salomon eadem mente Cantica cecinit, quibus in Ægyptia sua coniuge Gentilitatis dotes prædicat.

inde turbatur Herodes, & Hierosolyma.

Christus in auguratur Rex propè portam, à Gentilibus.

transfare ad eos sacerdotio & regno.

epithalamiū canit Dauid & Salomon. *Psal.* 44.

CAPVT XXXVII.

Tres viri fortes Dauidi aquam de cisterna Bethlehemitica perrupta statione Philistinorum propinant, & tres Reges Christum aquam viuam Gentilibus.

OCCASIO aquæ Bethlemiticæ.

OCCASIO aquæ Bethlemiticæ.

VM Philisthæi cognouissent Dauidem Regem iam esse consecratum, & electo ex arce Iebusæo, tota Iudæa dominari, collectis copijs in valle Raphaim castra posuerunt: Dauid nondum Solymâ satis contra tantas hostium vires communitâ, præsidium sibi pridem notum Odollam speluncam occupauit: ibi cum minus gratas aquas inuenisset, & memoriæ succurrerent patriæ suæ dulcissimi fontes & cisternæ, quarum aquis fuerat innutritus, eas vt fieri amat, auidè desiderauit; nec tamen in mentem ei venit vlli imperare, vt cum vitæ suæ discrimine Regi cupitam aquam adferret: nihilominus tres militum generosissimi cum Regis desiderium cognouissent, aggressi sunt temerarium penè facinus: nam perruptis violenter castris hostium in agrum Bethlehemiticum euasserunt, haustaque protinus aqua rursum eadem animi magnitudine per ipsos hostium cuneos ad Regem penetrarunt: ille visâ, quam cupierat, aquâ, *noluit bibere: sed libauit eam Domino*, vt etiam in licitis frangeret nimiam animi cupiditatem, & nouum quasi Deo libaret sacrificium. Sancti Patres per aquam Christum, per cisternam Bethlehemiticam Deiparam, *puteum aquarum viuentium* interpretantur: nec opus hic alio, quam Christi diuino testimonio: qui cum mulieri Samaritanæ dixisset: *da mihi bibere*: postea vim aquæ talem indicauit: *si scires donum: & quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsan petiuisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam: omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit*

ea potitus abstinet Dauid. 2. *Reg.* 23. 16.

Christus aqua vitæ. *Io.* 4.

ex

ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Hanc quia comparationem fusè, sed piè Sophronius Archiepiscopus Hierosolymitanus exsequitur, visum est attexere *Aqua quam mysticè Dauid expetebat & viua erat, & omnes, qui ex ea bibebant, diuina virtute viuos efficiebat: vt aiebat Christus, fons ille vitæ nunquam deficiens ad Samaritanam. Cisterna hæc sacra Sanctissimam Virginem designabat, quæ & vterum gestura, & Deum paritura erat: Quod enim hic transigebatur, prophetia erat, & figura de Christo, qui est aqua viua omnibus vitam infundens, deque mystica & spirituali cisterna, quæ aquam illam, quæ nunquam deficit, vtero comprehensam in lucem edit, hoc est de impolluta Virgine. Hanc autem cisternam, & aquam bifariam Rex Dauid videre desiderauit, incensèque gestiebat spiritualibus nimirum & corporeis oculis: illis quidem, vt illustrissimus Propheta: his verò vt consummatissimus iustus. Hoc ergo desiderio intus ardens aiebat.* O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam. *Cognoscere hinc licet, quam aptè nos hoc tempore ijs assimilemur, qui Christum quondam cum spiritualibus tum corporalibus quoque oculis contueri exoptabant, ad quod veterum desiderium Christus Dominus aqua illa viua alludens alicubi ita concionatur. Multi Prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt; & audire, quæ vos auditis, & non audiuerunt. Huc etiam spectant, quæ Apostolus Petrus ad eos, qui in Christum Saluatorem crediderunt, ea de re scribit. Quem, ait, cum non videritis diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exsultatis lætitia inenarrabili glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum; de qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt: scrutantes in quod vel in quale tempus significaret in eis spiritus Christi prænuncians eas, quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias. Quibus reuelatum est, quod non sibimetipsis, vobis autem ministrabant ea, quæ nunc annunciata vobis sunt per eos, qui euangelizauerunt vobis, Spiritu Sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere. Si ergo iusti & Prophetæ, & Angeli Christi natiuitatem, & locum, in quo exoptatissimus eiusdem ortus contigit, contueri desiderabant & desiderant: quid mirum est, si nos abiecti minimique, qui eiusdem religionis & participes, orthodoxæque fidei coheredes effecti sumus, ardenter illuc desideramus?* Hactenus desiderium Dauidis sitientis aduentum Messiæ in dilecta patria sua Bethlehem explicat Sophronius: quo Gentilitatis etiam totius spectat exspectatio seculis multis continuati, *vt desiderium illud collium æternorum,* illa *Gentium exspectatio, stella verè splendida & matutina sedentibus in tenebris & vmbra mortis,* Messias inquam, oriretur: qui terram Orientis *desertam, inuiam & inaquosam* imbre cælestis doctrinæ irrigaret. quam vbi iam ortam, indice fidere, cognouere fortissimi illi tres Reges, per abrupta viarum & inuia, perfractis idolomaniæ tartareis castris, ad fontem aquarum viuentium penetrarunt: ipsi cupidissimè se fonte salientis in vitam æternam aquæ proluerunt: & copiosè ad totam Gentilitatem de fontibus Saluatoris hausiam aquam attulerunt, quam Euangelicæ doctrinæ non rore, sed pluuia recrearunt: vnde licet Dauid memor obcæcationis Gentis suæ Iudæorum, nollet bibere, qui futurum præuidebat, quod nullus eorum Solymâ esset Bethlehemum abiturus, vt eam libaret aquam Saluatoris, terræ tamen arenti & sitienti Gentilitatis obtulit: quæ sic fuit irrigata, vt deserta florere cæperint, & fructus dulcissimos virtutum Christo Messiæ germinare, sed & hac de re sanctum Sophronium audiamus.

Sophronius orat. 5. de Christi natiuitate.

Dauid Christum sitiebat.

Io. 4. cisterna fuit Deipara.

Mat. 13. Prophetæ eandem aquam desiderant.

1. Petr. 1.

& Angeli.

similis Gentilium exspectatio & desiderium.

Trium Regum fortitudo ad aquam hauriendam.

eam Gentilitas bibit.

Verum licet ille è Bethlehemitica cisterna aquam bibere desiderans, propter infestam Philistæorum aciem, quæ Bethlehem summis semper laudibus prædicandam tum obsessam tenebat, ad Deiferam illam ciuitatem per id tempus peruenire non posset: nihilominus expetitam, aquam, siquidem sensilem aquam bibere placuisset, obtinuit, Etenim tres fortissimi satellites validissimique propugnatores Regis desiderio comperto, ipsumque non sine æquissima causa dicere audientes: O si quis mihi daret potũ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam: rati aquæ, quæ sensu 2. Reg. 23.

per-

percipitur desiderio eum teneri, cum essent, vt conijcere & dicere licet ad mortem illius causa subeundam promtissimi, in manifestum vitæ discrimen proruerunt: Regi per hoc animi robur infractamque audaciam probare volentes, vel certè eximiam & admiratione dignam in principem suum beneuolentiam, inuictumque erga salutarem eiusdem sermone studium & ardorem demonstrare instituentes. Siquidem maiorem hac dilectionem nemo habet ait Saluator, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Perruperunt ergo tres viri fortes, ait scriptura in castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid. Hic tu iam Dauidis pietatem, virtutumque omnium reginam discretionem considera; nam vt regnorum habet historia, noluit aquam illam bibere, verum libauit illam Domino dicens: propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt & animarum periculum bibam? noluit ergo vir ille planè diuinus aquam eam bibere. At cur noluit? quia prophetiæ lumine illustratus fore præuidebat, vt Iudæi aquæ illi viuenti omniaque viuificanti secundum carnem è Bethlehem exorituræ, & è lacu virgineo nascituræ & in lucem prodituræ, hoc Christo fidem denegaturi essent, vt Vates ergo sanctissimus Iudæorum in Christum perfidiam facto adumbrabat: ob id inquam diuinus ille vir aquam ad se delatam haurire noluit: quia insanos sceleratosque Iudæos Christi prædicationi in suum ipsorum interitum & perditionem nequaquam credituros præsagiebat, certoque præuidebat.

Jo. 15.

non verò Dauid.

præuisa obcæcatione Iudæorum.

At nos qui & Christum seruatorem gratanter suscipimus & orthodoxa fide ornati sumus, & exsecrandam Iudæorum incredulitatem auersamur, & spuriam fœdamque eorundem amentiam modis omnibus detestamur, sacram Bethlehem adire enixè auemus: diuinamque cisternam, quæ iuxta portam exstat, Deiparamque virginem mystice designat: hæc namque aquam viuam, quæ vitam dat mundo effudit mentis oculis contemplari, & salutem, quæ in ipsa apparuit hoc est Christum, qui humanum ortum hac luce in ea subijt (hic enim est nostra salus & vita, & redemtio) accuratè contueri, adire nequaquam possumus. Tenemur profecto desiderio, & siti æque nos torrente. Hactenus Sophronius tunc ea perorabat, cum Christiani propter Saracenos Bethlehemitica loca castris suis insidentes non possent circa natalitia Domini Solymis egressi natalem Christi locum visitare: nobis sanè beneficium illud nullis vnquam verbis satis exaggerandum proponit, quo voluit arentem, inuiam, & desertam Gentilitatem fontibus Saluatoris per sanctos illos fortissimos Heroas Reges Orientis allatis irrigare, quorum vim & efficacitatem cæcus Israël licet fontis locum Gentibus indicaret: non potuit, nec voluit experiri: maluit sane iugum Herodis immanissimum tolerare, quam terram suam aridam isto viuo saliente recreare: quam bellè cadit in stultum Israëlem ille stupor Propheticus.

ob quam conuersi Gentiles sunt.

contumacia eorum. Ier. 2. 12.

Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Cisterna profecto dissipata Herodes, imo abyssus & immane barathrum, cui quisquis infunditur, dum amorem & fauorem tyranni maximis laboribus, continuis vigilijs, extrema solicitudine venetur tartaro absorbetur: At Bethlehemiticum fontem Zacharias Iudæis digito monstrauit, cum ait: *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Israël in ablutionem peccatorum*: quem cum die Epiphaniæ Solyma contemneret, accessere Gentiles: qui statim abluti à peccatis, idola proiecerunt, vt ibi subditur: *& erit in die illa, dispergam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: ipse* (populus Gentilis) *vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum: dicam populus meus es, & ipse dicet Dominus Deus meus.*

Zach. 13. 1.

Felicitatē Gentibus peperit. fons christus ijs.

Hunc fontem Isaias tam luculentis verbis expressit: *omnes sitientes venite ad aquas, venite emite absq; argento, & absq; vlla cōmutatione vinum & lac: quærite Dominū, dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est: derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum & miserebitur eius.* Sed surdis Iudæis occinuit fabulam: sola Gentilitas se ab vberate fontis inebriauit: cui promissum hoc est. *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem*

55. cap. Satiat.

Isa. 66.

&

& inundantem gloriam: quam sugetis: portabimini ad vbera,& super genua blandientur vobis, quomodo si cui mater blanditur, ego consolabor vos: videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra sicut herba germinabunt. & reoreas

Ita fortitudinem animi sanctorum trium Magorum demonstrat ignauia Iudæorum: hi nec duas leucas ad Christum Regem suum tot seculis imo millenis tot annis exspectatum a Patribus, desideratum à Regibus, prædictum à Prophetis proficisci voluerunt: isti ad quadringintas leucas contendunt, vt alienum quasi Regem venerentur, cui vt sua regna subijciant: per hostium stationem penetrant, cum mortis etiam discrimine. E recentioribus nonnulli eandem Epiphaniæ figuram breuiter applicant. Besseus sic ait: *inter omnes Dauidis milites palmam: & præconium tres illi merentur, qui haustam è cisterna Bethlehem aquam per media hostium castra penetrantes adspeluncam Odollam sitienti illi attulerunt: & videmus hic non tres milites, sed Reges ad Dauidem nostrum Christum in speluncam Bethlehem venientes, perfracto hostium, id est, falsorum Deorum cultus agmine, gratiæ aquam inde educere.* Besseus de Epiph.

Paulò aliter rem expendit Ludouicus de Ponte, nec abludit à scopo nostro. *Audiuimus*, inquit, *quondam desiderium Dauidis dicentis. O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam! erat autem tunc ibi statio Philistinorum: tres autem viri fortes, & robustissimi irruentes per castra, hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, & adduxerunt eam ad Dauid: qui noluit eam bibere; sed libauit eam Domino. Gerebat Dauid in hoc facto typum antiquæ Ecclesiæ, præscientis Christum nasciturum in Bethlehem in diuersorio iuxta portam ciuitatis, quod sub noua metaphora vocat cisternam: quia continebat eum, qui est fons aquæ viuæ, puteus aquarum viuentium: in quo sunt reconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Desiderabat ergo sibi indicari aduentum & natiuitatem ipsius, & bibere aquam sapientiæ salutaris, quæ est cognitio ipsius Christi, vnde nostra salus processit. Tres autem Magi tanquam tres viri fortes & strenui à spiritu Dei moti & adiuti: rumpentes castra hostium, & superantes magnas & arduas difficultates peruenerunt ad Bethlehem: vbi hauserunt cum gaudio aquas de fontibus Saluatoris: quia viderunt eum natum: & instructi sunt de his, quæ ad eius diuinam & humanam naturam spectabant. Hanc autem aquam secum adducentes, & hanc scientiam ex præsepio reportantes reuersi sunt in regionem suam. At Ecclesia Iudæorum quæ erat Hierosolymis, noluit bibere aquam; sed fudit illam: quia noluit credere verum Christum esse natum, & eum qui natus erat persecuta est, vt deducit Hieronymus ex illis verbis. Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri: voluit ergo eum occidere, sicut occidit innocentes infantes, libans eos Domino & offerens sacrificium: nam putabat se obsequium præstare Domino. Nos autem qui Christum natum credimus, magna animi constantia quæramus eum, de eiusque fontibus cum gaudio aquas gratiarum hauriamus: maximè autem aquam sapientiæ salutisque agnoscamus, vbi pascit, vel cubat in meridie: vt ex eius pastu refectionem spiritus capientes vitam æternam consequamur.* Lud. de Ponte lib. 3. Cantic. ex cap. 5. Mat. 2.

CAPVT XXXVII.

Reges Iudæ, Dauid, Ezechias & Iosias sanctitatem & perfectionem SS. trium Regum adumbrant.

Eccl. 49. sensus literæ.

ECCLESIASTICVS hanc suggerit comparationẽ c. 49. cũ, ait, *Præter Dauid & Ezechiam & Iosiam* (Reges Iuda) *omnes peccatum commiserunt*: quod S. Bonauent. sicut postea videbimus, rectè SS. Regibus accommodat: ego literam prius sequar, quam moralem sensum inuestigem.

S. Bonauentura de Epiphania. tres soli Reges Iudæ exterminarunt publicam idololatriam. censetur id peccatum grauissimum

Certum est Dauidem grauissimis sceleribus adulterij & homicidij Deum offendisse, quæ dignis pœnitudinis operibus expiauit: quorum Propheta hic non meminit; solam enim (quæ antonomasticè peccatum à scriptura vocatur) idololatriam intelligit: ideo Græcus habet: *delictum deliquerunt* Vatablus *perfidiosè defecerunt*; quia peccatum peccatorum vocatur idololatria, per quam homo perfidè desciscit ad

ad dæmonem : vt nullum æque ſcelus,ac illud ſcriptura deteſtetur : nec in ijs id tantum reprehendit, qui id opere perfecerunt : ſed & cum poſſent, non è tota Iudæa radicitus exſtirparunt : vel connubijs cum Gentilibus initis fouerunt eam & corroborarunt : Hinc inter laudes alioqui eximias Regum Salomonis , Aſæ, Ioſaphat , Ioas, Amaſiæ , & Azariæ hæc macula ſubijcitur : *veruntamen excelſa non abſtulit* : quod ſi tamen hæc alibi dicatur Ioſaphat ſuſtuliſſe de publicis , aſſerit : nam priuata videtur toleraſſe : nec alijs tamen hic næuis caruit, ſic à Propheta reprehenſus. *Impio præbes auxilium , & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris? & idcirco iram quidem Domini merebaris : ſed bona opera inuenta ſunt in te , eo quod abſtuleris lucos* : hinc videtur priuatorum, vt dixi, idolorum larium ac penatium cultum cum poſſet, non vetuiſſe. Hæc igitur laus eſt potiſſimum tribus ſanctis Regibus attributa , quod licet initio vel patria conſuetudine , vel etiam quadam ignorantia (vt de Abrahamo multi dicunt , parentum idola,cum tener eſſet,coluiſſe) forte & ingenij peruerſitate diuinis honoribus ſint proſecuti : vbi tamen Chriſti fidem ſunt amplexati, penitus è regnis ſuis omnem idolomaniam proſcripſerunt , veri Dauidis, Ezechiæ & Ioſiæ Regum imitatores : ita videtur ſanctis noſtris Regibus illud Ioſiæ elogium conuenire. *Memoria* (eorum) *in compoſitionem odoris , facta opus pigmentarij : in omni ore quaſi mel indulcabitur eorum memoria , & vt muſica in conuiuio vini ipſi ſunt directi diuinitus in pœnitentiam Gentium, & tulerunt abominationes impietatis ; & gubernarunt ad Dominum cor ipſorum , & in diebus pietatis corroborarunt pietatem.* Aliam quærit ſimilitudinem ſanctus Bonaventura in nominibus ſingulorum, è quibus oſtendit tres Reges perfectos tribus exſtitiſſe, ipſum audiamus : *Reges iſti Domino offerentes , perfectos ſignificant, qui ſe ipſos regere nouerunt : Perfectus eſt autem homo tripliciter : videlicet profeſſione , conuerſatione , contemplatione : tales igitur perfecti per tres Reges ſignificantur : de quibus etiam accipi poteſt,quod dicitur : Præter Dauid & Ezechiam & Ioſiam omnes Reges commiſerunt peccatum. Dauid perfectam contemplationem ſignificat : interpretatur enim vultu deſiderabilis ; Ezechias perfectam conuerſationem per diuinum auxilium ſignificat : interpretatur auxilium Domini ; Ioſias perfectam profeſſionem ſe ipſum ſacrificantem in religione ſignificat : interpretatur enim in quo eſt ſacrificium* :vult deinde,vt talis Ioſias offerat aurum continentiæ , de quo Dan. 10. *ecce vir veſtitus lineis , & renes eius accincti auro* , thus obedientiæ , & myrrham pauperatis. Ezechiæ vero inſtar de theſauro congreſſionis offerat aurum dilectionis, vt oratio facta & intentio non adulterentur ficta ſimulatione 2. thus exempli lucentis 3. myrrham bonæ operationis,vt per bonam famam Chriſti bonus odor ſimus. Denique Dauidis exemplo offeramus in contemplatione aurum reuerentiæ , diuinam omnipotentiam conſiderantes, thus gratitudinis ob diuinorum beneficiorum recordationem, & myrrham ſæpius dominicam paſſionem ruminando. Oſtendit Seraphicus Doctor ſanctos Reges & exemplar perfectum exiſtere eorum,qui totos ſe diuino ſeruitio corpore & animo conſecrarunt,& qui in proximorum ſalutem incumbunt , vt cos exemplo doctrinaque perficiant : denique eorum , qui in Dei contemplatione conquieſcunt.

Reprehenduntur qui fouerunt eam. 2. *Paralip.* 19. & Ioſaphat ab amicitiam cum impijs.

SS. tres Reges idololatriã exterminarunt.

Perfecti in tribus.

contemplatione.

congreſſione.

profeſſione.

Sed Ezechiæ nomen refricat mihi memoriam diei celeberrimi Paſchæ, quod ipſe ſolenniter non 7.tantum,ſed 14.dies egit:in quo cum totum Iſraëlem exemplo ſuo ad diuinæ legis perfectam obſeruationem excitaſſet,cœperunt eius ſubiecti cuncta totius Iudææ delubra cum idolis demoliri teſte ſcriptura: ait enim,*cum hæc fuiſſent ritè celebrata, egreſſus eſt omnis Iſraël,qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt ſimulacra,ſuccideruntque lucos,demoliti ſunt excelſa, & altaria deſtruxerunt , non ſolum de vniuerſo Iuda & Beniamin;ſed & de Ephraim quoque & Manaſſe,donec penitus euerterent.* Magnus ſane dies iſte Iezraël,quo finis datus eſt idolorum cultui, qualis etiam Epiphaniæ ſolennitas: quo initium datum tollendi Gentilitatis ſimulacra : & varia Prophetarum oraculis prænunciata completa ſunt myſteria ; ac verus Deus Gentilibus demonſtratur adorandus, idolis inreditu ſtatim exterminatis.

Ezechiæ Paſcha celeberrimũ. 2. *Paralip.* 31.

die Epiphaniæ inſtauratum. circa idolorum euerſionẽ.

CAPVT XXXIX.

Noë, Daniel & Iob variè SS. tribus Regibus comparantur.

DE his Ezechiel ita loquitur. *Si fuerint tres illi viri in medio eius Noë, Daniel & Iob: isti iustitia sua liberabunt animas suas.* Ezech. 14.

Hanc sententiam Innocentius tertius sanctis Regibus applicat. *Porro*, ait, *secundum allegoriam significantur tres ordines fidelium in Ecclesia: Noë, Dauid & Iob: quod est prælati, continentes, & coniugati fidem trinitatis habentes, quos Ezechiel vidit in visione saluandos: & secundum Euangelicam parabolam duo sunt in agro, & duo in lecto, & duo in mola, quorum vnus assumetur, & alter relinquetur. Isti videntes stellam, id est Euangelicam prædicationem intelligentes, quæ nocte seculi fulget contra tenebras erroris, & ignorantiæ, dicente Psalmista ps. 100. lucerna pedibus verbum tuum: gauisi sunt gaudio magno valde, tenentes illud propheticum: hereditate acquisiui testimonia tua in æternum, quia exsultatio cordis mei sunt: & hic est thesaurus absconditus, quem qui inuenit homo præ gaudio illius vadit, & vendit omnia Mat. 15. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Vtinam & nos hunc thesaurum animæ cum tribus illis viris inuentum venditis & relictis omnibus, quæ solent nos ad peccatum graue permouere, emamus: vt sicut Noë electus à Deo est ex toto orbe per cataclysmum perituro, cui futura prænunciaret; sicut assumtus vnus ex Iudæis relegatis Daniel, tot Angelicis visionibus illustratus; ex Gentilitate Iobus, cui abditissima quæque mysteria cœlitus panderentur: collata tribus istis eximia vitæ morumque sanctitate; quia spreto omni humano respectu cœlestibus impulsibus locum semper reliquerunt, sic & nos diuinæ vocationi nobis oblatæ, qua nos solet tot alijs relictis ad sanctiora stimulis occultis inflammare promtè & hilariter pareamus: eo maiora cum tribus his tam veteris, quam noui testamenti præcipue dilectis & electis viris beneficia diuina percepturi, quo gratiores fuerimus pro acceptis & aptiores noua recipere. Sunt & aliæ non vulgarium interpretum expositiones, quæ seruiant instituto. Pineda noster hoc modo tres illos comparat: *similes hi exstiterunt pietate inter impios conseruata: sicut enim Iob inter Idumæos Deum timuit, & recessit à malo, sic Daniel etiam proposuit in corde suo, ne polluerctur de mensa Regis, neque de vino potus, abstinens se à communibus & profanis cibis, quibus alij pueri Regij vescebantur, & propter eximiam sanctitatem & singularem prudentiam de medio sæuissimorum leonum illæsus euasit miraculo significante, illæsam pietatem in medio Chaldæorum impiissimorum: tandemque Noë vir iustus atque perfectus in generatione sua seculo videlicet corruptissimo, omnis quippe caro corruperat viam super terram: propterea dictum ab Ezechiele: si fuerint tres viri in medio illius: quia in medio impiorum vixerunt & prædicantur à malo recessisse.*

in Epiph. Tres sunt fidelium ordines. Prælati. continentes. coniugati.

imitandi nobis.

in sequendo Deo.

cap. 1. verſu 1. n. 70. in Job. Pietate tres illi præstiterunt inter impios Dan. 1.

Nec minus sancti tres Reges nostri *in medio nationis prauæ* inter Gentes idololatricas vitam traduxerunt: sed piam, sed sanctissimam postea, quam sideris exortu & Spiritus S. secreta permotione ducti totos se diuinis impulsibus gubernandos tradiderunt: qui tamen improbo labore hoc tandem sunt consecuti, vt suos & confines populos Christo aggregarint: non habent iam quid suis prætexant peccatis & scelcribus excusationis ij, qui negant posse se cum inter malos coguntur viuere, sic mores conformare, vt non cum lupis vlulent: ij si abstinere se non valent ab eorum conuictu (quod maxime optandum ijs esset) saltem diuinæ gratiæ copiosiora flagitent assidue præsidia: quibus communiti cum his etiam poterunt alios Deo aggregare. Quod si vero tantum virtutis & fortitudinis non habeant sibi polliceri, fugiant qualicet ratione de medio Babylonis, oculorum quamuis altero vel brachiorum relicto, seu desertis facultatibus: ne eius vitijs infecti pereant. Prado noster, & ex eo Cornelius vocat triumuiros istos iustitiæ Soles illustres, qui orbi toti præfulserunt, amantissimi salutis proximorum, adeoque Deo carissimi: de Noë Ecclesiasticus c. 44. *factus est mundi reconciliatio, vt eum restauraret*: Iob etiam fuit integerrimus c. 1.

& sancti Reges confines sibi populos idololatras conuerterunt.

oratione efficaces.

& Daniel qui á Deo vocatur *vir desideriorum*: de Iob c. 42. dicit Deus *ite ad seruum meum Iob: quod seruus meus orabit pro vobis.* Huc facit sanctus Chrysost. respondet quod Noë filios & filias Daniel & Iob multos alios seruarunt, tum familiares, tum populares, tum subditos suos. Quales igitur sancti tres Reges existimandi: qui toti videntur Gentilitati sua fide, humilitate & obsequijs Christo impensis Christi fidem impetrasse, populos etiam subiectos aggregasse Christo, multa fidelibus beneficia suis precibus, cum inuocantur, obtinuisse.

Ser. 47. in Genes.

meruerunt Gentilitat conuersionem

obiectio.

At cur igitur Mediolanum ab excidio non liberarunt? an scelera temporis illius id non merebantur? & hoc ipsum satis scriptura significat, quæ subdit: *quia nec filios, nec filias liberabant, sed ipsi soli liberabuntur: terra autem desolabitur*: in quæ verba sic commentatur sanctus Hiero. *si Noë, Iob, Daniel congregati eos, qui in terra peccatrice habitant non possunt iræ Dei subtrahere, quid dicendum est de his, qui putant merito parentum posse filios peccatores de gehennæ ignibus liberari? vnde nec peccatorem filium iustus pater poterit liberare. Contra parentum vitia filijs non nocebunt, sed anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.* Facilè quidem diuis tutelaribus deprecatoribus solet Deus regionum vastationes condonare, si spes affulgeat frugis melioris: at ea si absit, sentiunt potius sanctos vindices & accusatores populi peccatoris, & solet tunc Deus permittere, vt in alia loca sæpius exportentur: vt non nimium sibi de multitudine reliquiarum fidant siue Colonienses, siue alij: nam nisi studuerint vita sanctiore quorum ossa sacra detinent eos venerari, & factis imitari, metuendum, ne peccatis aliquando vrgentibus, sicut Solyma exscindantur.

quomodo reddantur inefficaces preces Sanctorũ

Denique sanctus Bernardus per tres illos solos putat electos designari, allata SS. Magorum figura ex Psalmographo & ex muneribus Magorum ostendit, quales esse conueniat eos, qui desiderant in cœlis cum Abraham Isaac & Iacob recumbere. *Appare, inquit, coram Effraim Beniamin & Manasse: ego arbitror istos tres esse, qui saluantur: quos alius quidam Propheta Noë Danielem & Iob nominauit: eosdem quoq; & tribus illis pastoribus designari, quibus nato Angelo magni consilij gaudium magnum Angelus euangelizauit. Vide autem ne ipsi sint & tres Magi venientes iam non modo ab Oriente, sed etiam ab Occidente, vt recumbant cum Abraham, Isaac, & Iacob. Fortè enim non incongruè videbitur ad Effraim quidem quod fructificationem sonat, pertinere thuris oblationem: quod offerre incensum aignum in odorem suauitatis proprium sit eorum, quos posuit Dominus, vt eant, & fructum adferant, id est Ecclesiæ prælatorum. Nam & Beniamin filius dexteræ offerat necesse est aurum, id est, substantiam huius mundi, vt videlicet fidelis populus in parte dextera constitutus à iudice mereatur audire: quia esurini & dedisti mihi manducare: porrò Manasses myrrham offerat mortificationis, quam quidem à nostra specialiter arbitror professione requiri.* Vult S. Bernardus hos Reges ideam esse saluandorum, vt eorum in via premant vestigia virtutum, ad quorum in patria gloriam volunt adspirare.

S. 6. in vigil. Natiu.

Exod. 14.

Mat. 25.

CAPVT XL.

Abrahamo Dauidi & Iosepho similes in diuina promissione SS. tres Reges.

SEPTVS Deus in veteri testamento diuersis Patriarchis & per certa quædam maioris cognitionis incrementa filium suum Messiam nasciturum indicauit, vt rectè notat Rupertus Tuitiensis, ita quidem, vt quanta fuit Abrahamiticæ stirpi ois mille annis data filij Dei notitia, eandem simul Patriarchis Gentilium sanctis Regibus infuderit, & eos impulerit, vt eandem Iudæis in vrbe Hierosolymitana verbis: at in stabulo muneribus declararent, postea subiectis sibi populis prædicarent, quam rem cum eruditè Doctor laudatus disputet: eius vnius verbis acquiescam.

Ecce ait in hoc generationis libro tres isti sunt Patres insignes Christi hominis Regis & Dei: & secundum hæc tria ternarium esse aduertimus incrementum promissionis Christi, quæ ad ipsos specialiter facta est: scilicet Abraham, Dauid & Ioseph.

In volumen 4. Euangelist. cap. 6. & 7.

Ha-

Homo tantum intelligitur in promissione, quæ ad Abraham hoc modo facta est: in semine tuo benedicentur omnes Gentes; iam autem Rex ea promissione prænunciatur, quæ facta est ad Dauid: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Porrò B. Ioseph promittitur tanquam Deus: dum ei dicitur. Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Idem atque æquipollens est, ac si dixisset, ipse enim Deus est, & idcirco vocabis eum Iesum, id est Saluatorem; miro autem modo, miro & venerando gratiæ dono cunctos fidei huius thesauros, quos sparsim thesaurizauerant prædicti Patres Iesu Christi, simul Gentilibus refudit ortus, vel aduentus eiusdem Regis sic continuo narrat hoc modo hic Euangelista regni Dei: cum ergo natus esset: Gentiles ipsi simul hominem, Regem, & Deum confessi Iesum esse verbis, testati sunt muneribus: dicendo; vbi est qui natus est, hominem: dicendo Rex Iudæorum, Regem: dicendo, vidimus stellam eius; Deum confessi sunt. Item aperientes thesauros suos offerentes munera auro Regem, thure Deum, myrrha hominem mortalem esse testati sunt. hoc enim mirando simul & venerando gratiæ dono Gentilibus vna inspiratione collatum est, quod ternario promissionis incremento Iudaici populi Patribus fuerat præparatum, totiusque fidei Christianæ summam tam voce quam muneribus ac bono cordis sui thesauro protulerunt. Hactenus Rupertus.

Abrahæ promittitur Messias homo. Dauidi vt Rex, Iosepho vt Deus. quæ tria simul SS. Regibus reuelantur

Hoc etiam nomine cuncti Christiani plurimum Deo debent gratiarum, qui nos omnes tam claro fidei lumine decorauit, vt distinctius quam Patriarchæ veteres fidei mysteria cognoscamus: nam quæ per vmbras ipsis obscurè gerenda proponebantur: ea nobis re ipsa gesta clarè veluti in imagine exhibentur.

CAPVT XLI.

Regina Saba & alij Reges Orientis Salomoni munera deferentes figuram claram exhibent Epiphaniæ.

SALOMONIS Angelicam adolescentiam, religiosam iuuentutem, virilem sapientiam gloriam & magnificentiam, regnumq; pacificum cum Christo Domino expressam similitudinem habuisse Patres omnes agnoscunt, quam nec canities propudiosa deleuerit: constat præterea Reginam Saba, Reges etiam alios Orientis ei munera detulisse, vt perfectior typus existeret Saluatoris, quem adoratum tres Reges conuenerunt. De ipso ad literam versum istum: *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent* sic Pineda noster interpretatur: *Quamuis hæc verè conueniant Salomoni vt typo & vmbræ, Christo Iesu vt veritati & expressæ imagini; cuius gloriam nihil obscurat, quod Salomon Regum exterorum muneribus cultus fuerit, imo potius confirmat & clariorem efficit, quod iam inde à Salomone præfiguratus fuerit trium Regum aduentus cum muneribus ad eum adorandum Matt. 2. in quo verius atque magnificentius, quam in Salomone versiculi huius sententiam docent Patres Isa. & ps. 71.* & paulo superius. *Tharsici & Ophritici Reges, ad quos triennales illæ classes enauigabant, muneribus eum honorabant: tum etiam Arabes & Sabæi, siue vt in Hebræo est, Seba & Zeba id est omnes Reges Arabiæ ducesque terræ.* Certè Baronius credidit Reginam Sabæam eodem quo Magi Balaami vaticinio permotam, comperta Salomonis fama Solymam adijsse, eumque Christum fuisse opinatam, quod Salianus sic interpretatur, Reginam de Salomone quasi de Christo sensisse, de Christo tamen non vt incarnato Deo, sed vt maximo sapientissimoque principe, qualem Hebræi passim tot seculis crediderunt, atque etiam nunc miseri credunt: itaque eodem modo venerit illa in Iudæam in nomine Domini: quomodo Simeon in spiritu venit in templo hic Christum visurus, amplexaturus, illa Christi figuram visura, & & venturi veritatem agnitura atque amplexura: etsi id ipsa non cogitabat cum se in viam dedit.

Reges Salomonis munera detulerunt. *Pineda. Ed. 628. de Salomone.* eius tempore præfiguratus SS. Regum aduentus.

Baronij sententia.

in compendio Anadi 3047.

Regina Saba non credidit Messiam Deum, sed Regem tantum potentissimum. venit ex Arabia.

Fauet huic figuræ quod eadem Regina credatur ex Arabia Felice non Æthiopia Ægyptiaca vel Africana venisse: nam Saba Arabica semper per schin in sacris literis scribitur, nunquam verò per Samech, vt Africana. Præterea Arabia optimis aromatibus

cum mune ribus. 3. Reg. 10. c.

tibus præ regionibus omnibus redundabat: cum hoc exaggeret scriptura: *nunquam talia neque tam multa Ierosolymam aromata allata esse, qualia & quanta detulit hæc Regina.*

S. August. ser. 6. de Epiph.

Eandem sancti Patres figuram agnoscunt. S. Augustinus *Regina quædam Austri venerat à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: nec illa regni illius sublimitate, sed mentis luce commota est: veruntamen inerat in Salomone doctrina, quæ verbis eius longissimè ac latissimè diffamatis ad discendum potuit studiosos animos excitare: proinde illa non latentem Deum, sed loquentem hominem, non adorare venerat, sed audire: hic autem, qui donauerat illam sapientiam Salomoni, & erat virtus & sapientia Dei, infirmitate carnis indutus adhuc per pusillam ætatem iacebat in terris, cum per amplissimam maiestatem clarebat in cælo.*

S. Bruno.

Et sanctus Bruno Carthusianæ familiæ sanctissimus Patriarcha. *Non debemus,* ait, *venire sine muneribus, non debemus ad eum accedere sine aromatibus, sic & Regina Saba, quæ & ipsam Ecclesiam Gentium significabat, venit ad Salomonem, offerens ei aurum multum & aromata multa, qualia prius non sunt allata in Hierusalem. Lege Cantica Canticorum, & videbis, quod totus liber vnguentis optimis & aromatibus redoleat. Vbi sponsa vnguentis suauibus delibuta sponsi odoribus delectata dicit: trahe me post te: & curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Notat S. Hieronymus illo aduentu Reginæ Sabæ ad Salomonem, & Gentilitatis nigræ ad Christum, portendi repudiationem veteris Synagogæ, & electionem Gentilium, *venit ergo & hæc* (Regina Saba) *imò secundum figuram eius Ecclesia venit ex Gentibus, audire sapientiam Salomonis veri & pacifici Domini nostri* IESV *Christi venit, & hæc primò tentans eum per ænigmata & quæstiones, quæ ei prius insolubiles videbantur: atque ab ipso de agnitione veri Dei & creaturis mundi, vel de immortalitate animæ, & iudicio futuro, quod apud eum & doctores eius Gentiles duntaxat philosophos incertum semper & dubium manebat, absoluitur. Venit ergo in Ierusalem ad visionem scilicet pacis cum multitudine & virtute multa, non enim cum vna sola Gente, vt prius Synagoga solos habuit Hebræos, sed cum totius mundi Gentibus venit, deferens etiam munera digna Christo, odoramentorum siquidem suauitates, opera scilicet bona, quæ ad Deum per odorem suauitatis accedunt. Sed & auro venit repleta, sensibus sine dubio & rationalibus disciplinis, quas ante fidem adhuc in communi & scholari eruditione collegerat. Cum hoc ergo apparatu intrat ad pacificum Regem Christum, & ipsi aperit cor suum in confessione & pœnitentia scilicet præcedentium doctorũ & locuta est ei omnia, quæ erant in corde suo. Propter quod & Christus, qui est pax nostra, enunciauit ei omnia verba eius. Vidit autem domum, quam ædificauit sine dubio incarnationis ipsius mysteria, ipsa est enim domus quam ædificauit sibi sapientia; vidit & cibos Salomonis, illos puto, de quibus dicebat, meus est cibus, vt faciam voluntatem eius, qui misit me & perficiam opus eius.*

aduentus Reginæ Sabæ significat electionem Gentium S. Hieronym. 1. in Cant. 1.

Ecclesia Gentium cum omnibus nationibus venit ad Christum munera eius, odores bonorũ operum, aurum scientiarũ. Christus reuelat Gẽtilitati fidei mysteriũ.

Hæc ergo omnia, vbi vidit in domo Regis pacifici, imò Christi, nigra hæc & formosa, obstupuit, & ait ad eum: verus est sermo, quem audiui in terra mea de verbo tuo, & de prudentia tua: propter enim verbum tuum, quod agnoui verum esse verbum, veni ad te: omnia etenim verba, quæ mihi dicebantur, & quæ audiebam, cum essem in terra mea, à Doctoribus scilicet seculi & philosophis, non erant vera: istud est solum verbum, quod est in te. Non his inquit credidi, qui loquebantur mihi, non enim fidem meam in illos, qui locuti sunt de te, sed in te direxi, id est non hominibus sed tibi credidi Deo. Beatæ ergo sunt mulieres Salomonis, animæ scilicet sine dubio, quæ verbi Dei & pacis eius participes fiunt. Beati pueri, qui in conspectu eius adsistunt semper, non illi, qui aliquando adsistunt, sed qui semper (Maria & Ioseph) & sine intermissione adsistunt verbo Dei, verè beati sunt. Benedictus qui voluit dare te super sedem Israël: verè enim quia dilexit Dominus Israël, & voluit, vt staret in æternum, posuit te Regem super eum. Quem? pacificum sine dubio: Christus enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem

stupor & admiratio Gentilitatis.

Iobus. 2.

sepis soluit. Et post hæc omnia dedit, inquit, centum viginti talenta auri Regi Salomoni Regina Saba. Numerus hic 120. consecratus est vitæ hominum, eorum qui fuerunt in diebus Noë, quibus istud conceditur spatium vitæ, quo inuitantur ad

pœni-

pœnitentiam. Ipse autem numerus annorum & Moysi vitæ fuit, offert ergo Christo Ecclesia in auri specie & pondere, non solum multitudinem sensuum suorum & intellectuum; sed legi Dei consecratos indicat sensus suos, per hunc, qui Moysi annos vitæ continet numerum, offert etiam suauitates odoramentorum, quales & quantæ nunquam venerant: vel orationes in hoc, vel opera misericordiæ intellige: nunquam enim vel tam rectè orauerat, vt nunc cum accessit ad Christum, vel tam piè operata fuerat, vt cum cognouit iustitiam suam, non facere coram hominibus, sed coram Patre, qui videt in abscondito & reddet palam. eiusdem dona.

Si etiam intuearis, quomodo ex delicto Israël sit salus Gentibus, & quod illorum lapsus introeundi viam nationibus dedit, aduertes, quomodo præuenit, & præcedit Æthiopiæ manus, hoc est Gentium populus eos ad Deum, quibus primis data sunt eloquia Dei & in hoc compleri Æthiopia præueniet manus eius Deo: & fit nigra ista formosa, etiamsi nolunt, etiamsi inuident & obtrectant filiæ Ierusalem. Ita summus ille scripturæ interpretum Gentilitati recens conuersæ in Magis Sabææ Reginæ aduentum & dona prolixè quidem sed enucleatè accommodat: ac æquiore titulo Reges nostri venerunt in Bethlehem, vt Messiam Dei filium adorarent; *quam Regina Saba videre Salomonem: nam plus quam Salomon hic*, maiore dignus honore, cultu & religione, cui iure *curuandum omne genu* Propheta prædixerat: non Regum tantum terræ; sed spirituum etiam cœlestium imò & damnatorum, cui omnis collata cœli terræque potestas est; ita nec mirum est, ad huius exortum tam subito Reges istos per tot terrarum spatia continuo properasse, nullis periculis & difficultatibus retardatos: vt posteris relinquerent documentum, quo par esset honore Christum in cœlis regnantem venerari contemtis terrenis omnibus, quem illi pauperem & despectum in stabulo propè pecudes tanto sunt honore prosecuti. Alias *Regina Austri surget in iudicium contra generationem istam, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quam Salomon hic.* obcæcatio & repudiatio Iudæorum afficit salutem Gentium. Ps. 67. Mat. 11. Luc. 11.

Hactenus prærogatiuas sanctorum Regum, vaticinia de ijs edita cum figuris vel comparationibus attulimus, & ipsorum historiæ præluximus, vt gratior lectori sint: ipsas nunc propius personas eorum contemplemur, generis splendorem, numerum, patriam, studia, mores ac virtutes, è quibus duci non modica potest pars encomiorum: ea tamen ob hæreticorum calumnias, vel Catholicorum etiam discrepantes opiniones disceptationibus adspergentur.

LIBER TERTIVS ENCOMIORVM:

De SS. REGVM GENERE, PATRIA, ET EXSPECTATIONE NOVI SIDERIS AC MESSIÆ.

CAPVT I.

An vnquam exſtiterint, aut vixerint, Magi Euangelici, ſeu ſancti tres Reges.

Diuidun-tur contro-uerſæ quæ-ſtiones.

NOn hic indago genus Magorum Regium, ſed capite ſecundo & tertio: neque numerum exquiro, vti capite quarto faciam, neque ſepulturæ locum, quem toto libro octauo perueſtigabo: ſed philoſophorum more, qui in perſcrutanda rei natura, prius *an ſit* quærunt, tum *quid ſit* diſceptant: hoc capite an Magi Euangelici vixerint examinabo: de quo nefas videri poſſet dubitare Chriſtianum, cum S. Matthæus Euangeliſta diſertè narret eorum res geſtas & virtutes heroicas; niſi Molinæus aſſecla perfidiæ caluinianæ Magos iſtos, quos iam vſitatiore nomine Germani *tres Reges* vocant, imaginarios & commentitios nominaſſet, quem hic breuiter conueniam cum in Vrſulanis vindicijs, eandem calumniam vndenis virginum millibus adhibitam fuſius confutarim. Præmittit verò blaſphemæ ſuæ aſſertioni talem propoſitionem. *Molinol. 7. de nouitate papatus c. 5.* *Non eſt dubitandum de ſanctitate Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & inprimis B. Mariæ Virginis ob teſtimonium ſcripturæ, ſine impietate & ſacrilegio: item de ſanctorum martyrum, & confeſſorum, qui iam inde à tempore ſanctorum Apoſtolorum floruerunt, & quorum veteres hiſtoriæ ſummo cum honore meminerunt.* Rectè & Chriſtianè ſubdit hæc impiè. *Sed Romana Eccleſiæ præſtat pluribus imaginarijs, & commentitijs, & talibus ſanctis cultum religioſum, de quibus meritò dubitari poteſt, non tantum an ſancti fuerint; ſed etiam an vnquam vixerint, quorum etiam vita tota fabuloſa eſt. Certè tres ſancti Reges, quorum corpora Coloniæ ad Rhenum volunt requieſcere tales ſancti ſunt, qui nunquam exſtiterunt: dicuntur ex Oriente veniſſe, & tamen duo eorum nomina habent Germanica: vocantur enim Caſpar, Melchior, Balthaſar. Matthæus Euangeliſta dicit Magos fuiſſe Orientis; nec tamen aſſerit, quot eorum fuerint, & ſic de ijs etiam loquuntur ſancti Patres.*

blaſphemia de Magis Euangelicis.

confutatur ex verbis ipſius claris.

Neſcio quæ vertigo Molinæum, dum hæc ſcriberet, tranſuerſum egerit, vt non aduerterit, quam ſecum ipſe pugnarit in his pauculis à me recitatis verſiculis: repeto verba eius. *Non eſt dubitandum de ſanctitate Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum & inprimis B. Mariæ Virginis, ob teſtimonium ſcripturæ ſine impietate & ſacrilegio, item de S.S. Martyrum & confeſſorum, qui iam inde à tempore S.S. Apoſtolorum floruerunt.* Subſumo: atqui ſanctorum trium Magorum, ſeu Regum ex Oriente ad Chriſtum adorandum venientium (quorum corpora dicuntur Coloniæ quieſcere) ſacra ſcriptura maxima cum laude meminit, eorumque contexit fusè cum adiunctis pleriſque accuratam hiſtoriam: eorundem omnibus ſeculis iam inde à nato Chriſto ſancti Patres plerique magno cum honore faciunt mentionem: eosdem vixiſſe Chriſti tempore veteres hiſtoriæ Græcæ Latinæque & ſcriptores grauiſſimi, non ſacri tantum, ſed & profani teſtantur: ergo non eſt dubitandum de eorum ſanctitate ſine impietate & ſacrilegio, multò minus an vixerint. Tuo iam argumento conſtrictus fatere tres Magos aut Reges, vt à ſanctis Patribus vocantur ſanctos eſſe & vixiſſe. Poſſem ad ducentos cum SS. Patres, tum teſtes alios locupletiſſimos hic laudare, qui hanc SS. Regum hiſtoriam ſcriptis ſuis illuſtrarunt: ſufficiant, quos hoc libro c. 4. cum de numero eorum, & c. 3. cum de regia dignitate tractabo, ſum producturus, qui abundè ſolius Molinæi blaſphemum os obturabunt, vt ſuamet ratione conuictus fateri debeat, impiè & ſacrilegè ſe contra claram Euangelij narrationem, contra SS. Patrum conſenſum, contra Chrono-

logos

logos & historicos laudatissimos, eos vixisse negare, quos illi non mirificè tantum commendarunt, sed vt ideam sanctitatis omnis Christi fidelibus imitandam proposuerunt.

Sed videamus momentum rei, quod impulerit, vt contra sacrarum literarum & S S. Patrum expressam autoritatem eos neget exstitisse, *Quia dicuntur ex Oriente venisse, & duo eorum habent Germanica nomina.* Formemus argumentum. Qui ex Oriente venerunt, non possunt habere nomina Germanica: Reges vel Magi ex Oriente venerunt (vt scriptura ait) Ergo non possunt habere nomina Germanica: ergo non potuerunt existere. infirmatur eius ratio prima.

Maiorem primæ ratiocinationis excutiamus propositionem: occidentem tenemus Germani & Galli: nullone (te appello Molinæe) nosti in Gallia Theodoros, Gregorios, Philippos, Nicolaos, Nicasios? istine cuncti venerunt è Græcia? An omnes quotquot in Francia viuunt Ioannes, Bartholomæi, Simones venerunt ex Palæstina? omnesne Cassij Florentij, Floriani, è Latio prodierunt? tu Theodori Bezæ, Ioannis Caluini, & aliorum symmystarum tuorum ignores patriam? nominis & sanguinis originem? & vnde venisse dices, quibus nomen Græcum vel Hebraicum præfert etymon: cognomen verò è Latio vel Gallia petitur? quot populi Germanorum, Gothorum, Wandalorum, Galliam, Hispaniam, Italiam, Africam occuparunt: & sua ijsdem gentibus nomina reliquerunt? ideone qui Henrici, Luduici, Lotharij in Francia modo nominantur, censentur iam origine patriaque Germani ob nominum radicem? origo nominis & patriæ sæpe non cõsentiunt.

Sed aintu Iasparis, (vt plurimi & rectè forte scribunt) Melchioris, Balthasaris nomina Germanica esse? ego sanè meam in materna lingua fateor ignorantiam; neque enim Germanicam radicem memini, è qua deducantur, interim Hebræas esse voces, vel orientales cum de nominibus agam sanctorum Regum c. 5. clarè me spero probaturum: vt mirum sit Molinæum ideo, quod Magis talso crederet, Teutonica data fuisse nomina; eos è rerum natura sustulisse. Quanis obsecro consecutio: Petrus Molinæus nomen habet prius Græcum, alterum barbarum, formatum ad imitationem Latini sermonis: & Gallus est, ergo Petrus Molinæus nunquam fuit, commentitius & imaginarius est? vel S. Philippus Apostolus Græcum habet nomen & dicitur in Euangelio à Galileæ Bethsaida esse: ergo commentitius Apostolus est, & nunquam vixit. Talis est hæc tua Molinæe collectio: ais enim, *tales sancti sunt tres Reges, qui nunquam exstiterunt*: causam subdis, cur non exstiterint, quia *dicuntur ex Oriente venisse, & duo eorum nomina habent Germanica*: sed in tanta Dialecticæ ignorantia & infantia, quid opus verbis contendere? Nunc alteram audiamus æque debilem rationem: *Euangelista Matthæus dicit Magos fuisse Orientis: nec tamen asserit, quot eorum fuerint: & sic de ijs etiam loquuntur sancti Patres*: sed vim argumenti ad Dialecticorum normam expendamus. Isti Reges vel Magi nunquam vixerunt, quorum Catholici ternarium numerum exprimunt, cum Euangelista & sancti Patres non differant, quot eorum fuerint: at Magorum Euangelicorum Catholici certum & ternarium numerum exprimunt, ergo non fuerunt. Maioris huius propositionis falsitas manibus, quod aiunt, palpari potest: Nomina SS Regum non sunt Germanica. *Io. 1.* I. ratio eiusdem refutatur.

Pastorum qui Christum adorarunt nocte natalis Domini numerum scriptura non ponit, ergone certus eorum numerus non fuit? fuit profecto eorum definitus numerus, cum innumeri non fuerint; is si aliorum scriptis, vel traditione maiorum habeatur: vel etiam si conseruatis eorum eodem in loco diuisis corporibus cum singulorum nominibus monstretur oculis: an ideo dicentur Pastores Euangelici Christi contemplatores nunquam exstitisse, cum euidentia corporum seruatorum euincat certum numerum, quem Euangelista iustis de causis non recensuit? Numerum Discipulorum 72. Christi scriptura refert: nomina resque ab ijs gestas silet: ideone supposita sunt ea, quæ varijs in locis seruantur eorum corpora, nomina, Martyria, Gentium conuersiones? Vnius tantum Apostoli Iacobi martyrium scriptura narrat: an reliquorum ideo Apostolorum martyria sunt fabulosa, imaginaria, commentitia? sed quid in negatiuo confutando

argumento diutius immoror : cuius vim nosset Molinæus , si Dialecticam primis labijs delibasset. Quid si scriptura numerum ternarium præ reliquis omnibus insinuet?

Numerum Magorum insinuat scriptura.

Euangelista docet non vnum , sed plures fuisse Magos Christi adoratores ; duo viderí possent sufficere, ad verborum istorum veritatem defendendam : *Magi venerunt dicentes* : at Græcus & Hebræus repugnat textus, vterque pluralem , nusquam dualem exprimit numerum : cum igitur tres ad rigorem numeri sufficiant , & ad proprietatem verborum plures non exigantur : cumque eidem numerationi traditio totius Ecclesiæ, SS.Patrum consensus , corporum repertorum veritas , & tituli sepulcrales cum ipsis inuenti suffragentur, non est temerè ab eodem recedendum , vt c. 4. vberius demonstrabo : vbi suam loco proprio in sanctis Patribus oscitantiam deprehendet Molinæus , cum Patres neget, *quot eorum fuerint*, asserere : quando S.Ambrosium, Augustinum, Leonem, Bedam, Haymonem , Anselmum, Bernardum & plurimos alios, ac quosdam horum à mille & trecentis annis reperiet numerum eorundem ternarium definiuisse.

Patres exprimunt.

Sacrilega Molinæi audacia.

Equidem mirari nequeo istam Molinæi blasphemam & sacrilegam audaciam: fatetur de ijs ipsis se loqui , quos ab Oriente venisse ad Christum volunt Colonienses , & quos Euangelista cum SS.Patribus non definito eorundem numero vocat Magos: sed Colonienses hactenus sanctos tres Reges appellarunt certis ijs adscriptis nominibus : fatetur igitur de ijs moueri litem ; qui visa stella Solymam adierunt , de loco recens nati Regis Iudæorum Herodem & Principes sacerdotum consuluerunt ; qui cognito natali eius solo Christum adorarunt , & inde monitu cœlesti patriam suam Orientem repetiuerunt. De ijs ipsis, num Reges dici debeant,non mouet quæstionem , quod alij tamen faciunt : præscindit etiam ab ea difficultate, num sancti fuerint : illud indagat tantum , an vixerint : sic enim ait : *Ecclesia Romana præstat plurimis imaginarijs & commentitijs, & talibus sanctis cultum religiosum: de quibus merito dubitari potest,non tantum an sancti fuerint : sed etiam an vnquam vixerint*: Non ergo quærit hoc loco an sancti fuerint ; an Reges iure dicantur : maius quoddam portentum reperire se putat in Magorum historia , & cultu Sanctorum Ecclesiæ vsitato : quod illud ? scilicet , quod *de sanctis quibusdam merito dubitari possit, an vixerint*. Definitque ipse velut supremus fidei & scripturæ Iudex & arbiter , nunquam eosdem Magos seu Reges exstitisse contra claram & expressam scripturæ auctoritatem : vocat eorum vitam totam fabulosam , cum eorum historiam Matthæus Euangelista fusè prosequatur : quibus pauca Colonienses addidêre de vita eorum, vel à sanctis Patribus delibata , vel in eorum reperta monumentis : adiectis autenticis de eorum factis ex Oriente Constantinopolim , & inde Mediolanum Coloniamque translationibus.

redarguitur.

Quæ ista Molinæe tam temeraria decisio : Magos Orientis Christi adoratores siue Reges fuerint , vel sancti , de hoc non disceptatur modo : siue plures tribus (tot enim minimum fuisse scriptura innuit) quod modo non controuertitur , Magos inquam illos nunquam exstitisse , stellam vidisse ; Solymam peruenisse , Christum adorasse , in Orientem reuertisse : corpora post mortem reliquisse , quæ possent inde Constantinopolim , Mediolanum , & Coloniam transportari ? Quis vnquam ante te Molinæe , qui Matthæum quidem Euangelistam receperit, ausus est dubitare, num Magi Christi adoratores vixerint ?

Quod si mihi respondeas: non te negare Magos Euangelicos vixisse,Christumque adorasse : illud negare & pernegare , eos Coloniam delatos esse , & ibi corpora eorum in præsens adseruari : At vide obsecro Molinæe : nec hoc inter nos in controuersiam vocatur , potestque Catholicus de hoc ipso stante fide dubitare : at Romana Ecclesia non colit Magos Euangelicos , pro vt Coloniæ vel Mediolani dicuntur quiescere ; sed vbicunque demum gentium sint , eos ipsos colit , qui primitiæ Gentium Christum die Epiphaniæ adorarunt : horum virtutes per totam octauam Epiphaniæ decantat & fidelibus proponit imitandas : hos ipsos tu negas blasphemè vnquam exstitisse : Romani Catholici volunt in sanctis iure numerari : habent quos

se,

sequantur S.S. Patres, qui eos vt Ecclesiæ progenitores, Doctores primos Gentium & Iudæorum, ac egregios Christi confessores, summis semper laudibus extulerunt: & eorum heroicas virtutes posteris imitandas disertè copioséque proposuerunt, vt ex S. Chrysostomo, Leone, Ambrosio, Augustino & alijs hactenus ostendimus, & libris sequentibus vberius deducemus. Vtinam hanc saltem tuis sequacibus mentem Deus Opt. Max. meritis & precibus S S. Magorum Euangelicorum largiatur, vt eam temerariam, hæreticam, & blasphemam de sanctis hisce recantent assertionem.

Sed cum Euangelici Magi nunc vsitatiore voce Reges appellentur, eumque titulum ijs Hæreticorum complures detractum eant, age de eo disseramus: præsertim cum Aristoteles velit ante natiuitatem hominis laudem duci à nobilitate generis, quæ in bonis externis numeratur, adeoque iure possit à splendore natalium initium encomij sumi. *Aristot. l. 1. Rhet. c. 5.*

CAPVT II.

Qui negent genere fuisse Reges?

LIcet, vt capite sequenti probabo, communis Ecclesiæ sanctorumque Patrum sensus fuerit, eos Reges exstitisse, nihil tamen à fide alienum credit, qui hoc ipsum inficiatur: Nam & Catholicorum nonnulli, vt Iansenius & Baptista Mantuanus, in Regibus eos negant esse numerandos: sed Hæreticorum nobis ante calumniæ sunt diluendæ, quam Catholicorum leues rationes infirmentur. Agmen aduersariorum à blasphemijs & conuitijs instructissimus ducit Caluinus hoc præludio: *Ceterum plus quam ridiculi sunt Papistæ, quod Reges sibi fabricarunt, quia alibi prædictum legebant venturos Reges Tharsis, & Insularum, & Saba, qui munera Domino offerrent. Ingeniosi artifices scilicet, qui vt nouam hominibus formam darent, à mundi conuersione cœperunt: nam ex meridie & occidente fecerunt orientem. nec verò dubium est, quin iusta Dei vindicta sic obstupefacti fuerint, vt omnium ludibrio pateret crassa eorum inscitia, quibus veritatem adulterare, & in mendacium vertere nulla religio fuit.* Ita more suo maledicit atrociter sine causa, cui concinit Beza, qui temerè & omnino falso diu creditum ait fuisse (vnde consensum agnoscit Ecclesiæ) Reges exstitisse: quod duobus nixus firmamentis impugnat. Primo, non dissimulaturum id Euangelistam fuisse: *deinde* si ab Arsacidis venissent, nunquam Herodes iuratus Parthorum hostis permisisset. His magno numero nouatores assentiuntur, præcentorum suorum magis autoritate, quam rationibus confirmati. Quibus tres ego Caluini vel Lutheri gregales oppono, qui S S. Patrum placitis potius, quam suorum symmystarum calumnijs adhærere maluerunt. Primus Casaubonus est, is dum communem sequitur sententiam, vnum petit, ne quis hoc cogatur credere, tanquam articulum fidei: *securus esto* (promittit ei Gretzerus) *nemo te coget aliter sentientem*: licet non sit adeo laudabile aduersus torrentem brachia tendere, & communi tam veterum, quam recentiorum persuasioni repugnare. Tossanus Caluinista, *illustres apud suos, & magnæ autoritatis fuisse* asserit: probat id etiam ratione Georgius Calixtus in historia sua Magorum. *Quanquam*, inquit, *qui asserunt fuisse Reges, ij si per Reges intelligant Regulos dinastas siue toparchas, absurditatis conuinci nequeunt: nihil enim obstat, quo minus toparchiæ aliquæ Persidis penes Magos eo tempore fuerint: atque adeo è Perside Magi toparchæ in Iudæam venerint. Certe Strabo, qui scripsit, quando in terris egit Seruator extremo libro 15. Hodie, ait, seorsim suum Persæ habent corpus, & Reges alijs subditos, ante Macedonibus, nunc Parthis: sicut itaque hic docemur, Persia tres habebat Regulos, subditos Regibus Parthorum, cum quibus eodem hocce seculo acria Romanis fuerant bella; sed hoc tempore vna cum reliquis, vt nascente Principe pacis pax passim obtineret, sopita*, Hæc de Magis Heterodoxi, vt frustra Regiam Magis adsignatam dignitatem pro sua maledicendi libidine *stolidum* iactet Caluinus

Caluini calumniæ

& Bezæ subtiles atque rationes. 1. 2.

Hæretici tres eos Reges agnoscunt. *Casaubonus apud Gretzerum in postbumis. Tossanus. Georgius Calixtus in hist. Magor.*

Caluini confutatio

figmentum esse, cui tamen præ somnijs Caluini Magistri sui assecla eiusdem adhærere quidam maluerunt: sed quam insipienter contra omnium, cum veterum, tum recentiorum Geographorum tabulas nouus orbis fabricator Arabiam faciat Caluinus Palæstinæ occidentalem: quamuis austrum simul & orientem respicere libens admisero, id suo loco sole clarius apparebit, quando è sacro codice & Gentilium scriptorum
& Bezæ. autoritate confirmabo Arabiam Iudææ esse Orientalem: Bezæ primam rationem Catholici quidam, vt statim patebit, approbant, in eorum argumentis diluendam: alteram de Arsacidis explicant & dissoluunt Lutherani. Calixti verba sunt: *Pax tunc coaluerat Augustum inter & Phraatem Arsacidam Parthorum Regem, vt liberè possent subiecti per Orientem ei Reguli per Romanas prouincias commeare: nec enim in Romanorum fœderatos & socios vllum Herodi ius esse poterat, qui regnum ipse precarium à Romanis acceperat: in quorum ipse manebat fide & clientela*: Sic impunè Parthi, Medi & Elamitæ solebant ad templum Solymorum commeare, vt acta Apostolorum testificantur.

Catholicorum, qui Reges eos non agnoscunt, princeps est Iansenius interpres
c. 9. in concordia Euang. cetera eruditissimus, verba rationibus illigata proferam. *Vtrum autem Magi isti Reges fuerint*, & an *tres numero*, *vt nunc habet communis opinio*, *non planè constat*: *Nam Euangelista eos Reges non vocat*, *vocaturus*, *vt apparet*, *si Reges fuissent*: *cum id ad gloriam Christi non parum pertinuisset. Sed nec veterum interpretum quisquam hos Magos Reges vocat. Nam Chrysostomus quidem meminit Regis Persarum, scribens de Iudæis his verbis: Oportuerat namque eos continuè sentire, quantum sibi esset additum dignitatis, de tanti scilicet natiuitate Regis, qui Persarum ad se Regem ortu suo triumphante traxisset; verum apparet Chrysostomum ob id asserere Persarum Regem tractum ad Christum; quod illius consensu, aut etiam iussu Magi, qui apud Persarum Reges maximi erant, veniissent ad adorandum Christum: Theophylactus tantum semel hos Magos vocat Persicos Reges. oportebat inquit gaudere potius, quod Rex suus à Persicis regibus adoraretur: videtur autem recepta hæc*
Iansenius negat Reges fuisse. ratio 1.
2.
3. *opinio de Magis istis primum obtinuisse, ex ijs, quæ in Epiphaniarum die in*
psal. 71. Isa. 60. *Ecclesiastico officio canuntur: tunc enim ex psalmis decantatur illud: Reges Tharsis & Insulæ munera adferent, Reges Arabum & Saba dona adducent. & ex Isaia in epistola: & ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Verum hæc non propriè de Magis dicta esse ex eo manifestum: quod non venerint ex Saba vel Arabia: cum hæc loca respectu Ierusalem planè sint in meridie non in Oriente. canit enim hæc Ecclesia in die illo festo, quod his prædicta sit Gentium vocatio, quarum hi Magi primitiæ fuerunt: in quibus etiam pleraque ad literam competunt: quæ in Prophetis mysticè accipienda sunt*: Concludit tandem, & conciliat secum communem
Conciliat vtramque sententiã. opinionem hoc modo: *Rectè tamen Magi isti Reges dicuntur: quoniam scilicet potentes erant; & quoniam propter suam sapientiam soleant semper Regibus Persarum adstare: sine quorum consilio nihil in regno gerebatur: nec statuebatur, imo ex quorum numero semper esset Persarum rex.* Hanc etiam
Mantuani rationes. opinationem his versibus expressit Mantuanus.

l. 1. Sabbat. 6. Ian.

Nec Reges, vt opinor, erant: nec enim tacuissent
Historiæ sacræ autores genus istud honoris:
Adde quod Herodes, vt magnificentia Regum
Postulat, hospitibus tantis regale dedisset
Hospitium: secumque lares duxisset in amplos.

Iuuencè. Principium ex Iuuenco sumsit, qui floruit, vt multi volunt, anno 330. cuius hi versus.

Nec Reges vt opinor erant: nec enim tacuissent
Historiæ sacræ autores genus istud honoris
Inter mortales quo non sublimius vllum.

Vocat deinde eos *primores gentis* suæ & *proceres*, vt toparchas saltē & regulos agnoscat. Tam pauci, nec firmis rationum momentis oppugnatum eunt regiam Magorum digni-

dignitatem, contra torrentem SS. Patrum, & vniuſmodi totius antiquitatis & Eccleſiæ conſenſionem.

Prima ratio Ianſenij, Mantuani & Bezæ debilis eſt: Magi erant & Reges; Regis indocti & amuſi de Chriſti dignitate & Regno Teſtimonium infirmius eſt, quam trium iſtorum, qui totius pene orbis conſenſu (ſicut Orientis Magi) ſapientiſſimi re & nomine dicebantur: vt maluerit Euangeliſta potius Magos, quam Reges appellare de quo puncto capite integro differam alias. Ita & amici Iobi licet alibi Reges, in libro Iobi tamen potius amici nominantur, euertitur 1 ratio eur Magi dicantur, non verò Reges.

Altera falſo nititur fundamento: nam capite ſequenti demonſtrabo ſingulis ſeculis iam inde à Chriſto nato fuiſſe, qui Reges eos exiſtimarint. 2.

Et ſanè miror tam Ianſenium quam Boſquier & alios eum Chryſoſtomi locum pro defenſione tituli regij protuliſſe: cum in Græco S. Doctoris textu τὴν χώραν regionem non βασιλεία regem habeatur: vnde correctiores Latinæ verſiones habent, quod Perſicam Chriſtus ad ſe traxerit regionem: aliud eiuſdem S. Chriſoſtomi luculentius teſtimonium ego ſequenti capite recitabo. *Concb. arab. cæli.*

Tertia ratio putat originem Regum è pſalmis & Iſaia profluxiſſe: quam ego rectius ſequenti capite ex ipſo repetam S. Matthæo Euangeliſta: cui cum verborum proprietas Pſalmographi & Iſaiæ conſonet: non videtur à litera ſcripturæ recedendum. 3.

Denique quod Mantuanus miratur, Reges iſtos non ab Herode Rege fuiſſe palatio receptos, ego non miror: nota erat Herodis ſuperbia: quæ tumeſcebat magis, quòd ſibi parandas à nouo Rege, eiuſque fautoribus & aſſeclis inſidias metuebat: præſertim cum Tyranni qualis Dionyſius, & multo magis Herodes, tot etiam filiorum ſuorum interfector, ſoleant omnia tuta formidare. 4.

Sed nunc conſenſum ſeculorum omnium iam inde à nato Chriſto repetamus: qui eos in Regibus numerarunt.

CAPVT III.

Reges fuiſſe ſeculorum omnium conſenſu iam inde à Chriſto nato confirmatur.

FVNDAMENTVM ſententiæ de Regia Magorum dignitate non petitur à Pſalmi 71. & Iſaiæ capitis 60. vaticinio, ſed primo ſeculo ex ipſis ſancti Matthæi Euangeliſtæ verbis non obſcurè colligitur, vt euincit Adamus Contzen. *Tacuit*, ait, *Euangeliſta Regum nomen; ſed ita deſcripſit, vt Reges facile credamus. Primò enim theſauros ſecum vehunt, eos aperiunt, & magno Regi munera offerunt: hoc autem Regum eſt, non priuatorum, quanquam enim interdum priuati recondant theſauros; non tamen longo itinere ſecum vehere ſoliti ſunt: deinde aduentus illuſtris fuit; ab Herode audiuntur; tota ciuitas turbatur: at ſi Perſæ aut Arabes duntaxat Philoſophi, aut etiam vates priuati adueniſſent, nequaquam tanta fuiſſet apud impium Regem conturbatio. At horum dignitas, opes, comitatus oſtendebat, nihil fraudis, nihil impoſturæ ſubeſſe.* Fundamentum quod Reges fuerint ex S. Matthæo petitur pro primo ſeculo. 2. Matt. ob theſauros. & perturbationem Herodis & Solymæ.

Seculo 2. extremo Tertulianus Magos his verbis Reges nominauit. *Accepit* ait *Chriſtus infans virtutem Damaſci & ſpolia Samariæ: moneant enim Orientales illi Magi infantiam Chriſti, vt Regem auro thure & myrrha remunerantes, & accepit infans virtutem Damaſci ſine prælio & armis. De hoc auri munere etiam Dauid dixit, & dabitur ei de auro Arabiæ: & iterum: Reges Arabum & Saba munera adferent illi: Nam & Magos Reges ferè Oriens habet, & Damaſcus Arabiæ retro deputabatur, antequam tranſcripta eſſet in Syrophænicem, ex diſtinctione Syriarum, cuius tunc virtutem Chriſtus accepit, accipiendo inſignia eius, aurum ſcilicet & odores: ſpolia autem Samariæ ipſos Magos: qui cum illum cognouiſſent, & muneribus honoraſſent, & genu poſito* 2. ſeculo. *Tertullianus libro contra Judæos.*

adoraſſent, quaſi Deum & Regem ſub teſtimonio indicis & ducis ſtellæ ſpolia ſunt facti Samariæ, id eſt idololatriæ, credentes videlicet in Chriſto. Similia ferè de Magis & ſpolijs Samariæ Iuſtinus eodem ſeculo A. 150. ſcripſit, niſi quod regium nomen ijs expreſſè non adiunxerit: vbi vides non ex eo pſalmi verſu *Reges Tharſis* &c. ſed ex voce *M*agorum Orientis apud Euangeliſtam, & ex oblatis muneribus, ac ex incolarum Orientalium more Magos à Tertuliano Reges appellari.

Iuſtinus in Dialogo cū Tryphone.

Seculo tertio S. Cyprianus circa A. 250. ſer. de Baptiſmo Chriſti. *Non ſatis eſt, quod Angeli locuti ſunt Paſtoribus, quod apparuit ſtella Regibus &c.* & A. 296. S. Marcellinus Papa, de SS. Magis prædictum ait. *Tibi offerent Reges munera: & Reges Tharſis & Inſulæ &c. quia Magi apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.*

ſeculo 3. *S. Cyprian. in Epiſtola ad Epiſc. Salomonem.*

Seculo quarto permulti titulum regium Magis tribuerunt, ſanctus Athanaſius A. 330. *quem diem appellamus trium Regum*: ſcio quoſdam putare hoc eſſe interpretis additamentum, non autoris verba, ſed plures hunc locum S. Athanaſij volunt eſſe.

ſeculo 4. *S. Athanaſius q. 2. ad Antiochum*

Iuuencus Anno 330. vocat eos *primores Gentis ſuæ & proceres.*

Iuuencus, S. Hilarius lib. de Trin. c. 45.

S. Hilarius A. 355. de ijs explicat Iſaiam cap. 45. *labor Ægypti & mercatus Æthiopum, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt*, tum & toties decantatum Dauidis verſiculum: *Reges Tharſis &c.* quæ in largitione munerum facta concludit.

S. Ambroſius A. 374. *Iſti Magi tres Reges eſſe dicuntur.*

S. Ambroſius. ſerm. de Epiphania

Idacius Clarus Hiſpanus Epiſc. A. 380. vt probet Chriſtum eſſe verum Deū contra Arianos, id colligit ex ſacrificio à Magis eidem oblato. Vnde de Chriſto & his SS. Regibus explicat illud pſ. 67. *à templo tuo in Ieruſalem offerent Reges munera*, hæc autem de filio Dei dicta eſſe deducit ex eo 71. verſu: *Reges Tharſis &c.* ac ſubdit, *& vt hæc omnia ſuperius deſignata à Patre, Filio Dei doceamus fuiſſe oblata, in natiuitate eiuſdem Filij Dei, quæ ſecundum carnem facta eſt, probamus fuiſſe completa: Euangelio comprobante, quod cum natus eſſet* IESVS, *ecce Magi venerunt & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera.*

Dominī Idacius Clarus lib. adu. Varimun. Africanum.

Sanctus Hieronymus Anno 390. *Reges Tharſis: quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum: ipſi enim Gentium Regumque typum tenuiſſe monſtrantur.*

S. *Hieronymus in pſal.* 71.

Sanctus Chryſoſtomus Anno 398. *non enim ſunt occultata à filijs eorum in generatione altera: ſiquidem Reges venerunt & cœleſtem Regem ſuſpexerunt: ſed Reges quidem venerunt, vt cœleſtem Regem gloriæ adorarent, milites autem, vt principem exercitus colerent.* Citantur ex hoc ſeculo à Boſquier & alijs etiam. Baſilius & Greg. Nazian: ego tamen in meis exemplaribus non reperi expreſſam Regum mentionem.

S. *Chryſoſtomus ſer. de Nat. Domini.*

Huc ſpectat illud Claudiani.

Dant tibi Chaldæi prænuncia munera Reges,
Myrrham homo, Rex aurum, ſuſcipe thura Deus.

Claudianus in Epigrāmate de miraculis Chriſti.

Seculum quintum minus fecundum eſt. ſanctus Auguſtinus circa annum 420. *hanc ſtellam admirati, cuius etiam eſſet, ex conſequenti reuelatione noſſe meruerunt Reges vice Iudæorum*: ſimilis locus eſt in ſermone 43. ad fratres de eremo, & libro tertio de mirabilibus ſcripturæ, ſed quia num eius iſta ſint conſtat non inuenitur, modò non attingo. Serm. etiam 7. de Natali Domini dicit, *Chaldæos puerum* IESVM *Regijs muneribus honoraſſe.*

Seculo 5. S. *Auguſtinus* S. 1. *dom. infra oct. Epipha* ſ. 7. *de Nat. Domini.*

Sanctus Eucherius Lugdunenſis Anno 440. in Iſai. apud Suaretz. S. Proſper Aquitanus A. 460. impletas vult in Magis his promiſſiones, pſal 24. de ſtellæ ortu: pſalmo 71. Reges Tharſis &c. & Iſaiæ 60. *omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes.* idque probat ex Matthæi 2. capite. Vbi *theſauris apertis obtulerunt munera, aurum, thus, & myrrham.*

S. *Euche-rius Lugdū in Iſaiam.* S. *Proſper.*

Seculo ſexto: operis imperfecti autor peruetuſtus eſt & doctus, qui & ho. 26. in varios Matthæi locos videtur concinnaſſe: cuius cum ætas ignoretur huc reuocare volui. Is autem SS. Magis applicat eam Iſa. 60. capite prophetiam, *omnes de Saba venient,* &

Seculo 6. *auctor operis imperfecti ho. 1. in c. 1. Mat.*

& hunc Psalmographi versum *Reges Tharsis &c. & dabitur ei de auro Arabiæ.*

Seculo septimo Reges eosdem agnouerunt tres Hispani Episcopi S. Isidorus Hispalensis A. 630. *de his*, ait, *muneribus & Dauid prædicauit dicens: & dabitur ei de auro Arabiæ: & Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent: nam & Magos Reges habuit Oriens.* Seculo 7. S. Isidorus conc. 15. de Natiu. Domini.

S. Iulianus Episcopus Toletanus A. 680. *etenim*, ait, *post natum Christum primitiæ statim Gentium Domino consecratæ sunt, quod dilucidè satis, in illis Magorum ab Oriente venientium mysticis muneribus declaratur: sic quippe & hoc fuerat prophetatum: Reges Tharsis &c. & adorabunt eum omnes Reges terræ. Sic Isaias ipse adsperget Gentes multas, & super ipsum continebunt Reges os suum.* sanct. Iulianus l. 1. contra Iudæos.

S. Hildephonsus Archiepiscopus Toletanus Anno 658. *vide*, ait, *primum stellam nouæ Natiuitatis exordio nouo processionis apparatu prolatam exsuperare candore cœlos, vincere fulgoribus confines siderum choros, adire vltimas summo lumine terras, per ignota loca vagos præire deuotissimos Reges, hospitium demonstrare nascentis, & totonisu ostendere quod solus iste adorandus sit Deus, cui ducatu suo adorantes subdidit Reges.* sanct Hildephonsus lib. de virginit. sanctæ Mariæ c. 9.

Seculo octauo S. Ioannes Damascenus A. 730. *Hæc enim femina Dei mater est, vitæ porta, lucis fons, huiusce feminæ personam diuites plebis supplices deprecantur. Hanc feminam hostium Reges cum muneribus adorabunt. psal. 71.* Seculo 8. sanct. Ioan. Damasc. orat. 1. de nat. B. V.

Eodem Seculo Cosmas Hierosolymitanus coæuus S. Ioannis Damasceni floruit anno 731. is in Theogonia hymno primo ait de christo, *quem olim prædixit Iacob Gentium receptaculum Christe, ex progenie Iuda ortus, & robur Damasci Samariæque spolia venisti deprædatus: diuinationis quondam Balææ sermonum discipulos sapientes Astrologos lætitiæ impleuisti, stella ex Iacob orta Domine, Gentium primitias inducentes, suscepisti autem palam gloria potentiæ tuæ Domine: vt in vellus, in ventrem virgineum descendisti pluuia Christe, & vt guttæ in terram stillantes Æthiopia & Tharsis, & Arabum Insulæ, & Sabæ Medorum omni terræ dominantes procidérunt tibi Saluator: gloria potentiæ tuæ Domine.* Cosmas Hierosolymitanus apud Suidam in Ioanne Damasceno.

Lapidis Sinensis inscriptio A. 782. facta sic habet, *stella magnæ huius felicitatis fuit annunciatrix: Reges eius claritate perspecta munera oblaturi venerunt.* Autor sinensis inscriptionis.

Seculo nono Paschasius Ratbertus Abbas Corbeiensis anno 820. *nam & in his Regionibus ad Orientalem plagam Hierosolymorum Magos Reges exstitisse nemo, qui historias legit Gentilium ignorat: quo profecto Reges eos fuisse opinamur.* Seculo 9. Ratbertus in c. 2. Matt.

Eodem seculo Christianus Druthmarus Grammaticus Corbeiensis ita in idem caput commentatus est: *Fuerunt autem de genere Balaam isti tres Reges: de tribus regnis fuerunt, de terra Euilat, vbi effoditur aurum optimum.* Druthmarus.

Strabus Fuldensis monachus vixit A. 840. *Fuerunt*, ait, *de terra Persiæ, vbi est Saba fluuius à quo regio nominatur, iuxta quam & Arabia est, vbi Magi fuerunt Reges; qui etiam tria munera obtulisse dicuntur.* Strabus & glossa.

Seculo decimo, Oecumenius, quem nonnulli præcedenti, alij sequenti ponunt seculo; media via gradior & circa hoc tempus alias sterile colloco. Is de Magis ita loquitur. *Hi Reges ex Gente barbara ortum habebant, & Chaldæa.* & infra: *ita isti omnes Reges sua munera deuotè admodum & piè Domino obtulerunt.* Seculo 10. Oecumenius.

Eodem sanctus Odilo Cluniacensis Abbas ser. de Epiphania. *Sacramentum præsentis diei considerans voce clara pronunciat (Dauid) dicens. Reges Tharsis & insulæ munera offerent &c. adhuc etiam magnitudinem potestatis eius admirans, ait: & adorabunt eum omnes Reges, omnes Gentes seruient ei.* S. Odilo ser. de Epiphan.

Seculo vndecimo Anno 1071. Theophylactus Episcopus Bulgarorum. *Oportebat enim gaudere potius, quod Rex suus à Persicis Regibus adoraretur.* Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, A. 1080. *nec scriptura refert quot Reges fuerint: sed numerus eorum ex numero munerum percipitur.* Seculo 11. Theophylactus in 2. Matt. sanct Anselmus in 2. Matt. Petrus Damiani ser de Nat. Dom.

Petrus Damiani Cardinalis anno 1060. *Pastores veniunt & inueniunt puerum & puellam, procedit stella, Reges accedunt, adorant Filium Matrem venerantur, offerunt munera, deferunt Maiestati*: alij alijs sermonem hunc tribuunt. Radulphus Pictauus circa annum 1080. *nam tres Reges in splendore ortus Domini venientes, aurum & thus Domino obtulerunt.*

San. Bruno. Isa. 60. ps. 71. S. Bruno Carthusianæ familiæ Patriarcha Anno 1080. *de quibus*, ait, *dictum est: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes. & in psalmis: Reges Tharsis.*

seculo 12. Zacharias. in 2. Matt. Seculo 12. Zacharias Chrisopolitanus anno 1101. *Magi appellati sunt Reges Orientales, vel quia de stirpe Balaam fuerunt, qui multum sciunt de incantationibus, vel quia fefellerunt Herodem, per aliam viam reuersi in patriam.*

Rupertus l. 3. de offic. diui. c. 24. Rupertus Tuitiensis Abbas. anno 1119. *Tota laudum materia dona sunt Regum, aurum, thus, & myrrha.*

Otto Frisingensis lib. 3. chron cic 7. Otto Frisingensis Episc. in Epiphania vult Christum accepisse Imperatoriam dignitatem in omnes Reges. *per hoc autem*, inquit, *quod Reges eum adorare, omnesque Gentes seruire asserunt, Monarchiæ apexi, id est singularis super totum mundum Principatus eius esse decernitur.* Arnoldus Carnotensis S. Bernardi discipulus A. 1177. *Reges Arabum*, ait, *& Saba, de Oriente egressi, secuti insoliti luminis, genibus curuatis & humi purpura defluente Iesum nostrum pannosum adorantes donis Sarramentalibus venerati sunt.* Eodem tempore Gothfridus Viterbiensis de Magis explicat v. 71. Reges Tharsis, &c. Guarricus Igniacensis Abbas itidem S. Bernardi discipulus. *Sidus nouum creat: & Reges in splendore ortus sui, ad exortum quoque æternum splendorem ab Oriente ad verum Orientem id est virum, cui nomen Oriens stella perducit.*

Arnoldus Carnotensis tract. de laud. Mariæ.

Gotfridus p. 13. chronici in prophetijs Guarri. s. 2. de Eppha.

Philippus Col. Archiepisc. in diplom. Philippus Colonienſis Archiepiscopus in diplom. suo, ait: *Intelleximus eleëmosynas, quæ ad sancta Regum corpora offeruntur, sicut & ipsos Reges maiori Ecclesiæ in Colonia obtulerit: vt vbi sanctissimi Reges corporaliter quiescerent.*

seculo 13. Innocent. 3. s. de Epipha. Seculo 13. Innocentius 3. summus Pontifex A. 1200. *Tres isti Magi tres Reges fuerunt.*

Hugo Cardinalis A. 1245. *Non est credibile, cum illi Reges fuerint, quod tres soli venerint, imo potius multis comitibus stipati fuerunt.*

Ægid. to. 2. Leod. Epsc. c. 44. & 45. Ægidius aureæ vallis A. 1230. *Cui Imperator trium Magorum corpora contulerat, Reinaldus Colonienſis Archiepiscopus sæpe dictos BB. Reges sibi donari petijt & obtinuit.*

Vincentius Bellouacen. in chro. hist. ad A. 1162. Vincentius Bellouacensis A. 1250. *Corpora trium Regum seu Magorum, qui Dominum in cunabulis adorarunt.*

Alb. M. in 2. Matt. Albertus M. 1260. *Magi fuerunt Reges, habemus ex ps. 71. Reges Tharsis &c. tota etiam Ecclesia testatur eos Reges fuisse.*

S. Thomas s. de Ep pasane. Bonauentura ser. de Epipha. S. Thomas Aquinas A. 1265. *illi Reges Magi vocantur id est sapientes.* S. Bonauentura Cardinalis 1265. *Reges isti Domino offerentes perfectos significant, qui seipsos regere nouerunt.*

Iacobus de Vitriaco s. 3. de Epiphan: Mat. Pariſ. ad A. 1243. Iacobus à Vitriaco Cardinalis floruit circa A. 1230. qui ait, *potentes fuerunt & Reges, vt dicitur, vnde & de his longè ante prædixerat Dauid: Reges Tharsis &c. & Isaias: Reges in splendore ortus tui, nunc autem inde venerunt Reges siue Magi.* Matthæus Parisiensis floruit A. 1250. is ait, ad ann. 1243. Tartaros rogatos, cur prouincias Christianorum inuaderent? respondisse *propter Magos Reges, quorum sacris corporibus ornatur Colonia, in patriam suam reportandos.*

Wilh. Durantes l. 6. rationalis. Wilhelmus Durantes Episcopus Mimatensis vixit A. 1280. *& fuerunt Reges iuxta illud psalmi: tibi offerent Reges munera.* Et iterum: *Reges Tharsis & Insulæ.*

seculo 14. Guido in Harmonia. Liranus in Iesa. Seculo 14. Guido Episcopus Heluensis A. 1330. *Quare autem istis deuotis Regibus non est reuelatus solus.* & infra. *Et procidentes adorauerunt: quem honorem Reges Regi mortali non exhibuissent.* A. 1320. Nicolaus Liranus Franciscanus *imò dicti sunt & Reges, quod illo tempore Philosophi sapientes regnabant.*

Michael Æguanus in psal. 71. Michael Æguanus vulgo Incognitus circa A. Domini 1360. Doctor Parisiensis & Generalis ord. Carmelitarum. *Reges Tharsis: ad literam hoc exprimit de tribus Regibus, de quibus dicitur Matt. 2. Magi ab Oriente venerunt.*

Petrus Paludanus ser. de Epipha. Petrus Paludanus Burgundus Patriarcha Hierosolymitanus circa A. Domini 1330. is narrat, quomodo sanctorum Regum corpora fuerint à B. Helena Constantinopolim, inde Mediolanum & Coloniam transportata.

Simon de Cassia l. c. 6 Simon de Cassia Augustinianus circa A. 1340. *Erant in Regione aliqua Orientalis plagæ tres viri nobiles, parui tamen Reges.*

Lew. Nerthoff ad A. 1164. Lewoldus Northoff A. 1320. *inde corpora trium Regum per Reinoldum Archiepiscopum Colonienſem sunt translata.*

Ioannes 22. Pontifex anno 1327. in diplomate, *in qua* (Ecclesia) *trium SS. Regum, qui Regem regum altissimum meruerunt oculis carneis intueri, corpora sunt venerabiliter collocata.* Joannes 22

Henricus Virneburch Colonienſis Archiepiſcopus in Synodo poſt annum 1305. celebrata. *Volumus craſtinum B. Mariæ Magdalenæ, quo corpora trium Regum beatorum Coloniam peruenerunt, Coloniæ tantum obſeruari.* Statuta Colonienſia.

Bonifacius 9. anno 1393. *Eccleſia, in qua SS. trium Regum, qui Chriſto Regi tria munera pretioſa obtulerunt corpora venerabiliter requieſcunt,* Bonifacius in diplom.

Seculo 15. S. Vincentius Ferrariens. anno 1410. *iſti tres Reges Orientis magni Aſtrologi & philoſophi fuerunt.* seculo 15. San. Vincē. ſ. 1. de Epiphan.

S. Bernardus Senenſis anno 1438. *Iſti Reges dicti ſunt Magi, non à magica arte ſed à ſcientiæ magnitudine: Reges inſuper dicti, quia illo tempore in partibus illis regnabant philoſophi ſapientes.* S. Bernardinus ſer. de Epiphan.

Alphonſus Toſtat. Epiſc. Abulenſis anno 1440. is paſſim in titulis qq. eos Reges vocat: & q. 22. ſic loquitur: *quia iſta erat res celebris, quæ latere non poterat, ſcilicet quod venirent tres Reges extranei in Ieruſalem.* Toſtatus in 2. Matt.

S. Antoninus Florentinus Archiepiſc. anno 1445. *Magi, id eſt, ſapientes præcipuè in Aſtrologia & Reges ab Oriente venerunt Hieroſolymam.* Antonius in chronico A. 1. Chriſti

B. Laurentius Iuſtinianus Patriarcha Venetus anno 1450. *Reliquerunt hi Reges propria & ad exterorum tranſiere nationes, vt quem ex reuelatione & ſigno didicerant naſciturum, corporali præſentia etiam adſpicerent natum.* B. Laur. Iuſtinianus ſer. de Epiphan.

Dionyſius Carthuſ. anno 1450. *Ecce Magi, id eſt, ſapientes venerunt cum magno comitatu: vtpote Reges: illis namque temporibus ſapientes regnare ſolebant, quales etiam erant amici Iob, qui in libro Tobiæ & à S. Ambroſio Reges vocantur.* in 2. Matt.

Wernerus Roleuinck floruit anno 1480. *Corpora SS. trium Regum hoc tempore transferuntur de Mediolano Coloniam.* Roleuinck in faſciculo temporum ad A. 1161.

Felix Fabri circa annum 1490. *Reinoldus Colonienſis Archiepiſcopus accepit corpora SS. trium Regum de loco, vbi nunc eſt conuentus noſter.* Fabri l. 1. Hiſtor. ſacrar. c. 12.

Seculo 16. Claudius Guilliaudus anno 1540. *Dicendum nobis cum ſancto Chryſoſtomo, hos adoratores, quos magnus Eccleſiæ conſenſus tres Reges prædicat, ex Perſide veniſſe.* Seculo 16 Guilliaudus in 2. Matt.

Eodem tempore clarebat Adamus Sasbout. *Neque verò ſapientes tantum fuere ſed & potentes: imò Reges: ſic enim habet traditio: quam probabilem facit, quod apud Perſas nemo rex eſſe poterat, qui non antea Magorum diſciplinam ſcientiamque percepiſſet:* Sasbout hom. in feſto 3. Regum.

Eckius, *itaque vos conſtantes eſtote, & credite tres illos Magos magnos potentesque fuiſſe Reges & ſuarum ditionum dominatores præualidos, in Arabia & adiacentibus regionibus & Inſulis iuxta Iſaiam & Dauidem.* Eckius S. 1. de Epiphan.

Cum His vixit *Hieron. vida*, qui ita canit. Vida l. 3. Chriſt.

Tres adeo magni Reges ditione profecti
Huc ſeſe intulerant puero dona ampla ferentes.

Longum eſſet eius ſeculi cunctos percenſere. Paulum de Palatio, Canum, Ioannem Raulinum, Maldonatum, Genebrardum, Pammelium in l. 3. contra Martionem Crantzium, Hermannum Scheidel, Rodulphum Langium, Petrum Etterlinũ, Ioannem Adolphum, Eraſmum Roterodamum, Hectorem Boëthium, Democharem, Baronium, Torniellum, Salmeronem, Henriquetz, Beauxamis, Natalem, Trugillum, Oſorium de geſtis Emanuelis, Nauarrum, Maphæum in Indicis, Ioannem Molanum, & concionatores æui illius penè innumeros: duorum verba recitabo. alij autores 25.

Hector Pintus pro aris & focis hanc ſententiam propugnat. *Certum eſt eos fuiſſe Reges & de hoc non eſt dubium: ſiquidem vetus Eccleſiæ traditio ita habet: & plures etiam Doctores id atteſtantur*: & infra cum refutatis leuiculis aduerſariorum argumentis pro ea ſententia SS. Patres recitaſſet, ſubdit: *vide quam antiquos & graues autores tibi cito: & quanta ſapientia & ſanctitate munitos: omnes hi & alij propè infiniti hanc veritatem teſtantur: & hæc eſt Eccleſiæ S. Catholicæ traditio.* Hector Pintus in Dialogis.

Fortius pro regia eorum dignitate pugnat Stephanus de Salazar Carthuſianus. *Reſpondemus*, ait, *planè eos Reges fuiſſe: ſed exiguos Regulos ſcilicet & Toparchas, qua-* Stephanus Salazar de genealogia Chriſti l. 2.

quales habuit plurimos Oriens, sub primarijs imperijs comprehensos, & Monarchis obtemperantes, Plutarchus: enim in Lucullo, Tigranis Armenij fastum atque superbiam describens, qui non ita multis annis ante Christi ortum in Asia floruit, ita inquit:

Tigranis pedissequi erant Reges.

ministrabant ei Reges multi: quorum alij veluti pedissequi, aut satellites adstabant, hi equitanti pedestres inferiores tunicas induti occurrebant ei. De eiusdem etiam copijs & apparatu paulo post disserens, ita inquit. Neque insana prorsus, omnemque præter rationem videbatur viri temeritas, cui tot populi, tot Reges, tot peditum legiones, & equitum millia animos attollebant. Docet maximum hunc Regulorum numerum ipse quoque titulus, quo Monarchæ potentissimi, & qui magna imperia sibi, aut iure hereditario, aut bello in Asia comparaucrant Reges Regum appellabantur. Hanc sententiam confirmant tum antiqua & inprimis vulgaris Christianorum opinio iam olim in Ecclesia recepta, tum picturæ, tum multorum Patrum testimonia: Athanasij, Tertuliani, Cypriani, Hieronymi, Augustini, &c. probat id etiam Magorum potentia, & ius regni, non nisi his, qui eorum disciplinis imbuerentur. 2. probant id etiam eximia & singulari sua eruditione tam B. Iob. quam tres amici eius: vide plures eiusdem rationes.

rationes.

seculo 17. 30. autores.

Decimo septimo nostro seculo superuacaneum & putidi laboris congerere tot autores, qui hanc regiam appellationem S S. Magis attribuerunt. libri eorum in manibus sunt. E Theologis probant Suaretz, Siluius ad q. 36. a. 3. Kellisonus a. 8. d. 3. Tannerus, Gretzerus, Forerus. Ex interpretibus Lorinus, Regius, Barradius, Adamus Contzen, Cornelius à Lapide, Pineda, Morales in Matt. 2. c. Tirinus.

Ex Chronologis & historicis Salianus, Petauius, Ribadeneira, Graasius.

Ex Concionatoribus palmam tulit Bosquier in ara cœli, Carthagena, Betseus, Baëza, Garcia, Osorius, Cottonus, Ildephonsus Giron, Beierlinck, Ioannes de la Hage, Pet. Simonis Tiletanus Episcopus Iprensis.

Ex Ascetis Ludouicus de ponte, Bourgesius, Christianus Meyer, Scribanius. Ex

consensus & traditio Ecclesiæ colligitur.

hac plusquam centuria testium incorruptissimorum: & omnium ferè iam inde à Christo nato seculorum tam Græcorum, quam Latinorũ rectè colligitur primo certa, stabilis & rata totius Ecclesiæ traditio, consensus S S. Patrum: Interpretum Theologorum, Chronologorum, & Historicorum hos Magos Euangelicos rectè per orbem totum Reges appellatos, iure cum sceptris & coronis à septingentis & pluribus retro annis depictos, sculptos, incisos; merito in diuinis officijs iam ab octingentis & pluribus annis ab Ecclesia tam psalmum 71. quam Isaiæ caput 60. recitatum: & in ijs decies fermè ea die *Reges Tharsis & Insulæ* nominari, vt temerarium sit isti traditioni & consensui Ecclesiæ sine solidissimo fundamento refragari: & quamuis quidam S S. Patrum non attigerint, an Reges, vel non fuerint: nemo tamen vnus, quem ego legerim extra Iuuencum negauit absolutè: quamuis & hic toparchas & Regulos fuisse fateatur.

rationes pro hac sententia 1.

Huic traditioni suffragantur hæ rationes. I. Quia aduentu Regum exterorum inopinato cognito, tam Herodes, quam vniuersa Solyma tantopere conturbatur.

2. II. Quia Reges hi, vtique socij Romanorum, non veriti præsentiam & potentiam Herodis Regis, liberè sunt ausi Regem ipsum de loco nati Messiæ interrogare, nunquam id homines priuati attentassent.

3. III. Quod Rex comperto Magorum aduentu, & noui Regis interrogatione non comprehenderit vt perduelles; non in eos, vt maiestatis reos; ac pacis totius Palæstinæ perturbatores animaduerterit seuerius; quod vtique feciſſet, si pauperes tantum Astrologi tres, nullo stipatu Regem fuissent ausi in vrbe regia publicare

4. regiè videntur habiti. IV. Quod honorificè videatur eos Herodes & regia magnificentia recepisse: non enim in priuatorum hominum causa concilium Principum, Sacerdotum & Synædrin conuocasset: non ipse tam promtè peregrinis, Regis noui præconibus aditum ad se patefecisset: non causam aduentus, & dignam tanti Regis nati venerationem à Regibus totius orbis faciendam comprobasset: non ipse secuturum se ad adorandum spopondisset: non per se ipsum locum ipsis nati Messiæ demonstrasset. Nec videntur Reges nostri semoti multum à regia noctem exegisse, vt clam arbitris absque concursu populi postridie cum ijs iterum loqueretur: & licet apparatum regium, quo tunc accepti sunt Euangelista præterierit, vt pompam vanam, quæ parum scopo

Euan-

Euangelico congrueret, ex ijs tamen, quæ de coacto concilio, Regisque trepidi cum Magis colloquio differit, nobis ea reliquit consideranda. obiectioni occurritur.

V. Thesaurorum per tam longinquam viam ex Oriente Solymam vsq; deportatio, munerum etiam regiorum largitio, (qualia Regina Saba, Regi Salomoni legitur obtuliſſe) non obscurè significant eos non vulgares Toparchas, sed potentes etiam Reges exstitiſſe: qui tanto venerint apparatu & comitatu, vt possent, non à prædonibus tantum, sed Regibus etiam inuasoribus se suosque thesauros vindicare. Reditus etiam per aliam viam ipsis diuinitus demonstratus, innuit peculiarem fuiſſe diuinam prouidentiam necessariam, vt ea frequentia hominum salua rediret in patriam: cum tres peregrini facilè mutatis vestibus, & mœnibus Solymæ declinatis ad suos reuerti potuiſſent. 5. à thesauris secum deportatis.

Confirmantur hæc primo vaticinijs toties laudatis Isaiæ & Psalmographi de dromedarijs, inundatione seu frequentia camelorum, fortitudine Gentium, & multitudine maris, quibus verbis robustus, varius & regius eorum comitatus, apparatus & magnificentia Regum Orientalium significatur, quæ iure possent Herodem terrore percellere: vt tam faciles & beneuolas ijs aures daret, & eorum gratia cogeret Synedrin Iudæorum. Præsertim quando veteres Rabbini, vt prolixè docui, & olim, modòque doceant Regem Messiam à Regibus Saba, vel Orientis cum muneribus adorandum esse. Confirmatio I. Ex Scripturæ verbis. & traditione Iudæorum.

Habemus expressas hac de re S S. virginum & feminarum approbatas reuelationes. ex reuelationibus. SS.

S. Elisabeth Schonaugiensis in Epiphania ait: *vidi tres Reges coronatos stantes ante thronum, & accedentes adorarunt flexis genibus ante filium hominis, & tollentes coronas de capitibus suis, obtulerunt eas in manus ipsius, rursusque ab eo receperunt.* S. Elisabeth Schonaugiensis l. 2. reuelat. c. 5.

S. Birgitta inquit: *quando tres Reges Magi venerunt in stabulum ad adorandum filium, bene ego antea præsciebam eorum aduentum.* S. Birgitta l. 7. c. 24.

S. Franciſca Romana vidit *tres Reges cum magna stipatorum frequentia aduentare ad Christum adorandum.* vocat deinde singulos Reges, vt Rex Caspar, &c. Hæ feminæ catalogo Sanctorum insertæ, à vaticinijs præcipuè commendantur à sede Apostolica. Similia vidit Veronica de Benasco, & alij. c. 19. vitæ S. Franciscæ B. Veronicæ.

Confirmatur secundo ex voce Magorum: è qua non incongruè *Tertullianus, Isidorusque* deducit eos Reges Orientis exstitiſſe, quod potest Gentilium scriptis stabiliri. 2. ex voce Magorum Gentiles ita Reges appellarunt.

Constat I. ex Herodoto, fratres duos Magos in Perside post Cambisen, & Darium item Magum imperasse: Deinde Cicerone teste, *nec quisquam Rex Persarum potest esse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque perceperit.* vnde Plinius ait. *Magiam in Oriente imperasse Regibus.* & ante eum Philo sic scribit de Magia: *non solum eam plebes sectantur; sed etiam Reges Regum maximi, præsertim Persici tam curiosi harum artium, vt regnare non liceat, nisi cum Magis versato familiariter.* Quamuis Apuleius existimet eam scientiam non posse plebi communicari, *inter prima*, ait, *regalia docetur, nec vlli temerè inter Persas concessum est Magum esse haud magis quam regnare.* Herodotus l. 3. Cicero l. 1. de diuinatione. Plinius l. 3. c. 1. Philo l. de specialibus legibus.

Hinc duo colligo: primo Magos Euangelicos licet Reges, astrologiæ tamen fuiſſe peritiſſimos, hoc enim præcipuum Magiæ studium fuiſſe infra demonstrabo, & rectè familiari stellarum signo fuiſſe diuinitus euocatos: deinde rectius fuiſſe ab Euangelista Magos, quam Reges nominatos: quia non Regum, sed sapientum erat stellam nouam à fixis vel erraticis veteribus distinguere; ex eius exortu nouo tam portento so diuinam potentiam & inspirationem prudenter colligere; ductum eiusdem tam prodigiosum rectè sequi; & regna sua mundi totius Dominatori subijcere: præterea vt S. Matthæus etiam significaret, non eos temerè tantis se periculis exposuiſſe, & regnum Messiæ, stella licet euanescente Hierosolymis constanter publicasse; quibus ex Philosophiæ principijs persuasiſſimum erat, non nisi diuina vi talia geri potuiſſe. cur Magi potius quã Reges appellentur. 1. 2. 3. 4.

Fateor non esse capitis huius probationes demonstrationes physicas; probabiles certæ & verosimillimæ sunt rationes, quæ longè præponderent duobus argumentis aduersariorum merè negatiuis: quia Euangelista nec eos vocat Reges: nec describit regium apparatum, quo sint excepti ab Herode: Hoc solo fundamento nixi Reges fuiſſe negant, & in Catholicis quidem tres id tuentur, Iuuencus, Mantuanus & Ianse-nius: licet greges integri Acatholicorum eis suffragentur; comparatio harum rationum cum fundamentis aduersariorum.

Sed

Sed cum de re facti disceptemus, & nemo nostrum rem ipse viderit, vel audierit, sed testibus sit definienda magis ceteris idoneis: ideo copiosior fui, & posthac ero in ijs laudandis: vt quo eorum inclinat maior, sanior & electior pars, id recipiatur, præsertim si rationes etiam firmiores adstipulentur. Vnum moneo non leue censeri argumentum, aram Bethlehemiticam SS. Regum pridem fuisse appellatam. 2. Mediolani & in translationibus, & Coloniæ vix alio, quam SS. Regum nomine fuisse corpora eorum appellata. 3. capita regijs semper coronis cincta, vt & hæc inscriptio hierothecæ præfixa peruetusta indicat.

corpora eorum cũ honore Regum & Coronis culta hactenus.

Tres *R*eges, *R*egum *R*egi tria dona tulerunt:
*M*yrrham homini, vncto Aurum, Thura dedere Deo.

IV. Doctorum quorundam Colonienſium de ipſorum hiſtoria ſcriptum, quod à multis retro annis emanauit hoc exemplo. *Non obſcuri eos loci aut ordinis, ſed Principes viros, atque adeo Reges fuiſſe; quod Chriſti gloriam maximè illuſtrat pium eſt credere: id enim veteris legis figuræ, quæ in* Salomone *anteceſſit, & Prophetarum maximè Dauidis, & Iſaiæ vaticinijs conſentaneum eſt: quorum ille, inquit, Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent. Poſterior verò & ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Quæ de Magorum vocatione, oblationeque ab Eccleſia & SS. Patribus intelliguntur: idem Herodis & totius vrbis Hieroſolymitanæ ad eorum aduentum trepidatio; munera item pretioſa, quæ ex theſauris ſuis depromſiſſe referuntur, maiorum aenique traditio, ſcriptis, ſermonibus, cantionibus, hymnis & picturis, vt vulgaribus, ſic antiquis prodita confirmant. Nec quidquam ad rem facit quod Euangeliſta non appellarit Reges, ſed Magos: id enim conſultò factum eſt, quod Chriſti gloria noſtraque religio Magorum ſiue ſapientum teſtimonio potius, quam Regum potentia conſtabilienda videretur.* Hactenus DD. Colonienſes: ſed teſtimonia tranſlationum, quorum pleraque Reges eos fuiſſe confirmant, pene centuriam conficiunt de qua alias: ita genere regio Magorum ſtabilito, perſonarum numerus iam venit inquirendus.

Doctorum Colonienſium cenſura.

CAPVT IV.

Quot Reges Magi Chriſtum adorarint.

HÆc iterum controuerſia non rationibus, ſed teſtibus & integerrimis, ſanctiſſimis, doctiſſimis & antiquiſſimis eſt definienda.

Georgij Calixti de Epiphania obiecta.

De ea ſic quidam nugatur Heterodoxus. *Porro non defuerunt olim qui ex trium munerum numero hariolarentur tres etiam fuiſſe Magos, qui ad Seruatorem in Iudæam veniſſent: atque ea opinio inualuit & paſſim recepta eſt: etſi nullo omnino innixa fundamento. Primus aut certè inter primos Leo magnus, cum in Epiphania octo ſcripſerit ſermones, ſingulis ferè inculcat Magos tres numero fuiſſe.*

diluuntur.

Errat *Primò* nullo fundamento ex numero munerum eam opinionem inualuiſſe: cui reclamat ipſa conſtans Eccleſiæ traditio; vel ipſa potius quæ modo Coloniæ ſuperant, non plura, nec pauciora, quam tria SS. Regum corpora.

Errat deinde, quod primum faciat iſtius ſententiæ S. Leonem aſſertorem: vt meritò correxerit inter primos eundem numerandum: oſtendam enim annis iam centum citius eum numerum diſertis verbis explicatum.

imagines trium Regum à tẽpore Apoſtolorum.

Pro prmis tribus ſeculis Chriſti, quibus imperatores Gentiles ad annum vſque 310. Pontifices Romanos ad ſubterraneas ſpecus habitandas compulerunt, ſeruiunt antiquiſſimæ picturæ Trium Magorum, & ſculptæ imagines, quarum duodecim exhibet Roma ſubterranea, ternoſque ſemper eorum exprimunt, cum donis oblatis infantulo Chriſto, quibus Eccleſiæ Romanæ traditio numeri Regum confirmatur: vt in Vaticano reperta imago Fol. 63. vbi Ioſephus adeſt. Fol. 93. tres togati ſtanti in ſinu materno puero offerunt. Fol. 95. tres clamydati & tiarati ſunt, adſunt cameli & famuli: Chriſtus in ſinu matris manus complicat. Fol. 99. tres ſunt togis breuioribus accincti in cœmiterio Calixti via Appia & Ardeatina. Fol. 279. duæ videntur imagines & in altera tres ocreati cum calcaribus. Fol. 287. adeſt Ioſephus

bos

bos & asinus, primusque trium annulum cum gemma puero offert.

Fol. 289. in sarcophago prope Ecclesiam S. Sebastiani reperto, clamyde, cidari & capillis prominentibus apparent, & primus coronam auream absque radijs offert: stella etiam conspicitur. Fol. 489. tres clamydati submisso poplite deferunt. Fol. 423. tres cum equis, pedites tamen aduolant. Fol. 589. tres togati infanti fascijs inuoluto, munera exhibent. Primus è Patribus Triadem SS. Regum S. Athanasius circa ann. 330. tuitus est, dum ait, (*quem diem appellamus trium Regum*) vbi receptam probat Ecclesiæ consuetudinem. Alter circa ann. 374. S. *Ambrosius* his verbis confitetur: *isti Magi tres Reges esse dicuntur, & tria munera aurum, thus & myrrham obtulerunt: quoniam verum Deum & Regem, & verum hominem in carne mortali apparuisse cognouerunt.* Vides iam tum illius sancti ætate communi fidelium assensu dictos esse tres Reges, non è muneribus: tam in Oriente, vbi S. Athanasius, quam Occidente, vbi Ambrosius degebat.

Defensores Triadis Regum. *S. Athanasius.* *S. Ambrosius serm. de Epiphan.*

Circa ann. 400. Flauius Dexter natione Hispanus. Præfectus prætorio numerum eundem cum nominibus prodidit, cuius verba capite sequenti recitabo.

Flauius Dexter.

Circa ann. 420. S. Augustinus eundem recipit, & ex eo mysterium colligit SS. Trinitatis. *Ipsi etiam Magi, qui ad illa veneranda pueri cunabula stellæ indicio peruenerunt, quid aliud expresserunt in istis muneribus, nisi fidem nostram? in eo enim quod tria offeruntur Trinitas intelligitur: in eo verò quod tres sunt & singuli singula offerunt, in Trinitate vnitas declaratur.*

S. Augustinus serm. 1. de Epiphan.

Sic Eusebius: Emesenus anno 350. vel S. Eucherius circa ann. 420. cum S. Augustino facit: *in eo quod tria offeruntur, Trinitas intelligitur: in eo verò quod tres vni & singuli singula offerunt in Trinitate vnitas declaratur.*

Eusebius Emesenus hom. 1. de Epiphan.

S. Maximus Episcopus Taurinensis circa ann. 420. *Et bene vno itinere tres simul adoraturi veniunt Magi: quia in vno Christo IESV, qui omnium credentium via est, inseparata ratiua ab eis erat Trinitas adoranda.*

S. Maximus.

Circa ann. 450. S. Leo singulis pene sermonibus triadis huius facit mentionem: vt serm. 1. *Tribus igitur Magis in regione Orientis, stella nouæ claritatis apparuit.* S. 4. *Tres igitur viri fulgore insoliti sideris diuinitus incitati præuium micantis luminis cursum sequuntur.* S. 3. *adorent in tribus Magis vniuersi populi vniuersitatis autorem.* S. 5. *Tres Magos præuia stella perduxit, & tres viri vniuersarum Gentium personam gerentes.*

S. Leo.

Circa ann. 731. Beda: *mysticè autem tres Magi tres partes mundi significant.*

Beda in 2. Matt.

Circa ann. 820. Paschasius Ratbertus: *Isti tria rerum munera detulisse leguntur, non ideo mox ex Euangelio non amplius, quam tres fuisse probatur: sed ex traditione maiorum: vt per eos Gentium multitudo, quæ de tribus Noë filijs enascitur ad fidem Christi ventura præsignaretur.* Egregius hic locus est testis consensus communis & traditionis Ecclesiæ, in qua potius, quam munerum numero trias Magorum solidatur.

Ratberrus in 2. Matt. *Amalarius Fortunatus de ordine antiphonarij c. 21.*

Anno 830. Amalarius Fortunatus Archiepiscopus Treuirensis. *Tres*, ait, *Magi, qui venerunt in ista nocte ad Dominum, Legati exstiterunt Gentilis populi, qui in terra, insulisque habitat.*

A. 850. Haymo Halberstadensis Episcopus numeri istius ternarij varias adfert rationes, nullam à muneribus petitam, vt vult ille Calixtus Heterodoxus: *Bene*, ait, *tres Magi fuisse dicuntur quia Gentilis populus ad fidem veniens indiuiduam Trinitatẽ Deum confiteri didicit; siue tres fuerint, quia qui Deum videre desiderant, cogitationem, locutionem & operationem suam obseruare debent à malis, & memoriam, intellectum & voluntatem occupare in bonis: vel certè tres Magi cum tribus muneribus venerunt: quia Gentilis populus ad fidem veniens, tres naturales virtutes secum detulit. Physicam, scilicet Ethicam, & Logicam: id est naturalem, moralem, & rationalẽ.*

Haymo.

Eodem seculo Christianus Druthmarus Corbeiensis ait, *Isti tres Reges de tribus regnis fuerunt.*

Druthmarus c. 2. Matth.

Strabus Fuldensis monachus in Glossa ordinaria circa annum 840. *Magi etsi tria munera obtulisse dicuntur, non ideo non plures, quam tres fuisse probantur: sed vt per eos Gentes, quæ ex tribus filijs Noë natæ sunt, venturæ ad fidem præfigurarentur vel tot fuerint Principes, qui multos duxerunt in comitatu.*

Strabus in glossa ordin.

S. Odilo. S. Odilo Cluniac. ser. de Epiphan. *Cum illis tribus Magis tres supradictas species munerum quotidie spiritualiter ad eius portamus præsepium.* S. Anselmus A. 1080. *Tres*, ait, *sunt, quia de tribus partibus mundi Gentes veniunt: id est Asia, Africa, & Europa: vel quia de tribus filijs Noë procreatæ sunt.*

S. Anselmus.

S. Bruno pulchrè hanc tria dem typis & figuris illustrat. S. Bruno Carthusiæ fundator coæuus Anselmi copiosè hunc locum sic pertractat. *Tres fuerunt filij Noë, qui tempore diluuij in arca saluati sunt, ex quibus vbique disseminatum est omne hominum genus: in tres partes totus diuisus est mundus, in Asiam, Africam, & Europam: tres mulieres venerunt, vt vngerent* IESUM, *Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salome: mulier quoque in Euangelio abscondit fermentū in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum: sunt autem & multa alia, quæ eandem habent significationem. Tres igitur illi viri venientes ad* IESUM *ex omnibus mundi partibus sanctam Ecclesiam in vnam fidem colligendam significabant: siquidem ex tribus hominibus orti sunt omnes; & in tribus mundi partibus habitabant omnes; & vnum Dominum in tribus personis adorare debemus omnes, quoniam ab hoc creati sunt omnes.*

Radulphus A. 1080. *Tres Reges in splendore ortus Domini venientes, aurum & thus obtulerunt.*

Radulphus bo. de Epipha.

Rupertus Tuitiensis A. 1130. *Tres homines tribus partibus orbis Asiæ, Europæ, atque Africæ, fidei vel confessionis atque adorationis exemplar existere meruerunt.*

Rupertus.

S. Bernardus anno 1140. *Vide autem, ne fortè ipsi sint, & tres Magi venientes iam non modo ab Oriente, sed etiam Occidente, vt recumbant cum Abrahā, Isaac & Iacob.*

S. Bern.

Sed quia eodem seculo ipsa tria cum nominibus inuenta & Coloniam translata corpora sunt, ideoque sequentibus ætatibus sine numero scriptores omnes eundem numerum receperunt, vocata deinceps Epiphania festo trium Regum, supersedebo alijs testibus laudandis: sufficiant hactenus enumerati, vt euincatur Triadem SS. Regum non à muneribus, sed à fida maiorum traditione, totius ecclesiæ consensu, & SS. Patrum autoritate esse repetitam. Quod si quidam orthodoxorum plures enumerent, ij de comitatu sunt accipiendi. Nunc Centuriastarum & Caluini calumniæ sunt breuiter confutandæ, & illi quidem hoc modo conuitiantur: *Fabulosas & stolidas ineptias regni Antichristi natas, nulla confutatione putamus indigere, vt quod hi Magi fuerint Reges, & quidem numero tres.*

Confutantur Hæretici. Centuriatores. & Caluinus.

Caluinus verò hic calumniatur. *Papistas vt tres fingerent puerilis error traduxit: quia dicit Matthæus obtulisse aurum, thus & myrrham: quasi verò distinctè singulis proprium munus adsignet.*

Sed tunc sanctos Patres, Ecclesiæ columina, S. Athanasium, Ambrosium, Augustinum, Leonem, ceterosque qui à millenis & trecentis annis floruerunt, puerili dicas errore circumuentos? quis horum à muneribus, vel illam triadem petijt, vel inde dixit esse repetendam? nonne Ratbertus & Strabus iam ab octingentis annis expressè volunt non à muneribus, sed à traditione colligendam? Haymo verò, Bruno & alij typis & figuris varijs eum numerum illustrarunt.

Quod si tamen phyticam huius rei demonstrationem à sensibus ipsis quis postulet, eam existimo non malè à sacris eorum exuuijs esse requirendam: quas in Arabia, solatio fidelium deposuerunt: virtute diuina sanctitatem ossium mirandis operibus testificante. Tria sunt enim, nec plura, vel pauciora vnquam SS. Magorum Euangelicorum monstrata corpora, nunc Coloniæ piè adseruata: quæ sapius magno pietatis sensu coram oculis sum contemplatus, & veneratus. Capita ipsorum coronis aureis gemmis vndique fulgurantibus exornantur: & collo: sicut reliqua corporum adhuc integrorum ossa suis implicata iuncturis, & compagibus cohærent & connectuntur: carne multis in locis pelle vestita. Superant adhuc vestium sparsæ partes, quibus amiciuntur; quamuis paulatim vetustate temporis consumantur: prona iacent singulorum corpora prægrandi vna in hierotheca: diceres somnum capere: vel Christum prostratos adorare, vti & olim Mediolani cum autenticis esse reperta documentis constat: quibus pontificia diplomata, & supra ducentos autores fidem faciunt publicam: de quibus alias. Ita non ex numero munerum; sed corporum, sanctorum Regum trias eruitur, cui totius Ecclesiæ traditio, SS. Patrum autoritas & innumeri testes adstipulantur: nunc nomina propria trium Magorum exquiramus.

Corporum SS. Regum eōpositio & situs.

CA-

CAPVT V.

Nomina eorundem propria exquiruntur: & de Iuspensione eorum ex collo.

TRIA passim hæc eorum circumferuntur nomina propria: Jaspar, Melchior, Balthalar. Jasparis initialem literam variè varij scribunt: per I. G. & C. hoc Germanis quibusdam perfamiliare I in G & literam G in C conuertere. Molinæus Caluinista contendit bina horum radicē habere Teutonicam: quam hactenus nullam in vernacula mea lingua reperi: nec qui leuiter Hebraicæ linguæ peritus est, à me dissentiet, originem ex ea peti posse. Sicut enim Melchi Rex meus significat: Melchisedech verò Rex meus iustitia: & Melchiel Rex meus Deus: pariter Melchior idem Hebræis est, quod Latinis Rex meus lumen, vel Rex luminis: aptissimè quadrat hoc in Regum vnum, qui stella duce spreto Regno ad Regem & Monarcham suum, veram orbis lucem, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, peruenit: à quo lumen veræ fidei, gratiæq; consecutus, idem posteris Gentilib. animi demissione meruit: idem *Melchior* Perimel vel Cheriperimel lingua Malabarica Rector, summus administrator, vel Rex Regum fuit ante nominatus: maluit postea nouo assumto nomine se Regis lucis seruum profiteri. *Iaspar* verò vt Adhicomius cum alijs legendum censet, & vetustissima Germanica, Belgica, Gallica exemplaria cum Latinis plurimis habent, cum deriuetur à Saphar præfixo formatiuo proprij Iod, idemque significet, quod *enarrauit, recensuit, numerauit, nunciauit*: supputatorem, adeoque Astrologum denotat, nuncium, item legatum & Apostolum: quales nostri fuerunt Reges, qui Iudæorum, Gentiumque Doctores, primi nuncium orbi gratissimum nati Messiæ publicitus attulerunt.

Radit nominis Melchior. Jo. 1. Iaspar is etymon.

Si tamen Casparem vsitato more malis dicere: radicem eius geminam Æthiopicam facit Melchior Inchofer. Gaaz & Barh, prima vox libertatem, altera puram & splendidam denotat: quasi dixeris puram & splendidam libertatem: obseruat etiam Gasbadidam denotat: quasi dixeris puram & splendidam libertatem: obseruat etiam Gasbarem scribendum esse: sed vsum & pronunciationis facilitatem deflexisse. Denique Balthasar Chaldæorum vox Beli vel Domini thesaurus à multis explicatur: sed quia vox ea pro varia scriptione multiplicem sortitur notionem Melchioris eiusdem libet doctam apponere disquisitionem. *Balthasar*, ait *Assyrium est, ex nominibus Belt Schezar, seu Belti & Schazar compositum, idemque sonat, quod Beltis Deus auxiliator &c. erat autem nomen Dei Beltis à quo Balthasar est deriuatum: scio alijs videri dicendū Balsasar, ex Syro seu Chaldæo & Hebræo compositum, quod scrutatorem thesauri, alias non thesaurizantem, vel non portantem angustiam, significat: vt contra Baltasar absconditè thesaurizantem, vel occultè portantem angustiam.* Et paulò infra, *verosimile fit, eos etiam, qui Baltassarem Ducem belli interpretati sunt, huc respexisse, quatenus à Dei auxiliatoris vocabulo nomen ei designarent, quod etiam à fabulosa Belti Dei Regina, ad Reginam cœli, Dei genitricem translatum obtinuit tandem, vt ipsa quoque dux belli auxiliando velox appellaretur: quam appellationem ferre Deiparam in ea imagine, quam Messanenses reuerenter adseruant, alibi ostendimus*: hactenus Melchior Inchofer. Quæ significata Regum vni, qui vicinior Babyloni vel Persiæ, litori forte Arabico imperabat, optimè conueniunt: is enim qui nuper in adorandis idolis thesauros profuderat: nunc Deo cœli veroq; auxiliatori: & ipsi Reginæ cœli religiosius eos offerebat: & sic absconditum in cœlis thesaurum sibi comparabat, & recondebat: quo minus eum solicitudo terreni thesauri colligendi stimulabat. Videat hic Molinæus, quam debili nixus fundamento, neget Magos Euangelicos exstitisse, quod nomina eorum duo crederet esse Teutonica.

& Balthasaris. c. 27. de Mag. Euang.

Sed vnde constare poterit de nominum istorum veritate? Hactenus ea non altius, quam à Bedæ collectaneis video fuisse repetita: quæ ipsa multi vocant in controuersiam: crediderim è tumulis & inscriptionibus, adeoque coæuis testibus profluxisse: nā Helena Constantini mater, cuius iam filius imperium Romanum fidei Christianæ submiserat, non leuiter in perueſtigandis SS. reliquijs occupata fuit; sed & ipsa coram illas, cum licebat, inspiciebat: subsistebat etiam nonnunquam, dum ingentes illæ basilicæ, quas Cæsareis impendijs totum per orbem erigebat, paulatim adsurgerent, videre eam solicitudinem fuit in salutis nostræ trophæo cruce dominica non tantum è ter-

Antiquitas istorum nominum indagatur. è tumulis accepta videntur.

è terræ viſceribus eruenda: ſed etiam, vt eadem à profanis aliorum patibulis certa fide diſcerneretur. Non minus eadem poſuit operæ: non ſolum vt filio SS. trium Regum corpora traderet, quorum virtutes verè regias imitaretur: ſed ut quoad licuit eidem nomina ſingulorum & res geſtas exhiberet, autenticis firmatas documentis, ſine fraudis ſuſpicione, vt eos Eccleſiæ progenitores primoſq; Gentiles & Reges Chriſtifideles & adſciſceret ſibi Præſides & tutelares: eorumq; vitæ, mores ſuos conformaret.

Ita Conſtantinopolim vna cum corporibus iam ante annum ſalutis reparatæ 330. nomina peruenerunt: quæ eodem exeunte ſeculo A. 390. ibi peruulgata erant, cum præfectum prætorio Flauius Dexter ageret. Is primus ea vulgauit, de quo conſtet monimentis ad A. Chriſti 70. his verbis. *In Arabia felice ciuitate Seſſaniæ Adrumentorum Martyrium SS. Reg. trium Magor. Caſparis, Balthaſaris, & Melchioris, qui Chriſtum adorarunt.* Exſtat decennio poſt S. Hier. ad eundem inſcriptus liber: vbi hæc lego. *Ante decennium, cum Dexter amicus meus, qui præfecturā adminiſtrauit prætorij merogaſſet, vt autorū illi noſtræ religionis indicē texerē:* ita potuit Dexter à coæuis & Conſtantini, nomina Regum è tumulis accepta Conſtantinopoli didiciſſe.

Flauius Dexter in Chronico A. 70. S. Hieronymus perfamiliaris Dextro. *in cat. Scriptorum Eccleſiaſt. vita S. Euſtorgij.*

Inde Mediolanum nomina cum corporibus ſunt tranſlata, vt vita S. Euſtorgij verbis his atteſtatur. *Illic verò ſancta illa arca compoſita SS. Reges ſimul, maior, medius & minor, quorum nomina Gaſpar, Balthaſar & Melchior Mediolani die noctuque venerari & glorificari, & dignè laudari ſolebant.*

Beda.

Poſtea circa A. 730. Beda, vel alius eius collectaneis inſeruit: *Magi* inquit, *ſunt, qui munera Domino dederunt: 1. fuiſſe dicitur Melchior, 2. nomine Caſpar, 3. Balthaſar nomine.* Seculo ſequenti A. 820. Paſchaſius Ratbertus autor eſt, ea ſigillatim nomina fuiſſe peruulgata. *Qui*, inquit, *etſi tria rerum munera detuliſſe leguntur, nō ideo mox ex Euangelio non amplius quam tres fuiſſe probatur: ſed ex traditione maiorum: quorum quia nomina etiam à quamplurimis viritim exprimuntur, poteſt fieri tot principes religionis ac potentiæ tanti itineris exſtitiſſe.*

Paſchaſius Ratberus.

Durantes l. 6. rationalis.

Wilhelmus Durantes eadem enumerat, *Magi autem ipſi fuerunt Caſpar, Melchior & Balthaſar, & fuerunt Reges.*

Alia ſuppoſititia Regum nomina. *Zacharias Chryſopolit.* vſitata in ſuperſtitionibus.

Primus quem legi Zacharias Chryſopolitanus A. 1100. quædam alia Regibus adiecit nomina Hebraica & Græca, Hebraica quidem hæc facit *Appellius, Amerus, Damaſcus:* Græca verò *Magalath, Galgalach, & Saracin:* eum Petrus Comeſtor, Hugo Cardinalis & Iacobus de Voragine ſecuti ſunt, ſed hæc meritò apocryphis accenſentur, & de his accipio, quod Caſaubonus affirmat in libro quodam Heidelbergenſis Palatinæ Bibliothecæ memorari, ad ſuperſtitiones adhibita fuiſſe: cuius farinæ & hæc eſſe poſſunt temerè conficta nomina. *Ator, Sator, Peratoras.* horum cum origo nulla certa habeatur, ſuppoſita videntur & conficta leuiter, ac in ſuperſtitionibus vſurpata: quas hac ſuper materia ſic recenſet Delrius noſter. *Item*, ait, *ferre inſcripta nomina trium Reg. cum certis tribus verſiculis, vel verba planè incognita, & abſurda: vt illa veterum Danata, Darios &c. & recentia Abrac, Amon &c. vel illa pani inſcripta Irioni, Khirioni: vel illud Hax, pax, max, contra morſus canum rapidorum.* Similem ſapiunt originē alia Regum ficta nomina: quibus nec ratio, nec firmior autoritas aliqua ſuffragatur: noſtra enim è tumulis educta, mille & trecentis annis approbata, moribus etiam recepta fidelium videntur ab omni vanitate abhorrere.

Delrio lib. 3. p. 2. q. 4. §. 9. n. 17.

Quomodo dæmon poſſit abuti SS. nominibus *Sanchez l. 2. Mor. c. 40. n. 6.*

Nec tamen inficias eo, poſſe cacodæmonem & his non minus, quam ſalutifero abuti nomine; non illis quidem ſolitarijs, ſed *admixtis alijs*, vt Delrius ait, *verſiculis, verbis, ſignis, characteribus.* Antiquæ ſunt eæ fraudes orci, res ſacerrimas certis ſuperſtitionibus illigare, quas paucis verbis Sanchetz noſter perſequitur. *Hinc* inquit, *deducitur, vt ligaturæ collo geſtatæ, quas nominas vulgò vocant, licitæ ſint, ac à ſuperſtitione liberæ, oportere nullam vanam circumſtantiam adeſſe: v. g. vt ſic vel ſic ſint ſcripta verba ſacra in eis contenta; vel in vaſe talis figuræ, vel talis materiæ, tribuendo vim formæ, vel materiæ: vel ſcripta in pergamena charta virginea, vel tali tempore, vt oriente ſole, vel alligata ſint à tali perſona, vt virgine, vel tali modo, vt tot filis, vel talibus: item oportet vt nulla adſit figura præter ſignum crucis, nullaque imago præterquam Chriſti, aut ſancti alicuius noti, item vt nulla barbara, & incognita Dei vel Angelorum nomina ſcripta ſint, nec aliud vanum, vel mendax.*

Regula communis vt ſuperſtitiones caueantur.

Recte

Rectè etiam aduertit Suaretz: *quod si vel soli etiam sancti alicuius nomini vis infallibilis tribuatur, quasi certo, vi suspensi è collo nominis illius, sit vel malum depellendum, vel bonum aliquod obtinendum; non abesse superstitionem.* Potest nihilominus quilibet, concepta meritis talis sancti fiducia, sperare petitionis impetrationem. Et ita credibile est quandoque per hæc sanctorum Regum appensa nomina, cœlitus esse beneficia impetrata. *Suarez to.1.de relig. c.15.n.11. vis certa nõ est tribuẽda nominibus Sanctorum.*

Imo testatur serenissimus Franciscus Dux Lotharingiæ Decanus Metropolitanus Colonien sis sub initium anni secularis 1650. ante trimestre mulierem morbo caduco obnoxiam, gestatis hoc ritu, more institutoque veteri scriptis Regum nominibus, esse liberatam.

Sancti tres Reges: Orate pro nobis.

Sancte Caspar. Max.

Sancte Balthasar.

Sancte Melchior.

Qui modus nihil superstitionis admixtum habet, & piè potest obseruari, præsertim cum tales chartæ prius tactu capitum SS. Regum consecrentur. Veniamus nunc ad nomen appellatiuum Magorum discutiendum, quod eis Euangelista tribuit.

CAPVT VI.

De origine nominis appellatiui Magus, & vbi præcipuè floruerint in Oriente Magi.

VT locus facilius, vnde Magi venerint, inuestigetur: tam vocis etymon, quã loca, quæ coluerint præcipué Magi veniunt consideranda. Nã Syrus, Arabicus, Persicus, Ægyptius, Græcus & Latinus, textus, vt hic notat Cornelius à Lapide, vocem Magorũ retinent: solus Æthiopicus à re gesta nominat eos *adoratores*. Vnde non immerito Maldonatus, Regius, alijque suspicantur, textum Hebraicum esse à Munstero vitiatum, quos enim Euangelista ætatis suæ perillustri & honorifico Magorum nomine appellarat, eos ipse: Mecoscheph seu præstigiatores & incantatores vocat: sed vt Casaubono, defensori Munsteri daremus, nonnunquam ea voce sapientem censeri: at cum rarior sit vocis illius in bonam partem acceptio, facilius in Munstero Heterodoxo arguit trita progressum esse orbita, & malignè in partem deteriorem rapuisse. *vox Magorũ à quibus nationibus vsurpetur.* *Munsterus Hebræum putatur textum corrupisse.*

De etymo vocis Magus variant sententiæ. S. Epiphanius Euangelicos Magos educit è Magodia regione Arabiæ, & inde nomen ipsis putat adhæsisse. Contra hunc Patrem vetustissimum pugnat Casaubonus. *Nusquam*, ait, *legi Magodiam regionem*: quam oppositionem luculenter conuellit Gretzerus noster. *Num ergò*, ait, *quia non legisti, non legerat S. Epiphanius? qualis vanitas, & inanitas: non legi: ergo non est? non intelligo, quomodo à Magodia formetur gentile nomen Magus: non enim exstat similis analogiæ exemplum: errat ergo Epiphanius: quæso an errat omnis ille, qui quæ tu non capis, scribit? quid si per syncopen deduxit inde S. Epiphanius vocabulum Magus? nam duabus literulis resectis exit Magus, ex Magodus.* *1. sent. à Magodia regione. S Epiphan. l.3 contra Hæres. Gretzerus l.2.c.4. de Epiphan.*

Cæsar Bulengerus noster *Magi*, ait, *à Magog filio Iapeti appellati sunt: quamquam eos, qui Scythæ dicuntur, à Græcis, Magogas appellatos esse vult Iosephus: à quo facit Cedrenus, qui Persas omnes apud quos Magi fuerunt, ab indigenis Magogas dici prodit. Astrologia & Magia à Magusæis, seu Persis cæpit*, Suidas etiam autor est *Persas à suis popularibus fuisse Magog, & Magusæos appellatos*. Ideo communis inualuit opinio Persicam esse Magorum vocem. *2. sentent. Bulengeri à Magog l.1. de histor. & vanit. Magiæ. Suidas v. Magog & Persæ.*

Alij tamen Hebræis primigeniam vocem tribuunt, ita Cornelius à Lapide cum alijs deriuat eam ab *haga* radice, quod loqui, meditari, & speculari significat: vnde pluralis numerus *Magim* denotat loquentes, meditantes seu speculantes, vel sapientes: quia Ptolomæus sapientiæ matrem vocat meditationem. Ita quos Græci sophos & philosophos: Latini, sapientes ac magistros appellant, eos Persæ Magos vel Magusæos nuncupabant. Quare siue Hebræis, siue Persis originem primam vocis demus, certum est apud Persas nomen illud præcipuè viguisse, vt licet primò sapientibus Astrologis *3. ab Hæbræo. Ptolomæus in præmio Almagesti*

Apud Persas Magi sunt Sapientes & Philosophi.

strologis, Philosophisque sit attributum: postea tamen ipsis eorum sedibus & regioni adhæserit, in qua certis legibus & præceptis adolescentes humanis scientijs erudiebantur: quæ res exiguis initijs in immensum creuit postea, vt non absre sit eorum exordium progressumque ex Ammiano cognoscere.

Ammianus lib. 23.

In his, ait, *tractibus* (Medorum & Persarum) *Magorum agri sunt fertiles, super quorum secta studijsque pauca conuenient expediri. Magiam opinionum insignium autor amplissimus Plato Machagistiam esse verbo mystico docet, diuinorum incorruptissimum cultum, cui scientiæ seculis priscis, multa ex Chaldæorum arcanis Bactrianus addidit Zoroastes: deinde Hystaspes Rex prudentissimus Darij pater: qui cum superioris Indiæ secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quandam venit solitudinem, cuius tranquillis silentijs Brachmanorum ingenia potiuntur, eorumque monitu rationes mundani motus, & siderum, purosque sacrorum ritus quantum colligere potuit, eruditus, ex his, quæ didicit aliqua sensibus Magorum infudit, quæ illi cum disciplinis præsentiendi futura per suam quisque progeniem, posteris ætatibus tradunt. Ex eo per secula multa ad præsens vna eademque prosapia multitudo creata, Deorum cultibus dedicatur. Huius originis apud veteres numerus erat exiguus, eiusque mysterijs Persicæ potestates, in rebus diuinis faciendis solenniter vtebantur: eratque piaculum aras adire, vel hostiam contrectare, antequam Magus precationibus libamenta diffunderet præcursoria. Verum aucti paulatim, in amplitudinem Gentis solidæ concesserunt, & nomen villasque inhabitantes, nulla murorum firmitate communitas, & legibus suis vti permissi religionis rectu sunt honorati. Ex hoc Magorum semine septem post mortem Cambysis regnum iniisse Persidos antiqui memorant libri: docentes eos Darij factione oppressos, imperitandi initium equino hinnitu sortitos.* Hactenus Marcellinus. Corrigendus tamen in hoc, quod duo tantum Reges Persarum è Magis prodierint Herodoto teste, qui eosdem etiam in Media collocat: ait enim. *Deioces igitur solam Medicam subegit nationem, eique soli imperauit, cuius nationis tot numero gentes sunt, Busæ Paretaceni, Stuchates, Arizanti, Budij, Magi: tot sunt in Media gentes.* Erant Persici Magi magno in honore apud suos & Cyri sepulcrum eorum custodiæ creditum erat Plinio autore. *Persia*, inquit, *habet in extremis finibus Laodiceam ab Antiocho conditam, inde ad Orientem Magi obtinent Passagardas castellum, in quo Cyri sepulcrum est: & horum Ecbatana oppidum translatum à Dario Rege ad montes*: & Strabo. *Nationes* ait, *quæ incolunt regionem, quæ Patischores appellantur, item Achæmenidæ, & Magi, qui honestum quoddam genus viuendi sectantur.*

Scientiæ Astrologicæ studium.

Sedes eorum.

Duo Reges Persarum orti à Magis.

Magi in Media.

Plin. lib. 6. c. 27. custodes sepulcri Cyri.

Inde postea quasi colonijs ductis varias se per Orientis plagas diuiserunt: & Babylone quidem à Curtio collocantur, eos tamen à Chaldæis & Babylonijs distinguit: *Magi deinde*, ait, *suo more patrium canentes carmen, obuiam Alexandro processerunt*, sed quam variè se per Orientem disperserint Lucianus narrat.

Babylone. *Curtius l. 7.*

Lucianus in Longæuis. in toto Oriente. *Plin. l. 25. c. 2.* in Arabia. *Ptolemæus*

Magi, inquit, *gens diuinatrix & Deo sacra in Persis, Bactris, Parthis, Choresmijs, Areis, Sacis, Medis, & pluribus barbaris*, qua voce extrema Arabici quoque Magi continentur: quorum tamen speciatim Plinius meminit: *Pythagoram*, ait, & *Democritum de naturis herbarum scripsisse, peragratis prius Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis*, A quo facit Ptolomæus, qui ibidem *Magorum sinum* constituit. & è regione ferè Sabæ in sinu Arabico collocat *Magorum insulam*. Vnde, quidquid obstrepat Casaubonus, ab Epiphanio rectè Magi in Arabia statuuntur. Quamuis non tam locus ipsis: quam ipsi loco nomen dedisse videantur. Nunc quibus potissimum exculti scientijs Magi fuerint videamus: nam merito homines non generis tantum claritudo, sed etiam studia & scientiæ celebrant, præsertim Reges, quos rudes & literis impolitos quidam asinos coronatos nominauit.

CAPVT VII.

Perhonorificum olim Magorum nomen in ſacris & profanis literis fuit: ob vitæ eorum integritatem, & quibus licitis ſcientijs & diuinationibus vſi fuerint.

SAcræ literæ, congruenter loquendi modo profanorum ſcriptorum eius temporis, Magorum nomen quam ſæpiſſimè in laude ponunt, & viros etiam ſanctiſſimos eo velut perhonorifico titulo nobilitant: eo ſenſu in Ioſepho Prorege Ægypti laudant augurandi ſcientiam: *Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt* (ait ſeruus Ioſephi ex ore Domini) *in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari ſolet.* Sagaciſſimus erat ingenio Ioſeph, vt ſileam eius diuinas prænotiones futurorum, nam cum in vino ſe pandat vltro veritas, hoc ille ſcypho de indole, prudentia, & arcano hoſpitum coniectabat: & tunc eo reperto rimari cupiebat, quis fratrum animus eſſet in natu minorem fratrem Beniaminum: certè vox Hebræa *Nachas*, quã vſurpat ſacer codex, tam licitam, quam illicitam coniectandi rationem ſignificat: vti & Magorum nomen: quo Daniel, & tres pueri in fornacem coniecti, ſæpius honorantur. Nam Danielis primo, præcepit Rex Nabuchodonoſor præpoſito Eunuchorum: *vt introduceret de filijs Iſraël, & de ſemine regio pueros, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos omni diſciplina, qui poſſent ſtare in palatio Regis, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* Delecti ſunt Daniel, Ananias, Miſaël, & Azarias: hi literis & diſciplinis Chaldaicis eruditi, omnibuſque Magorum, Chaldæorum & ſapientum Babylonis ſcientijs & inſtitutis expoliti, & veri iam Magi à Rege periclitante eorum doctrinam præ Magis omnibus reliquis celebrantur: *Et omne* ait ſcriptura *verbum ſapientiæ & intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab eis Rex, inuenit in eis decuplum, ſuper cunctos Ariolos & Magos, qui erant in vniuerſo regno eius.* Videas hic & Regem peritum Magiæ naturalis, & Danielem cum ſocijs; qui poſtea velut honoratiſſimo munere & dignitate decoratus, *Princeps Magorum* à Rege conſtituitur capite ſecundo: nam cum ipſe & tres ſocij ob ſomnium à ſapientibus Babylonis non explicatum iuberentur, quia de numero Magorum cenſebantur, trucidari, & Daniel eius ſolutione cœlitus obtenta vitam Magis & ſapientibus omnibus conſeruaſſet, ſcriptura ait: *Tunc Rex Danielem in ſublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & conſtituit eum principem ſuper omnes prouincias Babylonis, & præfectum Magiſtratuum, ſuper cunctos ſapientes Babylonis: Daniel autem poſtulauit à Rege, & conſtituit ſuper opera prouinciæ Babylonis* Sidrach, *Miſach & Abdenago*: vnde horum & aliorum *Magorum Princeps* capite 5. nominatur *à Regina. Eſt vir in regno tuo; qui ſpiritum Deorum ſanctorum habet in ſe: & in diebus patris tui ſcientia & ſapientia inuentæ ſunt in eo: nam & Rex Nabuchodonoſor pater tuus principem Magorum, Incantatorum, Chaldæorum, Aruſpicum conſtituit eum:* Honoratiſſimus illi titulus & munus poſt Regis nomen cenſebatur, Magis imperare: qui velut à conſilijs erant Regi, eorum fidei prouincias & negotia præcipua Reges commendabant. Ac licet inter 4. recenſita nomina quædam peſſimè audiant: S. Hieronymus tamen & alij Magorum hoc loco nomen venerantur, ſingularũ autem vocum proprietatem ita ſcrutatur. *Quos nos Ariolos, ceteri* ἐπαοιδοὺς, *id eſt incantatores interpretati ſunt. Ergò mihi videntur incantatores eſſe, qui verbis rem peragunt; Magi qui de ſignis philoſophantur: malefici qui ſanguine vtuntur & victimis, & ſæpius contingunt mortuorum corpora. Porro in Chaldæis Genethliacos ſignificari puto, quos vulgus Mathematicos vocat: conſuetudo autem & ſermo communis Magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud ſuam gentem: quod ſint Philoſophi Chaldæorum: & ad artis huius ſcientiam Reges quoque & Principes eiuſdem gentis omnia faciunt. Inde & in Natiuitate Domini Saluatoris ipſi primi ortum eius intellexerunt, & venientes in ſanctam Bethlehem, adorauerunt*

in ſacris literis Magi nomen etiam honorificum.

Gen. 44. Ioſephus vocatur augur.

Dan. 1. Daniel & tres pueri dicuntur Magi.

Daniel fit Princeps Magorum, quaſi præſes regij conſilij.

S. Hiero. in Dan. 5.

erant ij Philoſophi, & Regum cõſiliarij.

runt puerum, ſtella eis de ſuper oſtendente. Hæc S. Hieronymus: cuius: de Magis expoſitionem aſſenſu magno Patres, Doctores, & interpretes amplectuntur videri Cornelius, Tirinus, & Menochius in eum locum poſſunt, hinc conficitur vocem Magorum in ſacris literis ſæpe honorati tituli locum obtinere, ac ſapientem Philoſophumque denotare: & rectè Moyſi ac Ioſepho Ægyptiacis ſcientijs; Danieli tribusque pueris, Chaldaicis diſciplinis; Iobo & tribus amicis Regibus Arabicis inſtitutis & literis expolitis, conuenire.

Magi ſancti veteris inſtrumẽti.

Porro diuini codices, congruenter profanis ſcriptoribus, vocem Magorum bonam etiam in partem ſunt interpretati, erant enim apud Gentiles maximo in honore Magi, ob vitæ quandam externam ſanctitatem, rerum mortalium deſpicientiam, & abſtinentiæ temperantiæque leges ſeueriſſimas: quas ſancti Patres & Ethnici autores monimentis conſignarunt. Porphyrius tria numerat Magorum genera, victuſque rationem ſingulorum ita diſtinguit: *Primi Magorum & ſapientiſſimi, neque veſcuntur rebus animatis, neque vita ſpoliant animalia: Alij domeſticis & cicuribus abſtinent, ceteris veſcuntur. Tertij ſine delectu veſcuntur carnibus, licet à quibuſdam ſibi temperent.*

Magorum vitæ ſanctitas & temperantia apud Gentiles. *Porphyrius lib. 3.*

De primis ex Eubulo ſic ſcribit S. Hieronymus. *Eubulus narrat apud Perſas eſſe tria Magorum genera, quorum primos, qui ſint doctiſſimi, & eloquentiſſimi, excepta farina & olere nihil amplius ſumere.* Laërtius victus & habitationis rationem eorum ſic deſcribit. *Magis veſtis candida, lectus humus, eſca olus, caſeus, paniſque cibarius eſt: magicæ illos diuinationis ignaros Ariſtoteles ait in libro, quem inſcripſit Magicum.*

S. Hier. lib. 2. in Iouin. Laërtius l. 1. c. 7.

S. Clemens victum eorum ita refert: *Magi in id ſtudium diligenter incumbunt, vt vino abſtineant, & rebus animatis, & venere.* ſed habitationis eorum rationem alibi perſequitur *In eo inquit tractu, quem Magi tenebant tres fuerunt montes in patenti campo: qui ea loca peragrabant, cum ad primum montem peruenissent, voces audiebant confuſas, velut exercitus militarem clamorem tollentis: ad medium cum propius acceſſiſſent clamore vehementiori feriebantur aures, in tertio monte velut victoriæ pæana canentium voces hilares erant: quibus imaginibus & ludibrijs dæmones ad Magorum famam augendam imperitis illudebant.*

S. Clemens l. 3. Stromatum. lib. 6. Stromatum.

Hæc S. Clemens: quæ tamen fieri virtute naturali potuerunt: nam vt rectè demonſtrat Athanaſius Kircher lib. 2. artis magnæ lucis & vmbræ p. 1. experimento primo: ſpeculo parabolico voces intensè reuerberari & rupe parabolicè excauata: refertque ex Ioannis Paës Abyſſinorum hiſtoria in montibus Goyamæ reperiri rupem ingentem ſic à natura excauatam, vt ſpeculum eminus videatur: oppoſita iacet ei rupes alia, in cuius cacumine licet ſemotiſſimo nihil tam ſubmiſsè à quoquam dicitur, quin audiatur, clamantibus verò in dicto loco ſonum adeo intendi, vt vox exercitus videatur, tales videntur eſſe Magorum montes, è quibus vox repercuſſa reboët.

ſpeculo parabolico intenduntur voces.

Ita ſeceſſus eorum ab hominum frequentia, vitæ ſeuerior, & contemtus rerum humanarum ijs apud Gentiles autoritatem maximam conciliabant. Vnde Strabo vocat eos *vitæ cuiuſdam ſanctæ & venerabilis ſectatores*, & alibi fatetur, *Sacerdotes Ægyptios, Chaldæos, & Magos aliqua ſapientia ceteris excellentes principatum & honorem apud maiores comparaſſe.* Nec tantum apud infimos, ſed & ſummos, ipſoſque Reges gratia valebant, quos conſilijs regebant, & præceptis imbuebant, vnde Manaſſes in Politicis eos *Regnorum cuſtodes* nominauit, quod eorum fidei regni totius gubernatio quandoque crederetur, vt Cambyſe dominante factum eſſe Dio Chryſoſtomus his verbis memorat. *Quia naturæ periti erant & Deorum cultum nouerant, vſque adeo, vt illis Cambyſes in Ægyptum expeditionem mouens, quod muneris erat regij, aulamque ipſam commiſerit, vnde anſa data Magis eo mortuo imperij inuadendi*: cenſebat enim eos adminiſtrandi regni callere quamoptimè artes: qui Regibus ipſis erudiendis & educandis præficiebantur. Ita factum, vt qui Reges è Magis orti regnum gubernabant, eo titulo pene plus, quam regio gloriarentur, quod Darij Perſarum Regis ſepulcralis inſcriptio teſtatur apud Porphyrium dum ait. *Fuit igitur Magorum appellatio vſque adeo honorifica, vt Darius Hiſtaſpis filius, inter ceteros titulos hunc in monimento inciderit, ſe Magorum Doctorem fuiſſe.*

autoritas apud omnes. *Strabo l. 15. lib. 1. Geograph.* erant cuſtodes regnorum & Magi. *Manaſſes in Politicis. Dio Chryſoſt. orat. 49.* & Regum formatores.

Quod

Quod si igitur Gentiles ipsi Reges titulo sapientis vel Magi plus quam regio fuerunt delectati, quis Euangelistam arguat, si Christi primos è Gentibus adoratores non Reges, sed Magos voluerit appellare, cum Horatius sapientes præponat Regibus.

Ad summum, sapiens vno minor est Ioue, diues
Liber, honoratus pulcher, Rex denique Regum.

Porphyrius Rex Darius titulum Magorum æquat regio. Sapientes Reges sunt Regum. *l. 1. epist. 1.*

Et Philo super omnia creata leuatum prope Deum collocet: *Sunt etiam aliqui* (Sapientes) *quos promouet, & volantes super omnes species, omniaque genera prope seipsum collocat sicut Mosi dicit: tu verò hic sta mecum.* & infra: *Quin & cum in terrenis eo vtebatur negotijs, non principis aut Regis communem aliquam virtutem ei indidit, sed Deum cum constituit.* Deo proximi. *Philo Lib. de sacrificio Cain & Abel circa initium.*

Et sanè qui primigeniam Magorum doctrinam & diuinandi quendam naturalem modum, quo frequenter vtebantur, attenderit, non multum à sana Philosophia videbit abhorruisse. Est enim effatum commune Gentilium, Iudæorum & SS. Patrum Magos veteres in Philosophis esse numerandos. Ideo Platonem, Empedoclem, Democritum passim scriptores antiqui docent, vt Cicero, Plinius & alij, *Persarum Magos adijsse, vt arcana Philosophiæ perdiscerent*: Philo *veram*, ait, *Magicam artem esse, quæ vim habeat perspiciendi, & quæ naturæ opera visis intueatur apertioribus, cum sit ampla quædam, & quæ studiosè conquiritur scientia, quam Reges etiam exercent &c.* S. Cyrillus, inquit, *philosophati sunt apud Ægyptios Prophetæ, apud Assyrios Chaldæi, in Persis Magi, in Indis Gymnosophystæ, Hyperborei carnibus assis abstinuerunt, & solis arborum fructibus victitarunt.* Similia multi SS. Patrum habent. Scientias Magorum speciatim enumerat Plinius: Physicam, Metaphysicam, & Astrologiam: quibus non vulgariter tantum; sed excellentiori quodam modo se perficiebant. Vocat hanc ideo Cœlius Rodiginus *naturalis Philosophiæ apicem sanctioremq́; philosophiam, ex qua insignis profluat literarum claritas. Pythagoram, Empedoclem, Democritum, Platonem quoq́; hanc equis, velisque conquisiuisse nauigatione suscepta non longiore modo, sed & periculosa, constans est opinio.* Plato certè in Alcibiade apertius testatur, non aliud sibi videri Zoroastris Magiam, *quam diuinorum scientiam, atque cultum, qua imbuantur Persarum Regum filij*:

Plin. l. de specialibus legibus. S. Cirillus l. 4. in Iucanum. Plin. c. 20. Cœlius Rodig. l. 3. c. 42. est apex naturalis Philosophiæ.

Porro cum Magorum multi vnum fere Deum colerent, Chaldæi ignem, Persæ solem, ita se Dei sui cultui studioque Phylosophiæ consecrabant, vt nihil terrenum & fluxum (præter vanam nominis existimationem) viderentur appetere. Regum etiam fauorem despicerent & parrhisia quadam coram ipsis vterentur, nec mortem ipsam formidantes. Multa suppeditat huius rei Arianus in rebus gestis Alexandri de Persicis Magis, & Indorum Gymnosophistis exempla: Nam cum apud Pasagardas moraretur, vbi Magorum sedes erant, & ipse magistro Aristotele Philosophia non leuiter tinctus, eorum alloquio caperetur: Magi Alexandro & exercitu conspecto, cum sub dio in pratis agerent pedibus pulsarunt terram: Interroganti per interpretem ab Alexandro, quid ita facerent, responderunt: *tantum quemque terræ tenere, quantum ambulans calcaret, & ipsum quidem Alexandrum ceterorum mortalium similem esse, præterquam quod plurimis rebus occupatus, inquietusque sibi æque ac alius molestus, tam procul à patria progressus esset, pauloque post morientem, non plus terræ possessurum, quam quantum corpori suo contegendo sat foret.* Laudauit Alexander sapientum sententiam, vt veram atque præclaram, licet auaritia, gloriæ & imperij propagandi cupiditas illum in transuersum egisset. Idem postea cum penetrasset Indiam, ambijt Gymnosophistarum colloquium, ac societatem; optans vnum illorum secum in eam expeditionem assumere; cuius consuetudine frueretur. Ceterum maximus natu demque magister Sophistarum ac Princeps, quem Dandamin vocabant, respondisse, neque se ad Alexandrum venturum, neque passurum ex discipulis quemquam adire, se item Iouis filium esse, quod Alexander vulgo de se iactaret nec rem vllam expetere, præsentibus contentum: Videre se Alexandrum, & qui cum eo militarent, tantum terrarum & pelagi nullo bono percurrere, nec eorum erroribus vllum finem fore: nihil itaque se expetere, quod Alexander præstare posset, sed & nec timere quidem, ne ijs quæ teneret, prohiberetur: Sibi in omnem vitam Indorum regionem pro tempore fructum ferentem sat esse: cum,

Magi vnũ celebrat Deum.

Mortis contemtores. *Arianus l. 7. initio.*

libera eorum responsio ad Alexandrum Magnum.

similis Indorũ Gymnosophistarum parrhisia.

cumque ex hac vita excedere contingeret, discessurum se à socio non satis clemente id est corpore. Quæ cum audisset noluit inuitum cogere, quod eum liberum esse, ac liberè loqui sciret, persuasit tamen Calano Sophistarum vni, se vt sequeretur: quem ideo reliqui Brachmanes vt inconstantissimum conuitijs appetierunt, quod relicta felicitate, quam apud se esse existimabant, alium dominum (Alexandrum) quam Deum coleret.

Hæc eo consilio adduxi: tum quia è Gymnosophistis vnus S S. Regum fuisse creditur in India, tum vt minus miranda videatur istorum Regum coram Herode constantia, in tanta itinerum longitudine laborum tolerantia, celeritas profectionis, Dei vnius stella duce colendi studium, quando Magi ex maiorum institutis omnem in Deo colendo felicitatem constituebant. Atque si isti Gentiles solis naturæ viribus, vanæ laudis ambitione ducti, grauissima quæque libenter tolerare potuerunt; cur non sancti Reges nostri diuinitus de Christo nato instituti, & copiosioris gratiæ præsidijs confirmati maiora ausi tentare, eam viæ distantiam incredibili celeritate breui tempore superarint, vt votorum suorum compotes corrigerent vanam illam Deorum falsorum religionem, vt vnum solumque cœli terræque Dominum coram adorarent; huius amore regna delererent, opes spernerent, vitam prodigerent, cum iam è maiorum suorum institutis, in cultu diuino & cœlorum contemplatione fixam crederent vitæ huius omnem felicitatem.

Felicitatem omnem in Dei cultu constituunt.

Comparatio istorum cum Magis Euangelicis.

Non minima laus Magorum fuit diuinandi quædam peritia: qua licet eorum plerique postea nequiter abusi, nefariam cum Dœmone contraxerint societatem: alij tamen non nisi solertia quadam naturali magnam certis in rebus prænoscendis experientiam acquisierunt, vt ostendit Cicero: *Omnino apud veteres, qui rerum potiebantur, ijdem auguria tenebant: vt enim sapere, sic diuinare regia ducebant: vt testis est nostra ciuitas, in qua & Reges Augures, & postea priuati eorum sacerdotio præditi reip. religionem autoritate rexerunt. Et in Persis augurantur & diuinant Magi, qui congregantur in fano commentandi causa, atque inter se colloquendi.* adfert deinde exemplum, quam peritè somnium Cyri sint interpretati, *Quid ego, quæ Magi Cyro illi principi sunt interpretati ex Persicis libris proferam? nam cum dormienti ei ad pedes sol visus esset, ter eum scribit frustra expetiuisse manibus, cum se conuoluens sol elaberetur, & abiret, ei Magos dixisse ex triplici apparitione solis eum 30. annos regnaturum esse portendi, quod ita contigit.* Videamus nunc, quibus vti licitis diuinandi modis Magi Regesque Orientis potuerint & ventura prænunciare.

Diuinandi naturalis scientia.

Propria Magorum.

Cic. lib. 1. de diuinat.

Solertia eius.

Augurandi peritiam supra audiuimus S. Iosephum in Ægypto sibi vindicasse, nec sanè vetita sunt quæuis ab auium volatu, garritu, vel aliorum animalium occultatione, natatione, morsuque petita auguria; vel præsensiones circa temperiem & mutationem aëris imminentem.

Præsagiebat ex auibus tempestatem Lucanus his versibus:

Præsagia licita ex auibus. *Lucanus lib. 1.* tempestatis imminentis. *Virgilius in Georgicis.*

Sed mihi nec motus nemorum, nec litoris ictus,
Nec placet incertus, qui prouocat æquora Delphin,
Aut siccum quod mergus amat, quodque ausa volare
Ardea sublimis pennæ confisa natanti;
Quodque caput spargens vndis velut occupet imbrem
Instabili gressu metitur litora cornix.

Concinit Lucano Virgilius optimus formator agricolarum.

Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitare, tumescere, & aridus altis
Montibus audiri fragor, aut resonantia longè
Litora misceri, & nemorum increbrescere murmur:
Iam tibi tum curuis malè temperat vnda carinis,
Cum medio celeres reuolant ex æquore mergi,
Clamorem.. ferunt ad litora; cumque marinæ
In sicco ludunt fulicæ, notasque paludes
Deserit, atque altam supra volat ardea nubem.

Ex animalium aliorum varijs actionibus multa coniectat Plinius his verbis: *Ruinis imminentibus musculi præmigrant; aranei cum telis primi cadunt; obseruatum vulpem aure ad glaciem posita coniectare crassitudinem gelu, & c. 37. Herinacei mutationem aquilonis in Austrum condentes se in cubile, præsagiunt.* Idem & b. 11. c. 10. *Apes prædiuinant ventos, intrantque, & tunc se tectis continent.* Et c. 24. *Ex araneis sunt auguria, quippe incremento annium futuro, telas suas altius tollunt.* *Plinius L. 8. c. 28. Ex animalibus.*

Ex colore solis.

Ad Virgilium redeo, qui ex habitu & colore solis sic diuinat.

Hoc etiam emenso cum iam decedet Olimpo
Profuerit meminisse magis; nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores,
Cæruleus pluuiam denunciat; igneus Euros;
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter nimbis ventisque videbis Feruere.

Lib. 1. Georg.

Quod si natura brutis animantibus indidit eam varietatis tempestatum prænotionem, & siderum ortui vel occasui, adspectuique coniunctam aëris & auræ mutationem, bruto sit omni brutior homo, si non vsu frequentique rerum quotidie euenientium obseruatione possit eadem paulatim præsagire. Ceos ferunt ortum Caniculæ quotannis diligenter obseruare solitos, indeque coniectasse salubris, an pestilens futurus esset annus teste Heraclide Pontico. Si enim obscurior appareret stella quasi caliginosa, cœlum pingue concretumque portendi, cuius adspiratio grauis futura esset & pestilens: sin illustris & pellucida tenue salubremque significari. Sic Thales Milesius cum è siderum positu & aëris constitutione notasset olearum fore vbertatem, coëmit omnem oleam in agro Milesio antequam cœpisset efflorescere, Anaximander Physicus monuit Lacedemonios, vt vrbem & tecta relinquerent, armatique in agro excubarent, quod terræ motus instaret tunc, cum vrbs tota corruit, & ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis auulsa est. Et Pherecydes cum vidisset haustam aquam de iugi puteo, dixit instare terræ motum, quod ea vehementius immutari turbarique absque flatibus intestinis & subterraneis, qui exitum sibi quærerent, non potuerat.

Cei ex ortu Caniculæ diuinabant anni salubritatem.

Thales olearum copiam. *Cic. l. 1. de diuinat.*

Pherecydes terræ motum.

Nolo diutius his immorari, cum pleni sint veterum & recentiorum libri historijs, quomodo priscis temporibus Philosophi, & seculo superiore etiam in India talium euentorum præsensione barbaris gentibus quidam incusserint terrorem: vt ab ipsis quasi semidij colerentur: quæ tamen naturali solertiâ, diligenter motuum cœlestium obseruatis reuolutionibus, assequi potuerunt, quod apud Assyrios Chaldæorum; apud Persas & Arabes Magorum, apud Indos fuit Gymnosophistarum proprium.

Ita Gentiles etiam Iudæi & Christiani à veteribus Magis suspicionem nefariæ magiæ remouerunt, vt taceam Aristotelem & Laërtium; qui eos magicæ diuinationis ignaros voluerunt. Plinius præclarè distinguit, quibus dediti scientijs tartareas repudiarint: *Apud Persas Magi naturæ scrutatores præ veritatis cognoscendæ studio, per otium diuinas virtutes contemplantur clarius, & alios ijsdem initiant mysterijs*, & alibi: *veram*, inquit, *Magiam, hoc est perspectiuam scientiam, per quam naturæ opera cernuntur clarius, vt honestam expetendamque non plebei solum sectantur; sed etiam Reges Regum maximi, ex hac adulterata deprauataque descendunt, quas, malas artes dicimus.* Concinit his Mantuanus.

Caruit hæc Magia suspectis artibus. *Aristoteles. Laertius. Plinius l. quod omnis probus sit liber.*

Ille penes Persas Magus est, qui sidera nouit
Qui sciat herbarum vires, cultique Deorum
Persepoli facit ista Magos prudentia triplex.

Mantuanus De Epiphania.

CAPVT VIII.

A quo institutore & quales scientæ, præsertim Astrologicæ profluxerint, quibus Reges Orientis excolebantur.

Orientales qui dicantur populi. 3. *Reg.* 4. Chaldæorum sapientia.

ORIENTIS ego Reges latiore quodam significato intelligo, procit etiam Ægyptios, Arabes Indosque complectitur, quos Salomon dicitur scriptura teste superasse, cum ait: *Nam præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus,* Hac notione primo veniunt Chaldæi & Babylonij, quorum eruditionem passim prædicat in aulis etiam Regum vetus testamentum, nam præceperat Nabuchodonosor Rex non alios sibi ministrare, quam pueros *decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientiâ, & doctos disciplina, vt docerent eos literas & linguam Chaldæorum.*

Dan. 1. 4.

Exigebat in suis ephebis Rex perspicacitatem ingenij, sagacitatem cum facundia, & rationalium scientiarum doctrinam, vt sic intima artium Chaldaicarum adyta (quæ præcipuè studium Astrologiæ complectebantur) facilius penetrarent. Secundo Orientalium nomine significantur Phœnices & Sidonij, quos Philo nominauit Assyrios, eosque cum Græcis & Chaldæis facit Moysis institutores. Consentit Philoni Clemens Alexandrinus: is refert ex Eupolemo, literas suas Phœnices à Iudæis accepisse: de Sidonijs hæc scribit Strabo: *Sidonij multarum atque optimarum artium magistri perhibentur, quod etiam Poëta declarat. Adhæc optimi circa Astronomiam & Arithmeticam philosophi, qui à computatione & nocturna nauigatione initium habuere: vtrumque enim mercatorium & nauale est, quemadmodum Ægyptiorum inuentum Geometria perhibetur ab agrorum dimensione, quam faciunt, cum Nilus auctus terminos confundit. Quæ ratio ab Ægyptijs ad Græcos emanasse dicitur: à Phœnicibus verò Astronomia & Arithmetica. Nunc quoque & omnis reliquæ Philosophiæ copia maxima ab his ciuitatibus sumi potest.*

2. Assyriorum. *Philo in vita Moysis. Clemens l. 1 strom.* Sidoniorum *Strabo l.* 16. hi inuenerunt Astronomiam & Arithmetiam.

Accentiuntur Orientalibus Ægyptij, quorum eruditio non solum, quam dixi ex Strabone Geometriam; sed omnes complectitur Mathematicas scientias: cum Philosophia morali, Physica & Methaphysica, teste Philone in vita Moysis. Clement. Alex. l. 5. stromatum & l. 6. Quarto Arabes vocantur Orientales, de his & Phœnicibus hæc ex Proclo refert Clauius. *Arithmetices inuentores primi creduntur Phœnices propter frequentes mercaturas, atque commercia, vt autor est Proclus. quam mirum in modum postea Pythagoras eiusque successores, nec non Ægyptij, Græci denique atque Arabes amplificarunt, varijsque problematis & theorematis illustrarunt,* & in speram hi: *Sidonij propter assiduam nauigationem, qua vtebantur, Astronomiam primi inuenisse creduntur: quoniam sine hac scientia nauigationis vsus consistere minimè potest: hanc tamen postea mirum in modum auxerunt Chaldæi, Persæ, Indi, Ægyptij, Græci, nec non Arabes quamplurimi*

3. Ægyptij Geometriam. 4. Arabes studia. *Clauius to. 1. in prolegom. initio præfationis.*

Sed quo primo Magistro & Doctore hæ Gentes Orientis & Reges Philosophiam & Astrologiam potissimum hauserint, videamus.

Primus sapientiæ magister Adamus. *S. Tho. 1. p. q. 94.*

Primus rerum humanarum diuinarumque scientiam posteris Adamus consignauit; nec verbo tantum; sed & scripto, vt quidam putant: ei enim adscribunt duas columnas, quas à filijs Adam factas & conscriptas siderum imaginibus & scientia, lateritiam alteram contra vim ignis; lapideam contra vim aquæ refert Iosephus: propterea tam longam vitam duxisse patres antiquos, vt rebus Astronomicis ac Geometricis vacare possent. Secutus Protoplastum humani generis reparator Noëmus, de quo dicam infra, cum de Ægyptijs egero, is haustam a Mathusalemo cœuo Adami 242. annis scientiam, cum post eum & Iaret diutissimè vixisset, potuit & Abrahamum (cum quo 56. annis superstes mansit) veram fidem & sapientiam naturalem & diuinam edocere, quam vberius à Semo videtur didicisse, cuius Abrahami peritiam Astrologiæ Gentiles etiam celebrarunt: vt apud Clementem Orpheus de quo supra.

l. 1. antiq. c. 4. c. 8.

Alter Noëmus. 3. Semus. *Clemens lib. 5 stromatum.*

Eusc-

Eusebius scribit Eupolemum peruetustum scriptorem prodidisse, Abrahamum natum esse in Camerina vrbe Babyloniæ, quam alij appellant *Vr*: de qua videtur etiam loqui Diodorus Siculus: *Chaldæi Babyloniorum antiquissimi fuerunt, qui cum locum in sua Republica obtinuerunt, quem sacerdotes in Ægypto: ad cultum enim deputati per omnem vitam suam philosophantur, peritissimi Astrologiæ habiti*, & paulo post, *Non enim quemadmodum Græci omnium doctrinam suscipiunt; sed pueri à patribus progeniem secutis discunt Philosophiam, omni aliarum rerum cura posthabita, doctissimique euadunt.* *Abraham natione Chaldæus* *lib. 9. de præp. c. 4.* *lib. 3. Chaldæorum disciplina.*

Atque dum Abraham sensim Chaldæis naturales instillat scientias, ipsam paulatim veram de Deo fidem conabatur edocere: cum enim Suida & Iosepho testibus vnius Dei cognitionem ipse hausisset ex orbis fabrica, stellarumque contemplatione; ex ijsdem principijs Deum Chaldæis voluit persuadere, Suidas ait, *Abraham è Chaldæorum terra oriundus fuit, qui in obseruatione stellarum earumque rerum, quæ in sublimi sunt, ætatem consumsit; exercitatus igitur, more patrio, in siderum motibus obseruandis, sagaciter animaduertens conditarum rerum magnificentiam non sua vi constare: sed habere aliquem opificem à quo moueantur & regantur: quocirca non ante destitit ab inquirendo, quam is, cuius desiderio fragraret, ei se patefecisset.* Iosephus idem facit initium diuinæ cognitionis instillatæ ab ipso Chaldæis; vocatque *virum rerum omnium peritum, & eloquendi, & in cunctando sagacem; statuisse vulgo de Deo receptam persuasionem conuellere, & in melius vertere. Ergo primus omnium ausus prædicare vnum esse Deum vniuersitatis conditorem. Hoc verò ex terræ & maris obseruatione colligebat; tum eorum, quæ circa solem & lunam, & reliqua sidera videbat accidere. Quamobrem cum Chaldæi Mesopotamitæque ceteri contra eum insurgerent, consilium migrandi cœpit; & voluntate ac fauore Dei fretus Chananæam tenuit, vbi Deo aram statuit.* docet Abraham vnum Deũ. *Suidas.* ex Astrologia. *Ioseph l. 1. c. 8.* ejectus ideo è patria.

S. Hieronymus admittere videtur traditionem Hebræorum, qui volunt Abrahamum in ignem coniectum à Chaldæis ab eo diuinitus liberatum excessisse iussu diuino locum: & ideo dicitur Deus eum *eduxisse de Vr*, seu igne Chaldæorum, quem ipsi vt Deum adorabant. Postea cum fames premeret Chaldæam; Ægyptum Abraham intrauit, vt eos etiam populos Astrologiæ Mathematicisque scientijs, velut esca captos, ad veri Dei cognitionem traduceret. *Tendit* ergo eo *tum*, ait Iosephus, *vt sententiam de diuinitate cognoscerent, tum vt copijs eorum frueretur. Pharao autem potestatem fecit congrediendi cum Ægyptiorum doctissimis: quo factum est, vt virtutis nomine in magnam existimationem veniret. Nam cum ea gens in diuersos ritus, & opiniones secta esset, & per mutuum contemtum atque infectationem infensis inter se animis agerent, collisos mutuis sermonibus de religione & à se ipsis confutatos vanissimos esse, nihilque prorsus veritatis habere declarauit: ob has dissertationes in pretio habitus, vt qui magnam tam intelligendi, quam eloquendi, docendique facultatem haberet; & numerorum scientiam & siderum benignè illis communicauit. Nam ante Abrahæ ad se aduentum Ægyptij rudes erant huiusmodi disciplinarum*: quæ à Chaldæis ad Ægyptios profectæ, hinc ad Græcos tandem peruenerunt, atque ita rectè aduertit Philo to Abram significare patrem sublimem, id est, virum Astrologicum & Meteorologicum: at Abraham duplicatione litteræ Apatrem electum vocis; propter docendi munus & sapientiam. *in traditione Gen.* *Gen 15.* Ægyptios adit & erudit. *Iosepho 9* confutatã eorum religione. ideo à docendo dictus est Abraham. *l. de Abra.*

Fuerunt illæ deinceps scientiæ per Isaacum Iacobo, & per hunc Iosepho traditæ, qui eas iterum Ægyptios docuit: ideoque *pater*, seu *magister Pharaonis* nominatur: sicut & totius aulæ principum ps. 104. nam 80. annos præfuit cum imperio Ægyptijs. Mansit deinde ad Moysen vsque peritia scientiarum apud Iudæos pariter & Ægyptios: qui dicitur *eruditus omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis*: hæc Ægyptiorum scientia licet præcesserit Moysen, non tamen doctrinam aliorum Patriarcharum, vt docet sanctus Augustinus: *Verum quod fatendum est, non quidem in Græcis; sed in barbaris Gentibus,* Iosephus easdem scientias tradidit Ægyptiis. *Gen. 45. Act. 7.* *S. Augustinus.*

sicut in Ægypto iam fuerat ante Moysen quædam doctrina, quæ illorum sapientia diceretur: alioquin non scriptum esset in libris sanctis, Moysen eruditum fuisse omni sapientia Ægyptiorum: tunc vtique quando ibi natus est; sed nec sapientia Ægyptiorum sapientiam Prophetarum nostrorum antecedere potuit; quandoquidem & Abram Propheta fuit.

Moses vnde hausit. S. *Iustinus q. 24. ad Orthod.*

Quibus autem scientijs efflоruerint Ægyptij, & tinctus *Moyses* fuerit, Iustinus *Martyr* indicat. Duplicem scribit fuisse apud Ægyptios tum temporis doctrinam, vnam forensem, & vulgarem, ac quibuslibet tradi solitam: quæ Arithmeticam, Geometriam, & Astrologiam complectebatur: alteram vero secretam & sacram, Hieroglyphicam dictam: apud eos in magno pretio habitam: quæ eximijs tantum viris tradebatur. Enucleatius describit Philo *Moysis* scientias & institutionem, *Numeros*, ait, *& Geometriam, vniuersamque Musicam, Rithmicam, Harmonicam, metricam siue contemplatiuam, siue per instrumenta vocesque promentem se modis varijs accepit ab Ægyptijs Doctoribus, & insuper occultam philosophiam descriptam literis, vt vocant, Hieroglyphicis: hoc est, notis animalium, quæ ipsi venerantur pro Numinibus. Reliquas liberales artes Græci docebant: ex propinquis autem regionibus cuocati Assyrij, suas literas; Chaldæi sideralem scientiam; hanc & ab Ægyptijs didicit. Mathematicæ cum primis deditis: obseruansque quid vtrisque conueniat, in quo discrepent: intactus à contentionibus veritatem quærebat; quippe qui nihil præter eam admittebat.*

eorum forensem doctrinã. item secretam & sacram. *Philo l. de vita Moysis*

Greg Nysse. lib. de vita Moysis. omnes Gentiles suas à Patriachis scientias hauserunt S. *Augustinus.*

Huius exemplo *Moysis* Gregorius Nyssenus docet non esse profanas scientias contemnendas, & has enumerat: *Moralem, naturalem Philosophiam, Astronomiam, Geometriam, Musicam, Dialecticam, cæteraque scientias, quibus alieni ab Ecclesia florent.* Non habet igitur Ægyptus, non Chaldæa, non Armenia nec Italia, quod suis se iactent inuentoribus primis scientiarum, quas sancti Patriarchæ primi Gentibus ipsis tradiderunt; & quas ij (quorum adhuc Gentilium scripta superant) diu post ea Patriarcharum optimorum Astrologorum tempora memoriæ literisque prodiderunt, vt rectè S. Augustinus de Ægyptijs dicat. *Nec Ægyptus inuenitur, quæ solet falso de suarum doctrinarum antiquitate gloriari: qualicumque sapientia sua Patriarcharum vestrorum tempore præueniisse sapientiam; neque enim quisquam dicere audebit mirabilium disciplinarum eos peritissimos fuisse antequam literas nossent: id est, antequam Isis eò veniisset, eosque ibi docuisset: ipsa porro earum memorabilis doctrina, quæ appellata est Sapientia, quid erat nisi maximè Astronomia?* subdit post Moysen primum ortum Athlantem Astrologum Promethei patrem, auum maternum Mercurij maioris, cuius nepos fuit *Mercurius* Trismegistus: ad Noë redeo: quem Berosus antiquus scriptor Gentilium (si tamen is autor libri est) senem facit variarum aliarum nationum institutorem, *Tunc senissimus omnium pater Noë, iam antea doctos Theologiam, & sacros ritus, cæpit etiam eos erudire humanam sapientiam, & quidem multa naturalium rerum secreta mandauit literis, quæ solis Sacerdotibus Scythæ & Armeni commendant. Neque enim fas est illa vlli inspicere, aut legere, vel docere, quam solis Sacerdotibus, & inter Sacerdotes duntaxat: sicut & quos rituales libros reliquit, docuit item illos astrorum cursus, & distinxit annum ad cursum solis, & duodecim menses ad motum lunæ, qua scientia prædicabat illis ab initio, quid in anno & cardinibus eius futurum contingeret, ob quæ illum existimauere diuinæ naturæ esse participem: ac propterea illum Olimbama, & Anga: id est, cælum & solem cognominarunt: & illi plures ciuitates dedicauerunt.*

Berosus li. 3. antiq. Noë docuit Scythas & Armenos.

Astrologiam.

Cumque iuisset ad regendum Kitim, quam nunc Italiam nominant, desiderium sui reliquit Armenis: ac propterea eum post mortem arbitrati sunt in animam cælestium corporum translatum, & illi diuinos honores impenderunt. Et ob id solum hæc duo regna, Armenum quidem, quia ibi cæpit; Italicum verò, quia ibi finiuit, & docuit, & regnauit, & naturalium atque diuinorum quæ eos eruditunt libros plenissimè illis conscriptos, reliquit; illum venerantur.

es Italos.

apud quos obijt.

Hic

Hic ille Ianus est Italorum decantatissimus, apud Ouidium, & alios bifrons Deus. Vt iam habeamus & primos orbis, & Regum doctores, sanctos Patriarchas: & scientias ferè Mathematicas: puras illas, nulla magiæ diabolicæ suspicione contaminatas, quibus Oriens totus, ipsæque barbaræ nationes Schytharum sunt paucis post diluuium annis, vel altero tertioque seculo perpolitæ. Vt cum primis Chaldæi; tum Persarum Magi, Arabes atque Ægyptij. deinde Græci fuerint informati: Reges nunc videamus Orientis artium earundem eximios cultores, atque quosdam etiam professores.

Reges etiam doctissimi in Oriente.

Athlantis hoc exstat apud Diodorum Siculum elogium: *Ferunt Athlantem fuisse Astrologiæ perfectissimum, deque sphæra primum inter homines disputasse: qua ex re visus est cœlum suis humeris sustinere: locum præbente fabulis Sphæræ inuentione.* Sancti Augustini simile præconium eiusdem est: *Atlas magnus fuisse Astrologus dicitur, vnde occasionem fabula inuenit.* Erat Atlas Promethei pater, Rex Mauritaniæ, natus in Ægypto, qui cum eadem scientia Herculem informasset, occasionem secundæ fabulæ dedit, vt ob doctrinam rerum cœlestium, qua præditus erat, cœlum ab Atlante susceptum humeris suis sustinuisse prædicetur: magnaque eum esse gloriâ potitum historiæ testentur, quod sphæram Afrorum primus in Græciam transtulerit, cuius peritiam deinde Anaximander, Thales *Milesius*, Pythagoras Samus & alij Græcos docuerunt.

Athlas. *Clemens præfat. in Sphæram.* Hercules.

Iosephus contra Appionem celebrat Regum Orientalium studium insigne sapientiæ, quod, cuiusmodi fuerit tempore Salomonis, satis indicat scriptura; patetque ex literis Regis Hiram, scriptis ad Salomonem, de aduentu Reginæ Sabæ, de qua postea: numerantur in fastis Regum temporis illius sapientissimi, quos dicitur superasse. *Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus; sapientior Ethan Ezrahita, & Heman & Chalcol, & Dorda filijs Mahol, & erat nominatus vniuersis Gentibus per circuitum:* subdit, *& veniebant de cunctis Gentibus ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab vniuersis Regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius.*

Salomon. *3. Reg. 4. v. 30. 31.* Reges ei gratulantur sapientiam. *3. Reg. 5.* deferunt munera, idem Rex M. vel Rex Regum dictus ob sapientiã *Eusebius. 9. præpar. Euang. c. vlt. ex Eupolemo.* Artabam. primus ita appellatus in Persia. *Plato lib. 3. de legibus Suet. in Caligula. Plut. in Pompeo. Dio in Augusto. Marcellinus l. 17. Capitolinus de Sapore. Plin. l. 30. c. 1.*

Reges quidem in eò non tam potentiam, quam sapientiam suspiciebant, eandem ei gratulabantur, vt Hiram Rex his verbis: *Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit Dauid filium sapientissimum super populum hunc plurimum, ideo Reges Orientis Arabiæ, Ducesque, & Satrapæ terrarum:* tertio Regum decimo capite, *& omnia regna Philistinorum vsque ad terminum Ægypti,* tert. Regum quarto capite: *omnis regio quæ erat trans flumen Thaspha vsque ad Gazam, & cuncti Reges illarum regionum munera deferebant Salomoni:* quem ob sapientiam singularem (propter quam eruditissimi Reges Orientis ei iungebantur amicitia) *Regem magnum, & Regem Regum* nominabant.

Exstant epistolæ doctissimorum Regum Ægypti & Phænicis, quibus præmittitur inscriptio: *Rex Vaphres* (Ægypti) *Salomoni Regi magno salutem.* Autor est Herodianus Artabam, Parthorum Regem in Oriente duplex sibi diadema imposuisse, Regemque magnum fuisse primo appellatum, quod nomen postea Persarum Regibus hæsit: ad *Medos* deinde deriuatum, & Assyrios: imò cunctos Reges *Orientis*; vt de Parthis affirmat Plutarchus in Pompeio, Suetonius in Caligula capite 5. Dio in Augusto: de Persis *Marcellinus* libro decimo septimo: Capitolinus de Sapore & vniuersè de Regibus *Orientalicus* Plinius, cum ait, *Magiam in Oriente Regum Regibus imperare*: quasi diceret, supremos Regum inter *Orientales*, *Magos*, eosdemque sapientissimos fuisse, vt exponit Pineda, fauet Pinedæ expositioni Reginæ Sabæ sapientia: & sola tantæ peregrinationis suscepta causa: *tentare eum in ænigmatibus, & audire sapientiam illius.*

omnes Reges Orientis eruditi. *Pineda 3. Reg. 10.* Reginæ Sabæ doctrinas.

Erat Regina Sabæ (vt oſtendam infra) ex Arabia, cultrice maxima ingeniorum, à poſteris Abrahæ ſcientijs omnibus perpolita : non credidit (vt cuique videri ſolent maxima) tantam Salomonis ſapientiam, quantam fama vulgauerat : & ipſa coram experiri eam voluit, vt & ſui deſiderij impotens ſtatim ſalutationem à quæſtionibus ſit auſpicata, teſte Scriptura. *Venit*, ait, *ad Regem Salomonem, & locuta eſt ei vniuerſa, quæ habebat in corde ſuo : & docuit eam Salomon omnia verba, quæ propoſuerat : non fuit ſermo, qui Regem poſſet latere : & non reſponderet ei* : ſeu vt Paralippom. capite nono. *Expoſuit ei Salomon omnia, quæ propoſuerat ; nec quidquam fuit, quod non perſpicuum ei fecerit.* Abditiſſimas nimirum ei quæſtiones de cœli & naturæ arcanis ponebat, quæ capite ſuperiori diximus Magorum diſciplinis & inſtitutione contineri : ſed eas opinione prudentius Salomon diſcutiebat, vt exclamarit : *Maior eſt ſapientia & opera tua, quam rumor, quem audiui. Beati viri tui, & beati ſerui tui hi, qui ſtant ante te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.* Quibus verbis inuidere quodammodo videtur gloriæ ſeruorum Salomonis, qui ex ipſo fonte poſſent continuo ſapientiam haurire copioſius ; quam ipſa tantopere ſitiebat : & cuius vnius amore deſiderioque tenebatur : hoc deſiderium addiſcendæ, vel exquirendæ doctrinæ teſtatur labor incredibilis, & itineris moleſtia, quam Nazianzenus ita nobis proponit imitandam. *Et quando tantum laboris ſuſceperis, quantum Æthiopum Regina, quæ ab extremis terræ finibus peruenit, vt Salomonis ſapientiam audiret ? nec viæ longitudinem reformides, nec maris ſpatia.* Celebrat eiuſdem longanimitatem Laurentius Iuſtinianus : *Confeciſſe viam multorum dierum & laborem exiſtimaſſe lucrum, & eum prætuliſſe delicijs, quibus fruebatur in Regia.* Nec tamen eius cupiditas ſciendi eſt vitioſa, quam Chriſtus ipſe commendauit. *Honeſto*, ait Theodoretus, *ſtudio permota fuit, vt Chriſti Domini laudem mereretur.*

quæſtiones eius ex Magia naturali.

ſtudium augendæ ſcientiæ.

laudatur à Chriſto.

Hinc colligas licet, & Arabum Regibus, & Reginis ſapientiæ ſtudium cordi vel maximè fuiſſe ; nec dœmoniacæ ; ſed naturalis & diuinæ : quam Chriſtus ipſe in ijs, dum Reginam Sabæ commendat mirificè celebrauit : ea enim peruaſerat Arabiam conſtans opinio, quam maiorum traditione poſteri firmiſſimè tenebant, ex rerum creatarum cognitione, præſertim conſideratione cœleſtium orbium ac motuum ſemper eodem fixo & ſtabili modo ſe habentium cognoſci facillimè magnitudinem, potentiam & excellentiam ipſorum creatoris : Ptolomæus in principio Almageſti ſecundum hanc traditionem Arabum aſſeruit, *hanc vnam ſcientiam eſſe viam ac ſemitam ad ſciendum Deum altiſſimum* : ſicut Apoſtolus ait, *inviſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, cœli* tamen potiſſimum *enarrant gloriam Dei & opera manuum eius annunciant firmamentum* : quam ſapientiæ cupiditatem à teneris Regina combiberat, vti Reges omnes Orientis. De Perſarum enim Regum filijs ita Plato loquitur. *Imbuuntur Perſarum Regum filij, vt ad mundanæ Reipublicæ exemplar, & ipſi ſuam rempublicam adminiſtrare, & diſtribuere condiſcant* : & Apuleius inter prima regalia *docetur* : *nec vlli temerè inter Perſas conceſſum eſt Magum eſſe haud magis, quam regnare.* Sic de ijſdem Philo ſcribit, *non ſolum eam plebei ſectantur, ſed etiam Reges Regum maximi, præſertim Perſici tam curioſi harum artium, vt regnare non liceat, niſi cum Magis verſato familiariter.* & Cicero quem ſæpius citaui, *Nec quiſquã Rex Perſarum eſſe poteſt, qui non ante Magorum ſcientiam diſciplinamque perceperit.* Inde manauit dictum illud Tertuliani : *Magos Reges ferè Oriens habet.* Ita gentes Orientales altè videntur imbibiſſe, quod Plato poſtea literis conſignauit. *Beatas fore Reſpublicas, cum Reges Philoſophari,* vel cũ Philoſophi regnare *cœpiſſent. Nulli* ſane *apud Lacedemonios,* ait Clauius, *niſi Mathematici (ita Aſtrologos per antonomaſiam appellabant) nulli apud Perſas ſalutabantur Reges, niſi Mathematici ; imo princeps Philoſophorum Ariſtoteles ad Alexandrum Magnum ita ſcripſiſſe fertur (quod tamen abſit ab homine Chriſtiano). O Rex clementiſſime, nec ſurgas, nec ſedeas, non cibum ſumas, aut potum, penituſque nihil ſine periti Mathematici conſilio ſi fieri poteſt, facias.* Nec tamen ea ſciendi cupiditas in Regibus poſterioribus fuit ex-

effatum Arabum.

ex Aſtrologia Deus cognoſcitur. *Clauius initio Sphæræ. Rom.* 1. è cœlis diuinitas. *Plato in Alcibiade.* Perſarum Reges Aſtrologiã & Magiã docebantur à teneris. *Apuleius Apol.* 1. *pro ſeipſo. Philo* *Cicero l.* 1 *de diuinat. Plato l.* 5. *de Rep.* Aſtrologi regnarunt apud varias Gentes.

tincta, vt ad plures etiam & Romanos fit deriuata: nam paulo ante Christi natalem C. Iulius Cæsar ita cœlestium motuum consideratione rapiebatur, vt de se ipse apud Lucanum profiteretur. Romani periti Astrologiæ C. Iulius Cæsar.

media inter prælia semper
Stellarum, cœlique plagis superisque vacaui.

Qui ex Ægypto Sotigenem Mathematicum insignem & peritum secum duxit, cuius opera plurimum est vsus in ordinando & constituendo ad cursum solis anno, atque ex eo tempore cœperunt in Italia diligentius artes Mathematicæ excoli, cum Christi exortus stellæ indicio declarandus in Oriente & Italia, paulatim immineret.

Atque ita constat Reges Orientis, præsertim Persarum & Arabum, à teneris fuisse disciplinis Magorum honestissimis, præsertim astrologia informatos, quas quidem Chaldæi primi Gentium à Noëmo vel Abrahamo: ab ijs Persici Magi; & à Persis Indi Gymnosophistæ didicerunt, autore Laërtio; quos ipse facit Ægyptijs antiquiores. Vult etiam S. Chrysostomus Magos Persas non maleficos, sed sapientes intelligi; cum quo facit Marcellinus, qui Darij patrem Hystaspen puros sacrorum ritus siderumque & motuum cœli numeros Magorum studijs immiscuisse ait, quæ illi accepta in posteros cum diuinationis arte transfuderint. *ho. 2. in matt.*

CAPVT IX.

Reges Arabiæ & Sabæi posteri Abrahæ expolitissimi studijs Mathematicis Messiæ ortum exspectarunt.

SENEX iam & pene decrepitus Abraham, diuino vt creditur impulsu Ceturam duxit, è qua, velut prius ex Agare Ismaëlem; sic ex hac suscepit liberos sex, multorum populorum & Regum sapientissimorum progenitores, qui cum varias Orientis partes, tum Arabiam potissimum diuersis colonijs impleuerunt, nec astronomicam tantum scientiam ab Abrahamo patre haustam; sed & Dei & Messiæ promissi cognitionem in eas oras inuexerunt. Eorum scriptura hæc recenset nomina: Zamram, Jecsan, Madan, Madian, Jesboc, & Sue, Iosephus scribit horum quosdam Arabiam felicem habitasse: *omnibus*, ait, *suis filijs ac nepotibus ex Cetura susceptis, Abraham deducendi colonias fuit autor: occupauerunt illi Troglodyticam regionem, & Arabiæ felicis, quidquid ad mare rubrum pertinet.* *Genesis. 25.* filij Abrahami è Cetura. sex *Iosephus. lib. 1. antiq.* Incolæ Arabiæ Felicis

Ac Madian quidem constat Arabiam incoluisse, de quo sic loquitur sanctus Hieronymus: *Madian vrbs ab vno filiorum Abrahæ ex Cetura sic vocata*: est ea trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum contra Orientem maris rubri, vnde vocantur Madianæi, & Madianæa regio. Hos eosdem esse Madianitas, de quibus vxorem accepit Moyses Æthiopissam, & qui Regi Moab autores fuerunt, vt Balaam ariolus adduceretur, volunt Tostatus hoc loco, & Origines. Quæ eadem Gens cum Ismaëlitis, Amalecitis, & Chusæis est, vt docet Genesis, nam c. 37. vbi Ioseph dicitur venditus *Ismaëlitis*, paulò post additur à *Madianitis* oblatus Putiphari, qui Putiphar c. 39. scribitur emisse Ioseph de manu *Ismaëlitarum* & Iudit c. 6. & 8. *Ismaëlitæ* nominantur pro *Madianitis*, & *Amalecitis*. S. *Hier. De locis Hebr. In Madian.* Madianitæ in Arabia. *Tostatus hoc loco. Origines ho. mil. 11 in Genesim.*

Iidem etiam Chus & Chusim seu Æthiopes appellantur: nam Homero, Herodoto, Strabone & Plinio testibus, præter Africanam Æthiopiã altera est Orientalis, hodieque dicitur Arabia: ex qua vxor Moysis prodijt, Æthiopissa crebro nominata, de hac quærit S. August. *vtrum ipsa erat filia Iethro, an alteram duxerit; sed ipsam eandem fuisse credibile est, de Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in l. 2. Paralip. c. 14. Æthiopes dici, quando contra eos pugnabat Iosaphat. Nam in ijs locis dicitur eos persecutus populus Israël, vbi Madianitæ habitant, qui nunc Saraceni appellantur: sed eos Æthiopes nemo ferè appellat, sicut solent locorum & gentium nomina plerumque vetustate mutari.* Eosdem populos cum Sabæis confundit sanctus Confunduntur cum Ismaelitis. Chusæis, Æthiopibus Orientalibus. S. *Aug. lib. qq. super. Num q. 29.*

ctus Hieron. in illa verba Isai. 61. *Inundatio camelorum operiet te, Dromedarij Madian, & Epha, omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*: *Madian*, explicat, *& Epha regiones sunt trans Arabiam fertiles camelorum, omnisque prouincia appellatur Saba. Hinc fuit & Saba Regina, quæ venit sapientiam audire Salomonis*: *Cedar regio Saracenorum est, qui in scriptura vocantur Ismaelitæ, & Nabaioth vnus memoratur filiorum Ismaelis*: *ex quorum nominibus solituao appellatur, quæ frugum inops, plena est pecorum.* Dadan filius Iecsan etiam videtur Pererio mixtus Idumæis in Arabia consedisse, cuius fratrem Sabam constat in Arabia Felice nomen vrbi reliquisse, de cuius gente loquitur Plinius: *Sabæi Arabum populi propter thura clarissimi, ad vtraque maria porrectis Gentibus habitant*, vbi per *vtraque maria* Persicum intelligit & Arabicum: sic apud Isaiam *Chus Misraim & Saba* coniunguntur. *Labor Ægypti & negotiatio Æthiopiæ, & Saba viri sublimes, ad te transibunt, & tui erunt*; Iosephus etiam l. 1. Antiq. & hoc loco S. Hier. in traditione Hebr. tradit istos Sabæos Arabiæ felicis incolas ex posteris fuisse Abrahami, quos è Cetura susceperat, & Iecsan patrem Sabæorum. Obseruet lector præter Sabæos Arabes & Africanos: alios Sabæos à Dionysio locari in Persia, proximos Pasagardis, alios item in India: nam Iecsan nepos Heber de stirpe Sem, filium genuit Sabam, cuius fratres reliqui regiones Indiæ coluerunt: Fuit & Saba filius Chus, pronepos Noë ex Cham Persiæ inquilinus. Vnde licet vnum ex Arabia, alium ex India, tertium è Persia deduceremus: omnes tamen è Saba dici potuerunt prodijsse. Nec illud negligendum, quod S. Hieronymus monet à plerisque filijs Abrahæ ex Cetura Indiæ regiones habitatas: ideo non tantum, qui ex Arabia: sed & is, qui ex India venit, potuit è posteris Abrahæ descendisse.

& Cum Sabæis Arabicis. *Perer. ben. 2. 5. v. 5. n. 8. 24.* nam Saba filius Abrahæ in Arabia consedit. *Plin. lib. 6. c. 28.* *Isa 45.* *Ioseph. l. 1. ant. q. 3.* *Hieron. in tradit. Hebr.* Sabæi quidam in Persia & India sunt. *S. Hieron. in tradit Hebr.* e posteris Abrahæ.

Complures certè volunt omnes sanctos Reges sanguinem ex Abrahamo ducere, & per traditionem maiorum Messiæ notitiam habuisse. S. Chrysologus, *Vnde tanta munerum scientia mysticorum? vnde donorum Sacramenta tanta? non Chaldæa arte: sed de prisco SS. maiorum traditione. Erant isti de genere Noë, de filijs Abrahæ, qui Christum nasci per Deum didicerant, non per artem: eumque hominem Deum, Regem morituram alto cognouerant sacramento: hinc est, quod apta Patrum fidei munera portauerunt; vt aurum Regi, incensum Deo, myrrham morituro scienter offerrent, talique munere, & pietati satisfacerent, & honori.* Epiphanius etiam asserit ab Abrahamo filijs commissa dona, quæ Messiæ per posteros offerrentur. *Filijs*, ait, *Cethuræ dona erant pecuniæ præsentes, aurum, & argentum, ac vestitus. Et in mysterio concluſit Abraham in peristhus, & myrrham, & aurum Regum Sodomorum, & Gomorrhæ: quando Codorlahomor & Barsa à Sodomis, & Gomorrhæis acceperunt, & equos deprædati sunt; & hominum multitudinem captiuam abduxerunt; & ab vnoquoque opulentiam pecuniarum, & aliarum rerum multitudinem diripuerunt, quam reduxit Abraham tunc à cæde Regum, & neque auertere ea, quæ iam Deo destinata erant, ausus est; sed dedit ipsa cum alijs donis filijs suis ex Cethura veluti in traditionibus Hebræorum reperimus. At verò in Christi aduentu, cum ijdem filij Abraham & discessissent, & habitassent in partibus Arabicis Magodiæ regionis, Magi, qui ex successione seminum illorum descenderunt, eadem dona in participatione eiusdem spei Christo in Bethlehem obtulerunt, quando stellam conspicati venerunt.*

S. Chrysologus de Epiph.

S. Epiphan. l. 3. contra Hæreses.

Laudat & recitat hæc ex Epiphanio Baronius: cum filios Abrahæ nobiscum per Arabiam disseminasset. *Constat*, inquit, *Abraham ex Cetura multos genuisse filios, & inter alios Iecsan, & Madian. Ex Iecsan verò ortus est Saba: & ex Madian Epha, & alij, quos omnes Arabiam incoluisse dixi, atque ex ipsorum nominibus loca ipsa esse sortita nomina, ac populos denominatos* Sabæos, *ac Madianitas.* subijcit, deinde munera, quæ ab Abrahamo per maiorum accepta manus Messiæ consecrarunt.

Baronius to. 1. An. 1.

Assentit Cottonus noster, *Abraham quatuor habuit filios, Ismaelem ex Agar, Isaac è Sara Madian, & Iecsan è Cetura: solus Isaac heres fuit: ceteris legata data: & iuxta Hebræorum traditionem duobus posterioribus spoliorum de Chodolahomor eiusque socijs relatorum pars cessit, inter quæ erat aurum, thus, & myrrha; quæ tum in thesaurum, tum in tam illustris victoriæ patris sui monumentum asseruarunt.*

Cottonus c. 7. Medit.

runt, ac deinde in terras, quas de suo, & de filiorum suorum nomine appellarunt, Sabæam inquam, & Madian itidem transtulere. Hæc à Madian, illa à Saba filio Epha fratris Madian cognominata. Superuenit postea Prophetia Balaam de stella, quæ Regem Regum portenderet: adeo vt Madian & Iecsan posteri thesaurum hunc semper in Messiæ natiuitatem reseruare decreuerunt, quod tres hi Reges ex eorum stemmate progeniti fecere.

Eadem ferè referunt Barradius, Regius, Franciscus Lucas hoc loco & Carthagena ho. 5. vt perquam fiat probabile si non omnes vnum certè & Arabem & Abrahamitam Christum mysticis his muneribus adorasse. *Barradius. Regius. Franc. Lucas. Carthagena*

Iam verò per totam Arabiam triplicem Astrologiæ & Matheseos studia floruisse constat ex varijs autoribus supra allatis: Proclus tradit ab Arabibus Arithmeticam varijs problematis, & theorematis illustratam, Astronomiam auctam. Plinius Pythagoram ante Arabiam adijsse, quam librum de herbis concinnaret. Arabes Astrologi.

Ptolomæus hoc effatum laudat Arabum & traditionem, Astronomiam vnam esse semitam ad Dei Optimi Maximique cognitionem obtinendam. Athanasius Kircher in Copto prodromo scribit: *Arabes & Aegyptios primos inuentores Astronomiæ, qui stellas singulas antiquis nominibus appellarunt.* Nemo etiam ad regiam dignitatem nisi ea scientia perpolitus admittebatur: vnde libellus adagiorum Arabicorum hoc iactatum passim prouerbio notat. *Disce scientiam o puer, vt sis imperator.* nec nisi Astrologia peritus ibi regnabat. *Athanasius Kircher c. 8. f. 197. Centuria 2. prouerbio 21.*

Vnde vt taceam Reginæ Sabæ sapientiam, Iobus cum tribus amicis Regibus omnes Arabes: quanta rerum Meteorologicarum & Mathematicarum scientiarum peritia claruerunt: qui etiam Orionem & Pleiadas tanto ante Gentiles alios scriptores nominarunt? De Euace Arabum Rege coæuo Magorum Euangelicorum constat eum Philosophum, Medicum & Rhetorem insignem suum de herbis & medicinis volumen Neroni inscripsisse. de quo sic Plinius scribit *Euax, Dionysius & Metrodorus herbarum effigies pinxere, earumque effectus subscripsere.* Euax rex librum de herbis Neroni dedicauit. *Plinius l. 15.*

Et horum quidem Arabum Magia naturalis & Astronomia: quam Doctore parente suo Abrahamo didicerunt, non videtur fuisse communiter artibus dæmoniacis vitiata: licet posteriores, vt Albumazar alijque eam diuinationibus & genethliacorum somnijs inquinarint. Ideo tam. Abrahami vaticinijs & maiorum traditionibus, vt Chrysologus ait, eruditi, quam Balaami & Sibyllarum oraculis informati, Messiæ venturi cognitionem habuerunt: eumque seculis multis exspectarunt.

CAPVT X.

Quibus autoribus inuecta sit dæmoniaca Magia maleficorum: & quinam SS. Patrum Euangelicos Magos faciant eiusdem sectatores.

IN Magis præsertim Persicis, duo reprehenduntur, primo quod tos se Deorum cultui consecrarint, & eum sibi præ cunctis superstitiosius arrogarint: deinde quod varijs in locis diuinationes, ariolationes, & præstigias maleficorum coluerint. *Audi Apuleium: Persarum lingua Magus est, qui nostra lingua sacerdos, callere leges ceremoniarum, fas sacrorum, ius religionum est Magum esse.* & Laërtium: *Magi operam ponebant in cultu Deorum & sacrificijs, & precibus, ac votis, quasi soli ex omnibus a Dijs exaudirentur; diuinationes quoque factitabant, & ariolabantur: eratque piaculum aras adire, vel hostiam contrectare, antequam Magus libasset, & carmen occentasset.* vindicat Chaldæorum quosdam ab his & Genethliacorum somnijs Strabo: *In Babylonia locus ad habitandum attributus est Philosophis indigenis, Chaldæis dictis, qui Astronomiam exercent: è quibus aliqui genituras inspiciunt, quos alij non admittunt: alij & hos ijsdem inuoluunt nequitijs.* Vitia Magorum Persicorum duo. 1. 2. *Apuleius Apol. 1. Laertius l. 1. initio.*

Natas vult Plinius maleficorum præstigias à medicina: quæ salutari specie paulatim irrepserunt, velut altius quoddam, & sanctius medendi genus, quod similitu-

Strabo l. 12. præstigiarum autor Cham vel Zoroastes

dine religionis introductum à Regibus quandoque accepit venerationem. Plerique putant in Perside Zoroaste Magistro (quem Chamum multi vocant) exsecrandam illam artem natam esse: vixit is ætate Abrahami: multos hic habuit præter Pharaoniticos seu Ægyptios Magos, etiam Græcos Philosophos sectatores, Pythagoram, Zamolxin & Thaletem Milesium: Nolo deterrimi huius inter omnia flagitij diuisionibus, & infandis nequitijs has chartas inquinare. De pœnis ei iure decretis pauca dicã.

pœnæ Maleficorum.

Iure diuino capite plectuntur Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere.*

Apud Romanos Magiæ conuictus arce Tarpeia præceps agebatur,

Baron. ad 27. Febr. in Mart. Cœlius l. 9. l. 23.

Imperatores verò Gentiles in eos igni animaduertebant: quæ causa fuit, cur initio nascentis Ecclesiæ tot Christi fideles flammis vrerentur: nam quæ prodigia Martyres in tormentis ope diuina patrabant, ea præstigijs magicis Ethnici tribuebant. Quid quod Spartianus in Caracalla notet, Romæ damnatos eos, qui pro tertianis & quartanis depellendis amuleta è collo suspendebant.

sancti Patres quidã SS. Reges Magiæ nefariæ condemnant

Venio ad SS. Patres, qui huius artis nefariæ Magos Euangelicos suspectos, vel reos iudicarunt. S. Ignatius *Hinc*, ait, *euanuit mundi sapientia, præstigiæ factæ sunt nugæ, Magia risus.*

S. Ignatius ep. ad Ephes.

Seculo secundo S. Iustinus: *Magi, qui vt captiui rapti erant ad omnes improbas sceleratasque actiones, quas dæmonium illud faceret, cum Christum adorassent, videntur ab ea vi & potestate discessisse, quæ eos spoliauerat.*

S. Iustinus in Dial. cu Tryphone.

Seculo tertio Origenes. *Verisimile est in Natiuitate Iesu, quando multitudo cœlestis militiæ laudauit Deum dicens: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, dæmones ea de causa debilitatos obtorpuisse, deprehensis eorum præstigijs, efficaciaque destructa: non solum aduentantibus ad proxima terræ loca Angelis: verum etiam agente id Iesu anima, & ea, quæ in ipso est diuinitate: cumque Magi operarentur solitis incantationibus, non vulgarem huius casus causam scrutabantur: visoque in cœlo prodigio voluerunt, quod per illud significabatur videre. Itaque cum haberent vt opinor Prophetias Balaam, inuento illic de stella oraculo, coniectauerunt eum, qui cum stella prænunciatus est hominem in vitam adueniisse, conceptaque opinione de illo potentiorem esse omnibus dæmonijs, ac spectris familiaribus, decreuerunt eum adorare.*

Origenes l. 1. contra Celsum.

S. Hieron. in c. 19. Ioannis.

Seculo quarto S. Hieronymus: *In tantum vt Magi de Oriente docti à dæmonibus; vel iuxta Prophetiam Balaam intelligentes natum filium Dei, qui omnem artis eorum destrueret potestatem, venerunt Bethlehem, & ostendente stella adorauerunt puerum*: alibi contrarium docet & Philosophis accenset.

S. Basilius

S. Basilius: *Genus Persicum Magi, incantationibus, & Magicis, & naturalibus quibusdam affectibus, Astronomiæque & sublimibus rebus vacabant: eiusdem ferè Magiæ Balaam ille videtur fuisse.*

S. Ambros. in Lucam c. de Magis.

S. Ambrosius: *Magi licet artibus Magicis conciliandæ sibi studium diuinitatis impendunt, ortum in terris Domini crediderunt.* S. Hilarius: *Magis diuinæ operationis virtutes falsa rerum specie mentientibus, potissimus impiæ religionis honor à seculo omni deferebatur.* S. Chrysostomus insinuat: *Etsi forte Magus sis: nihil te ad hunc Regem introire prohibebit, modo vt adoraturus, & honoraturus Dei filium, & non quasi conculcaturus aduenias.*

S. Hilarius l. 3. de Trin. prope finem.

Alcuinus de Epiphan.

Seculo octauo Alcuinus: *Istorum Magorum primus Zoroastes Rex exstitit, à quo originem feruntur traxisse: hi elementa concutiebant, turbabantque mentes hominum; ex istorum genere in Ægypto restiterunt Moysi, vertentes virgas in dracones, aquasque in sanguinem. ipsi Astrologi dicti, nec non Genethliaci, propter natalium considerationem: geneses enim hominum per 12. sidera cœli describebant, siderum quoque cursum nascentium morientiumque pronunciabant.*

Druthmarus. Theophylactus

Druthmarus: *Magi fuerunt, qui vulgo malefici vocantur: propter quod male faciunt, elementa concutiunt, mentes turbant; de hac arte fuerunt illæ gentes dictæ, vnde isti venerunt.* Theophylactus: *Christo testimonium perhibent Magi, qui maximè aduersarij erant Deo, & obnoxij dæmonijs.*

Adamus Contzen in 2. Matth.

Posteriores plerique tenent oppositum, quamuis Adamus Contzen malit, fuisse maleficos, vt in vocatione maximorum peccatorum appareat humanitas & benignitas saluatoris. Obijcit sibi Danielis exemplum contrarium: quem scriptura honoris titulo

tulo vocat. Principem Magorum? Respondet: *Si Magos nostros fuisse Danieli similes, aut sanè Chaldæis dissimiles velit, non pugnaro: meam sententiam propono: nec indignum hoc est Euangelio: cum Act. 19. 19. Magicorum librorum, qui exusti fuerint, fuerit pretium denariorum 50. millium: nam & Magis datur pœnitentia.*

Atque hos quidem reperi sententiæ huius propugnatores: Fundamentum vnicum est vox Magorum: quæ plerumque in partem deteriorem accipitur: additur quorundam coniectura, quia de genere Balaami præstigiatoris descenderunt: de quo capite sequenti videro. Fundamentum.

Exclamat hic tam contra S S. Patres, quam Colonienses cum conuitio Illyricus. *Vnde liquet, quam infallibilis sit Patrum scripturæ interpretatio; sed viderint Colonienses.* Retundit belle cauillum illud sic Adamus Contzen. *Imo sanè viderint, an ideo eorum sacra ossa honore despoliabunt, quia peccatores fuerunt? At sic nec Paulum honorarent, qui persecutus est Ecclesiam Dei: sic nec Magdalenam in ciuitate peccatricem. Errat ille rigidus peccati alieni censor, sui non imputator. cum hominem autem peccatorem diuina bonitas regenerauit, & Spiritus S. templum constituit, nobis quoque honorabilem fecit: quod enim Deus mundauit homo immundum ne dixerit.* cauillum Illyrici. retunditur

Præter crimen maleficij: alia ijs imponuntur: Genethliacos eosdem Tertullianus & S. Chrysologus, ac idololatras complures faciunt. Tertullianus ita scribit: *Sed Magi & Astrologi ab Oriente venerunt: primi igitur stellarum interpretes natum Christum annunciauerunt, primi munerant: quid tum? ideo nunc patrocinabitur Mathematicis illorum Magorum religio? de Christo scilicet est Matheſis: hodie stellas Christi non Saturni & Martis, & cuiusque ex eodem ordine mortuorum obseruat & prædicat. At enim scientia ista vsque ad Euangelium fuit concessa: vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cælo interpretetur: nam & thus illud, & myrrham & aurum ideo infanti tunc Domino obtulerunt, quasi clausulam sacrificationis, & gloriæ secularis.* Genethliacos putant fuisse. *Tertul. de Idololatria.*

S. Chrysologus: *Putasne Chaldæos siderum scrutatores nascendi, moriendi causas stellarum cursibus adscribentes, bona malaue hominum de arbitrio luminarium firmantes.* S. Chrysologus ser. 156.

In Idololatris eos numerat S. Gregorius Nazian. *idcirco stella præiens, & Magi procumbentes, & munera offerentes, vt scilicet idolorum cultus hoc facto euerteretur.* S. Greg. Naz. Orat. 21. Apol. fugæ.

S. Augustinus: *Magi non erant de gente Israël, colebant Gentium Deos, hoc est dæmonia, quorum fallaci decipiebantur potentia.* Eckius: *Errat Lutherus, dum ea ignorantia Reges illos afficit: vt illos maleficos fecerit; Gentes illi quidem fuerunt, & idololatræ: sed non diabolicæ artis tractatores.* Ego vt ab idololatriæ crimine non putem immunes exstitisse, sic Magiam sectatos esse diabolicam, nullo mihi modo possum persuadere, imo ne quidem censeo Genethliacis accensendos esse: vt infra suo loco confirmabo: sed num Balaami malefici fuerint posteri, nunc videamus. S. Aug. ser. 67. de diuersis. Eckius lib. 1. defensio eorum.

CAPVT XI.

Fuerintne Magi Euangelici de posteris Balaam; vel potius sectatores doctrinæ eius.

ARIOLI Balaami Reges nostros faciunt posteros Origene duce complures Patrum. Qui eos posteros Balaam faciant. Origenes ho. 13. Num.

Origenes: *Ex Balaam fertur Magorum genus & institutio in partibus Orientis vigere, qui descripta habentes apud se omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, quod orietur stella ex Iacob, & exsurget homo ex Israël.*

S. Gregorius Nyssenus: *Audiuisti Ariolum Balaam meliori numine afflatum, sic alienigenis prædicentem, Orietur stella ex Iacob. Ecce tibi, qui ab illo genus duxerint Magi, ex prædictione ipsius nouum obseruant ortum stellæ.* S. Greg. Nyss. de Nat. Domini.

S. Am-

S. Ambrosius. S. Ambrosius: *sed qui sunt isti Magi? nisi qui, vt historia quædam docet, à Balaam genus ducunt, à quo prophetatum est: orietur stella ex Iacob: isti ergo sunt nominus fidei, quam successionis heredes, ille stellam vidit in spiritu, isti viderunt oculis & crediderunt.*

Druthmarus. Druthmarus: *Fuerunt autem de genere Balaam.*

Theophylactus. Theophylactus. *Ferunt Magos fuisse ex Balaam coniectore progenitos.*

Euthymius. Euthymius: *Vnde cognouerunt Magi stellam Regis Iudæorum natiuitatem indicare? quia ex genere Balaam Astrologi descendebant; & scripta eius adeuntes, inuenerunt ab eo dictum: orietur stella ex Iacob.*

Explicant eundem de successione doctrinæ, non sanguinis Origenes ho. 15. in Num. Rabanus. Communis tamen tenet opinio eos non generis; sed vaticinij & doctrinæ Balaami tantum fuisse successores: vt & ipse primus huius sententiæ assertor Origenes dubitet, num artis & scientiæ potius, quam sanguinis heredes exstiterint: nam citato loco artis eius seu Astrologiæ vocat eosdem discipulos: & ho. 15. *quod autem dicit fiat semen meum, sicut semen iustorum: possit quidem de illo Balaam intelligi secundum hoc, quod Magi illi de semine eius esse videantur, siue per successionem generis, siue per disciplinæ traditionem*: quem locum laudat & sequitur Rabanus: ita priores citati Patres pariter de vaticinio, & doctrina potius accipiendi, iuxta Patres iam laudandorum mentem: nam eius oraculi monitu Messiam quæsierunt.

S. Iustinus Martyr. S. Iustinus Martyr *de Christo prædictum* ait, *quod tanquam astrum exorituru esset ex genere Abrahæ, indeque Magos Arabes edoctos illum adorasse, eidem verò prædictioni similem esse, qua Oriens* ἀνατολὴ *nomen ipsius asseritur.*

S. Irenæus. S. Cypr. de stella & Magis. S. Basil. orat. de Christi nat. S. Aug. l. qq. V. & N. T. q. 63. Suppar Iustino Irenæus pariterque Origene vetustior Christi stellam prophetatam dicit à Balaam. Cyprianus: *Magi ex vaticinijs Balaam olim audierant stellam oriri in Iacob: diu homines huius prophetiæ prouentum exspectabant.*

S. Basilius: *Magi ex antiquo vaticinio scilicet Balaam venerunt in ciuitatem.*

S. Augustinus: *Iudæorum Regem per stellæ apparentiam natum intellexerunt, cum indice stella temporalis Rex soleat designari. Si Magi Chaldæi non maleuolentia astrorum cursum; sed rerum curiositate speculabantur; sicut enim datur intelligi, traditionem Balam sequebantur: istam ergo traditionem Magi secuti videntes stellam, extra ordinem mundi hanc esse intellexerunt, quam Balaam futuram indicem Regis Iudæorum prophetauerat.*

S. Leo ser. 4. S. Leo: *Ad intelligendum signum miraculi, potuerunt Magi & de antiquis Balaam prænunciationibus commoueri, scientes olim esse prædictum, & celebri memoria diffamatum.*

S. Maximus. ser. 3. de Epipha. S. Maximus: *Idcirco Magi apud Israël præcipuè natum regem requirunt: quia Balaam ille ariolus stellam ex Iacob oriundam & hominem ex Israël prophetauerat esse venturum: Nemo itaque mireturnatiuitatem dominicam agnouisse Chaldæos, quam vtique, si reuelante Deo Gentilis, id est Balaam prænunciare potuit, potuit Gentilis: id est Magus, agnoscere.*

Operis imperfecti autor: *Legi apud aliquem, Magos istos ex libris Balaam diuinatoris apparituræ huius stellæ scientiam habuisse, cuius diuinatio posita est in veteri testamento.*

S. Isidorus in Nat. Dom. S. Isidorus: *Diuinus ille Balaam sic cecinit. Orietur stella ex Iacob. Magi enim venientes ab Orientis partibus, primi Christi natiuitatem stella indice nunciauerunt, scilicet, vt quem olim princeps artis eorum prædixerat, illi inspecto sidere demonstrarent.*

S. Anselmus in 2. Matth. S. Anselmus: *Magi prophetiæ Balaam recordati fuerunt, tum stellæ apparitione commoti in Ierusalem peruenerunt.*

Beda in 2. Matth. Beda: *Successores esse creduntur Magi, & propter prophetiam eius incitati, visa noua stella, natum Regem quærebant.*

Ratbertus in 2. Matth. Ratbertus: *Fuerunt autem de genere Balaam, successoresque doctrinarum eius: & ideo ex Prophetia eius euidentius cognouerunt; quod etiam in doctrina studiosè recolentes, experiri secundum disciplinam ipsius artis meditabantur.* & infra: *Nouerunt ergo, quod ex vaticinio Magistri, quem sectabantur, perceperunt, & ignorabant penitus locum, quem alibi per Prophetam Spiritus S. declarabat.*

Zacharias. Zacharias Chrysopolitanus: *Successores Balaam fuerunt Magi: qui stellam noue-*

runt

rant vaticinio illius, ille stellam vidit in spiritu: isti viderunt oculis, & crediderunt.

Recentiores sine numero sunt: satis hi Patres euincunt, successionem illam non sanguinis esse existimandam; sed scientiæ Astrologicæ & vaticiniorum Balaami, olim in Arabia editorum, vnde nihil his patrocinantur, qui maleficis sanctos Reges adscripsere: sed confirmant ea, quæ capite sequenti stabiliam, eos Mathematicis & Astrologicis scientijs claruisse.

CAPVT XII.

Eos fuisse deditos Astrologiæ, non tamen Genethliacos.

Astrologi fuerunt.

ARs Balaami, quam S S. Patres agnoscunt in S S. Regibus, Astrologia & Mathesis est: cuius eos peritissimos permulti volunt exstitisse.

Tertulianus: *Sed Magi & Astrologi ab Oriente venerunt, primi igitur stellarum interpretes natum Christum annunciarunt.* *Tertul. de idololatria.*

S. Cyprianus: *Erant istis in regionibus viri siderum inspectionibus adsueti, qui arte Mathematica vim discursumque nouerant Planetarum, qui ex elementorum natura rationem temporum metientes, astrorum ministeria certis experimentis, proprijs didicerant effectibus adsignata.* *S. Cyprian. de stella & Magis.*

S. Basilius: *Sed quando motibus cœlestibus studebant, non frustra inter cœlestes obseruationes prodigium sunt contemplati, stellam videlicet nouam, ac minimè consuetam in dominico natali effulgentem: cuius sanè ortum nemo in Astrologiæ rationem, computationemque trahat.* *S. Basilius de Christo Natiuit.*

S. Chrysostomus: *Deus per ea eos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat: ad ipsorum imbecillitatem & captum se dimittens: ideoque ingens eis & clarum astrum ostendit, quodque plurimum ab his, quæ spectamus sideribus discreparet, vt eis & magnitudine, & pulchritudine formæ, necnon etiam & modo & ratione cursus admirationem moueret.* *S. Chrisost. ho. 6. in 2. Matth.*

S. Augustinus: *Si Magi Chaldæi non malcuolentia astrorum cursum; sed rerum curiositate speculabantur.* *S. Aug. l. de qq. N. & V. T.*

S. Chrysologus *Putasne Chaldæos siderum scrutatores, errantes per astra Magos, cœli negotia in tenebris noctium perquirentes Euangelista hodie ortum Christi absconditum seculis stella duce docuit inuenisse?* Iuuencus. *S. Chrysologus S. 156. Iuuencus.*

Gens est Eoi Phœbo orto proxima regni,
Astrorum solers ortusque obitusque notare.
Huius primores nomen tenuere Magorum,
Hinc lecti proceres Solymam per longa viarum
Deueniunt.

Chalcidius Platonicus in Timæo: *Quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profecto sapientes viri, & consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa maiestate puerili venerati esse.* *Chalcidius.*

S. Leo: *Ad roborandam fidem ex magna gestum est diuini pietate consilij, vt gens in longinqua Orientalis plagæ regione consistens, quæ spectandorum siderum arte pollebat, signum nati pueri, qui supra omnem Israël esset regnaturus, acciperet.* *S. Leo ser. 4.*

S. Isidorus: *Primum stellarum interpretes Magi nuncupantur: sicut de ijs legitur, qui in Euangelio natum Christum annunciauerunt.*

Alcuinus: *Magi vt erant edocti in cursu astrorum, animaduertunt hanc esse stellam, quam olim Balaam Madianita, cuius traditionem sequebantur, prædixerat.* *Alcuinus l. de offic. diu. c. 5.*

Hugo Floriacensis: *Apparuit nouum sidus, quod tres Astrologi videntes, & tam artis suæ peritia quam inspiratione diuina sideris nutum intelligentes, Ierosolymam venere.*

Wilhelmus Durantes: *Dicuntur Magi à magnitudine scientiæ: per Astronomiam enim cognouerunt, quod stella ista non erat ex constitutis à principio: sed illa, de qua Balaam Magister suus prophetauerat.* *Durantes l. 6. rationale.*

Plures alios infra varijs in locis afferores eiusdem sententiæ producam.

At-

Atque hi satis euincunt Magos Euangelicos, congruenter nomini suo, præcipuè Mathematicis & Astrologicis scientijs expolitos, suauiter à Deo stellæ potius, quam Angeli ductu fuisse ad recens nati Messiæ incunabula familiari signo inuitatos: quando c. 8. & 9. probatum est fusè Regas Orientis præsertim Arabum, ijs maximè disciplinis fuisse institutos: præsertim si eosdem Abrahami posteros faciamus. vnde sicut Iobus cum tribus amicis Regibus, Regina Saba, Ioseph in Ægypto, & Moyses omni fuerunt Ægyptiorum eruditione exculti, & qui Magorum princeps Daniel nominatur Chaldæorum omnibus artibus informatus, non tamen Genethliaci sunt ideo iudicandi, licet Astrologiæ peritia nulli suæ ætatis cederent: ita nec videtur hæc nota temerè sine fundamento, vel scripturæ testimonio SS. Regibus inurenda. Quamuis enim Tertulianus & S. Chrysologus id ijsdem tribuant, plurium tamen autoritate Patrum merito refelluntur.

non tamen Genethliaci.

CAPVT XIII.

Non fuisse maleficos testimonijs & rationibus euincitur.

consensus seculorum ferè omnium.

PPONO SS. Patribus c. 10. citatis, qui Magos Euangelicos in necromantis numerarunt, alios numero plures, Gentiles & sacros scriptores.

1. seculo. *Strabo. Philo. Plinius* 2. seculo. *Laërtius. Tertullianus.*

Seculo primo Magorum, vt perhonorificum nomen, laudarunt Strabo, Philo, Plinius: verba eorum sæpius recitaui.

Seculo secundo Laërtius eosdem eximit ab artis nefariæ suspicione. *Magos*, inquit, *Deorum vacare cultui, signa & statuas reprehendere, & eos, qui putant Deos esse masculos, vel feminas, & magicæ illos diuinationis esse ignaros tradit Aristoteles in libro Magicon.*

3. seculo. *S. Cyprianus. S. Clemens lib. 1. strom.*

Seculo tertio Tertulianus & S. Cyprianus eos Astrologos appellarunt: & Clemens his verbis Philosophis accensuit. *Philosophia*, inquit, *res valde vtilis est: olim quidem floruit apud barbaros, postea autem venit ad Græcos; ei autem præfuerunt & Ægyptiorum Prophetæ, & Assyriorum Chaldæi, & Gallorum Druidæ, & Persarum Magi: qui seruatorii quoque nostri ortum significauerunt stellâ eos præcedente.*

seculo 4. *S. Hieronym. in 2. Dan.*

Seculo quarto S. Hieronymus: *Magos consuetudo pro maleficis accipit, & sermo communis: qui aliter habentur apud gentem suam; eo quod sint Philosophi Chaldæorum, & ad artis huius scientiam Reges quoque & Principes eiusdem gentis omnia faciunt, vnde & in Natiuitate Domini, ipsi primi ortum eius intellexerunt.*

S. Epiphanius.

S. Epiphanius: eos à Magodia regione, non ab arte Magica traxisse nomen putauit, vultque, posteros fuisse Abrahami, qui eosdem Magusæos, & sapientes vocat.

seculo 5. *S. Maximus ho. 3. in Epiph.*

Seculo quinto S. Maximus Taurinentis: *Dedit ab excelso clarissimum signum, quod nec Gentilitas refutare posset, nec Iudæa celare: veniunt ab Oriente Chaldæi, sequuntur præuiam stellam, non magica arte recognitam; sed sui nouitate mirabilem: idcirco autem Magi apud Israël, præcipuè natum Regem requirunt: quia Balaam ille ariolus & sacerdos stellam ex Iacob orituram prophetauerat, &c.*

S. Leo. S. Chrysologus. Inuencus. Chalcidius. Prudentius.

Eodem seculo eos Astrologos faciunt, non maleficos S. Leo, S. Chrysologus, Chalcidius Iuuencus. v. c. 13. & Prudentius his versibus.

Diriguit trepidans Chaldæo in vertice pernox
Astrologus cessisse anguem, cessisse leonem, &c.

& in hymno de Epiphan.

En Persici ex orbis sinu
Sol vnde sumit ianuam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum Magi.

Autor operis imp. ho. 2. in Mat.

Autor operis imperfecti: *Qui sunt Magi? viri Orientales, qui venerunt à Perside: Magi enim apud illos non malefici, sed sapientes intelliguntur.*

seculo 7.

Seculo septimo S. Isidorus eos *Astrologos* & *Reges* vocat.

seculo 8. *Beda in 2. Math.*

Seculo octauo Beda: *Magi non propter Magicam artem sic nominantur: sed propter aliquam Philosophiam, in qua successores esse Balaam creduntur: & pro-*

propter prophetiam eius incitati visâ nouâ stellâ natum Regem quærebant.

Seculo nono Strabus & Glossa ordinaria: *Ecce Magi non malefici; sed Philosophi Chaldæorum, qui de singulis philosophantur.* — Seculo 9. Strabus. Rabanus.

Rabanus de pressuris Ecclesiasticis apud Gratian. dist. 37. *Magi quoque tria munera obtulerunt, in quibus nonnulli tres Philosophiæ partes volunt intelligi.*

Seculo vndecimo S. Anselmus: *Tres Magi, non vt dicitur malefici, sed sapientes Astrologique fuerunt de terra Persarum & Chaldæorum, vbi est Saba fluuius.* — Seculo 11. S. Anselmus in 2. Matt.

Radulphus: *Non autem dicti sunt hi Magi quasi malefici, sed quasi sapientes: nam quos nos Philosophos, Chaldæi appellant Magos.* — Radulphus ho. de Epiphan.

Seculo duodecimo S. Bernardus: *Quid facitis ô Magi, quid facitis? lactentem puerum adoratis? quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes? insipientes facti sunt, vt fierent sapientes.* — Seculo 12.

Rubertus Tuitiensis Abbas: *Et sicut tunc Magi, id est sapientes, vtique Gentiles claritatem siue illustrationem istius cœli inaninati cognoscentes venerunt.* — Rupertus l. 2. in 2. Matth.

Petrus Comestor: *successores isti fuerunt doctrinæ Balaam, qui stellam nouerunt eius vaticinio, & à magnitudine scientiæ dicti sunt Magi, quos enim Græci Philosophos, Persæ Magos appellant.* — Comestor.

Innocentius III. *Tres isti Magi tres Reges fuerunt, non Arioli, sed Philosophi.* — Seculo 13. Innocent. 3. ser. de Epiphan.

Hugo Cardinalis: *Non Magici vel venefici, vt quidam autumant hi fuerunt: sed Magi dicuntur, vel quia de stirpe Balaam: erant enim Sapientes & Philosophi, ac Reges in terra Persarum.* — Hugo Cardinalis in 2. Matth.

Albertus Magnus: *Magi dicuntur Chrysostomus dicit, quod isti lingua suæ patriæ Magi siuè Magusæi vocati sunt, & est secundum nomen claræ cuiusdam nationis eorum, quæ semper pulcris studuit & maximè diuinis cognoscendis.* — Albertus Magnus.

Wilhelmus Durantes: *Dicuntur Magi à magnitudine scientiæ.* — Durantes l. 6. rationalis.

Iacobus de Vitriaco: *vtique Magi non malefici, sed Philosophi: non à malitia vel magica arte, sed à magnitudine scientiæ sic vocati, naturali Philosophiâ edocti, diuina gratia inspirati.* — Iac. de Vitriaco ho. 12. de Epiphan.

Nicolaus Liranus: *Magi dicti sunt Magi, non à magica arte, sed à magnitudine scientiæ, & ideo dicti sunt etiam Reges; quia illo tempore Philosophi sapientes regnabant.* — Seculo 14. Liranus.

Nicephorus Calistus: *Magi Persici, sapientes autem ij, nobilitateque generis & opum insignes fuere.* — Nicephorus l. 1. c. 13.

Guido Episcopus Heluensis: *Magi isti sunt sancti & deuoti Reges: non dicuntur Magi à magicis artibus, quas resp. damnat: sed ab amore sapientiæ Philosophi dicti, cuius amore illam veram sapientiam, quæ Christus est Rex Iudæorum inquisiuerunt.* — Guido in 2. Matth.

Ludolphus de Saxonia: *Non à magica arte, sed à magnitudine scientiæ vocati sunt Magi, quasi in sapientia magni, & erant in scientia astrorum periti.* — Ludolphus de Sax.

S. Bernardinus: *Isti Reges dicti sunt Magi à scientiæ magnitudine: Reges insuper dicti, quia illo tempore in partibus illis regnabant Philosophi sapientes.* — Seculo 15. S. Bernardinus.

S. Antoninus: *Vel etiam quasi protestantes (muneribus) eum autorem totius sapientiæ, etsi puer esset: vt dicit Gratianus dist. 37. scilicet naturalis, rationalis, & moralis: à qua suam sapientiam habuissent: inde & Magi dicti sunt.* — S. Antoninus p. 4. t. 15. c. 32.

Dionysius Carthus. *Viri isti Magi vocantur: non ab arte Magica: seu quia malefici, vt Magi Pharaönis, nec quia illusores, sed quia sapientes; nam qui apud Hebræos dicuntur scribæ, hi à Græcis vocantur Philosophi, à Latinis Doctores, à Persis Magi.*

Seculo 16. & 17. sine numero sunt interpretes, scholastici, historici & Ecclesiastæ, qui vindicant S S. Reges ab arte nefaria: paucos seligam. — Seculo 16. & 17.

Guilliaudus Magos vocat, *qui naturas rerum cognoscunt: vt quod calx accendatur aqua, & oleo extinguatur; quod mustela caudâ eliciat serpentes è cauerna & necet. Magus fuit Salomon dum duas meretrices iudicauit: Iacobus ob virgas variegatas: in hac arte docet excelluisse Persas, Arabes, reliquasque Gentes Orientales: quibus Magi sunt, qui Græcis sophi, Magos Strabo Sacerdotes vocat.* — Guilliandus in 2. Matth.

Prudentius peritos interpretes: Tunc autem maximo in honore fuisse Persis: vt nec publica sine eorum consilio administrarentur; nec legitimè factum videretur, quod horum sententia non approbaretur.

Ianssenius in Concordia Euang.

Ianssenius ex Cœlio, Plinio, & Cicerone latè deducit Magos Orientis fuisse, qui culmen naturalis Philosophiæ sunt assecuti, talesque facit Magos Euangelicos: vocem autem Magorum contendit esse non Persicam; sed origine Græcam: quæ Philosophis Persarum & Chaldæorum sit attributa.

Baronius A.1.n.30.

Baronius: *Cum autem*, inquit, *Epiphanius dicat dictos Cetturæ filios, Magorum progenitores habitasse in partibus Arabicis Magodiæ regionis, haud ineptè quis dixerit, magos non à Magica facultate, sed ab eadem magodia regione esse denominatos.*

Salmeron tract. 38.

Fusissimè Salmeron probat eos non maleficos exstitisse 1. petita radice Magi ab Hebræo haga: meditari, adiecta heemantica mem magim, quasi meditantes. 2. ex Laërtio & Aristotele, qui negant Magos fuisse deditos magicæ diuinationi. 3. ex Porphyrio, Cicerone, Platone, Philone, Plinio, S. Hieronymo, qui eos honestæ licitæque magiæ naturali, & cultui diuino vacasse volunt. 4. concludit. *Tales erant Magi isti minimè superstitiosi, aut diuinatoriæ Astrologiæ vanitatibus dediti: nam tales indigni fuissent, qui vel quærerent Christum vel quæsitum inuenirent, ne dicam adorarent. Quod si dicas ante Christum ijs cognitum dici Magos; secus*

lib. 3. aduersus Marc. circa medium.

postquam ipsum adorassent; repugnat textus ipse huic dicto: nam eos post adorationem vocat Magos, ex quo Tertulianus testatur, quod secundum statum suum & ordinem Philosophis essent excellentiores: & profectò ratio non patitur, vt qui fidem habebant venturi Messiæ, & tantis itinerum periculis, se pro eo adoraturos exponebant, vt inquam superstitiosi Magi dicantur.

Addit in sacris literis nomen Magorum quandoque in bonam partem, quandoque in malam accipi, & in Daniele in bonam quidem iuxta S. Hieronymum pro philosopho, vbi vox Hebræa (quam S. Hieron. vertit Magi) iuxta Santem Pagninum ex Rabbi Dauide propriè significat Astrologum.

Beauxamis in 2. Matth.

Beauxamis 1. ostendit Magos Persarum esse Sapientes & magiam eorum esse consummatum naturalis Philosophiæ apicem, quem Pythagoras, Plato, Empedocles ceterique Philosophorum præstantissimi, velut sanctiorem quandam disciplinam, longinquis peregrinationibus conquisierunt, quod probat ex Hier. & Virgilio. 2. ex Cedreno ac Iosepho docet ab Abrahamo doctos Ægyptios Astrologiam & Magiam. 3. ait nomen magiæ à Magusæis seu Persis originem ducere, qui ab indigenis Magog appellentur.

Franciscus Lucas.

Franciscus Lucas 1. Probat non fuisse maleficos, quia Syrus & Græcus retinet vocem Magi, cum Maleficos vocet γόητας. 2. esse nomen honorificum Philosophorum gentis suæ, qui Regibus à consilio essent, & è quibus Reges aliquando eligerentur, vt sit proprium sapientiæ & principatus dignitate insignium virorum. 3. Magos Arabiæ celebres fuisse, quos Pythagoras & Democritus scripturi de herbis consuluerunt. 4. Iobum cum tribus amicis Magos fuisse & Arabes: vnde & Regina Saba sapientissima fuit. 5. posteros Abrahæ consedisse in Arabia felice & ex ijs descendisse hos Reges.

1. 2. 3. 4. *Iob. cum tribus amicis Magus.* 5.

Maldonatus.

Maldonatus 1. docet à Munstero textum Hebraicum vitiatum: Nam quos honoris causa Magos Euangelista nominauit, ipse vocat Hebraicè præstigiatores: 2. tres notiones aperit Græcæ vocis μάγοι. 1. maleficorum. 2. nationis & gentis ex Herodoto, Strabone S. Epiphanio. 3. notio Persis vsitata pro Philosophis, vt Cicero, Strabo, Tertulianus testantur. Hinc putat Euangelicos Magos nomen accepisse: & quia ab Oriente venerunt, vbi celebre Magorum nomen erat, & quia stella ducti sunt: quasi homines, qui omnem vitæ cursum stellarum obseruatione gubernarent: in quâ omnis, tunc Magorum sapientia versabatur; Et quia Euangelista honoris causa videtur eos Magos appellat. His similia & consentanea *Regius* hoc loco habet.

Regius.

Suaretz.

Franciscus Suaretz 1. probat eos Sapientes & Astrologos fuisse ex Beda, Ruperto, S. Cypriano, Leone alijs. 2. nomen Magorum sæpe in bonam partem ac-

aecipi pro veris ſapientibus, oſtenditque ex S. Iſidoro primum, ſteilarum interpretes Magos eſſe nominatos,& ſubdit: *huiuſmodi puto, qui ad Chriſtum adorandum venerunt: Ergo qui non probantur mali debent præſumi fuiſſe boni.* Confirmat idem ex varijs S. Hieron. locis: Suaretz ſequuntur Theologi plerique, vt Tannerus, & alij. *lib. 8. de Ethymol. c. 9.* *Tannerus.*

Cornelius à Lapide 1. oſtendit perperam Munſterum vertiſſe Hebraicam vocem Præſtigiatorum, cum Syrus, Arabicus, Ægyptius, Græcus & Latinus retineant vocem Magi. Solus Æthiopicus habet pro Magis adoratores. 2. Perſicum ait Euangelium habere Maguſan id eſt Magi, Sapientes, Aſtrologi: à radice Haga meditari, & primo Hebræis ſapientes dictos eſſe Magos: inde Chaldæos, Arabes, Perſas, Æthiopes: probatque ex Eugubino, Plinio, Tertuliano, quia Magia naturalis Aſtrologica fuit licita & bona, quamuis in vitium abierit, natâ ſubinde Iudiciariâ Aſtrologiâ. *Cornelius à Lapide*

Syluius Theologus Duacenus. *Cum nihil cogat dicere, quod fuerint malefici, ideo potius exiſtimandum videtur, quod fuerint Sapientes à peritiâ Magorum appellati. Et nomen illud accommodatius erat (quam Regum) per ſtellam adductis, & forſitan non minus honorabile, quandoquidem eo ſignificentur fuiſſe Sapientes, nomen autem Regum ſignificat ſolam potentiam.* *Syluius. In 3. P. q. 36. a. 3.*

Ioannes Azor. *Communis eſt ſententia non fuiſſe primi & ſecundi generis, ſed tertij, nimirum Sapientes Aſtrologos.* Citat Cyprianum, Anſelmum, Iſidorum, Leonem, Rupertum. *Reuera,* ſubdit, *hæc ſententia eſt retinenda: nam Magorum in primo aut ſecundo genere nomen apud omnes gentes eſt infame. Sed S. Matthæus Euangeliſta Sapientes honoris causa Magos appellauit: Huc accedit, quod apud Perſas Magi ijdem ſunt, qui Sapientes, vti apud Græcos Philoſophi; apud Hetruſcos in Italia Aruſpices; apud Indos Gymnoſophiſtæ; apud Babylonios Chaldæi; apud Ægyptios Hierophantæ, apud Gallos Druidæ, vt Cic. libro 1. de diuinatione, Strabo libro 16. crediderunt. Ergò cum Matthæus dixit Magos ab Oriente veniſſe, ſignificare voluit, eos eſſe ſapientes Aſtrologos, quales erant in Oriente.* *Ioannes Azor. P. 2. lib 1. Inſt. moral. c. 11.*

Petrus Simonis Tiletanus. Epiſcopus Yprenſis: *Veruntamen inſignes hos viros, quos Magos Euangeliſta appellat, non maleficos, aut incantatores fuiſſe arbitrandum eſt: quamuis hoc nonnulli veterum dicere videantur: nos tamen neque Magos eiuſmodi, nec vulgares etiam, aut de plebe hominum, ſed viros nobiles, præſtantes, ſapientes, atque Philoſophos ſiderum inſpectionibus & Mathematicæ deditos fuiſſe exiſtimamus, qui ex Aſtrologicâ arte vim diſcurſumque nouerant planetarum, qui ex elementorum natura rationem temporum metiente, aſtrorum miniſteria certis experimentis proprijs didicerant effectibus adſignata. Ad huius ſcientiæ, artisque notitiam adipiſcendam etiam Reges & Principes Chaldæorum omnem mentis conatum, teſte S. Hieronymo adhibebant, adeo ſtudium illud in illa regione vigebat, adeo omnibus erat cordi. Hoc igitur apud illos, Chaldæos dico, Aſſyrios, Perſas ſignificabat nomen illud Magus. quod apud Latinos, ſapiens, propheta vel ſacerdos, fuitque Magiæ vocabulum vero & priſco vſu & ſapientibus proprium.* *Petrus Simonis. 2. tract. de Epiphan.*

Rationes pro hac ſententiâ hæ poſſunt eſſe.

Rationes cur non fuerint malefici. 1.

I. Id voce Magorum Orientis intellexit Euangeliſta Matthæus, quod Iudæi & Gentiles eius ætatis voce Orientalium Magorum accipiebant: at Philo Iudæus, Strabo Græcus, Cicero Pliniuſque ſcriptores Latini ea ætate Sapientes, imo Reges etiam Orientales intelligebant, vt ſupra vidimus, ergò eoſdem ſignificabat voce Magorum Euangeliſta.

2. II. Si eos ita propter Necromantiam nominaſſet, ſaltem poſt adorationem Chriſti malè ijs eiuſdem vitij nomen impegiſſet: at etiam cum in patriam rediſſent Magos eoſdem vocat: ergò vel à gentis, aut certè dignitatis appellatione ſic eos nominauit. nam Simon Magus poſt Baptiſmum non amplius Magus, ſed tantum Simon appellatur: & cum de eo ante baptiſmum loqueretur ſcriptura ita ait: *vir autem quidam Simon, qui ante fuerat in ciuitate Magus, dicens ſe eſſe aliquem magnum &c.* ergo ſcriptura nec de his tacuiſſet vitium ante adorationem, nec poſt eam eo probroſo nomine compellaſſet. *Act. 8.*

3. III. Quilibet ius famæ bonæ, quoad omnem ſtatum ante & poſt Baptiſmum habet, donec probetur fuiſſe malus: atqui nec ſcriptura, nec vllus alius aliquo ſolido fundamento probauit, hos ante fidem & adorationem Chriſti fuiſſe maleficos, ergò non debent præſumi fuiſſe mali, qui nunquam tales fuiſſe probati ſunt.

4. IV. Cum geſta iſtorum Regum præcipua ex ſolo ferè Euangelio conſtent: non debent exiſtimari ſacrilegi, malefici & necromantæ, quorum egregias virtutes (præter fortunæ bona) nulla vero ſcelera attingit Euangeliſta: atqui maximas eorum virtutes ſine vllis vitijs refert euangelium, quod eos facit potentes, opulentos, magnificos, ſapientes, Aſtrologos, primos Chriſti Confeſſores, præcones, adoratores, Prophetas, ergò non decet credi nullo ex ſcripturâ ſumto fundamento, eos deterrimis flagitijs maleficorum inquinatos.

5. V. Cum nomen ambiguum eſt, vt vox Magorum, & tam à Scripturâ, quam Gentilibus in bonam malamque partem accipiatur, pro conditione perſonarum, rerum geſtarum, vſu Scripturæ debet benè vel malè accipi. v.g. ſi de nefarijs, flagitioſisque hominibus, opera miranda ſine diuino inuocato auxilio patrantibus ſit ſermo, vt Simone Mago, Magis Pharaonis in malam, ſin de bonis & ſanctis viris agatur, vt Ioſepho Ægypti Prorege augure, de tribus pueris Magis, & Daniele Magorum principe, vtique in bonam partem eſt accipienda; ergò cum Scriptura mirificè viros iſtos tres laudet à dono Prophetiæ, cultu religionis, ſapientiâ, fortitudine, munificentia, nomen eorum potius in bonam, quam malam debemus partem interpretari. Confirmatur ex Platone, Ariſtotele, Laërtio, Chalcidio & alijs, qui id nomen honorificum eſſe cenſuerunt exemplo Darij Perſarum Regis, qui eo plus titulo, quam regio delectabatur. Vt rectè ſuper hac re ſtatuerit Barradius *Cum itaque duplex genus ſit Magiæ, noſtris Magis id, quod ſincerum eſt, tribuere æquum erit, neque verò Matthæus, vt obijciebamus, infami nomine, Sapientes illos Chriſti adoratores affecit, cum Magos appellauit. Magi enim veri atque ſinceri nomen honorificum eſt. Illa vero Hebræa verſio, quæ mecoſephim Magos vocat, autoritate caret, Syriaca vt diximus Maguſim vocat.*

Colligo ex dictis cum numero teſtium longè priorem ſententiam ſuperemus, & nulla ei ratio præter Magorum nomen ambiguum ſuffragetur, noſtràque ponderè rationum ſuperior ſit, iure priori præualere.

Conciliantur dictæ ſententiæ.

Conciliari tamen facile dictæ ſententiæ poſſunt, ſi dixerimus, tres quidem Reges & principes iſtius legationis Aſtrologiæ veræque ſapientiæ dotibus inſtructiſſimos, nonnullos in comitatu ſuo necromantiæ deditos habuiſſe, vel genethliacos, forte & poſteros Balaam, qui etiam cum ſideris diuinitus producti virtute ſentirent vires orci, vel incantationum vim euaneſcere, autores Regibus fuerint, vt Meſſiæ recens nati ortum ſtellâ præuiâ ſequerentur. eius deinde ductu & auſpicijs Chriſtum inuenerunt, inuentum adorarunt: & horum ceſſaſſe volunt artes S. Ignatius, Iuſtinus, Baſilius, & maximè S. Hieronymus: ideo qui eos alibi vocat maleficos, alibi ſapientes, & Philoſophos Chaldæorum appellat: Cum enim Reges fuerint, non eſt dubitandum, quin plurimos in comitatu ſuo doctrinâ & ſcientijs præſertim Mathematicis præſtabiles habuerint, quorum nonnulli pactis etiam cum dæmone initis nefarijs artibus fortè ſtuduerunt. id cum nihil cogat, vel vrgeat de Regibus ipſis exiſtimare, quos vt viros virtute ſpectabiles laudat Euangeliſta, licet Idololatras eos faceremus, qui communi Gentilium errore decepti fuerint, nunquam tamen exiſtimo eos in maleficis fuiſſe numerandos abſque fundamento vel ratione.

Reges in comitatu videntur habuiſſe maleficos & Balaami poſteros.

CAPVT XIV.

Sententiarum, quanta varietas de patria vel loco, vnde venerint.

HACTENVS â nobis ventilata satis facilem habuere explicatum, nodum aggredimur intricatiorem, de patria vel loco, vnde Magi stellâ de cœlo radiante se mouerint, dum Iudæam versus proficiscerentur.

Orientem scriptura nominat, quâ voce cum plurimæ regiones & regna designentur, sancti Patres in diuersas sententias abierunt. Earum varietatem iam ante octingentos ferè annos sic Haymo numerauit. *Quæret* aliquis, *qui isti Magi fuerunt? vel ex qua gente venerunt, qui natum puerum tam solicitè ad adorandum quæsierunt? Cui nos diuersorum opiniones de his adhibemus, vt eligat quod salubrius iudicarit. Nonnulli dixerunt eos ex Tharso vel Arabia aduenisse, & in his impletam este volunt Prophetiam ad literam, quæ ait, Reges Tharsis & Insulæ, Reges Arabum & Saba. & Isa. 60. omnes de Saba venient. Alij dixerunt ex Persarum regione eos venisse: sicut quidam de sapientibus dicit. Tunc iubet & Persas celebres pertendere gressus: plerique autem arbitrati sunt eos Chaldæos fuisse, quia Chaldæi stellas cœli Deos esse putauerunt, & in arte Astronomicâ peritissimi fuerunt. Alij etiam dixerunt ex stirpe Balaam Prophetæ descendisse, qui mox vt nouam stellam viderunt, regem natum intellexerunt, & recolentes prophetiam Balaam, dicentis: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israël & dominabitur Gentium, primi cum muneribus ad adorandum eum festinarunt.* Ortæ sunt seculis sequentibus plures tam eorum, qui eos omnes vno è loco, quam qui singulos è diuersis venisse regionibus voluerunt. Quorum ego nunc ordine sententias cum autoribus & rationibus producam, vt quæ reliquis improbabiliores, quæque verosimiliores sint appareat: quamuis vt quod res est dicam, quænam probabilissima sit ceterarum, nondum liquere satis existimem. *in Epipha.*

CAPVT XV.

Fuerintne ex Arsacidis vel Parthorum Regibus progeniti?

STOMACHATVR Liuius è Græcis repertos esse scriptores, qui Arsacidarum regnum seu Parthicum, Imperio Romano prætulerint: nam illi ducentis ante Christum annis Orientalia regna præcipua cum Media Persiaque sibi subiugarant. Mouit quibusdam suspicionem S. Chrysostomus hunc Persarum & Parthorum regem ipsum Bethlehemum accessisse. Ita enim à Bosquirio & alijs passim citatur. *Oportuerat Iudæos continuo sentire, quantum sibi esset additum dignitatis, de tanti scilicet natiuitate Regis, qui Persarum ad se Regem ortu suo triumphante traxisset.* Fauent & ij, quos alias laudabimus, fuisse corpora Sanctorum Magorum è Parthiâ Constantinopolim à S. Helena deportata, vti vbi sepulcrum, ibi & vitam accepisse videantur. Nec leue sumitur ex Strabone Christi coæuo argumentum, qui cum Posidonio *duplex Parthorum* facit *collegium, affinium vel cognatorum* συγγενῶν *& Magorum seu Sapientum, è quibus vtrisque Reges crearentur*: id Reineccius in Arsacidarum familiâ de Sacerdotio quodam exponit, quod vnà cum regno peculiariter possederint. Vt videantur Arsacidæ simul Reges, Sacerdotes & Magi Christi tempore fuisse nominati. Deinde licet daretur non Pharaatem Parthorum Regem, qui tunc præerat Orienti, & de cuius imperio Strabo dicit, *nunc quidem* (Parthi) *tantæ regioni & populis dominantur, vt propter imperij magnitudinem cum Romanis quodammodo contendant.* Certè Magi illi, seu sapientes, vel cognati affinesque illius, qui Reges ob sanguinem Regium dicebantur, videntur è Parthiâ ad Christum accessisse.

Liuius Decad. 1. l. 9. Parthici Reges pares vel superiores Romanis, videntur Christum adorasse. 1.

Con. 6. Arcæli. 1.

Hom. 6. in Matt. 2.

3.

lib. 11. Geograph. erant simul Sacerdotes & Sapientes.

Fauet Indorum traditio.

Huc accedit quod ex Indorum traditione & annalibus Regum, tertius Cranganoris Toparcha dicatur Carmaniam, Perſiamque confines Parthis populos adijſſe, & ibi repertos ſtellâ iam exoriente ad iter accinctos eſſe comitatus. Vnde videntur è Parthorum Magis, vel Arſacidarum collegio duo prodijſſe, ſed vt res omnis euadat clarior, Arſacidarum origo pauliſper eſt exquirenda.

Salianus ad eum annum. Arianus in Parthicis apud Photium in cod. 58.

Anno ferè mundi 3808. ante Chriſtum 245. vt ſupputat Salianus, Seleuci Callinici anno primo, Arſaces cum Teridate fratre Phereclem ab Antiocho Deo, Callinici patre præfectum regioni ſuæ interfecit. De quo Suidas. *Arſaces Parthis, Macedonibus, qui Perſicum Regnum annos 293. tenuerunt eiectis, Parthis regnum peperit.* Erat corporis ſpecie pulcherrimus, animo excelſo & regio, reique militaris peritiſſimus: & quoniam, ſicut Cyrus Perſis, Alexander Macedonibus, Romanis Romulus; ſic ipſe Parthis ſuis in libertatem aſſertis regnum, imo Monarchiam pene Orientis, (vt Magni Reges, vel Regum Reges Parthi dicerentur) primus ſuâ virtute peperit; ideo ſucceſſores omnes deinceps ab eo ſunt Arſacidæ nominati, qui contra Romanorum Imperatorum caſſos inſultus imperio ſupra 470. annos potiti ſunt, ad S. Vrſulæ vſque tempora, ſeu Alexandri Mammææ filij dominatum. Ex Arſacis poſteris Orodes Tigranem primo, deinde Craſſum cum legionibus omnibus Romanorum deleuit, Solymam expugnauit, Ciliciam etiam occupauit, à Ventidio tamen Romano inde eiectus eſt. Eius item filius Pharaates Antonium triumvirum prælio ſuperauit; ſed poſtea pacem cum Auguſto firmauit, & captiuos Romanos cum ſignis militaribus M. Craſſo & Antonio ademtis reſtituit. *Ea* (ait Dio) *Auguſtus quaſi bello aliquo Parthum viciſſet, accepit: nam hanc rem magnæ ſibi laudi ducebat, quod prælijs prius amiſſas res citra vllum certamen recepiſſet: itaque & ſacrificia eius rei cauſa & templum Martis vltoris in Capitolio ad imitationem Iouis feretrij, qua ſigna illa militaria ſuſpenderentur, decerni iuſſit, ac deinde perfecit. Equo etiam ouans in vrbem inuectus, ac fornice trophæum geſtante honoratus eſt.* Poſtea Pharaates Armeniam ſibi ſubiugauit, cui cum Auguſtus ſcribens, Pharaatem tantùm, omiſſo titulo Regis, nominaſſet, iuſſiſſetque Armeniâ cedere, adeo nihil territus eſt, vt reſcribens Auguſto, ſibi ipſi Regis Regum titulum dederit, Auguſtum vocabulo Cæſaris tantum affecerit. poſtea verò quam Caium in Syriam aduenisſe audiſſet: eâ conditione, vt Armeniam miſſam faceret, cum Auguſto redijt in gratiam. Fuerunt ei filij quatuor, è quibus Phraätes & Vonones in regno patri ſucceſſerunt, à quorum vno parricida ipſe, parricidali manu cecidit, vt nec ipſe, nec filij in flagitijs maximis educati videantur fuiſſe primi Gentilium Chriſti adoratores.

Pacem cum Auguſto ſanciunt. Dio lib. 54. P. 524.

Dio P. 554. l. 55. renouant eam circa natalitia Chriſti.

ſcelera Regum eo tempore. ob quæ non videntur Chriſtum adoraſſe.

amplitudo imperij. Iuſtinus l. 41. Strabo. lib. 7. de Arſacidarum potentiâ.

Parthorum Principes & duces pares Regibus.

Petrus Bizarus l. 3. Hiſt. Perſicæ. Appianus & Plutarchus.

Qui quidem Arſacidæ cum Mediam & Perſiam ſuo tenerent imperio Chriſti tempore, nec eorum videntur Reges Solymam aduenisſe. Ceterum maximus horum fuit dominatus, vt Liuius Parthos caput omnium nominet, qui poſt Euphratem & Tigrim ſiti, mari rubro terminantur. Iuſtinus verò facta cum Romanis orbis diuiſione, eis Orientis imperium tribuerit. Et Strabo tantum velit eos terrarum poſſediſſe Chriſti tempore, vt ob imperij magnitudinem quodammodo Romanis æquarentur. Nam Mediam, Perſiam, Babyloniam & Meſopotamiam, quandoque & Syriam, Palæſtinam, Armeniam & Ciliciam tenuerunt. Chriſti autem æuo cum Romanis fœdere iungebantur, quando Phraates tertius reſtitutis Auguſto ſignis quatuor filios Romam miſerat regio more educandos, quibus dominantibus Chriſtus videtur eſſe natus, & Orienti ſtella mirabiliter illuxiſſe. Si tamen eorum regnis ſubiecti quidam toparchæ Chriſtum veniſſent adoratum, non eos auſus fuiſſet Herodes impedire, cum & Auguſti Cæſaris & Parthorum Regis fauore fulcirentur. Quam potentes autem habuerint Parthi toparchas ſiue Regis familiares, Surenas Craſſi & Romanorum debellator indicat. Eum cameli mille cum impedimentis ſequebantur, quacumque faciebat iter, qui vſui neceſſaria deuehebant: mille cataphractos equites ac totidem leuiter armatos cuſtodiendi corporis gratiâ circa ſe continuo habebat, peditum verò ac ſeruorum ingentem numerum. Huic à maioribus hereditario iure datum erat, vt, qui Parthorum Rex deſignaretur, regium ipſe diadema primus ei imponeret. Et licet Alexandri Magni æuo Regumq; Perſarum imperio florente Parthi à Præfectis regerentur, ex quo tamen Orientis dominatum occuparunt, Solino teſte, Plinio & Oroſio regnis 18. & Gentibus 32. imperarunt,

vt

vt ideo Regum Reges, magnique Reges dicerentur, vt verosimile videatur vnum vel alterum Regum Magorum fuisse Parthis vectigalem. Itaque nec Phraätem, qui circa Christi ferè tempora vel paulò ante, neque 4. eius filios, qui Romæ educabantur, & post varios casus Parthis imperarunt, putamus Christum adorasse. Potuit tamen ex Arsacidarum vel Magorum Parthicorum collegio quidam esse, regionis alicuius Regulus, qualem Surenam vidimus, qui tempore natalis Domini non in Parthiâ, sed initio Persiæ, vel in Mesopotamiâ commoratus, decem dierum itinere commodè Solymam peruenerit. Cui sententiæ fauere videntur ij, tam qui è Persiâ veniſſe Magos volunt, quam Indi, qui Regem Cranganoris in Carmeniam profectum, Magos ad iter accinctos dicitur reperisse.

Quos regnis & Gentibus Parthi imperarint.

Erat porrò Regulorum istorum in Oriente toto maxima multitudo, qui antea Persarum magnis Regibus (vt se nominabant) postea Parthorum Regum Regibus subdebantur. Nam Strabo de suo, & Christi nati seculo scribit. *Postea Asiæ imperium in complures successores, & ab eis profectos diuisum, euersumque est, permansit tamen annis ducentis & quinquaginta: nunc iam per se sunt, ac Reges, qui olim Macedonibus paruere, nunc Parthorum Regibus subiecti sunt.* Nec aliter Adamus Contzen: Magos Euangelicos *suorum oppidorum & prouinciolarum Reges* appellat. *Neque enim*, ait, *Arsacidis, aut Romanis eos Regibus adæquamus; sed minutioribus, qui sub magnis Regibus viuebant: magna erat eorum multitudo, vt ex Tigranis vita constat, quem Regem minorum turba ambibat: vti nunc Regem suum Principes. Fuisse autem olim multos, & paruarum ditionum Reges tum alia docent, tum Ieremias c. 25. 19. vbi aduersa denunciat Pharaoni; deinde cunctis Regibus Austitidis, siue Hus, & cunctis Regibus terræ Philisthiim, & cunctis Regibus Tyri, & vniuersis Regibus Sidonis, & Regibus terræ Insularum, quæ sunt trans mare, & cunctis Regibus Arabiæ. Ecce quam multi Reges in vna ditione aliqua: sic cuncti Reges Arabiæ Salomoni tributa adferunt 3. Reg. 10.*

Strabo init. lib. 15. Multi Reges vectigales erant Parthis. in Matt.

Quocirca sicut improbabile Parthorum vel Persarum Monarcham Phraatem, vel eius filiorum aliquem Solymam perueniſſe, quod ægrè permisisset Herodes, qui ab eodem fuerat olim Solyma exturbatus: ita verosimile, beneficiarium aliquem Parthorum Regem Persam vel Arabem, aut Mesopotamæum Christum piè fuisse veneratum tunc præsertim, cum pacem cum Augusto firmarat Phraätes, quatuor Romam destinatis liberis educandis. Quos sanè vectigales etiam Parthorum Reges, si Herodes offendisset, Cæsaris animum exulcerasset.

eorum vnus esse potuit è tribus Regibus.

CAPVT XVI.

Venerintne Reges tres è Tharso Ciliciæ, & minore Asia, vt tradit Rogerius Houedenus.

NOVA prorsus opinatio: quam in reditu Richardi Regis Angliæ è Palæstina sic describit Houedenus: *Sciendum verò*, ait, *est, quod de finibus illis* (Asiæ minoris) *egressi sunt illi tres Reges, qui obtulerunt Domino nostro* IESU *Christo tria munera pretiosa, scilicet aurum, thus, & myrrham; quorum nomina hæc sunt Gaspar, Bapzar, Melchior: quorum vnus erat Rex de Saleff: & alter erat Rex de Malmustre, & tertius erat Rex de Terzol, id est Tharsis: vnde dicitur in psalmis: Reges Tharsis & Insulæ munera offerent. sciendum, quod hi tres fluuij Saleff, Curck & Thil oriuntur in Turcia, quæ dicitur terra Turcorum: qui sunt homines Soldani de Iconio: & fluuius, qui dicitur Saleff est oppositus Insulæ de Cypro, & non distat ab ea plus quam 50. milliaria ad æstimationem nautarum.* Hactenus Houedenus, qui vndenam hauserit eam fabulam non aperit, videtur tamen è psalmo 47. & quibusdam Patribus posse stabiliri.

Houedenus in Richardo 1. fol. 718.

Nam Cassiodorus ad ea verba: *in spiritu vehementi conteres naues Tharsis*, id de Herode exponit, & nauibus è Ioppensi portu Tharsum Ciliciæ versus soluentibus, quod credidisset Tyrannus ijs tres Reges in patriam remeasse: sequuntur Cassiodorum

Patres quidam & Doctores fauent huic sententiæ.

Gloſſa ordinaria, Haymo, S. Anſelmus, S. Thomas, Lyranus, Comeſtor, Hugo Cardinalis, Vincentius Belluacenſis, Ludolphus & Dionyſius Carthuſiani cum multis alijs, qui in citatum pſalmographi locum, vel c. 2. Matthæi commentantur.

Fauet nauigationis opportunitas: nam commodè digreſſi Bethlehemo die eadem Ioppen peruenerunt, ac conductis ilico nauibus Tharſum verſus profecti Herodis inſidias eluſerunt. Sed hæc fabula ſcripturæ refragatur, quæ vult eos ex Oriente, non autem Occidente & Septentrione Solymam veniſſe: & quomodo congruenter veritati affirmare potuiſſent, *vidimus ſtellam eius in Oriente*, cum Cyprus & Tharſus Ciliciæ iaceant Palæſtinæ verſus Occidentem? deinde Pſaltes non Tharſum: ſed *naues Tharſis* ſeu maris nominat: cum neque ſcriptura, neque profani autores Tharſi celebrent vſpiam naues: non enim maritima eſt, nec portu nobilitatur. Dauidis autem & Salomonis æuo naues maris vulgo *Tharſis* dicebantur. Accedit, quod ea Dauidis verba non Herodi: ſed Deo tribuantur, qui ſuperbas improborum naues ventorum turbine conterit: & Reges faſtuoſos nauium inſtar præcelſarum oppugnantes Eccleſiam profligat: ita & Ioſaphati, cetera pij *R*egis claſſem, ob initum cum impio RegeOchozia fœdus iuxta oraculumEliezer contriuit &diſſipauit: vt rectè ſecundum literam eum locum Euſebius ſic explicarit: *Animaduertes*, inquit, *diligenter, quod naues Tharſis dictæ ſint magnas olim diuitias* Salomoni *attuliſſe, quemadmodum ex Regum hiſtoria didicimus: quare & nunc per contritas naues Tharſis Regum diuitias & poteſtates abolendas eſſe ſignificauit*. Idem Athanaſius cum alijs Græcis aſſerit. Adde quod multi laudatorum Patrum non tam ſuam, quam aliorum referant opinationem, ſed de hoc argumento multa fuſius ſuo loco proferentur: quamuis ipſa fabula vix mereatur refutationem.

confutatur

Par. 20. 37.

3. Reg. 10.

CAPVT XVII.

An venerint ex Armenia vel Tartaria, vt Haitonus inſinuat, & de poſteris Regum ibidem, & in Europæ varijs locis.

ſitus & deſcriptio Scythiæ & Tartariæ.

SVNT, qui ſanctos Reges è Scythia (quam modo Tartariam vocamus) educant: ſed pauca de ſitu regionis ſunt ante præmittenda, quam eorum rationes audiamus, Ptolomæus Geographorum oculus duplicem agnoſcit Scythiam: vtramque in Aſia, quam mons Imaus diuidit: ab hoc ſortitur appellationem, vt infra vel extra Imaum ſita nominetur eo loci: vbi ſolet à multis regnum Cathai extra Sinas collocari. Si vera ſunt quæ in Ptolomæo ſuo ſcribit Villanouanus, & in Copto Athanaſius Kircher, hanc omnem regionem, per vaſtiſſimas Orientis ſolitudines protenſam, olim Ioannes Presbyter, & poſt eum Magnus Chamus gubernauit: nunc varijs ſecta regnis & prouincijs, à diuerſis Regibus, & Ducibus occupatur.

Reges eius.

In his Aquilonaribus Orientis partibus multi degunt hodieque Chriſtiani nobiles & principes viri, qui ad tres ſanctos Reges ſuam referunt ſanguinis originem: quibuſcum vſus familiariſſimè Haitonus eſt, qui ex *R*egis Armeniæ propinquo, & milite nobili, poſtea demiſſione Chriſtiana celebrior euaſit, quando ſpretis caducis rebus S. Norberti profeſſus ordinem in caſtris *R*eligioſorum de ſe felicius victor triumphauit. Is Clementis quinti imperio circa annum 1307. regnorum *O*rientalium hiſtoriam concinnauit, quæ magnam partem olim miles peragrarat: reperit hic in tribus Tartariæ locis poſteros ſanctorum *R*egum: quorum perhonorificè meminit. Sedem eorum præcipuam collocat in Tharſe regno confini Carmaniæ, quam videtur per Turqueſtam indicare, ſed ipſum audiamus:

Poſteri SS. Regum ibi Chriſtiani.

In regno Tharſe ſunt tres prouinciæ, quarum dominatores faciunt ſe Reges appellari: Gentes verò iſtius regni Iogor appellantur: & ſemper idola coluerunt, & adhuc colunt, præter cognationem illorum trium Regum, qui per demonſtrationem ſtellæ venerunt, adorare Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in natiuitate ſua: & vſque in hodiernum diem multi magni nobiles inueniuntur inter illos, qui tenent fir-

firmiter fidem Christi: omnes verò alij de prouincia illa, qui colunt idola, sunt nullius valoris in tractatione armorum, perspicacissimi tamen sunt ad artes, ad scientias, ad discendas literas: & ferè omnes partium illarum abstinent se à carnibus, & à vino: nec aliqua ratione occidunt aliquod viuens: ciuitates verò illorum sunt valde amœnæ & magna templa habent. Istud regnum Tharse ex parte Orientis confines suos habet cum regno Cathai &c. ex parte Occidentis cum regno Turquestan.

Fuerunt autem ijdem posteri viri principes & regibus affinitate iuncti, è quibus Halaonus Tartariæ regis germanus vxorem accepit: nam cum Tartarorum Imperator regis Armeniæ suasu fidem Christi recepisset, baptismo ritè initiatus, fratrem suum Halaonum polemarchum inuictissimum misit, qui primo statim ingressu & assultu Persarum regnum Tartaris subiugauit: posteaBabylonem aggressus, eam violenter expugnauit: & per Chaldæam reliquias Christianorum collegit, fouit, opulentauit: quorum etiam fidei & tutelæ ciuitates, arces & munitiones credidit, Saracenis seruituti mancipatis, coniugis hortatu, de qua sic scribit Haitonus. *Halaoni prædicti quædam vxor erat Christiana: de progenie enim erat illorum Regum, qui venerant ab Oriente visa stella natiuitatem Domini venerari: impetrauit quoque ista Domina deuotissima Christiana licentiam diruendi per totam terram templa Saracenorum & inhibendo, ne solemnitates fierent in nomine Mahometis, & ipsa fecit Saracenorum Ecclesias funditus deuastari, & in tanta seruitute posuit Saracenos, vt non sint ausi vlterius apparere.*

Halaonus frater Regis Tartarorũ subiugat Persiam.

Vxor eius Catholicæ ex stirpe SS. Regũ.

Eandem Chaldææ restitutionem fidei orthodoxæ Miræus attribuit coniugi. *Quod autem*, ait, *Haolonus post susceptum Baptisma tam fortiter à Christianorum partibus staret, non erat hæc solum ratio, quod primum Christianus effectus fuerat, sed multo magis, quod à coniugis suæ Deuocoscaron dictæ monitis ad hoc faciendum impulsus fuerat, quæ è stemmate trium Regum, quos stella cum donis Bethlehem duxit, vt Christum recens natum adorarent, originem traxerat. Fuit sanè hæc admodum pia verèque Christiana mulier: Nam sine intermissione licentiam petijt, vt Turcarum fana destruere, ac demoliri posset; vtque penitus è memoriâ hominum Mahumeti nomen tolleretur: sed neque hæc fuit ex vltimis causis Haoloni, nempe quod Haolonus penes se longo tempore Haitonem Regem Armeniæ affinem suum habuerit, qui eum non minus, quam Deucoscaron coniunx omnem pietatem docuerat, in fide confirmarat, & vt in Turcas bellum moueret, inuitarat.*

Myræus in vita Haytoni.

Idem Haolonus cum eiusdem Regis Haitoni consilio pariter, & auxilio Damascum & Mesopotamiam debellasset, Soldano Syriæ Regeque Solymorum subiugato, dum Solymam versus mouet expeditionem, vt Saracenis electis eam Christianis assereret, certior sit de fratris sui Regis Tartarorum morte, sicque Haolono ad capessendam monarchiam reuocato: pia mentis proposita conciderunt. Discessurus itaque è Syria Guylogam, virum militaris scientiæ peritissimum: stemma etiam suum ad sanctos tres Reges referentem præfecit Syriæ & Palæstinæ: relictis ei decem Tartarorum millibus, qui terram ab hostium assultu liberarent. De quo hæc scribit Haitonus coæuus. *Guyloga, quem dimiserat Halaon loco sui in regno Syriæ, & in prouincijs Palæstinæ tenuit terras pacificè & quietè, & diligebat plurimum Christianos; nam & ipse fuerat de progenie trium Regum partium Orientis.* Hæc ferè circa annum 1260. contigerunt, & satis ostendunt, inter Tartaros familiam sanctorum Regum opibus, potentia, & religione orthodoxa multum valuisse. Vt verosimile sit vnum saltem sanctorum ex illis vel confinibus locis prodijsse.

occupat Syriam.

Guylogam constituit eius gubernatorem è sanguine SS. Regũ.

Quod sensisse videntur S S. Hieronymus & Chrysostomus, qui è Perside Iudææ Aquilonari, seu eius finitima Tartariæ putant accessisse. Huc accedit quod Indorum traditio velit, Melchiorem per Carmaniam, quæ Tartariam attingit Regibus se adiunxisse: quid quod ipsi Tartari tentarint aliquando expeditionem in Germaniam Coloniam versus, sanctos tres Reges ciues, vt aiebant suos, in patriam reducturi. Rem gestam narrat Matthæus Parisiensis in sua historia anno 1243. ex Iuone Narbonensi. Nam cum rogati cur terris relictis prouincias Christianorum inuaderent, responderunt, *se propter Magos Reges, quorum sacris corporibus ornatur Colonia, in patriam suam reportandos, nunc propter auaritiam & superbiam Romanorum, qui eos antiquitus oppresserunt elidendam, nunc propter subdendas sibi barbaras tan-*

cur videãtur Reges ex Tartariâ prodijsse.

tantum & hyperboreas nationes & Gentes: nunc propter furorem Teutonicum suâ modestiâ temperandum; nunc propter militiam à Gallis addiscendam; nunc propter terræ fertilitatem, quæ suæ multitudini sufficere possit acquirendam; nunc propter peregrinationem ad S. Iacobum in Gallæcia terminandam egressos se patriæ mentiuntur. Hactenus Parisiensis ita iam à quadringentis annis Tartari sibi patrium

confutatur ea sentẽtia

trium Regum solum vindicarunt: ego tamen difficulter adducor, vt credam Reges tempori è remotioribus Tartariæ locis tredecim dies adesse potuisse.

Potius existimo sanctorum Regum posteros, Arabes origine patriàque fuisse: qui tunc cum Mahumetis furor in Arabiæ corde, sanctorumque Regum patria vexillum erexisset, & domicilium fixisset impietatis, extorres patria secesserint in Persidem ac confines regiones, vbi sub tutela potentissimi Scythiæ, & Cataiæ, seu Tartariæ monarchæ, quem tunc Presbyterum Ioannem nominabant, liceret fidem orthodoxam profiteri.

Abyssinorum Rex per errorẽ vocatur Ionnes Presbyteris verè in Asia fuit dominatus vnde nomen acceperit.

Nolo hoc loco prolixam texere controuersiam, qua ratione per errorem nomen id fuerit à centum iam annis à Lusitanis Abyssinorum Regi attributum: quam in copto suo fusè persequitur Athanasius Kircher fol. 103. vbi defendit ante quingentos annos fuisse maioris partis Asiæ Aquilonaris seu Tartariæ dominatorem, qui Reges 72. partim Christianos, partim Ethnicos suæ subiectos ditioni, vel certè vectigales habuerit: postea regnorum ei multitudo peperit nominum varietatem, vndescriptores monarchæ illius res gestas diuersis alijs Regibus quandoque tribuerunt. Porro sicut Parthorum Reges Arsacidæ, Reges Ægypti Ptolomæi, dicebantur: ita Reges isti Ioannis nomen posteris omnibus reliquerunt: & quoniam Archiepiscopi Primatis instar crucem erectam sibi curabant præferendam, qua se declarabant esse religionis Christianæ defensores, exinde Presbyteri Ioannes in Europa cœperunt appellari. Stetit hæc monarchia seculis multis teste Veneto, donec Dauid quidam eam obtinuit: quem cum Dux Cinge dictus prælio victum occidisset, is à Scythis electus Imperator contemto Presbyteri nomine voluit Incam appellari, magno fidei Christianæ detrimento: quæ maximam partem ijs in locis vna cum nomine Ioannis Presbyteri concidit: & in familia sanctorum Regum diu post fuit conseruata ad Haitonum vsque. Ad hunc igitur Monarcham circa annum Christi sexcentesimum familias sanctorum Regum ex Arabia confugisse verosimile fit ex ijs, quæ

ad eum cõfugiebant exteri Christiani.

subdit Athanasius Kircher his verbis. *Illo* (Joanne Presbytero) *eiusque successoribus longè latèque in Asiâ dominantibus, fidemque Christianam egregiè promouentibus, aut vocatos, aut sponte sua fama istorum regnorum in promouendæ fidei zelo, aut quod probabilius est, diræ illius persecutionis, qua in Syria, Ægypto, vicinisque Æthiopiæ locis ad supplicia sæuissima Christianæ vitæ sectatores passim inquirebantur, compulsos formidine è dictis locis fugientes in Media, Persia, Bactria, Turchestane substitisse: deinde in extremas Asiæ regiones paulatim longo exilio peruenisse omnino verosimile est.* Probat id ex Sinensis lapidis inscriptione, demonstratque ex ea Tartariæ parte multos in Chinam penetrasse, & eam vna cum Rege fidei Christianæ subiecisse. Ut hinc sit perquam probabile Mahumetanorum gliscente persecutione, cessisse patrijs Arabiæ sedibus, in Scythiam, vnde Haoloni vxor tanto mentis ardore laborabat, vt illa superstitio totâ Babyloniâ, Mesopotamiâ & Palæstinâ proscriberetur, à quibus fuerant maiores eius ex Arabia relegati. Nec est dubitandum, quin familia sanctorum Regum rebus gestis inclyta quandoque beneficiaria

Posteri SS. Regum facti Reges

quædam regna Presbyteri Ioannis, quandoque etiam deficiente stirpe regiâ totam Monarchiam Tartariæ gubernarit: testem huius assertionis locupletissimum à quingentis annis Ottonem Frisingensem Episcopum habeo: is ætate sua facit posteros sanctorum Regum Monarchas Orientis & ea mente Solymam versus iter cum infinitis copijs intendisse memorat, vt eandem è Saracenorum vindicarent potestate, quod ipse ex Gabulensi Syriæ Episcopo, tunc cum Romæ versaretur, se anno 1145. comperisse his verbis attestatur. *Narrabat etiam, quod ante non multos annos Ioannes quidam (qui vltra Persidem, & Armeniam in extremo Oriente habitans Rex & Sacerdos cum Gente sua Christianus est; sed Nestorianus) Persarum & Medorum Reges fratres Samiardos dictos bello petierit, atque Ecbatani, cuius supra mentio facta est, sedem regni eorum expugnauerit. Cui dum præfati Reges cum Per-*

Otto Frisingensis lib. 7. Chronici c. 33.

vnus eorũ debellat Persiam & Mediam.

sarum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

sarum, Medorum & Assyriorum copijs occurrerent, triduo vtrisque mori magis, quam fugere volentibus dimicatum est: Presbyter Ioannes (sic enim eum nominare solent) tandem versis in fugam Persis, cruentissimâ cæde victor extitit. Post hanc victoriam dicebat præfectum Ioannem ad auxilium Hierosolymitanæ Ecclesiæ procinctum mouisse; sed dum ad Tigrim venisset, ibique nullo vehiculo traducere potuisset; ad Septentrionalem plagam, vbi eundem amnem hiemali glacie congelari didicerat, iter flexisse: ibi dum per aliquot annos moratus gelu exspectaret: sed minimè hoc impediente aëris temperie obtineret, multos ex insueto cœlo de exercitu amittens ad propria redire compulsus est. Fertur enim iste de antiqua progenie illorum, quorum in Euangelio mentio sit, Magorum esse, ijsdemque quibus & illi Gentibus imperans, tanta gloria, & abundantia frui: vt non nisi sceptro smaragdino vti dicatur. Patrum itaque suorum qui in cunabulis Christum adorare venerant accensus exemplo, Hierosolymam ire proposuerat: sed prætaxatâ causâ impeditum fuisse asserunt. Hactenus Otto Frisigensis: qui dum ait ijsdem quibus Magi Euangelici Gentibus imperasse, intelligi potest, quod cum posteris SS. Regum multæ subiectorum populorum familiæ solum cum ipsis verterint, & in fidem ac clientelam Ioannis Presbyteri se receperint: ijsque imperarit: vel quod Media Persiaque debellata, Balthasaris tertij Regis quasdam subiectas ditiones confines ferè Arabiæ sibi subiugarit. Quod confirmare videtur vetus origo familiæ des Baux siue de vallibus, quæ gentilitia sua insignia & originem refert ad Balthasarem: ita enim ex archæis stemmatis scribit Iacobus Malbrancij in literis. *Gerunt*, inquit, *ipsi pro insignibus, quæ iactant omnium esse antiquissima, stellam argenteam sedecim radios promentem in æquore seu fundo rubro; quæ insignia tradunt dedisse Balthasarem prolibus suis, cum plures cum ipsis in Armenia reportasset victorias; & in Tartarorum Regem euasisset.*

Balthasar Rex Babylonia ex cade Regis fuit.

Familia de vallibus ab eo dicta sanguinem & insignia.

Primogenitus ipsius, etiam Balthasaris nomine insignitus, plurima post parentem perpessus est ad fidem Catholicam conseruandam, a proprijs filijs diuexatus, qui eam noluerunt amplecti, coactus est regnum deserere, & clam nauigio fugere cum thesauris, & diuina prouidentia in Pannoniam appulit: vbi supra montem pulcherrimis vallibus cinctum validissimum castrum exstruxit: vnde de vallibus nomen: quod ad eius deriuatum est progeniem: quod castrum seu munitio, ait genealogia, etiammum attinet ad ducem Anarensem vigesima prima generatione ab isto Balthasare secundo descendentem, qui est frater Margaritæ de vallibus Comitissæ S. Pauli, Matris Luduici de Luxemburgo Comitis Sainpaulani. Hucusque literæ: de qua etiam familia iam dum hæc scribo eruditissimus D. Iulius Chiffletius Prior de Dampierre anno 1641. duodecimo Decembris ad me perscribit. *Heraldi familiam des baux (è qua prisci Arausiorum Principes) à Balthasare Rege originem ducere asseruerunt alicubi: quod familiare gentis illius scutum miniatum stellam præferat sexdecim radiorum argenteam, quam à Balthasare Rege primum visam existimant.* Quæ traditio si vera, multum Ottonis Frisigensis autoritate roboratur: potuit enim is, qui ante Balthasar appellatus fuit, iam Tartarorum monarcha sibi Presbyteri Ioannis nomen adsumere: è cuius filijs Nestorianus ille, cuius meminit Otto, descenderit: interim vtraque narratio meam opinationem stabilit, sanctorum Regum posteros sæpius sedem & domicilium commutasse: ideoque nullum inde sumi posse primæ commemorationis stirpis Christi tempore firmum argumentum: nec desunt in Germania nobiles stelliferæ familiæ, quarum nonnullæ etiam sanctis Regibus maioribus gloriantur: vt illustre Baronum de Morrien stemma, cuius insignia gentilitia sic in funere generosi D. Ioannis de Morrien anno 1628. 16. Maij exposuit Albertus Hulso societatis IESV Theologiæ doctor & meus tunc in ea professor, *Illud*, inquit, *indubitatum est familiam Morriensium primam originem referre ad laudatissimos, & Christianæ religioni addictissimos maiores: vt qui à primitijs Gentium scilicet à Magis Orientalibus, quos è Gentilibus primos ad Christi fidem Deus adduxit tam nomen, quam insignia delegerunt: nomen enim Morian veteri Saxonica lingua Maurum seu Æthiopem significat, vnde Domini de Morrien armorum gentilitiorum cassidi nigrum Æthiopem imposuerunt, & scutum stella rubea decorarunt: qua duce Magi vel Reges ex Oriente venerunt Hierosolymam. At quo pacto fami-*

Balthasar fugiens Pannoniam.

castrum condit.

Lilius Chiffletius.

Familia Baronum de Morrien stellifera.

nomen & insignia a SS. Regibus acceptum.

à Carolo M. traducta in Westphaliam.

familia de Morrien in Westphaliam translata sit, norunt, qui leuiter veterum historiarum monimenta delibarunt. Nam ante octingentos & complures annos Carolus Magnus cum Gentiles Saxones armis subegisset, hanc illustrem domum cum nobilitate cetera has imuexit in regiones, quam etiam ob præstitiam in difficillimis expeditionibus fidem, & facinora militaria, cum alijs equestribus familijs ob heroicam fortitudinem, & bonis clientelaribus, & amplissimis priuilegijs exornauit. Hactenus Orator funebris, qui prudenter relinquit in medio, num verè à sanctis Regibus sint propagati: quamuis extra controuersiam sit, ipsos & nomen & insignia voluisse ab ipsis mutuari: quod & de Regibus Abyssinorum dicam alibi, & alias constat illustres domos esse imitatas.

comites SS. Regum sparsi per orbem.

Posset quis etiam existimare comites sanctorum Regum, qui permulti fuerunt; & in varias orbis regiones postea dissipati, suis voluisse posteris memoriam, tam stellaris prodigiosi ductus, quam infantuli Christi in præsepio adorati relinquere: sed posteros maluisse Regibus quam suis proprijs maioribus gloriari: sed siue à Regibus ipsis, siue à comitibus eorum descenderint: vbicunque etiam commorentur modo, cum exploratissimum sit ipsos domicilium frequenter variasse, nihil inde de patria sedibusque auitis Regum effici concludique firmiter potest. Venio ad tres celebriores & verosimiliores opiniones, & ex Chaldæa quidem nonnulli credibilius Reges eduxerunt; nam vicinior est, & Orientem respicit.

CAPVT XVIII.

Sintne in Chaldæa orti.

situs Chaldææ & Mesopotamiæ

CHALDÆA pars Asiæ Iudæis ad ortum sita, maximis Euphrate, Tigrideque fluminibus irrigata, ad Aquilonem Armenia; ad Austrum mari Persico terminatur. Abrahami patria, & prima ferè, quæ Philosophiæ & Astrologiæ inuentis glorietur. eam celeberrimam Babylon fecit: à qua *Mesopotamiæ*, & Assyriæ pars Babylonia nominatur. Volunt permulti sanctos Reges ex ea prodijsse: pro ea faciunt,

ex hac deducunt Reges.

qui eosdem è *Mesopotamiá* deducunt: eam Tigris & Euphrates interceptam partem

Origenes ho. 13. in num

statuunt Palæstinæ viciniorem. Pro hac loquitur Origenes. *Si enim prophetiæ eius (Balaam) insertæ sunt sacris voluminibus, quanto magis descriptæ sunt ab eis, qui habitabant tunc Mesopotamiam, apud quos magnificus habebatur Balaam, quosque artis eius constat fuisse discipulos. Ex illo denique fertur Magorum genus, & institutio in partibus Orientis vigere, qui descripta habentes apud se omnia, quæ prophetauerat Balaam.*

S. Hier. in c. 47. Isa.

S. Hieron. de Chaldæâ scribit *qui vulgò appellantur Mathematici & ex astrorum cursu lapsuque res humanas regi arbitrantur: vnde & Magi de Oriente venerunt Domini stellam se vidisse dicentes, vel ex artis scientia, vel ex vaticinio Balaam Prophetæ sui.*

S. Ambro. in 2. Luc.

S. Ambrosius: *vides etiam, quia non otiosè, vel de Chaldæis, qui peritiores habentur in numeris, Abraham Deo credidit: vel Magi, qui licet Magicis artibus conciliandæ sibi diuinitati studium impendant, ortum in terris Dominum crediderunt.*

Chalcidius in Timæum.

Chalcidius Platonicus: *Quam stellam cum nocturno tempore suspexissent sapientes viri.*

Claudian. epig. de Christo.

Claudianus. *Dant tibi Chaldæi prænuncia munera Reges.*

Max. ho. 1. de Epipha.

S. Maximus: *Ecce fratres, ad quærendum Regem Regum vna Chaldæos stella pertraxit, Iudaicum verò populum ad obedientiam Dei sui, nec ignea quondam columna potuit conuertere.*

S. Chrysolo. s. 156.

S. Chrysologus: *Putasne Chaldæos siderum scrutatores, errantes per astra Magos Euangelista hodie ortum Christi absconditum seculis stella duce docuit inuenisse.*

Theodotus s. de Na. Do.

Theodotus Ancyr. *Magi ex Chaldæa venerunt.*

Strabus in Glossa.

Strabus. *Magi non malefici, sed Philosophi Chaldæorum, qui de singulis philosophantur.*

Haymo hc. de Epiph.

Haymo: *Plerique autem arbitrati sunt eos Chaldæos fuisse, quia Chaldæi stellas cæli Deos putauerunt.*

Guar-

Guarrica? ser. 2. de Epi. Lyranus hic

Guarricus Abbas. *Hodie sereuelauit Chaldæis, noui sideris indicio.*
Lyranus: *Ideo in hora Natiuitatis Christi apparuit stella noua in Orientali terra, vbi quondam habitauit Balaam, quæ quidem terra est in terra Orientali respectu Ierusalem.*

Abulensis inc. 24. Nu.

Abulensis. *Isti Reges, qui directi sunt à stellà ad veniendum in Bethlehem, fuerunt de terrà Balaam: nam quando dixit Balaam de ista stella, quæ oriri debebat ad indicandum Messiam natum. Reges terræ illius considerabant diligenter circa aduentum, & apparitionem stellæ illius, vt cum appareret, irent ad adorandum Regem natum, dum autem nato Saluatore apparuit stella, nempe in Mesopotamiâ, continuo tres Reges parauerunt se ad veniendum, vt adorarent infantem natum: & venerunt die decimo tertio, quia à terrâ eorum vsque Bethlehem parua distantia est.*

rationes pro ea.

Eandem sententiam amplectitur Iansenius, Beauxamis, Cardinalis de vitriaco, Steuchus, Barradius. Fauent his qui c. 12. SS. Reges faciunt Balaami successores, vt dixerit Remigius: *si fuerunt successores Balaam, regio istorum non longè distat à terrâ promissionis: idcirco in tam breui spatio temporis venire in Ierusalem potuerunt.* Præterea Chaldæa potissimum Astrologiâ gloriabatur. Cicero, *in Assyriorũ natione Chaldæi diuturna obseruatione siderum scientiam putantur effecisse, vt prædici posset, quid cuiq; euenturum: & quo quisque fato natus esset.* Consentit Strabo. *Constat nusquam diligentius seueriusq; Mathematica studia exculta esse, quam apud Chaldæos.*

Cicero l. 1. de diuinat.

Strabo l. 17.

Accedit quod eodem loci præter Danielem etiam Erythræa Sibylla clarissimè Christi ortum prædicarit: & à Magis stellâ præuiâ muneribus honorandum. Ita verosimile: vnum saltem è tribus Regibus è Chaldæâ & Balthasarem quidem ob nominis etymon profectum esse.

CAPVT XIX.

Qui velint auctores eos fuisse Persas.

Ortelius in thesauro Geographiæ Strabo. descriptio Persiæ.

PERSIA nobilis Asiæ portio hodie Farsi dicitur: eius incolæ ab Hebræis Elamitæ, à Cedreno & Suida Magusæi: ab inquilinis Magog dicebantur. Strabo sic eam describit: *post Carmaniam Persia est: multa sane in orâ illius sinus, qui ab ea nomen habet: sed longè maior in Mediterranea: præsertim in longitudine, quæ ab Austro & Carmania in Septentrionem, & Medicas partes pertendit. Ora maritima æstuosa est, quæ quater mille & quadringentis stadijs vel trecentis censetur: & in flumen maximum Oroatem desinit: Gentes regionem hanc incolunt Patischores, & Achæmenidæ & Magi: quorum hi honestæ viuendi rationi student.* Ex hac patria complures etiam SS. Patrum Magos eduxerunt.

inde Reges educunt.

S. Clemens Alexandrinus. *Persarum*, ait, *Magi, qui Saluatoris quoque nostri ortum significarunt stellâ eos præcedente.*

S. Clemens l. 1. strom.

S. Athanasius. *Certè cum in Iudæa nasceretur, Persæ adoratum venerunt.*

S. Athanas. de incarnat. verbi c. 25.

S. Basilius. *Genus Persicum Magi, incantationibus & magicis, & naturalibus quibusdam affectibus vacabant.*

S. Basil. de hum. Christigener.

S. Chrysostomus. *Mutuo à se aliquid discunt Iudæi & Persæ: nam Iudæi quidem à Magis audiunt, quoniam stella eum in regione Persidis prædicauit.*

S. Chry. ho. 7. in 2. Mat.

Iuuencus Poëta. *Tunc iubet & Persas celeres pertendere gressus.*

Iuuencus.

Ratbertus. *Fuerunt namque de terrâ Persarum: velut Iuuencus noster canit: specialiter de Euilat, vbi abundat aurum optimum, habitasse creduntur.*

Ratbertus in 2. Mat.

Theophylactus. *Oportebat enim gaudere potius, quod Rex suus, à Persicis Regibus adoraretur.*

Theophyl. in 2. Matt.

Euthymius. *Soli autem Persæ hanc stellam obseruauerunt; soli namque diligentius circa Astrologiam ab infantiâ occupabantur.*

Euthymius.

Nicephorus. *Magi Persici sapientes autem ij nobilitateque generis, & opibus insignes fuêre.*

Nicephorus l. 1. c. 13.

S. Thomas. *Ita enim Iudæa iacet ad Persidem, vnde Magi venerunt.*

S. Thomas 3. p. q. 36. a. 7.

Albert. M. *Dicuntur fuisse de finibus Persidis, & est consuetudo illius gentis multos Re-*

Alb. M. in 2. Matth. Guilliaudus. rationes pro ea.

Reges pro rectoribus ciuitatum, & prouinciarum substituere, & exhuiusmodi Regibus fuerunt isti.

Guilliaudus. *Vnde consentaneum est, & hos Magos Principes, & primarios fuisse in Persiâ viros, qui nimirum diuina Gentilibus suis præcepta & documenta edébant.*

Azor p. 2. li. 2. c. 11. q. 6.

Ioannes Azor. *Hæc sententia videtur communis, & magis ad veritatem accedere, & habet coniecturas plures & maiores; nam inprimis ipsum nomen Magorum Persicum est, & Persicus mos est, vt Reges adorentur, & non sine munere.*

Maldonatus. Cyrillus l. 4. in Isa. c. 49. conciliatur hæc sentẽtia cum sequenti. rationes pro ea allatæ infirmãtur.

Maldonatus his subscribit ob mores sanctorum Regum Persicos, nam cũ muneribus Christum adorarunt. Citatur pro hac sententia S. Cyrillus Alexandrinus. Is verba Isaiæ. *Ecce isti de longè venient, isti de terra Australi*, legit, *de terra Persarum*, & aduentum Magorum putat indicari. subdit: *Persiam interdum Arabiam nominari, & hanc vicissim pro Persia sæpius vsurpari.* quibus verbis hanc conciliat cum capitis sequentis sententia. Nam ratio petita à nomine Magorum debilis est; quod Arabes, Medi, Parthi, apud quos Magi degebant pari sibi iure vindicant: infirmior altera petita à moribus & muneribus Persicis: cum & *Parthos*, vt testatur Seneca, *non possit quisquam salutare sine munere*: quæ consuetudo totum peruaserat Orientem.

Impugnatur hæc sententia à distantia nimia Iudæam inter & Persidem, hanc tamen dromedariorum velocitas, vt tabulæ Geographicæ demonstrant, 12. diebus superasset.

CAPVT XX.

De Arabiæ situ, Regibus, auri, thuris & myrrhæ redundantiâ.

Arabiæ situs. triplex est. Petræa.

ARABIAM. Asiæ merito cornucopiæ dixeris ob rerum omnium affluentiam, ea velut peninsula sinu Persico & mari Erythræo ambita, nomen ab Arabo Apollinis & Babylonis filio, & iuxtà Plinium inuentore medicinæ tulit. Vniuersè accepta triplex est.

Prima Petræa iacet ad ortum Ægypti, à qua monte Casio, & vastis solitudinibus dirimitur: à septentrione Iudæam, ab oriente desertam Arabiam respicit: ad austrum sinus Arabici sinum interiorem habet; metropolis Petra ei nomen dedit. Altera deserta Scenem vel Scenitem possidet vrbem, cui versus septentrionem confinis est Mesopotamia: ab ortu alluitur Euphrate: & ad austrum mõtibus Arabiæ felicis cingitur. Tertia felix seu eudæmon ab vbertate nominatur, quæ velut Chersonesus inter sinum Persicum & oceanum longissimè procurrit in oceanum: qua de nobis agendum potissimum. De eius nomine & fecunditate Plinius: *Prius Arabiæ diuitias indicari conueniret, causasque, quæ cognomen ei felicis & beatæ dedere.* Et Diodorus Siculus. *Ab Arabiâ desertâ aridâque prima vicina Arabia adeo differt, vt multitudine fructuum, ceterarumque rerum, quæ in ea nascuntur, felix nominetur.*

deserta. felix. cur ita dicta. Diodorus lib. 3.

singularia eius thus, myrrha, aurum. Plin. l. 12. nat. hist. c. 11. Solinus in Polyhistore. c. 46. sola thus germinat.

Complura soli huic regioni scriptores tribuunt; thuris originem; myrrhæ præstantiam: auri puritatem. De thure Plinius. *Thura præter Arabiam nullis: ac ne Arabiæ quidem vniuersæ.* Assentit Solinus. *Hanc Arabiam Græci* εὐδαίμονα, *nostri beatam non frustra nominarunt: quod præter odores, quos creat plurimos, sola thus mittit: nec tamen vniuersa.* Concinit Latini Vatis versus: *solis est thurea virga Sabæis.* Dici vix potest quanta religione thus inquilini colligant: & ideo, qua in veneratione apud ceteras gentes fuerint, teste Solino. *In medio eius sunt Atramitæ pagus Sabæorum: a quo octo mansionibus regio thurifera disterminatur. Arabia hæc appellata est sacra: virgulta hæc non sunt, publica; sed quod inter barbaros nouum, in ius posteriorum per successiones transeunt familiarum: ergo quicunque dominatum tenent istius nemoris, Arabicè sacri vocantur. Iidem illi cum lucos istos vel metunt, vel incidunt; non funeribus interfunt non congressionibus feminarum polluuntur. Hanc arborem priusquam [illegible] fides proderetur, alij lentisco, alij ma-*

religio in eo colligẽdo obseruanda.

nage terebintho comparabant : vsque dum libris, quos Iuba Rex scripsit ad Cæsarem Augusti filium, palam fieret, intorto eam esse vimine, ramis ad aceris qualitatem amygdalæ modo succum fundere, incidi ortu canis flagrantissimis solibus. Thuris ipsam collectionem Plinius refert. *Prior atque naturalis vindemia circa canis ortum flagrantissimo æstu incidentibus qua maximè videatur esse prægnans, tenuissimusque tendi cortex : laxatur hic plaga, non adimitur : inde prosilit spuma pinguis, hæc concreta densatur.* Facit autem Theophrastus arborem thuris exilem, quinorum ferè cubitorum, vt quidam dixerit thus lacrymam esse exiguæ arbusculæ, & vni terrarum Arabiæ concessæ: ac de Sabæis Arabiæ populis solis Plinius dicit: *Sabæi Arabum propter thura clarissimi.* *Plin. l. 12. c. 14.* *Theophrastus l. 9. de hist. herb. c. 4.*

Nec minor ibi myrrhæ copia, quam etiam soli illi cũ multis alijs Herodotus adsignat. *ad meridiem vltima è regionibus, quæ habitantur Arabia est, in qua sola omnium nascuntur thus, myrrha, Casia, Cynnamomum & ledanum.* Ego de præstantiâ myrrhæ Arabicæ malim interpretari. Plinius, *principalia ergo in illa* (Arabia) *thus & myrrha.* ac Theophrastus: *gignitur thus, & myrrha, & casia, & cinnamomum regione Arabum media, circa Saba, & Adramytta, & Citibæna, & Mamali.* Situm & modum colligendi hunc Solinus tradit. *In ijsdem saltibus* (Arabiæ) *myrrha prouenit, cuius radices, vt vitium, rastris prosciunt, ablaqueationibus gaudent : nudatæ pinguiori fluunt lacryma, sponte manans pretiosior ex ea sudor est elicitus, corticis vulnere vilior iudicatur. Cortex in vertiginem flexus, & spinis hispidus, folium, licet crispius, oliuæ tamen simile, maxima altitudine extollitur ad quinque cubita proceritatis.* Theophrastus quorundam addit sententiam: qui thus & myrrham ex eodem nasci frutice crediderunt: hinc thuris & myrrhæ decus Arabibus datum: sed cum vicino in loco germinent: & multum transplantatam quamuis myrrhã Arabica superet, de virtute eius & efficacitate potest affirmari. *Herodotus lib. 3.* Myrrha Arabica præstantissima. *Plin. l. 12. c. 11.* *Solinus l. c.* modus colligendi.

Denique aurum illic & purissimum nasci, & labore perexiguo colligi, & præstantia sua multum præcellere ei, quod alijs è locis eruitur passim scriptores tradunt. Sacer codex commendat id comprimis, & offerendum Salomoni & Messiæ docet: *Et viuet & dabitur ei de auro Arabiæ.* Ex eadem Regina Saba detulit aurum Salomoni. Hinc Euthymius Arabiam vocat non tantum εὐδαίμονα, sed & χρύσεον, auream. Cassiodorus celebrat aurum eius, vt puriſſimum præ ceteris terris: & summo splendore rutilans. Nec opus, vt liquefactum ab alijs inſitis metallis ſecernatur, naturâ idipſum percoquente, & incolis purum offerente teſte Diodoro Siculo. *Abilæorum*, ait, *& Gasandrorum regio* (in Arabiâ) *ſua natura fertilis habetur: ſed parum colitur hominum incuria, aurum è cuniculis nullâ arte factis effodiunt; non quidem quod terra igne liquefacta exprimant, ſed ipſa natura purum: vt pars minima ſcintillæ ignis, maxima nucis ſit inſtar regiæ: illud circa manuum iuncturas ferunt, circaque collũ pretioſis lapidibus diſtinctum.* Hinc rectè Dauid aurum Arabicum dignum iudicat, quod Messiæ & Salomoni debeatur. *Ps. 71. 2. 2. Paralip. 9. Euthymius Cassiodorus.* *Diodorus l. 3. c. 3.* Aurum ibidem puriſſimum.

Venio ad Reges Arabiæ, qui varijs eius locis imperarunt. Vniuersè quidem Lucanus li. 7. pronunciat Arabum gentem semper Regibus paruisse. Primum eorum Regem Aricum vocat Diodorus, synchronum Nini: Aramũ malunt alij dicere; qui tam Syros à se Aramæos, quam Arabes nominarit: nonnulli Arabum appellarunt. Coluit potissimũ Arâbiam Abrahami posteritas, ex ancillis Agare & Cetura. Ab illa Agareni & Ismaëlitæ prodierunt. Ismaëlis filius Nabaiothus regionem ab Euphrate ad rubrũ vsq; mare protensam à se Nabathæã dixit: alter filiorum Cedar desertã Arabiã habituit: à quibus scriptura teſte Duces & Reges sunt proseminati: videri de his Isa. c. 42. & Ie. c. 9. vaticinia possunt: sed hos omnes desertæ incolas domuit Nabuchodonosor. Petræam Arabiam eiusdem posteri Nabathæi tenuerunt: regni sedes vrbs Petra fuit, inuictos semper Reges numerauit. *Nulli*, ait Diodorus, *vnquam externo Regi nõ Assyrio, non Medo, non Persæ paruerunt: ipsi Macedonum Reges nunquam eos subigere, quantumuis magnis copijs valuere. Regno semper præerat vnus è Regum prosapia; qui socium sibi curatorem regni adsciscebat, quem fratrem nominabat.* Canbyse Cyri filio regnante Anonymus Rex præfuit Nabathæis, rogatus à Persarum Rege, vt sibi transitum in Ægyptum contendenti permitteret, data, acceptaq; fide perhumaniter eius votis acquieuit. Post hunc Rhabilus inclaruit, Antigoni monoculi

Reges Arabiæ. *Lucanus l. 7.* *Diodorus sic l. 2. c. 1.* Desertæ. Petrecæ. *Diod. l. 2. c. 22. inuicti.* *Herodotus lib. 3.* series eorum. *Diod. l. 19.*

Dind.l.19. tempore, & Demetrij eiuſdem filij. Deinde Zabdiphilus militauit Antiocho Magne contra Ptolomæum Philopatora. Sed Aretas primus in Antiochi Epiphanis regnum incidit: cuius fortè filius Zabdiel Alexandrum Epiphanem victum à Ptolomæo Philopatore cum hoſpitio ſuſcepiſſet, poſtea cæſi caput ad victorem miſit. Huic iuxta quoſdam Malchus primus ſubrogatus: eius ſcriptura meminit his verbis: *& iuit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri.* Hunc excipit Obodas primus, parens Aretæ ſecundi: qui Regem Iudæorum Alexandrum Ianneum vicit, Antiochum Dionyſium Regem Syriæ prælio ſuperauit, & Damaſcenis odio Ptolomæi Mennæi vltro ſe ei dedentibus, regnum Cœleſyriæ totum occupauit: ſed Romanorum acceſſu bello Mithridatico pellitur Damaſco. Succeſſit poſtea Malchus ſecundus: is C. Iulio Cæſari in bello Alexandrino ſuccurrit equitatu, Herodem magnũ finibus arcuit: vnde erat ſub Chriſti tempora Malchi & Melchielis nomen ita vſitatum, vt Romani quandoq; eo vterentur: exſtat inſcriptio Pompeo facta his concepta verbis. *C. Pompeio Trimalcioni*, quaſi Triregio: ob tres de tribus orbis partibus triumphos reportatos. Ideo Zoilum ſic perſtringit Martialis: *Hos Malchionis patimur improbè faſtus.* Quid vetat igitur vnum è tribus Regibus Melchiorem fuiſſe nominatum? vel à ſtellæ exortu nomen id ſibi adſumſiſſe? Huic Malcho ſucceſſit Obodas, quo regnante natus eſt Chriſtus: cuius cum Herode coniunctum occaſum Iſaiæ vaticinium ſic denunciarat. *Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris, à facie duorum Regum ſuorum.* Erat Obodas ſegni & ignauo ingenio, qui gentis more Fratrem ſibi regij ſanguinis propinquum Syllæũ dixerat: cuius cum Herode geſta bella, & varias offenſas Auguſti Cæſaris Ioſephus & Strabo memorant. Romani tunc Arabiæ felici ſtruebant inſidias: quos aſtibus varijs deluſit Syllæus: quibus, alijſque detectis ſceleribus ſecuri percuſſus eſt. Aretas tertius Obodæ patri ſubrogatur: ei vitio datum eſt, quod inconſulto Cæſare regnum paternum adijſſet; id ei poſtea Auguſtus & Tiberius confirmarunt, idem recuperata Damaſco necem ibi S. Paulo fuit machinatus. Huius putatur Aretæ filius Euax exſtitiſſe: qui Neroni librum inſcripſit de effectibus ſimplicium, & de gemmis poëmation. Eodem tempore florebant confinibus ferè in regionibus tres Reges noſtri Magi doctiſſimi: & vtrique Mauritaniæ Rex Iuba dominabatur, reſtitutus ab Auguſto paterno regno, qui Caio Cæſari ſua de herbis volumina dedicauit. Vt maleuoli mirari deſinant Reges noſtros Philoſophicis, & Mathematicis ſcientijs fuiſſe informatos. Euaci ſucceſſit Malchus tertius: ſufficiat hos Arabiæ Perſiæ & quandoque Syriæ Damaſci Reges attuliſſe: multum eorum notitia confert ad ſcripturam ſacram: & res Orientis tempore Chriſti penetrandas. Reſtant Arabiæ felicis Gentes & Reges diſquirendi. Certum eſt Abrahami quoſdam filios è Cetura genitos eam habitaſſe: ceteris eminuit Madian, qui tam Madianitis (quo nomine Arabes vniuerſè veniunt in ſcriptura) quam ciuitati Madianæ in ora maris rubri ſitæ nomen indidit. Coniungit S. Hier. Madianem & Epham, Patri filium, & deſignat regiones trans Arabiam fertiles Camelorum, ab ipſis dictas. Porro Madianis frater Iecſan binos ſuſcepit liberos, Sabam & Dodanem: à quibus Dodanenſes & Sabæj ſacris & profanis ſcriptoribus celebres prodierunt. Regna poſtea ſtirpibus ſuis non adhæſere ob variam bellorum aleam: vnde Strabo ſub ortum Chriſti quina recenſet felicis Arabiæ. *Aliud*, ait, *regnum habet bellatores, & omnium propugnatores; aliud agricolas, à quibus frumentum ad alios importatur: aliud eos qui opificia, & artes ſedentarias tractant; aliud myrrham fert; aliud thus.* Extremam verò regionem eius aromatiferam in quatuor diſpeſcit nationes. *Vltimæ quidem*, ait, *regio à quatuor maximis nationibus inhabitatur, à Minæis, qui in parte ſunt rubrum verſus: maxima eorum ciuitas Carna: hos ſequuntur Sabæi: quorum Metropolis eſt Mariacha: tertij ſunt Catabanenſes: denique Chatramatitæ*: ſingulis his Principes vel Regulos præfuiſſe ſcribit. *Earum quæque ſub ſuo Principe eſt, & felices ſunt, & optimas templorum ac regiarum ſtructuras habent: plus regionis occupant quatuor præfecturæ, quas nomos vocant: quam Ægyptiacum delta. Succedit apud eos in regno non filius Patri; ſed quì primus è nobili genere poſt conſtitutum Regem naſcitur.* Nomina Regum Gentis pauca reperiuntur. Dio Sabo Regi totam ſubiecit regionem. Strabo addit Sabo Ilaſarum, & Reges Agranorum: ad hæc Aſcenſium in Romanorum expeditione.

Polybius l.5.

2.Mach.5. 1.Mach.11. bella.

Melchielis nomen vſitatum. *Velſerus lib.8. Aug. f.104. Martialis lib.3.ep.81. Iſaiæ 7.16.*

Plinius. lib. 25.c.2.

Duo Reges librorum ſcriptores tempore Chriſti.

Ioſeph.l.2. antiq.c.4. S.Hier. in c.60. Iſa. Parentes & ſtirpes Arabiæ felicis. Regna eius quina. *Strabo l.16.*

Regum ſucceſſores inuſitati.

Ste-

Stetit autem libertas ijs, & retinuerunt semper suos Reges: duos horum Arianus Charibaëlem & Eleazum: adiungit totidem tyrannos Cholæbum & Mopharitem. Non mirum est Regum ipsorum & gentis interiora minus exteris patuisse: quibus vix aditus ad eos, & rarus concedebatur: nec sanè magnopere rerum aliarum indigebant, suis ipsi diuites opibus, & incomparabili terræ fertilitate: vt rectè ditissimos illos pene nationum omnium Plinius iudicarit; apud quos Romanorum & Parthorum opes subsiderent: cum venderent ipsi, quæ è siluis & mari caperent, nihil interim redimerent. Ita nec institoribus ingressus facilis erat: & satis firmabant fines suos contra Regum exterorum potentiam, vt neque ab Assyrijs, neque Parthis vel Romanis multis seculis potuerint debellari. Vnde rarior ex ijs locis fama rerum gestarum & Regum dimanauit: inuicti tamen semper perstitere teste Diodoro. *Hæc gens libertatem seruans, nullum aduenam apud se regnare passa est: ita neque Persarum, neque Macedonum Reges quamuis potentes armis eorum imperio potiti sunt: est enim inexpugnabilis ab externo milite; propter loca partim deserta, partim arida aquisque deficientia: sunt tamen fontes plurimi, sed absconditi, & solis incolis noti,* vt Alexander Magnus & Augustus in eis debellandis operam luserint: in hoc Dio gloriatur, quod Romani primi & vltimi eousque tempore Augusti in Arabiam progressi sint.

cur Reges eorum ignotiores.

ditissimi omnium Arabes *Plinius*

Diodorus l. 2. c. 1. inuicti semper.

Dio lib. 53.

Scio Xenophontem Cyri plus æquo laudatorem velle, ab eo domitos Arabes: Herodotus vt det à Cyro filioque subactos esse, & tributi loco mille talenta thuris Persis annuè appendisse: ac Xerxi contra Græcos militasse: nunquam tamen ait seruituti mancipatos: sed hospites eorum & socios exstitisse: indigenisque Regibus paruisse; ita putem etiam Augusti æuo Persis & Parthorum Regibus mansisse fœderatos; forte & vectigales adhuc. adeoque pace Parthorum cum Augusto sub natalitia Christi sancita, licuisse & ipsis Solymam & per Palæstinam commeare: quos si vel Romani vel Herodes violasset, Parthus ab ijs infestandis se non abstinuisset. De Sabæi regni situ, diuitijs, Regibusquædam adiungam: è quo prodijsse vnum Regum Gasparem multi volunt. Laudat copiosè Gentem illam Diodorus *Sabæa* inquit, *Gens Arabum populosissima: qui Arabiam felicem incolunt, eorum, quæ apud nos sunt pretiosissima ferentem plurima, ac omni genere pecoris apprimè copiosa: odoribus insuper suauibus: quos passim natura apud eos gignit, omnes ferè alias superat nationes. Nam in maritimis locis balsamum oritur: & casia; quædamque herba naturà singulari, quæ recens adspectu oculos oblectat; inuecterata subito fit debilior. Pars Mediterranea siluas continet amœnas, in quibus magnæ sunt thuris & myrrhæ arbores, palmæ insuper, arundines, & cinnamomum: & alia his odore similia: neq; enim referri possent singularum species & natura: adeo affluenter multa in eam odorifera natura exaggerauit: diuina quædam res est, quæ verba superet; suauis ad nostros sensus ab eis adspirans odor. Et sanè longè quoque à continenti nauigantes hanc odorum voluptatem percipiunt. Veris enim tempore venti à terra proflantes ab huiusmodi arboribus odores ad propinqua loca maris perferunt: non enim remissam aromata, & vetustam velut apud nos occidit vim habent; sed vigentem recentemque: & quæ ad omnes sensus perueniat. Aura quidem ex optimis mixta odoribus ad maritima descendens multa suauitate nauigantes afficit, & confert valetudini: nam haudquaquam ex contrito fructu, aut vase recondito aër manat odoriferus: sed à regione arboribusque, quibus id diuinâ quadam naturâ inest: vt qui odores hos sentiunt, ambrosiam, quam narrant fabulæ (tanta enim odorum excellentia nullum sibi nomen inuenit aptius) esse putent. Huius Gentis metropolis est, quam appellant* Saba *supra montem sita. Reges habet ex generis successione eos, quibus multitudo honores distribuit, bonis malisque immixtos.* Mirum hoc, quod de Regibus Sabæ subdit, infelicem eos degere vitam, quod nunquam regiam exire queant; nam si palam prodirent à turbâ hominum lapidibus, veteri quodam Deorum responso obruerentur: id alij negant: & ex Reginâ Sabæ alijsque contrarium euincunt: quamuis id aliquo fuisse certo tempore obseruatum, non ibo inficias: pergit deinde fertilitate terræ & odorum fragrantiâ descriptâ, diuitias auri percensere. *Hæc natio non solum propinquis barbaris: sed ceteris etiam hominibus ditior & opulentior habetur: ideo cum nullam calamitatem ea gens sit experta,*

Xenophon. l. 7. pæd. Herodotus lib. 3.

Diod. l. 3. c. 3. Regni Sabæ opes.

aromata.

odores.

Reges gentis.

Aurea & argentea supellex.

auri autem argentique copia præsertim Sabæ, vbi regia est, supersit, toreumata argentea aureaque habent, omnis generis poculorum: lectos insuper tripodasque argenteis pedibus, ceteramque supellectilem supra fidem sumtuosam. Magnis quoque columnis porticus fulciuntur; quarum capita tum argentea, tum aurea sunt: laquearia autem & porticus aureis phialis, pretiosis lapidibus intermixtis totius domus sumtuosissimum ornatum ostendunt: alia enim auro, alia argento, quædam lapidibus, splendent. Hæc Diodorus. Hic sane, si vllus, videtur fuisse quidam Orientis Paradisus: qui præter rerum omnium affluentiam, pace perpetua seculis multis fruitus est, & sapientiæ pariter exstitit domicilium, vnde præstantissimi Mathematici Philosophique prodierunt: vt perquam probabile sit vnum Regum, & Gasparem quidem inde veniſſe, & terræ suæ primis & præcipuis donis Messiam, vt oraculis varijs prædictum erat, cumulasse.

CAPVT XXI.

Quibus autoribus Arabes fuerint Magi.

Reges ex Arabia deducunt *Iustinus in Dialogo. cum Tryphone.*

SECVLO secundo præiuit omnibus S. Iustinus Martyr: is decies sæpiusque eodem in Dialogo vocat eos *Arabes*. seligo quædam: *Simul is natus est, Magi ab Arabia venientes adorauerunt eum. Porro Magi Arabes cum peruenissent Bethlehem, in præsepi eum posuit: vbi eum ex Arabia venientes inuenere Magi. Herodes non reuertentibus ad se Magis Arabicis. Itaque propter vocem, quæ audienda erat à Rama, hoc est, ab Arabia: est enim vsque ad hunc diem locus in Arabia nomine Rama. Accipiet virtutem Damasci; ceterum quod Damascus Arabiæ terræ fuerit, & sit, quamuis nunc ei, quæ Syrophœnice vocatur, accenseatur, nec vestrum aliqui inficiari possunt.* Nam vt capite superiori ostendi Aretæ Regi Arabiæ paruit Damascus etiam S. Pauli tempore. Hunc locum vltimum sequitur Tertul. vbi cum Magos velit virtutem Damasci Christo consecrasse, insinuat potentes eius Dynastas vel Reges exstitisse. Pergit Iustinus.: *Huius rei vobis* (Iudæis) *testimonium sit: quod apud vos à Magis Arabicis factum esse retuli: simul ac puellus progenitus esset, aduenientes adorauerunt eum. Cum primum in Bethlehem natus est, rebus eius ex Magis Arabicis cognitis, Herodes Rex insidias ei struxit. Simulatque natus est, stella in cœlo exorta, Magi Arabes inde edocti adfuerunt. &c.* cetera vide ibidem. Hoc testimonium eo pluris est faciendum, quod Iustinus patriâ Palæstinus, contra Iudæorum principem disputans, decies, rem etiam Iudæis tunc peruulgatam, inculcarit; & locum Isaiæ 71. de Samariæ & Damasci donis Messiæ dicandis impletum per Arabes fateatur.

Tert. lib. contra Iudæos.

Seculo tertio ineunte Tertulianus: *Nam de hoc auri munere Dauid dixit: & dabitur ei de auro Arabiæ, & Reges Arabum & Saba munera offerent illi: nam & Magos Reges ferè Oriens habet: & Damascus retro Arabiæ deputabatur, antequam descripta esset in Syrophœnicem, ex distinctione Syriarum: cuius tunc virtutem accepit Christus, accipiendo insignia eius, aurum scilicet & odores.* Eodem seculo S. Cyprianus: *Nec multo post Arabum fines huius rei notitia penetrauit: & incolis Saba præclari stella luminis cœleste numen nouis splendoribus indicauit.*

S. Cypr. de stella & Magis.

S. Epiphan.

S. Epiphanius ait eos ex Magodia Arabiæ regione veniſſe.

Cassiodorus in ps. 71.

Cassiodorus in eadem verba, *& dabitur de auro Arabiæ*: nomine auri vult tria Magorum designari munera Christo oblata.

Ratberius in 2. Matt.

Paschasius Ratbertus applicat Magis idem Psaltis: *Et dabitur ei de auro Arabiæ, & Reges Arabum & Sabæ dona adducent.*

Notkerus in Martyr.

Notkerus: *Neque ijdem Magi aut Chaldæi, aut Indi, aut denique Persæ iuxta quosdam fuerunt: sed aut Moabitæ, & Ammonitæ, siue Madianitæ, S. Hier. idipsum adstipulante.*

Arn. Carn. in laud. D.V.

Arnoldus Carnotensis: *Reges Arabum & Saba ab Oriente egressi, secuti stellam insoliti luminis, genibus curuatis Iesum venerati sunt.*

Baron. A. 1. n. 27.

Baronius: *Ex omnibus his tam ex diuinæ scripturæ autoritate, ac antiquorum inter-*

interpretatione, quam etiam ex Hebræorum traditionibus enarratis satis elucidatum videtur, quod dicti autores dixerunt, Magos ex illa regione Arabiæ venisse, quæ vergit ad Orientem: præsertim ex dicto illo diuinæ scripturæ loco, quo dicitur: Cetturæ filios in Oriente ab Abraham esse locatos.

Franciscus Lucas hic.

Franciscus Lucas: *Ex hac igitur Arabia felice, siue Sabæa venisse Magos quorundam verosimillima opinio est.*

Regius in 2. Matt. rationes pro ea sententia.

Regius. *Verosimilius iudico hos Arabes fuisse ex Arabia felice, quæ Saba dicitur: & forte ob vicinitatem Persæ interdum dicuntur: nam Arabia saltem felix sub Persia comprehendi potest.*

Suarez to. 2. in 3. p.

Suaretz fusè probat hanc sententiam 1. è script. nam illud psal. 71. *Reges Arabum & Saba &c. & dabitur ei de auro Arabiæ.* de Magis exponit Ecclesia. Cyrillus Alex. Tert. Haymo, Hugo, Lyr. similiter illud Isa. 60. *dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient*, Prosper, Chrysost. Eucherius, Arnoldus Carnot. 2. probat ex sanctis Patribus Iustino, Ter. Cypriano, Cyrillo Alex. Isidoro. 3. ex muneribus tribus, quorum sola Arabia simul ferax est: vnde hunc facit eorum sensum literalem, quod regio illis abundabat, & in maiore pretio erant apud eos. 4. quia Balaam in Moabitide parte Arabiæ de stella prædixerat. Tannerus, Siluius & alij complures Theologi sequuntur Suaretz ijsdem ferè rationibus persuasi.

Tanner d. 3. q. 2. d. 2. Silu. in 3. p. Lorinus in ps. 71. v. 11.

Lorinus idem deducit ex vocabulis Hebraicis Sceba & Seba; ex vaticinio Moabitico Balaami; ex muneribus tribus ab Abrahamo datis Madiani & Ephæ offerendis per posteros Messiæ; ex Reginæ Sabææ donis oblatis Salomoni; ex spolijs Damasci sic ablatis ab infante Christo; ex Arabiæ conditione ferace talium donorum; denique ex SS. Patrum autoritate.

Corn. Lap. in 2. Matt. Sherlogus in cant. 1. to. 3. fol. 358.

Cornelius à Lapide eandem sententiam ijsdem ferè sex rationibus tuetur.

Sherlogus in cantica: *Vt concedamus de ijs vaticinari Dauidem strictè psal. 71. qui Christum in præsepio iacentem venerati sunt, Magorum intitulati nominibus, tamē grauior sententia hos ex Arabiâ felice Messiæ cunabula adoraturos venisse sustinet, quam amplexati Baronius, Suaretz, Barradas, Concord. Torniellus, sed Arabiam illam opulentam & odoriferam ad Tharsis spectasse monstrauimus in antecedentibus.*

autores qui Persiâ accipiunt pro Arabiâ.

Pro hac sententia faciunt autores, qui Persiam pro Arabiâ accipiunt, vel ei Arabiam iungunt.

Isidor c. 14. de passione S. Anselm.

S. Cyrillus Alexandrinus verba illius v.c. 19. in fine. S. Isidorus, *Magi venerunt de Gente Persarum, & de Arabia & Saba: nam solo sinu Persico diuiduntur.* S. Anselmus: *Fuerunt de terra Persarum, & Chaldæorum: vbi est Saba fluuius: vnde Sabæa regio dicitur, iuxta quam Arabia est: vnde isti tres Reges fuerunt.*

Iac. de Vitriaco s. 2. de Epip.

Iacobus de Vitriaco: *A Chaldæa venerunt, iuxta quam est Arabia, nec multum distat à Iudæâ: & quia Persarum terra vsque ad Chaldæam protenditur à finibus citerioribus Persarum venisse dicuntur: vbi est Saba fluuius: à quo & regio nominatur. Terra autem Ammonitarum, in qua habitabat Balaam, non multum distat à Ierusalem.* Atque ita sententia prior de Persia cum hac conciliatur, imò posset hinc quis omnes hos ad Persiam trahere, in qua Curtius reperit Arabiam, in ipsa etiam Mesopotamia: sic enim ait: *Arabia odorum fertilitate nobilis regio campestris est inter Euphratem & Tigrim iacens, tam vbere & pingui solo, vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat: causa fertilitatis est humor, qui ex vtroque amne manat, toto ferè solo per venas aquarum redundante*: at laudati autores de Sabæa loquuntur Arabiæ regione, quæ præcipuè in Arabiâ felice est. Unde Arabiam, quia Persico mari alluitur, Persiam etiam vocauerunt: ideo expresse sanctus Anselmus dat Magis Arabicos equos & Dromedarios.

obiectio *Curtius l. 5. in Persia quædam Arabia est.*

Adde & illos qui à finibus terræ, & Æthiopiâ Orientali seu Indicâ eos putant accessisse, vnde Sabæa Regina Solymam venerat. Nam SS. Patrum plurimi eam cum Arabiâ felice confundunt, vt doctè probat in rem præsentem Pineda. *Ceterum*, ait, *neque frequentior; neque ab autoritate & ratione infirmior illorum sententia: qui hanc Reginam in Arabia felice, siue Indica collocant: & inde vsque Ieroslymam euocant. Id apertè docuit S. Hieronymus super id Isa. 60. Madian & Epha, Madian & Epha inquit regiones sunt trans Arabiam, fertiles camelorum, omnisque prouincia vocatur Saba, vnde fuit & Saba Regina, quæ venit audire sapientiam Salomonis*

Argumentū Pinedæ quod Regina Saba venerit ex Arabiâ seu Orientali Æthiopiâ.

lomonis, & ipsa deferens aurum & thus pacifico Regi, multa deportans: & ab eo maiora suscipiens &c. neque dissimili ratione locutus Cyrillus. Saba regio est vltra terram Arabum & prope mare rubrum: ex qua Sabá Æthiopum Regina temporibus Salomonis accessit Ierusalem: fertilissima est regio thure, auro, & lapidibus Indicis. Theodoretus 3. Regum q. 32. & iisdem verbis vocant Gentem Sabæam Æthiopicam Indicam: quæ procul dubio non est in illâ Æthiopiâ Africanâ. Cyrillus l. 5 in Isa. c. 6. Probat deinde dici Homeritas & Indos Orientales. Quod idem fusè in c. 2. Matt. ostendit Cornelius à Lapide. A lapide.

Vnde huc spectant, qui laudati à me libro 2. versum illum de Magis sunt interpretati: *Æthiopia præueniet manus Deo.* Et sanctus Hilarius vel Eusebius, dum ait. *Quem Magi de extremâ venientes Æthiopiæ parte cognoscunt.* Et cum Christus Sabæam Reginam dicat venisse *à finibus terræ*, huc spectant, qui de Magis, tacito regionis nomine, idem confirmant. S. Leo ser. 6. *à remotissimâ Orientis parte venerunt*, non enim ita de Chaldæa & Persia, vt de Arabia certum, quod Eusebius ait, *esse regionem, quam Græci magnam & felicem Arabiam nominant, esse Sabæam, extremum Oceanum fines eius pertingere.* hom. 1. de Epipha. S. Leo ser. 6. Euseb. l. 8. c. 35.

Rationes pro Arabia.

Colligam nunc in fasciculum rationes, quæ pro Arabia militant. 1. pro nulla sententia tam clara exstant vaticinia, vt pro Arabia ps. 71. & Isa. 60. iuxta Ecclesiæ, SS. Patrum & Interpretum communem expositionem.

2. pro nulla alia stat ipsa Hebræorum vetus traditio & Rabbinorum consensus è scripturis petitus.

3. Pro nulla facit Ecclesia: quæ decies & sæpius iterat in officio festi de Arabia.

4. Pro nulla tot sunt SS. Patrum, Interpretum, Theologorum veterum & recentiorum testimonia.

5. Pro solâ Arabiâ fauent tria dona, vt specialia eius saltem in præstantiâ; & literalis, vt eum vocat Suaretz sensus.

6. Vaticinium Balaami ibidem editum. 7. Sepulcrum SS. Regum ibi iuxta Dextrum repertum.

8. Hinc Arabia prima Gentilium Christo credidit, primos etiam Christianos Imperatores Philippos produxit.

Conciliantur sententiæ.

9. Conciliantur ita facile præcipuæ aliæ sententiæ: nam qui eos ex Æthiopia, Persidе, vel remotissimo Oriente deducunt, Arabiam intelligunt.

Obiectio Caluini stolida.

Distantia non obstat, vt alibi fusè demonstrabo, nec situs in Austrum declinans, quem petulanti conuitio more suo, sed mendaciter, & spisso nimis errore sic sanctis Patribus obijcit Caluinus.

Ceterum plusquam ridiculi sunt Papistæ, quod Reges sibi fabricarint, quia alibi prædictum legebant, venturos Reges Tharsis & insularum & Saba, qui munera Domino offerrent: ingenioſi artifices scilicet, qui vt nouam hominibus formam darent, à mundi conuersione cœperunt: Nam ex meridie & Occidente fecerunt Orientem: nec verò dubium est, quin iustâ Dei vindictâ sic obstupefacti fuerint, vt omnium ludibrio pateret eorum crassa inscitia: quibus veritatem adulterare & in mendacium vertere nulla religio fuit.

Confutatur ex Gentilibus.

Hæc contra sanctos Patres spicula contorquet maledicentissimus Caluinus; sed quã mendaciter, clamant & veteres Geographicæ tabulæ Ptolomæi, ac Gentiliũ: & recentiores Caluinistarum omnium, quæ satis elaboratæ nuper & sæpius in Hollandia prodierunt: appello nunc tantum pro veritate ad Gentiles autores, & scripturam ipsam. Tacitus, *Terra*, inquit, *finesque Iudææ, quà ad Orientem vergunt, Arabia terminantur.* Legantur quæ Diodorus Siculus, quæ Ptolomæus, Plinius, Strabo, Solinus, alij de situ eius referunt: orientaliorem eam esse, quam sit Palæstina manibus palpabitur: cum ipsum hibernum ortum Solymæ respiciat: Nec aliter de Arabiâ scriptura loquitur: nam *Gen.* 25. Ceturæi Abrahami siue filij, siue nepotes, ab Isaaco Chanaitidem habitanti *ad Orientalem plagam* separantur: & in ipsam Arabiam felicem quidam eorum immittuntur: & Iudic. 6. Scriptura ait *Cumque seuisset Israël adscendebat Madian, & Amalec, ceterique Orientalium nationum: &c.* quis dubitet Madianitas, & Amalecitas Arabibus accensendos? quos tamen respectu Palæstinæ scriptura vocat Orientales? Tacitus l. 5. Diodorus Siculus. Plinius. Ptolomæus. Strabo. Solinus. & Scriptura. Gen. 25. Iudic. 6.

CA-

CAPVT XXII.

Venerintne Magi è diuersis regionibus.

VNus hic modus est componendi sanctos Patres, & hactenus sententias allatas conciliandi; si dicatur, cum Reges fuerint, è diuersis necessario regnis & regionibus accessisse: præsertim cum vnus eorum colore fusco, vel Æthiops fuisse perhibeatur. In hanc sententiam inclinant S. Isidorus. verosimiliter è variis locis venerunt Magi.

Ratbertus, Anselmus, Iacobus de Vitriaco, & Ludolphus de Saxonia: Recentiores apertius hanc tuentur opinionem.

Hieronymus Natalis: *Ex his & illud consentaneum est, horum Regum vnum fuisse Arabem, & fortasse Regem Sabæ, vt eo possit illud psalmi referri. Reges Arabum & Saba dona adducent, & illud Isaiæ: omnes de Saba venient: hoc est de Arabia; alium ex Chaldæa: non tantum ex vicinia Sabæ, & Balaam, sed ex Abraham, qui vtrobique fuit celebris antiquitus: aliqui è Perside vsque venisse scribunt, quos Chaldæam arbitror intelligere nomine Persidis.* Natalis de Epiphan.

Regius: *non est necesse dicere omnes Arabes fuisse: potuere duo tantum Arabes esse, & quo tempore stella apparuit, potuit accidere, vt & tertius in Arabia esset: vnde forte originem trahebat.* Regius in 2. Matth.

Adamus Contzen: *Cum igitur Arabia felix sub Persidos Regibus fuerit, eique confinis, poterant sanè de Perside, & Arabiâ venire; aut aliqui horum esse Arabes, alij Persarum: cũ enim non vestitus modo diuersus à Beda describatur, sed color etiam vultusque, non est improbabile aliquo interuallo illos disiunctos habitasse, alios trans sinum Persicum: alios cis illum eundem.* Adamus Contzen in 2. Matth.

Cornelius à Lapide: *Verisimile vnum vel alterum Magorum fuisse nigrum: siue Æthiopem, tum, quia vulgo ita omnes sentiunt itaque adorationem Magorum pingunt pictores: tum quia ex Æthiopia dicitur venisse Regina Saba; tum denique quia ps. 71. dicitur coram illo procident Æthiopes; & Magi vocantur Reges Tharsis id est maris rubri; & Græcè est* ἀπὸ ἀνατολῶν *id est ab Orientibus, quasi ex diuersis regionibus Orientis venerint, & prouincijs.* Cornelius à Lapide in 2. Matth.

Bosquier in Ara cœli: *Dicamus ergo ex varijs locis venisse vnum hinc, alium illinc, tertium aliunde &c. Græcus textus fauet sonans Orientibus, vel è partibus Orientalibus, quasi ex diuersis Orientis vnius regionibus: vt scilicet singuli nescij ceterorum, regnis quisque suis, alius citius, alius tardius egressi, tandem nec valde procul ab Hierosolymis forsitan: hac ille, illac alius, aliunde tertius cum toto comitatu omnes simul sibi inuicem occurrerint, intellectoque per tubicines vltro citroque emissos omnium & singulorum aduentu pacifico, & viæ causam omnibus vnam esse, quæri scilicet ab omnibus vnum recens natum Regem Iudæorum, agmina magno gaudio coniunxisse, & simul Ierosolymam venisse. Et certè si Reges fuerunt, ex diuersis regnis illos venisse oportuit, cum regnum vnum Alexandro magno censore non magis plures Reges ferat, quam cœlum soles duos. Præterea si ex vno climate venere, hi Magi, aut nullus fuit ater Æthiops, aut simul omnes atri fuere, si ex Æthiopia venere omnes: item aut nulli ex Magis candida facie, aut omnes æque tales, si ex Arabia aut aliunde omnes, quæ duo de candore vel nigrore vni in omnibus traditioni repugnant. Quid quod etiam ea res Christo glorioſior ex tot regnis tot proceres vno die simul, vnoque fine variè admonitos, hos per Balaamum illos per Abrahamum, istos per Danielem & Sybillam vna vero stella excitant omnes ac ducente conuenisse sub iugum pueruli adhuc lactentis sponte ituros.* Bosquier in Ara cœli cap. 18.

Hactenus Bosquirius. Accedat Ciacconius: *Sexta ait feria sequente eiusdem hebdomadæ Magi siue Sapientes & Philosophi, siue Reges Orientales ex Perside, Armenia & India (in quibus hodie prouincijs, non solum posteritas atque familia, sed & multa Christianæ pietatis monimenta exstant: ex ipsis orta, quæ à Lusitanis & alijs deprehendi traduntur) adoratum Christum infantem veniunt stella duce, quæ biennium fermè ante illis apparuit, muneribus & donis eum prosecuti attestantibus Haithono Armeno, & Hieronymo Osorio.* Ciacconius initio libri. Haithonus lib. de Tartaris 2.

Hæc

Hæc reliquis omnibus verisimilior sententia : licet enim vnum vel alterum etiam ex Arabia veniſſe capitis ſuperioris argumenta ſuadere videantur efficaciter , tertium tamen & fuſcum ac reliquis nigriorem ex alio profectum loco perquam probabile: rem totam caput ſequens illuſtrabit.

CAPVT XXIII.

An tertius colore fuſco ex India?

Boſquier. Alapide.

Oſorius. Nauarrus.

Lib. 21. de orat. & horis. canonicis. n. 27.

NOn male Boſquirius & Cornelius à Lapide è coloris faciei varietate Regum , (quam traditio conſtans recipit) colligunt regionum diuerſitatem : cui mirificè recentiores quidam autores allatis Indorum vetuſtiſſimis monimentis, traditionibus & certis veſtigijs ſuffragantur. Rem hanc primus , quem reperi Nauarrus vir eruditiſſimus prodidit , & ſibi ab Oſorio Algabrienſi Epiſcopo ſignificatam aſſerit: *Poſteaquam*, ait, *hæc ſcripſit & excudi curauit , accepiſſe ſe à viro erudito & fide digno reduce ex India inueniri in vetuſtiſſimis Calecutij regni annalibus , Regem Calecutij fuiſſe vnum, aut certè primarium ſocium trium Regum Magorum ; quos ad adorandum Chriſtum ab Oriente ſtella ductos fuiſſe teſtatur Matthæus , qui reuerſus in ſuum Calecutium præfatum templum, quod nunc viſitur , exſtruxit , & intra illud præfatum ſacellum , & in eo aram , ad quam per multos gradus adſcenditur, in quam nullis alijs , quam ædituis eſt aditus , & in qua eſt ſculpta imago auguſtiſſima Virginis Matris* MARIÆ *ſuis vlnis filium amplectentis & ſumma religione à paganis cultæ* , ita Nauarrus.

Maffæus lib. 2. hiſtoriæ Indicæ.

Veſtigium eiuſdem narrationis reperit in India Maffæus noſter vicino in regno Ceilano: *Sunt* , ait, *qui cum tribus Magis , qui ad Chriſti liberatoris incunabula cum muneribus adoranda , Sibyllæ Indicæ , vt ferunt monitu ſtella duce tetenderunt, D. Thomam congreſſum eſſe velint*: addit vnum ex his. *Ceilani Regem fuiſſe , qui Perimal dicitur.*

Spinellus c. 29. n. 29.

Ex Oſorij poſteriore editione, Spinellus noſter in Throno Deiparæ compendio rem geſtam exſcribit , cuius verba complures alios video poſtea tranſcripſiſſe. Is ita narrat *Oſorius huius religionis , qua homines Pagani* MARIÆ *nomen venerantur , rationem perſequitur: quam nos ex eodem breuius huc inſerendam duximus , quod res cognitu non inuncunda ad virginis ſanctiſſimæ laudes ſpectare videtur.*

Cranganoris Rex vnus è tribus. Reges Magos adit.

Crangar , inquit, *in India vrbs eſt perantiqua , quæ Calecutio diſtat Auſtrum verſus circiter quinque & quadraginta paſſuum millibus, & à multis Chriſtianis à S. Thoma conuerſis incolitur. Cuius Rex olim Brachmanarum literis imprimis eruditus , cum ſorori germanæ vitium intuliſſet , illius flagitij conſcientia grauiter afflictus, pœnas de ſe multorum dierum inedia alijsque laboribus ſeuerè repetebat, nec tamen animi ſolicitudine leuabatur ; quare religionis cauſa iter ſuſcepit in Perſidem & Carmaniam , in qua antiquiſſima Magorum diſciplina florebat , ex quibus duo opibus & ſapientia principes Regi Cranganoris per literas noti , à ſtella præter naturæ ordinem orta edocti , Regem cœli in Iudæa natum ad eum adorandum*

cum ijs pergit in Iudæam

ſe compararunt : quibus idem Rex Cranganoris ſubnigro colore , qualem pictores in hoc myſterio exprimendo effingere ſolent , ſe tertium comitem adiunxit , quare poſterum reliquis nominibus abiectis nomen Cheriperimale (id eorum lingua ſonat vnum ex tribus) ex hac tam illuſtri ſocietate , qua maximè gloriabatur , adſumſit : Chriſtum itaque adorant , eique munera offerunt. Rex lætiſſimus tertio demum anno in patriam reuerſus ædem exſtruxit, quam MARIÆ *nomine conſecrauit, in qua Sanctiſſimæ Virginis imago cum filio in vlnis collocata fuit , ſanxitque , vt quoties æditui hoc nomen inclamarent, toties omnes qui adeſſent in terram ſe proſternerent: Poſtremo , cum ſe totum rebus diuinis daret , & negotia & regni opes reliquit ijs, quos ſapientia & religione præſtare cognouerat. Ex his vnus fuit, qui Calecutij ampliſſimæ vrbis fundamenta iecit , & templum illud , quo fuit Gama deductus exſtruxit , & in medio ſacellum Sanctiſſimæ virgini dedicauit , & exemplum patroni ſecutus , ſtatuit , vt ad* MARIÆ *nomen omnes ſe in terram proſter-*

nomen mutat.

Triennio poſtreuerſus excitat Deiparæ viuenti templum. abdicat ſe regno.

sternerent: & licet incolæ sint pagani, hanc tamen memoriam abi antiquis traditam, religione summâ conseruant: Hæc sunt quæ in antiquissimis Christianorum Indorum monimentis contineri ab hominibus Indiæ peritissimis accepisse se scribit Osorius.

Nec iniucundum erit, ritus ipsos recitare quibus à tot iam seculis Gentiles Deiparam in eo templo venerentur, eos Gamâ præsente adhibitos sic narrat in prima editione sua Osorius: *Per templi ostium ingressis* (Gamâ cum socijs) *occurrunt quatuor viri à capite ad vmbilicum nudi, deinde ad genua vestibus bombycinis accincti, quilibet horum terna fila à dextero humero ad sinistrum latus demissa, & sub brachio sinistro complicata gestabat: hi nostros aquis lustralibus adspergunt: porrigunt deinde cuilibet pulueres è ligno optimi odoris contuso, quibus frontes consignarent. Templi parietes erant multis imaginibus depictis ornati, in medio templi erat sacellum editum formâ rotundum: ad quod per multos gradus adscendebatur, ostium erat ex ære factum, & valde angustum. Intra sacellum erat signum in aduerso pariete locatum, cuius formam nostri propter loci obscuritatem adspicere nequiuerunt. Erat enim locus ita ab omni solis radio seclusus, vt vix aliquis malignæ lucis splendor in eum penetraret; nostris autem aditus in id minimè concessus fuit, solis enim æduituis & sacerdotibus patebat. At illi quatuor æditui propius accedentes digito in imaginem intento bis* MARIAM *inclamant: Capralis cum reliquis, qui eum sequebantur, se repente in terram proni manibus extensis abijciunt: deinde surgunt & more suo precationem peragunt. Nostri suspicati sunt opem Sanctissimæ Virginis implorari, genibusque flexis pacem à Deo exposcunt: Virginemque Dei matrem more nostris vsitato venerantur.*

In fine lib. 5. de gestis.

templi ornatus.

ritus Deiparam salutandi.

Ita tenax maiorum traditio posterorum inhæsit fixa mentibus, vt non tantum templi istius à Socijs sanctorum Regum excitati memoria, sed & Dei genitricis imago sic filium sinu complexæ tot seculis steterit, quomodo reperta in stabulo cum oblatis eam donis cum Christo venerarentur: ritus etiam colendi, Christi, & Sanctissimæ Matris tanto tempore permanserit, quo Reges olim ortum eius piè sunt deuenerati. Eandem rem narrat Fornerus l. 3. palmæ c. 9. & Carthagena l. 18. hom. 7.

Cornelius à Lapide paucis rem ita perstringit. *Ex Indorum*, ait, *traditione Regem Cranganoris, quæ non longè distat à Calecutio, fuisse vnum è Magis: hunc enim duobus Magis è Perside & Carmania stellâ duce ad Christum properantibus, tertium se socium adiunxisse, ideoque Chereperimale, id est, vnum è tribus nominatum*: addit eundem fuisse colore subnigro & quasi Æthiopem.

Alapide in 2. Matth.

Multa sunt quæ hanc opinionem possint confirmare.

Primò, Quod non nitatur, vt reliquæ tantum fama & narratione posterorum & exterorum scriptorum, coniecturas pene suas vel aliorum sententiam sequentium: sed traditione constanti incolarum & vetustissimis scriptis oræ Malabaricæ, cui videtur & Ceilano insulæ imperasse:

Rationes cur vnus trium ex India venisse videatur.

1. è traditione.

Secundo, vestigijs ipsis duobus clarissimis templis dico, Calecutano, quod exstat, & Cranganorensi Deiparæ, cuius rudera puto superant: temporis etiam adiecta nota est, quo cœperit alterum excitari, triennio nimirum ab ortu saluatoris, cum primum redijt.

2. Vestigijs exstantibus.

Tertio, nominum priorum variatio: fuerit sanè ante, vt quidam putant is ipse alio nomine appellatus, exinde vt Maffæus Perimal contractiore voce, vt alij cheriperimale se nuncupauit: vt beneficij collati sibi diuinitus toties recordaretur, quoties nominis audiret proprij mentionem: Imperitum me agnosco linguæ Malabaricæ: qua cum Melchior Inchofer testetur significari non vnum de tribus, sed *Rectorem* vel *summum administratorem*: in eam potius inclino sententiam, vt ante fidem putem eum fuisse Cheriperimale, postea Melchiorem appellatum, vt se è Regibus Luminis vnum vel Regem Lucis Hebraica lingua voluerit deinceps appellare: accepta forte diuinitus etiam Hebraicæ linguæ peritia, de quo alibi, sufficit hic obseruasse eum inde sibi variato nomine appellationem eius mutuasse.

3. nominis mutatione.

Quarto confirmat Euangelij autoritatem, quod ab Oriente venerint: quis enim dubitet Persiam & eâ remotiorem Indiam Iudææ esse Orientalem? Deinde Ecclesiæ traditiones 1. Tres fuisse legationis huius principes, 2. eosdem Reges, Magos, & sapien-

pientiſſimos Orientis: Denique communem opinionem vnum eorum Æthiopem & vultu ſubnigrum.

5. ſic difficultates multæ expediuntur.

Quinto, varias expedit hactenus de Magis ventilatas difficultates: quomodo locis & regnis diſiuncti eo diuortio, vt & colore vultus diſtinguerentur, eodem tempore, eadem ſtellâ prælucente iter capeſſiverint. Nam demus duos Reges, ſiue Perſidis, ſiue Arabiæ confines proximis tunc in locis conterminis viſâ ſtellâ ſe de itinere ſuſcipiendo paucis horis commonuiſſe, tertius eo ipſo aduenit tempore, tanto licet locorum interuallo à patriâ ſeparatus, cum duo pariter ad iter ſeaccingerent: & is eodem Spiritus Sancti impulſu ſe comitem adiunxit, vt non iam opus ſit, vel tres confingere ſtellas præuias cum Boſquirio, præſertim cum hæc diuino & æterno conſilio gererentur; vel vnam in Iudæâ conſiſtentem, ad quam vt ſtellam polarem aut pharum iter ſuum per deuia et auia dirigerent.

6. cõmodè ſunt à S. Thomâ baptizati.

Sexto, ſepulcralis in SS. Magorum tumulo reperta inſcriptio cum veteri traditione & teſtibus alijs vetuſtiſſimis volunt ſanctos Reges à D. Thoma conuentos & baptiſmo initiatos. Complures hiſtorici & in his Crantzius & Faſciculus temporum aſſerunt, eorũ corpora, vel vnius ſaltem ex India Conſtantinopolim aduectũ: operis imperfecti autor peruetuſtus docet eos S Thomæ Euangelij adiutores exſtitiſſe: facilem hæc habent explicatum: Si duo eorum Arabiæ vel Perſidi, tertius Indiæ præfuerit. Conſtat ex S. Xauerij atteſtatione Socotoram Inſulam oppoſitam Arabiæ Felici à S. Thoma conuerſam, tunc credo, cum tribus baptizatis ſanctis Magis, inde cum tertio in Indiam abſoluit, in cuius etiam regni finibus S. Thomas ſepulcrum elegit.

7. trad. 38. f. 343.

Septimo, Pro hac ſententiâ facit ſanctus Hieronymus, qui apud Alfonſum Salmeronem ait, hos Reges veniſſe de *extremo Orientis*, ſiue de *principio Indiæ* adiutos dromedarijs. S. Leo & Auguſt. de quibus ſuperiori capite, qui eos *è remotiſſimis Orientis partibus* educunt: ſancti Patres quamplurimi, qui eos annum vel biennium in itinere fuiſſe dixerunt, vt ſuo loco videbimus: licet enim ſtella non niſi diebus 13. præluxerit, vel paucioribus etiam; hic tamen multis potuit menſibus in itinere fuiſſe, dum Magos hos duos amicos conuentum proficiſceretur.

8. Reges Tharſis .i. Indiæ. *l. 4. Salomonis c. 5. n. 4.

Octauo: Hic videtur Rex Tharſis & Inſulæ Ceilani nominari: nam cum S. Hieronymus, Abulenſis, Genebrardus & Pererius aqud *Pinedam per 70 Tarſis Indiæ deſignent regionem, alij rectè duos Reges Arabiæ Sabæque videntur ſignificare, ſiue Perſicam Sabam, ſiue Arabicam intellexeris, ad quam è Carmaniâ breuiſſimus eſt nauium traiectus, vel medij diei ſpatio. Idem de Ophir ſentit Athanaſus Kircher in Copto Prodromo c. 4. *Ophir*, ait, *vocem Coptam eſſe ſeu Ægyptiacam, qua Ægyptij veteres eam Indiam appellabant, quæ continet regna Malabar, Zeilanum, auream Cherſoneſum, & ad eam ſpectantes, Sommatram, Molucas, Iauas, aliaſque vicinas inſulas auriferas*: quibus vocibus ipſius Melchioris inſulæ quædam continentur, Ceilanum imprimis, Maffæo teſte.

Ophir ibidem.

Nec diſplicet occaſio ſuſceptæ tantæ peregrinationis, vt conſcientiæ continuis ſtimulis mederetur. multis hæc fuit & olim & Patrum noſtrâque memoriâ quæſita tanto morbo medicina: geminam priori dabo, quæ peperit Iaponiæ conuerſionem. S. Franciſcus Xauerius cum Malacæ degeret in India, Iapon quidam Anger nomine inde vſque à Iaponia venit, vir domi ſuæ honeſto loco natus, & ingenio ſingulari præditus: cauſa veniendi fuit, vt animi vulnerum, quæ iuuentutis inflixerat feruor, ab eo peteret medicinam. Quippe homicidio facto in Iaponia conſcientiæ ſtimulis, & inimicorum telis pariter exagitatus ad Bonziorum (Religioſi apud eos homines ſunt) cœnobium confugerat, ſimul conſcientiæ remedium, & vitæ refugium quæſiturus. Sed vtraque ſpes eum fefellit, quod ipſum ei ſalutem peperit. Cum nihil opis in Bonzijs & præſidij reperiſſet, alienato ab illis animo, externa auxilia circumſpicere cœpit. Peropportunè eo commercij cauſâ naues aliquot appulerant Luſitanorum: è quibus Alfonſus Vaſius illi antea notus re cognita, pro veteri amicitia vltro ſuam obtulit operam, ſi occulta fuga ſubtrahere ſe periculo vellet: ille enim vero gratijs actis ſe eius liberalitate oſtendit vſurum. Itaque Vaſius proſpiciens animo ſuam nauim diutius ibi in negotijs expediendis moraturam; vt primo quoque tempore amici hominis ſaluti conſuleret, Ferdinando Aluaro neceſſario ſuo ex alio portu ſoluenti in Indiam, eum per literas commendat diligenter; commendati-

Lorinus in pſ. 87. & Turſellinus in vitâ S. Xauerij l. 3. c. 12. ſimilis occaſio conuerſionis Iaponiæ. Anger homicidij reus angitur conſcientiæ ſtimulis.

datitias literas Angeri ipsi tradit. Eas ille nocte intempesta cum perferret, gemini cognominis errore deceptus, Georgio Aluaro Nauarcho reddit errore salutari: is hominis Iaponis demerendi occasionem neutiquam sibi prætermittendam existimans, errore dissimulato perhumaniter exceptum auexit, eo consilio, vt Malacam ad Xauerium familiarem suum adduceret. Itaque vt erat vir pius, vel Angeris sibi conciliandi, vel ad Christianam religionem præparandi studio, multa ei tum de Xauerij insigni sanctimonia, rebusque gestis; tum de Christianorum institutis identidem exponebat in via. Anger ergò talis & viri & instituti cognoscendi auidus Malacam properabat, vt Xauerium, quem tanquam diuinum hominem ex Aluari ore mirabatur, aliquando videret & audiret. Ceterum iniecta mora eius cupidinem primò vt fit, tu. bauit, deinde magis accendit. Malacam Anger aliquot mensibus ante Francisci ex Moluco reuersionem appulit: ibi eum auidissimè quæritans, reperit, iam diu abesse Malacâ. Quocirca re infecta domum repetere decreuit, tristis admodum, frustra tam longo itinere suscepto: abest quippe Malaca ab Iaponia leucis circiter octingentis, pari ferè spatio Indiam inter & Iaponiam sita. Malaca ergò cum soluisset, ad Sinarum fines, trium ferè mensium nauigatione traiecit leucas à Malaca circiter quingentas; ibi paulisper subsistit, in Iaponiam (ea inde aberat millia passuum ferè octingenta) propediem transmissurus. Ab Sinis deinde profectus sexto septimoúe die in conspectum iam venerat Iaponiæ, cum repente aduersus ventus, quasi dissuasor consilij exstitit, fœdissimaque, totius quadridui tempestate iactatum in eum ipsum Sinarum portum reiecit, vnde conscenderat: ibi ei incerto iam animi fluctuantiqúe non sine Dei vtique consilio idem ille Alfonsius Vasius fit obuiam, qui ei autor fuerat Iaponiâ excedendi. Huius ergò suasu Malacam, quo iam Xauerius aduentare ferebatur, reuertitur anno 1548. egrediens è naui Georgium Aluarum, à quo primum ex Iaponia deportatus fuerat, mira opportunitate offendit: ex eo cognoscit de aduentu Xauerij. Georgius igitur Angeris reditu mirè lætus, eum continuo in templum ad Xauerium, cuius causa venerat, deducit, qui sit, quid velit, exponit: tum ille quasi diuinans, fore vt per eum via sibi fieret in Iaponiam, quantum ex hominis Iaponis aduentu percepisset voluptatis, haud sanè obscurè verbis vultuque declarauit. Et Anger haud rudis Lusitanicæ linguæ sine interprete cum Francisco agere de suis rebus cœpit. Quem ille benignè exceptum, & indulgenter habitum, ita diligenter Christianis mysterijs excoluit, vt omnibus ex eius animo scrupulis exemtis quædam semina piæ beatæque insereret vitæ. Itaque Anger ex adspectu & consuetudine Xauerij maximum se vitæ & peregrinationis suæ fructum cepisse præ se semper tulit: simul illud memorabat, totam itineris sui rationem haud dubiè administratam diuinitus, vt auidius arriperet, quod diutius expetisset: is postea cum duobus famulis Christianis mysterijs satis eruditus, à Goano Episcopo genitali fonte renatus, Paulus nominatus, Xauerio spem & cupiditatem iniecit in Iaponiam penetrandi. Quod tam feliciter huius neophyti ductu consilioque perfectum est, vt multæ fuerint breui coloniæ SOCIETATIS IESV per Iaponica regna constitutæ, quæ ad trecenta hominum millia Christo pepererunt, vtque innumeri pene Martyres laici, religiosique diuersarum familiarum taceantur, intra 50. annos è sola Societate nostra centum viderit Martyrio laureatos; ex his facilius Indiæ Regis Melchioris peregrinatio in Arabiam & Persidem suadebitur. vtrumque similis exciuit in exteras regiones occasio, lancinantis continuo conscientiæ; vtrumque proficiscentem diuina rexit prouidentia & per Christi fidem peperit vtriq; mentis quæsitam serenitatem; vterq; diligenter in patriæ incubuit conuersionem, alter S. Thomam, alter S. Xauerium duos Indorum Apostolos inuitauit, cum ijsdem etiam contulit operam, interprete enim Paulo, S. Xauerius vtebatur, vt dubitari non debeat, quin vti Deus Angarem illum Iaponium tunc Malacam commodè postrema vice deduxit, cum Xauerius aduenisset, simili commoditate, ue in Persidem, siue Arabiam Melchior tunc peruenerit, cum confines Reges, visâ nocte stellâ, mutuis vltrò citroque missis nuncijs accincti profectionem illam adornarent; nec ambigo, quin eâdem prouidentiâ gubernante tunc astrum emicuerit, cum in locis conterminis duo versarentur. Vna res mouet scrupulum: quod hæc opinio non leuiter con-

irrito sæpe conatu Xauerium quærit.

casu reperit & pacatur.

conuertitur ad fidē.

baptizatur

deducit Xauerium in Iaponiā incredibili fructu.

comparatio huius cum Melchiore.

prouidentia Dei in vtroque relucens.

difficultas in hac sententiâ.

conuellat Arabiæ Regum Magorum comitatum, cum potius ille Magos dicatur in Carmaniâ Persiâque quæsiuisse: Fateor inuitus ab Arabia propter scripturæ, Patrumque firmiorem autoritatem & rationum momenta deflexero in Persidem. Do libens siue classe, siue pedestri itinere per sinuosos amfractus viarum, Indicis vectum equis,

soluitur.

conciliato sibi Parthorum Regis fauore, Carmaniam petijsse, sed inde Persicum mare traiecisse in Arabiam, quæ Persidis nomine passim venit, vt sæpius confirmaui.

Nec disertè vult Osorius in Perside repertos esse Magos, sed quæsitos: vbi Magorum vigebat disciplina, vt Malacæ quærebat prima vice Xaueriũ Anger: ibi tamen non repertis in Arabiam deflexerit: fortè enim Reges Arabes olim in Perside, vel Parthorum etiam regia Magorũ fuerunt disciplinis informati, sicut eodẽ fere tempore Parthorum Regis 4. filij Romæ ab Augusto educabantur. Demus etiam Balthasarem Persidis vel Carmaniæ Toparcham, aut regulum (quales Reges beneficiarios, complures Parthus numerabat) officij vel alterius negotij causa Regem Sabæum Arabiæ Gasparem eo tempore conuenisse, quo sidus nouum oriebatur: quos simul repertos, accinctos inuenit Melchior: etenim cum alias probauerim Reges Orientis studijs Astrologicis mirificè fuisse deditos & se mutuo, vt Salomonis ætas docet, acerrimè propositis etiam quæstionibus physiologicis & ænigmatibus exercuisse, non mirũ videri debet, si hi duo confines (quibuscum ob communia studia Brachmanis & Melchiori Regi Indorum, tanto licet diuortio marium & terrarum diffito, consuetudo & literarum cõmunicatio intercedebat) conuenerint quandoq; & eo præfertim tempore, cum toto vulgatum Oriente à decem & pluribus annis esset orbis totius in Oriente Monarcham nasciturum, adeoque quandoque congressos inter se, officijs certasse mutuis, arcana Magiæ naturalis, Astrologiæ & Medicinæ secretiora dogmata contulisse, tunc, cum Deus iam pararet stellam decantatam tot Sibyllarum oraculis Balaamique vaticinio producere, quæ collectos in vnum tres Reges diuersarum & dissitarum Gentium legatos ad incunabula Saluatoris adduceret.

occasio conuentus trium Regum.

disceptatio in difficilibus quæstionibus.

iam visitata Salomonis æuo.

Ita sola hæc reperta tandem traditionis Indicæ facula nonnihil lucis in caliginosissimâ nocte patriæ Magorum prætendit, vt confidam si Indi vestigia, quæ superant sua diligenter persequantur, ipsa quandoque possit veritas patriæ tot post disceptationes inueniri.

CAPVT XXIV.

De Indiæ, Regibus & Brachmanis Christi æuo, & de regno Melchioris iam Christiano.

NE capitis superioris narratio carere probabilitate videatur, delibabo nõnulla, quæ iam sub ortum Christi de gentis illius magnitudine, regnis, scientijs, & opibus vulgata passim erant, quæq; recentiores de ijsdem referunt, ita facilius persuadebitur, Regem aliquem Brachmanarum disciplinis & institutis informatum & Regibus Arabicis, Persicisque familiaritate deuinctum cum ijs verosimiliter primum Gentilium, Christum, iuxta traditionem & vestigia loci, adorasse. India nomen ab Indo traxit flumine, quam veteres duplicem agnouerunt: nam cum alter illius fluuiorum maximus Gãges dictus Orientem spectet, duplex nomen accepit: hinc *India cis Gangem* vocatur, quam Indus radit ad vsque litus Gangeticum citerius: inde verò ad Sinas & Iapones vsque *Indiam vltra Gangem* appellarunt; quamuis quæ media terra duobus his clarissimis fluuijs includitur, India propriè nunc etiam nominetur. Cursum horum fluminum sub æuum Christi sic etiam Strabo discussit: *Tota India fluminibus irrigatur, quorum quædam in duo maxima irrumpunt, Indum atque Gangem, quædam proprijs ostijs in mare emittunt, & omnia ortum habent à Caucaso primo ad meridiem delata, postea alia in eodem permanent cursu, præsertim quæ in Indum influunt, alia flectuntur ad Orientem, quemadmodum Ganges, qui à montibus descendens cum in planitiem peruenerit, ad Orientem conuersus in mare progreditur.*

Indiæ origo.

situs.

lib. 15.

Reges Indis imperasse Poëtarum fabulis, qui Bacchi & Herculis Indicas ea-

canunt expeditiones, & Historicorum scriptis, Curtij, Ariani, Plutarchi, qui Alexandri bella persequuntur, est apertissimum: quos inter Staurobates coæuus fuit Semiramidi, cum quo pugna nauali conflixit in Indo flumine. Geirades cum Bacho gessisse bella dicitur apud Stephanum. Notiores ij, qui synchroni fuerunt Alexandro: Porus in his eminet, de quo sileo cum in manibus omnia sint, is tamen me Pori Regis Indorum, qui sub ortum Christi vixit, commonet: cum eo regnauit in India Pandion; vterque Romanorum audita fama duas ad Augustum Cæsarem misit legationes, prima legata est eo tempore, quo Cæsar bellauit in Hispania: nam Tarracone conuenit Augustum: incurrit altera in annum V. C. 735. tunc ferè, cum nata Deipara est: Augustus in Samo hibernabat: munera describit Dio allata Cæsari. *Frequentes*, ait, *eò ad ipsum legati commearunt, ac Indi pacem, quam antea per oratores peticrant, tunc interposito fœdere sanxerunt, mittentesque dona, inter quæ Tigres etiam animalia tum primum Romanis ac Græcis etiam, vt ego existimo, visa, ac adolescentem etiam quendam humeris carentem, qui manuum loco omnia pedum officio peragebat, ijs arcum tendebat, sagittas emittebat, tubâ canebat (quem Strabo à se visum asserit) vnus ex Indis, Zarmarus siue ex sapientibus eorum, vel gloriæ causâ, vel senectutis secundum patrias leges in ignem se dedit.* Magnam Regis huius potentiam Strabo deprædicat: nam epistolam ait fuisse Græcam scriptam in membrana, qua significabatur. *Porum esse qui scriberet, & cum sexcentis Regibus imperaret, Cæsaris tamen amicitiam multum facere, & paratum se quocunque voluerit aditum exhibere & in quibuscunque fuerit rectum opitulari.*

Nec mirum ea ætate Reges Indorum Græcis fuisse literis informatos, Philostratus meminit Phraotis primi Regis Indorum, cuius filius anonymus, parente citò defuncto, cum à tutoribus regeretur, & eos insolentius imperantes populus occidisset, ab agnatis missus ad Regem est, qui regioni circa Hypanim fluuium dominabatur: ibi in Philosophiæ studijs educatus, tandem Regis gener & successor fuit: quo tempore cum apud vxoris fratrem possent quiduis adulatores, & inde Rex turbas metueret, regnum eidem vltrò detulit: ipse verò vitam deinceps priuatam egit. At Phraötes secundus, vix annos 12. natus, ab ipso patre Græcas docetur literas, cum deinde septenniũ philosophicis studijs impendisset, regnum ab alijs occupatum, Tyrannis ejectis recuperat: quem 27. natum annos Apollonius Magorum princeps à Nerone ejectus Româ conuenit, eumque discedentem camelis, viatico & viæ duce donauit: hunc Regem, coæuum nostris, affirmat Philostratus quoties regni negotia paterentur, se toties ad philosophiæ studia retulisse.

Atque horum exempla satis ostendunt, complures in Indiâ Reges & fœderatos Romanis ac philosophos exstitisse; vt potuerit vnus aliquis Romanis non inuitis Solymam sine periculo proficisci, & ipse simul Astrologiæ penitioris scientijs informatus ac è Brachmanarum palæstrâ quondam eductus, quorum vitæ ratio, mores & studia sunt indaganda; tam ex veterum quam recentiorum monumentis. Sanctus Epiphanius tria eorum distinguit genera: *alij*, ait, *apud Indos Gymnosophistæ sunt, alij Brachmanes, quorum scientia laudabilis est, alij pseudoBrachmanes.* Brachmanas iam tum Alexandri tempore Regem habuisse Diodorus testatur, quem Sambum vocat: Curtius libro decimo eundem Samum vel Sabum nominat, facitque Regem, proximæ Paltalenam, regionis: is pactus cum Alexandro societatem, donatus est tractu Indorum montanorum: multi sunt eorum, vt totam ferè compleuerint Indiam, vt scribit Eusebius, dum vitæ eorum rationem laudat. *Apud Indos & Bactros multa millia hominum sunt, qui Brachmanes appellantur: hi tam traditione Patrum, quam legibus, nec simulacra colunt, nec animantium quid comedunt: vinum aut cereuisiam nunquam bibunt: ab omni demum malignitate absunt, soli Deo attendentes.* Brachmanas Strabo vult physiologiam, & Astronomiam exercere: eos cum Græcis in opinionibus concordare, vt quod mundus sit creatus, corruptibilis, sphæricus; quod conditor & administrator omnium Deus vniuersum peruadat: ijdem præter quatuor elementa, quintam quandam naturam inducunt, ex qua cœlum astraque constent. Terram in medio sitam vniuersi volunt: probant quoque immortalitatem animæ, & de iudicijs,

Reges. Primi. *Diodorus lib. 2. c. 5.* Coæui Alexandri. coæui Augusti. Duplicem legationem mittunt. *Dio lib. 54. f. 526.* Rex Indiæ Porus sexcentis Regibus imperat. *lib. 2. vitæ Apollonij.* Reges Indiæ philosophiæ dant operam. & Græcis literis. *Philost.* tempore Christi. apud veteres scriptores tria genera Brachmanarum. *S. Epiphanius. Diodorus lib. 17. Curtius l. 10. Eusebius lib. 6. præp. Euang. c. 8.* vitæ eorum seueritas. *lib. 15.* scientiæ Mathematicæ. Physicæ. autoritas apud Reges.

autoritas

quæ apud inferos fiunt. disputant. Cum Regibus etiam de causis rerum interrogantibus per nuncios colloquuntur: per illos diuina à Regibus coluntur, & placantur. Addit exerceri Philosophos ante vrbem in luco intra compositum quendam circuitum; ibi frugaliter viuunt, in toris ac pellibus: ab animalibus ac venere abstinent,

conuictus eorum.

serijs intenti sermonibus; cum ijs qui audire volunt communicant; non licet autem auditori loqui, vel sternutare, nec etiam exscreare, vel illâ die cœtu eijcitur, vt incontinens: cum verò 37. annos sic vixerit, in sua licet ei secedere, laxius, licentiusque viuere, sindonem induere, aurum in manibus & auribus moderatè gestare, & carnibus vesci animalium.

Abrahæ posteri coluerunt Indiam.

Atque hæc quidem videntur dogmata à Iecsane filio Abrahæ Ceturæo dimanasse, quem Iosephus ait, per filios à Cophene fluuio ad Assyrium vsque habitasse, sicut Opher nepos Abrahæ vlteriorem videtur Indiam, vbi Malaca & Chersonesus est, à se olim nominasse, à quo in Tharsis & Ophir in Indiam scilicet classes putantur Salomonis nauigasse. Constat Indiam auri feracissimam, vt alia taceam huius rei firmamenta, Solini Polyhistor ait, *extra Indi ostium sunt insulæ duæ Chryse & Argyre adeò fœcundæ metallorum, vt pleriq; eas aurea sola prodiderint & argentea habere.* Earundem insularum Plinius meminit. Consentit Martianus *lib. 6. ibi insulas duas auri argentique metallis ac fœturâ prædicandas etiam vocabulis approbatur, nam vna Chryssera, altera Argyrea nuncupatur*, vt hinc posset Salomonis in Oharsis & Ophir nauigatio confirmari: & Regum ille sanctorum tertius aurum præcipuè Christo obtulisse videatur.

lib. 1. antiq. c. 7. c. 65.

auri feracissima est. *Plin. lib. 6. c. 21.*

Ophiri ibidem.

Melchior Brachmana fuit.

Sed quoniam Regem Melchiorem è Brachmanarum fuisse diximus genere, eorumque informatum disciplinis, operæ pretium erit horum vitæ genus, & qua polleant apud Reges hodie in India autoritate diligentius, ex recentioribus autoribus discere: ea Maffæus noster eleganter sic describit: *Apud omnes præcipuo in honore Brachmanæ sunt, patetque ea secta latissimè: horum scitis omnia publica & priuata subiecta sunt: hi ceremonias & iusta funebra suo arbitratu præscribunt: ijdemque magno suo quæstu prodigia, sortes, auguria, & omnia interpretantur: horum disciplinâ institutisque Reges ipsi imbuuntur, omnibus magnis paruisque in rebus mirandum in modum illis obnoxij: sed non vnum est Brachmanarum genus; quippe alij literis operam dant, viuuntque in hominum frequentiâ: alij cælibem agunt vitam: quos hodie proprio vocabulo appellant Iogues (Gymnosophistas olim Græci dixerunt) ijque partim longissimè peregrinantur stipem emendicantes, & victus vestitusque asperitate nacti existimationem ac fidem, credulas hominum mentes portentosis mendacijs, varijsque superstitionibus in fraudem impellunt: partim in solitudinibus, auijs & subterraneis specubus durissimo vitæ genere inediâ, vigiliâ nuditate, frigoris æstusque patientiâ semetipsi discruciant, abstinentque ab omni corporis voluptate, ad certum annorum spatium: quo exacto in Abdutos (id nomen ordini) magnâ cum gloriâ referuntur: ij tanquam humano fastigio celsiores, & omnium rerum licentiam adepti, nullis iam tenentur legibus, & in omni scelerum & flagitiorum genere impunè volutantur. Est etiam suis Ioguibus rector maximus, qui vectigalia perampla dispensat. Templa ædificant, quibus in priscâ illâ Romanæ vrbis magnificentiâ vix quiddam simile exstiterit. Sanè famum est simio dicatum, cuius duntaxat pecori in victimarum vsum custodiendo porticus miram in longitudinem excurrit. Columnarum septingentarum è marmore tantæ magnitudinis, vt Agrippæ columnas, quæ in celeberrimo quondam omnium Deorum templo Romæ visuntur sine dubio adæquent. Multos habent suarum superstitionum libros magno labore, studioque conscriptos: quæ nonnihil ad Græciæ veteris fabulas, & auguralem Hetruriæ disciplinam videntur accedere.*

Recentiores scriptores de ijs consentiunt.

Maffeus l. 5. Indic. hist. fol. 56.

Reges Indiæ à Brachmanis eruditi.

vitam asperam ducunt.

templorũ magnificentiam amant.

scientias colum.

Putatur Melchior ille Regum tertius Cranganori, Calecuto, & Ceilano Insulæ imperasse, quæ loca, cum sanctus Thomas, & postea sanctus Xauerius excoluerit, multis ad fidem orthodoxam conuersis, ex vtriusque vita Brachmanarum istorum locorum instituta facilè colligentur. Ac Tursellinus quidem de ijs hoc profert elogium: *Inter omnes Indorum Gentes non solum nobilitate, sed etiam sapientiâ, eminent Brachmanes stirps re-*

l. 2. vitæ c. 9.

Stirps eadem regia & sacerdotum.

regia eadem & sacerdotalis. Vnum ipsi colunt Deum. (Parabrum vocant) principium rerum omnium omni ex parte perfectum, quippe conditorem terræ cælique: ab illo tres filios progenitos, mundique administrationi præpositos, quorum tamen vna sit natura, vna diuinitas. Id adeo Brachmanum ipsorum significant cingula: quibus in extremis terni ex nodo funiculi pendent: acceptâ olim trini Dei veritatem siue improbitate hominum, siue dæmonum calliditate adulterante. Refert subinde congressum S. Xauerij cum ducentis Brachmanis, quos cum diuina sapientia cunctos elingues reddidisset, & ipsis Christianæ fidei mysteria breuiter exposuisset: repente consurrexerunt vniuersi, eumque pro se quisque amplexati & Christianam religionem, tam consentanea rationi mysteria ac præcepta continentem, miris laudibus extulerunt. Ridiculas deinde viro sancto quæstiones has proposuerunt: *An hominis anima similiter, vt ceterorum animantium intereat cum corpore: morientis hominis qua animus exeat? qui tandem fiat, vt per quietem in remotis etiam locis, cum amicis nobis esse videamur: an dormientis animus exsileat foras: Deus albus an ater sit: nam ipsi vt pote naturâ subnigri suo indulgentes colori, nigrumque Deum esse rati, Deorum simulacra identidem perungunt oleo: vt non atra modo, sed etiam tetra sint horridaque.* Videas hinc, si Magorum tertius prodierit, & Brachmana & Rex, reliquis duobus nigriorem fuisse: quos ex Arabiâ vel Perside plerique eduxerunt, simulque eundem ex gentis more sacerdotem esse potuisse: sed quam instituta eorum Christianis consentanea, qui non videntur communiter in maleficis numerandi; sed tantum sapientes & philosophi, ex vno, cui sanctus Xauerius Christi fidem veram persuasit, licet perspicere: is ex celebri Indiæ academiâ profectus, quædam illius academiæ mysteria enunciauit: *Vnum esse Deum mundi conditorem, quem in cœlo regnantem à mortalibus, coli oporteret: octauum quemque diem festum agendum esse, venturum tempus cum vnam omnes sequerentur religionem.* Atque hæc conueniunt cum ijs quæ Strabo sub ortum Christi de eorum moribus, scientijs & institutis tradidit. Vt licet existimem eos, philosophiâ & naturali magiâ fuisse informatos, non tamen plerumque dœmoniacis artibus infectos: nam quos nostri conuertunt ad fidem præcipui nominis, ij ferè Mathematicis scientijs & Astrologiâ ceteris eminent. Vt is de quo Acosta refert de tractu eodem traductum ad fidem aliquem in ampliſſimo dignitatis gradu collocatum, eruditionis & Astrologiæ præsertim famâ præcellentem, qui talem sibi latè per Indiam nominis famam compararat, vt à remotissimis etiam nationibus consuleretur, is tantum postea contulit emolumenti fidei Christianæ, vt cum eo nemo ferè barbarus ageret, quin victus illius rationibus cederet, seque ad Christum adiungeret.

Idem Bazaini Brachmanæ primarij filium, 17. natum annos Christo dedisse nomen ait: qui cum iam literarum Indicarum duo vel tria genera teneret, Arithmeticæque peritissimus esset, literas nostras & legere & scribere mensis spatio perdidicit, & Europææ Arithmeticæ sedulo vacauit, vt inde discendi ardor & facilitas ingenij locorum istorum intelligatur.

Iam verò loca Cranganoris, Calecuti, Ceilanique non obscura præbent indicia: nam eorum incolæ dicuntur Regi Melchiori paruisse, & cum primis fidem etie à sancto Thomâ edoctos. Constans Indorum & ipsorum locorum traditio vestigijs templorum confirmata, sanctum Thomam in orbis terrarum distributione cum sortitus esset Indiam prouinciam, primum Socotoram insulam Arabici maris quæ Felicis Arabiæ dextero lateri extremo obiacet, adijsse: reperit ibidem sanctus Xauerius sacella, ritus Christianos, quadragenaria ieiunia illic à sancto Thomâ instituta, quæ res eum impulit, vt literis Regi Lusitaniæ persuaderet, classem vt eo dirigeret, quæ Thomæos istos in Christianam libertatem excusso Mahumetanorum iugo vindicaret: inde Cranganorem delatus (regiam, vt multi credunt Regis Melchioris vrbem) quam primum omnium Indiæ populorum è Brachmanarum superstitionibus liberauit: vnde ijdem Cranganorenses tunc cum Gama Emanuelis Lusitan. Regis auspicijs circa Calecutũ appulisset, primi legatos miserunt oratũ, vt eos in fidem & clientelã Regis sui susciperet, ijdẽ deditionis insigne sceptrũ argento decoratũ supplices detulere, quos ille benigno vultu comiter amplexus bono animo esse iussit, vel imprimis mandatum sibi à Rege Lusitaniæ affirmans, vt Christi fideles

stirps eadẽ regia & sacerdotum. Trinitatẽ obscure venerantur.

disputatio S. Xauerij cum ducẽtis Brachmanis. probant legẽ Christianam. ridiculæ corũ quæstiones. Indi colore subnigri

Melchior niger Rex, sacerdos, Brachmana.

instituta eorum pia.

caruisse videntur cõmuniter dœmoniacâ magiâ *Acosta in commentario ad A. 1560.* Astrologiã excolunt.

& Arithmeticam.

loca quæ Melchior in Indiâ putatur tenuisse. ea S. Thomas excoluit. *lib. 1. vitæ c. 16.*

Cranganorenses, Brachmanas in Indiâ primũ conuertit.

les quotquot in ea regione supereſſent, omni ope atque auxilio ſubleuaret: vbi modo & reliquâ totâ litorali orâ (quæ magnam partem videtur Melchiori paruiſſe) qui ſuperfuerunt Chriſtiani, Thomæi nominantur, de quibus copioſè Maffæus & Iarricus in Indicis datus etiam Ganganorenſibus ætate noſtra Archiepiſcopus, is primus fuit Franciſcus Rozius è Societate Ieſu.

l. 8. f. 88. Ceilam inſulæ ſitus cui Melchior præfuit.

De Ceilano inſula, quam Maffæus noſter ex Indorum narratione vnius è ſanctis Regibus patriam adſtruit, pauca adijciam: ea à Cori promontorio ad Siculi freti ſimilitudinem exiguo ſpatio auulſa cernitur, & multis eadem creditur eſſe, quam veteres Taprobanam nominarunt, prætenditur autem oræ Piſcariæ ouali figurâ ducentarum ferè & 40. leucarum ambitu, eâ cœli clementiâ, ſoli vbertate & copiâ, vt ſedes primorum parentum fuiſſe perhibeatur, & ſint, qui velint Eunuchum Candacis Reginæ ibi tumulatum eſſe.

Acoſta & Turſellino l. vitæ c. 12. & 13. Regis filius conuertitur. Martyrio coronatur cum ſexcentis. prodigioſæ cruces in aëre & terra. inſpicit ea S. Xauerius Regis filium Goâ amandat. inſula baptizatur.

In ea inſula res contigit ætate ſuperiore memorabilis: Regis cuiuſdam filius frequenti Luſitanorum inſtitorum illuc comeantium familiaritate ſtatuit ſacra Chriſtiana ſuſcipere; Rex barbarus vt primum filij propoſitum reſciuit, incenſus rabie, filium cum ſexcentis eiuſdem conſilij participibus propalam iuſſit trucidari, ita Tyrannus & hoſtis Baptiſmi filium & ſocios ſuo ſingulos ſanguine baptizauit, & ſementem ſparſit, quæ breui adoleſceret, & inſulæ totius pareret conuerſionem. Conſtat ſub idem tempus ab incolis eſſe viſam crucem ligneam in cœlo, & eodem loci vbi cædes patrata eſt fatiſcente terra haud dubiam crucis figuram notatam, & licet Gentiles ingeſta ſæpius glebâ conarentur hiatum terræ æquare, eadem tamen crucis figura dehiſcente humo apparuit. quibus prodigijs moti plures incolarum, atque inter hos Regis ipſius filius natu minor, vna cum ſobrino ſuo & aliquot cohortis regiæ Principibus, animum ad Chriſti fidem adiecerunt. Properat eò ſtatim Xauerius, compertoque prodigio, reperit filium Regis iam baptiſmo initiatum, Goam cogitare. Votis reſpõdit euentus. Poſtea Luſitanorum operâ Ceilani extremo angulo adiacens Manaria inſula, tot Martyrum ſanguine purpurata, eſt ademta incolis omnibus Chriſto aggregatis. Exſtant hac de re etiam S. Xauerij literæ, vt iam veterum impletum ſit Brachmanarum effatum, fore, vt omnes illæ regiones vnam Dei Opt. Max. fidem amplectantur.

Ex his quæ de Indorum regnis, potentia, Brachmanarum inſtitutis vetuſtiſſimis, & recentioribus allata ſunt, ea confirmantur & explicantur clarè, quæ ſuperiori capite de Indiæ Rege, colore ſubnigro, profeſſione Brachmana, & Rege diximus, eum veroſimiliter iuxta Indorum traditionem, monimenta, veſtigia, & Chriſtum cum duobus alijs adoraſſe, & triennio poſt templum excitaſſe, à S. Thoma baptizatum, eiuſque in fide propaganda ſocium exſtitiſſe.

CAPVT XXVI.

Vnde ergo putentur ſancti tres Reges prodijſſe.

Veroſimilius Reges è diuerſis regionibus veniſſe.

RESPONDEO nondum ſatis liquere.

Si quid veroſimilius putem interroges, primò iudico non ex vno, ſed diuerſis non regnis tantum, ſed & regionibus profectos, cum coloris aliqua ſaltem diuerſitas in vultu concedenda videatur: de duobus expedit aſſerere confines eandem tunc habitaſſe regionem.

Atque ſi quæ referunt Indi vera videantur, vt certè ſtant pro ipſis firmiora hiſtorica fundamenta, quam pro vlla reliquarum, probabiliſſimum videtur vnum illorum, & fortè Melchiorem, vultu ſubnigrum veniſſe ex India.

Alterum fuiſſe Arabem: & Sabæum quidem, Gaſparum dictum, vbi Adricomius eius etiam regiam collocat: tertium autem ſiue Perſam Chaldæum, ſiue Arabem Perſici ſinus accolam Balthaſarem appellatum.

Hæc mihi reliquis ſedet opinio probabilior, nam pro Arabiâ, plura ſtant ſcripturæ, Patrum, Rabbinorum & interpretum ſuffragia, grauiores rationes, incommoda minora, faciliuſque difficultates obiectæ diſſoluuntur.

CA-

CAPVT XXVI.

Gentilium magna exspectatio ante ortum Christi ob oracula muta & vocalia; & de effracta dæmonis potestate per Christum, inde quidam Magos Christi natales cognouisse putant.

HActenus Regum sanctorum genus regium, numerum, patriam, studia, doresque naturales tantum peruestigauimus, nunc fidem supernaturalem Messiæ, & quæ in Gentilium animis insederit opinio Augusto dominante, rerum omnium magnæ commutationis orituræ, & aduentus Monarchæ totius orbis imminentis inquiramus: nam sicut Abrahamitas signo circumcisionis impresso corpori Deus segregarat, vt se bis mille annos ad ortum mundi Saluatoris compararent; sic ipsorum etiam Gentilium mentes, quibus non minus, quam Iudæis erat nasciturus, 50. circiter annis ante præparauit ostentis & prodigijs cœlestibus, ac sublatis responsis Apollinis, ad ortum Dei filij facilius suo tempore cognoscendum, & muneribus honorandum, eoque magis quod obcæcandis breui Iudæis soli Gentiles erant deligendi, quibus Dei filius arcana fidei Christianæ mysteria perfidis Israëlitis abscondita declararet.

posteris Abrahæ præparatio indicta ad aduentum Messiæ.

Initium datum 40 vel 50. ferè annis ante Christi natalem in Græcia, quæ plurimum Delphicis oraculis tribuebat, horum vt fallacia detegeretur, & quam infirma vis Tartari, si sublimiore virtute cœlesti comprimatur, diuino iussu siluerunt; causam taciturnitatis varij variam prodiderunt, quos merito 40. ferè annos ante ortum Saluatoris sic ridet Cicero. *Curisto modo iam oracula Delphis non edantur, non modo nostra ætate; sed iam diu, ita vt nihil possit esse contemptius? hoc loco cum vrgentur, euanuisse, aiunt, vetustate vim eius, vnde anhelitus ille fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet: de vino aut salsamento putes loqui, quæ euanescunt vetustate.*

& Gentilibus. per Delphicorum oraculorum silentium. *Cicero l. 2. de diuinat.* causas ridiculas quorandã adfert.

Alias duas non minus risu dignas sub idem tempus Plutarchus attulit: is enim cum non Delphis modo; sed passim cessarent oracula, silerent vates, obmutescerent Pythonissæ, librum hoc titulo conscripsit. *Cur oracula cessarint.* In eo principes duas adfert causas: alteram: *quod Dæmones & ipsi Dij responsis præpositi senescerent, & exhaustâ cœlestis spiritus vi morerentur.* Dignum Philosopho effatum: itane verò spiritus ab omni concretione corporea liberi, expertes qualitatum contrariarum, quæ solent & solæ quidem interitum mortalibus machinari, vel ipse noster animus, nullis earum, nec tum quidem cum vitam corpori largitur obnoxius, consenescit? Alteram prætexit, quia Philosophorum & sapientum, accrescens indies numerus, defectum supplet responsis suis oraculorum.

Plutarchus similes. 1. causa. confutatur altera. exploditur

At quis vnquam Plato, Socrates, Aristoteles apices humanæ sapientiæ sibi futurorum contingentium prænotionem certam & veram arrogauit?

Strabo sub ipsum natalem Christi rursum hoc silentium indicat: *Hodiè profectò summa in mendicitate est Delphicum oraculum.* Et eo posterior est Iuuenalis Satyricus. *Lib. 9. Satyra 6.*

cessant oracula Delphis:
Sed siluit, postquam Reges timuere futura,
Et Superos vetuere loqui.

sarcastice & satyricè. an Regum in superos imperium? vetent edici futura adsersa, quæ fortè metuunt: cur non prospera, quæ petunt vltrò? an non Reges ipsi hecatombe litata supplices oracula solicitarunt, quæ nec ipsi precibus, nec dæmones virtute maiore prohibente proloqui potuerunt? expertus id paucis ante Christum natum annis Augustus imperator: is mirificè Sibyllinis oraculis & Apollinis responsis afficiebatur, quem vt magis sibi demereretur, & se fingebat ac vulgabat Apolline genitum, & in cœnâ, quæ duodecim Deorum dicebatur, ornatus pro eodem

Regũ nullum fuit in oracula imperium. Augustus summus Apollinis cultor.

Suetō. in Octa. c. 94. frustra consulit *lib. 5. histo. c. 17.* vera causa silentij pāditur.

dem solebat accumbere, templum eidem etiam in palatio erexerat & Hecatombem immolarat, vt silentia tam diuturna semel rumperet. rem gestam Nicephorus ita refert. *Cæsar Augustus prouectiore iam ætate ad oraculum Pythy Apollinis venit, et sacrificio omnium maximo, quod hecatombe dicitur dæmoni oblato quæsiuit: quisnam post eum Romanum administraturus esset imperium? at cum nullum ederetur responsum, alterum quoque adiecit sacrificium, denuoque rogauit, quid ita oraculum pluribus verbis edi solitum, nunc tandem obmutuisset? tum illud parua interposita mora ad hunc modum respondit.*

Christi nascituri imperiū in dæmones.

Me puer Hebræus Diuos Deus ipse gubernans
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum:
Aris ergo delinc tacitus abscedito nostris.

Tali responso accepto reuersus Romam aram maximam exstruxit cum hac Latina inscripsione: ARA PRIMOGENITI DEI.

Zach. 13. prædictū id in sacris literis. 1. *Io.* 3. vim dæmonum effractam Christi aduentu confirmāt SS. Patres *S. Ignatius in epist. ad Ephes.* 14. *Origenes.*

Idem Suidas, Cedrenus, Baronius, referunt. Quod futurum Zacharias tanto ante prædixerat. *Et erit in die illa, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra, & pseudoprophetas & spiritum immundum auferam de terra.* & 1. Io. 3. *in hoc apparuit Filius Dei, ut dissoluat opera diaboli.*

Sancti Patres quotquot inclinant Magos Euangelicos ante fuisse maleficos, hanc ferè prætexunt profectionis tam admirabilis celeritatem: quod aduentu Saluatoris effractis tartari viribus Dœmonum potestas esset eneruata, de qua sic loquitur S. Ignatius Martyr: *hinc euanuit mundi sapientia, præstigiæ factæ sunt nugæ, magia risus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantiæ caligo fugata, & tyrannicus principatus destructus, cum Deus ut homo apparuit, & homo vt Deus operabatur.*

inde Christi ortum cognouerūt multi.

Origenes: *Magos, qui cum dæmonibus commercium habent, eosque ad artes suas inuocare solent, tantisper id agere, dum vis quæpiam diuinior ac potentior his, qui per incantationes inuocantur, interueniat, aut nominetur: quod si diuinior illa superuenerit; destruuntur operationes dæmonum, non valentium obtueri lucem diuinam: idcirco verisimile est in Natiuitate* IESV, *quando multitudo militiæ cœlestis laudauit Dominum dicens: Gloria in excelsis; dæmones ea de causa debilitatos obtorpuisse, deprehensis eorum præstigijs, efficaciaque destructa non solum aduentantibus ad proxima loca Angelis; verum etiam agente id* IESV *anima, & ea quæ in ipso diuinitate, cumque Magi operarentur solitis incantationibus, non vulgarem huius rei causam rati sciscitabantur, visoque in cælis pro digio voluerunt, quid per id significaretur videre.*

S. Basilius S. Ambros.

Similia refert S. Basilius & Ambrosius quos alias explicaui, de quibusdam Sanctorum Regum socijs, & Philosophis necromantiæ deditis, qui cum vim incantationum & tartari virtute maiore debilitatam experirentur, ipsis fuerunt Regibus autores, vt impulsum diuinum & stellæ ductum sequerentur. Idem euenit Christo puerulo in Ægyptum proficiscenti, vt

eiusdem in Ægyptum profectio Idola deiecit c. 9. *Origenes ho. 3. in diuersis Eusebius li. 3. de demon. c. 20.*

Isaias futurum prædixerat; ideo Origenes Christum hortatur vt itu suo tartari potentiam effringat. *Fuge*, ait, *in Ægyptum propterea, vt destruantur manufacta eorum, & confringantur, & pereant idola eorum: propterea vt dæmones turbentur, & approperent ibidem Angeli sancti, qui Deum consequuntur.* Rem gestam Eusebius ita refert. *Dæmones praui incolentes Ægyptum per multa secula in simulacris latitantes, animasque Ægyptiorum omni superstitionis errori addicentes, cum sensissent nouam quandam diuinamque virtutem ad se accessisse, ilico commmoti sunt, & vis intelligendi intrinsecus in ipsis: conuicti sunt, cessaruntque ac fugati sunt ab ea virtute, quæ visum effugiens illos compellebat, & ignis instar ineffabili quadam ratione adurebat.* Palladius à se visum narrat Hermopoli templum in quo ingresso saluatore vrbem, ceciderunt omnia simulacra.

c. 52. Lauſiaca.

aduētu SS. Apostolorum obmutuerunt oracula. *l. 10. de curandis Græcis affectū.*

Iam vero personantibus orbe toto tubis Euangelicis Apostolorum, oracula passim per orbem simulacrorum obmutuisse. Theodoretus autor est, & ex vita sancti Bartholomæi satis constat. Hinc præclarè S. Antonius discipulos suos ad pugnam contra dœmones animosè capessendam cohortaturus, tartari describit imbecillitatem virtute Crucis Christi iam penitus subiugatam: *Haino crucis, ait,*

vt

vt draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus; vt iumentum, & quasi mancipium fugitiuum vinctus circulo, & armillà labia perforatus nullum omnino mortalium deuorare permittitur, nunc miserabilis vt passer ad ludendum irretitus à Christo est. Calcaneo Christianorum substratus gemit, ille, qui vniuersa maria à se deleta plaudebat, ille qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur, ecce à nobis vincitur, ecce me aduersum se prohibere non potest disputantem: monet deinde, vt contra conatus eorum crucis se arment signaculo, & *confestim*, ait, *soluentur in nihilum, quia metuunt illud tropæum, in quo saluator aëreas exspolians potestates eas fecit ostentui.* Ita virtute crucis Christi iam pueri teneræque Virgines omnes tartari eludunt artes, rident minas, calcant insidias, quia frustra elisо sibi iam robore. & domitâ Crucis virtute, potestate, tentat contra electos adsilire, in quos nullam habet vim; qui nec in ipsos ausus esset porcos ingredi, nisi Christi permittentis audisset voluntatem: quomodo animas sanguine Christi purpuratas inuito Christo tentabit, inuadet, pessumdabit? Vtinam tristes, melancholici, pusilli ânimi homines decies & sæpius hæc legant relegantque, ad mentem contra laruam inanem pugnaturam, acuendam, & S. Augustini egregiam similitudinem suis inscribant præcordijs. *Ante aduentum*, ait, *Christi* [S. Aug. serm. 137. de tempore circa medium.] *solutus erat diabolus, veniens Christus fecit de eo, quod in Euangelio dictum est: nemo potest intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem; venit ergo Christus & alligauit diabolum. Sed dicet aliquis, si alligatus est, quare adhuc tantum præualet: verum est, Fratres Charissimi, quia multum præualet; sed tepidis & negligentibus, & DEVM in veritate non timentibus dominatur, alligatus est enim tanquam annexus canis catenis, & neminem potest mordere: nisi eum, qui se illi mortiferâ securitate coniunxerit. Iam videte fratres quam stultus est ille homo, quem canis in catena positus mordet, tu te illi per voluptates & cupiditates seculi noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem, non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.*

infirmissimus est. — riderent à pueris. — solatium in tentatione. — dæmon ligato cani similis. — mordet tantum volentem.

Ipse Sanctus Antonius hæc ipsa sibi loquentis & confitentis verba dœmonis suis inculcat religiosis. *En nullum iam habeo locum, nullam possideo ciuitatem; iam mihi nulla sunt arma; per omnes nationes, cunctasque prouincias Christi personat nomen, nonne legisti, quia defecerunt inimici frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti?* Vnde subinfert Antonius. *Quæ ergo iam ô filioli poterit residere cunctatio? quæ trepidatio manebit vlterius? quis nos illorum turbo poterit conuellere? securæ sint animæ singulorum, non sibi fingat cogitatio vana discrimina, pellatur omnis anxietas: Dominus enim qui nostros prostrauit inimicos, manens, vt promisit, in nobis, à varijs nos muniuit satanæ incursibus.*

ipse fatetur suam infirmitatem. — Psal. 9.

Sed ab oraculorum silentio ad sparsam Romæ, in Græcia, Iudæâ & toto Oriente famam noui Regis progrediamur, inde fides Messiæ nascituri magis est stabilita.

CAPVT XXVII.

Sparsa toto terrarum orbe fama præsertim Romæ circa Augusti æuum! Regem orbis nasciturum.

ANNOS tantum 60. tam ante Christi ortum, quam post eius anastasin persequar, vt quæ Gentilium & Iudæorum, de nouo nascituro vel nato Rege mundi, mentes insederit opinio, cognoscatur

annis 60. ante Christum.

A. v. c. 691. ante Christum 60. circiter annis prodigia Romæ noua & inusitata contigerunt, cum Caius Iulius Cæsar ædilis munus gladiatorium defuncto patre magnificentissimum edidisset, ludos etiam Romanos ac Megalenses feciſſet sumtuosissimos, quales vix ante Romæ viderat: eam lætitiam publicam hæc prodigia funestarunt. *In capitolio* (ait Dio) *mul-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Dio. lib. 37. f. 34. prodigia Romæ. explicantur de Rege nascituro. *Sueto. in Augusto.*

tæ statuæ de cælo tactæ liquefactæque fluxerant, dei etaque erant alia simulacra; tum Iouis columnæ insistens, præterea imago Lupæ cum Remo & Romulo consecrata ceciderant. Literæ etiam in columnis, quibus leges inscribebantur confusæ atque obliteratæ erant. Consulti tunc Aruspices responderunt. *Regem Romanis naturam parturire.* Paucis post mensibus Cicerone & Antonio Consulibus, natus Octauianus Augustus, augurium confirmauit: de quo Suetonius ita loquitur: *Autor est Iulius Marathus ante paucos quam nasceretur (Augustus) menses prodigium Romæ factum publicè, quo denuntiabatur Regem populo Romano naturam parturire* Senatum *exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui grauidas vxores haberent, quo ad se quisque spem traheret curasse, ne Senatus consultum ad ærarium deferretur.*

decretum tunc à senatu non educandos eo anno natos.

Idem circa id tempus Sibyllini versus indicabant: quibus permotus eodem Cicerone & Antonio Consulibus, nato iam Augusto, Lentulus est ad coniurationem Catilinariam fouendam, vt regnum in suam familiam induceret: id non obscurè Florus significat his verbis:

Sibyllini versus idē asserebant.

Hinc nata Lentuli ambitio regni.

Lentulus destinatum familiæ suæ regnum Sybillinis versibus sibi vaticinans, ad præstitutum à Catilina diem vrbe tota viros, faces, tela disponit; sed qui regnum sibi nuper Romanus Consul ambitiosè desponderat, in Tulliano carcere laqueo effractâ cum coniuratis ei gulâ, vitam & famam perdidit. Iactabat frequenter hic Cornelius Lentulus in conuiuijs ex libris Sibyllinis tribus Romæ Cornelijs portendi regnum; Cinnam & Sullam antea fuisse: se tertium esse, cui fatales libri Romanum imperium promisissent. sed delusus spe vana dedit pœnas ambitionis: cuius priuignus Antonius eodem motus oraculo Cæsari regnum & diadema detulit. quod ita per hypotyposin describit Tullius. *Sedebat in rostris collega tuus* (Cæsar) *amictus togâ purpureâ, in sella aurea coronatus: adscendis, accedis ad sellam, ita cras lupercus, vt te esse Consulem meminisse deberes, diadema ostendis, gemitus toto foro: vnde diadema? non enim abiectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum & cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum plangore populi, ille cum plausu rejiciebat. Tu ergo vnus scelerate inuentus es, qui cum autor regni inuentus esses & idem tentares: quid populus Romanus ferre & pati posset.* Sic insultat Antonio Tullius, & in odium vocat populi, quod regium nomen Romanis infestissimum inducere voluisset, cum ipse suo consulatu dominatum Catilinæ Lentulique regnum sustulisset? Sed cum gliscceret Romæ fama, Sibyllinis versibus denunciari, non nisi per Regem Romanos Parthis victis rerum potituros, impotenter, vt solet Cicero, nomen illud velut Romanis exsecrabile detestatur libro secundo de diuinatione, & supposita facit quædam oracula Sibyllina, quæ tunc vulgo spargebantur, ipsum audiamus: *Sibyllæ*, ait, *versus obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur, quorum interpres nuper falsa quædam, hominum famâ, dicturus in senatu putabatur eum, quem reuera Regem habebamus, appellandum quoque Regem esse, si salui esse vellemus. Hoc si est in libris, in quem hominem & in quod tempus est? callidè enim, qui illa composuit, perfecit, vt quodcunque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublatâ: adhibuit etiam latebram obscuritatis: vt ijdem versus aliàs in aliam rem posse accommodari viderentur.*

promissa Regi Romano victoria contra Parthos. *Cic. l. 2. de diuinat.* negat isti tempori quadrare.

Et infra: quo in regium nomen amore feratur, sic subiungit: *Quamobrem Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus; vt id quod proditum est à maioribus iniussu Senatus, ne legantur quidem libri isti, valeantque ad seponendas potius, quàm ad suscipiendas religiones: cum antistibus agamus, vt quiduis potius ex illis libris, quam Regem proferant, quem Romæ post hæc nec dij, nec homines, esse patientur.* Hunc locum Tullij diligenter scrutatur Steuchus Eugubinus, & tempus quo scribebat, rimatur, ac de Christo prædictum affirmat.

Et optat supprimi tales versus. *Steuchus l. 1. de perenni Philosophia c. 22.*

Hæc autem scribebat Marcus post mortem Caij Cæsaris, paulo ante triumuiratum: hoc tempore scribens dicebat; quorum interpres nuper falsa quædam dicturus in senatu putabatur de Rege Romanorum: obserua tempus: dixit enim nuper dicturus putabatur, indicans proximum esse tempus, cum lætis carminibus Sibyllinis in senatu ab interprete ostenderetur ex illis quidam Romanorum Rex, quem appellare & fateri Regem Romanis necesse esset, si vellent esse salui, id est, à seruatore redimi

Quo tempore ea Cicero scripserit?

redimi. Et quanquam erat certa temporum sublata definitio id tamen tempus istius Regis Sibylla constituerat, ut Romani & ipse Tullius intelligere potuerint, sub ea tempora eum oriturum: unde enim fama hominum ex carminibus manasset nuper, ex carminibus illis proferendum ac monstrandum, non illum quidem multò post futurum; sed iam ferè præsentem: itaque idem concludens & detestans, Regem, quippe qui Reip. partes tueretur, ait, eum antistitibus agamus, vt quiduis potius ex his libris, quam Regem proferant, quem Romæ post hæc nec dij nec homines patientur, non intelligens videlicet, quem Regem Sibylla dixisset; prædixerat autem Regem non per quem euertenda respublica esset, quod Cæsar & Augustus fecerunt, sub quibus crudelissimæ proscriptiones & ciuium Romanorum miserabiles cædes exstiterunt; sed per quem salus esset Romanis præstanda, eoque seruator & salus à Sibylla vocabatur. præstanda autem, si eum Regem agnoscerent & appellarent. tale etiam oraculum Magi, quo ferè tempore hæc Marcus scribebat, cognoscentes hunc ipsum & appellarunt Regem, & adorarunt.

Christus Remp. nõ euersurus, sed homines saluaturus veniebat.

Sed videamus scriptores reliquos, qui eiusdem oraculi Sibyllini de Rege meminerunt, & cui præcipuè fuerit vulgi sermonibus attributum. Cottam, qui id in senatu dixerit Suetonius his verbis indicat. *Proximo senatu percrebuit fama, L. Cottam XV. virum sententiam dicturum, vt quoniam libris fatalibus contineretur Parthos nisi à Rege non posse vinci, Cæsar Rex appellaretur.*

Cotta in senatu Regis nascituri meminit. *Inf. Octauio c. 31.*

Hoc verò cur oraculum Cæsari potius, quàm alteri tribueretur à multis, effecit ipsius regnandi cupiditas: de quo iactatur illud etiam dictum improbissimum: *fides si violanda, regni causâ violanda est.* Accessit adulatio maleuolorum, qui ipso Rege prouincias sibi & officia quæuis in senatu castrisque amplissima despondebant; quorum voculis occultis fama sensim increbuit, quod absolutè Sibylla de nascituro Rege, mundi totius Domino, prænunciárat, id Cæsari mouenti contra Parthos applicare. Vt rectè Plutarchus dixerit, cum odij concitati in Cæsarem causas exquirit. *At odium*, ait, *maximè illustre in eum & funestum effecit regni cupido, quæ vulgo prima materia, & iam pridem in occulto maleuolis color fuit speciosissimus. Et quidem rumorem in plebem vulgauerunt illi, qui hoc honoris quærebant Cæsari, libris Sibyllinis proditum, vinci Parthos à Romanis posse, si Rege duce bellum eis mouissent, esse ipsis alioquin insuperabiles, ac redeuntem Albâ ad vrbem Cæsarem ausi fuere Regem salutare.*

Cæsaris ambitio regni.

Plut. in Cæsare. adulatorũ eius calliditas.

Aucta quidem vehementer Romæ famâ Cæsaris tempore, sed eo necato, non minus inualuit, cum triumuiratu sublato iam ad vnum Octauianum summa rerum paulatim deuolueretur, vt ipsius triumuiratus tempore Cicero multum in libris de diuinatione laborarit, quo Romanis nomen regium verbis ante recitatis exosum redderet: certè Sibyllæ, vt credo, Erythrææ regem hunc non obscurè promittunt oracula, & ipsum videntur satis tempus insinuare.

Erythræa l. 2. in fine creuit Cæsare sublato opinio de Rege.

ipsum oraculum Sibyllæ recitatur.

Sed postquam Roma Ægyptum reget, imperioque
Frenabit, summi tum summa potentia Regis,
Regis inextincti mortalibus exorietur:
Rex etenim sanctus veniet, qui totius orbis
Omnia seclorum per tempora, sceptra tenebit.
Tuncque Latinorum non eluctabilis ira
Tres Romam tristi fatorum stamine perdent,
Atque suis homines perdentur in ædibus omnes.

Hisce verbis subactâ iam Ægypto sub Octauiano Messias apertè videtur prænunciari tunc, cùm paulo ante triumuiratu vigente cuilibet Triumuirorum liceret impunè, quos vellet Romanorum ciuium, ipsis in ædibus crudeliter trucidare.

explicatur.

Hinc iam Augusto dominante rerum, nato Pollionis Consulis filio, Virgilius oracula Sibyllina de Messiâ circa id temporis nascituro, audacter Romanis vulgauit.

vulgatur à Virgilio è Cumæâ Sibyllâ regnum Christi.

Vltima Cumæi venit iam temporis ætas:
Magnus ab integro sèclorum nascitur ordo,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, & toto surget gens aurea mundo.

Castæ

Casta faue Lucina: tuus iam regnat Apollo.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri
Irrita perpetuâ soluent formidine terras.

S. Augustinus id exponit. 2. de Ciuit. c. 27.

Quæ verba sic S. Augustinus explicat: *de Christo Poëta nobilissimus, poëticè quidem, quia in alterius adumbrata persona veraciter tamen, si ad ipsum referas, dixit. Te duce ea quippe dixit, quæ etiam multum proficientium in virtute iustitiæ possunt, propter huius vitæ infirmitatem, & si non scelera, scelerum saltem manere vestigia, quæ non nisi ab illo Saluatore sanantur, de quo iste versus expressus est: nam hoc vtrique non à seipso dixisse Virgilius in Eclogâ ipsius quarto versu indicat, vbi ait:*

Vltima Cumæi venit iam temporis ætas.

Vnde hoc à Cumæa Sibylla dictum esse incunctanter apparet: regnum vero & diuinam naturam sic indicat.

Ille Deûm vitam accipiet, Diuisque videbit
Permixtos heroas, & ipse videbitur illis
Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.

Prædictum etiam è Iudæâ proditurum.

Nec ignorabant Romani ijsdem edocti Sibyllinis oraculis, eum ex Oriente & ipsa Iudæâ proditurum. id enim & Tiburtina prædixerat his versibus:

Verax ipse DEVS *dedit hæc mihi carmina fandi,*
Carmine quod sanctam potui monstrare puellam,
Concipiet quæ Nazarijs in finibus illum,
Quem sub carne DEVM *Bethlemica rura videbunt.*

Et Erythræa matrem eiusdem Hebræam facit:

Cerno DEI *natum, qui se demisit ab alto,*
Vltima felices referent cum tempora soles,
Hebræâ quem Virgo feret de stirpe decora.

ideo Herodes credi. Messias voluit.

Ipso verò Christo superstite in Iudæa, Samaria, & vicinis locis opinio nati vel nascituri Messiæ vehementer increbuit: vt Herodem Magnum quidam esse Messiam interpretarentur, mox Theudam, Iudam Gaulonitem & similes impostores: manauit is rumor ad Samaritas, vt euangelica docet historia: ideo & Ioannem Baptistam interrogabant, an ipse Messias esset: & Christum populus visis eius miraculis, vt Regem & Messiam non semel proclamauit: durauit ea fama totum Orientem peruagata ad Vespasiani tempora, testibus Suetonio, Tacito & Iosepho. Suetonius ait: *Percreuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, vt eo tempore Iudæâ profecti rerum potirentur, id de Imperatore Romano, quantum euentu postea patuit, prædictum: Iudæi ad se trahentes rebellarunt, cæsoque præposito, legatum insuper Syriæ Consularem suppetias ferentem raptâ aquilâ fugauerunt.* Gemina refert de eodem tempore Tacitus: *Pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudæâ rerum potirentur: quâ ambage Vespasianum & Titum prædixerant. sed vulgus more humanæ cupidinis sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne aduersis quidem ad vera mutabantur.*

Suetonius in Vespas. n. 4.

Romani hæc Tito & Vespasiano tribuerunt.

Tacitus l. 5. hist. f. 644.

Iosephus l. 7. belli Iud. c. 12.

His rebus Iosephus pars magna semper interfuit, quandoque præfuit; de suis ita Gentilibus loquitur: *quod maximè eos ad bellum excitauerat, responsum erat ambiguum itidem in sacris libris inuentum, quod eo tempore quidam esset ex eorum finibus orbis terræ imperium habiturus: id quidem illi quasi proprium acceperunt, multique sapientes interpretatione decepti sunt. Hoc autem planè responso Vespasiani designabatur imperium, qui apud Iudæam creatus est Imperator*, quam certè Iosephi sententiam non opinio veritatis, sed vel malitia Christiq; odium, quem Iudæi in crucem egerant; vel adulatio studiumq; fauoris Vespasiani sibi conciliandi expressit qui & vates apud eundem, dum vinculis teneretur censeri voluit, & ei denunciare imperium, quod Suetonius ibidem sic narrat: *Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentē ita confirmauere sortes, vt quidquid cogitaret voluereq; animo, quantumlibet magnum, id esse prouenturum pollicerentur. Et vnus ex nobilibus captiuis Iosephus, cum conijceretur in vincula, constantissimè asseuerauit fore, vt ab eodem breui solueretur, verum iam Imperatore.* Imo ad Adriani Cæsaris

Adulatur. Vespasiano Iosephus.

Prædicit ei imperium.

Suetonius c. 5.

saris æuum pertigit ita vulgi persuasio: vt eâ permotus Parchochobas sibi Messiæ nomen imponendi susceperit occasionem.

Quomodo verò Vespasianus vanâ Messiæ iactatione tumidus, & sibi vim mirandorum operum patrandorum arrogarit; & stirpem Iudæ, de quâ Messias nascitus dicebatur, exscindere tentarit, quod ante ipsum iam pridem Herodes cœperat, ea dem spe lactatus, quem Iudæi quidam, Herodiani postea nominati, velut promissum diuinis oraculis Messiam receperant; ea fusius alij persequuntur, & quædam de his attingit Baronius in apparatu n. 15. Vt hinc sit manifestum, toto passim Oriente Iudæâ & Italiâ, tam ante, quam in, & post ortum Christi famam dissipatam, Regem orbis terrarum nascituru m, quo nihil Græcis & Latinis eo tempore fuit persuasius. *Is Messiam se iactat sibi miraculis.*

CAPVT XXVIII.

Persuarum etiam Gentilibus ipsis, indicio stellæ ortum eius cœlitus indicandum.

PRÆTER Balaami ciues posteroſque generis, & doctrinæ eius, Gentiles vbique per totum Orientem, fama eius oraculorum impleuerat, vt superuacaneum sit plura de eo adiungere: nec Sibyllarum deerant vaticinia: quædam eorum recitabo, quæ stellam natalis Messiæ prænunciam fecerunt. Vt inde colligam, Gentiles non minus, quam Iudæos eius natales præsciuisse, & indicium stellæ multó ante exspectasse, Principio Erythræa sic stellam orituram præcinit. *Erythræa Sibyllæ oraculum.*

Hoc puero nato properauit gaudia tellus,
Cœlestis risit sedes, & gestijt orbis
Diuinamque Magi stellam coluere recentem,
Monstratuque Dei præcepta sequentibus infans. *Samiæ.*

Consentit Samia, quæ natalem Domini narratum sic concludit:

Humano quem Virgo sinu inuiolata fouebit:
Annuit hoc cælum, rutilantia sidera monstrant.

Sed hæc clarius & expressius Persica Sibylla circa ipsam quorundam Magorum patriam ita cecinit: *Persicæ.*

Clara die in medio stella apparebit ab ortu
Nuntia permagni signi mortalibus ægris:
Magni tuncque Dei natus venturus ad ipsos
Est homines, gestans carnem, assimilatus & illis.

Hæc sufficiant hoc loco pro quæstione institutа: plura vaticinia congessi l. 2. c. 29.

CAPVT XXIX.

Ideo Gentiles in Oriente populi & Reges ortum stellæ & Messiam multo ante tempore solicitè exspectarunt.

MESSIAM non Iudæis tantum, sed & Gentibus desideratissimum & multis exspectatum seculis veniſſe scriptura docet, Rabbini veteres tuentur, plurimi sanctorum Patrum asseuerant, quibus consentiunt recentiores. *Messiam Gentibus exspectatum.*

Ac Iacob quidem Patriarcha, qui primus omnium clarius & expressius ortum Messiæ tempus, & officium explicauit, hanc Gentium ipsarum eius videndi cupiditatem & exspectationem, ita quidem significat, vt ipsum hac compellet voce: *Et ipse erit exspectatio Gentiũ.* Similibus verbis Aggæus idem tradit; *Et mouebo omnes Gentes & veniet desideratus cunctis Gentibus.* *Scriptura docet.* *Gen. 49.* *Aggæus 2.*

Rabbini veteres idem literis prodiderunt: primò, qui Reges dixerunt Abrahami fore posteros, & aurum, thus, & myrrham (quæ à patre donata custodiebant) eadem Messiæ nascituro oblaturos esse. Alij maluerunt ea dona, quæ Iacob inuito Esau *Rabbini consentiunt.*

Esau fratri quondam obtulerat, eadem Reges Gentiles Messiæ reddituros. Vnde de Reginâ Sabâ multi eorum crediderunt (quod postea Baronius approbauit) eam Salomonem pro Messia suspexisse, & veteribus excitam oraculis aduolasse, vt eum donis oblatis adoraret: de quibus fusè l. 2. c. 28. laudatis autoribus & eorum verbis egi. Sancti PP. & recentiores magno consentiunt numero.

concordât SS. PP. ex traditione Abrahami.

Sanctus Epiphanius cùm fusè Hebræorum traditionem de filijs Abrahæ & Ceturæ recitasset, subdit: *Magi, qui successione seminum istorum descenderunt, eadem dona in participationem eiusdem spei Christo in Bethlehem obtulerunt.* Vbi spei audis Gentilium cum Iudæis participationem, ne dubita, quin eiusdem cognitio fidesque diu præcesserit & exspectatio diutina cum desiderio.

S. Epiphan. l. 3. contra hæreses

S. Chrysologus ser. 151.

Sanctus Chrysologus eis Patrum tribuit traditionem: *Vnde tanta munerum scientia mysticorum? vnde donorum Sacramenta tanta? non Chaldæâ arte; sed de prisca sanctorum traditione maiorum. Erant isti de filijs Abrahæ; qui Christum nasci per Deum didicerant, non per artem: eumque hominem, Deum, Regem moriturum celso cognouerant Sacramento: hinc est, quod apta fidei munera portauerunt, vt aurum Regi, incensum Deo, morituro myrrham scienter offerrent.* Alij Patres his etiam vetustiores exspectationem Gentilium ad oraculum Balaami referunt.

Ex prophetia Balaam confirmat.

S. Cyprianus de stella & Magis.

Sanctus Cyprianus: *Erant in illis regionibus viri siderum inspectationibus assueti. Hi ex vaticinijs Balaam olim audierant, stellam oriri in Iacob. Diu homines illi huius prophetiæ prouentum exspectarant: & vbi venit plenitudo temporis, orto repentè sidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonio muniti quam signo, Dromadis inuecti in Iudæam duce stella peruenerunt.* Sanctus Gregorius Nyssenus: *audiuisti ariolum Balaam meliori numine afflatum sic alienigenis prædicentem: orietur stella ex Iacob: ecce tibi qui ab eo genus duxerunt Magi ex prædictione ipsius nouum obseruant ortum stellæ.*

S. Gregorius Nyssenus.

S. Chrysostomus hom. in Nat. Domini tom. 7. Operum Græcorum fol. 402.

Sanctus Chrysostomus: *Isti igitur Magi ex genere Balaam descendentes, secuti eiusdem libros & oracula, cum probè nossent, tunc, cum stella illa oriretur exoriturum ex Israël hominem, qui non modo duces Moab percussurus; sed & omnia diaboli regna euersurus, & ventilaturus erat: obseruabant tempus, videntesque stellam peregrinam, & nouam exortam, intellexerunt eam esse, quæ iam olim prædicta fuerat, viamque ingressi, cum recens natum inuenissent, gaudio perfusi sunt, euentum eorum, quæ iam antiquis temporibus prænunciata erant, coram intuiti.*

Innocentius III. ho. de Epiphania.

Innocentius III. vult eos sæpius inter se de dogmatibus suis & Balaami vaticinijs contuliisse, & tunc, cum præsentes inter se disceptarent, sidus eluxisse: *successores*, ait, *Balaam, qui stellam eius vaticinio cognouerunt prædicentis olim in spiritu, conuenientes igitur isti tres Reges iuxta conductum secundum consuetudinem in suis dogmatibus perscrutandis, viderunt quandam stellam mirabilem existentem supra regionem Iudææ, cuius signo commoniti crediderunt illum Regem esse natum in Ierusalem, de quo prædixerat Balaam: orietur stella ex Iacob.*

Autor operis imperfecti.

Operis imperfecti autor, quem multi sequuntur veteres æque ac recentiores, vult Reges istos viros constituisse 12. quorum aliqui quot noctibus excubarent peruigiles, si forsitan astrum Messiæ oriretur. Verba modo non recito: ne videar horum assertione (quam multi dubiam faciunt) in hanc sententiam permotus esse.

Ex Gentilium & Sibyllarum oraculis.

S. Vincent. ser. 1. de Epiphania.

S. Vincentius tradit Reges varijs Gentilium vaticinijs edoctos, diu ante sideris illius & Messiæ ortum exspectasse: *Ex quo Deus*; ait, *promisit Abrahæ & sanctis Patriarchis, quod mitteret filium suum nasciturum verum Deum & hominem, de hoc dedit Deus prophetias claras, & signa non solum Iudæis in Iudæa, sed etiam in diuersis mundi partibus in signum, quod non solum veniret ad saluandos Iudæos, vt ipsi falsò credunt, sed etiam omnes in seipsum credentes & obedientes: singulariter dedit prophetias in partibus Orientalibus, vbi erant magni prophetæ & sapientes per prophetam Balaam, dicentem: videbo eum; sed non modò: scilicet Christum non per se; sed successores, intuebor eum, sed non prope, quia secundum textum Bibliæ à Balaam ad Christum computantur anni 1500. sed isti tres Reges erant de suo genere, & dedit ipsis signum, dicens: Orietur stella ex Iacob. Orabant autem, Mitte ô Deus cæli, Deus Israël, mitte illam stellam, & quando complebitur illa pro-*

Desiderium Gentilium de nascituro Christo.

prophetia, & in nocte natiuitatis, quod accidit diuinâ ordinatione, isti tres Reges Orientis magni Astrologi & Philosophi fuerunt in monte victoriali, obseruantes dictam stellam, & in horâ, qua Christus exiuit de vtero Virginis, stella apparuit illis clarissima. Hæc sanctus Vincentius. Quibus consentanea scribunt recentiores. *Loyartes.*

Loyartes etiam eos facit Gentilium vaticinijs & scriptis edoctos de signo, quod multo ante exspectarunt: *Ex antiquâ Theologiâ prædicabatur, eratque eorum traditio, fore, vt Filius Dei omnium rerum creator esset nasciturus, cuius Natiuitatem stella esset indicatura, quæ tempus locumque eius aduentus ostenderet; id prædixerat Sibylla Erythræa Berosi filia Chaldæa, à qua hos Magos Basilius orat de humanâ generatione Christi & Hieronymus in 19. Isaiæ, & 49. edoctos esse de Christo venturo testatur & Chalcidius: propterea Magi Chaldæorum vigilantissimi obseruabant hanc stellam, eaque iam exortâ dicunt: vidimus stellam.* Fusius & vberius hoc ipsum tractat argumentum Steuchus Eugubinus, quem ob egregiam doctrinam visum est adducere. *Steuchus l. 1. de perennis philos. c. 22.*

Si quis autem esset, cui forsan incredibile videretur, hæc à Magis & Chaldæâ Sibyllâ dicta & cognita fuisse: is si libros Platonicorum dictis ac Theologiâ refertos legerit, considerarit que ea, quæ superius ex eis adduximus, certè non dubitabit; cum solos Chaldæos & Hebræos Apollo testatus est fuisse sapientes:

ἴσασι χαλδαίοις σοφίαν λίκον ἠδ' ἄρα Ἑβρᾶίοι. *Solis nosse datum Chaldæis atque Hebræis.*

Nec aliunde putet euenisse, vt hi potissimum cognouerint ortum istius magnæ mentis diuinæque prolis, creatricisque intelligentiæ, quam ex antiqua eorum Theologia, quæ prædicabat apertè, fore, vt Filius ille Dei, omnium rerum creator, venturus esset aliquando in mundum, ostendendumque ipsis Magis super hac re signum de cœlo. Itaque in eorum Theologia, quæ referta erat oraculis de filio Dei, & tempus aduentus declarabatur, & signum, quod locum indicaret, ostendendum cœlitus: propterea vigilantissimè obseruabant, totumque Orientem ea fama, repleuerat: vt Suetonius in Vespasiano & Tito testatur, præceperatque Sibylla, vt in cœlo signum conspicati ducem stellam sequerentur, Regemque magnum adorarent: more autem gentis suæ adorarent: nemo autem apud Persas salutat Regem, nisi muneribus allatis: munera erant, quorum regio erat ferax: itaque & illi, quoniam auro propter vicinam Arabiam & thure & myrrha abundant Chaldæi, & Persæ, his oblatis Regem illum Deorum creatorem mundi, Filium Dei, primam mentem adorarunt. Sibylla monuit, vt stellam præuiam sequerentur.

Non minus eruditè deducit hanc Magorum exspectationem è sacris literis Ludouicus de Ponte. *Etenim*, ait, *non solum Iudæi, sed etiam Gentes Christum venturum exspectabant, quærebant & inuenire cupiebant: nam & Iacob de eo dixit: & ipse erit exspectatio Gentium. & Aggæus Propheta: veniet desideratus cunctis Gentibus. Hoc autem desiderium licet respectu Gentilium, qui nullam Christi habuerunt notitiam, sit tantum metaphoricum, eo loquendi genere, quo terra sicca desiderat aquam & segetes pluuiam, quia earum indigentia id expostulare videtur, tamen non defuerunt, qui aliquam Christi notitiam habuerint, sicut de Iob constat: quoniam etiam inter Gentes Deus aliquos excitauit Phrophetas, nimirum Sibyllas, quibus idipsum reuelauit.* *Ludouicus de Ponte. l. 6. cant. exhort. 15.*

Explicata deinde Balaami prophetiâ de ortu stellæ, subdit: *Hæc duo quasi ex traditione conseruabantur apud Magos seu sapientes illius regionis Orientalis, vbi Balaam degit: vnde Magi semper erant stellarum seduli inspectores, tanquam periti Astrologi, exspectantes ortum illius stellæ, quam prædixerat Balaam. Appropinquante igitur Natiuitate Domini nostri, ex peculiari Dei instinctu sapientes quidam in Oriente curiosius huius stellæ ortum exspectabant; quæ Regis & Messiæ natiuitatem indicaret: quorum nomine sponsa suam texit narrationem, dicens: In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni: asserit hæc congregatio illa Magorum, quæ Ecclesiam Gentium sponsam Christi futuram repræsentabat; desiderabat autem aduentum eius, & quærebat in lectulo, id est, in sua regione tranquillè manens: sed inquirebat per noctes plurimas, quærens an oriretur stella illa, quis enim ignorat nocturnum tempus, cum serenum est cœlum, aptum esse sideribus inspiciendis?*

Stephanus Salazar l. de genealog. Christi.

Stephanus Salazar Carthusianus l. de genealogia Christi eandem exspectationem Gentilium Regum sic describit. *Non dubium est cœlesti Numinis afflatu orto & fulgente nouo sidere Magos intellexisse eximium illum & diuinum Regem Iudæorum natum, quem tantopere sacrorum & profanorum vatum oracula prædicabant* DEVM *pariter & hominem futurum, pro mortaliumque asserendâ salute & libertate mortem atque crucem esse subiturum. Sacrorum quidem vaticiniorum copiam habuerunt ex consortio Iudæorum, qui annis 70. inter Babylonios sunt peregrinati. His accessit vaticinium celebratissimum de Christo, quod cecinit Balaam: itaque cum Magi antiqua suorum siue Progenitorum siue Præceptorum traditione & Theologiâ compertum habuissent, Regem ex Iudæorum gente olim nasciturum, cui omnium mortalium ac totius mundi regnum deberetur, eumque verum Deum hominemque futurum, eiusque natiuitatem ortu noui sideris indicandam, summo studio iam inclinantibus annis & famâ de propinquo eius ortu orbem peruagante, obseruabant, num stella illa tandiu desiderata appareret: hanc cum iam ortam & mundo fulgentem essent contemplati, per Angelum aut certè per somnum, aut alias à Deo moniti confidenter adeundam esse Hierosolymorum vrbem Iudaici regni principem atque Metropolim, requirendumque puerum iam ortum ac generis humani saluti destinatum, intrepidi Magi diuinis oraculis confirmati viam ingressi sunt.*

simile desiderium sacræ communioni præmittendum.

Vtinam similis præparationis præuiâ expectatione, pari fame & desiderio ad diuinissimas epulas Dominici corporis anhelaremus; vt quem Magi tantum videre coram & adorare, Simeon gestare manibus & exosculari tot annis desiderauit, nos recipere in animum gestiremus: vberiorem certè fructum ex apparatissimâ nobis cœlesti mensâ, fastidium scilicet omnium terrenarum rerum reportaremus; & cum Psalte diceremus: *Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.*

Psal. 72.25. Psal. 41.1.

CAPVT XXX.

Quæ prodigia in cœlo, stellis, & terrâ obseruarint Gentiles ipsi Augusti tempore contigisse prænuncia Magni Regis. Et quid Plinius scripserit de stellâ Dei effigiem humanâ specie repræsentante.

HACTENVS cum ostensum sit multò ante natalem Christi totâ Iudæâ, Oriente & Italiâ percrebuisse, Regem aliquem potentissimum Orbis totius dominatorem oriturum, eumque stellæ indicio declarandum, quem solicitè Magi Regem exspectabant. Visum est hoc libro extremo quædam portenta & ostenta stellarum potissimum recensere, quæ Gentiles Scriptores Augusti tempore notarunt accidisse, & quædam alia terræ prodigia: num forte in ijs stellæ Magorum indicium videatur delitescere. Initium statim Augusti Deus miris in cœlo stellaribus ostentis illustrauit.

Erant A.V.C. 710. Consules Cæsar & Antonius, quo Cæsar gladijs coniuratorum in senatu occubuit, Augustus autem heres eius, cum vrbem ingrederetur phænomeno cœlesti Deus eius imperium indicauit, id his describit verbis Suetonius: *Post necem*, inquit, *Cæsaris reuerso ab Apolloniâ & ingrediente eo vrbem, repente liquido & puro cælo circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambijt.* Orosius his Suetonij verbis recitatis, Augusto ceu typo Christum comparat; *Hoc commemorasse ideo par fuit, vt per omnia venturi Christi gratia præparatum Cæsaris imperium comprobetur. Nam cum primum Caio Cæsare Auunculo suo interfecto ex Apolloniâ rediens vrbem ingrederetur, horâ circiter tertia, repente liquido ac puro sereno, circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambijt: quasi vnum eum ac potissimum in hoc mundo solumque clarissimum in orbe monstraret, cuius tempore*

Suetonius c. 95. in Augusto. Halo circa Solem. *Orosius l. 6. c. 20.*

pore venturus esset, qui ipsum solem solus mundumque totum & fecisset & regeret. Sequentia anni prodigia.

Anno consequenti V.C. 711. quo triumuiratus grauiter Romanum concussit imperium, plura fuerunt in cœlis stellata prodigia numerata, quæ breuiter sic enarrat Dio. *Fax per cœlum ab ortu ad occasum percurrerat: stella quædam ante non visa per multos dies apparuerat: solis lumen aliquando diminui extinguique; aliquando intra tres circulos effulgere, quorum vnum corona spicarum ignita circumdaret, visum fuerat: quo id, quod futurum erat, eruditissimè fuerat demonstratum, nempe triumuirorum Cæsaris, Lepidi, Antonijque potestas, è quibus Cæsar deinde rerum potitus est.* Dio. lib. 47.

Anno vero insequenti 712. *Sol*, ait Dio, *aliquando Romæ diminutus & minimus visu apparuit, aliquando maximus cum duobus alijs conspectus est, aliquando etiam noctu effulsit.* lib. 2. Nat. hist. c. 31.

De tribus quidem visis Solibus etiam Plinius testatur, qui non semel tantum, sed quinquies vult accidisse, Coss. Sp. Posthumio & Q. Mutio, Q. Martio, & M. Pertio: M. Antonio & P. Dolabella; M. Lepido, & L. Planco: hæc est illa cuius Dio meminerat, de qua loquimur. Subdit de suâ ætate sextum parelium: *& nostra*, ait, *ætas vidit diuo Claudio Principe consulatu eius Cornelio Orsito Collega.* Quod Plinius ipse conspexit, incidit ferè in annum Christianum 52. Quinquies parelia seu tres soles visi.

Præterhæc Roma notata Phœnomena tempore natalis Dominici tres itidem soles in Hispania visi collucere, mox coire solis vnâ relictâ specie, vt Chronici sui initio Flauius Dexter trecentis annis post testatur: *Tres*, inquit, *soles apparuerunt in Hispanijs in vnum collecti*: consentit eidem Iulius Obsequens, & his verbis S. Thomas: *Credibile est*, ait, *etiam in alijs partibus mundi aliqua indicia Natiuitatis Christi apparuisse, sicut Romæ fluxit oleum & in Hispaniâ apparuerunt tres soles paulatim in vnum coeuntes.* Similia refert sanctus Bonauentura: *Tres soles apparuêre in Occidente & paulatim in vnum corpus solare sunt redacti.* etiam sub natalitia Christi. *Flauius Dexter initio Chronici.* *Obsequens lib. de prodigijs c. 128.* *S. Thomas 3. p. q. 36. art 3. ad 3.* *S. Bonauentura lib. de 5. festiuit.*

Horum autorum testimonia, Plinij præsertim, satis euincunt diuersis temporibus & diuersis in locis hæc videri potuisse: vt nihil repugnet, vel sub ipsum Natalem Domini, vel circa initium sequentis anni, aut die Epiphaniæ (fortè enim ideo Dexter hoc ad secundum Christi annum reuocat) tres in Hispaniâ visos soles coiuisse, quibus in Christo designabatur substantia corporea, cum animâ spirituali in eandem personam diuinam conuenisse: vt tres illæ tam à se substantiæ diffitæ naturis & affectionibus, vnum conflarent Deum hominemque, cœli terræque Dominum: qui Regibus terræ & cœli inquilinis pariter imperaret: qui etiam è diffitis omnibus orbis partibus tres faceret Reges in vnius fidei consensionem conspirare, vt se vero soli iustitiæ iam tum orienti penitus cum regnis subijcerent, ab eo pluuiam diuinæ gratiæ cum fidei luce velut vnico donorum omnium fonte exspectarent. Solet enim Meteorum hoc pareliorum pluuia consequi, vt eius ortum adiungere non inutile videatur. Est igitur parelium nubes læuis & polita, soli quidem ex latere obiecta, sed opaca, quæ cum more tersi speculi solarem excipit, imaginem, eandem in faciem videntis reuerberat, vt discerni non facilè possit, vter sol verus esse videatur; quod si tamen ex altero rursus latere nubes similis opponatur, quæ pari luce solem repræsentet, vt tres esse soles videantur, tunc is, qui apparet medius, fons & origo lucis totius, veri solis propiorem locum occupat: quamuis in alieno situ per triplicem imaginem in oculum incurrat & videatur. Est autem prognosticon pluuiæ; nã nubes illæ roridæ (quales in iride quoque sunt) facilè propter vehementem luminis reflexionem dissoluuntur. ideo Reges isti tres cum solem verum Christum adorassent; luce & maiestate regiâ sua deposita, gratia Christi collustrati & irrigati, tunc quidem in lacrymas resoluti, & ipsi postea salutares doctrinæ Christianæ pluuias per regna sua copiosè sparserunt, & sementem fidei natam irrigarunt. eorum significatio pareliorum. eorum causæ.

Mirum illud sex aliquando soles apparuisse, nam Vicomercatus est autor A. 1525. visos à Rege Poloniæ sex soles, & eum quidem, qui versus occidentem apparebat squalidum atrâ fuligine caligasse, quo captus anno fuit Franciscus Rex Galliarum ad Papiam & Carolo V. vt non inusitatum sit Reges istos parelijs comparare. sex soles visi. *Vicomercatus.* *Eusebius in Chronico.*

Meminit & Eusebius trini solis visionem, quæ sublato C. Iulio sub initio dominatus Augusti contigit. *Tunc enim*, ait, *Romæ tres soles exortos paulatim eundem in orbem coi-*

coiuisse. qui biennio vel triennio post Augusti, scilicet anno tertio, ponit illam, inauditam Romæ factam olei ebullitionem, itaque describit: *E tabernâ meritoriâ trans Tyberim oleum è terrâ erupit, fluxitque totâ die sine intermissione, significans gratiam Christi & Gentibus.* Orosius vult tunc euenisse, cum Augusto fuit à Romanis decreta perpetua potestas tribunicia, quam Dio collatam censet. A. V. C. 725. *Post pugnam*, ait, *Actiacam, decretum, vt Cæsar per omnem vitam tribunitiam potestatem haberet.* Accidit hoc ante natalem Domini annis fere 28. quo scribit Orosius oleum Romæ scaturijsse; ipsum recitabo copiosius Augusti Cæsaris gesta Christo accommodantem, præsertim quod æs alienum contractum ciuium Romanorum obliterarit. *Deinde*, ait, *cum secundo in Sicilia receptis à Pompeio & Lepido legionibus 30. millia seruorum Dominis restituisset, & 44. legiones solus imperio ad tutamen orbis distribuisset, ouansque vrbem ingressus omnia superiora Populi Romani debita donanda literarum etiam monumentis abolitis censuisset, in diebus ipsius fons olei largissimus, sicut superius expressi, de tabernâ meritoriâ, per totum diem fluxit. Quo signo quid euidentius, quam in diebus Cæsaris toto orbe regnantis futura Christi natiuitas declarata est? Christus enim linguâ gentis illius, in quâ natus est, vnctus interpretatur: Itaque cum eo tempore, quo Cæsari perpetua tribunicia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem fluxit, sub principatu Cæsaris Romanoque imperio per totum diem, hoc est per omne Romani tempus imperij Christum, & ex eo Christianos, id est vnctum & ex eo vnctos de meritoriâ tabernâ, hoc est de hospitâ largâque Ecclesiâ affluenter atque incessabiliter processuros restituendosque per Cæsarem omnes seruos, qui tamen cognoscerent Dominum Deum suum, ceterosque, qui sine dominio inuenirentur, morti supplicioque dedendos, remittendaque sub Cæsare debita peccatorum in ea vrbe, in qua fontaneum fluxisset oleum, euidentissima his, qui Prophetarum voces non audiebant, signa in cælo & in terrâ prodigia prodiderunt*; Hactenus Orosius.

● lei ebullitio Romæ. *Orosius lib. 43. in fine Dio.*

Christum designat.

Itaque siue malis Eusebio, Baronio & Barradio, consentire, qui volunt anno Augusti tertio oleum ex fonte manasse; siue Osorio, qui sub annum eiusdem 15. id putat accidisse (quod nec improbabile) non videtur res ipso die Natalis Domini contigisse, vt Innocentius III. sermone 2. de Natali Domini, S. Bonauentura & Recentiores complures asseruerunt.

De Iani vero templo tertium sub ipsum Natalem Domini clauso ab Augusto, sicut contendit Orosius, & probat Barradius, nec mihi displicet, dicam infra suo loco.

Primi Iani clausi tẽpus sub Octauiano *Dio.*

Primum tamen Jani clausi tempus hoc videtur esse loco discutiendum quod in annum vrbis conditæ 725. post Actiacam victoriam, incidit, quo quidem anno Dio testis est Cæsarem ter triumphasse, & cum quamplurimos recitet honores, quos senatus habendos ipsi decreuisset, addit: *sed ex omnibus his decretum nullum ei maiori voluptati fuit, quam quod portæ Iani ab ipsis clausæ sunt, quasi omnibus bellis confectis.* Orosius hæc ad Epiphaniæ diem refert: quo Cæsarem etiam Augusti nomen meruisse tradit; vt typus esset Christi tunc Monarchæ nomen assumturi. *Anno*, inquit, *ab vrbe conditâ 725. ipso Imperatore Cæsare Augusto & Lucio Apuleio Coss. Cæsar victor ab Oriente rediens octauo Idus Ianuarias Vrbem triplici triumpho ingressus est, ac tum primum ipse Iani portas, sopitis omnibus, finitisque ciuilibus bellis, clausit. Hoc die primum Augustus consalutatus est, quod nomen cunctis antea inuiolatum & vsque ad nunc ceteris inausum Dominis, tantum orbis licitè vsurpatum apicem declarat imperij: atque ex eodem die summa rerum ac potestatum penes vnum cœpit esse & mansit; quod Græci Monarchiam vocant. Porrò autem hunc eundem esse diem, hoc est octauum idus Ianuarias, quo nos apparitionem, siue manifestationem dominici Sacramenti agimus, nemo credentium, siue etiam fidei contradicentium nescit.*

ei Augusti nomen datũ die Epiphaniæ, ob monarchiam imperij.

Christus Augusto comparatur.

Typus venturi Christi Regis Regum erat Cæsar Octauianus, qui deuictâ tunc Ægypto Monarcha mundi constitutus, Augustus, & autor imperij cœpit nominari, pace iam orbi partâ; similiter annis ferè 28. post Christus ipso die Epiphaniæ triplicem de tribus victis & subactis sibi regnis & Regibus iam vectigalibus triumphum duxit, ac Rex Regum ac dominator Dominus, licet in cunis, & præsepio va-

vagiens cœpit appellari,idem etiam sanguine suo debita remisit totius orbis,& vnctus oleo Regiæ Maiestatis ac Sacerdotij Christus ,sex diebus ante vocatus fuerat , suam exercens in hos tres subiectos Reges potestatem;quos etiam ipse gratiæ delibutos oleo veros Reges simul Prophetas & Sacerdotes primos remisit Apostolos,& summi Regis nati per orbem buccinatores ac præcones , qui sanguine huius infantis debita cuncta narrarent esse dissoluta.

Hactenus quæ præcesserunt natalem Domini signa sunt enarrata, quæ verò sint comitata vel etiam secuta videamus.

Exploratissimum est pace tunc orbi toti partâ censum ab Augusto fuisse per Romanum imperium publicatum,clauso, vt multi credunt, eodem tempore Iano. Putat etiam Orosius , eodem anno Cæsarem edicto vetuisse, ne Dominus diceretur. Quod tamen Baronius sex annis post Christum natum existimat accidisse. Prodigia diei Natalis Domini certa.

Tres etiam soles (in Hispaniâ saltem) visos supra demonstraui.

Multi varia congerunt alia prodigia , quæ tamen nullius vetustioris testimonio roborantur: nam autore S. Bonauenturâ & Petro de natalibus Sodomitæ nocte natalis Christi in toto dicuntur orbe morte repentinâ perijsse. Pro hoc thaumate citatur Glossa S. Hieronymi super illud Isaiæ 9. Lux orta est eis,quæ modò nõ reperitur. dubia.

Abulensis,D.Bonauentura cum Petro de Natalibus, addunt vineas Engaddi nocte eadem in Iudæâ floruisse, sed sine teste vetustiore.

Innocentius III. (quem multi sequuntur recentiorum) memorat eadem nocte templum pacis Romæ, corruisse, quod prædictum fuerat tamdiu perstiturum, dum Virgo pareret. Negat Baronius vllum à Romanis nisi Vespasiani tempore templum pacis excitatum, alij malunt aliud potuisse conditum fuisse, licet eius scriptores non meminerint. Ego rem in medio relinquo.

Sed illustrissima putatur Augusto Imperatori die eadem oblata cœlestis visio qua circulo solem mirabiliter ambiente in eo Virgo resplenduit vultu pulcherrima, quæ puerum gremio complecteretur. Mox & vocem hanc cœlitus insonuisse: *Hæc est ara cæli.* Augustus consultis oraculis Sibyllinis , quibus apprimè delectabatur , dicitur primogenitum Dei natum , erecta statim arâ , adorasse. Huius ostenti veritatem alibi peruestigabo , & qui propugnent eam , autores laudabo. Consentit ei Capitolina perpetua traditio, inscriptiones,picturæ, locus ipse cum nonnullis alijs monimentis. Et sanè videtur ipse Plinius siue talis adspectus , siue stellæ Magorum meminisse: nam cum Aristoteles à figura duas cometarum species crinitos & barbatos distinxisset, Plinius decem eorum genera multiplicat, quintus ab ipso Græcè dicitur, ἀρχομόκης, *argenteo crine ita refulgens , vt vix contueri liceat, specieque humanâ Dei effigiem in se custodiens.* Mirabilis visio tunc Augusto oblata. *Plinius l. 2. c. 25.* Cometa Dei effigiem humanâ specie repræsentans.

Attigit extremã Augusti ætatẽ Plinius,curiosissimus naturaliũ rerum inuestigator; vnde aut è Romanorum,aut Arabum scriptis videtur ad eum notitia siue Magorum stellæ,siue Augusto monstrati cœlestis signi deueniisse: in quo vult humanâ specie diuinitatem radiasse,congruenter,vel eorum narrationi, qui simile quid Augusto visum,vel qui Magis monstratum in stellâ puerũ diuinâ specie renidentem memorant.

Docuit hoc Fromundus Louanienſis qui cum Plinium recitasset,subdit:*quæ verbanebulosa sunt, & nescio,an ad Cometen siue stellã,quæ Magorum ad Christi incunabula dux fuit, referri non possint: fortasse enim fama & res fuit sub Augusti principatu Cometam in Oriente & Iudæâ visum, in quo imago pueruli expressa, quem Christiani dicerent hominem Deum: certè dum cetera huius natiuitatis admiranda cogito, hoc non pro maximo; sed in minimis ducere non vereor.* Ita Fromundus. Non inuitus huic subscribo: cum enim tam mira Deus Augusti statuerit æuo, sui aduentûs signa tum in Oriente, tum Romæ radiare, tam quæ in terra, quam cœlo contigerunt, cum etiam olim à Cyro & Nabuchodonosore Gentilibus Regibus & cognosci & adorari voluerit,videtur decreuisse vt ipsum Romanum imperium, quod pace Gentibus partâ, censuque publicato rectè Messiæ seruierat aduentui, nunc etiam recens nato suum inclinaret fastigium, & Augustus ipse reiecto Domini nomine supplex hunc vnum orbis & cœli Monarcham adoraret. Debebatur Dei filio corporato talis honor & gloria, vt sicut ad salutiferum IESV nomen ipsæ legiones inferorum contremiscunt,& vel inuitæ inclinantur,ita Seruatorem descendentem in terras sum- *lib. 3. Met. c. 14.* A Romanis indicatur Magorum stella.

ma Regum Orientis & Occidentis culmina suppliciter adorarent, cum Monarchæ tanti aduentum, vel ex famâ Romæ dissipatâ, vel ex Sibyllinis oraculis Augustum latere non potuerit; quamuis Gentiles de his vel odio Christianorum siluerint, vel ignorantiâ præterierint, vel cum Plinio obscurius narrarint, ita tamen, vt aliquis inde veritatis radius emicet. Certè quam Romini nominationem exhorruerit iam senior sub ipsa Christi siue natalitiâ, siue infantiam Suetonius, cum certum tempus non apponit, his describit verbis: *Domini appellationem, vt maledictum & opprobrium semper exhorruit: cum spectante ludos pronunciatum esset à mimo: O Dominum æquum & bonum, & vniuersi quasi de ipso dictum exsultantes comprobassent, statim manu vultuque indecoras adulationes repressit, & insequenti die grauissimè corripuit edicto, Dominumque se post hac appellari ne à liberis quidem, aut nepotibus vel serio vel ioco passus est. atque huiusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit.*

c. 53. Abhorruit Domini appellationem

Hinc natam volunt nonnulli occasionem visi in aureo cœlesti circulo infantuli, quem mater gremio sustinebat: edoctus autem oraculis Sibyllinis istum orbis verum Dominum lucem iam adspexisse, Augusto celsiorem; ipse ei statim aram excitauit, seque vetuit posthac Dominum nominari, quæ suo loco reseruabo. Præteraa Petrus Simonis Tiletanus Episcopus Iprensis Plinij citat alium locum, de stellâ sub Augusto visa, quæ salutem humani generis proximam nunciauit: sic enim ait. *Plinius certè scribit, cum interesset, & præsideret Augustis ludis Veneris genitricis, visum fuisse Cometam (sic enim appellabant omnes stellas nouas, & extraordinarias) quem Pontifices declarabant propter singularem eius figuram, lucem, pulchritudinem, non famem, pestem, bella, aliorum more Cometarum significare: sed humani generis salutem proximam: cui etiam stellæ propter eius raritatem posita fuit statua: ad quam quoque alludit Virgilius Ecclogа nona. Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum Poëtæ enim per assentationem Augusto Cæsari tribuebant, vt Sibyllarum vaticinia. Marsilius item Ficinus ex Origene Cheremonem Stoicum citat de stella eadem visa salutaria prædicentem, his verbis. Demum ait nascenti Christo mirandus quidam in altis Cometa refulsit, quod autem à doctis fuerit indicatus Cometa, testatur Origenes contra Celsum dicens, se legisse in libro Cheremonis Stoici de Cometis: quandoque ex ipsis prospera & salutaria significari: qualis fuerit qui hoc ipso Octauiani tempore fulserit. De qua historiam exponi ab ipso Cheremone asserit, subdit Chaldæos cum & hunc considerassent, & suos dæmones nuper debilitatos animaduerterent, adisse Iudæam, præstantiorem quendam dæmonibus suis adoraturos: testatur idem Chalcidius, qui varias adducit historias de stellis, quæ cum raro videantur ingentes portendunt calamitates: subdit de stella Magorum* &c. Hæc Petrus Simonis, Calligo: Gentilium etiam testificatione sub natalitia Saluatoris dominante Augusto stellam quandam nouam & inusitatam apparuisse: quæ non vt Cometæ ceteri terreret adspectu tristiore & minaciore; sed radijs renidens splendidissimis, mundo salutem promittere videretur. siue ea Magorum fuerit, siue Augustæa, quæ Capitolinam arcem Romæ benignissimo fulgore, spectante Augusto collustrauit.

Petrus Sirac. de Epipha. c. 7.

Cometa salutaris visus ex Plinio.

idem Cheremõ Stoicus scribit. ex eo Origenes.

& Chalcidius.

Hactenus genus regium, numerum, patriam, scientias, fidem & exspectationem Messiæ persecuti sumus: tum quæ Romæ prope & sub aduentum ipsius contigerunt nunc ipse Natalis dies Domini, siduſque nouum Orientis examinandum est, quod Reges Solymam vsque deductos destituat, de quo S. Matthæus Euangelista, cuius exegesin Deo fauente tomo sequenti prosequemur, cui ob tomum primum feliciter absolutum laus omnis, honor & gloria ab omnibus, in omnibus & per omnia secula deferatur. Amen.

FINIS TOMI I. ENCOMIASTICI.

PRIMITIARUM GENTIUM

SIVE

HISTORIAE SS. TRIUM REGUM MAGORUM EVANGELICORUM

TOMUS II. EXEGETICUS,

Et COMMENTARIUS in Caput II. S. MATTHÆI.

QUO

SS. TRIUM REGUM PROFECTIO

Hierosolymam, duce Stellâ, ibidemque præconium CHRISTI factum, & ejusdem ADORATIO in Bethlehem explicatur.

AUTHORE

R. P. HERMANNO CROMBACH

Societatis IESU *Sacerdote.*

CUM INDICE QUADRUPLICI, CAPITUM, RERUM MEMORABILIUM, Locorum S. Scripturæ, & pro Concionatoribus in Dominicas & Festa totius Anni locupletissimo.



COLONIÆ AGRIPPINÆ

Apud IOANNEM KINCHIUM, sub Monocerote Vet.

Anno M. DC. LIV.

Permissu Superiorum & Privilegio S. C. M. generali & speciali.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Hæc fides monumenta

Carmina sed pios

Matthæus calamo celebrat præconia Regum

Abluit hos Thomas Pontificesq; Creat.

PRIMITIÆ muridi Regiq, hominiq Deoq,
Aurum, thus, myrrham, tres tria dona ferunt.

PRIMITIARVM GENTIVM
SEV.
HISTORIÆ SS. TRIVM REGVM
MAGORVM
TOMVS II. EXEGETICVS
ET COMENTARIVS IN CAPVT II.
S. MATTHÆI.
In quo,
SS. TRIVM REGVM, PROFECTIO
HIEROSOLYMAM, DVCE STELLA,
Ibidemq; præconium CHRISTI &
Eiusdem ADORATIO IN BETLEHEM
explicatur,

Gaude felix Agrippina
Tria Regum servans corpora

Autore
R. P. Hermanno Crombach Societatis
Iesu Sacerdote
Cum licentia Superiorum & Privileg. S. C. M.

S. MATTHÆVS

S. THOMAS

S. NABOR

S. FELIX

S. S. MACHABÆI

S. APOLLINARIS

Hi Regum Comites Vrbis munimine servant
Atq; Dioecesi munera crebra ferunt.

COLONIÆ AGRIPPINÆ APVD IOANNEM KINCHIVM SVB MONOCEROTE VETERI MDCLV

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SERENISSIMO & REVEREN-
dissimo Principi ac Domino,

D. MAXIMILIANO HENRICO,

COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO, S. R. I.
PRINCIPI ELECTORI, *& per Italiam Archicancellario, Sedis Apostolicæ Legato nato, Episcopo & Principi Hildesiensi & Leodiensi: Administratori Berchtesgadensi: Vtriusq; Bavariæ, nec non superioris Palatinatus, VVestphaliæ, Angariæ & Bullonii Duci: Comiti Palatino Rheni, Landtgravio Leuchtenbergensi, Marchioni Franchimontensi &c. Clementissimo Domino suo.*

EMicuit hactenus in plerisque Serenitatis Vestræ decessoribus Colonien sibus Archiepiscopis, SEREN. PRINCEPS, Clementissime Domine, singulare studium sponsam suam Colonien sem Eccle siam incrementis ornandi majoribus: & alii quidem fundis, clientelis, toparchiis, comitatibus vel ducatibus, potentiam ejus auxerunt, alii turribus, castris, operibus & munitionibus opportuna loca contra adsultus hostium firmarunt, alii proventibus annuis, censibus, & Rhenanis teloniis velut nervis bellicis optimè Archidiœcesi providerunt.

Nec minus alii Præsules Eccle siasticam ejus potestatem & jurisdictionem suffraganeis sedibus, privilegiis ac juribus novis cumularunt, alii templis, cœnobiis & collegiis amplificarunt, alii variorum Sanctorum exuviis honestarunt: quorum omnium laudabile Diœcesin hanc augendi desiderium celebri perennat apud posteros memoria. Sed haud scio an non Reinoldus de Dassele Colonien sis Antistes, decessores & successores hactenus suos insignis doni præstantia superarit; quando tribus sanctorum Regum corporibus, Mediolano Coloniam translatis, Eccle siam hanc pretiosissimo munere decoravit: quem ille merito thesaurum literis ad Clerum populumque Colonien sem exaratis, omnibus orbis opibus censuit anteferendum, dum ait, iis se donis à Cæsare cumulatum, *Quorum nulla in terris potest esse æstimatio excellentior, ut inæstimabili & incomparabili hoc thesauro super aurum, omnemque lapidem pretiosum diligẽdo sacratissima Ecclesia, Civitasq; Colonien sis felicissimè ditetur, ac perpetuo decoretur.*

Reinoldus dono pretiosissimo SS. Regum ornavit Coloniã.

)(Nec

Nec id censuit ideo tantum, quod quævis Sanctorum virorum ossa propter coelestis patrocinii vim & efficaciam quibuslibet naturæ bonis præponeret: sed multo magis, quod inter alios coelestis gloriæ participes ac in Sanctorum album relatos horum REGUM exuvias crederet eximiam quandam præstantiam & excellentiam obtinere, nosque è Gentilibus maioribus ortos iis velut procreatoribus obligari, qui nobis fidem & gratiam divinam à Christo aliqua saltem ratione & modo obtinuerunt; ut iure talibus honor præcipuus ab omnibus Christi fidelibus, præsertim, ubi eorum sacra pignora servantur, ab incolis & accolis debeatur. Huc accedit, quod divina clementia præ sanctis multis ipsos videatur variis modis quotannis honorare. Habent ipsi cum Christo festum Epiphaniæ commune, quo solet Ecclesia fidem eorum, animi demissionem, pietatem & alia virtutum decora per dies octo fidelibus imitanda proponere præsertim cum eorum duo intra id tempus & tertius sex diebus ante vitam mortalem cum immortali commutarint.

eorum excellentia & merita.

Deus eorũ festum annuis prodigiis decorat.

Quibus diebus octo, fluvii quidam in Oriente fonteſque vino solent redundare: ut suo loco testibus locupletissimis confirmabitur: quo videtur indicio Deus demonstrare voluisse veterem Iudæorum Synagogam à tempore Theophaniæ labruscas & acetum, Ecclesiam verò fidelium è Gentilibus proseminatam uvas & vinum generosissimum Deo coelitibusq; gratissimum produxisse. Præterea solebat alibi baptisterium aridum aqua repleri & aqua die eodem consecrata ferre ætatem & opera miranda patrare. Quin & primæ literæ nominum Regum inscribi ianuis cubiculorum ad præstigias tartareas eliminandas, qui mos hodieque per Bavariam, Sveviam, Austriam & Styriam observatur, Deo testificante eorum patrocinio vim doemonum infirmatam esse. Fuitque veterrima consuetudine Romanæ Ecclesiæ constitutum, ut Sacerdotes linteati pridie Epiphaniæ domos adspersione piacularis aquæ lustrarent, additis solennibus in sacerdotali Romano præscriptis precibus. Quid quod Bonaventura teste, nullum anni festum Ecclesia ritibus tam solennibus decorarit, ut olim Natali Dominico & Paschali celebritati par fuerit æstimatum, & per totum terrarum orbem Christianum vix aliud pervigilium & festum ita publicis gaudiis, conviviis & ut alibi vocatur tripudiis agitatum: quibus fideles testificantur mirificã lætitiam, animiq́ue grati significationẽ adoptionis cœlestis industriâ SS. Regum Gentilibus cõmunicatæ. Ad hanc cõmunem Ecclesiæ totius obligationem adiungũtur singularia soli Colonienſi Archidioecesi tributa beneficia, quæ custos esse meruit huius inæstimabilis & incõparabilis, ut eũ Reinoldus nominat, thesauri, cui Cæsar ipse Fridericus Barbarossa, Cõrardº eius germanus frater, Hẽricus Leodiẽsis Præsul, & alii Principes inhiarunt: quidã etiã bellum Colonienſibus denunciarũt, ut eo dono spoliarent: sed nunquam, ex quo condita est metropolis hæc,

Vide infra fol. 710.

singularia diœcesi collata ab iis beneficia.

tanta

tanta animorum consensione, tot armatorum centum viginti quinque millium multitudine, tanto navalis pedestris & equestris militiæ apparatu, itum est obviam hostibus septem milliaribus, exspectati diebus duodecim, ad certamen pro tutela SS. Regũ provocati: sed illi ad conspectum tanti exercitus prælių anhelantis terrore perculsi fugaque dilapsi cãpum Andernacensem, victoriæ trophæum, & ipsa sacra lipsana iã armis vindicata reliquerũt Archidioecesi civibusq; Colonienſibus: licet nõ cessarint etiam postea moliri iisdem insidias, irrito semper conatu: quod tali præsidio munita civitas tantis Custodibus, Præsidibus & Defensoribus firmata facile conatus hostiles deprehenderet, & elideret.

Victoria Andernacensis.

Placuit etiam divinæ beneficentiæ cultum istum religiosum novorum Tutelarium Patronorum maximis beneficiis remunerari: nã aucta brevi post est Archidioecesis Ducatibus Angariæ & VVestphaliæ, quos Cæsaris largitate donatos, armis feliciter occupavit, & post hostes omnes domitos pluribus aliis oppidis & castris emtis vel bello partis muniit. Accessere seculis sequentibus comitatus insignes Arnsbergensis, Hulchradensis, Hohenstedensis, Arensis & alii cum portoriis Rhenanis & aliis censibus ingentibus ut in Electoribus, Colonienſis divitis nomen pridẽ obtinuerit, & hæc dona cultui SS. Regum iure sint tribuenda, liceatque merito Colonienſi Ecclesiæ cum sapiente (quod ipse de sapientia comparata sibi gaudet evenisse) de allatis Magis Evangelicis primis è Gentilibus sapientiæ corporatæ genuinis discipulis & alumnis sibi gratulari, & dicere. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illis, & innumerabilis honestas per cultum illorum, & lætata sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater est.*

Ducatus duo illi donati.

Comitatus alii.

Sap. 7. v. 11

Nec defuerunt Archiepiscopi Colonienses ornandis eorum mausolæis: Reinoldus, qui eos transtulit, utramque festivitatem eorum, censibus ampliſsimis constitutis perpetuam & celeberrimam fecit, excitatis etiam ad ædis METROPOLITANAE ornatum geminis turribus. Successor eius Philippus Heinsbergensis in hierothecam pretiosissimam ex auro gemmisque laboratam eos transtulit, pacem cum civitate composuit: moenibus amplioribus & turribus cinctâ, ut facilius conjunctis viribus thesaurum regium contra multorum insidias tutarentur. Hæc animorum & virium coniunctio civitatis & Archiepiscopi tantum potuit accessu patrocinii præsidiique triregii, ut opes nimiæ iam suspectæ & formidabiles Friderico Barbarossæ Cæsari & Henrico filio viderentur, & de iis incidendis ac minuendis capta sint consilia, Procerescque imperii ad oppugnandam Coloniam fuerint invitati: sed nemo unus repertus est, qui suppetias auderet ferre, perspectâ civium & Archidioecesis invictâ potentiâ, copiarum innumera multitudine, pugnandi incredibili ardore, coelestis etiam auxilii fidentiâ conceptâ, cum pro SS. Regibus ageretur, ut nullus auderet aleam belli tentare.

Studium Archiepiscoporũ colendi Reges.

hierothecâ aureâ.

munitione civitatis contra hostes.

Post Philippũ S. Engelbertus eosdem SS. Reges ornandos suscepit, molitus immanẽ fabricã augustissimi tẽpli talibus Regibus dignã: sed Martyrium

S. Engelberti munera.

tyrium à cognato sanguine illatum intervertit sua consilia: reliquit verò pro thesauris sacris calicem ingentem aureum gemmis pretiosissimis variegatũ pretii quingentarum librarum & Pontificium ornatum sacrificio divinissimo destinatum maximi valoris. Sed ea gloria Conrado ab Hoensteden debebatur: nã cũ incendium ædem METROPOLITANAM funestasset, ut erat excelsi & generosi animi, templum auspicari voluit ejus magnificentiæ & elegantiæ, cujus nullum exstaret in Germania geminum: id testatur idea turrium binarum ipsius tempore politissimè delineata, sedecim pedes longa: quam ad duos ferè contractam pedes huic inserui operi, in qua præter immanem earum altitudinẽ, eique proportione peræqua respondentem crassitudinem admirari nunquam satis licet singulorum lapidum ad summam etiam celsitudinem porrectam polituram, fenestrarum & portarum ornamenta saxea nonnunquam rotundata, vel orbiculata, alias reticulata, vel pyramidata, signis hinc inde venustissimis in columellis cum conopæis idoneis collocatis. Addidit Deus huic Conrardo dum Salomonis instar divinæ Majestati & Sanctis REGIBUS immensam illam fabricam struit, opes infinitas ex peregrinorum donis, largitione Richardi Cæsaris, dum eum cum conjuge coronaret, & hereditariis bonis congestas: eas ipse liberaliter in fundamenta tantæ structuræ jacienda, chorum inchoandum, & Cunibertinam Basilicam collapsam instaurandã erogavit: VVichboldus Archiepiscopus invento pio redditus auxit fabricæ, dum 25. dierum indulgentiis testatores hortaretur ad pecuniam aliquam in usum structuræ METROPOLITANAE basilicæ legandã: quæ jam consuetudo moribus introducta vim legis obtinet, ut ultima voluntas eo pio legato destituta conseatur vitiosa.

Conradus ab Hoensteden inchoat ædem Metropolitanam.

turrium & elegantia.

opus Conradi.

VVichboldi inventũ

Succesit VVichboldo Henricus Virnenburgicus, qui sui Pontificatus initium cultus SS. Regum incremento nobilitavit edita sanctione, qua festum translationis Regum instituit, eoque die vetuit quemquam opere manuario distineri. Qui licet postea maximis bellorum tempestatibus Ludovici Bavari & Friderici Austriaci temporibus (utroque sibi imperium armis vindicante) fuerit agitatus: non destitit tamen fabricam augustissimi templi tantis impendiis promovere, ut testudinem choro sacellisque imposuerit, tectũ laminis plumbeis operuerit, triplici chorũ ambulatione loricarit, duplicique parastatarum vel anteridũ ordine circumquaque coronarit, quæ parastatæ supra tecta alarum depressiora emergentes suis fastigiis pyramidatis, & arcubus duobus inter se & cum chori primario muro vinctæ & compactæ totum opus inter se compositum & coagmentatum efficiunt, nec robur tantum sed ingens etiam cõciliant exterius ornamentum. Hic idem Henricus Vernenburgicus choro jam numeris omnibus & partibus suis expleto, perfectoque, curavit omnes Patronorum Colonienssiũ hierothecas ad ædem Metropolitanã: adducendas, cuius ipse chorum cum solenni ceremonia consecrasset, instituta supplicatione, delatisque inter alios Divos tutelares in ea Sanctis Regibus, eos ad sacellum iis post aram principem præparatum transtulit,

Henricus Virnẽburgicus festũ translationis indixit

Chorum absolvit.

Parastatis ornatum.

transfert Reges ad sacellum orientale.

lit,ubi ſicut & modo quieſcerent,donec navi templi & tranſverſo crucis brachio concamerato ad locum quietis eis deſtinatum ad umbilicum inquam templi transferantur,quod auſpiciis ſerenitatis veſtræ futurum multi augurantur:omnes animitus vovent. Eadem tempeſtate Ioannes 22.antiſtes Romanus codicillis ſuis ad Collegium Colonienſe Metropolitanum exaratis fabricam ut admodum elegantem & ſumtuoſam cõmendavit: & ſtudium Cleri laudavit,quo ad eius perfectionem enitetur , approbata Petrina Sodalitate , variiſque privilegiis ornata,in cujus album adſcripti annuis ſubſidiis oblatis ſtructuram promovebant.

Joannes Papa confirmat S. Petri ſodalitatem

VValramus vero Iuliacenſis Ducis frater ardens deſiderium promovendæ fabricæ literis teſtatus,pretium Sodalibus Petrinis annui cenſus ſex ſolidorum vel modii frumẽti pendendi quotannis definivit,qui frui relaxatione interdicti vellent:nam tenuiores & qui minus largirentur, participes tamen ſacrificiorum,ieiuniorum & aliorum piorum operum declaravit.Huius ſucceſſor VVilhelmus deGennepe ornando templo interiori multum operæ poſuit:nam aram principem S. Petro ſacram è marmore uno ſolido ſedecim pedes longo & octo lato conſtituit, ceteras etiam Chriſti,Deiparæ,& Apoſtolorum ſtatuas cereas in columnis altis collocatis aram coronavit, videtur idem etiam duodecim argentea ſigna Apoſtolorum , quibus ſolennioribus feſtis ara primaria decoratur eidem contuliſſe : quanto verò ſtudio & inpenſis ædificium conſtrueretur verbis ſatis declarat, dum vocat *Opus ditiſſimum fabricæ noſtræ Colonienſis Eccleſiæ,quod cum omni exactiſſima operariorum diligentia , miranda pretioſitate* perficeretur: ceteri deinceps conſequentes Archiepiſcopi præſertim verò Theodoricus deMoerſa,Hermannus Landgravius Haſſiæ & Philippus de Duna poſtremus,qui ex Archiepiſcopis albo Sodalium S. Petri adſcriptus,annuis donis & decretis ſynodalibus ſtructuram promoverunt Philippus Anno 1515.mortuus eſt : nam qui eum excepit Hermannus de VVeda paulo ante Lutheranam ſectam orientem electus,ejus veneno infectus ideoque throno Pontificio deiectus , trecentis prope annis continuatam ædis principis ædificationem interrupit. Colluctandum ſequentibus Archiepiſcopis cũ hieterodoxis fuit,ac altero Colonienſis ſedis Apoſtata,cuius funeſtum bellum & buſtum Archidiocœſi illatum adhuc lugent & ſentiunt ſuperſtites. Vix etiam à tantis malis reſpirare Archidioeceſis coeperat,orto Suecico & Haſsico bello, quibus graſſantibus acciſæ vehementer ſunt opes Eccleſiæ,portoriaRheni aliis obligata , deſerti agri,expilata oppida , loca ſacra profanata: ſervata tamen civitate Colonienſi,ut perfugium & aſylum eſſet exſulum Archiepiſcoporum Epiſcoporum & Principum virorum , & Cleri,qui exMogũtina,Trevirenſi Herbipolenſi & VVormacienſi dioeceſibus huc confluxerant:Nec deſtitit tamen Ferdinandus,deceſſor & patruus Serenitatis veſtræ temporibus illis exulceratiſsimis ornandorum SS Regum,quos crebro viſebat,curam deponere: iuxta quorum mauſolæum tumulum elegerat:eorum tunc aram veſtibus omnibus ſacrificaturo ſacerdoti

VValramus definit ſodalibus pretiũ annui cenſus pendõdi.

VVilhelmus ornat aram principẽ.

Ceſſatio fabricæ ingruente hæreſi.

& bellis.

Ferdinandi munus.

cerdoti neceſſariis ex tela candida filis argenteis intertexta ditavit, contulitque non ſemel cum Collegii Metropolitani ſenioribus ſacerdotibus de ſumtibus colligendis ad teſtudinem totius templi perficiendam: ſed ea gloria ſerenitati veſtræ pace jam imperio reſtituta, & majorum bellorum ſedatis tempeſtatibus debebatur: & felix omen à multis captum eſt, cum ante biennium pallium (quo pene centum annis caruerat Eccleſia Colonienſis) ipſo Epiphaniæ feſto cõparuit: eoque decorata ſerenitas primum Archiepiſcopale ſacrum eo loci ſummo apparatu cecinit in pegmate conſtructo, ubi locus quietis SS. Regibus ab annis quadringentis & amplius eſt deſtinatus: bonum id, felix, fauſtum & fortunatum omen quidam augurabantur, ut cum à centum & pluribus annis ædificatio baſilicæ quieviſſet, duobus interim lupis ovile Chriſti ingreſſis & gregem fœdè lacerantibus: nunc reducto tam auſpicato die pallio & loco quietis ſanctorum Regum ea celebritate, qua forte nunquam pari, in tanto virorum principum & illuſtrium conſeſſu honorato, futurum, ut præludat ea ſolennitati majori, qua concamerata tota baſilica, & honori S. Petri & SS. Regum conſecrata: ipſi regio prorſus apparatu ad deſtinatam ſibi requiem auſpice ſerenitate veſtra transferantur.

Maximiliani Henrici auſpicarũ & felix initium

Acceſsit & alterum æque felix augurium: cum pridie veſperis inchoatis interveniſſet eidem ſolennitati Erneſtus Landgravius Haſsiæ, permotus rituum Eccleſiæ ſanctitate, quod pridem animo conceperat, repente ſtatuit poſtridie perficere, & ejurata hæreſi fidem orthodoxam profiteri: Factum id omnium præſentium plauſu & feſtiva gratulatione, ſpe multis injecta, ut ſicut hæreſis ceſſationem ædificii METROPOLITANI induxit, ita quinquennio pacis Monaſterienſis evoluto & virtute etiam inſtrumenti pacis eliminatis ex civitate & omnibus Archidioeceſis finibus hæreticis, fore ut fabrica reſumatur, & multiplicatis operis diuturna ceſſatio compenſetur & ad turres uſque geminas cetera ſtructura ſuis partibus omnibus noſtro tempore abſolvatur. Id omen duplex ut ſucceſſum optatum ſortiatur confido præſtabit illa animi ſerenitatis excellentia & magnitudo ſibi ſemper in proſperis & adverſis conſtans, & ſimilis; nullis calamitatũ procellis dejectior, ideo inter ipſas belli neceſſarii gerendi curas ſtructuræ reſumendæ & ſanctorum Regum honorandorum inivit conſilium, cuius neglecti ferunt Salentinum Iſenburgicum poenituiſſe: cum enim iam decennio Colonienſem Archidioeceſin laudabiliter cum ſummo eius emolumento gubernaſſet, ingemuit: quod non initio regiminis animum ad explendam fabricam iſtam adieciſſet. Erat capaciſsimi vir ingenii, quem in rebus arduis Romani Pontifices, Cæſar & Reges Orthodoxi crebro conſulerent: iſque cum Archidioeceſin oppreſſam ære alieno reperiſſet, id omne decennio citius mirabili ſolertia diſſolvit, tum oppida primaria Bonnam, Ansbergam, Brulam, Cæſaris-inſulam, Rhenobercham & Poppelsdorffium ſplendidis ornavit ædificiis. Deinde præfecturam ſuburbanam Andernacenſem, ad Nettum fluvium, caſtrum Erpradt prope Noveſium, Vrdingam etiam, & Linnam

Conſiliũ reſumẽdæ fabricæ

ejus neglectæ pœnituit Salentinum Iſenburgicum.

pro tot aliis diœceſi recuperatis.

oppida

oppida vicina: castrum VVichternich, prope Lechnichium, in VVestpha-lia verò Briloniam & Nehemium aliis oppignorata recuperavit: Deni-que castrum Hornenburgense cum Vesta Rechlinghusana, (quam to-parchiam Comites Schavvenburgici duobus seculis occupatam redem-tione licet oblata detinebant) ipse Cæsareis mandatis instructus restituit Archidioecesi: pro his omnibus curis unicam à se neglectam fabricam METROPOLITANAM doluit; ad quam explendam nec opes nec ani-mum sibi sentiebat defuisse. Vtinam serenitas vestra ut coepit, pergat ce-teris curis hanc unicam præferre, & totis viribus incumbat in eam rem, subsidia confidunt multi non defore Monarcharum, Regum & Hie-rarcharum, qui auxiliatrices manus afferant, si viderint serio tantam rem urgeri.

Bavaricæ domus liberalitas in templis construendis.

Est ea Bavaricæ domus multorum seculorum usu testatissima gloria diligere decorem domus Dei, & divinæ Majestati, Divisque tutelaribus augustissima templa construere: nolo per Bavariam, imo Germaniam peregrinari, Colonensibus & vicinis contentus, & quasi domesticis ex-emplis. Nongenti & quinquaginta amplius anni sunt, quando Plectrudis Bavara Capitolium Colonense inusitata crucis rotunda forma regiis prorsus impendiis opus augustum ædificavit: Ante sexcentos annos Ri-cheza Regina Poloniæ domo Palatina Rheni Bravveilerense coenobium & templum amplioribus spatiis extensum excitavit. Saleveldam & Co-burgum oppida Saxoniæ S. Petro Colonensi multaq; Collegiatæ Gra-duum Ecclesiæ, ubi sepulta est, donavit: eam germanus frater ejus Her-mannus nobilis Archiepiscopus Colonensis inceperat oblata magna vi auri ædificare: sed morte præventus Annoni successori nomen cessit fundatoris. A Etate nostra Maximilianus Serenitatis vestræ Patruus tem-plum collegii nostri Colonensis splendidissimum & ornatissimum condidit: idem Leodii Patribus Societatis nostræ Anglicanis Ecclesiam & Collegium excitavit: iisque seminarium frequens fundavit: scilicet hoc opus METROPOLITANI templi concamerandi divina providen-tia suæ serenitati reservasse videtur, ut ejus nobilissimæ in Europa fabri-cæ coronidem imponat, & ingenitæ liberalitatis ac in Deum & coeli-tes pietatis æternum statuat monumentum. Merentur eam magnifi-centiam TRES ILLI REGES ob tot collata dioecesi beneficia, quam ducatibus duobus & opibus amplissimis adventu suo locupletarunt; quæ si abessent, deceret primitias Gentium, progenitores & structores nas-centis Ecclesiæ, quibus jus coelestis adoptionis acceptum ferimus, omni cultu & honore prosequi, fortunas omnes ad eorum extollendam glo-riam prodigere: qui ut Christianis Principibus ideam absolutæ perfe-ctionis formarent, & iter expeditum ad felicem immortalitatem aperi-rent regnis, conjugibus & opibus omnibus relictis voluntariam amplexi paupertatem & Apostolicum vivendi complexi institutum Martyrio coronati non desinunt clientibus suis opitulari: ut fusè tribus his tomis prosecutus eos humillimè Celsitudini dicatos cum idea augustissimæ

Plectrudis

Richezæ.

Hermanni nobilis.

Maximi-liani.

Merita SS. Regum exigunt templi perfectio-nem.

structuræ

ſtructuræ METROPOLITANAE offero, & medullitus opto, ut pace his locis ſtabilitâ fabricam dictam reſumtam ætas noſtra gaudeat; ſic divinæ Majeſtatis gloria, quâ Reges Magos in cœlis ornavit, in hac magnifica Baſilica relucebit, Deus in ſanctis ſuis religioſius honorabitur, & cultus ille ſanctorum Regum, qui ab ultimis orbis regionibus Æthiopes & Armenos etiam Coloniam ad horum viſenda limina quondam evocavit, reviviſcet, & recaleſcet. Ipſi mihi videntur Sancti Reges quodammodo poſtremæ ſuæ quietis ſedem flagitare: qui tot jam ſeculis per varias Orientis provincias, Græciam, Italiam & Germaniam hactenus peregrinati, nondum optata ſua ſtatione potiuntur. Adhuc depoſiti in alieno loco ſuum ſibi proprium jure depoſcunt, ut indè majoribus inquilinos & advenas beneficiis cumulent. Eum ſi Serenitatis veſtræ, ut confidimus cura, ſtudio, & vigilantia conſequantur, præter famam nominis immortalis, qua deceſſorum multorum ſeculorum in ornandis Regibus gloriam obruet, Archidiœceſis opes favore patrocinioque majore coelitũ ſtabiliet, ſibique auguſtiſsimum in coelis palatium, auro, gemmis & ſtellis nobilius architectis Regibus excitabit. Erit & hoc æternum Domus Bavaricæ monumentum omni ære perennius, è qua tres orti Præſules laudatiſsimi proximè mauſolæum regium ſibi tumulum elegerunt, utique ad ultimæ quietis eorum locum vicinum transferendum, ut cum ipſis Angelica tuba ad anaſtaſim vocati, redivivi Chriſto judici occurrant, coeleſti beatitate animis & corporibus fruituri: qui ſuam Serenitatem ſoſpitet ſervetque diutiſsimè incolumem, ut non tantum templi METROPOLITANI concamerationem integram, ſed turres ipſas geminas omnibus numeris abſolutas videre valeat. Coloniæ 7. Martii Feriis Paſchalibus Anno 1654.

Sereniſsimæ & Reverendiſsimæ Celſitudinis Veſtræ

Humillimus & obſequentiſsimus ſervus

HERMANNUS CROMBACH
è Societate Ieſu.

TOMVS II.
PRIMITIARVM GENTIVM EXEGETICVS SEV COMENTARIVS IN CAPVT II. MATTHÆI.

QVO

SANCTORVM REGVM MAGORVM PROFECTIO HIEROSOLYMAM STELLA DVCE, IBIDEMQVE PRAECONIVM CHRISTI ET EIVSDEM ADORATIO IN BETHLEHEM EXPLICATVR.

LIBER I.

TEMPORE NATALIS DOMINI STELLA TRIBVS MAGIS in Oriente visa deducit eos Hierosolymam.

CAPVT I.

Sitne Historia SS. Regum Euangelica.

DEcvrsis encomijs SS. Regum, petitis ex prærogatiuis eorum, beneficijs ab ijs Gentibus impetratis, oraculis de ijs ante ortum editis ac figuris: ex singulorum genere, patriâ, scientijs, fide & exspectatione sideris ac Messiæ: priusquam sideris ipsius ortus & ductus Hierosolymam enarretur, initium capitis secundi *S.* Matthæi præmittendum censui, quo Christi natales paucis, sed accuratè describuntur, ne sit opus eadem in difficultatibus occurrentibus postea repetere:

Sed ecce in ipso limine sacræ Magorum historiæ reuocant ab ingressu nos hæretici, nec recentiores tantum, sed & vetustissimi, coæui sanctorum Apostolorum Ebionitæ: qui priora S. Matthæi capita, quibus sanctorum Regum res gestæ continentur teste S. Epiphanio, quod ea viderent suis erroribus repugnare, prorsus eraserunt.

Hæretici vellicant S. Matthæi Euangelium. Ebionitæ. *S. Epiphanius lib. 1. hæres c. 27.*

Successit his nequior Marcion, is totum S. Matthæi euangelium abolere teste eodem, frustra tamen, laborauit: quam hæresin auidè Manichæi duce Fausto sunt amplexati, quasi suppositus esset incerti scriptoris fœtus, & nullius Apostoli.

Marcionitæ. Manichæi.

Renouarunt eundem errorem seculo superiori cum Seruetianis Anabaptistæ, qui præcipuè SS. Magorum historiam & Herodis infanticidium, vt ficta leuiter, impugnauerunt, duobus futilibus argumentis: quia nullus Euangelistarum extra S. Matthæum, neque Iosephus in tribus, quos de Herodis vitâ conscripsit libris, rerum istarum meminit. At quam multa singuli narrant Euangelistæ, de quibus silent ceteri? solus, vt reliquos taceam, S. Ioannes, quam prolixè differit de Christi diuinitate, eius cum Samaritanâ colloquio, Lazaro ad vitam reuocato, & sermone post cœnam habito, quæ ceteri non attigerunt? imo quia S. Matthæus tam accuratè Magorum historiam est persecutus, alij supersedendum esse putauerunt. Iam verò quam infidus in Christi rebus tractandis sit Iosephus, norunt, quotquot hominem norunt, rerum Christianarum hostem capitalissimum, vt Hegesippus proximus eorum temporum dixerit, eum anastasin Christi, & prodigia scientem & volentem tacuisse.

Seruetiani Anabaptistæ.

eorum duplex ratio infirmatur.

Iosephus infidus Scriptor.

Gentiles certè scriptores alij, quibus liuor abfuit, tam inusitati sideris ortum, & Herodis parricidia iuncta cum infanticidio non siluerunt. Chalcidius lib. 2. in Platonis Timæum, ait: *Est alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cuiusdam non morbos, mortesq; denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conuersationis, rerumq; mortalium gratiam; quam stellam cum nocturno itinere sustexissent Chaldæorum profecto sapientes viri, & consideratione rerum cælestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaq; illa maiestate puerili veneratos esse, & vota Deo tanto conuenientia nuncupasse.* Macrobius verò sic scribit de Herode. *Augustus cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes Rex intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius ab eo occisum esse, ait, melius est porcum Herodis esse, quam filium.* Celebrat idem Augusti dictum Dio Cassius

Gentiles hanc recipiunt historiam. *Chalcidius l. 2. in Timæum.* *Macrob. 2. Saturn. c. 2.*

Dio Cassius in Augusto.

& Philo Iudæus lib. suæ chronologiæ.

Nicæus: Vterque alluſit ad Iudæorum legem, quæ porcorum necem & eſum iis interdixit. Sed nec Philo Iudæus cædem filij ob ortum Meſſiæ vulgatum tacuit. *Herodes Aſcalonita*, ait, *anno* 30. *principatus ſui tyrannici Sanedrim ex domo Dauid deleuit, & Annalæum quendam atq; alios: Sanedrim ex proſelitis ſuffecit, qui nimium videbantur in lege eruditi: tum & Salomen ſororem ſuã, & virum eius de tribu Iuda, itemque proprium filium, quem ex vxore eiuſdem tribus ſuſceperat, interfecit, quod iam diceretur in lege promiſſus Chriſtus natus.* at quo indicio clariore, quam Regum orientalium, qui in metropoli Iudææ, coram Herode rege, verbis his publicum eius præconium fecerant: *vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Itaque quod & Gentiles, ac Iudæi referunt, vtriq; capitales hoſtes fidei Chriſtianæ, id contigiſſe ſi non credant diuinis eloquijs, ſaltem Philoſophorum & Hiſtoricorum narrationibus aſſentiantur.

CAPVT II.

CVM ERGO.

Connexio capitis ſecundi S. Matthæi cum præcedente, & cur diuerſi Euangeliſtæ certa quædam ſoli narrent.

EXordium capitis ſecundi S. Matthæi tale eſt: *Cum ergo natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis Regis.* quibus paucis verbis Euangeliſta quinque præſtat. 1. connectit hoc alterum caput aptè cum primo, deinde Meſſiæ natiuitatem, tertio nomen, quarto patriã, quinto tempus breuiter, & accuratè, clarèque perſtringit: quorum ſingula ſingulis capitibus deinceps & hoc quidem connexio venit excutienda.

Concluſerat S. Matthæus primum caput narratione natiuitatis, & nominationis breuiter his verbis: *peperit filium ſuum primogenitum, & vocauit nomen eius Ieſum.* continuat cum hac relatione Gentibus factam manifeſtationem ortus Meſſiæ, vtiturq; non aduerſatiua, ſed continuatiua vocula δὲ in Græco hoc modo. τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος. id eſt. IESV ergo nato: quod rectè Albertus Magnus ſic exponit: *cum ergo, ſicut in præmiſſis dictum eſt, natus eſſet Ieſus.*

Albertus Magnus in 2. Matt.

Celeritas aduentus Magorum indicatur.

Syrus habet, *quando autem natus eſt*: fauent hæ voculæ velocitati manifeſtationis factæ ſanctis Regibus, & eorum obedientiæ: ſtatim enim, nato Saluatore, viſaque ſtellâ accinxerunt ſe itineri, & peracta circumciſione nominisque impoſitione, eccè Solymam venerunt; non anno vel bienno poſt: ſed tribus, quatuor, vel quinque diebus à circumciſione lapſis.

Cur ſolus ſanctus Matthæus ſcripſerit de Magis.

Lucas de paſtoribus.

At quid ſibi vult ſanctus Matthæus, quod natalem CHRISTI vix, & verbo tantum, Paſtoribus autem exhibitum viſum Angelicum, ne attingat quidem, quæ verò Gentilibus facta viſio eſt, eam à ceteris omiſſam tam diſertè & luculentèr commemoret? breuiter reſpondet Albertus. *Facta in Iudæa nota Iudæis magis, præterijt Matthæus, Iudæis fidelibus ſcribens; quæ cum ignota fidelibus fuerunt, qui de gentibus crediderant, ponit is, qui ſcribit gentibus Lucas.* Spiritus ſanè DEI cũ ſingulis Euangeliſtarum velut *calamis velociter ſcribentibus* vteretur; omnesque vellet quatuor, non vnum tantum eorum volui, quam tot ſignis confirmarat, diuinitatem nati in Bethlehem Meſſiæ, fecit eam à varijs variè narrari, & probari ac indicia quædam luculentius ab vno, quam altero deſcribi; quia etiam ſcribentis ſæpe Euangeliſtæ affectus magis ad hoc accuratius narrandum, quã alterius ferebatur, vnde ipſe diuinus Spiritus eorum propenſioni ſic attemperabat ſe, vt non ſineret tamen à ſcopo veritatis minimum aberrare. Hæc argumenta diuinitatis à certis tantum Euangeliſtis ſcripta recitat S. Ambroſius *An mediocribus ſignis Deus probatur, quod Angeli miniſtrant, quod Magi adorant, quod Martyres confitentur? ex vtero funditur, ſed coruſcat è cœlo; terreno in diuerſorio iacet, ſed cœleſti lumine fulget; Nupta peperit, ſed virgo concepit: nupta concepit, ſed virgo generauit, docuit enim nos S. Matthæus non mediocre myſterium, quod ſanctus Lucas, quia iam planè erat expoſitum, ſilendum putauit, ſatis diuitem ſe fore credens, ſi præſepe ſibi Domini ex omnibus vindicaſſet*, vt Lucas (qui poſterius ſcripſit) ea circa ſaluatoris infantiam videatur ſtudio voluiſſe diligentius perſequi; quæ fuerant à ſancto Matthæo præterita: ea pulchrè à ſancto Auguſtino ſic enarrantur.

S. Ambroſius. ſigna diuinitatis CHRISTI quædam ſanct. Matthæus. alia S. Lucas refert.

De ciuitate Bethlehem Matthæus Lucasque consentiunt: sed quomodo, & quâ de causâ ad eam venerint Ioseph & Maria, Lucas exponit, Matthæus prætermittit: contrà de Magis ab Oriente venientibus Lucas tacet; Matthæus dicit, sicut Matthæus non narrauit, quod Lucas narrat in præsepi positum Dominum, & quod pastoribus eum natum Angelus nuntiauerit, & quod multitudo cœlestis militiæ facta est cum Angelo laudantium DEVM; *& quod venerunt pastores & viderunt verum esse, quod eis Angelus nunciauerat, & quod die circumcisionis suæ nomen acceperit, & quæ post impletos dies purgationis Mariæ idem Lucas narrat, quod attulerint eum in Ierusalem; & de Simeone & Anna, quæ dixerint de illo in templo, postquam cognouerunt eum impleri Spiritu Sancto: omnia hæc tacet Matthæus.* hactenus S. Augustinus. Idem quod in Luca factum obseruarunt sancti Ambrosius & Augustinus, fecit, qui postremus scripsit Sanctus Ioannes: is vulgatam iam infantiam Christi, præterijt, totum se effudit in eius diuinâ generatione, & diuinitate asserenda: & quæ obiter fuerunt ab alijs tantum insinuata, vel etiam prætermissa: prolixius est ipse persecutus.

Narratio-nis horum diuersitas *S Augustinus l. 2. de consensu e. 5.*

S. Ioannes quid in-scribendo Euangelio spectarit.

CAPVT III.

NATVS ESSET

Natiuitas Iesu non ementita sed vera, quæ commoda attulerit SS. Regibus, & humano generi.

RECTE quidem S. Matthæus, vt legitimè doceret Deum hominem, & moriturum à Regibus adoratum, & certis muneribus id contestantibus honoratum esse, præmisit natum esse, & IESV seu Saluatoris nomine decoratum: quod idem Reges postea claris his verbis profitentur: *vbi est, qui natus est Rex Iudæorum*: iam tum Spiritus Sanctus orituras hæreses Euangelistæ & Regum ore confutabat, qui Christum non veram, sed fictam, commentitiam & adumbratam habuisse carnem; nec verum hominem sed ementitum & hominis tantum simulacrum exstitisse docuerunt; adeoque censum Augusti, præsepe Bethlehemiticum, Magorum adorationem nec audire voluerunt.

Hæresis Marcionistarum.

CHRISTI veram humanitatem negãs. exploditur à Tertul. *Contra marcionem l. 1. de Carne Christi.*

Coryphæus eorum Marcion fuit, contra quem Afro stylo sic fulminat Tertullianus: *qui carnem Christi putatiuam introduxit, æque potuit natiuitatis quoque phantasmata confingere, vt & conceptus, & prægnatus, & partus virginis haberetur. eosdem oculos, eosdemque sensus fefellissent, quos carnis opinio inclusit. planè natiuitas à Gabriele annunciatur: quid illi cum essentia Creatoris & Virginis vtero? conceptus inducitur; quid illi cum essentia Creatoris? odit moras, qui subitò Christum de cœlis deferebat. Auser hinc, inquit, molestos semper Cæsaris census; & diuersoria angusta, & sordidos pannos, & dura præsepia: viderit angelica multitudo Dominum suum noctibus honorans: seruent potius pecora pastores, & Magi ne fatigentur de longinquo donare illi aurum suum: melior sit & Herodes, ne Hieremias glorietur; sed nec circumcidatur infans, ne doleat.* His opinor consilijs originalia instrumenta CHRISTI delere Marcion ausus est, ne caro eius probaretur: hunc ut errorem corrigeret Euangelista, & natum asserit, & nomen apponit nati, locum addit natiuitatis: nec tempus præterit, vt ostendat verum à Regibus DEVM hominem adoratum, & congruis donis cultum & honoratum esse.

& verbis Euangelistæ.

Mittamus istos; iterum erit locus eosdem refellendi, cõmoda quæ Regibus nostris, & lapso toti humano generi nascens parturierit, expendamus. Nam cum primorum parentum vitio tota natura mortalium corrupta, nil nisi stolones venenatos vitiorum omnium germinaret, adeoque tota radicitus arbor cum mortiferis fructibus exscindenda, flammis esset digna sempiternis, Christus nasciturus semen diuinum cœlo detulit, quod humano generi natiuitate sua inseuit, Spiritum illis diuinum gratiâ copiosiore sic afflando & fouendo, vt letali depulso naturæ veneno, pullulent deinceps operum bonorum optatissimi fructus; vitâ digni sempiternâ, & naturâ humana iam cœlestis, imò diuina reddita, digna sit, quæ Angelis non solum comparetur; sed ijsdem præferatur & dominetur.

humanitas corrupta ab Adamo. sanatur à Christo nato.

Effecta super Angelos.

Vt minus nocuerint primi parentes, hominis naturam vitiatam morti addicendo, quam profuit verus Pater noster CHRISTVS, vitam tam nobilem homini conciliando, cum ea dignitate, vt super omnes cœlestium geniorum Hierarchias meritò sit exaltãdus. præclarè sanctus Chrysologus, *Adam primus homo, pater generis, origo generationis, naturæ bonum, libertatem generis & germinis, vitam sic perdidit, dum deliquit, vt malum naturæ, seruitutem generis, germinis mortem successio lamentanda portaret: hinc est quod Christus nascendo naturam reddidit, tulit moriendo mortem: vitam reuocat, dum resurgit: & qui homini vitam dederat de cœlo, inde hominem fecit & carne constare, ne terrena labes cœlestem sensum rursum carnis demergat in lapsum, dicente Apostolo: primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis: qualis terrenus, tales & terreni, qualis & cœlestis, tales & cœlestes: & Ioannes Euangelista: omnis qui ex Deo natus est, non peccat, sed generatio* DEI *seruat illum: hinc est ergo, quod nascitur Christus, vt iacentes in terreno germine, cœlestem tolleret ad naturam.* Vt potius Christus, quam Adamus autor & parens humani generis, simulque reparator sit appellandus: & ipse natalis Christi debeat, verè natalis humani generis existimari, quo tam pastores per Angelum, quàm Gentiles Reges missâ stellâ, vtrosque gratia diuina decorando, Deo Patri parturiuit; & nos posteros in ijsdem. Præmittit igitur merito hæc de Christo elogia Chrysologus: *cum nascitur* IESVS, *oritur origo rerum, generatur largitor generis, nascitur autor naturæ, vt repararet naturam, genus redderet, originem recrearet*; Hæc quia venerat CHRISTVS commoda nobis allaturus: voluit ilico tam Gentiles quàm Iudæos eorum fieri participes: vti Rex cum venit vrbem obsessam ab hostibus liberaturus, tormentis protinus explosis; & si possit, clanculum nuncijs in vrbem missis, aduentum significat; animos addit ad agendum & sustinendum fortiter, breui triumphum cæsis hostibus relaturus. *Nascitur*, ait sanctus Augustinus, *infans paruus, Rex magnus, procedant certa indicia & signa magni Regis, Pastoribus nuntiant Angeli, per stellam velut nouam linguam clamant cœli: adducuntur de longinquo Magi, veniunt, vt adorent adhuc in præsepi iacentem; sed iam in cœlo & terra regnantem.* & lib. 4. c. 4. *nudum per linguam se demonstrat, qualis esset, & vniuersa creatura suum natum indicat Creatorem, Angeli pastoribus annunciant: stella Magos inuitat; rusticitas pastorum admonitionem exigit Angelorum; curiositas Magorum instructa est linguâ cœlorum.* sed quid est aliud Pastores & Reges aduocare, sibique præsentes sistere, quam debellatis eorum hostibus, quibus per peccatum plerique subdebantur è seruitute in libertatem filiorum Dei asserere, ius eis cœlestis adeundi regni conferre, ita vt tredecim ab aduentu vix elapsis diebus, iam Gentilitatem in Regibus, & quasi radice vel semine de potestate diaboli, qua quater millenis ferè annis plerique mortalium tenebantur obligati, vindicarit & maxima tyrannide liberarit: sicque rectè iam IESVS, seu saluator tum diceretur festo Epiphaniæ, cum sanguinis sui pretio salutem Gentilibus peperisset, vt iam dicam.

Ser. 1. 56.

Coloss. 15.

reparatur.

vix natus liberat homines ab hostibus.

S. Augustinus l. 5. ad Catech. c. 4

indicatur prodigijs.

CAPVT IV.

IESVS.

Nomen salutiferum ante Epiphaniam imponi oportuit.

VARIA Prophetæ CHRISTO nomina tribuerunt: quæ sic congerit c. 9. Isaias: *vocabitur nomen eius admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*: duobus tamen potissimum Christi IESV solet communiter appellari: Ac Christi quidem officium & dignitatem eius Regiam ac Sacerdotij designat ab vnctione deriuatum: qui sicut per excellentiam *Rex & Sacerdos*: sic ob diuinitatis oleum, quo solus fuit delibutus, *Christus* meruit nobiliori modo nuncupari: voluitque fideles idem nomen cum gratiæ Spiritus Sancti vnguento participare: cuius virtute ius regni cœlestis adeundi consequuntur.

varia Christi nomina. *Isaiæ 9.* duo præcipua.

Sed nomen salutiferum, IESVS vt maximè Christo proprium, sic præcipuè clarissimeque naturæ personæque conuenit, in qua mirabili consortio diuinitas humanitati vinculo perpetuo copulatur. Radix est etymon vocis Hebraicum est, sic scriptum יְשׁוּעָה: Iesuah quod 70. vertunt σωτῆρα Latinè saluator; significationem hanc An-

Angelus indicat: *vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Nam יהושע Iasah per ain in fine, seruare significat: hoc nomen in veteri testamento Iosue datum, qui Hebraicè Iehosuah nominatur, typus Christi, qui non vt Christus sanguine suo populum à peccatis, sed armis ab hostibus liberauit: sic filius Iosedech sacerdos Iesuah seu & Iehosuah Iesvs nuncupatur: vbi Iesuah idem est, quod saluator, salus, saluatio; & Iehosuah idem, quod Deus saluabit. *Matth.* 1. significatio, qui in veteri testamento sic appellati.

Hoc est illud diuinissimum nomen, de quo Philip. 2. loquitur Apostolus: *& donauit ei nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine* Iesv, *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster* Iesvs *Christus in gloria est Dei patris*, decet igitur omnem statum, dignitatem, sexum & ætatem, huic sacerrimo nomini, quidquid potest honoris & reuerentiæ tribuere, teste sancto Bernardino. *Nomen* Iesv *nomen glorioſum omni cultu dignissimum: tam singularis reuerentiæ est nomen* Iesv, *quod ab eius venerabili laude nullus excipitur status: vnde Propheta: Reges terræ, & omnes populi, principes & omnes Iudices, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cœlum & terram: Reges terræ se regentes & voluptatibus corporum imperantes dicuntur: populi quicunque sunt in vnum, ad honorandum nomen Domini* Iesv Christi *in vnitate & veritate fidei congregati: Principes & Iudices Angelici ciues sunt principantes per potentiam, iudicantes per sapientiam. Iuuenes sunt charitate feruentes, Virgines castitate fulgentes, seniores à voluptate deficientes, & libidine refrigescentes, iuniores sunt balbutientes: laudent nomen Domini, vt nullus status, non dignitas, non sexus, non ætas, ab eius laude intelligatur excludi: quia exaltatum est nomen eius solius.* *Philip.* 2. Nomen hoc super omne nomen. Ab omni statu honorandum est: *S. Bernardinus to.* 1. *ser.* 49. *de nomine Iesu c.* 4. *& ſ.* 14.

Iure Psaltes omnem inuitat virtutem, statum, dignitatem ad hoc dulcissimum & saluberrimum nomen inuocandum: nec enim sine fructu, sed maximis emolumentis nominatur: vt idem Bernardinus ait: *Hoc benedictum nomen* Iesv *vni electuario, ordinato contra omnem infirmitatem æquiparatur: quia contra omne periculum saluat animam, & corpus, iuxta illud Act. 2. omnis, qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.* Omnino contra omne periculum etiam corporis, vel quod ab hostibus nostris imminere nobis potest, certum in eo nomine præsidium est: expertus id Dauid contra Goliath pugnaturus adhuc in veteri testamento fuit, cum enim, vt Philo Iudæus affirmat, quinos delectos lapides, singulos singulis celeberrimorum Patriarcharum nominibus Abrahami, Isaac, Iacobi, Moysis & eum qui percussit Goliath, Iosue Ducis nomine insignijsset, qui re & nomine Iesum referebat, eundem lapidem, Iesu nomine signatum, fundâ circumactum impegit in frontem gigantis, & feliciter interfecit. Tantum in typo valuit contra hostes nomen Iesu, quid non poterit in ipso salutis autore, veroque saluatore? Antiochus soter seu saluator fuit appellatus, quod contra Galatas acie decertaturus, cum res antea minus ex voto successisset, vt in tanto discrimine militum animos excitaret, simulariť, per quietem à se visum esse Alexandrum Magnum, qui moneret, vt pro tessera tribunis daret pentagonum salutis & victoriæ Symbolum, ex tribus triangulis inuicem insertis compositum, & in angulis quinis ΥΓΕΙΑ seu *Salus* inscriberetur: Certius nobis salutis & victoriæ symbolum est in pentagrammate Iesus, quod omnes coguntur cœlites, mortales & inferi supplices venerari: & cuius solius virtute salus obtinetur: *hic est,* (exprobat S Petrus Iudæis) *lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Præterea illud peculiare mundo nomẽ hoc attulit, quod sanitatẽ animæ seu salutem adferret inuocanti: & vt Angelus loquitur: *saluum faciat populum suum à peccatis eorum*: nulli hac ratione nomen illud extra Iesum Christum datum est: nouum hoc illi vni fuit reseruatũ, cui soli virtus delendi peccata virtute sua debebatur: vidit hoc olim Isaias, dum ait, *& vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.* Solus Christus diuinitatẽ & humanitatẽ suo in suppositо vinciebat, aptissimus mediator Dei & hominũ, qui vtriusq; contineret naturã: dignissimus hoc mune-

Fructus inuocationis huius nominis. Ab omni statu honorandum. in corporis periculo. *1. Reg.* 17. 40. *Philo. in antiq. Iud.* tempore pugna cõtra hostes exemplo Dauidis. *Io. Pier. Valer. in appẽd. Hierogl. l.* 11. & Antiochi Saluatoris. *Act.* 4. 12. in anima quid efficiat *Isaiæ* 61. est nomen nouum. Explicat Personam Christi in duabus naturis.

munere, qui cum esset infinitæ dignitatis, poterat solus læsam Dei infinitam maiestatem lytro sanguinis oblato Patri conciliare, & ab hac effusione IESVS nominari. *Vocabis nomen eius* IESVM: *ipse enim saluum faciet populum à peccatis eorum. Nomen*, ait Cyrillus, *nouum verbo diuino est* IESVS, *& concurrens cum carnis natiuitate & propheticum oraculum adstipulatur Isaiæ.* 62. *vocabunt nomen eius nouum hoc, quod dominus nominauit.* Tunc nouo pater voluit nomine filium insignire, cum sanguine fuso Gentilibus ad se properantibus salutem carne circumcisus meruisset, vt qui *velut sponsus procedebat de thalamo*, cum Gentilitate licet Æthiopissa coniugio copulandus, rectè *sponsus sanguinum* diceretur. Tunc *os Domini nomen nouum nominauit* vel vt Hebræus ait *perforauit*: nam sicut nomina lapidibus inciduntur, sic Christus nouum hoc nomen accepit carnis incisione, sanguineo colore purpuratus. Certè quod Apostolus interpretatur Hebr. 10. *Ideo ingrediens mundum dicit hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi*, Arnobius & Cyrillus ex Hebræis conuertunt *corpus confodisti & perforasti mihi*: ideo scilicet, vt literis cruentatis nomen corpori pueri incideretur, & tenerrima cultro dissecta caro venturis iam Regibus pretium offerret, & medicinam: pretium ad debita scelerum exsoluenda, & antidotum ad reliquias morborum animi persanandas. Huc spectat illud Zach. 3. cum de lapide angulari loquitur, qui die Epiphaniæ erat veterem Iudæorum murum cum nouo Gentilium commissurus, & constricturus. *Ecce ego cælabo sculpturam eius*: S. Hier. & Rupertus instrumentum, quo cœlaturus est lapidem, clauos vocant, & lanceam: quidni cultro etiam cœlauit die circumcisionis. Sed iam multo ante ipso, si placet, natalis sui momento cor sponsi nostri & Regum trium amor vulnerarat, vt amoris & sui impos ilico stellam & nuncium mitteret Michaëlem, qui quantocius sponsam sibi sisteret Gentilitatem. Successit alterum vulnus octauo die, nouaque corporis apertio, de qua Hebræus ita locum iam laudatum exponit. *Ecce ego aperiam apertionem*, quasi culter non nouum esset carni vulnus incisurus: sed amore prius perfossam carnem, iterum aperturus, quod ita tormento crucis mellifluus Bernardus accommodat. *Foderunt & persoderunt Iudæi non solum manus, sed & pedes, & latus quoque sanctissimi cordis, intimâ furoris lanceâ perfoderunt, quod iam dudum amoris lanceâ fuerat vulneratum, vulnerasti inquit sponsus cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. Quid necessarium fuit illud ab inimicis vltra vulnerari, si vulneratum est? imò quia vulneratum est, quid secundum vulnus apponis?*

Hinc est quod lancea dicitur latus IESV *non percussisse, sed aperuisse*: clauis accessit lancea: pridem corpus totum amor vulnerarat: opus tantum erat, vt amoris facta vulnera demonstraret, & quasi claue latentem in arcâ thesaurum referaret: sic enim hoc simili ludit S. Chrysostomus: *lanceâ tanquam claue in arcam iectâ dedisti pretium ex paterno thesauro.* Hanc clauem porrectam Magis voluit Ecclesiæ progenitoribus, vt inde sibi posterisque infinitos reconditos meritorum thesauros plenis auferrent manibus, inde se, vt tanti Regis decet sponsas pretiosissimis ornarent vestimentis, auro gemmisque virtutum decorarent: Meritò igitur hoc mellitissimum IESV *nomen super omne nomen* censeamus: *Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri*: meritò Regum colla & genua nomini huic inclinentur, exemplo SS. Regum, qui primi post acceptum hoc diuinum nomen regio fastu posito, huic nomini sceptra submiserunt: Nouerant quàm carò stetisset illud puerulo, quod non nisi sanguine suo potuit obtinere: quo ipso & nos à peccatis liberaret: hinc nomẽ hoc, quo Christo glorioſius, hoc est carius, quod non ab origine & familiâ, sed à rebus fortiter gestis dimanauit. supplices ergo cũ SS. Regibus verbis S. Augustini veniam per hoc nomen flagitemus, IESV *propter nomen tuum, fac mihi secundum nomen tuum*: IESV *obliuiscere superbum prouocantem, respice miserum inuocantem: Quid enim est* IESVS *nisi saluator? ergo propter temetipsum esto mihi* IESVS. *Noli Domine, noli sic attendere malum meum, vt obliuiscaris bonum tuum: O bone Domine si ego admisi, vnde me damnare potes, tu non amisisti, vnde saluare soles.* Sic verosimile sponsam Gentilitatem à sponso sanguinum veniam orasse, & exorasse, locum nunc cognitâ personâ natiuitatis perquiramus.

explicans personam Christi in duabus naturis. *lib. 5. de Trin. post principium*

sanguine obtinuit illud.

& carnis incisione.

bis Christus vulneratus.

S. Bernardus c. 3. de vite.

primo amore. tum cultro & lanceâ.

hæc est clauis arcæ *S. Chrysost. in ps. 14.*

offertur Magis. *Act. 4. 21.*

primi Reges sceptra & colla nomini IESV submiserunt.

S. Augustinus lib. meditat. c. 39.

CA-

CAPVT V.

IN BETHLEHEM IVDA,

Locus natalis Christi.

ACCVRATE S. Matthæus adiuncta natalis Dominici persequitur: alludit frequenter ad vatum oracula, & promissiones factas Patriarchis de Messiâ: vt ad oculum demonstret non posse dubitari, quin verus Messias Christus sit in lege promissus, in quo singula, quæ diuerso tempore varij Patriarchæ & Prophetæ futurorum præscij longè ante prænunciarunt, impleta fuisse comprobantur. Quare sicut capite primo Christum ostenderat è Virgine natum esse, ac verum Emmanuelem ab Isaia promissum: eundemque ex Abrahæ & Dauidis posteris propagatum: sic his duabus voculis monstrat. *Primo* quidem in Bethlehem loco à Michæa tanto ante designato prodijsse. *Secundo* non in Nazareth, vel in Galilæa; sed vt filium heredemque Dauid: in ciuitate Iudæ esse progenitum.

S. Matthæus singulis pene verbis alludit ad Prophetias.

Bethlehem Judæ.

Notum ex Euangelijs Christum in Nazareth educatum, & in Galilæâ plurimum commoratum: vnde Galilæus & ipse & Apostoli sunt nominati: & passim non Betlehemita, sed Galilæus origine credebatur: ex hoc errore manarunt eæ voces Iudæorum die festo Solymis: *Nunquid à Galilæâ venit Christus? nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* sic cum Nicodemus solus in consilio Christi defensionem suscepisset, vniuersi responderunt & dixerunt: *Nunquid & tu Galilæus es? scrutare scripturas: & vide, quia à Galilæâ Propheta non surgit.*

Christus fuit creditus esse Galilæus. *Io.* 7. 42. *v.* 52.

Vt igitur Prophetia Michææ compleretur, & Christus etiam posset ex natali solo demonstrari dux esse, de quo Propheta prædixerat; cum Maria grauida multis mensibus degeret in Galilæâ, nec videretur fieri facilè posse, vt in natali solo Dauidis Bethlehemi de radice Iesse flos pullularet, vbi stirps ipsa fuerat plantata: voluit Deus Augustum seruire diuinæ prouidentiæ, censum quantocius orbi imperare, & singulos natalem reuisere locum, vt ita successor & instaurator regni Dauidis in patris sui natali solo nasceretur. ideo potissimum totus descriptus est orbis, ne totius orbis dominus extra patriam suam nasceretur.

In Bethlehem natus est, vt Prophetia Michææ impleretur. *c.* 5. Augustus seruiuit prouidentiæ Dei.

Addit vero Iuda vel *Iudæ*, vt distinguat ab altera Bethlehem tribus Zabulon in Galilæâ, de qua Iosue 19. fit mentio.

Cur addatur Iudæ.

Ceterum cum S. Hieronymus moneat, vitiosè legi multis in codicibus *Iudææ* pro Iudæ: eo quod malè patriam Christi, quæ in tribu Iuda sita erat, Euangelista distinxisset à Bethlehemo tribus Zabulonis, quæ non minus erat in Iudæâ, quam patria Dauidis & Christi: carpitur tamen à Iansenio, quibusdamque alijs, ratio tanti Doctoris ideo; quod postea sola tribus Iuda nomine Iudææ veniat; nam sub finem eiusdem capitis dicitur. Archelaum regnasse in Iudæâ, & ideo Iosephum in Galilæam deflexisse: vt demus tribum Iuda & Beniamin simul Iudæam appellari cœptam à Romanis tunc, cum regnum ibidem instituerunt, cui Herodem præfecerunt: quod regnum Iudææ propterea nuncupabant, quia Iudæis imperabat: vt inquam demus, cum de regno fit mentio, Iudæam duas tribus Iudæ & Beniamineam designare, scriptura tamen, quoties patriam Christi, Dauidisque distinguit ab alterâ Galilææ: vt Iudic. 19. 1. & Michææ 5. 1. solet eam tantum Bethlehem Iudæ non Iudææ vocitare.

S. Hieronymi sententia.

carpitur à Iansenio. sed defenditur.

Regnum Iudææ fuit à Romanis institutũ.

Bethlehẽ Iudæ patria Dauidis & Christi dicitur.

Tuetur hanc S. Hieronymi lectionem mellifluus doctor, & rectè monet, ea voce S. Matthæum nouæ prophetiæ meminisse, qua tempus etiam natalis dominici significetur: *Nec ociosum, quod additur Iudæ; siquidem admonet nos eius, quæ ad Patres facta est repromissio. Non auferetur, inquit, sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio Gentium: salus quippe ex Iudæis, sed salus vsque ad fines terræ. Iuda ait te laudabunt Fratres tui, manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, & cetera, quæ de Iuda illo nusquam legimus: sed in Christo videmus impleta. Ipse est enim Leo de tribu Iuda,*

S. Bernardus in vigil. Nat. Gen. 49. exprimitur vt impleantur Propheriæ

de quo & additur: *Catulus Leonis Iuda ad prædam, inquit, fili mi, adscendisti. Magnus prædator Christus, qui priusquam sciat vocare patrem vel matrem, Samariæ spolia diripit*: hæc Bernardus. quid mirum tam citò prædari filios Orientis, cuius nomen vocatum: *accelera, spolia detrahere, festina prædari*? Ecce quòt prophetijs verba Matthæi spoliant, qui censent Iudam in Iudæam esse conuertendum. tempus nunc natalis inquirendum.

CAPVT VI.

IN DIEBVS HERODIS REGIS.

De Tempore.

Regni cuiusque tempus dies appellantur. *Isa.* 1. *Eccl.* 10.

PRæter voces singulas discutiendas causſæ temporis, tam accuratè notati, adferendæ. Græcus textus habet ἐν ἡμέραις: congruè scripturis sacris, quæ per dies solent omne tempus designare, præsertim verò loca Prophetarum tangit, quibus solenne, dum Regum tempora nominant ea per dies exprimunt. vt Isaias, *Visio, quam vidit, in diebus Oziæ*, Ioathan &c. commonet Spiritus S. primates breuitatis vitæ & dominatus eorum, iuxta pronunciatum sapientis: *omnis enim potentatus breuis vita*: licet enim quis 50. vel 100. annis imperarit, quid est, nisi dies, hora, momentum, si cum æternitate conferatur?

Cur ab Herode tempus ducatur.

Deinde tempus ab Herode repetit Matthæus, dum Iudæis loquitur, vt binas eis refricaret prophetias: at S. Lucas Gentilibus scripturus ab edicto voluit Augusti ducere natiuitatis tempus, quibus id pervulgatius.

Sed cum Herodes permulti nominentur ab Hagiographis, hic primus, à quo reliqui descenderunt, quis fuerit exquirendum est: sic oraculorum diuinorum euentus intelligetur.

eius ortus nomina.

Herodes cuius hic mentio, patre natus Antipatro Idumæo, conuerso ad Iudaismum & matre Arabe, adeoque verè alienigena, primus à Romanis regnum obtinuit Iudæorum: varia sortitus nomina: dictus enim Ascalonita, Magnus, & Antipatri, cuius quidem initio regni nondum Messias ideo venit, quia legitimi superant heredes regni, Aristobulus & Hircanus: sed & his dolo necatis, primores Iudæorum diu restiterunt: adeoque iure sceptrum ipsi retinebant. donec tædio fessi circa extremos Herodis annos vltro victas dedere manus, & iuramento se illi obligarunt:

inuasor regni alieni fuit.

Gen. 49. 10. Prophetia de eo.

Exinde cœpit alienigena pacificè regnum solus obtinere Iudæ: quando non ita multis post mensibus saluator in lucem prodijt. hoc est illud quod Iacob filio Iudæ prædixerat. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est*: nam cum iam inde à Saule, Reges; postea Iudæis duces præfuissent: & ijs è Iuda sublatis regnum exter inuasisset, vt sibi posset Herodes regnum stabilire, non ignarus prophetiæ, se voluit Messiam venditare, quem in finem magnificentissimum Iudæis templum ædificauit: videri Iosephus potest: breuiter de hoc Theophylactus *meminit Herodis, vt tu discas, quod defecerunt à tribu Iuda reges, & principes, & necessario venit Christus: Herodes enim non erat Iudæus, sed Idumæus, Antipatri filius, ex vxore Arabe: cum defecissent autem Principes, exspectatio Gentium venit. sicut Iacob prædixit.*

Iosephus l. 15. c. 14. *Theophylactus in 2. Matth.*

Sed an extremo Herodis regni & vitæ anno Christus sit natus, an verò penultimo, vel etiam citius, controuertitur: adhuc in medio relinquo, suo loco discutiendum.

Cur rex dicatur. Filius eius Antipas tantum tetrarcha fuit.

At quid est, quod Regis nomen exprimat Euangelista? Nimirum vt à posteris & successoribus eiusdem nominis secernat Herodem Ascalonitam: Filium enim reliquit Antipam tetrarcham Galilææ, qui Ioannem Baptistam gladio percussit. & Christum albâ vestitum exercitui proposuit deridendum: quamuis & hic quandoque, sed rarius rex nominetur. Nepos vero Herodis magni fuit is, qui cum S. Iacobum martyrio laureasset, & S. Petrum vinxisset, ab Angelo percussus interijt: ex hoc genitus est Herodes Agrippa iunior, coram quo S. Paulus vinctus perorauit, Act. 25.

Re-

Restat vt causas adferamus, cur Herode dominante Christus voluerit in lucem natus Iudæis subuenire: nam præter implendam toties decantatam Iacobi prophetiam, Iudæa iugo penitus oppressa seruitutis alienigenæ maiori premebatur malo, quam vt humano Prophetæ alicuius remedio posset reualescere. hanc SS.PP. copiosè causam persequuntur. Clarissime rem ita proponit Doctor Angelicus: *Maior morbus indiget maiore & meliore medico: populus autem Israël tunc erat in maxima afflictione sub Gentili dominio, & ideo indigebat maximo consolatore: in alijs enim afflictionibus suis mittebantur Prophetæ; sed nunc propter magnitudinem afflictionis, mittebatur eis Prophetarum Dominus.* Idem multo ante sic S. Chrysostomus explicauit: *Quam diu gens Iudæa sub Iudaicis Regibus tenebatur, quamuis peccatoribus Prophetæ mittebantur ad remedium eius: nunc autem quando lex Dei sub potestate Regis iniqui tenebatur, nascitur Christus, quia magna & desperabilis infirmitas, medicum artificiosiorem requirebat*: Chrysologus politissimè sic eandem adfert rationem: *quid est quod tempore Regis nefandi Deus descendit in terras, miscetur diuinitas carni, sit terreno corpori cœleste commercium? quid est, & quando non verus Rex expulsurus tyrannum, vindicaturus patriam, instauraturus orbem, libertatem redditurus aduentat? Herodes refuga gentis Iudaicæ inuasit regnum, libertatem sustulit, profanauit sancta, confudit ordinem, quidquid disciplinæ, quidquid cultus est, aboleuit: merito ergo genti sanctæ, quia humana desunt, diuina succurrunt, & adest Deus ipse, cui homo non erat, qui adesset.* Hactenus natalem Christi, personam eius, locum & tempus expositimus: de quo postremo nonnullæ superant prius difficultates expediendæ, quam sideris ortum attingamus.

Cur Christus natus sub Herode.

S. Thomas in 2. Matth.

S. Chrysostomus.

S. Chrysologus ser. 156.

CAPVT VII.

Annus & dies natalis Christi iuxta communiorem sententiam examinatur.

QVM annus natalis Christi nondū ab ullo sic fuerit hactenus demonstratus, quin adhuc magnas patiatur difficultates: in re tam ancipiti placuit communiorem adferre sententiam, donec firmius aliquid à Chronologis decidatur. Et Augusti quidem annos ab eius imperij 40. ad 45. singulos diuersi rapiunt.

Difficultas de anno natalitio.

Communior habet sententia, dominatus Augusti A. 42. contigisse: ex quo consulatum primum inierat. ita Eusebius, Clemens Alex. S. Epiphanius, Isidorus, Cassiodorus, Orosius, Beda, Ado, Zonaras, vterque Nicephorus, Abulensis, Toletus, Maldonatus, Cuspinianus, Genebrardus, Salmeron, Serarius Salianus, & Martyrologium Romanum. At qui Augusti imperium anno citius, à nece Cæsaris 25. Martij factâ, auspicantur, coguntur anno Augusti 43. natalem Domini cum inchoare. Erat anno Augusti 42. Vrbis conditæ 751. iuxta Cuspinianum, Sigonium, Torniellum Baronium, Salianum.

ex communiori sententia. Annus Augusti 42.

Vrbis conditæ.

Contra sequentem annum V. C. 752. nominat Martyrologium Rom. Orosius, Onuphrius, Dio, Censorinus, Freculphus, Perer. in Dan. Scotus: qui tamen Consules eosdem iam nominandos constituunt.

Consules. Annus Iulianus.

Coss. nati Christi Salianus facit Augustum 13. & Siluanum cum Eusebio, Epiphanio, Onuphrio, Sigonio Pererio, Temporario, Heluico, Mercatore, Scaligero.

Baronius ponit anni præcedentis Coss. Annus Iulianus tunc erat 44. cum ab V. C. 708. cœperit: vt Scaliger, Heluicus & alij supputant.

Herodis regni & ætatis.

Herodes tunc 36. regni & vitæ 71. vltimumque inierat, ita vt vix tribus post euolutis mensibus, peracta cæde Innocentum circa Pascha decesserit: quamuis ab anno regni eius 30. ad dictum 36. diuersi singulos eius annos intermedios natali dominico tribuant. Fateor res omnis adhuc manet controuersa: debui tamen ne vager omnino dubius, id, quod iam plures tenent proponere vt reliqua sine fluctuatione manet oratio constantior: quamuis in fine capitis octaui moniturus sim, A. Iuliano 42. iuxta Sulpitij sententiam pacem orbi terrarum optimè conue-

nire

nire.cui consentit æra Agrippinensis : quam licet verosimiliorem existimem, malo tamen iam contentus esse communiore, eique Regum profectionem accommodare,quam hic alieno in loco tricas Chronologicas extricare.

dies natalis.

Altera de die difficultas est historiæ S S.Regum & Epiphaniæ propria: nam Græcorum quidam malè Natalem Domini cum Epiphaniæ die confuderunt vna solennitate vtrumque recolendo : nonnulli natalem in Ianuarium reiecerunt. Prius hoc capite sectariorum dissidentes colligam opiniones : tum orthodoxam sententiam stabiliam.

Hæreticorum pugnantes sententiæ inter se de eo.

Scaliger asserit verum Christi natalis diem ignorari.

Scaligeri.

Beroaldi.

Beroaldus reijcit in æquinoctium autumnale: sicut conceptionem in 25.Septemb.

Caluisij.

Caluisius putat circa principium Octobris Christum natum ; adeoque circa Calendas Ianuarias conceptum esse.

Temporarij.

Temporarius ineunte vere Christum ortum esse arbitratur , & initio ætatis corporatum.

fundamẽtum debile conuellitur.

Sic heterodoxi tam inter se, quam à Catholicis dissentiunt, hoc futili nixi fundamento,quod Pastores tunc fuerint in ea regione *vigilantes*:Græcè ἀγραυλοῦντες in agro stabulantes : quasi nequeat id mensi Decembri Iudææ calidissimæ conuenire. Obstrepit Scaliger:*Omnis Ecclesia in partibus Orientis seculo Eusebij & antecedenti & sequenti credidit Christum natum* 8.*idus seu sexto Ianuarij*.Negat id eius temporis scriptor Cassianus,ac solis ferè Ægyptijs morem hunc adscribit. *infra Ægypti regionem*, ait, *mos iste antiqua traditione seruatur, vt peracto Epiphaniorum die,quem prouinciæ illius Sacerdotes,vel dominici Baptismi vel secundum carnem natiuitatis esse definiunt : & idcirco vtriusque sacramenti solennitatem non bifariè (vt in occiduis prouincijs) sed sub vna diei huius festiuitate concelebrant.* vbi per occiduas partes, omnes etiam Orientis partes accipit, quæcumque sunt Ægyptijs occidentales.Quamuis, fateor, Græcorum nonnullos eidem mori tenacius inhæsisse,puta S.Epiphanium, dum ait: *Nato ipso circa Ianuarium mensem , hoc est ante octauum iduum Ianuarij : quæ est quinta Ianuarij mensis secundum Romanos ; secundum Ægyptios Tybi vndecima : iuxta Syros seu Græcos Audinæi sexta : iuxta Cyprios siue Salaminios quinta.&c.*S.etiam Chrysostomus coæuus Epiphanij scribit vix ante decem annos 25. Decembris diem natiuitati dominicæ fuisse consecratum : Menæa tamen Græcorum non nisi diem dictum Decembris agnoscunt,quibus Calendaria Syrorum, & Ægyptiorum assentiuntur:Anastasius item Nicænus l q q.q. 92.

Cassianus collat. 10. c. 2.

Græcorũ.

Communior.

& Catholicorum sententia.

Certa igitur & explorata manet Catholicorum sententia, sicut 25. Martij Incarnationi, sic 25. Decembris nouem post exactos menses natali Dominico consecrari, iam inde ab Apostolorum æuo, teste S. Clemente Romano,*Dies festos*, ait , *agitate fratres, & primum quidem diem natalis, qui* 25. *mensis noni celebratur*. Erat Clementi principium anno mensis Aprilis : ideo nonum Decembrem numerat.Sequitur hunc S. Hieronymus,qui ridet eos,qui 6. die Ianuarij natalem Domini recolunt : & S.Ambrosius: *Ecce in natiuitate Domini crescit dies, & Ioannis natiuitate decrescit : illo oriente lux proficit : hoc nascente minuitur : ipsa enim quodammodo tempora famulantia partibus suis, cum detrimentum sentiunt, seruus gignitur, cum autem Dominus nascitur, consequitur augmentum : profectum planè facit dies cum mundi saluator oritur , defectum patitur cum vltimus Propheta generatur.*

S. Clemens l. 5. Const. Ap. c. 12.

S. Hieron. in 1. *Ezech.*

S. Ambros. ser. 12.

S. Aug. ser. 22. *de tempore.*

S. Augustinus : *Elegit sibi, in qua nasceretur diem, qui fecit omnem diem , & non sine gratia prælationis ceteris in diebus habendus est hic dies , in quo Deus in hominem docetur fuisse promotus : denique ex hodierno die dies accipit incrementum, & augmenta sumit cursus sui : qui electus ad gloriam Dei nascitur, conceptus est enim æquinoctio verno,& natus est solstitio hiberno.*indicat etiam ex Ecclesiæ traditione sic ipsum cum S. Clemente diem. *Non omnes ad sextum diem post nonum mensem perueniunt ; sed quia ipsa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum producta comperitur , sicut à maioribus traditum suscipiens ecclesiæ custodit autoritas : octauo enim Calendas Aprilis conceptus creditur , quo & passus : natus autem traditur octauo Calendas Ianuarias : ab illo ergo die vsque ad istum computati* 276. *reperiuntur dies.*

Con

Confirmat hæc S. Auguſtini verba Albinus Flaccus Bedæ diſcipulus. Cum igitur idem Menæa Græcorum, Calendaria Syrorum cum faſtis Romanis ample-ctantur, merito S. Auguſtinus traditionem nominat Apoſtolicam: *quod enim vniuerſa tenet Eccleſia: nec concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* *Albinus l. 1. de offic. diu. c. 1.* *S. Aug. l. 4. contra Donatiſt. c. 24.*

Quis ſeptimanæ dies fuerit dominicuſne, vel feria ſexta controuertitur. Pro dominico ſtant complures. *Die dominica natus putatur.*

Rupertus: *Idem mirabilis plaſtes noſter, qui, vt dictum eſt, dominica nocte natus eſt, feria ſexta conceptus eſt,* idem ſentit autor q q.ad Autolicum q.17. Antoninus, Clitouæus, Ioannes Viguerius, Barradius, Baronius. *Rupertus l. 3. de offic. diu. c. 13.*

Citatur pro his ſextæ ſynodi talis canon. *In eo die manna in eremo pluit, in eo naſci dignatus eſt, in eo die ſtella Magis refulſit*: ſed hunc canonem vt ſpurium reijcit Surius.

Contra Salianus pugnat, & feria ſexta vult natum eſſe, ne die Sabbati pridie contra legem iter feciſſent: colligitque ex accurata ſupputatione conſulatus Auguſti 13 & anni imperij 42. laudatque pro ſe Heſychium, Anaſtaſium Sinaitam, & Nicænum. Res incerta, quia nutat adhuc annus natalis dominici.

Nocte verò natum eſſe Chriſtum communis veraque tenet opinio. Tertulianus. *Nos ſcimus, Euangelia nocturna natiuitate declarantia Dominum.* S. Auguſtinus: *Nocte natus eſt Dominus ex vtero virginis,* Vterque trahit huc illud pſalmi: *ante luciferum genui te.* Huc etiam Eccleſia, quæ nocte natalem hunc peragit; refert illud Sap. 18. *cum quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus de cœlis à regalibus ſedibus venit.* Aptè Rupertus: *Nocte Domini natus eſt Chriſtus: conſonante mirabilium ſuorum ordine: vt quo die dixit: fiat lux, & facta eſt lux, eiuſdem diei nocte exoriretur in tenebris lumen rectis corde, & viſitaret nos oriens ex alto: illuminare his, qui in tenebris ſunt, & in vmbra mortis.* Hæc illâ nox quater millenis annis exſpectata, qua ſol iuſtitiæ *deſiderium collium æternorum* prodijt *vt gigas ad currendam viam ſuam*: & ſtatim atque natus eſt, ſidus etiam nouum produxit & in Orientem Angelo duce legauit, ſimulque mentes & oculos Regum ad id videndum cognoſcendumque excitauit: ac voluntates efficienter impulit, vt agniti Meſſiæ natales comite duceque ſidere perueſtigarent: ſed ab hoc dulci argumento calamus vel inuitus auocandus, vſque dum pacem infantulo recens nato, pariterque Regibus ſecuritatem itineris icto cum Romanis fœdere ſtabilierimus. Nocte media. *Tert. l. 5. contra Marc. c. 9.* *S. Aug. in pſ. 109.* *Sap. 18.* tunc etiam ſtella Magis apparuit.

CAPVT VIII.

Anno Auguſti imperij 42. pax vniuerſalis in Oriente ac Iudæa cum Romanis, Ianuſque tertia vice clauſus fuit.

Licet Salianus 42. Auguſti annum faciat V. C. 751. Oroſius tamen, Romanum Martyrologium & alij 752. Ea quæ de pace mundo circa hoc tempus parta refert Oroſius, ad annum Auguſti 41. reuocat S. Hieronymus: adducam eadem autorum verbis & fide, vt pacificus aduentus Chriſti, Regumque per imperij fines libera commeandi poteſtas maneat perſuaſiſſima. *S. Hiero. in 2. Iſaiæ.*

Hanc ita S. Hieronymus memorat. *Veteres reuoluamus hiſtorias, & inueniemus vſque ad annum* 28. *Cæſaris Auguſti, cuius* 41. *anno Chriſtus natus eſt in Iudæa, in toto terrarum orbe fuiſſe diſcordiam, & ſingulas nationes contra vicinas gentes arſiſſe ſtudio præliandi: ita vt cæderent, & cæderentur, orto autem Domino Saluatore, quando ſub Præſide Syriæ Cirino prima facta eſt in orbe terrarum deſcriptio, & Euangelicæ doctrinæ pax Romani Imperij præparata: tunc omnia bella ceſſauerunt, & nequaquam per oppida & vicos exercebantur ad prælia, ſed ad agrorum cultus, militibus tantum, legionibuſque Romanis contra barbaras nationes bellan-* Pax vniuerſalis orto Chriſto.

bellandi ſtudio delegatis. Quando impletus eſt Angelorum ille concentus, Gloria in excelſis Deo & in terra pax hominibus bonæ volantatis, & in diebus eius orta eſt iuſtitia & multitudo pacis. cauſam pacis adſignat idem, vt ſaluti gentiũ monarchia Romana ſubſeruiret. *Poſtquam*, inquit, *ad imperium Chriſti ſingulare Roma ſortita eſt, Apoſtolorum itineri peruius factus eſt orbis, & apertæ ſunt eis portæ vrbium & ad prædicationem vnius Dei ſingulare conſtitutum eſt imperium.* Primos Euangelij iſtius præcones, & Apoſtolos Reges fuiſſe tres oſtendi, quibus vt diſcendi id, & ſubiectis vulgandi populis via panderetur, ita quidem pax fuit diuinitus orbe toto ſtabilita, vt tertium ab Auguſto ſub idem tempus Iani fores clauderentur, & ferrum ſenſim rubigine exederetur: vt Oroſius diligenter obſeruauit, Anno ab V. C. 752. *Cæſar Auguſtus ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum oceani circidum cunctis gentibus vna pace compoſitis, Iani portas tertio tunc clauſit. Quas ex eo per 12. ferè annos quietiſſimo ſemper obſeratas otio, ipſa etiam rubigo conſignauit: nec prius vnquam, niſi ſub extrema ſenectute Auguſti pulſatæ Athenienſium ſeditione, & Dacorum commotione patuerunt. Clauſis igitur Iani portis, Rempublicam, quam bello quæſiuerat, pace enutrire, atque amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit. Igitur eo tempore: id eſt eo anno, quo veriſſimam firmiſſimamque pacem ordinatione Dei Cæſar compoſuit, natus eſt Chriſtus, cuius aduentui pax iſta famulata eſt; in cuius ortu audientibus hominibus exſultantes Angeli cecinerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

In 2. Mrobea. ut fides facilius propagaretur. clauſus tertium Ianus. Oroſius lib. 6. c. 10.

obiectio Baronij.

Mouet Oroſio Baronius ſcrupulum ex Dione: qui cum bis ab Auguſto clauſum fuiſſe Ianum aſſeruiſſet tam Actiaca relata victoria, quam Cantabris debellatis, decennio poſtea ante ortum Chriſti vult tertium eſſe decretum, vt clauderetur: ſed id ne fieret, bellum Dacorum interceſſiſſe. Suetonium oppono Dioni, *is*, ait, *ante Auguſtum bis tantum fuiſſe clauſum Ianum ab V. C. ſolum Auguſtum ter clauſiſſe Ianum*: quid vetat enim Dacis ſuperatis & à Parthorum Rege Romanis vexillis Auguſto reſtitutis, ac ipſi fœderato cum Oriente, adeoque orbi vniuerſo paci reſtituta tertiùm Iani fores occluſiſſe, cenſumque pacatis omnibus gentibus indixiſſe: valde enim aſſeueranter id inculcat iterum Oroſius, Parthorum ſocietate memorata. *Natiuitas Chriſti fuit anno imperij Cæſaris 42. cum facta pace cum Parthis. Iani portæ clauſæ ſunt, & bella toto orbe ceſſauerunt.* Quod ſi quis etiam Agrippinenſem æram ſequi malit, quæ incipit cum natâ vel conceptâ Dei genitrice, Saturnino & Veſpillone Coſſ. Anno 27. Iuliano, cum Agrippa præſes Galliæ condere cœpit oppidum Vbiorum: adeoque natales Chriſti malit cum Seuero Sulpitio & multis alijs ad Annum Iulianum 42. & Coſſ. Sabinum & Rufum reuocare, tunc longè manifeſtius orbem terrarum vniuerſum pacatum licebit demonſtrare. cum enim Auguſtus bis antea Ianum clauſiſſet, primo poſt Actiacam victoriam: iterum deuictis Cantabris, & tertium Anno Iuliano 36. ſuperatis Germanis decretum eſſet, vt clauderetur, Dacico tamen bello, ne fiere, tobſiſtente, tandem anno Iuliano 41. qui proximè natales Chriſti anteceſſit, cum Tiberius iuſſu Auguſti ſplendidiſſimè Germanis debellatis triumphaſſet & Auguſtus decimum tertium, vt alij volunt 14. Imperator eſſet proclamatus, pax vniuerſo terrarum orbi parta fuit, & teſte Suetonio tertiùm Ianus clauſus eſt: eam pacem veteres inſcriptiones teſtantur, & nummi quaſi prænuncij quidam natalis mundi Saluatoris, cui in pace locum eſſe factum ſcriptura perhibet.

Oroſius l. 7. c. 3. Adominis 6. etatis.

pax cœpit A. Iul. 42. continuata annis 12.

Suet. c. 22. inſcriptio pacis.

Celebris inſcriptio fuit Alpina, quam Plinius ita recitat: *Imperatori Cæſari D. Filio, Aug. Pontifici Maximo Imperatori 13. Tribunitiæ poteſtatis 18. S. P. Q. R quod eius ductu, auſpicijsque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari ſupero ad inferũ pertinebant, ſub imperium Pop. Rom. ſunt redactæ.* Stetit ea pax 12. annos ad eladem vſque Varianam à Germanis illatam, anno Iuliano 54. quos intra annos nummi veteres pacem orbis denuntiant: eos Biæus exhibet. & in quibuſdam Auguſtus Imperator 14. nominatur, quod etiam obſeruaui in nummo Goltzij anno eius tribunitiæ poteſtatis. 18. qui fuit Iulianus 41. præcedens natales Domini: tunc enim cuſus, quod mireris, nummus eſt, cum imperator 14. eſſet, in quo viri duo infantulum pannis involutum nudum exertis brachijs mulieri inſidenti aræ quadratæ defe-

Plin. l. 3. nat. hiſt. c. 20.

nummi cum puerulo.

runt, in altera parte lauro cinctus orbis terrarum hanc in peripheria signat inscriptionem: *Pax orbis terrarum S.P.R.* Subiectus eidem apud Biæum alter, cuius altera facies templum & epigraphen *Paci perpetuæ* præfert, altera faciem Augusti, cui à fronte laurus, à tergo cornucopiæ germinat. Tertius manus coniunctas exhibet, è quibus caduceus, & vtrimque cornucopiæ adsurgit, subiecta pacis inscriptione. Quartus nummus, *salutem generis humani*, cum palma & serto nunciat, per victoriam alatam globo vel orbi insistentem: quæ sanè nulli tempori melius, quàm natali dominico possunt accommodari, & sententiæ Sulpitij quàm optimè congruit, seruiuntque mirificè ad tres Reges orbe pacato Solymam vsque deducendos. Sed lectori liberum sit de anno pacifico nati Saluatoris arbitrari: nunc communiorem adferre sententiam cogor, in qua post eam concordiam nouæ cum Parthis etiam pacis sanciendæ fuit, autor Caius cum exercitu missus in Iudæam, vt Orosius & ex eo Ado testatur *Postquam redemtor ille Dominus Iesus venit in terras, & Cæsaris censu ciuis Romanorum adscriptus est, dum per 12. vt dixi annos clausæ belli portæ beatissima pacis tranquillitate cohibentur, Caium nepotem suum Cæsar Augustus ad ordinandas Ægypti Syriæq; prouincias misit.* Degebat ea tempestate Ouidius & naumachiam Cæsaris in circo exhibitam cum descripsisset: Caij legationem his verbis canit:

Ecce parat Cæsar domito quod defuit orbi
Addere: nunc oriens vltime noster eris.
Parthe dabis pœnas, Crassi gaudete sepulti,
Signaque barbaricas non bene passa manus.
Vltor adest, primisque ducem profitetur in armis
Bellaque non puero tractat habenda puer.

Venit in Syriam prosperè Caius, Phraatem Parthorum Regem coacturus, vt Armeniâ cederet: territus eius aduentu, cessit. Velleius coæuus narrat Caium & Phraatem in excelsa insula, quam ambit Euphrates conuenisse æquato partis vtriusque numero, & cum Parthus Augusti postulatis acquieuisset, rem ab armis ad conuiuia conuersam esse. *Prior*, ait, *Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud Regem in hostili epulatus est*: licet pacem cum Parthis initam quidam paulò serius putent. Eâ sancita in Oriente, ac orbe iam clausis Iani foribus pacato: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Syrus vertit: *Vniuersus populus possessionis seu dominij eius.* nondum enim, ait Suetonius *Gothis, Armenis,* & *Indis* imperabat: adde, neque Parthis & Germanis: vnde pacis vniuersalis imperij Romani fuit index census, vt Beda notat: *Pacatissimo tempore nasci voluit pacis amator, nullum maius pacis indicium, quàm totum orbem describi, cuius moderator Augustus, qui maximâ 12. annis circa Natiuitatem Christi pace regnauit, bellis orbe toto sopitis.* Eundem censum vt indicem natalis Christi Gentilib. obijcit Tertul. *De censu Augusti, quem testem fidissimum Dominicæ natiuitatis Romana archiua custodiunt.* Et quoniam *Princeps pacis* in loco pacis nasci debuit, Iudæam Deus imprimis pacatam esse voluerit, tam censu ibi instituto, quam legatione Caij: hic Princeps iuuentutis filius Agrippæ heres Augusti, Consulque designatus ad honoratissimum munus belli vel pacis cum Partho conficiendæ missus fuerat in Palæstinam, vt Romani rerum domini tunc curam eius gentis gererent præcipuam, & Messiæ nascituro famularentur, adeoque finem sortirentur, quæ tot vatum oraculis fuerant denunciata: sicque Iudæa vaticinijs impletis facilius permoueretur ad Messiam recipiendum, nec Gentiles pacatis omnibus circa regionibus, ab adoratione eius prohiberentur, Parthorum & Indorum maximis regibus Augusto fœderatis. Quocirca rectè ait Adamus: *Cum pax Romanis esset cum Parthis, & Herodi nil permissum in fœderatos Romanorum, venirent etiam ad templum Solymæum Parthi, & Medi, & Persæ, vt ex Actis patet*, potuere & Reges nostri, vel ex Arabia, Parthia, Persia, vel etiam India tutò Solymam peruenire: nec adeo magno, iusto tamen & regio comitatu: quando ne quidem Herodi ius vllum fuit, vt in filios suos parricidas aliquid statueret seuerius, nisi Cæsaris condemnatio præcessisset. Quocirca *in pace* cum factus esset Christo locus in Bethlehem, & sociis Romanorum tuto liceret per Palæstinam proficisci, stellam, Christus in Orientem ablegauit, quæ Gentiles ad incunabula sua perduceret; cuius causas internas externasque cum effectis iam contemplemur.

& salutē humani generis.

Caius missus in Iudæam.

Ouidius.

Contra Parthorū Regem.

cūm eo pacem firmat

Velleius.

Index pacis census Augusti. *Lucæ 2. 1. Sueton. in Augusto.*

Herodes non ausus exteros impetere *Adamus Contzen in Matth. 2.*

Tert. contra Marcionē. Iudæa tunc maximè pacata erat.

CAPVT IX.

Stella momento natiuitatis Christi creatur.

Autores aduersariæ partis. *S. August. ser. 7. de Epipha. Nicephorus l. 1. c. 13.*

CONTRA sentiunt nonnulli, qui ferè biennio, vel multo ante natalem Domini stellam putant illuxisse.

S. August. *in cælo viderunt Magi ignotissimam stellam, non ante paucos dies, sed ante fermè biennium, sicut Herodi patefecerunt, inde à bimatu & infra occidit infantes.* Niceph. *stella duos annos ante, quàm Christus natus esset exorta apparuit: item duobus ante diuinam natiuitatem annis se in viam dedere Magi, & in Bethlehem venere, cũ adhuc in præsepi iaceret Christus.* S. Chrysost *Colligitur stellam ante multum tempus apparuisse; quia enim Magi plurimum erant itineris longinquitate remorandi, vt possent mox nato puero adsistere, ante multum tempus stella se demonstrat*, Theophyl. *stella antequam natus esset Dominus apparuerat Magis, quoniam multum temporis erant consumturi: ideo multo ante apparuit stella.* Michaël Glycas: *multo ante Christi natiuitatem sidus istud Magis apparuit.*

S. Chrysost. ho. 7. in Matth. Theophylactus in 2. Matth. Michael Glycas.

Confutantur.

Improbabilis ea sentẽtia: *Vidimus, Reges*, aiunt, *& venimus*: at quæ ista desidia duos annos itineri tribuere? fingine credibiliter ea regionum distantia potest, si vel Europa Asiaque fuisset percurrenda? nonne Magellianus ætate patrum biennio naui vna totum terrarum orbem circum nauigauit: licet varijs in locis explorandis, & mille difficultatibus expediendis multum, diuque præpediretur? Cur tanta constantia natum dicunt & stellam nati non nascituri visam à se contendunt, si natales ante effulsisset? Communior veriorque sententia: ipso nascente Christo statim sidus emicuisse.

verior sententia.

S. Hier. in glossa. S. Aug. ser. 4. de Epiban.

S. Hieronymus: *Stella nuncia dominicæ natiuitatis, nunquam prius apparuit, sed eam tunc puer creauit, & Magis præuiam deputauit.* S. Augustinus: sic retractat priorem sententiam: *Eo die, quo natus est Christus illi stellam in Oriente viderunt, & quem natum indicabat, agnouerunt, & ex illo die ad hanc diem occurrerunt.* S. Leo: *Mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci: tribus igitur Magis in regione Orientis stella nouæ claritatis apparuit.* S. Anselmus: *A die natiuitatis creditur stella tantum apparuisse.* S. Bernardinus: *Communiter tenetur, quod apparuit horâ natiuitatis.* citat SS. Augustinum & Hieronymum. Consentiunt recentiores Theologi, & interpretes Suaretz, Azor, Maldonatus, Regius.

S. Leo ser. 1. de Epipha.

Obiectio.

Non obstat sæuitia Herodis, dum à bimatu tollit innocentes: fecit id securitatis gratia. Ita voluit Christus vt primum natus Iudæis per Angelum: Regibus & Gentibus per stellam ortum suum indicare: qui venerat vtriq; populo salutem allaturus.

Non fuit e stellis firmamenti. *S. Basil. de hum. Christi gener.*

CAPVT X.

De materia eius, fueritne cœlestis, & vna fixarum, vel errrantium?

S. Greg. Nysse. de Natiu.

COPIOSI sunt hic SS. Patres, vt impugnent errorem eorũ, qui putant cuncta fatali siderum necessitate, læsa humani arbitrij libertate geri: adeoq; negant sidus Magorum vnum è fixis vel errantibus exstitisse.

S. Basilius: *Hic verò nulla stellarum ex his, quæ iam sunt, dominicam natiuitatem significauit: nam quæ ab initio orbis creatæ sunt, omnino immobiles existunt, aut certè continuò mouentur: hæc verò de qua loquimur, vtrumque habuisse palam est: & motum & quietem, ex quo nullam habuisse cum ceteris rationem aut naturam apparet, mota est inprimis ex Oriente in Bethlehem; constitit autem supra vbi erat puer.*

S. Cyrillus l. 2. c. 3. in Io. contra fatum.

S. Greg. Nyss. *Magi ex prædictione ipsius* (Balaam) *nouum obseruant ortum stellæ; quæ præter aliarum stellarum naturam & motus, & status est particeps, & ad vtilitatem hac vtitur vicissitudine; etenim cum ceteræ stellæ partim in orbe non errante semel infixæ statum immobilem consecutæ sint, partim nunquam cessent à tu: hæc & mouetur: dum Magis se ducem præbet, & stat dum illis ostendit locum.*

Sanctus Cyrillus Alexandrinus: *Obijciunt aduersarij in Natiuitate eius stellam Magis*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Magis apparuisse: & hanc ei fatalem fuisse confingunt; verum non satis perspiciunt, stellam illam non in dominium Christi effulsisse, sed in obsequium recens productam esse, vt Magos ad Christi incunabula perduceret, illoque expleto officio prorsus euanuisse: non enim fuit illa de numero stellarum, quas cœlo infixas cernimus: sed per aëris tractum ferebatur diuerso à cœlestibus astris motu: nempe hæc ab Occidente in Orientem motu tendunt, illa ab Oriente in Occidentem versus delata est: hæc item interdiu vix vnquam aut rarenter admodum spectantur, illustriore solis iubare ne conspiciantur occultata; illa verò etiam medio die se spectabilem præbuit; hæc rursum irrequieto motu semper aguntur, illa verò interdum quieuere visa: vt cum staret supra domum, vbi erat puer: demum hæc humanis obtutibus non se subtrahunt, nisi minorem eorum splendorem maius solis lumen exterminet; illa verò nunc se exhibuit videndam Magis, vt dum diuersaretur in Oriente, nunc se negauit eorum oculis, cum scilicet Ierosolymam venirent: nunc verò se rursum reddidit eorum obtutibus, cum Bethlehem versus tenderent; vnde facilè intelligimus, diuino nutu illam ad tempus formatam esse stellam, vt exortu in tenebris lumen rectis corde ostenderet, & primitias gentium ad nati saluatoris crepundia perducens, ei famulatum præberet. Similibus vtitur S. Chrysostomus argumentis petitis ex motu sideris huius peculiari, ex luce diuina, ex occultatione, & motu per aërem inferiorem: omitto, quia nimis prolixus est.

Breuius idem S. Ioannes Damascenus hoc modo conficit: *Sidus quod Magis apparuit non ex illis erat, quæ à mundi ortu condita sunt: id, quod ex eo liquido perspicitur, quod nunc ab ortu ad occasum; nunc à septentrione ad austrum progrediebatur; nunc delitescebat, nunc se rursus aperiebat: id, quod à siderum ortu & natura discrepat.* S. Ioan. Damascenus.

Fieri tamen potuisse, vt stella fixarum è numero orbe relicto Dei iussu Magis motore Angelo præluceret concedit S. Augustinus, dum contra Faustum ita declamat *Qui tandem Astrologi, ita constituerunt hominum nascentium fata sub stellis, vt aliquam stellarum homini nato circuitus sui ordinem reliquisse, & ad eum, qui natus esset, perrexisse asseuerent: sortem quippe nascentis astrorum ordini colligari arbitrantur, non astrorum ordinem ad hominis nati diem posse incitari. Quapropter si stella illa ex istis erat, quæ in cœlo peragunt ortus suos, quomodo poterat discernere, quid natus Christus acturus erat, quæ nato Christo iussa est relinquere quod agebat? si autem, vt probabilius creditur ad demonstrandum, quæ non erat excita est.* potuisset Deus ijs vti. S. Augustinus contra Faustum.

Fatetur hic à Deo potuisse fixarum vnã ei ministerio deputari, factum esse, negat, ne miracula sine necessitate multiplicentur, teste Suaretz: *Nam licet*, ait, *illa esset ex stellis cœlestibus, iuberi poterat nato Christo, quod agebat, & ad Christum manifestandum descendere, nouoque modo & inusitato moueri; sed licet hoc diuina potentia facere potuerit, id tamen, quod facilius est, & pauciora miracula, minoremq; immutationem ordinis vniuersi requirit, fecisse credendum est: multo autẽ facilius est hic nouam stellam condere, quam è cœlo diuellere, & vacuum istum locum relinquere, aut cœlum ad illum replendum rarefacere, aut nouo & inusitato corpore illum replere, ac rursus stellam suo peracto ministerio illuc reducere.* Suaretz.

Et Maldonatus: *Poterat esse* (stella cœlestis) *quia qui fecerat aliquando, vt sol staret, aliquando vt retrorsum reverteretur, facere potuit, vt stella statione naturali relicta isthæc præter naturam officia præstaret; sed quia miracula Deus sine necessitate non facit, nec à nobis, nisi probentur, habenda pro miraculis sunt, probabilius est, veram non fuisse stellam.* Incredibile tamen videtur stellam non dico primæ magnitudinis, quæ plus decies terræ superat magnitudinem, imo ex minimis (quas nebulosas vocant) orbis sui statione relicta Magis per aërẽ præluxisse, ac directè dum supra tugurium consisteret, puerum designasse: cum & illæ superent mille milliariorum quantitatem. Et vnde quæso lumen tales nisi à sole mutuantur: qui cum luceret Antipodibus, non poterat faciem stellæ Magis obuersam magnopere irradiare: quanto minus valuisset sidus illud per diem sole clarius collucere? Obiectiones.

Sed nunquid sidereum cœlum, & eius via lactea stellas innumeras continet minimas, quæ certe inter se interuallo disiunctæ communem conciliant splendorem, & lucem firmamento? Ex his si vna per aërem ab Angelo mota non solis reuerberata lumine, Responsio.

sed natiua luce diuinitus aucta viam Magis die nocteque præmonstrasset, videri poterat terræ propior, & lumine splendidior, solis ipsius fulgur superare: vt persuasissimum esse debeat, Deum potuisse ministerio sideris cœli stellati Reges ad incunabula filij perducere.

CAPVT XI.

Spiritus Sanctus, vel Angelus sub stellæ Specie.

Theodorus Ancyranus oratione de Natiu. in cœt. Ephes.

EVISSE non astrum inanimum: sed mentem rationis participem, siue Angelicam, siue diuinam, adeoque Spiritum S. veterum Patrum nonnulli tradiderunt.

Theodorus Ancyranus Episcopus ita loquitur. *Propterea à stella denunciatus, non à stella descendente ad Magos, neque enim stellæ loca permutant: sed quoniam Chaldæorum terra plurimos habet stellarum motus inspicientes, virtus quædam præstantior deducens Magos adsumsit stellæ speciem; vt ab ijs ipsis, quæ didicerant Chaldæi, quod nesciebant, agnoscerent, & cum Astronomiæ studium adhiberent, ab ipsis astris Christi mysteria docerentur; quod enim non erat stella, sed virtus Angelica ducens barbaros ad pietatem, ipse Euangelista significat, cum dicit, stellam hanc in die aliquando quidem apparuisse, aliquando rursum latuisse, alias vero deduxisse Magos, & cum ipsis in Bethlehem profectam esse, quod nemo vtique facere dixerit vllam è solitis sideribus sensui notis, sed virtutem in stellæ figuram Astronomis apparentem.*

fuit virtus præstantior.

Huc spectat illud S. Chrysostomi: *Quod enim non vulgaris stella fuerit, imo vt ego arbitror nec stella omnino, sed quædam inuisibilis virtus in speciem sideris transfigurati ex ipsius motu liquet*, & infra: *hoc autem non agit motus sideris, sed virtus quædam rationis.*

Theophylactus hs. 2. in Matth.

Theophylactus: *Quando audis stellam, ne talem putes illam, qualem videmus; sed diuinam virtutem & angelicam in figura sideris apparentem: nam quoniam Astrologi Magi erant, propterea eos Dominus familiari signo adduxit. Quod autem Angelica virtus fuerit stella, manifestatur ex eo, quod & in die resulserit, & ad motum Magorum se mouerit, & ad quietem eorum quieuerit.* Vberius rem hanc prosequitur Autor de mirabilibus sacræ scripturæ, & ita proponit. *De ista verò stella dubitatur, vtrumne stella simplex an Angelus, an Spiritus S. accipiatur*: de singulis postea disserit, & quidem sic de Angelo: *si Angelus habitu stellæ hoc ministerium fecit quod non repugnat, dum se Angeli quando hominibus ostendunt, in multos transformant habitus; quomodo & Moysi in Oreb de rubo Angelus ignita facie loquebatur, & velut miles armatus Iosue filio Nun extra castra in Galgalis ostenditur, sicut currus & equi ignei in adsensione Eliæ Angeli finguntur. Et quando Helisæus pueri sui oculos aperuit, in ijsdem habitudinibus Angeli manifestantur. In forma hospitum Abrahæ & Lothconspectibus se præbuerunt, & Manue & vxor eius prophetali habitu loquentem ad eos Angelum viderunt, nimirum & ista vice Angelus Dux Magorum efficitur, qui Astrologis in stellæ similitudinem & clarissimi sideris fulgorem transformatur. Licet enim per imaginem rerum, quæ Ioanni in Apocalypsi sua per visionem dicuntur: huic tamen intellectui non contra facit. Stellæ septem Ecclesiarum septem Angeli sunt: vnde quamuis in spiritu, dum tamen stellæ Angeli dicuntur, quid repugnet, si etiam in hoc loco stella Angelus dictus esse sentiatur?*

Angelus videtur fuisse.

imo Spiritus S.

Subijcit de Spiritu S. hunc discursum. *Si neque Angelus, neque stella firmamenti fuisse dignoscitur, Spiritus ergo S. hæc stella fieri concedatur, qui sicut post modum corporali specie columbæ descendit super Iesum Dominum in Iordane, sic Gentes adoratrices stellæ specie duxit ad cunabula Domini nascentis in carne. De quo spiritu per parabolam Balaam Astrologus loquebatur: Orietur stella ex Iacob, rutilum scilicet lumen spiritualis gratiæ Christi, qua nox infidelium Gentium illuminatur: sicut ergo in igne super Apostolos postea in cœnaculo Sion* descendit, *ita in specie stellæ Magos ad Dominum Spiritus S. deducit.* Fauet Euthymius: *stella non naturam, sed figuram duntaxat habuit stellarum, & verè diuina quædam inerat potentia in hanc figuram transformata.*

Do-

Doctor Angelicus vtriusque sententiæ sic meminit: *Quidam dicunt, quod sicut Spiritus S. descendit super baptizatum Dominum in specie columbæ, ita apparuit Magis in specie stellæ, Alij vero dicunt, quod Angelus, qui apparuit Pastoribus in humana specie, apparuit Magis in specie stellæ.* Marsilius Ficinus de Angelo sic probat. *Probabile est cometam illum fuisse Angelum, vt sicut Tobiæ iter Angelus sub humana specie direxerit, sic iter Astrologorum Angelus sub forma stellæ ad Christum quandoque direxerit.* S. Thomas. 3. p. q. 36 a. 7. in corp. Marsilius Ficinus de stella Magorum.

Speciem stellæ potuisse Spiritum S. recipere, qui linguis ignitis descendit in Apostolos, & varijs interdum sanctis diuersis assimilatus figuris apparuit, mihi certissimum est, sicut & Angeli rubi ardentis, & columnæ igneæ, vel simile quoddam schema induerunt: Quid ni Magos Ecclesiæ patres ipse sponsus Ecclesiæ Spiritus S. & nuptiarum cælestium Paranymphi Angeli familiari signo siderum contemplatores ad verbum corporatum adduxisset; si Dei voluntati congruisset? Nonne promittit Israëli Deus, quod ipse præcessurus suum esset populum, cum oraret Moyses: *si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto*: ei iam ante promiserat Deus: *facies mea præcedet te*, parum Domino præcedere Israëlem, quem Dominus humeris se portasse gloriatur. *Dominus*, ait, *Moyses, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnauit & in solitudine, ipse vidistis, portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum in omni via, per quam ambulastis*: multumne videatur Domino duxisse & præluxisse Magis Ecclesiæ gentilis progenitoribus, quorum nouellam Ecclesiam plus Israële adamauit? Magis tamen consentaneum videtur esse diuinæ prouidentiæ, si causis secundis adhibitis; ijs vtatur potius ad diuinæ voluntatis promptam excusationem: adeoque si faciamus veram fuisse stellam, cuius Angelus motor, viæ dux & moderator, eos incolumes per omnes viæ molestias stiterit Saluatori. Deut. 1. 2 Ps. Quid verius sit factũ esse.

CAPVT XII.

Fueritne cometarum aliquis, & de qua materia?

INitio mundi sole nondum procreato Deus lucem quandam, vt multi volunt, condidit nulli affixam corpori: sed quæ ab ortu in occasum vsque solaris instar cursus, nunc in hac, postea in sequenti cœli parte reniteret: & noctem à die separaret: Non tale præluxit Magis lumen: sed stella: quæ vi nominis corpus luminosum indicat, per cœli spatia vel aëris regiones mobile, certa materia, formaque substantiali constitutum. *Certum* (ait Suaretz) *existimo, illam* (stellam) *fuisse naturæ corporeæ: id est verum corpus lucidum, & illuminans; itaque neque fuit aliquid specie tantum apparens, seu phantasticum: quia Euangelium aperte significat fuisse stellam exterioribus sensibus obiectam, atque lucentem: neque enim fuit lux aliqua quasi subsistens, & per se separata; tum quia non est necesse hoc nouum miraculum sine necessitate fingere; tum etiam, quia stella significat corpus aliquod, & non tantum accidens: & hinc sit, illam stellam ex materia & forma substantiali fuisse compositam; hoc enim connaturale est omni corpori; & habuisse præterea lucem, quæ accidens est corporis illuminantis, quale illud fuisse, & nomen stellæ probat, & munus: quomodo enim dux viæ esse posset, nisi illuminando.* Ergone cœlestem & incorruptibilem materiam ei tribuemus? At quid opus eo, quæ peracto tredecim dierum officio ducis, erat interitura? Sacer tamen codex eam stellam: & sancti Patres signum cœleste nominant: at Cometæ: & aliæ impressiones aëreæ solent ijsdem nominibus insigniri: quibuscum materiam videri potest communem habuisse. Non fuit lux accidentalis. Suaretz. Materia eius sublunaris. Non fuit Cometa. S. Basil. de hum. Christi generat.

Rectè tamen ob motus & formæ varietatem eam SS. Patres à numero cometarum segregarunt. S. Basilius. *Neque*, ait, *superuacaneum fuerit contra eos dicere, qui affirmant hoc astrum cœlo apparens Cometis simile fuisse; qui Regum successiones & imperia noua portendere videntur: verum Cometæ immobiles continuo sunt, & in vna tantum cœli accensi parte circumscripti. Præterea Cometarum diuersa nomina, & appellationes, trabeales, bothyni, &c. figura autem similes, & inter se propinquæ, omnium verò generationis causa, cum inundans circa terram aër in serenam cœli partem diffunditur: vt materiam quandam igni cælesti præbens sordium videlicet & humorum terrestrium crassitudinem*

Ad superiora tractam, atque inflammatam talis sideris criniti apparentiam facit: hoc verò sidus rursus disparuit, donec ipsis dubitantibus, ac suspensis iterum in Iudæa se manifestauit. Verum est, quod S. Basilius monet, nullam regni terreni mutationem portendisse. si tamen Gentilibus Plinio, Cheremoni, & Chalcidio credimus, salutem proximam; si Sancto Thomæ regni Christi cœlestis & æterni exordium indicauit: *sicuti* (ait Doctor Angelicus) *stella illa non est secuta motum stellarum cœlestium; ita nec etiam motum stellarum cometarum: quæ nec de die apparent, nec cursum suum ordinatum mutant: & tamen non omnino aberat significatio cometarum, quia cœleste regnum comminuit, & consumit vniuersa regna terræ, & ipsum stabit in æternum, vt dicitur Danielis 2.*

portendit salutem & regnum cœleste. *S. Thom. q. 36. a. 7. ad 3.*

Materiam igitur communem cum Cometis, vt dicebam, participauit: aëream & elementalem; vel exhalationem calidam in sublime caloris vi elatam, è qua virtute diuina corpus eius generis fuit coagmentatum: cui naturalis splendor & lux tam intensa debebatur. Hoc sensu loquitur Origenes: *stellam fuisse nouam arbitramur, nec vlli ex notis istis similem, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus: sed eius generis, quales Cometæ visuntur.* & Franciscus Lucas diserte ait: *eam ex tali materia, quali Cometes, aërea, & elementari coaluisse.* Suaretz plures laudat huius sententiæ suffragatores: *Quare*, ait, *verisimilius videtur fuisse ex materia aërea, seu elementari procreatam*: vt sentit Abulensis Matt. 2. S. Tho. hic, *significant Patres, quando dicunt illam non fuisse stellam cœlestem: non enim solum intelligunt non fuisse ex numero cœlestium astrorum; sed etiam non fuisse illius ordinis & naturæ: & hoc ipsum significare voluit Origenes l. 1. contra Celsum: cum dixit illam esse ad similitudinem Cometæ: non enim intelligit fuisse eiusdem rationis, quoad splendorem & motum: sed solum quoad materiam, ex qua facta est.*

materia eius communis cũ Cometis. *Origenes lib. 1. contra Celsum. Franciscus Luc. in 2. Matth. Suar. disp. 14. sect. 5.*

Hanc verò materiam administro quodam Angelo coactam fuisse, & præparatã probabile: modum eius non incongruè Marsilius Ficinus sic explicat: *stans Angelus in aëre medio mille aëris stadia circumfusa sibi in spatium aliquanto angustius congregauit: idéque totum velut anima corpus sibi mira potestate devinxit, & à reliquo elemento secreuit. Perinde ac virtute coaguli lac plurimum cogitur in angustius, & ab aqua secernitur. At cur Angelus aërem condensauit? vt lumen, quod huic aëri exhibiturus erat, hominum oculis appareret, quæ enim rarissima sunt, subterfugiunt acies oculorum.* De forma dubitò, num vi sua potuerit educere, cui tam intensum lumen: de quo iam dicemus, conueniret.

ab Angelo disposita. *Marsilius de stella Mag.* & coagmentata.

CAPVT XIII.

Qualis forma & lumen illius: num sole clarius?

forma mixti nobilissima. lux.

ERat corpus hoc non simplex, sed elementis nobilibus, ex refractis primis qualitatibus compactum, ac forma mixti cuiusdam nobilissimà præditum; quæ non lucem adamantis, ignis, fulguris stellarum cadentium & cometarum: sed etiam fixarum claritati supparem, vel maiorem: & pene solis splendori similem à se funderet, naturæ suæ consentaneam: vt sidus hoc solis æmulum meridie prope tamen Reges solum splendere videretur. Hinc multi Patrum duce S. Ignatio lucem ei solari maiorem tribuerunt.

sole clatior

S. Ignatius. ep. 14. ad Ephes.

Stella, ait S. Ignatius, *fulsit, exsuperans omnes, quotquot ante fuerant: lux enim illius erat inenarrabilis, & stuporem incussit omnibus adspicientibus eam rei nouitas: omnia autem reliqua astra cum sole & luna chorus fuere stellæ illius: ipsa verò claritate exsuperabat omnes: turbabantúrque omnes, vnde prodiret hæc, quæ apparebat nouitas.* S. Chrysostomus. *Neque enim in nocte cernitur; sed in ipso medio die, ac sole fulgente: quam lucendi vim, non modo stella nulla; sed nec ipsa quidem luna sortita est, quæ licet multo clarius omnibus coruscet astris, continuo tamen radijs solaribus micantibus absconditur, & euanscit: hæc verò stella, ipsos etiam solis radios proprio quodam præcipuoque fulgore superabat: lucidior illis visa, atque in tanto eorum lumine magis ipsa resplendens.*

S. Chrysost. ho. 6. in 2. Matth.

Concinit Ecclesia in officio Epiphaniæ ex Prudentio, *Quem stella, quæ solis ro-*

tam

tam vincit decore ac lumine, venisse terris nunciat, cum carne terrestri Deum. Ecclesius ex Prudentio.

Idem in Apotheosi sic canit:

Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri,
Et super antiquos signorum ardescere tractus,
Diriguit trepidans Chaldæo in vertice pernox
Astrologus cessisse anguem, fugisse leonem,
Contraxisse pedes lateris manco ordine cancrum;
Quique alij horrificis pendent in nubibus ignes,
Luciferum timuere nouum; rota lucida solis
Hæret, & excidium sensit iam iamque futurum
Sequè die medio velandum tegmine glauco
Splendoremque poli periturum nocte diurna
Orbe repentinis caput obnubente tenebris.

S. Leo: *Tribus igitur Magis in regione Orientis stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior ceteris pulchriorque sideribus, facilè in se intuentium oculos, animosque conuerteret, vt confestim aduerteretur, non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur.* S. Leo ser. 1. de Epiph.

Alcuinus: *Magi in Oriente stellam videntes nimia claritate fulgentem, ita vt Solem luce superaret, vt erant edocti in cursu astrorum.* Alcuinus l. de offic. div. c. 5.

An ergo verosimile sit vlli infra lunam corpori lucem posse solari maiorem competere? Non video cur diuinæ repugnet potentiæ, tale creare: sed nec eius tamen fuisse necessariam procreationem sic suadet Suaretz noster. *Nihilominus tamen non existimo necessarium, vt habuerit lucem intensiorem & maiorem luce solis. quia difficile creditu est perfectiorem lucem esse connaturalem alicui inferiori corpori, aut datam esse à Deo sine necessitate: vt enim meridie luceret, & videri posset, satis erat, quod esset terræ propinqua, & haberet lucem valde perfectam, & materiam admodum densam: hoc enim plurimum confert ad lucendum magis.* Potest Deus creare mixtum sole lucidius.

Quid si dicamus in solari corpore præter densitatem & lumen innatum reliquis sideribus intensius, duo multum conferre, vt fortius & efficacius, quam reliquæ stellæ agat in res inferiores. *Primò*, corporis eximiam magnitudinem, quâ cuncta præcellit astra. *Deinde*, situm inter errones medium terræ propiorem; quorum alterũ si abesset, non idem in res ex elementis concretas ac mixtas posset, quod modo: adeoq; si tantilla solaris corporis portio, quanta Magorum stella fuit, æque vicina Magis apparuisset. minus fortasse (quod Sancti Patres innuunt) quam sidus eorum vicinum aërem noctu vel interdiu collustrasset. Nec enim video, cur repugnet corpori cuidam infra lunam lucem intensiorem insitam & naturalem esse, quam cœlesti: ut demus in creatis nihil simile reperire: nihil id tamen omnipotentiæ Dei derogat: quæ corpora beatorum luce tamen maiore, quam sidera decorabit: & solis splendorem septies faciet in anastasi illustriorem. Non fuerit id in Magorum ductu necessarium: attamen diuinæ sapientiæ, & potentiæ consentaneum videbatur tunc, cum creator & reparator orbis verus *iustitiæ sol oriens ex alto sedentibus in tenebris & vmbra mortis* nocte emicaret, vt ipso sole clarior oriretur: ideo etiam cum meridiè de vita decederet in cruce Solem idem voluit lunæ caliginosiore velamento tegi, radiosque mortalibus plus media nocte subtrahere: vt Christum verum agnoscerent solem iam morte decessisse: præ cuius radijs astra vel sol ipse ne lucerent quidem: hoc igitur astrum tot seculis ante prænunciatum, à Iudæis pariter & Gentibus exspectatum: & ipsius veri solis ortum sua luce demonstraturum, tam inusitato voluit fulgore Regibus apparere: vt se lucis filios agnoscerent; cuius etiam ductu & auspicijs Ecclesia Gentilium progenitoribus Regibus à Christo gratiæ splendore decorata in stabulo nasceretur, aleretur, propagaretur: & tantum Iudaicam Synagogam velut vmbram claritate gratiæ anteiret, quantum sol columnam nubis aut ignis, quæ ipsi præluxerat: tanto etiam facilius deinceps, mithræ, solis & stellarum cultum erant abiecturi: quanto sole clarius astrum solem ipsis verum in stabulo designasset: cui & ipsum & alia sidera famularentur. Ita non improbabilis SS. Patrum opinio, naturam talis astri lumen sole clarius exegisse, & à se fudisse: licet corporis obstaret paruitas, quo minus orbem vniuersum illustraret. eminentia solis. & huius sideris præ sole. *Isa.* 30. v. 27. congruentiæ huius conglobatæ.

CAPVT XIV.

An fuerit à Christo puero procreata?

POst internas seu insitas huius astri causas, sequuntur externæ vel assi æ, finis & efficiens:

Finis stellæ.

Finis eius idem, qui effectus fuit, ductus Gentilium ad Christum & conuersio: Iudæorum verò cæcitas permissa, ob quam prope Solymam euanuit: & inde digressis illuxit iterum.

efficiens principalis Deus.

Efficiens principalis Deus: qui voluit velut instrumentum, sic humanitatem filij recens nati adhibere deinceps vt causam adiuuantem proximam in omnibus operibus gratiæ producendis: itaque cum hoc effet initium aliquod primæ vocantis gratiæ, quod ipso fideris illius adspectu in Gentilium animis inchoabat: à filio seu fonte primario voluit emanare, velut à sole radios: vt ipse tam cœli, cœlestiumque phœnomenum, quam hominum Dominus probaretur: qui recens natus hostium etiam voluntates & corda quo vellet, inclinaret. Ideo sancti Patres tam sideris ortum, quam hunc effectum eius, nascenti puero tribuerunt.

instrumẽtum Christus puer.

S. Ignatius l. 1.

S. Ignatius explicata stellæ claritate subdit. *Turbabantur omnes, vnde prodiret hæc, quæ apparebat nouitas: hinc euanuit mundi sapientia, præstigiæ factæ sunt nugæ, magia risus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantiæ caligo fugata, & tyrannicus principatus destructus; cũ Deus vt homo apparuit, & homo, vt Deus operabatur.*

S. Augustser. 5.

S. Augustinus: *Hinc potius Christus non sub dominatu eius, (stellæ) sed dominus eius apparuit: quia illa non cœlo sidereas vias tenuit; sed hominibus quærentibus Christum viam vsque ad locum, in quo natus fuerat, demonstrauit: vnde non ipsa Christum fecit mirabiliter viuere, sed ipsam fecit Christus mirabiliter apparere, nec ipsa Christi mirabilia decreuit; sed ipsam Christus inter sua mirabilia demonstrauit,*

S. Chrysologus: *Apparuit stella non volens; sed iussa: non cœli nutu, sed diuinitatis impulsu: non lege siderum, sed nouitate signorum: non cœli climate, sed virtute nascentis.*

S. Leo ser. 1.

S. Leo: *Dedit ergo intelligentibus intellectum, qui præstitit signum; & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit inquisitus.*

S. Fulgentius ser. 1.

S. Fulgentius: *Hæc stella nunquam ante apparuit: quia nunc eam iste puer creauit; & Magis ad se venientibus præuiam deputauit.*

Albertus Magnus in 2. Matt.

Albertus Magnus quatuor eam modis dicit exstitisse stellam Christi 1. *efficienter, quod eam fecit, vt ostenderet, quod ipse est, qui stellas creauit.* 2. *figuraliter, quod sit semen, in quo Gen.* 15. *benedictæ sunt omnes Gentes.* 3. *obsequialiter, quod Christo obsecuta adducendo primitias gentium.* 4. *finaliter: quod non est, nisi propter gloriam ipsius & honorem.*

Hieronymus Natalis.

Coniungit Hieronymus Natalis stellæ procreationem & gratiæ in Regibus virtute nati pueruli: *Iesus*, ait, *ipse plorans, & frigens illam lucem operabatur, illa luce illustrabat dulcissimè & oculos Magorum, & corda: ipse aderat in diuinitate, apparebat in humanitate: in hac enim Christum etiam contemplabantur in spiritu, & adorabant sancti Reges.*

Huc ij sanctorum Patrum possunt reuocari; qui Christum in stabulo natum faciunt Damasci & Samariæ prædatorem, mundique Dominum, suaque virtute de inimicis vno nutu, & stellâ nunciâ triumphantem. Vnus huic loco sufficiat S. Athanasius egregiè Regis huius cœlestis ortum: Regum omnium mundi virtute & maiestate præferentem. *At natiuitatis Christi non hominum quispiam, sed stella in cœlo, vnde Christus descenderat, resplendens testis fuit: quis vnquam ex Regibus genitus, antequam posset per ætatem patrem, aut matrem appellare, regno potitus est & trophæa de hostibus erexit? quis igitur est iste, qui propemodum ante genituram sui & regnat, & despoliat inimicos? quis vnquam in Israël fuit Rex, in quo spem suam omnes Gentes constituerunt? hic enim est, qui à stella voluit genituram suam indicari: quippe conueniebat verbum cœlitus delapsum, in cœlo quoque indicia & notas*

S. Athanasius. Fortitudo pueri nascentis.

notas habere. Conueniebat Regem naturæ in lucem prodientem, ab vniuerso orbe clarum manifestumque reddi: certè cum in Iudæa nasceretur, Persæ adoratum venere: hic est, qui antequam in humana specie appareret, de aduersarijs dæmonibus victoriam, & de idololatria triumphum reportauit. Luculenter sanè S. Athanasius cœlestis huius nati Regis potentiam, vim & fortitudinem omni creatæ virtuti & Regum omnium viribus anteponit: qui licet amplissimis palatijs, satellitum multitudine, varietate splendidorum aulæorum, vestiumque gemmis & auro fulgeant: huic tamen nascenti cedant puero necesse est; qui licet pannis inuolutus in stabuli præsepio reclinetur, iam tamen orbis & cœli dominator in cœlo stellam procreat; è cœlo motorem eius Angelum euocat; ex Oriente accersit Reges; cœlestem in stabulo symphoniam imperat: vt Regis nostri recens nati cum Orientis Regibus maiestatem vereamur, colamus, adoremus: eiusque submissionem animi miremur, amplectamur, imitemur.

præ Regibus terræ.

CAPVT XV.

Crearitne stellam Christus in Oriente absens, an in Iudæa.

TRES hic inter se pugnant sententiæ. Quidam volunt tantum in Oriente creatam & visam esse stellam; alij nunquam in Oriente fuisse, sed in Iudæa productam, ibi dies decem stetisse immotam: alij factam in Iudæa, inde repente destinatam Regibus in Orientem: eosque præiuisse Solymam vsque.

Tres sententiæ.

S. Anselmus rem in medio relinquit, difficultatem tamen hoc proponit modo. *Dubium est, vtrum stella sit in Oriente: an ipsi ibi positi natam circa terram Israël stellam vidissent: potuit enim nasci in Oriente, & eos in Ierusalem perduxisse; sed dum Ierusalem venissent, quasi ad caput regni, & ad Herodem diuertissent, eam ad tempus perdiderunt; & cum ab eo discederent: ecce stella, quam viderant in Oriente, anteceſſit eos, vsque dum veniens staret supra, vbi puer erat: potuit etiam illis in Oriente positis, stella circa Ierusalem apparuisse.* huius posterioris opinionis autores videamus.

S. Anselmus in 2. Matth.

Eusebius. *Visa est à Magis supra verticem, & ad perpendiculum terræ Iudææ, eam respicere.*

Euseb. l. 9. dem. 1. Euangelicæ.

Procopius. *Hac prophetia aiunt excitatos Balaami posteros, cum viderent alienam, & insolitam stellam perpendiculariter supra Iudæam immotam stare, venisse inquisitum Regem illum indicatum.*

Procopius in c. 24. Num.

Haymo: *Vidimus stellam eius in Oriente: hoc est: nos in Oriente positi, vidimus stellam eius in Occidente, contra Hierosolymam.* Facit hæc sententia pro ijs: qui è diuersis & longè dissitis terrarum regionibus educunt Reges: & non nisi prope Solymá conueniſſe putant: tunc enim ad eam velut ad Pharū nauigantes, iter direxissent suum: sed mirum videtur, cur post decem dierum stellæ productionem nemo Iudæorum eam obseruasset? cur Herodes tam diligenter ortæ stellæ tempus quæsiuisset? cur tanta propter nuncium stellæ ortæ Regis & Solymorum perturbatio? Mihi non improbatur eorum sententia, qui stellam volunt à Christo supra stabulum productam, inde celerrimo cursu & quasi ictu oculi motam in Orientem stetisse immobilem eo loci, vbi commodè à duobus saltem Regibus eadem nati Christi hora videretur. Fauet Hebræum *darach* seu incessit: quod enim nos dicimus: *Orietur stella ex Iacob.* reddit Pagninus cum Hebræis: *incessit stella ex Iacob.* velut Abulensis interpretatur, *armabitur, extendetur, progredietur stella ex Iacob.* Vnde Barradius *Verisimile est stellam supra Iudæam, & oppidum Bethlehem primum Magis in Oriente existentibus apparuisse: deinde verò ex Iudæa in Orientem vsque celeri motu ad eos vocandos euolasse, ibique eatenus quieuisse, donec iter ingrederentur. Probatur hæc sententia ex vaticinio Balaam: orietur, inquit, stella ex Iacob, quasi dicat ex domo Iacob; ex ipsa Iudæa stella in Orientem veniet; quod significat altera versio Pagnini, quæ in Biblijs regijs est: incessit stella ex Iacob, id est, stella ex Iudæa profecta vel missa incessit in Orientem, & in Oriente Magis apparuit; quia verò in Oriente ijs apparuit, aiunt, vidimus stellam eius in Oriente.* sensit cum his Cornelius à Lapide.

E Iudæa stella celeriter est mota in Orientem.

ex Hebræo.

Abulensis in 24. Nu.

Barradius.

Pri-

Cornel. à Lapide.

Primò, ait, *stella videtur apparuisse supra Iudæam, vt significaret natum ibi esse Regem Iudæorum, ibique à Magis quærendum: alioqui vnde ex ea Magi scirent Christum quærendum in Iudæa potius, quam in Græcia, Italia, Assyria, India? inde Num. 24 proorictur, darach Hebræum est, hoc est, incedit stella ex Iacob: deinde mox eadem stella apparuit in Oriente: vt Magos inde auocaret ad Christum.*

Hieron. Natalis in Epipha.

Probat idem Hieronymus Natalis. *Et quidem*, ait, *inter Doctores constat, hos Magos traditionem habuisse prophetiæ Balaam, & credidisse orituram, vel processuram stellam ex Iacob, quod est Hebraicè darach, incessit, siue iter habuit stella ex Iacob: vnde ortam primum ex Bethlehem apparet, & inde missam per Angelum in Orientem, quem motum cum obseruassent & contulissent cum Propbetia Balaam Magi, fecit traditio, & eorum fides, & visa stella, vt Dei inspirationem pio animo susciperent.*

CAPVT XVI.

Quis motor eius sanctus ne Gabriel, vel Michaël.

Motus stellæ progressiuo similis motorem habuit extraneum. *Cæsarius. Dialog. 2. in fine operum Naz.*

INVSITATVS stellæ motus ad progressionem Regum attemperatus, participem rationis motorem requirebat: vt per viarum compendia, locorum ignari citius, tutius & faciliusnatum Regem inuenirent, agnoscerent, adorarent, quod tantum ij videntur velle voluisse, qui stellam hanc Angelum vel virtutem aliquam diuinã fuisse putauerunt. vt Gregorij Naz. frater Cæsarius: *Quod verò*, inquit, *non stella: sed intellectilis quædam & rationalis potestas fuerit, ille Magorum dux, ex ipsa discimus tum motione, tum institutione: nam stellarum illæ, quæ semper sunt mobiles, nunquam à motu quiescunt, quæ verò fixæ sunt non mouentur. Hæc autem vtrumque recipere videtur: nimirum quæ & mobilis esset, & fixa, atque etiam ab ijs, qui ducebantur se subduceret, ita vt interrogantibus ipsis, Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? turbatus sit Rex Herodes, & tota Hierosolyma, & diuulgatus diuinus partus lateque sparsus à Magis propter adeintum viæ ducem: Rursus autem apparens constitit supra antrum, vbi infans erat: nam nisi per intermissionem apparuisset, non fuisset commota Hierosolyma interrogatione Magorum, neque irritatus fuisset Herodes de Rege audiens: nisi intellectilis aliqua & rationalis potentia illa stella fuisset; non vtique eius, qui natus erat ministram se declarasset, nunc autem, quod circa Reges fieri solet, vocat quidem & præcedens diuinus hic cursor, deducit ad regem aliquos: postquam verò ad portam latioris portæ venerint, vocatos ad limina stare iubet, vsque dum aduentum ipsorum Regi significauerit; sicque deinceps ad ipsos reuersus ad tectum aureum, & ad regem intus sedentem deducit, ita hic stella quidem conspicitur, Angelus autem esse intelligitur, & Gentium dux.* hæc inquam de motore sideris noui sunt accipienda: sicut & aliorum Patrum alibi similes allatæ assertiones; vt rectè Suarez nostet eos nobiscum conciliet. *Ex quo*: inquit, *intelligitur, motum illum non fuisse naturalem, & ab intrinseco, sed ab aliquo intellectuali motore: erat enim motus progressiuus: Et vt Chrysostomus & alij notant, interdum erat vniformis, interdum verò per modum descensus, & aliquando quiete interrumpebatur, ex libertate motoris, absque vlla alia physica causa, vt videre licet, cum peruenit Bethlehem; tunc enim & stetit stella, & descendit prope ipsum locum natiuitatis Christi, vt illum euidentius designaret: quæ omnia non poterant nisi ab intellectuali motore proficisci: Quis autem ille motor fuerit, non constat: verisimile autem est, non fuisse motum immediatè à Deo seu Spiritu Sancto; sed media aliqua virtute Angelica: quia Deus cum commodò fieri potest, regulariter loquendo, huiusmodi motus per Angelos operatur. Atque hoc modo interpretari possumus S. Chrysostomum ho. 6. in Matth. & Theophyl. ac Euthymium, qui eum sequuntur, & Augustinum, si auctor est operis de mirabilibus sacræ scripturæ in l. 3. c. 4. qui dicunt illam stellam non fuisse veram stellam, sed inuisibilem aliquam virtutem in speciem sideris transfiguratam, intelli-*

Ideo sancti Patres stellam vocarunt Angelum.

intelligunt enim, non fuisse stellam veram cœlestem; non tamen non fuisse verum corpus lucidum, quia verò inuisibilis virtus illam mouebat: & quasi per illam loquebatur, ideo dicitur fuisse inuisibilis virtus in speciem stellæ transfigurata, seu quasi adsumens & mouens corpus in figuram stellæ apparens. Hæc Suaretz. Quis fuerit.

Sed quem cœlestium spirituum motus stellæ moderatorem constituemus? Erat Gentilitas filio Dei regia sponsa præparanda, ornanda, in thalamum recens nati Regis inducenda: paranymphus cœlestis quærebatur nuptijs istis conciliandis aptior: Erat præterea Gentium Ecclesia viua constituenda: progenitores eius Reges orbis sapientissimi, sanctissimiqúe petebantur, quorum vitæ morumque ideam posteri sequerentur. An Gabrielem huic officio censebimus aptiorem, qui præcipuis functus legationibus, omnium etiam diuinissimam incarnationis Verbi obiuit? Hunc stellæ motorem multi faciunt: ex his apud Didacum Vegam Mayrus: *Archangelum*, ait, *Gabrielem, cui concredita erant incarnationem Verbi diuini spectantia mysteria, direxisse, & deduxisse eam: & sicut cuilibet sphæræ cœlestem deputauit intelligentiam motricem, qui eam voluat, moueat, dirigat: sic adsignauit Archangelum Gabrielem, qui huic stellæ præesset, eam moueret, dirigeretque, qui eius beneficio, seu facis baiulus Reges irradiaret.* An Gabriel. *Mayrus.*

Obstare videretur, quod Gabriel putetur pastoribus felix hoc euangelium attulisse: alius igitur erit eodem tempore pro Magis adsignandus. Marsil. Ficinus respondet peracta prima legatione eundem alteram obiuisse sic enim ait: *In hoc ipso, quo Christus nascitur, Angelus Domini lumine circumfulsit, nunciauitque eis gaudium magnum, dicens: Hodie natus est Saluator mundi: & merito dixit hodie, quasi hoc die: quamuis fortè nox esset media, quoniam diem tunc præferebat ipsum cometæ lumen: Hinc illud Dauidis est: nox sicut dies illuminabitur. Post hæc Angelus* (Gabriel) *hanc lucem Orientem versus traduxit, ad Persas, Magos inde ducturus ad Christum: nam quando ortus, lumen hoc apparuit circa Ierusalem, deinde hoc lumine Magi gentis ambulauerunt; quia sicut ab Iudæa processit primum in Orientem, ita vicissim ab Oriente rediit in Iudæam illuc Magos adducens.* Atque ita stellam prius ortam esse in Iudæa, quam in Orientem moueretur per lucem illam posset confirmari. Nihilominus dici & fortè rectius potest vti Michael teste Tostato, columnam nubis & ignis ducem Israelitarum, velut custos & defensor synagogæ mouit & deduxit, ita & hanc: vt nascentem Gentium Ecclesiam foueret, nutriret, administraretur, cum Synagoga, velut Agar, herilis impatiens iugi, & contumacior iam exauctoranda esset: & Gentilitas Dei filio maritanda. Quocirca cum ipso natalis Dominici momento Michaël exercitum totum cœlestem Christo sisteret, vt Regem suum adoraret, & stellam puer procreasset; tam Gabrielem ad pastores, quàm Michaelem ad Gentiles Reges adducendos videtur ablegasse, vt sponsam Gentilitatem, & nascentem sibi sisteret Ecclesiam, cuius ipse defensor statuebatur. *Marsilius Ficinus de stella Magorum.* S. Michael fuisse videtur. *Tostatus in c. ix 25. q. 81.*

CAPVT XVII.

An Magi visâ stellâ naturali scientiâ cognouerint ex ea Saluatoris ortum, velut ex fato Christi.

ADEST, adest enimuerò nouus è cœlo Legatus ad Gentes Michael Archangelus, cum signo cœlestis nati Regis, nouus oritur caliginosa in nocte non iam Lucifer, aut sol: imo sole splendidius astrum: quod siue vigiles, dum cœli phænomena speculantur; momento fulgurans territat primo aspectu: mox recreat, instruit, & inuitat ad iter capessendum, siue nocte concubia lectis affixos velut alter sol, cubilia collustrat, excitat lucis nouitate & claritate, dumque strato se corripiunt, & attoniti nouum sidus contuentur, pariter mentes lumine gratiæ cœlitus irradiantur, vt signi visi peruideant vim & notionem. Reges nocte excitantur. exortu noui sideris.

Hic error quorundam nobis primò euellendus, qui docuerunt artis Mathematicæ peritiâ potuisse ab ijs visâ stellâ Messiæ natalem intelligi. At duo quidem genera fuerunt eorum, qui crediderunt, è stellis nascentis hominis mores, euentus & facta Posse An ex principijs Mathematicis didicerint ortum Messiæ.

posse præuideri. Cum enim Stoici docerent humana cuncta, demta mortalibus omni libertate, geri fatali quadam necessitate, ex ineuitabili causarum dispositione sic constituta, vt nullus rerum effectus & euentus vlla voluntate, ne diuina quidem possit vitari vel immutari. Hæretici Priscilianistæ huic Stoicorum fato, fatuitatem hanc adiecerunt; quod id non tam ex genere causarum ex æternitate pendentium oriretur (vt ferè Democritus, Heraclitus, Empedocles, & ipse apud Ciceronem Aristoteles existimauit; sed ex astrorum influxu fatalem in hominibus oriri necessitatem; quasi possint stellæ non temperamentum solum humani corporis immutare; sed & voluntatem ita cogere, vt nullo pacto valeat reluctari. Hanc stoliditatem conati sunt ex Magorum stella confirmare: quasi fatum fuerit Messiæ nascituri: contra quos sancti Patres, & nos ex ijs supra fusius disseruimus: hic tantum, quam in sanam philosophiam heterodoxi peccent, videamus.

Stoici libertatem adimunt homini fato.

Priscilianistæ stellis vim fatalem indiderunt.

probant ex stella Magorum.

Certum est si directè possent astra in hominis intellectum & voluntatem agere: vel aliquam speciem intelligibilem producerent, vel habitum, vel ipsam intellectionem: aut volitionem: nec enim extra hæc, quid efficiant, intelligi potest: at stellæ horum nihil possunt: non speciem intelligibilem: quam solus producit intellectus agens; non habitum, quem soli producunt actus: non actum intelligendi & volendi, qui cum sint tam spiritales quam vitales, non possunt effici, nisi à potentia vitali & spirituali. Adde sexcenta absurda & incommoda, quæ consequi necesse est, si stellarum impulsu, vi & coactione res omnes humanæ gererentur. Quis iniustum negaret Deum, si ex fatali stellarum necessitate peccantem hominem corriperet? ecquænam docetur fuisse stella, quæ mundum cataclysmo submersit? quæ pentapolin exussit? tot seculis coëgit gentes idola venerari? Quid erit igitur in viris bonis laude & præmio: quid in sceleratis pœna & vituperio dignum, qui non voluntate, sed necessitate sunt operati? nec decet hominem causam liberam & finem mundi corporei subijci medijs suis, quasi famulis, & ad vnum determinatis. Præclare S. Augustinus: *Illi, qui sine voluntate Dei decernere opinantur sidera, quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorumue patiamur, ab auribus omnium repellendi sunt: non solum eorum, qui veram religionem tenent; sed qui Deorum qualiumcunque licet falsorum volunt esse cultores. Hæc enim opinio, quid aliud agit, nisi vt nullus omnino colatur, aut rogetur Deus? ac illi verò, qui positionem stellarum quodammodo decernentium, qualis quisque sit, & quid ei proueniat, quidue mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt: si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentes ista decernant, magnam cœlo faciunt iniuriam: in cuius velut clarissimo senatu, ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni: qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente fuerat euertenda. Quale deinde iudicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœlestis necessitas adhibetur: cum Dominus ille sit & siderum, & hominum?* & alibi: *Hic iam erubescat stultitia sacrilega, & quædam, vt sic dicam in docta doctrina, quæ ideo putat Christum sub stellarum decreto esse natum: quia scriptum est in Euangelio: quando natus est, stellam eius in Oriente Magos vidisse.* & infra: *sed de genituris homines loquantur, quod insipienter opinantur: negent voluntatem, qua peccant: confingant necessitatem: qua peccata defendant: perditos mores, per quos in terra ab hominibus detestantur, in cœlo etiam figere conentur, & à sideribus manare mentiantur. Videat tamen vnusquisque eorum, quemadmodum non vitam, sed familiam suam qualicunque potestate regendam putet: quandoquidem ista sentiendo seruos suos in domo peccantes verberare non sinitur: nisi prius Deus suos in cœlis radiantes blasphemauerit. Christum tamen isti, nec secundum suas vanissimas coniecturas, & non sanè fatidicos, sed planè falsidicos libros ideo putent sub stellarum decreto esse natum, quia conato stellam Magi in Oriente viderunt. Hinc enim potius Christus non sub dominatu eius; sed dominus eius apparuit; quia illa non in cælo sidereas vias tenuit; sed hominibus quærentibus Christum viam vsque ad locum, in quo natus fuerat, demonstrauit.*

Confutantur ex Philosophia.

Et absurdis.

S. August. l. 5. c. 1. C. D.

Ser. 6. de Epiphan.

S. Gregorius, contra eosdem hæc scribit: *Dum non puer ad stellam: sed stella ad puerum cucurrit; Si dici liceat, non stella fatum pueri; sed fatum stellæ is, qui ap-*

S. Greg. to. 2. in hoc Euang.

pa-

paruit puer fuit: sed à fidelium cordibus absit, vt aliquid esse fatum ducant: vitam quippe hominum solus hanc conditor qui creauit, administrat; neque enim propter stellas homo, sed stellæ propter hominem factæ sunt: & si stella fatum hominis dicitur, ipsis suis ministris subesse homo prohibetur. Rectius Christiani non fato, sed diuina prouidentia mundum volunt gubernari: quæ solet cum creatis rebus congruenter naturæ cuiusque semper operari: ita vt cum liberis agat non læso libertatis arbitrio, vt rectè Minucius Felix fatum aliud nihil esse voluerit: quam *id, quod de vnoquoque nostrum fatus est Deus*: Imo & de rebus omnibus, quæ sunt, fuerunt, & erunt; qui enim sapientissimè mundum è nihilo procreauit, tanquam peritissimus auriga, sic vniuersi currum moderatur, ne præter ordinem rerum feratur incomposité. Ad huius aurigæ sapientissimi nutum & arbitrium quotquot rebelles etiam suas compellunt voluntates, tuti via regia in patriam deuehuntur: quotquot autem pro arbitrij sui libertate eidem aduersantur, in auia rapti tandem præcipites aguntur in tartarum. Quod sit fatum Christianorum.

CAPVT XVIII.

An ex Horoscopo Natalis Christi: Magi Messiam nasciturum deprehenderint: vbi Genethliacorum fatuitas condemnatur.

SOLENT Genethliaci ex nascentis hominis horoscopo, seu parte zodiaci eo quasi temporis ictu exoriente, naturam, mores, fortunam, euentus, mortis genus, & actiones à libero pendentes arbitrio diuinare: Non quasi putent cum Priscillianistis cogi posse voluntates humanas à stellis; signa tamen esse credunt astra eorum omnium; quæ sunt mortalibus euentura. S. Augustinus, fatetur æuo suo doctos etiam viros hoc errore fuisse circumuentos. *Quod si dicuntur*, ait, *stellæ significare potius ista, quam facere, vt quasi locutio quædam sit ista positio prædicens futura, non agens (non enim mediocriter doctorum fuit ista sententia) non quidem ita solent loqui Mathematici; vt verbi gratia dicant, Mars ita positus homicidam significat; sed homicidam facit.* Genethliacorum error. *S. Aug. l. 5. c. 1. C. D.*

Fundamentum istiusmodi ex eo Geneseos 1. dicto desumserunt: *sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Hunc locum Origenes apud Eusebiũ ita fuit interpretatus: *Per varios siderum adspectus, & coniunctiones humanarum rerum euentus indicari.* Cum velit ijs verbis Deus Solis, Lunæ, siderumq; reuolutione tempus, annuũ, menstruum, diurnumque definiri: signa item esse non vanitatis Iudiciariorum, sed vtilitatis naturalia & prognostica pluuiæ, serenitatis, gelu & ventorum: quæ securè nautæ in nauigando, agricolæ in serendo, plantando & metendo, Medici in medendo possint vsurpare. Mitigauit Origenis sententiam Albertus Magnus, vel potius alius autor libri, qui speculum nominatur: quasi Deus benignum adspectum astrorum natali die saluatoris esse voluerit: vt inde licuerit eius ortum ex cœli facie coniectare quam in rem Albumazaris miram adducit obseruationem. Fundamẽtum. *Euseb. l. 6. c. 9. præparat* explicatio vera scripturæ. *Autor speculi.* *Albumazaris.* obseruatio

Albumazar ait, *in suo maiori introductorio tract. 6. Adscendit, inquit, in prima facie illius signi virgo pulchra & honesta, habens in manu duas spicas, & nutrit puerum: & vocat ipsum puerum quædam gens Iesum, & adscendit cum ea stella Virginis: hæc ille. Nos autem scimus, quod sub adscendente eiusdem virginis natus fuit Dominus noster Iesus Christus, cum hoc, quod æquatio motus octauæ sphæræ in tempore eiusdem fuit octo graduum, & 30. minutorum secundum calculationẽ certissimã: eo quod ipsa tunc erat minuenda de locis planetarum inuentis per canones: Non quia subiaceat stellarum motui, aut earum iudicio natorum desideratissimus, qui creauerat ipsas stellas: sed quia cum extenderet cœlos, sicut pellem, formans librum vniuersitatis, noluit literis eiusdem deesse ex his, quæ secundum prouidentiam suam in libro æternitatis sunt scripta: etiam illud elegantissimum è natura, quod de Virgine nasceretur.* His accedet Petrus Aliacensis Cardinalis, qui cum Magos fecisset Astronomiæ peritissimos, existimauit ex Astrologicis principijs eos potuisse futurum *Petri Aliacensis sententia*

rum Christi tam ortum, quàm vitam præuidere, non ea tamen claritate, qua postea noua conspectâ stellâ natum iam Christum cognouerunt: *Nam etsi*, ait, *Christi conceptio & natiuitas cœlorum omnes, atque naturæ facultates implerisque superant, inaliquibus tamen naturæ orbium & astrorum tanquam ancillæ domino suo famulantes, amica lumina, & benignos influxus, quos è Christo Deo acceperant. eidē Christo nascenti largè suppeditarunt. Proinde possibile fuit, Magos præter hanc stellæ apparitionem, duobus alijs indicijs præsciuisse nasciturum insigni religione, imperio & gloriâ virum. Primum ex magna quadam coniunctione Iouis & Saturni, qui anno ante Christi ortum sexto in signo Cancri coierunt, prædicentibus cunctis istorum temporum Astronomis, magnam portendi religionis mutationem. Deinde verò ex obseruatione constitutionis cœli, quam ipsa Christi natiuitas habuit: ea autem incidit in annum Augusti 42. 8. Kalendas Ianuarij, ante noctis dimidium: fuitque in ea Horoscopus pars Virginis octaua, quæ quidem religionis mutationem significat: & in culmine cœli Saturnus: imam cœli tenente Sole, ceterisque Planetis quodam ordine dispositis.* Hæc Aliacensis, quibus nonnihil fauet Marsilius Ficinus, *Ex hoc colligitur, Orientales Astronomos quodammodo per Astrologiæ regulas, & per prodigia quodammodo suis regulis consentanea iudicauisse, natum eo tempore Regem, qui autoritate mirabili mundum reformet in melius: Fortè igitur cùm viderent Astronomi Orientales mense Decembri exoriri cometam, in principio Sagittarij, iudicauerunt esse salutare portentum; quia radios ostendebat tum aureos ex natura Solis, tum argenteos ex natura Iouis, tum mistos ex natura Veneris. Fortè etiam tunc erat in principio Sagittarij Iupiter: Sol etiam, si ritè metimur, tunc medium obtinebat Sagittarij signum. Facilè verò Venus semper vnita Soli occupabat Sagittarij finem. Probabile est, talem fuisse postea cœli figuram nascente Christo mense Decembri, si natus sit, post noctis medium. Nam & in Euangelio legitur natum, dum pastores alternas custodirent noctis vigilias: & ab Angelo dicitur hodie natus. Ingens verò ex hac cœli positione tum admiratio, tum controuersia Astrologis incidit: hinc enim ex Ioue, Sole, Venere iudicabant Regem iustissimum, clarissimum, clementissimum. Inde verò ex Sole admodum diuitem esse non posse. Quomodo ergo magnus Rex erit & pauper? Præterea ex Ioue in angulo adscendentis existimabant genituram eius valde fecundam; sed ex Luna prima faciē Virginis obtinente, genituram forè sterilem, & virginem quandam potius, quàm grauidam exaltari. Ex his Astrologorum iudicijs, atque etiam ex prædictionibus Balaam, ceterorumque Prophetarum percrebuerat opinio frequens, Oriente toto Regem iustitiæ propter Iouem, veritatis propter Solem, gratiæ propter Venerem tunc exortum, vel designatum. Sed ab Orientalibus nati locus ignorabatur: Cometa quidē ad duos menses luxit, secundum duas adscendentis horas, & si vergeret ad Meridiē versus Iudæam, locus tamen certum non designabat. Hactenus insuper ob eiusmodi controuersiam nesciebatur, vtrum natus, vel nasciturus ille, cœlitus potius, an diuinitus mitteretur. Quo ad cometa rursus post duos annos, referens videlicet menses duos non in summo; sed in infimo se aëre monstrauit: tunc agnoscentes Magi priorem Cometam, motum eius prosecuti sunt: eoq; duce Hierusalem peruenere. non humanum iam amplius Regem quærentes: sed diuinum: videbant enim Cometæ modum motumque naturalem esse non posse.* Hæc Marsilius.

Petri Aliacensis sent.

Marsilius Ficinus de stella Magorum.

Qui omnes supponunt Reges nostros in Genethliacis esse numerandos: quod licet Tertulianus & Chrysologus de ipsis asseuerauit: ego sine grauiore fundamento nunquam putaui esse concedendum. Sed licet etiam daremus eos ijs adscribendos: & Horoscopum adscendentis virginis, ac benignum iucundumque siderum adspectum Christo nascenti affulsisse: nunquam mihi tamen persuasero humani ingenij vi ex ea sola siderum positione certo Messiæ natales explorari potuisse: quàm multi enim cum Christo nati sub eodem horoscopo miserè perierunt? multo minus esse vera possunt, quæ initio capitis è quibusdam dixi, in cœli libro liberas hominum actiones esse consignatas, ita vt venturos omnes euentus possint significare. Quocirca cum pestis illa Genethliacorum non parum hoc tempore noceat orbi Christiano, & suaui curiositatis, & adulationis delinimento irrepat in aulas etiam quandoque principum: qui capti lenocinijs istis, vitam penè suam, & quæ

Contra Genethliacos.

quæ agenda sunt, ex astris pendere arbitrantur; ideo venenum eius exitiale paulò accuratius discutiendum & proscribendum erit: tam è Gentilium edictis & decretis, quàm sacrorum Canonum sanctionibus.

Fatui habebantur, qui eos consulerent. *Lorinus in 24. Num. Cicero.* mendaces sunt.

Alexandrini Suida teste verbo βλάκα à Genethliacis, quos ob maioris forsan incommodi metum tolerabant, tributum exigebant, id βλακετνόμιον stultorum tributum dicebatur, quòd à solis fatuis consulerentur. Philosophi certè veteres teste Tullio, tales nec audiendos esse iudicarunt. *Ad Chaldæorum*, ait, *monstra veniamus, de quibus Eudoxus Platonis auditor in Astrologia iudicio doctissimorum hominum facilè princeps, sic opinatur: id quod scriptũ reliquit. Chaldæis in prædictione, & in notatione cuiusque vitæ ex natali die minimè esse credendum. Nominat etiam Panætius (qui vnus è Stoicis Astrologorum prædicta reiecit) Archelaum. & Cassandrum summos Astrologos illius ætatis, qua erat ipse: cum in ceteris Astrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non vsos. Scylax Halicarnassæus, familiaris Panætij, excellens in Astrologia, idemque in regenda sua ciuitate facile Princeps, totum hoc Chaldaicum prædicendi genus repudiauit.* Legi de his Gellius potest: apud quem Phauorinus nõ malè sic ratiocinatur: *Tolli enim quod maximum inter homines Deosque differt, si homines quoq; res omnes post futuras prænoscerent.* Ideo Cæsares ipsi Gentiles vrbe & Italiâ eos exturbarunt, vt locuples autor est Tertul. *Expelluntur*, ait, *Mathematici, sicut Angeli eorum* (Dæmones cœlo) *vrbe & Italia interdicitur Mathematicis, sicut cælum Angelis eorum: eadem est pœna discipulis & magistris.* Grauius in eos postea & gladio quidem animaduertit Constant. M. *Nemo*, ait, *Aruspicem consulat, aut Mathematicum, aut Ariolum, Augurum vatum praua confessio conticescat, Chaldæi, & Magi, & ceteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus vocat, nec ad hanc partem aliquid moliantur: sileat omnibus perpetuo diuinandi curiositas: etenim supplicium capitis feret gladio vltro prostratus, quicunq; nostris iussis obsequium denegauerit.* Quid S. mater Ecclesia de horũ scriptis sentiat, ex hac Tridentina sanctione licet colligere: *Libri*, ait, *omnes & scripta Geomantiæ, hydromantiæ, aëromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes, artes magicæ prorsus reijciuntur. Episcopi verò diligenter prouideant, ne Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisque casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent certo aliquid euenturum affirmare audent.*

Gellius lib. 14. c. 1. vrbe & Italia proscripti. *Tert. l. de idololatr. c. 6. l. 9. c. tit. 19.* capite damnati. *Concil. Trid. Reg. 9. indicis lib. 2. prohibit.*

Obijciunt patroni Genethliacorũ, quòd vera quandoq; pronunciarint: at nunquid sæpius etiam falsa? Fuerint quædam vera, vel Deo per Balaam ariolũ etiam futura prædicente; vel ex nefaria cum dæmone societate: vel & prudẽti & solerti sagacitate narrantis: nihil sanè minus veri dici potest: quam ex astrorum adspectu eam pandi veritatem. *Qui enim fit* (ait, contra eorum fatuitatem S. Augustin.) *quod nihil vnquam dicere potuerunt. cur in vita geminorum, in actionibus, in euentis, in professionib. in artib. honorib. ceterisq; rebus ad humanũ vitam pertinentib. atq; in ipsa morte sit plerumq; tanta diuersitas: vt similiores ijs sint, quantum ad hæc attinet multi extranei, quam ipsi inter se gemini per exiguũ temporis interuallũ in nascẽdo separati: in conceptu autem per vnum concubitum vno etiam momento seminati?*

Obiectio, quomodo prædicant quandoque vera. astra inclinant. *Cicero l. 2. de diuina. S. Ant. p. 4. c. 13. c. 23.*

Vnum Mathematicis libenter damus, siderum influxu posse corporis humani organa sic immutari, vt homo certis animi perturbationibus inclinetur. *Diogenes stoicus*, ait Cicero, *concedit aliquid, vt prædicere possint Chaldæi duntaxat, quali quisque natura, & ad quam quisq; rem maximè aptus futurus sit, cetera, quæ profitẽtur, negat vllo modo posse sciri: etenim geminorum formas esse similes, vitam atque fortunam plerumq; disparem.* Huc facit illud S. Antonini: *Etsi corpora cælestia stellarum influant in corpora inferiora, vnde & in sensitiuam partem; quæ affixa est organis corporeis; & propter hoc etiam inclinant ad mala, tamẽ voluntas libera manet ad resistendum talibus inclinationibus malis. vnde Phauorinus maximus Astrologus, ait, sapiens dominabitur astris: & B. Augustinus non vsquequaque absurdè dicit posse, ad quasdam differentias corporum afflatus quosdam valere idoneos, non autem animi voluntates siderum positionibus subdi.*

non cogũt *S. Aug. lib. 5. c. 1, C. D.*

Maneat igitur: nec ex noua stella velut pueri fato, neque ex horoscopo Christi potuisse

tuisse natalem certò præcognosci: de quo & genethliacorum accurata confutatione consulatur Melchior Inchofer c. 48. Vnum hoc mihi & lectori Christiano medullitus voueo: vt qua diligentia noctibus peruigilant in sideribus speculandis, & de die in ephemeridibus euoluendis, quotquot è cœlorum putant reuolutione fortunam suã omnem dependere, nos fide orthodoxa imbuti momenta vitæ mortis, & æternitatis nouerimus à Deo ducenda esse. Eius vnius igitur voluntatẽ: ad quam solam perficiendam conditi sumus, continuo exquiramus, amemus, perficiamus: benignos eius adspectus fauoresque desideremus. ab eo salutares intellectus illustrationes, & pias voluntatis permotiones ardenter postulemus, vt vita nostra tota ad Dei nutum, arbitrium & reuolutionem moueatur, *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum: ita oculi nostri semper ad Dominum, quoniam ipse* (non stellæ) *euellet de laqueo pedes meos: in manibus enim Domini sortes & tempora mea.*

Horoscopus Christianorum salutaris.

psal. 121. *psal.* 24 & 130.

CAPVT XIX.

Spiritus S. Impulsu & afflatu Reges nocte Christum recens natum agnoscunt & venerantur.

A Deo illuminantur. 2. *Cor.* 4. *Mat.* 16.

SVRGE *qui dormis*, gentilis populе, *& illuminabit te Christus Dominus illuminatio* tua & *salus, quem timebis*? Ille qui fecit lucem de tenebris splendescere, ortus in Regum cordib. sic mentes illustrauit, vt ilicò Messiam recens natum in stella videre sibi viderentur. Manet hoc pronunciatum Christi verum: *Caro & sanguis non reuelauit tibi; sed pater meus, qui in cœlis est. Hanc stellam*, ait S. Augustin. *sicut intelligitur, admirati, cuius etiam ex consequenti reuelatione nosse meruerunt, Regis videlicet Iudæorum; eoque nato, cùm & hoc eius gratiâ cognouissent ad eum adorandũ hodie occurrere potuerunt.* Idem facit alibi quærentes Magos, & internuncium Angelum iucundè respondentem. *Venerunt vt adorarent infantem: & quare venerunt? quia stellam inusitatam viderunt: & vnde eam esse Christi cognouerunt? Videre enim potuerunt stellam: nunquid loqui eis potuit & dicere, stella Christi sum: procul dubio aliter indicatum est per aliquam reuelationem: viderunt ergo quandam inusitatam stellam: quæsierunt sine dubio, cuius esset signum: quod tam novum, & insolitum viderunt, & vtique audierunt profecto ab Angelis, ab aliqua admonitione reuelationis: quæris fortasse ab Angelis bonis vel malis? Christum quidem & Angeli mali, hoc est dæmones confessi sunt, esse filium Dei: sed cur non & à bonis audierunt: quando in Christo adorando salus eorum iam quærebatur; non iniquitas dominabatur: Potuerunt ergo illis Angeli dicere, stella, quam vidistis Christi est, ite & adorate eum, vbi natus est: & simul iudicate, qualis & quantus natus: illi autem hoc audito venerunt & adorauerunt.* Idem serm. 58. inter recens editos peculiaris reuelationis meminit. *Nec eis stella loqui potuit cuius esset; vel cuius excellentiam præsignaret, nouũ tamen & singulare sidus effulsit, atque illos etiam, qui solent sidera diligenter intueri nouo miraculo exterruit: nunquam enim tali stella quisquam est significatus: quia nunquam talis est natus: veruntamen quis esset, vbi esset, quorum Rex esset sidus illud &c. tacebat, lucebat: sed quærentia Deus & pulsantia corda non fraudans, alio modo sine dubio petentibus reuelauit, quod stella indicare non potuit.* & infra: *ita quod eloqui stella non potuit, alia Deus reuelatione monstrauit.*

S. Aug. ser. 60. de Epipha.

S. August. s. 67. de diuers.

per Angelos edocti ser. 5. 8.

S. Leo ser. 1. & afflatu Spiritus S.

S. Leo passim in sermonib. reuelationem approbat. *Dedit ergo adspicientibus intellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit inquisitus: sequuntur tres viri luminis ductum, & præuij fulgoris indicio intenta contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis gratiæ splendore ducuntur, qui humano sensu signatum sibi Regis ortum æstimauerunt esse in ciuitate regia quærendum.* Iterum: *Magnitudinem significationis intelligunt, agente hoc sine dubio in cordibus eorum inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret: & quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum.* Denique serm. 4. *O perfectæ scientiæ mirabilem fidem, quam non terrena sapientia eruditit, sed Spiritus S. instituit! vnde enim ij viri, cum proficiscerentur de patria, qui nondum viderant Iesum, nec aliquo contuitu eius, quod eum tam ordinatè venerarentur, aduerterunt hanc deferendorum munerum seruare rationem? nisi, quia*

quia præter ipſam ſtellæ ſpeciem, qua corporum incitaret obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit, vt priuſquam laborem itineris inchoarent, cum ſignari ſibi intelligerent, cui in auro regius honor, in thure diuina veneratio, in myrrha mortalitatis confeſſio deberetur. Breuiter Radulph. *Quis eis ſignificauit? non caro & ſanguis; ſed Pater cœleſtis; non humana ratio, ſed Spiritus cœleſtis inſpiratio.* *Radulphus de Epiphan.*

Hæc prima per gratiam, Spiritus S. vocantis operatio, mentis quædam illuſtratio, qua Deum ſummum bonum animus contueatur, & admirabundus tam inuſitata boni hactenus incogniti captus voluptate, ſuam ad appetendum inclinat voluntatem: vt in hoc tandem conquieſcat: hic miratur ſuam inſaniam, qui relicto fonte perenni boni infiniti, fruſtra riuulos, imò guttulam minimam, oceano ſpreto ſectatus ſit in rebus creatis: tunc vanitatis arguit opes, regna ſcientiam, & quod occurrit perituram præ hoc, vt bullam & vmbram deſpicit, ſi cum infinito bono conferatur. Vnde cum S. Auguſtino reor ſingulos exclamaſſe. *Væ tempori illi, quando non cognoſcebam te! væ cæcitati illi, quando non videbam te! illuminaſti me lux mundi, & video te, ſerò te cognoſco lumen verum, ſerò te cognoſco. Erat autem nubes magna & tenebroſa ante oculos vanitatis meæ, ita vt videre non poſſem ſolem iuſtitiæ, & veritatis: imoluebar in tenebris filius tenebrarum: tenebras meas amabam, quia lumen non cognoſcebam, cæcus eram, & cæcitatem amabam, & ad tenebras per tenebras ambulabam. Quis me eduxit? vbi eram homo cæcus, ſedens in tenebris, & vmbra mortis? Quis accepit manum meam, vt inde educeret me? Quis eſt ille illuminator meus? Non enim quærebam, & ipſe quæſiuit me: non vocabam eum: & ipſe vocauit me? vocaſti enim me nomine tuo, intonuiſti deſuper voce grandi in interiorem aurem cordis mei. Fiat lux, & facta eſt lux, & diſceſſit nubes magna, & liquefacta eſt nubes tenebroſa, quæ operuerat oculos meos: & video lucem tuam, & cognoſco vocem tuam, & dico: verè Domine tu es Deus meus, qui eduxiſti me de tenebris, & vmbra mortis, & vocaſti me in admirabile lumen tuum, & ecce video. Gratias tibi illuminator meus, & conuerſus ſum, & video tenebras, in quibus fueram: & abyſſum tenebroſam, in qua iacueram, & contremiſco & expaueſco, & dico: væ tenebris meis, in quibus iacui, væ, væ cæcitati illi, in qua videre non poteram lumen cæli! væ væ præteritæ ignorantiæ meæ, quando non cognoſcebam te Domine! Gratias tibi ago illuminator & liberator meus, quoniam illuminaſti me, & cognoſco te: Serò cognoſco te veritas antiqua: ſerò cognoſco te veritas æterna: tu eras in lumine, & ego in tenebris, & non cognoſcebam te: quia illuminari non poteram ſine te: & non eſt lux extra te.*

deflent ſuã cæcitatẽ. *S. Auguſt. ſoliloq. c. 38.*

confitentur verum Deum. gratias agunt.

CAPVT XX.

Incredibilis vis efficacis gratiæ, qua ſanctorum Magorum voluntates illectæ.

ADeste genethliaci, rarum ſidus emicat: nouum naſcitur fatum, puer natus fatum, ſi licet dicere, Magorum oritur, fulget in ſtella puſio, qui quos, quo & qua vult, omnipotenti permouet dextera, ſuaui pellicit, & efficaci lenocinio voluptatis: quod non auferat ſuam homini, ſed conſeruet libertatem: hic verus horoſcopus eſt, qui ſeruos & mancipia cupiditatum aſſerit in libertatem filiorum Dei. Sicut in luna ſtellisq; cœli lumen, in ſpeculo rei viſæ imago ad oculũ videntis reuerberatur, ita ſideris exorti adſpectus mellitiſſimi pueri nati Regis formam in animis Magorũ ſic figurabat, vt velut catenis amoris inſatiabilis attraheret, ſed volentes, ſed amantes: ita tamẽ ſpecie cœleſti non delinitos, ſed captos, vt nutum vocantis ilicò ſequerentur. *Neſcit* iam *tarda molimina Spiritus S. gratia*: Reges protinus exſiliunt è ſtratis, ſuam hactenus deflent ignorantiam, & animi peruerſitatem, & amatum in ſtella ſupplices venerantur, mox inuſitata ſideris, & pueri in ea radiantis pulchritudine capti, quaſi extra ſe poſiti cum ſtupore ſæpius contemplantur: animo iam à terrenis rebus alienato: in Dei amorem noſtra cauſa tam vilem hominis figuram adſumentis exardeſcunt, vt vileſcant ſceptra, regna, voluptates: vnicus amor, deſiderium & cupido tenet cunctos oculis coram natum Meſſiam intuendi: fixum iam exire patriâ, Regem recens natum donis venerari. Quàm bellè tibi diuiniſſime puſio vates Euangelicus nomen

Chriſtus ſuauiter & fortiter attrahit Reges ad ſe

ſequuntur Dei impulſum.

nouum posuit, *accelera, festina prædari*? vix natus eadem hora regna prædaris, spolias orbem, & orcum, Reges captos & vinctos abducis ex Oriente, tibique subiugatos sistis ad cunabula supplices. ô vis efficacis gratiæ! trahis; sed volentes, lubentes, amantes. *Attingis à fine vsque ad finem fortiter, & disponis omnia suauiter.* dulcedo lenit efficaciam; efficacia firmat dulcedinem: ita ex Regibus idololatris seruos facis, humiles, sui despicientes, tibi subiectissimos, ad nutum paratissimos.

Spiritus Sanctus momento perficit eos. *S. Greg. ho. 3. in Euang.* vis mira efficacis gratiæ.

Mirus sanè doctor, thaumaturgus, & artifex Spiritus S. huic operaturo nulla resistunt instrumenta: nec moram in docendo adhibet: momento quos vult implet, & eruditos facit. Audi S. Gregorium: *Ecce*, ait, *apertis oculis fidei Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor: & Sanctus ille Spiritus, qualis sit artifex considerare volo: implet namque cytharœdum puerum, & psalmistam facit: implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, & prophetam facit: implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit: implet piscatorem, & prædicatorem facit: implet persecutorem, & Doctorem gentium facit; implet Publicanum & Euangelistam facit. o qualis artifex est iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur, omne quod voluerit: mox enim vt tetigit mentem, docet: solumque tetigisse, docuisse est; nam humanum animum subito vt illustrat, immutat, abnegat hoc repente quod erat: exhibet repente, quod non erat, pensemus sanctos prædicatores nostros, quales hodierna die reperit, quales fecit?*

Quæ magis stupenda artificis Spiritus Sancti mutatio, quam momento è Regibus idololatris, incestuosis, Astrologis, Christi facere primos seruos, Euangelistas, Apostolos, Doctores Iudæorum & Gentilium, Prophetas, Confessores Sacerdotes, Martyres. Prima iam nati Saluatoris hora: in ipsis hæc omnia, desiderio, propensione, & affectu delineauit: quæ tredecim sequentibus diebus ipsi non coloribus sed factis heroicis expresserunt, iam radix sancta nocte concubia germinare, frondere florere cœpit, quæ tertiodecimo die maturrimos extulit fructus fidei pietatis, fortitudinis & constantiæ protendens ramos ex Oriente in Palæstinam vsque inde in totum terrarum orbem propagines vberrimo fœtu diffusura.

Lud. de Ponte. l. 2. exhort. 3. §. 1.

Pulchrè de Ponte vim hanc vocantis & trahentis stellæ contemplatur: *Cùm primum*, ait, *natus, voluit trahere ad se primitias Gentium: traxit per stellam tres Reges ab Oriente: nec tantùm traxit illos sola stella corporea, quæ fulgebat in cœlo, etsi pulchrè, sed ipse Christus, qui est stella splendida, & matutina: & summo mane cum orta est illuminauit mentes eorum: vt Regem Messiam natum esse crederent: illumque videre, & adorare tanto affectu cuperent, vt mira vi attracti ab illo domos proprias relinquerent, Hierosolymam intrepidè intrarent, & de nato Rege quærerent, Herodis sæuitiâ neglectâ; nec desiterunt, donec peruenerunt ad præsepium, vbi Christus infantulus iacebat, & procidentes coram ipso mystica illi obtulerunt munera. O mira & stupenda vis gratiæ Dei trahentis: quæ per visibilem stellã repræsentatur! sed hoc pignus quoddam erat, & signum admirabilis, & efficacis vocationis Gentium, & Regum terræ, quos Christus ad se postea trahere decreuerat.*

est stellæ similis.

Rectè stellæ prælucenti in tenebris gratia comparatur: quæ nisi peccatori tetra scelerum caligine penitus obtenebrato cœlitus affulgeret, & locorum ignarum lumine præuio, quasi prehensa manu regeret, duceret, sisteret denique in loco, vbi quiescendum, non posset ad Deum peruenire. Præclarè Radulph. *Stella ista, quæ Magos præcessit, & ad Christum adduxit, quid aliud significat, quàm gratiam Dei, quæ nos vt ad Christum perueniamus, præcedit, & ducit: sicut enim isti nec viam inciperent, nec perficerent, nisi à Deo ducti per stellam: ita nos nec bene velle, nec bonam voluntatem perficere valemus, nisi præueniente Dei gratiâ, & subsequente: vnde Apost. Rom. 9. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Sed de hoc argumento fusius alibi: Redeo ad horoscopi nostri vim & efficacitatem in trahendo, & persuadendo: Publicanum Matthæum relicto telonio, Zachæum spretis opibus: Magdalenam calcatis voluptatibus: Paulum despecta mundana & Iudaica sapientia Christum secutos non miror: horoscopus fulgebat Christi gratia: hic trahebat, mouebat, impellebat, teste Laurentio Iustiniano: *Reliquerunt*, ait, *hi Reges propria, & ad exterorum adiere nationes; nullum hi viderant ab eo miraculum fieri, nullum illi exhortantem audierant; & tamen ex ducatu stellæ maxima cum*

Radulphus ser. de Epiphan.

ac verus horoscopus animæ. *Iustinianus ho. de Epiphan.*

itineris fatigatione Christum Regem natum videre, atque adorare cupiebant: ingerebat prorsus noui sideris claritas spirituale quoddam in eorum cordibus lumen, cuius illecti dulcedine, atque docti gratia trahebantur ad Christum.

Volunt nonnulli Christum speciosissimi pueri forma non apparuisse tantum Magis, sed & verbis ad incunabula inuitasse: An potuit vis attrahendi maior cogitari? ii in vultu quidem Christi ea maiestas resplendebat, vt satellites ad comprehendendum ipsum destinati eius vnius adspectu voceque, vel prostrati corruerent: vel nunquam sic locutum esse hominem faterentur? nolo rem hanc persequi, quam ante me disertissimè tractauit Baëza his verbis: *Abeste hinc, ô vos nimij stellarum cultores, qui tantum stellis attribuitis, vt illarum vi etiam humanas voluntates putetis rapi: non ea est stellarum potestas; sed Iesu virtus: qui vnus perfecit, quod vulgo de stellis fabulantur. An id præcalluerunt Magi, quando dicunt: vidimus stellam eius, & venimus? quasi in Christi virtute, qua sese trahi experiuntur, id verè inueniant, quod in stellarum adspectibus inuenire Astrologi gloriantur. Ecce ait Pascasius, ps. 44. dicitur Iesus habuisse quiddam in vultu, & in oculis siderum, quo diuinitus permulceret pios, & terreret reprobos; alias enim nequaquam eum statim secuti essent Apostoli ad vnius iussionem: Nec qui ad comprehendendum eum venerant prostrati mox sola voce corruissent. Sidera ea vis circa voluntates humanas mouendas, circa orbem terrarum fructibus fœcundandum nimis ab Astrologis decantata verè, & cum omni effectu suo in Christo inuenichatur. Quo aptissimè D. Ambros. epist. 39. dixit: Quia igitur opus est, vt explorem ortus signorum, atq; obitus: quorum ad exortum duris inarata vomeribus findantur noualia, vel ad occasum læta messis recumbat? vna mihi stella abundat pro omnibus, & stella splendida & matutina, cuius ad exortum seminata est, non frugum; sed Martyrum seges, quando Rachel plorabat filios suos, vt lacrymis ablutos suis pro Christo offerret infantulos: cuius stellæ obitus, non cremiorum insensibilium; sed spirantium defunctorum triumphales manipulos resuscitauit. O diuinæ stellæ vim maximam, sanè stellarum potestas quamuis ingens: tamen non dubitari licet, quin repelli possit ab humana libertate: scitum est enim illud: sapiens dominabitur astris: Ast Iacobeæ stellæ Iesu quis resistere poterit? vni illi refero verba: quæ decait. B. Ennodius in Panegyri Theodorici fatus. Congressui tuo nullus hostium, nisi qui laudibus adderetur, occurrit: militauit tropæis, qui restitit voluntati. Qui te in acie conspexit, superatus est: qui in pace, nihil timuit. Non Reges, non tyranni Iesu resistunt voluntati: puer in cunis vagit, & fortitudo Damasci ab eo superata est: & ad se durissimos quosq; trahit, tractosq; custodit, ne videant malum.* ita Baëza. Non est quod huic addam Ita fortiter & efficienter Spiritus S. gratia traxit & permouit voluntates: quam suauiter hoc factum sit, restat iam expediendum.

Ex adspectu Christi in stella permoti. *Didacus Baëza l. 2. c. 8. de Iesu à Magis adorat. §. 7.*

sunt secuti ad nutum eius, vt Apostoli.

CAPVT XXI.

Suauiter per stellam, recordatione prophetiæ Balaam, & oraculorum Sibyllinorum allecti Magi.

SVAVITER vocat Deus, dum volentes, lubentes per ea, quæ diligunt, inuitat. *Quoniam*, ait Theophylactus, *Astrologi Magi erant, propterea familiari ipsis signo eos adduxit: sicut Petrum piscatorem à multitudine piscium ad nomen Christi venatus est, & stupescere fecit.* De hac suaui Dei vocetione dicam aliàs: Alter suauis vocationis modus ex recordatione vaticinij Balaami nascebatur: quod totam per Arabiam & Mesopotamiam pervulgatum, pridem Orientem exspectatione suspensum tenebat inusitati sideris orituri; quod vbi Regum oculos insolita luce perstrinxit, memores Balamitici oraculi ad Messiam natum adorandum confluxerunt. Ita Regius & Hieronymus Natalis: qui vigiles noctu Reges obseruasse cœli phænomena iaciunt. dicunt enim *stellam ortam primum in Bethlehem, & inde transmissa per Angelum in Orientem: quem motum cum obseruassent Magi, & contulissent cum Prophetia Balaam, fecit traditio, & stella visa, eorumque fides, vt Dei inspirationem*

Suauiter vocantur per stellã. *Theophylactus.*

2. recordatione impletæ prophetiæ Balaami. *Natalis de Epipha. Reg. l. 1. c. 9. n. 35.*

Maldonatus in 2. Matth.

pio animo susciperent. Multis hanc rem confirmat testibus Maldonatus. *Constantissima*, inquit, *omnium Patrum veterum opinio est, Magos ex Prophetia Balaam cognouisse Christo nascente stellam orituram: Magos enim aut posteros fuisse Balaam, aut ex eius posteris, qui vicini fuerint, eam prophetiam, & traditionem accepisse Origenes, Ambros. Chrysost. Epiphan. Basil. Hier. quod ego propter tot tantorumque testium autoritatem, & propter verisimilitudinem valde probabile iudico: videnturque Magi, cum dicunt, vidimus stellam, ita loqui, quasi de re, quæ Iudæis nota esset, existimantes Iudæos eam prophetiam, quam Gentiles scirent, ignorare non posse; dicunt enim stellam eius, quia de ea loquebantur, quam omnes sciebant Christo nascente orituram.*

ex fama Orientis.

ex oraculis Sybillinis.

Accedebat recordatio famæ à 40. annis Oriente toto disseminatæ, Regem orbis terrarum breui nasciturum & oraculorum Sibyllinorum, quæ locum etiam natalis Regis huius cum varijs adiunctis referebant: quæ dum memoria recolunt impleri, simulque occultos impulsus efficientis gratiæ persentiscunt ilico ruptis impedimentis, mira propensione voluntatis ad sideris ductum sequendum & maturandam profectionem rapiuntur.

CAPVT XXII.

Christusne specie pueruli Magis in stella visus, eos verbis ad profectionem inuitarit.

Assertores huus sententiæ. *Autor operis imperf.*

S. Thomas. Albertus M. Tostatus.

verba pueruli loquentis. *S. August. ser. de Epipha.*

DISERTE hoc primus ante mille & ducentos, secundum quosdam, annos affirmauit autor operis imperfecti his verbis. *Et sic faciebant per singulas generationes exspectantes semper, ne forte in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur, donec eis apparuit descendens super montem illum victorialem, habens in se formam quasi pueri parvuli, & super se similitudinem crucis, & locuta est eis, & docuit eos, & præcepit eis, vt proficiscerentur in Iudæam.* Hanc visionem Doctor Angelicus, Albertus M. Tostatus cum recentioribus plurimis laudant & sequuntur. Tostatus hæc verba loquentis pueri recitat: *Quidam*, ait, *dicunt, quod ista stella habebat formam pueri cuiusdam pulcherrimi, & ista stella locuta est Magis dicens: Ite velociter in terram Iuda, & ibi Regem, quem quæritis natum reperietis.* Conformis hæc locutio ei, quam S. Augustinus Angelum facit per stellam Magis protulisse: *potuerunt ergo illis Angelis dicere: stella quam vidistis Christi est, ite & adorate eum, vbi natus est, & simul indicate, qualis & quantus natus: illi hoc audito venerunt, & adorauerunt.*

Fundamentum sententiæ in Gentilibus est. *Plinius. Fromundus l. 3. Meteor. c. 14.*

Fundamentum huius opinionis esse non infirmum potest, ex Plinij verbis sæpius recitatis: nam apud eum quinta Cometarum species vocatur ἀργυροκόμης *argenteo crine ita refulgens, vt vix contueri liceat, speciemq; humana Dei effigiem in se custodiens:* quæ verba Fromundus refert *ad Cometem siue stellam, quæ Magorum ad Christi incunabula dux fuit, fortasse enim fama & res fuit, sub Augusti principatu Cometam in Oriente & Iudæa visum, in quo imago pueruli expressa, quem Christiani dicerent hominem Deum: certè dum cetera huius cælestis natiuitatis admiranda cogito: hoc non pro maximo: sed in minimis ducere non vereor.* ita Fromundus.

Origenes ho. 3. de diuersis. Prudentius

Insinuat idem Origenes: *Ipse*, ait, *eis via fuit Christus, qui & desiderantibus visus est, & remeantibus adhærere vel comitari dignatus est.*

Fauet suis versibus Prudentius in Apotheosi.

Vidimus hunc, aiunt, puerum per sidera ferri.
Et super antiquos signorum ardescere tractus:
Diriguit trepidans Chaldæo in vertice pernox.

Idem Cathemerinon 12.

Illustre quoddam cernimus
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cælo & chao.

Hic

Hic ille Rex est Gentium,
Populique dux Iudaici,
Promissus Abraham Patri;
Eiusque in æuum semini

S. August. ser. de Epipha.

Consentit S. Augustinus: *Pastoribus Angeli, stella Magis Christum demonstrat: vtrisque loquitur lingua cælorum, qui a lingua cessauit Prophetarum.*

Salmeron. Salmeron modum visionis Christi in stella sic exponit. *Habebat teste quodam veteri Patre signum pueri cum cruce hæc stella: quoniam fidei lumen ostendit Christi incarnationem, & crucem: item significat Christum sine igne terroris legis, & nube videlicet inuolucris monstrandum.*

Congruentia. Nec nouum hoc: qui enim vario se schemate Abrahamo, Isaaco, Iacobo Iudaicæ stirpis & Synagogæ veteris parentibus sæpius monstrauerat: qui Moysi populum educturo è Ægypto locutus toties fuerat: an mirum si progenitoribus suæ Ecclesiæ iam erigendæ semel monstrarit in stella se, quando persecutorem suum Saulum vultus sui maiestate in aëre exhibita deturbauit equo? quoties Christū legimus SS. Martyribus in carcere, tormentis & morte apparuisse: vt verosimilis sit isthæc opinio Christum pueruluum vultus sui blandissimè renidentis serenitate Magos ad se pellexisse, Ego tamen id verè factum adfirmare non audeo: volo tamen probabilissimum videri & ex capitis sequentis historia roborari.

CAPVT XXIII.

An Augusto Cæsari Romæ die natalis Domini Christus in sinu matris in sole visus sit monstrante Sibylla: & is eo loci Christo aram dedicarit?

In vita Christi Perfidè scripta. REM gestam varij scriptis consignarunt, eam ex Hieronymo Xauerio paucis comprehensam, referam, vt ipsum ab hæreticorum calumnijs vindicem. *Octauianus*, ait, *cum Ianum clausisset, Romani eius felicitati, & iustitiæ pacem illam vniuersalem tribuerunt, & eum spirantem & vivum apotheosi solenni in Deorum referre numerum statuerunt: qui cum Sibyllam consuluisset, eaque petitis inducijs nono demum die præsentibus Romanorum optimatibus responsum Augusto relatura venisset, Cæsari circa solem aureum monstrauit circulum, in cuius medio virgo luce pulcherrima radiabat, quæ sinu fouebat filiolum. Tunc Sibylla: hic infans te maior est*: vox *etiam cælo delapsa in sonuit*, Hæc est ara cœli. *Noluit igitur deinceps Octauianus diuinos sibi honores decerni: postea compertum est, eodem tempore Christum de virgine natum esse. In eadem domo vbi Christum adspicere meruit Imperator, ecclesia fuit excitata, quam modo Patres strictioris Obseruantiæ S. Francisci incolunt.* Hactenus magni illius Xauerij nepos Hieronymus: cuius interpres minister Batavus vocat eam narrationem *fabulosam, quæ nec antiquitatem habeat, nec speciem veritatis, quæ, cum Baronianis scriptis nequeat conciliari, indignam, quæ Euangelicis scriptis attexatur.* Dubitarint sanè de eius veritate quidam orthodoxi: verum est: nec etiam euangelicam mereatur autoritatem: fateor: sua tamen non caret probabilitate.

Narratio visionis Augusto facta die natalis Domini.

calumnijs Hæretici apperitur.

Detrahit omnem ei antiquitatem, nec S. Antonino facit vetustiorem, quem eius autorem laudat Baronius. Atqui S. Antoninus ducentis annis se vetustiorem citat testem Innocentium tertium, vt postea videbimus. Baronius etiam his verbis antiquissimam insinuat Romanorum traditionem. *Putatur hic ille locus esse in Capitolio è regione rupis Tarpeiæ, vbi nobilissimum templum erat antiquitus Iouis Capitolini; sed eo prostrato, eodem in loco erecta est basilica in memoriam Dei genitricis Mariæ* (à Constantino M.) *atque dicta ex causa ara cœli titulo nuncupata.*

defenditur eius antiquitas.

ex traditione Romanorum.

Miratur Batauus à Baronio nullum laudari testem: ideoque credit reprobari: imò contestatam allegat templi Romani Capitolini traditionem, cuius lapidibus res gesta clarè inscripta, & quotannis eodem die repræsentari solita, non debuit testibus

lucu-

luculentioribus & vetuſtioribus comprobari : cum ipſa maiorum certa conſtansque traditio cuiuſuis debeat etiã ſynchroni teſtis autoritati præualere : nam à coæuis accepta poſterorum memoriæ tradita continuatamhominum plurimorum fidẽ conteſtatur : ſed vt confirmatior eius memoria Romanis vulgata fideliùs conſeruaretur, Conſtantinus Aræcœli titulum, & Eccleſiam illic ædificauit : in qua cum res veſtigijs,ſtatuis & figuris expreſſa continerentur,non opus eſſe Scriptores iudicarunt, rem ita peruulgatam literarijs monimentis commendare.

veſtigijs loci.

Negat Batauus habere ſpeciem veritatis. Ego vel in Gentilibus autoribus putem nonnulla rei veſtigia reperiri. Primò de circulo Solis orbem ſub Auguſto coronante non ſemel autor eſt poſt Suetonium Dio circulo Solem, cùm Vrbem Auguſtus ex Apollonia redux intraret,fuiſſe coronatum, *ſtellam quandam ante non viſam, per multos dies apparuiſſe:ſolis lumen aliquando diminui extinguiq́ue:aliquando intra tres circulos effulſiſſe, quorum vna corona ſpicarum ignita circumdaret, viſum fuerat.* Hiccine circulus ille fuit aureus cum Virginis & pueri effigie ? ſæpius enim hos viſos circulos coævus Auguſti ſcripſit Plinius : *Cernuntur*,ait,*circa ſolis orbem verſicolores circuli, qualiter Auguſto Cæſare in prima inuenta vrbem intrante, ad nomen ingens capeſſendum.* qui Plinius,vt ſæpe dixi, ſtellæ meminit, *in qua Dei effigies videbatur.*

Dio l. 45. Gentilium libris.

Plinius.

Quod ſi horum phœnomenum cœleſtium cum Auguſti laude Gentiles meminerunt , non incredibile videri debet de virginis oſtento, quod ethnici , licet non ignoraſſent, ideo tamen Chriſtianorum, vt alia ſimilia, ſiluiſſent. Certè Albumazar Arabs vult tempore nati Chriſti ſub Auguſto ſignum virginis nutrientis puerulum cum duplici ſpica in cœlis radiaſſe: an quidquam ille de factaCæſari viſione inaudiuit? Quamuis Albertus Magnus & Aliacenſis id conentur de Magorum ſtella , vel Horoſcopo Chriſti explicare.

concilia-tione Græcorũ cum Latinis.

Putat deinde Batavus Græcos non poſſe cum Latinis conçiliari : ego, cur fieri nequeat,non video.

Sueton. c. 29. 70. 94. in Auguſto.

Fuit Auguſtus Apollinis perquam ſtudioſus : ei templum in palatio condiderat, eius dici amabat filius ; eius nomine Deos inter conſentes reſidebat. Carminibus verò Sibyllinis conquirendis, examinandis & euoluendis operæ multum ponebat : Hoc poſito, Græci ſcriptores duce Nicephoro Apollinis oraculum, quod conſuluerat Pythia nomine Auguſti, referunt, cum ei hecatombem ſacrificaſſet , quæ hoc tandem ab eo reſponſum retulit.

Silentium Apollini indictum.

Me puer Hebræus,diuos deus ipſe gubernans
Cedere ſede iubet,triſtemque redire ſub orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.

Addunt Auguſtum reuerſum Romam aram in Capitolio erexiſſe,hac inſcriptione:*ara primogeniti Dei.*Suidas tradit ſciſcitatum ab Apolline : *Quis poſt ſe eſſet regnaturus:reſponſum autem accepiſſe à Pythio Apolline de Hebræo puero.* Erant Auguſti honori iam tum vrbes variæ Cæſareæ conſtitutæ, templaque velut Deo conſecrata. Iano autem ter clauſo, cum S. P. Q. R. nouos ei publicè diuinos honores decerneret, pulſatus ea vanæ gloriæ titillatione videtur eſſe , & curioſitate ductus, quæſiſſe,num quis ſe maior in terris vel cœlo poſſet reperiri : dolebat enim Apollinis reſponſo,quem patrem ſuum, & ſe maiorem ob diuinandi ſcientiam iudicarat,eum ipſum Apollinem ab Hebræo puero ſuperari , & auitis ſedibus exturbari. itaq; ante,quam decretos ſibi diuinos honores vſurparet, Sibyllina videtur carmina euoluiſſe : horum enim lectioni deditiſſimus erat : vnde de eo Suetonius,ait, *Quidquid fatidicorum Græci, Latinique generis, nullis vel parum idoneis autoribus ferebatur, ſupra duo millia contracta vndique cremauit : ac ſolos retinuit Sibyllinos, hos quoque delectu habito, condidit duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi:*Hos dum percurrit auidè,videtur in hos Erythreæ Sibyllæ verſus incidiſſe.

Auguſtus dubitat num quis ſe maior eſſet.

Conſulit oracula Sibyllina. *Suet. c. 31.*

Cerno Dei natum, qui ſe dimiſit ab alto,
Vltima felices referent cum tempora ſoles,
Hebræâ quem virgo feret de ſtirpe decora
In terris,multum teneris paſſurus ab annis,
Magnus erit tamen hic diuino carmine vates ,

Reperit Dei filium apud Hebræos naſciturum.

Vir-

Virgine matre ſatus pendenti pectore verax.

Aduertitque Pythij carmen de Hebræo puero confirmari: imo & locum natiuitatis apud Tiburtinam hunc inuenit.

Tiburtina monſtrat Auguſto Deiparam.

Verax ipſe Deus dedit hæc mihi munia fandi,
Carmine quod ſanctam potui monſtrare puellam,
Concipiet quæ Nazarijs in finibus illum
Quem ſub carne Deum Bethlemica rura videbunt,
O nimium felix cœli digniſſima mater,
Quæ tantam ſacro lactabit ab vbere prolem.

Hinc reor quorundam manauit perſuaſio, Tiburtinam (quæ trecentis ante Auguſtum vixit annis) Cæſari intento digito Virginem Deiparam cum puerulo demonſtraſſe, cum relicta eius poſt mortem carmina, poſt acceptum Apollinis oraculum, id effecerint: vnde nouendialium inductarum petitio non Sibyllæ; ſed Auguſto videtur eſſe tribuenda, quas perſrcutandis vaticinijs Sibyllinis impendit. videtur & eiuſdem Regis naſcituri potentiam ex his Erythrææ verſibus didiciſſe.

Auguſtus petit nouendialo inducias. Potentiam Chriſti legit in Sibyllæ carminibus. & regni æternitatē.

Sed poſtquam Roma Ægyptum reget, imperioque
Frenabit, ſummi tunc ſumma potentia regni
Regis inextincti mortalibus exorietur.
Rex etenim ſummus veniet, qui totius orbis
Omnia ſeclorum per tempora regna tenebit.

Hoc videtur illud eſſe Sibyllæ carmen, quo cognouit Cæſare maiorem fore eum, qui ſe demortuo mundi totius eſſet habenas moderaturus, nec id ad exigui temporis ſpacium; ſed æuo ſempiterno: Itaque cum ſe mortalem eſſe non ignoraret, prudenter id ſibi nequibat arrogare. Hæc dum attonitus ſecum conſiderat, & cogitabundus inambulat in pomario: quis ille tantus dominator vniuerſi eſſet, mediâ luce ſolis lumen nube lucida ſenſim infringitur; alius quaſi ſol exoritur, qui tamen oculos humanos non perſtringeret; ſed grata & amica luce delectaret. Hoc dum prodigium ſtupens Auguſtus admiratur, ipſa Deipara cum recens nato puero protinus emicat, ac velut in ſole poſito tabernaculo, lucidiſſimis renidet oculis: quam ſplendidam & glorioſam radij ſolares orbiculari forma coronabant. Quæ dum fixis contemplatur oculis talis illico vox auribus Cæſaris illabitur. *Hic te maior eſt, hunc adora.* Quod ſi præſentes eidem Senatorum principes, vt multi ſcribunt, adſtitere, cunctis audientibus altera vox inſonuit, *Hæc eſt ara cæli.* Tali phaſmate permotus, duo videtur Auguſtus ſtatuiſſe. principio, vt eo ipſo die primogenito Dei conſtrueretur ara, quem ipſe videtur eſſe primus ſacrificio veneratus; & cultu publico, ſolennique ſe maiorem agnouiſſe: tum verò vetuit, ne ſibi deinceps vnquam nomen Domini tribueretur.

videt Chriſtum cum Deipara.

Adorat. reijcit Domini nomen.

Si quis tamen exiſtimaret fatidicam aliquam mulierem oraculis celebrem, quarum plurima in omni pene Gentilium hiſtoria mentio eſt, tunc Romæ præſentem Auguſto prodigium cœleſte oſtendiſſe, non repugnabo: nam & hæc potuit Sibyllæ mereri nomen: quod conſentaneum reſponſis Sibyllinis oraculum edidiſſet.

Hoc pacto facilè Græci cum Latinis; Baronius cum alijs conciliantur & in aperta veritate fruſtra fingit ſibi miniſter has repugnantias *Apud Suidam conſulitur Pythia in ipſo oraculi templo; apud noſtrum Sibylla in ædem Auguſti accerſita*, (concedo vnum poſt alterum factum eſſe: quæ pugnantia?) *Ibi quærit, quis ſibi ſit ſucceſſurus, hic num quis maior.* Quæſierit ante à Pythia de ſucceſſore; non potuit Hebræi pueri cognita diuinitate, num quis ſe maior eſſet, ſiue Sibyllam, ſiue oracula eius conſulere? *Ibi Chriſti oraculum ejicientis Pythiam, & in infernum relegantis, profertur: hic Chriſtus infans cum matre in ſole oſtenditur.* Hoccine pugnat, vnum poſt alterum interiectis aliquot ſeptimanis contigiſſe? *Ibi altare primogeniti ab ipſo Auguſto erigitur; hic altare cœli diuino oraculo reuelatur* An hoc incredibile Auguſtum voce cœlitus audita, *Hæc eſt ara cæli*, & ſiue carminum Sibyllinorum monitu, ſiue fatidicæ mulieris rogatu, vt ſe maiorem adoraret, protinus aram primogenito Dei ſtatuiſſe? Nicephorus cum traditionem Romanam eſſe viſione oblata Auguſto ignoraret, ſciret autem, quæ eidem Apollo reſponſa apud Græcos reddidiſſet, comperiſſet etiam ab eodem poſtea Primogenito Dei aram conſtitutam

Repugnantiæ hiſtoriarum allatæ à Miniſtro confutantur.
1.
2.
3.
4.

ſtitutam,ea tantum cum Suida & Græcis recenſuit.quæ habebat explorata. Hoccine mirum videatur,Græcos in ſua narratione quaſdam,vt vocant rei circumſtãtias,quæ alibi contigerunt, præterijſſe ; quas Latinorum , apud quos res accidit, traditio conſeruauit? Concludit Miniſter: *Vtrumque fabuloſum videtur,indignum certè quod Euangelicis ſcriptis attexatur*. Tuæ ſanè farinæ myſtis , & ſymmyſtis omnia fabuloſa,quæ Deiparæ &Sanctorum cultum inſinuant.Vtinam liceret extra oleam non exorbitanti quas in Deiparam blaſphemias , in orthodoxos calumnias euomis , hic ex profeſſo confutare ; ſed ea iam ab alijs infirmata ſunt : ſatis mihi erit , quæ in rem præſentem ſunt attigiſſe.

Oroſius l. 6. c. 20. attingit quaſdam circumſtantias huius viſionis.

Oroſium tamen rerum Eccleſiaſticarum ſcriptorem accuratiſſimum hanc rem fugiſſe permirum eſt : adiuncta tamen quædam ſatis diligenter perſcripſit : nam c. 20.ait : *cum vrbem ingrederetur hora circiter tertia repente liquido,& puro, ſerenóque die, circulus ad ſpeciem cæleſtis arcus orbem ſolis ambijt, quaſi cum vnum ac potentiſſimum in hoc mundo, ſolumque clariſſimum in orbe monſtraret,, cuius tempore venturus eſſet,qui ipſum ſolem ſolus,mundumque totum & feciſſet,& regeret.* Quid prohibet iterum id Iano tertium clauſo contigiſſe : & occaſionem dediſſe ſub natalitia ſaluatoris, vt edicto vetaret ſe Dominum appellare ? quod ita memorat, *Anno ab V. C.752. Cæſar ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circuitum viſis gentibus vna pace compoſitis Iani portas tertio ipſe tunc clauſit:clauſis igitur Iani portis,Rempublicam,quam bello quæſiuerat,pace enutrire, atque amplificare ſtudens, leges plurimas ſtatuit, quibus humanum genus libera reuerentia morem gereret.Domini appellationem vt homo declinauit.Igitur eo tempore,id eſt, eo anno, quo veriſſimam firmiſſimamque pacem ordinatione Dei Cæſar compoſuit , natus eſt Chriſtus : cuius aduentui pax illa eſt famulata, in cuius ortu audientibus hominibus exſultantes Angeli cecinerunt : Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis : eodemque tempore hic ad quem rerum omnium ſumma conceſſerat,dominum ſe hominum appellari non paſſus eſt; imo non auſus , quod verus Dominus totius generis humani inter homines natus eſſet.* Ita videtur Oroſius viſionem Auguſto oblatam ignoraſſe : effectum eius, quod Dominum ſe vetuerit appellare, compertum habuiſſe : quod etiam ad Chriſti natalitia refert S. Thomas : *In humilitate*,ait, *vixit Chriſtus, & demum in Auguſto ſubſtituit, vt deſcriberetur vniuerſus orbis in ortu Domini , in recognitionem debitæ ſeruitutis non ſine myſterio : quia ille natus erat,qui verſus erat Dominus mundi,& monarcha : vices eius gerebat Auguſtus : vnde hoc inſtinctu mandauit dictus Cæſar tunc temporis, narrant hiſtoriæ, ne quis de Romano populo Dominum ipſum vocaret:quas quidem vices monarchiæ poſt Chriſti veri Dei natiuitatem geſſit Auguſtus 14. annos,toto orbe terrarum ſubacto; quia 56 annos tenuit principatum.* Quamuis ad id , quod Patres eam rem vt geſta eſt ignorarint commodè ſic reſpondeat etiam Magallianus noſter. *Sunt qui de veritate huius ſigni dubitent,quod nec Patres illius meminerint ; nec Sibylla aliqua Auguſti ætate vixerit ; non eſt tamen , cur rem , quæ idoneos habet autores, cum pietatem foueat , impugnemus eo argumento , quod à Patribus de eo nihil eſt dictum : multa enim ab illis prætermiſſa ſunt, quæ vulgo erant manifeſta,& poſterioribus ſeculis monimentis ſunt tradita : nec eo etiam,quod nulla vixerit Sibylla Auguſti tempore ; fas enim eſt Sibyllæ nomine eius verſus intelligere, quorum ductu,& magiſterio ſigna illa viderat Auguſtus. Quid ſi Auguſti ætate aliqua Sibylla ſuperſtes fuit; de cuius vitæ longitudine faſti ſiluerunt ?* Hæc Magallianus cum eandem hiſtoriam ex S. Bonauentura S. Antonino & Petro de natalibus recitaſſet & approbaſſet. Res tota quia perilluſtris eſt, & multum facit ad Gentium futuram conuerſionem indicandam, à quibus hactenus, & quo fundamento memorata ſit, indicabo,

c. 22.

De Iano tertium clauſo.

& edicto ne Auguſtus dominus diceretur.

S. Thomas lib.13.de de regimine Principum c. 15.

Magallan. in 20. Ieſue ſect.1.adnotat.4.appendicis.

Manaſſe hiſtoriam à traditione Romanorum, locique veſtigijs , quæ etiamnum exſtant Romæ, certum videtur.

Hanc ex inquilinis, & quæ ſuperant monimentis perſcribit ad me Roma P. Mangionius noſter. *In crucis* , ait , *formam templum Capitolinum B. Mariæ dicatum conſtructum eſt , in cuius dextero crucis brachio, viſitur altare , in quo celebratur : cui ſuper impoſitus tholus, ſeu lapidea cupula valde elegans octo columellis innixa la-*

lapideis, cum hac inscriptione. *Hæc quæ Aracœli appellatur, eodem in loco dedicata creditur, in quo virgo sanctissima Dei mater cum filio suo se Cæsari Augusto in aureo circulo è cælo monstrasse perhibetur.* Pergit idem Pater. *In eadem ara festis natalitijs solet quotannis præsepe Domini repræsentari pulcherrimo apparatu: inter alia Augusti imago ponitur, cui Sibylla stellam in cælo fulgentem digito ostendit, quæ res fidem attribuit traditioni.* Hæc P. Mangionius Roma literis Anno 1639. datis. Reperi eandem Romanorum communem persuasionem in Wadingo. *Dicunt*, inquit, *Sibyllam siue Cumanam, siue Tiburtinam, ab Augusto aduocatam, & interrogatam de Deo omnium maximo, ostendisse ei sub meridiem solem, circulo aureo circumdatum: in circulo virginem pulcherrimam puerulum brachijs complectentem, & protenus delapsam cælo vocem dicentis. Hæc est ara cæli, subiunxisse Sibyllam: hunc adora vnum Deum; cui statim thus obtulit, & aram illo loco exstruxit: visionem huiusmodi excepisse communiter Augustum perhibetur, & tenaci tradunt assensione ædis incolæ.* Nec est quod excipiat Wadingus de Sibylla vt commentitia: demus enim pridem Cumanam, vel Tiburtinam decessisse: potuit à quauis fatidica & prophetide tunc superstite phasma hoc Augusto demonstrari.

Aræ inscriptio.

repræsentatio annua.

Luc. Wadingus l. 2. ad ſi. 125. fol. 17.

Constantinus Magnus ne vestigium illud cum traditione sensim eraderetur, condita Dei genitricis æde capitolina mirificè decorauit, & à voce cœlo delapsâ *Aracœli* nominauit in perpetuam rei gestæ memoriam.

Constantinus erigit ibidem Ecclesiam Aræ cœli, datur Benedictinis.

Cessit ea basilica Religiosis S. Benedicti regulam professis ab Anacleto sub A. 1130. vixit tunc Godefridus Viterbiensis, & rem gestam ita cecinit:

Octauianus adhæc Rex consulit ore Sibyllam,
Vt Christi causas referat, cui rettulit illa.
Maior te veniet, signa futura vide.
Arte Sibyllina patuit sibi cœlitus ara,
Qua videt Angelica manifestius agmina clara,
Quæ puero Regi cœlica regna parant.
In gremio matris stabat sapientia patris:
Dextra coronati pueri dat dona beatis
Cœlitus emicuit gloria multa satis.
Cæsar, ait, video miracula millia mille
Territus obstupuit nimium dixitque Sibyllæ:
Heu minor hoc puero sum reputandus ego?
Scribe Sibylla mihi, quisnam puer ille vocatur?
Quisque pater suus est, aut quæ regina putatur?
Quod sibi sit regnum, quod diadema datur?
Rettulit illa; Dei Deus est de flamine natus.
Virginis ex vtero sine seminis arte creatus,
Perdita colligere Rex sine fine datus.
Desine Cæsar ait, Deus amodo nolo vocari:
Ille puer Deus est, quem mundus habet venerari:
Cui fauet Angelicus cœtus & vnda maris.
His dictis Cæsar puerum deuotus adorat,
Nunc aras & thura parans offerre laborat,
Prima Deo cœli tunc ibi thura dedit.

Hactenus Viterbiensis

Meminit traditionis huius Innocentius tertius Pontifex maximus. *Fertur*, ait, *Augustum in cælo vidisse virginem gestantem filium ad ostensionem Sibyllæ, & ex tunc prohibuit, ne quis eum dominum appellaret; quia natus erat Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Idem sanct. Bonauentura refert. *In die media circulus aureus apparuit circa solem, & in medio circuli virgo pulcherrima puerum gestans in gremio.*

Innocentius 3. ser. 2. Natali Domini.

S. Bonauentura de Festiuit. pueri Iesu

Subinde locus ceſſit, Innocentio quarto Pontifice Maximo, Patribus Franciſcanis Anno 1249. qui memoriam rei ſeneſcentem renouarunt. Fuſius eadem S. Antoninus ſuo chronico intexuit: *Natus*, ait, *eſt Chriſtus eo tempore, quo erat pax in iſto orbe, quod nunquam contigerat iam inde à funere Numæ Pompilij, quod Romani induſtriæ Octauiani tribuentes, voluerunt eum vt Deum venerari. Ille Sibyllam Prophetiſſam aduocans, ſcire voluit, an alius maior eo eſſet naſciturus: cum ergo in die natalis Chriſti conſilium ſuper hac re vocaſſet, & Sibylla in camerâ Imperatoris oraculis inſiſteret, in die mediâ circulus aureus apparuit circa ſolem, & in medio circuli virgo pulcherrima, puerum geſtans in gremio; quod Sibylla oſtendens Cæſari dixit: Hic puer maior te eſt, & ideo ipſum adora. Auditaque eſt vox dicens: Hæc eſt ara cœli: vnde ille Capitolij locus, vbi tunc erat palatium Octauiani, nunc eſt Eccleſia, & conuentus ordinis Minorum, qui dicitur hodie S. Maria Aracœli.*

S. Antoninus l. 1. Hiſt. n. 4 c. 6. § 10.

Petrus Eſquilinus de Natiuitate Domini.

Non diſſentit Petri Eſquilini narratio: *Cum Romani Octauium pro Deo adorare vellent, ille triduanas inducias petijt, Sibyllam aduocauit, & conſuluit: cui in die natalis Domini in camerâ Cæſaris oranti media die circulus apparuit circa ſolem, & in medio virgo puerum geſtans, & literis aureis inſcriptum: Hæc eſt ara filij Dei viuentis: tunc Sibylla viſionem Auguſto oſtenait, & puerum ipſa die natum dixit: quem Auguſto eſſe maiorem aſſeruit, quem Imperator adorans eidem ſacrificauit, in quo loco nunc ædificata eſt Eccleſia, quæ dicitur S. Maria Aracœli.*

Philippus Bergomas in ſupplemento.

Philippus Bergomas paulò aliter narrat, & Tiburtinæ tribuit: *Hanc*, inquit, *Auguſtus conſuluit, cum Roma eum Deificare vellet, quæ poſt trium dierum ieiunium reſpondit: E cœlo Rex veniet per ſecla futurus: quibus dictis ilico vidente Auguſto cœlum apertum eſt, & nimius ſplendor irruit ſuper eum, viditque in cœlo pulcherrimam virginem ſuper quoddam altare ſtantem, puerum baiulantem, qua viſa repente & vocem audiuit, dicentem: Hæc ara fily Dei eſt. Atque ita Auguſtus in thalamo ſuo exiſtens hæc audiens & videns, in terram prociait, & Deum adorauit. Quamobrem Auguſtus Deum ſe appellari omnino recuſauit. Quo in loco poſtea ad rei memoriam, templum ſub titulo S. Mariæ virginis in Ara cœli ædificatum: quem locum ordo Beatiſſimi Franciſci excolendum ſuſcepit, & nunc vſque poſſidet.*

Faſciculus temporum ſ. ætate

Faſciculus temporum aliam adfert viſionis cauſam ad Auguſti faſtum comprimendum. *Sibylla*, ait, *Tiburtina clara habetur; quæ de Chriſto prophetauit, & Auguſto, reſpondit, ne ſe Deum iuxta Paganorum ſtultitiam putaret, & oſtendit ei virginem pulcherrimam, in cœlo tenentem puerum in brachijs, & ait: Hic puer maior te eſt, ipſum adora.* Poſtea eundem immodice ſic laudat. *Tanta in Auguſto probitas fuit & ſtrenuitas emicuit, vt vix credibile ſit, quod vnquam deſtituta natura humani diſcurſus talem edere potuerit. Quid vltra? Chriſtum cum benedicta matre ſua videre meruit, quaſi ipſe primicerius exſtiterit vocationis Gentium; nec vnquam poſthac vocari Dominus voluit, Aram ei primus exſtruxit.*

Baptiſta Mantuanus. l. 3. Parthen. Mar.

Baptiſta Mantuanus præmiſſis Sibyllarum nominibus, quæ Chriſtum venturum cecinerunt ita canit:

Sed fauſtos veniſſe dies: ſperataque multum
Tempora: quæ vates, quæ prædixêre Sibyllæ
Tempore, voce, loco, varijs: at ſenſibus ijsdem:
Diſparitas facit iſta fidem: nam Perſica primum
Hæc cecinit; poſt hanc Libycæ telluris alumna;
Delphicaque & Cumas veniens à Chalcide virgo:
Antiquumque trahens cognomen ab æquore rubro:
Et Samia: & Regi quæ terna volumine priſco
Attulit; anguſtæque fretum: quam nominat Helles,
Et Phrygio nutrita ſolo: quæque ardua tecta
Tyburis, & magnæ coluit iuga proxima Romæ.
Hæc cum diuinos cultus & ſacra pararent
Auguſto cum plebe Patres, cita Tyburis arcem
Liquit, & ingentes veniens ad Cæſaris aulas,
Fulgentem nitido monſtrauit in æthere circum
Irideque incluſam paruacum prole parentem.

Atque

Atque manum tendens: vultuque ad sidera verso
Ille puer Deus est, inquit, tu desine Cæsar
Velle coli: puerove aras, ac templa relinque.
Ille regit cœlos, atque immortalis olympi
Possidet imperium, & fatalia temperat astra.

Guilielmus Eisengrein. *Tunc etiam circulus aureus horam circiter tertiam repente liquido ac puro sereno, & in medio ipsius virgo puerum ulnis deferens ad speciem iridis circa solem apparuit. Exstat eo loco Romæ templum Franciscanorum, sub nomine Aræ cæli, quod hodie Cardinalatus dignitate decoratum visitur.* Eisengrein cent. 1. p. 1. d. 11.

Laudat Innocent. tertium, S. Antoninum, Martini Chronicon & Mantuanum.

Sixtus Quintus rem tam certam habuit, vt cum nobilissimum Augusti funeri dicatum obeliscum instauraret, ad honorem Natalis Dominici, sic allulerit ad Augusti visionem. Sixtus Quintus.

Christi Dei in æternum viuentis cunabula lætissimè colo, qui mortui sepulchro Augusti tristis seruiebam. Christus per inuictam crucem populo pacem præbeat: qui Augusti pace in præsepi nasci voluit. Christum Dominum, quem Augustus de virgine nasciturum viuens adorauit, seque deinceps Dominum dici vetuit, adoro.

Breuiter Lorinus: *Vulgaris adhæc fama fauet de virgine in cælo infantem gestante, quæ monuerit Augustum vt eum adoraret: vnde loco nomen in vrbe: Ara cæli.* Tirinus in c. 24. Num. v. 17. n. 927.

Conciliat Græcorum narrationem cum Latinis Cornelius à Lapide: *Hæc descriptio facta est ab Augusto, cum plenam haberet in toto orbe pacem, idcoque Ianum tertio clausisset. Hac de causa Augusto Cæsari virgo Deipara infantem vlnis gestans apparuit in Capitolio, cum iam ipse oraculo edoctus esset, natum esse puerum Hebræum, qui idolorum oraculis silentium indixisset, eidem in Capitolio aram erexisset, hoc titulo: Ara primogeniti Dei. Quocirca Constantinus M. ibidem templum erexit in memoriam Dei genetricis Mariæ, quod etiamnum exstat, & vulgo Ara cæli nominatur: vbi & locus visionis Augusti ostenditur. ita ex Suida, Nicephoro & alijs Baronius.* Cornelius in 2. Matth.

Hactenus à lapide: sed ipsum operæ pretium est Baronium audire: quē negat minister Batauus huic visioni fidem adhibere. Præmissa Græcorum narratione de consulto per Augustum Apolline, & ara primogenito Dei constituta subdit. *Putatur hic ille locus in Capitolio è regione rupis Tarpeiæ, vbi nobilissimum templum antiquitus erat Iouis Capitolini, sed eo prostrato eodem in loco erecta est basilica in memoriam Dei genitricis Mariæ, atque dicta ex causa Ara cæli titulo nuncupata; vel quod dicunt Dei genitricem Mariam infantem in vlnis habentem monente Sibylla sublimem in aëre ab eodem Augusto illic esse conspectam: Quod tamen ita velim intelligant; qui ei rei maiorem fidem adhibendam putant, quam his, quæ ex Græcis autoribus recensuimus: non quod Sibylla aliqua Augusti temporibus, quæ illum hæc docuerit superstes fuerit: sed sic accipiendum, vt ea ipsa Augustus à Sibylla, hoc est, Sibyllinis carminibus, quæ Sibyllæ nomine citari à maioribus consueuerunt, acceperit, non autem à Sibylla viuente.* Baronius. Quibus verbis conciliat traditionem Romanam cum narratione Græcorum: licet Sibyllæ viuentis præsentiam respuat.

Denique Alstedius Hetrodoxus idem sed de nascituro Christo cum Sixto quinto refert. *Paulo*, inquit, *ante natiuitatem Christi conspectus est Cometa, de quo Sibylla Augusti consulendo respondit: Hic puer te maior est: hunc adora, Eadem prædixit Cometam istum significare Christianam religionem.* Idem in Chronico Sibyllarum: *Sibylla*, inquit, *Tiburtina dicta Albumea, tempore Augusti Cæsaris pauo ante natiuitatem Christi adhortata est homines, nominatim Augustum, vt puerum colerent de virgine nasciturum.* Alstedius in Chronol. 2. Cometarum.

Quocirca male fabulosam omnino visionem hanc vocat minister Batauus, quam iure potuit Hieronymus Xauerius ex idoneis petitam autoribus, sicut & oracula Sibyllæ referre pro natali Domini illustrando: non tamen, quod falso ei impingit interpres, quasi texerit historiam è solis hausta diuinis codicibus, licet promittat & profiteatur. præcipua se capita non nisi è sacris autribus petiturum.

Iterum hic diuina bonitas & misericordia Gentibus exhibita præ Iudæis est admiranda, qui tam Regibus in Oriente stella duce, quàm in Occidente Cæsari sua Dei in Gentiles fauor.

Dei in Gentiles fauor.

voluit ſolis indicio cunabula declarare, vt oſtenderet ſe aduentu ſuo ſalutem cunctis orbis nationibus allaturum, & diuina mundo ſimul potentia manifeſtaretur, cui ſoli Regum & Cæſarum genua incuruantur, qui ſolus regum Dominus, eos terrere minis, punire ſupplicijs poteſt, cuius vnius nutu & arbitrio humana cuncta gubernantur. Sed dum Auguſtus Romæ die media thus & aram parat Chriſto ſacrificaturus, accinctos ad iter capeſſendum Reges reuiſamus.

CAPVT XXIV.

Tres Reges vna mente capeſſunt iter ſtellâ duce.

diuina prouidentia in Regibus ſociandis.

NE vel ſtellas triplicare, vel miracula cumulare, vel exortum ſideris anticipare cogar anno, vel biennio, mihi veroſimile videtur, aliquam diuinam prouidentiam in concurſu trium Regum admittere, qualem miramur ſæpe naturalibus in rebus Deo ſuauiter omnia operante contingere.

Exiſtimo igitur in Arabiæ felicis parte Iudææ propiore Reges duos vicinis ſuis in arcibus regnorum confinium, paucis ante diebus, vel ſtudiorum communium Aſtrologicorum gratia degiſſe, vel diuino etiam inſtinctu, & peculiari prouidentia: ſeque nonnunquam conueniſſe, exiguo locorum ſpatio ſegregatos. Imo quod quidam volunt, tunc etiam de fama Regis naſcituri Romæ, & Oriente toto ſparſa: deque Balaami vaticinijs, non ſecus ac Regina Saba cum Salomone, ſic inter ſe contuliſſe.

Duo in vicinis locis ſtellam vident.

Itaque cum nocte concubia cœlo ſereno geminas, inter Regum arces medium, Iudæam verſus porrectum ſidus, & in eo, quod probabile reor, Chriſtus infans radiaret, & vnumque Regem ſigillatim ad profectionem inuitaret, ipſi videntur eadem ipſa nocte miſſis nuncijs de ſtella viſa, & propoſito diſceſſus in Iudæam apparatu comitatus, & offerendis muneribus ſe mutuo certiores reddiſſe, ad iter animaſſe: imo condixiſſe, quem in locum cum impedimentis, & ſtipatu regio ſub meridiem conuenirent: viam vnà tam longinquam ingreſſuri. Hæc dum nocturnis, & matutinis horis vltro citroque geruntur, apparantur, inſtruuntur, Melchior Indorum Rex, non ſine diuino conſilio, Regem Arabiæ Gaſparem accedit accinctum itineri, ſtellamque miratus, ac vtriuſque Regis collaudans ſtudium, & ipſe pariter diuino concitatus afflatu, ſocium ſe gaudet adiungere; qui comparatis ex eadem Sabæa regione thure & myrrha: nam aurum videtur ſecum plurimum ex India cum theſauris regijs aduexiſſe, Niſæis forte Indorum equis in Camelos vel dromadas commutatis, iam tum cœpit diſcuſſa mentis caligine lucem & ſerenitatem animi perſentiſcere qua pridem ob inceſtum caruerat.

miſſis nuncijs condicunt locum profectionis.

Melchior iungit ſe comitem.

conueniunt.

Eadem igitur ipſa natalis dominici die, qua ſub meridiem Auguſtus Romæ Chriſtum recens natum, vt piè creditur, adorat. Melchior cum Gaſpare proficiſcuntur: Balthaſare quoque ſuo cum ſtipatu condictum ad locum properante: quo videntur ante veſperam eadem duce ſtellâ peruenisse, diuinam laudantes bonitatem, quod ex tot Orientis Regibus ſolos tres Deus delegiſſet, qui Dei filium, cœli terræque Dominum ac Regem ſuum oblatis muneribus teſtarentur.

CAPVT XXV.

Quanto comitatu Reges profecti ſint.

proficiſcuntur cũ comitatu.

NON incomitatos veniſſe Reges theſauri ſimul & palam allati ſatis indicant: quem alias tres exteri deſpicabiles terrorem Herodi, quam turbationem vrbis Hieroſolymitanæ concitaſſent? Nonne velut perduelles in crucem acti, luiſſent noui Regis in vrbe regia viuente & audiente Rege publicationem? ſunt qui cum exercitibus maximis eos veniſſe putent, vt tutum ſibi per exteras regiones pararent iter; at quo-

quomodo tantillo tempore conflare tot turmas imo legiones potuissent, ijsque de commeatu prospicere?

Quid si Reges, quorum erant regna penetranda, negassent transitum: quot etiam hebdomadis opus, ut illæ copiæ cum necessarijs impedimentis iter conficerent? Nec etiam Herodes eorum ad vrbem accessum, taceo ingressum, neque Romanus præses permisisset. non cum exercitibus.

Alij duodecim vel quatuordecim existimant exstitisse, quotquot iter ingressi Messiã venerunt in Iudæam adoratum: de quibus Salmeron. *Quod ergo Autor operis imperfecti ho. 2. docet fuisse duodecim haud est adeo receptum, & testatum; nisi velimus benignè interpretari, illos non venisse solitarios sed conuenienti stipatos comitatu, qui ad numerum duodecimum peruenissent, præter dromedarios: nam huiusmodi potius reguli erant, quam Reges.* Hic tamen assectarum numerus iusto videtur esse minor, quam illi maiestati legatorum totius orbis conueniret; qui nec tutari contra prædonum adsultus thesauros potuissent, nec Herodem perterrefacere. nec cum solis 12. *Salmeron. tu 2. Mat. ch.*

Tostatus igitur multos secum duxisse credit: quamuis numerum non exprimat: *Communiter tantum tenetur, quod fuerint Magi tres, licet cum illis multi venerint, quia erant viri potentes.* *Tostatus in 2. Math.*

Existimem turmas quasdam lectissimorum militum camelis vectorum secum adduxisse, qui nec impedimentis multis festinationem retardarent, & regiam legationem talem decerent, legatosque ipsos Reges contra incursum hostium tutarentur. Hoc sensu multos ijs varij Doctores comites adsociant. sed expeditis turmis. militum Camelis vectorum.

Rupertus: *Potest fieri tot principes religionis ac potentiæ tanti itineris exstitisse & alios quam plurimos in suo comitatu (sicut mos est magnorum) socios habuisse, alioqui videtur difficile, vt soli tres homines, per alienas prouincias tantum subirent negotium, & omnem Hierosolymam suo nuncio co mouerent.* *Rupertus in 2. Math.*

Strabus & Glossa consentit, quæ tres item facit principes; permultos autem in eorum comitatu. *Strabus & Glossa in 2. Math.*

Hugo Cardinalis: *Non est credibile, cum illi Reges fuerint, quod soli venerunt: imo potius multis comitibus stipati fuerunt: Euangelista tamen tantum de tribus Regibus, & muneribus mentionem facit, quasi de principalioribus.* *Hugo Cardinalis.*

S. Anselmus: *Nec scriptura refert quot Reges fuerint, sed numerus ex numero munerum percipitur, nec soli, multis militibus stipati venisse creduntur.* *S. Anselmus.*

Dionysius Carthus: *Venerunt cum magno comitatu: vtpote Reges: illis namque temporibus sapientes regnare solebant, quales erant tres amici Iob.* *Dionysius Carthus.*

Eckius: *Neque verisimile tres illos venisse solos; sed vt potentissimi principes amplissimum secum adduxerunt comitatum: quamobrem & turbatur Herodes, quem tres vel quatuor homines parum mouissent; dicente Propheta; Inundatio camelorum operiet te: immensam vtrique copiam innuit & multitudinem.* *Eckius.*

Beauxamis: *Tanta erat Magorum istorum autoritas, vt nihil in illorum vitam moliretur: etsi de alio Rege quærerent: tantus forte comitatus, vt nihil attentare auderet; sed & tanta illorum constantia; vt nihil timendum censerent, vbi religionis causa ageretur.* *Beauxamis.*

Thomas à Villanoua: *Neque enim veniebant soli gentium proceres: sed multa suorum familia comitati, sicut decebat Reges extranea regna petentes: vnde Propheta: inundatio camelorum operiet te.* *Thomas à Villanoua.*

Satis idonei multiq; testes sunt hi, qui persuadeant dignum Regibus tribus comitatum, fortem & expeditum ad superanda pericula, terrendos hostes, defendendos thesauros, reducendos post longos viarum amfractus in patriam Reges, vt digno Regibus stipatu.

plures etiam essent spectatores, cultores, & adoratores Christi, qui tunc solenni inauguratione principum mundi Monarcha cœli terræque erat renunciandus.

CAPVT XXVI.

An ſtella præceſſerit proficiſcentes.

Qui negent.

NOn ignobiles autores negant ſtellam Magis præuiã ab Oriente in Iudæam præluxiſſe: nam ſemel tantum volunt ijs in principio viſam; ſed immotam, ſtatim poſtea euanuiſſe: donec Ieroſolymã egreſſi, contenderent recta in Bethlehem: tunc enim iterum illuxiſſe & anteceſſiſſe. Trahunt huc ea S. Matthæi verba: *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* quaſi tantùm ſemel in Oriente viſam eſſe velit, ſed vbi denuo reſplenduit, dux exprimatur fuiſſe itineris. Fauent iſta Magorum verba: *Vidimus ſtellam eius in Oriente.* Eſt hæc poſt Caietanum & Haymonem ſententia Ianſenij: *Ex his*, ait, *apparet ſtellam non fuiſſe reliqui itineris ducem, quẽadmodum communiter putatur, alioqui enim non tam ſolenniter gauiſi fuiſſent hac viſa, nec dixiſſet Euangeliſta ſolum, & ecce ſtella, quam viderant in Oriente; ſed & quæ comitata eos fuerat, & ijdem ipſi Magi fatentur ſe in Oriente quidem vidiſſe illam; ſed non addunt eam ducem itineris habuiſſe: quod vt maius fuiſſet miraculum, ita imprimis fuerat commorandum.*

Haymo Caietanus Ianſen. l. 9. Concordiæ.

Contraria verior ſententia.

Altera communior eſt SS. Patrum & recentiorum doctrina, quod totum per iter in Iudæam vtque dux præluxerit. Hanc adſtruit S. Chryſoſtomus: *vſque ad Palæſtinam venientibus Magis, quaſi dux itineris ſemper apparuit ſtella; cùm verò Hieroſolymam introiſſent, ſeſe rurſus abſcondit: Deinde iterum Herode relicto ſe illis monſtrauit.*

S. Chryſoſt. ho 6. in Math.

S. Leo. ſer. 4.

Leo pontifex: *Viri tres fulgore inſoliti ſideris diuinitus incitati præuium micantis luminis curſum ſequuntur: æſtimantes ſe ſignatum puerum Hieroſolymis in ciuitate regia reperturos.*

Euthymius 2. Math.

Euthymius: *Vſque ad Palæſtinam ſtellæ ducatum habuerunt Magi.*

Theophylactus. hymnus Eccleſiæ.

Theophylactus: *Quin & à ſeptentrionali parte, quæ eſt Perſidis ad meridiem, in qua eſt Ieruſalem, mouebatur.* Concinit hymnus Eccleſiæ: *Ibant Magi, quam viderant, ſtellam ſequentes præuiam.*

S. Thomas 3. p. q. 36. a. 7. c. Alcuinus c. 4. de effic. Dei. Azor p. 2. l. 1. c. 11. q. 12.

Et S. Thomas: *Quia viderunt eam in Oriente exiſtentem, & præceſſit eos vſq; in Iudæam.* Sic Alcuinus: *Acceptis muneribus præeunte eos ſtellâ ad Chriſti cunabula 13. die, quod eſt hodie, Bethlehem peruenerunt.* Azor: *Dubitandum non eſt, quin ea primum in Oriente Magis apparuerit, deinde eis viæ dux fuerit.*

Rationes pro ea.

Ratio ſuffragatur, quia non minus ijs videtur ignotum iter fuiſſe ex Oriente Solymam, quam Solymâ Bethlehemum vſque; ſi ergo in hoc tantillo ſpatio ducem ſe præbuit, cur non in ſpatijs multo maioribus, periculoſioribus, difficilioribus? Adde licèt daremus iter non fuiſſe ignotum: principio tamen lactari Reges magis ductu ſtellæ conueniebat, ne Cometam, vel ſtellam aliam cadentem, aut vulgarem quamuis impreſſionem igneam putarent fortuito accenſam, & euaneſcentem, vacillaretq; eorum conſtantia in periculis. Præterea Hieroſolymæ vaticinijs prophetarum ad locum ortus ſatis apertè ducebantur, & via Regia trium leucarum ſupererat, in qua aberrare non facilè poſſent, prior autem longior, incertior & difficilior erat. Accedit, quòd ſtella non Iudææ, ſed Orienti, & Magorum patriæ, vt ſupra probaui, incubuerit; & conſtet eam Solymâ Betlehemum vſque præceſſiſſe: ergo credibilius eſt eam anteceſſiſſe Reges Solymam vſque, quam vel fingere ſtatim ad nihilum redactam fuiſſe nouâ deinde Solymæ procreatâ, vel exiſtimare, eam ſine medio translatam magno miraculo ex Oriente in Iudæam.

1.

2.

3.

4.

Obiectiones.

Confutantur.

Miratur Ianſenius ſiluiſſe Euangeliſtam ſi tanto itinere præceſſiſſet, nec id à Magis Herodi inſinuatum: at quam multa ab Euangeliſtis breuitatis ſtudio prætermittuntur, quæ nullo negotio ex dictis colliguntur? cum enim in Oriente dixiſſet effulſiſſe: & Solyma Bethlehemum vſque deduxiſſe, non poterat dubitari, quin & ſtella delata per idem ſpacium ſimili ductu præiuiſſet, ne noua prodigia ſine neceſſitate fabricemus. non dicunt Magi præiuiſſe ſtellam: parum id ad Balaami vaticinij veritatem conferebat; illud dicebant, ſtellam eius à ſe viſam in Oriente: quod ſatis eſſe videbatur, vt ortum Meſſiæ cognoſcerent, ne quæſtionem mouerent, ſi in Iudæa appa-

paruisset, cur nec à Iudæis visa, nec quidquam de ea comperissent.

Ad gaudium quod attinet, quis dubitet fuisse geminatum, cum ad oraculi Prophetici Solymis cogniti fidem contestandam eadem rediret dux itineris, anteiret & præluceret? & rectè Haymo, ait, *maius fit gaudium de re inuenta, quæ fuit perdita, quam de re possessa, quæ non erat amissa.* ita voluit Magos Reges Deus continuato prodigio solari per stellam, instruere, & deducere, in qua si vt verosimile est, pueri vocantis imago perpetuo radiabat, illi quasi in non interruptâ contemplatione Regis nati defixi, nullas videntur itineris molestias persensisse, tam copiosè semper radijs diuinis illustrati & amoris igne inflammati.

Vnde gaudium Regum duplicatum.

CAPVT XXVII.

Cur stellam Deus voluerit ducem esse totius itineris.

Amor Dei hominum

AMATOR ille summus humani generis Christus, *cuius deliciæ sunt esse cum filijs hominum*: mortales in ergastulo vitæ calamitosissimæ natos caducis & terrenis adsuetos, ad amanda cœlestia permoturus hominem induit, vt formæ & naturæ communione facilius traheret, ad se verum & vnicum ducem viæ cœlestis patriæ sequendum. Horruerant enim olim diuinæ maiestatis magnitudinem Israëlitæ, cum dicebant Moysi: *loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur Dominus, ne forte moriamur.* Iam ipse factus homo, suâ nobis linguâ loqui voluit, versari cum hominibus, mori pro hominibus, vt homines ad Regni cœlestis consortium præpararet & admitteret; sed cum Messiam nec hominem quidem natum Iudæi reciperent, nec Angelicam curarent symphoniam, ad Gentes conuersus, cœlorum adspectibus & reuolutionibus contemplandis deditas, vt alliceret ad se, in stellam ipse quodammodo se conuertit, dum speciem suam in ea seu speculo reuerberauit, vt familiari signo caperet, quo maxime dilectabantur. Tractant hoc argumentum copiosè è SS. Patribus & recentioribus complures, quosdam delibabo.

Prv. 8.

Exod. 20.

accommodat se moribus & ingenijs singulorum.

S. Chrysostomus, hom. 6. in Matth.

S. Chrysost. more suo copiosè sic disserit: *Et quâ inquis ratione Magos per eiusmodi visionem traxit? at quomodo conueniens fuisset Prophetas eis mittere, cum Magi Prophetarum oraculis fidem non haberent, aut vocem aliquam desuper reddere, cum ne hanc quidem curassent? aut Angelum mittere, quē & ipsum forsitan præterijssent? propterea igitur omnia huiusmodi derelinquens Deus per ea illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat, ad ipsorum imbecillitatem, ad captum se demittens. ideoque ingens Magis & clarum ostendit astrum: quodque plurimum ab his quæ spectamus sideribus discreparet: vt eis & magnitudine, & pulchritudine formæ, nec non etiam modo & ratione cursus admirationem moueret. hæc itaque Paulus imitando, ab ara occasione facta cum Gentilibus disserit in medium proferens testimonia ex Poëtis: & circumcisione manente, Iudæis concionabatur, & adhuc sub lege & viuentibus à sacrificijs sumit initia doctrinæ; quia enim vnicuique ea, quibus adsuetus est grata sunt, & Deus, & missi ab ipso ad totius orbis salutem homines, eodem modo res capessunt, & tractant: Ne igitur opineris indignum eo, quod Magi per stellam vocantur, hoc enim modo Iudaica omnia & sacrificia, atque purificationes, & nouilunia, & arcam, templum denique ipsum calumniaris: siquidem hæc omnia originem traxerunt à Græcanica crassitudine: nihilominus Deus ob deceptorum salutem per ea ipsa se coli passus est, per quæ alieni à religione vera dæmones ante coluerant: nonnihil immutans ea, vt eos paulatim à consuetudine sua abstractos ad philosophiam perduceret sublimen: hunc igitur dispensationis morem seruauit in Magis, quos per stellæ apparitionem vocauit, vt eos imposterum efficeret celsiores.*

ac Magorum studijs

sic S. Paulus aliter Gentilibus aliter Iudæis concionatur. Trahit Deus per ea quibus homo adsueuit.

S. Dionysius capitur a Deo solis Eclypsi.

Similiter in morte sua Christus cum Dionysium Ariopagitam & Appollophanem, degentes in Ægypto Heliopoli, pararet fidei aggregare, vtrique deditissimo siderum contemplationi terribilem media die defectionem solis obiecit oculis; vt per familiaria caperet studia. Dionysius enim ingenti cum admiratione ad cognatum & sodalem conuersus, *Quid hoc*, inquit, *rei est, ô Apollophane, quid sibi ista ostenta volunt?* ille autem diuino quodam afflatu, *hæ sunt*, ait, *ô bone Dionysi rerum diuinarum mutationes*

Michael Syncellus in Encomio S. Dionysii. Suidas. & Halloix in S. Dionysio.

tiones, mox vero Dionysium diuiniori quodam affiatu concitatum (quod ex traditione Michaël Syncellus ait haberi maiorum certa & constante) ferunt exclamasse *Ignotus in carne patitur Deus: cuius causâ vniuersum hoc obscuratum atque concussum est*, vel quod alij malunt, *aut Deus patitur, aut patienti compatitur*: dirigitur in hac vocatione tam mirabili considerandâ Halloix noster, & ad vocationem SS. Regum deuoluitur, cui cum primis ea congruit. *Liceat vero*, ait, *hic nobis in isto tam admirabili principis luminaris defectu, & contemplatu pulchra æternæ sapientiæ consilia pauxillum demirari; liceat etiam vna summam earum rerum omnium conditoris & moderatoris potentiam iuxta & bonitatem fixius attendendo, & amare & complecti, eius inquam moderatoris, qui vt rectè obseruauit & dixit*

Sap. 8. *Sapiens; attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: quam enim fortiter tam Iudæorum, quam Gentilium corda tum attigit, & quam suauiter communem salutis vtrorumque rationem disposuit, eum & Iudæis semper signa de cœlo petentibus tam illustre de cœlo & in cœlum signum dedit, & clarissimo quamuis atrarum tenebrarum prodigio memor suæ caritatis, suæ iniuriæ immemor, in ipsa sua morte subuenit? & cum Gentilibus & alienigenis tam ijs, qui longè, quam ijs qui propè, nominatim autem Dionysio & Apollophani earum rerum, quibus maximè capiebantur atque vacabant studijs tanquam aptissimis ad illos alliciendos & sibi coniungendos, lenocinijs sese quadamtenus manifestans succurrit; nempe Astrologiæ extraordinaria in astris prodigia exhibendo; Quippe ambo dum cœlos suspiciunt, dum rimantur sidera, dum solis defectionem inusitatam vident & examinant, Deo corda permouente prima nouæ legis & Christianæ fidei semina, suis postmodum temporibus in fruges eruptura, vt post videbitur, susceperunt, sic olim tres illos Magos insticienais & obseruandis stellis intentos, vna eis obiecta prorsus mira & insoliti splendoris ad perquirendum nouum Regem (cuius illa ferebat indicium) & ad congrua ei munera aignosque tantis natalibus honores deferendos incertum fortius an suauius pertraxerat: sic deinde homines piscatores ad piscatum deducturus animarum atque à mari & à retibus ad Ecclesiæ gubernacula prouecturus, non alio quam piscationis vocabulo vsus ad se pellexit, quin & pellectos nullo nec gratiore neque suauiore modo detinuit, atque in suæ potentiæ atque diuinitatis fide atque notitia confirmauit, quam obiectis inter piscandum prodigiosis iactibus & capturis.*

similis SS. Regum & S. Dionysii vocatio cælestis.

Lib. de Geneologia Christi vocat.

De eadem suauitate vocationis diuinæ differit ita Salazar Carthusianus: *Quamuis infiniti*, inquit, *prope sint vocationum modi, admirandum tamen & obstupendum vocationis genus hoc est, quo Magos ad se vocat, per eadem namque studia, quibus homines sunt deditti & addicti, ac ijsdem medijs quibus plerumque ipsi Deum inuenire desiderant, benignè atque clementer se ijs offert. Magos astrorum contemplationi deditos per astra vocat, piscatorem Petrum ingenti piscium captura, quam cum illi præter consuetudinem & naturæ ordinem esse cerneret, ait, Exi à me Domine, quoniam homo peccator ego sum, &c. Thomam dicentem: Nisi misero digitum meum in loca clauorum, & misero manum meam in latus eius, non credam. Quam misericorditer quam dulciter, quam amanter incredulum adhuc, & cessitantem ijsdem ipsis quæ ille proposuerat medijs vocat inquiens: infer digitum tuum in loca clauorum, & mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis: procul dubio hoc est, quod per Oseam olim prænunciatum fuerat: In funiculis Adam trahã eos, in vinculis caritatis: hoc est dulciter amanter, benigne, clementer, misericorditer. Nam cum homines ritu ferarum animantium, rationis expertium viuentes fustibus essent adigendi ad diuinæ legis obseruantiam, vt solent cogi iumenta refractaria & recalcitrones equi; Ego tamen in funiculis Adam trahã eos (Deus inquit) more hominum ratione præditorum cum ijs agam, trahens & vocans eos amantissimè & eos mihi deuinciens arctissimis caritatis vinculis & amplexibus: sequar eorum studia, & non aliter ac aucupes & venatores his rebus, quibus ipsi delectantur eos capiam.*

vocatur S Petrus.

& Thomas.

funiculis caritatis.

per amata, & iucunda

Verè iugum Christi suaue & onus eius leue: qui filios suos, vt ad præmia cœlestis regni præparet, per ea solet ipsos studia, labores & conatus inuitare ad brauium promerendum, quibus eorum natura maximè delectatur: vt dum & voluptati seruiunt,

viunt, & propensioni naturali, simul etiam cœlestis adeant regni hereditatem, Zachæum curiosum suo trahit hamo; auidus erat videndi eius, Christus conuenit eum: eidem vltro se hospitem & conuiuam offert, & sensim instillat fidei mysteria: *Non enim habet amaritudinem conuersatio eius*; nec tædium qui solet studijs & propensionibus hominum se dulciter accommodare.

vltro se inuitat apud Zachæum. *Sap.* 8. 16.

Illud etiam sapientiæ & potentiæ diuinæ, nobile documentum hic elucet: quod cuiuis suo in vitæ statu, conditione, studio, Deum cognoscendi, amandi, sequendique si velit mille viæ ostendantur. hinc ex Chrysologo notat Garzia, *stellam ideo dedisse, quia Astrologi erant, ne quis putet diuersis alienisque à statu & munere rationibus salutem sibi procurandam esse, vnicuique sua stella est: sua gratia muneri, & loco accommodatur: nec dicat sponsa: filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vbique & in quocunque munere inuenitur Deus, stella eius præduce, quæ multiplex est, & prope est in ore tuo, & beatos omnes facit in sede & munere proprio. beatus vir, cuius est auxilium abs te, adscensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit*, S. Augustinus *in hunc psalmum, in loco explicat in statu: sicut cum Spiritus Sanctus quærit mulierem fortem, ad quid putas? ad bella? minimè, sed ad fusum, ad vigilias quærit mulierem, quæ mulier sit; quærit iudicem qui iudex sit, quærit fabrum, qui in fabrilibus sit, cetera enim gratia multiplex in illis operatur, & vnicuiq; pro necessitate datur, siderum scrutatoribus stella, iudicibus lex, fabris ars, mulieribus œconomiæ domus: Ecclesiasticis deuotio quasi stella diuersimodè dispensatur*: hactenus Garzia. Præterea monstrauit ijs diuinum oraculum Abrahæ promissum, de Gentium benedictione futura, iam impletum esse, vt S. Leo aduertit, quo facilius ad nouum sequendum sidus Reges Gentiles, & ipsi Astrologi commouerentur, ait, enim: *Ad creandam promissam hereditatem heredes in sideribus designati, ortu noui sideris excitantur: vt in quo cœli adhibitum fuerat testimonium, cœli famularetur auxilium: commouet Magos remotioris Orientis habitatores stellis ceteris stella fulgentior, vt de miranda luminis claritate viri ad hæc spectanda non inscij, magnitudinem significationis intelligant.*

In Euangelico concionato discursu 28.

in omni officio se exhibet. *Ro.* 10.

3. ob promissionem per stellas factam. *S. Leo ser.* 3. *Gen.* 22.

Suauitatem hanc vocationis diuinæ ex eodem S. Leone sic colligit. Ludouicus de Ponte, *Et quia Magi*, ait, (*vt obseruat S. Leo*) *spectandorum siderum arte pollebant, hac arte volebat Deus eos capere, ostendens nouam stellam curiosis Astrologis, quæ nouum Regem natum indicaret: nam si Diabolus, vt dicit idem pontifex, omnium discutit consuetudines, omnium ventilat curas, omnium scrutatur effectus, & ibi quærit causas nocendi, vbi quempiam viderit studiosius occupari, quanto magis Christus Dominus, vbi quempiam viderit studiosius occupari, ibi causam quærit illum illuminandi & trahendi ad se, vt ita facilius & suauius sequatur se: sicut ergo discipulos piscatoriæ arti deditos vocauit, dicens, Math. 4. venite faciam vos piscatores hominum: ita Magos Astrologiæ vacantes, per adspectum stellæ ad se traxit*: hactenus De Ponte. agit nimirum nobiscum vt cum filijs mater diuina maiestas: nam lactantes vberibus: impuberes pomo & dulciarijs, quo volunt trahunt: auceps dum auis vocem aptissimè similando imitatur, incautam & curiosam capit, *fistula*, ait ille, *dulce canit volucrem dum decipit auceps*, sic hamo præfixa piscibus grata esca suauiter inescati irretiuntur: sic ouis ramis virentibus, vel salis gustu quouis ducitur. sinamus igitur, sinamus à nostri amantissimo patre cœlesti trahi; petamus trahi cum sponsa: *trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*: quia hoc nobis persuasissimum esse debet effatum *Christi*: *nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum*: quem locum cum huc aptè trahat Ildefonsus Giron & in fasciculum à me dicta ex sanctis Patribus colligat, visum est attexere: *Dicitur*, inquit, *Io.* 6. *Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum, traxit æterna sapientia suauiter per stellam.* Primò, *quia imperfectis in fide ob tenebras infidelitatis Isa.* 9. *Qui ambulabant in tenebris ostensa est lux magna, vt à somno excitarentur. Isa.* 49. *Parum mihi est, vt sis mihi seruus ad saluandas fæces Israel: ecce dedi te in lucem Gentium: ipse enim est stella splendida & matutina.* Secundò, *trahit sua quemque voluptas. Sap.* 7. *Cùm sit vna, omnia potest & in se permanens, omnia innouat, & in animas cunctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit: hinc*

Ludouicus de ponte l. 3. *de imit. ex hort.* 1. *ser.* 563. *Apud sanct. Bonauent. l.* 3. *pharetræ c.* 4.

similitudines quomodo trahat sua quemque voluptas. *Cant.* 1. *Io.* 6. *Giron. c.* 4. *de Epiphæ.* Conglobatæ rationes è sancti PP. 1. 2.

Sap.

Sap. 16. *dicitur nutrix omnium accommodans se paruulo gestibus vberum exhibitione: sic piscatores hominum fecit Apostolos, amorem Magdalenæ carnalem mutauit in spiritualem. S. Chrysologus, vt materia erroris fiat illis salutis occasio.* 3. Tertiò *ex S. Leone Abrahæ: in siderum multitudine posteritatis multiplicatio promissa est: hi autem ex Ismaele heredes fidei Abrahæ, vnde & Regina Saba venit Solymam, & his ideo stella famulatur.*

4. Quartò, *ex SS. Basilio, Cypriano, Leone, Origene, Chrysostomo, Hieron. Ambrosio, quia heredes generis & scientiæ Balaam visâ stellâ recordati sunt, oraculi dati & Sibyllarum prædictionis, Daniel quoque Babylone. & Tobias in Niniue c.* 13. & 5. 14 *prædixit de luce ista.* Quintò, *Isti Magi ab Abraham secundum carnem descendentes, vt multi cum B. Leone arbitrantur, ipsiusque fidei heredes perque stellas cæli designati & promissi suauissima dispositione diuina, stellam ducem de cælo acceperunt, vt qui primitiæ erant Gentium. primumque fidei seminarium. per stellam sibi de cælo ostensam, multiplicatio filiorum Ecclesiæ ex Gentibus ipsis præmonstraretur, iuxta celebre illud Isaiæ vaticinium:* Isa. 54. *Lauda sterilis, quæ non paris; decanta laudem & hinni quæ non pariebas, quoniam multi filij deserti, quàm eius, quæ habebat virum.*

Tam multis de causis, & varijs, ipsis etiam sanctis Regibus nocte natalis Domini diuinitus indicatis, suauiter per stellam attraxit Christus: quàm eorum voluit arbitrio nutuique subseruire quibuscunque in rebus, vt discerent astra non hominibus dominari, sed famulari.

CAPVT XXVIII.

Stella difformi non vniformi motu Magis ad nutum famulatur.

Magiolim stellas coluerunt. *ser.* 157.

AMagis Persarum Mithram, seu solem diuino cultum honore nemo facile dubitabit: à nostris etiam Regibus stellas adoratas SS. Patrum multi testantur: vt igitur quod notat S. Chrysologus, *ipsa materia erroris fieret salutis occasio*, sic Deus voluit astrum ipsum motorem Angelum, vel fortè Archangelum Michaelem proficientium commodis & necessitati subseruire, vt non nisi ad Regum ipsorum præscriptum motumque moueretur, & quiesceret. Agebat hoc ipsum in cunis vagiens, spiritu & diuinitate Magis præsens, & indiuiduus comes puer, qui motum astri præsiniebat ad Regum voluntatem, vt spreto siderum cultu verum Deum constantius adorarent: id probat Chrysologus: *Verè*, ait, *sicut dixit Apostolus, cùm esset diues, pauper factus est: cùm esset in Deitate sua diues, nostra sit pauper in carne, & habere cœpit stellam viuam, totam, qui fecit, habet, & continet creaturam: vidimus stellam eius: aliquando videt Magus, qui habet stellam, non habetur à stella: nec ipse agitur cursu stellæ, sed ipse stellæ agit cursum: cuius per cœlum sic cursum dirigit, sic moderatur incessum; sic viam temperat, vt Magorum seruiat & mittatur ad gressum: nam ambulante Mago stella ambulat, sedente Mago, stat stella; Mago dormiente excubat stella: sic sentit Magus, vt quibus viandi par conditio est, par sit necessitas seruiendi: & stellam iam non Deum credit; sed iudicet esse conseruam, quam cernit taliter suis obsequijs esse mancipatam.* Hoc stellæ famulitium detexit errores Astrologorum, quorum cum multi diuinos ijs adhiberent honores, & forte vel Reges ipsi, vel assectatores; iam luce clarius ipsis in noctis tenebris cœcos damnant errores priores. ita *cultores*, ait Chrysologus, *siderum noctis incolæ autorem lucis densis inueniunt in tenebris: vt sit hoc autoris gratia, non sit hoc industria sic quærentis; non sit stellæ sed Dei; sit creatoris donum, non sit beneficium creaturæ*, sed parum veritatem inuenire, nisi contingat & veterem damnare ignorantiam, exuere errorem: vnam propositam sequi calle recto veritatem, ab ea nec latum vnquam vnguem deflectere: id autem à Regibus generosè factum, ita copiosè narrat idem: *Sic vbi vidit Magus humanas perysse curas, suas defeciss e artes, mundanæ sapientiæ exinanitos labores, omnium sudores obriguisse sectarum, totius Philosophiæ*

hinc stellã ijs seruire Christus voluit. *S. Chrysologus.*

& mira præstare obsequia.

S. Chrysologus ser. 156. vt in tenebris dedocerentur errores. quos damnant.

bulas concidisse, ipsas Dæmonum diffugisse vmbras, stellam non vt cometam in circumfuso crine occultare, quod nunciat, obscurare quod lucet: sic dicit: fas est, vt & te nouo radio, signifero lumine, splendore certo radiare videam, illic natum Regem, præter mundi legem, præter carnis ordinem, præter humanam monstres naturam. Christum quęrunt, & adorant. *Sic deposito errore sequitur currit, peruenit, inuenit, gaudet, procidit, adorat: quia non per stellam, non per artem; sed per Deum, Deum se inuenisse humana miratur in carne.*

Sic erroris mutatio facta est ex obsequio seruitioqúe stellæ, quod Magis impendebatur; vt hac cœli linguâ nihil sit eloquentius ad magnitudinem diuinæ maiestatis persuadendam: *Cœli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmamentum.* Hinc est quod diuina sapientia commoneat Reges, qui licet cũ Magis stellam intuerentur & admirarentur, sequi tamen ducem noluerunt. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; & de his, quæ videntia bona non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex; sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut solem, & lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Quorum si specie delectati, deos putauerunt; sciant, quantò his dominator eorum speciosior est: species enim generatæ hæc omnia constituit: Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum viaeri.* Infelices illi, qui, cum Magis fidus idem licèt mirarentur, sequi tamen nequaquam voluerunt, qui veteribus suis erroribus, ne forsan inconstantes audirent, adhærere, quam veritatem ipsam sequi maluerunt. Psal. 18. Sap. 13. neglectâ stultitiâ aliorum.

Nunc motum stellæ difformem & progressionem animalium instar contẽplemur: eum ita descripsit. *Drexelius: Quã admirandus* ait, *fuit motus ac progressus istius è cælo fulgurantis prodromi? Et quomodo se suis illis, quos ducebat, comitibus accommodabat aëreum hoc sidus? Stabant isti? Stabat; ibant illi? præibat illud; per montes illi agmen suũ erigebant? & hoc sese tollebat altius; in valles illi declinabant? & illud sese depressius ferebat; Hospitium illi è via petebant? eidem pene & stella succedebat; inde certè non prius mouebat, quam illi. Quid hic magis mirer, an stellam, tam suaeliter præeuntem, an comitatum regium tam obedienter sequentem? miramur à paruo pisciculo ingentem duci cetum, à nigro pumilione maximum terræ pondus gubernari elephantum, funiculo regi Camelum, succino trahi aceres, Cæciâ nubes, adamante ferrum? Hæc naturæ miracula sunt. Quæ autem in hoc astro admiranda supra naturam sunt, quippe naturæ conditor, dum adhuc abscondebatur in stabulo, agnoscebatur in cœlo; dum adhuc exiguo detinebatur oppidulo, vniuerso mundo declarabatur: adhuc Matris lambebat vbera, & ab Oriente trahebat Reges per novum hoc sidus, omni Dionæo astro fulgentius. En hic ille magnes, hic ille adamas, qui ab ipsis vsque surgentis solis quasi cubilibus ad antrum suum, in quo delitescebat, pertrahebat Arabicum exercitum. Hic ille puĝo, qui camelos & dromedarios regebat, per nouam illam, quam in aëre suspendebat lampadem.* Drexelius de Christo nascente. n. 10. §. 3. elegans descriptio motus progressiui Stellæ.

Mirum profectò non sidus illud novum; sed militiæ cœlestis Principem ita se voluntati Magorum accommodasse, vt, dum progredi cuperent Reges, signifero lumine prælucerent: Sed *nunquid sunt omnes administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis?* quantò potius propter nouos istos Ecclesiæ patriarchas? An mirum supremum Angelorum homini seruire, quando Rex Angelorum *non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemtionem pro multis?* quando diuina Maiestas cum rebus creatis omnibus in singulis actionibus operatur velut administer? Hac ratione præditos homines excitat, vt quibuscunque in rebus ad nutum vicissim Dei se fingant & accommodent. S. Michaël seruit. Regibus. Hebr. 1. Mat. 20. 28.

CA-

CAPVT XXIX.

Eadem columnæ nubis similis, & dissimilis fuisse demonstratur.

Beneficiũ maximum columnæ nubis & ignis Israël collatum.

IN beneficijs innumeris, quæ diuina maiestas contulit in Israëlem, quem ex Ægypto ducebat in terram promissionis, præcipuum ferè fuit, quod Angelico, Michaelis, vt creditur, ministerio de die nube splendida, nocte vero præluxerit ignea columna, tutatus eundem populum ab hostium iniurijs, & periculis. Frequens est huius rei in scripturis mentio, quò refricaret ingratis eius memoriam.

Sæpius scriptura refricat. *Exodi 13.*

Exodi 13. *Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore: nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram populo.*

ps. 77. Psaltes regius: *Deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.*

ps. 104. Alibi: *Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, vt lucere ijs per noctem.*

Esd. 2. Esdras: *In columna nubis ductor eorum fuit per diem, & in columna ignis per noctem, vt aperiret ijs viam, per quam ingrediebantur.*

c. 4. 5. 6. Isaias: *Et creabit Deus super omnem locum montis Syon, & vbi inuocatus nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio: & tabernaculum erit, in tabernaculum umbri ab æstu, & in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluuia.*

diuersitas nubis huius ab alijs nubibus

Vna quidem, eademque columna nubis erat cum columna ignis, quæ multum à reliquis nubibus, non puritate tantum, nitore, soliditate, densitate, & figurâ cylindri, sed motus etiam varietate differebat: nam columnæ celsissimæ specie ad cœlos vsque porrigi videbatur, vt à totis cerni castris commodè posset, ac noctu flammæ formam: die nubis exprimebat, quam Angelus velut nauclerus mouebat, & dirigebat: cum enim iter esset faciendum, ipsa totum præcedebat agmen, cum quiescendum, supra locum tabernaculi fixa consistebat. Nocte tantum luminis totis castris communicabat, vt eius solius radijs satis in via, satis in ipsis tentorijs, nullo adminiculante lumine, iuuarentur ad omnia, quæ singulis occurebant facienda. Nec erat, qui solet stellis ferè communis esse, motus ei circularis; sed rectus, qui nunc antrorsum, nunc retrorsum, aliàs ad latus, cum vsus esset, flectebatur. Accommodabat verò se ad motum & vires Hebræorum: non enim celerius progrediebatur, quam prosequi possent tot etiam mulieres, parvuli, tot armenta, gregesque Iudæorum. Motorem simili ratione præditum, & motum huic stellæ Magorum cum illa veteris instrumenti dat S. Chrysostomus. *Hoc*, ait, *non agit motus sideris; sed virtus quædam plena rationis; Neque enim proprium quempiam cursum tenebat; sed cum eos oportebat pergere, etiam ipsa pergebat; cum vero standum esset, stabat: pro necessitate ac commoditate eorum omnia moderans; sicut etiam nubis columna nunc castra figenda, nunc ea mouenda monens Iudæorum, vbi res postulabat.*

figura & motor Angelus.

Lux eius nocturna.

motus progressiuus.

similis ei stella Magorum ratione motus.

S. Chrysostomus.

fides dux Magorum.

Ac sicut Israelitas Angelus per columnam nubis & ignis ad terram promissionis, & ciuitatem Ierusalem, seu visionem pacis; sic ad eandem Magos, fide duce, per stellam Solymam, & inde ad Christum veram stellam matutinam perducebat: eosdem ad cœlestem ciuitatem perducturus, vbi & ipsi, velut stellæ fulgebunt sempiternum: quam rem ita Ratbertus persequitur: *Signum huius mysterij fuit columna illa ignea, quæ anteibat populum Dei Hierusalem petentem: per quam Spiritus Sanctus ductor eorum designatur: Christus etiam stella fuit, & in ea, quæ apparuit, Christum esse monstratum, manifestissimè approbatur; nullum igitur signum congruentius poterat apparere ad inuitandum, quàm per quod fides credentium radiaret in miraculo, & vera, quæ Christus est, stella ex Iacob præsignaretur ex oraculo, cui profectò vera fide Christo obsequentes configurati, per hoc iam iamque velut stellæ cœlorum æterna perpetuitate collucentes virtute cœli in cœlestibus præsiderent: quid enim aptius, quàm per stellam fides, qua itur ad stellam ostenditur, vt per eam, quia lu-*

Ratbertus in 2. Matt.

Apoc. 22.

men

men proprium non habemus , illustrati perpetua æternitate lucere possimus.
Ad columnam nubis redeo : cuius motus non omnibus partibus conformis motui stellæ nostræ fuit : illum Angelus nutu suo dirigebat , ita vt multis quandoque diebus iter iuberet abrumpere : motum Regum nostrorum feruor ipsorum & desiderium incredibile videndi pueri moderabatur , qui cum pauxillum temporis cibo , vel somno capiendo tribuerent , totos in maturanda profectione decem vel duodecim dies consumserunt , vt rectè dixerit Abulensis : *Columnâ opus Iudæis ob multitudinem exercitus : ea dirigebat & quietem , & profectionem determinabat : contra Magi pro arbitrio gradiebantur, quia hi tantum officium viatorum habebant ; Israëlitas autem Deus nolebat citò peruenire ad terminum , & sæpe exspectabant multis mensibus : vnde potius stella ad motum Magorum mouebatur : noctu in hospitijs quiescebat supra locum , in quo Magi diuersabantur : id enim & columna nubis præstabat Iudæis pendens super castra ipsorum : nec apparet hic ratio diuersitatis stellam inter & columnam : vnde cum occultaret ingressis Solymam, mirati putauerunt ibi natum esse : & quæsierunt de eo, vbi est.*

Motum stellæ Magi desiderabant.

Et sanct. Bernardinus ex sanct. Augustino de stella rectè ait, *vt plenum Christo præstaret officium , & obsequium , temperauit gradum , donec Magos perduceret ad puerum: obsequium præbuit non imperium: scilicet obsequio Christi & Magorum procreata Regum voluntati velut famula seruiebat.* vt discat hinc Christianus , quam sit æquum quibuscumque in rebus hominem diuinæ respondere vocationi : quod dum facit libenter homini cœlites , elementa & stellæ obsequuntur : nec Angelus Michael detrectat se horum votis accommodare , quos nouit se regni cœlestis consortes, & coheredes esse habiturum.

ser. 24.

omnia electis seruiunt.

CAPVT XXX.

An extra tres Reges ab alijs stella etiam fuerit obseruata.

TRes Reges tantum visâ stellâ, patriâ desertâ profectos in Palæstinam nouum Regem natum recens adoratum , perquam mirum videri potest : nec vllos summorum , mediorum , infimorum , vel simul excitos rei nouitate saltem in via se comites adiunxisse ; vnde dubitari meritò potest , an solis ea stella Magis visa fuerit vel si non solis apparuerit , sed toto Oriente conspicua fuerit omnibus ; & per iter omne ; cur nulli se Regibus sociarint ?

Potuit Deus facere, vt a solis Regibus stella videretur.

Potuisse id diuinam potentiam , vt præter Reges nemo astrum videret exploratissimum est : sic cum Ægyptios tenebræ , quæ palpari poterant , velut in carcere constringerent , per terram Iesse Iudæorum , & quà illi tendebant, serenissima cœlo lux affulgebat : dum tres in fornace babylonica pueros flamma non tangeret , vel vreret , vicinos Babylonios arripuit , & incendit : ita Saulum spirantem minas , Damascum properantem lux de cœlo circumfulsit , in qua Christum & videbat in aëre , & loquentis vocem excipiebat : *viri autem illi , qui comitabantur cum eo , stabant stupefacti , audientes quidem vocem , neminem autem videntes.*

Act. 9. verius est eb omnibus videri potuisse.

Mihi verosimilius videtur , sidus idem primâ nocte natalis Domini sublimius in cœlis effulsisse , vt quam remotissimè posset ab Orientis Astrologis, Regibus , populis obseruari : dum vero iam accincti tres Reges itineri se pariter committerent , descendisse , terræque propius præluxisse : & quà pergebant, visum ab omnibus : nocte etiam concubia celsius eleuatum à remotioribus potuisse facilè obseruari, dum in hospitio Reges membra quieti tradidissent. Hæc est opinio S. Chrysostomi: *Et hæc quidem stella ab omnibus videbatur; sed non ab omnibus intelligebatur: sicut Dominus ac saluator noster omnibus quidem natus est: vnus propter*

ita S. Chrysostomus ho. 42. ex c. 2. Matth. in Epiph. to. 5.

omnes natus est; sed non ab omnibus susceptus est, non ab omnibus intellectus. Consilium id diuinæ prouidentiæ fuit, varijs in orbis partibus, Romæ præsertim & in Oriente inter Gentes præludere natali Dominico, quem tot oraculis Sibyllinis, & vaticinio Balaami cunctis æquè Gentibus ac Iudæis voluerat esse persuasissimum, vt dubitari non debeat, quin nullos voluerit ea celare, quæ palam gerebantur. Congruè his Doctor Angelicus: *Credibile est etiam in alijs partibus mundi aliqua indicia natiuitatis Christi apparuisse, sicut Romæ fluxit oleum, & in Hispania apparuerunt tres soles paulatim in vnum coeuntes.*

S. Thomas p. 3. q. 36. a. 3. ad 3.

Salmeron.

Idem sentit Abulensis, & Salmeron confirmat: *Stare*, ait, *stellam visam esse ad ostensionem natiuitatis Christi, ideo non erat conueniens cuiquam homini celari: imo cadebat in gloriam Dei, quod omnes illam nossent. Sicut etiam columnam nubis & ignis, quæ annis 40. visa est Israelitis, quibus manserunt in deserto, nunquam ad adspectum Gentilium euanuit. Sed semper pendebat idoneè super castra, ac proinde Deus magis laudabatur: sicut ergo illa apparuit ad ostensionem dignitatis Iudæorum, quibus data erat recens lex Moysi, ita decuit stellam istam semper apparere ad dignitatem & decus Christi, & ad gloriæ ostensionem noui testamenti.* Cum his facit Cornelius à Lapide. *Quod alij*, inquit, *præter Magos stellam viderint, est probabile: stella enim magna erat, clara, & visibilis Magis, cur non & alijs? quia Deus volebat toti mundo Christum patefacere.* Sed quod si fuit ab alijs etiam stella Sole pulchrior obseruata, cur extra Reges nulli se nec in via quidem comites adiunxerunt? cur nihil de ea fuit ab alijs literis commendatum? partem dubitationis huius Gretzerus noster sic proponit & dissoluit: *Forsan ab alijs quoque visa est: sed cur non eam sunt admirati? cur ex admiratione ad inquisitionem significationis non rapti: Respondeo, forsan vtrumque factum est: sed literis non mandatum: forsan ad nouitatem visæ stellæ obstupuerunt, & quid portenderet, indagarunt: sed quia ijs subsidijs, quibus Magi instructi erant, carebant, Deo ita disponente, & omnia suauiter, moderante solis Magis, vt ad veritatis cubilia penetrarent, concessum fuit.* Et Cornelius à Lapide: *Sed pauci, vel nulli cum Magis stellam secuti sunt: tum quia eius mysterium ignorabant, tum quia curis domesticis occupabantur. Hinc disce, quam necessaria sit gratia potens, & efficax ad quærendum Christum.*

Cornel. à Lapide. hoc loco.

cur nulli alij secuti?

l. 4. de stella c. 6.

Cornelius à Lapide.

Scripserũt de ea Gentiles.

Adde, quod Calcidius Gentilis eiusdem stellæ, & profectionis Magorum meminerit, vt videatur per Orientem eius fuisse fama peruulgata. Similia ex Cheremone Stoico, & Plinio retuli de stella regnante Augusto visa, salutem proximam nunciante.

Duo tamen ex hoc præcipua commendantur: insignis Dei vocationis Magis exhibitæ excellentia, & efficacitas: ac admirabilis ipsorum parendi promtitudo, qui sine exemplo, regna, proles, coniuges, & vitam in istis viæ molestijs, & periculis prodegerunt, vt Deo vocanti obsequerentur, cùm alios nec tantorum Regum exemplum ad idem permoueret; sed *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, cui soli debetur donorum maximum, quod congruè & efficaciter pellexerit gratia: quam vtinam frequenter & vehementer à Deo munerum omnium largitore peteremus: libenter sua in nos effunderet auxilia, quibus hilariter etiam in omnibus diuinis iussibus obtemperaremus.

Ro. 9. 16. id totum efficaci gratiæ tribuendum.

CAPVT XXXVI.

Contemtus opum, regnorum, coniugum, amore noui Regis

amans Dei comparatus ebrio.

VINO rectè in Scripturis amor comparatur: sic enim Deum diligentem inebriat, & quasi mentis emotæ, suique facit impotem, vt, quod ebrijs & amentibus proprium est, quilibet promittat, donet, faciat coram, quorum sobrium maximè pœnitet; tunc vitæ fortunarumque prodigus, mille caput suum periculis obijcit, ignem, gladios, mortem denique non perhorrescit.

Hanc

Hanc cœlestem Caritatis ambrosiam Reges tres prima natalis Dominici die largius biberant, protinus sui quasi impotes opes regnorum florentissimorum deserere; coniuges, liberos, consanguineos, affines, & patriam ipsam relinquere; à subditis suis auelli, delicias regias aspernari; fortunas, & regna vicinorum Regum insidijs, cupiditatibus, & rapinis exponere; quidquid humana mens potest caducarum rerum amare, quærere, suspicere, iam in postremis ducere; corpus ipsũ delicijs assuetum frangere laboribus, atterere vigilijs, continuis itineribus eneruare. Hos, qui adspiceret pridie regiâ maiestate verendos, satellitio stipatos, voluptatibus diffluentes; iam verò nihil horum appetere; sed pro nihilo pendere, nullas corporis fatigandi molestias subterfugere, fastu contemto regio, nouo se recens nato pusioni subdere, sceptra pedibus eiusdem subijcere, velut mancipia nutibus se eius submittere: quis non in fatuis vel ebrijs numerasset? Fecit hoc amor diuinus postea, quam animos eorum penitus occupasset. Hinc enim cum nihil præter Christum animo volu*erent, nihil quærerent, & desiderarent; caduca, fluxaque vitæ bona cum regnis & sceptris bullarum instar, & vaporis, pro nihilo putauerunt: iam corporis deliciæ præ laboris & fatigationis amore, velut sordes vilescebant, vnus in votis & oculis puerulus; in hoc opes, delicias, & voluptates collocabant. Et rectè quidem puerum illum vt summum suum bonum complectebantur, qui solus poterat infinitas hominis cupiditates satiare: *Diuites*, ait Psalmista, *eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono*: in quæ verba sic commentatur Cassiodorus. *Cum diligimus Deum, omnia in ipso reperimus, vnus est, qui quæritur: sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! ô compendium singulare! cur nos per diuersa fatigamus; ad ipsum igitur vnanimiter festinemus.* Festinemus, inquam, ad ipsum, vnum, summum, & immutabile bonum: quod solum nobilitate & virtute suâ complectitur & excedit vniuersa. *Omnia*, ait S. Ambros. *habemus in Christo, & omnia in nobis Christus; si à vulnere curari desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si grauaris iniquitate, iustitia est; si indiges auxilio, virtus est; si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est; si cœlum desideras, via est; si cibum quæris alimentum est.*

quam rara, & subita Regum istorum mutatio?

Vi amoris.

In Christo ponebant omnia.

Ps. 33.

Cassiodorus.

qui solus summum hominis bonũ est.

S. Ambrosius ser. 39. solus satiat.

An mirum igitur Reges istos tam cupide regna, coniuges opes, & delicias prodegisse, quando Iesum secuti ducem, in eo spem, & rem omnem, vitam & fortunas, honores, & delicias suas fixas haluerunt? De his Laurentius Iustinianus: *reliquerunt Reges hi propria, & ad exterorum transiere nationes, vt quem ex reuelatione, & signo didicerant nasciturum, corporali præsentia etiam adspicerent natum.*

Iustinianus S. de Epipha.

omnia deserunt amore Christi.

Et noster Morales: *Relictis omnibus, patria, regnis, notis, & consanguineis postpositis, ac superatis ingentibus difficultatibus venerunt hi Reges, regalem verè animum habentes, vnum solum Deum petentes, desiderantes & quærentes: vbi est, qui natus est: ad quod fideliter assequendum horum Regum, qui omnia dimiserunt, & omnia superauerut, exemplum imitari debemus, hortante ipsâ veritate Lucæ* 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Morales. in c. 1. Matth. l. 5. tractat 24. §. 13.

Igni solet amor comparari: nam cum hominis cor accenderit, velut aurum excoquit, purgat, scoriaque sic liberat, vt nihil possit cupiditatis creatæ iam amanti Deum adhærere, cunctis consumtis & exustis, quæ nitorem, & puritatem mentis valeant obnubilare: quem in finem amans nec commodis vllis corporis parcit, cuncta resecat, & voluntariâ morte se ijs abdicat, vt vni vacet, quem præ omnibus diligit, Deo. *Fortis*, ait scriptura, *vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum: si dederit omnem substantiam suam, quasi nihil despiciet eam.*

Luc. 14. amor similis est igni: purgat omnẽ scoriam creatæ delectationis. Cant. 8.

Qui etiam Christum filium, cœli terræq; Dominum considerat, amore nostri cœlestes delicias, diuitias. & honores deseruisse & in stabulo pecudes inter vitam miserrimam, & calamitosissimam inchoasse; cupit dilecto suo, se quam simillimũ exhibere: sic semet terrenis rebus, cupiditatibus & desiderijs exinanire, vt præter vnicum quem dili-

ho. 6. in 2. Matth. patet ex primis Christianis.

diligit, cupit, desiderat, nihil fluxum velit adamare. Ad hunc ignem diuinum expetendum. S. Chrysostomus, cum de SS. Regibus multum disputasset, sic lectorem exstimulat. *Eos saltem, qui primi in Christum crediderunt, consideremus: qui & pecunias, & curam, atque conuersationem & commertium seculi posthabuerunt; seque totos dedicauerunt Deo singulis diebus ac noctibus adhærendo doctrinæ. Hæc est spiritualis natura flammæ, vt nulli carnalium voluptatum locum concedat; sed in alium nos amorem traducat. Et idcirco talium rerum cupidus etiamsi cuncta, quæ possidet, cogatur deserere, si deridere gloriam, si delicias, si vitam ipsam postremo exponere cum ingenti omnia facilitate perficiet: Etenim illius ignis ardor cum alicuius mentem fuerit ingressus, totum inde torporem ignauiamq; depellit, & eum, cuius semel pectus inuaserit, quatis volucre reddit leuiorem, vtque negligat omnia ista visui subiecta. Quodque superest, talis in compunctione manet perpetua, largo fluens assiduè fonte lacrymarum; multamque inde percipiens voluptatem.*

sublatis cupiditatibus creatis nascitur consolatio diuina. *S. Chrysost.*

Solet illam rerum & cupiditatum omnium fluxarum abdicationem consequi liquidissima consolatio diuina quæ purgatam à perturbationibus mentē tantis permulcet lætitijs, vt in dulcissimos fletus animus resoluatur, quibus dum suam defiet vitæ prioris insaniam, qua percitus, velut œstro quodam, guttam creati boni toti oceano Deo fonti donorum omnium præposuerat, gaudium exsurgit tandem cogniti, amati, & possessi boni summi, in quo totus velut delicijs suis acquiescit. *Sicut enim*, ait Chrysostomus, *mundi gaudium lætitiæ consortio copulatur; ita etiam secundum Dominum lacrymæ iugem germinant, & immarcessibilem lætitiam.*

CAPVT XXXII.

Laborum tolerantia in itinere.

operandū est cū gratiâ diuinâ. 1. *cor.* 15.

DIVINA bonitas vti vult omnes saluos fieri; sic mediorum singulis prouidet satis superque; vt non tantum possint, sed facili etiam negotio cum lætitia valeant ad salutem peruenire, dummodo parati sint cum Regibus nostris stellæ ortum agnoscere, & sequi, cum gratia diuina, ad opera bona prouocanti operari: vt cum Apostolo dicere habeant; *Gratia eius in me vacua non fuit.*

exemplo sanct. Regum. delicati erant.

Horum profectò laborum tolerantiæ claret in Regibus exemplum: Reges erant in delicijs nati, alti, educati, qui cum Gentiles essent, id est, sine vera lege, Deo, conscientia nihil oculis festiuum & pulchrum, auribus gratum, & dulce; gustui delectabile; tactui voluptuosum fortè vnquam denegarant, insueti laborum, molestiarum, periculorum: ijs tamen obsequium per seipsos, Regi recens nato præstādum cœlitus mandabatur. Aberat stabulum Bethlehemiticum vt minimum sexcentis passuum millibus: loca, per quæ proficiscendum, quædam hostibus, prædonibus, & latronibus infesta, alia confragosa, & aspera, montibus prærupta, siluis inuia, fluminibus impedita; alia nullis inquilinis culta, siti & siccitate arida, vitæ sustinendæ necessarijs alimentis destituta, quæ iumentis & hominibus certam perniciem ostentarent. Tempus poterat obijci à comitibus, vel timeri anni periculosissimum, hiems summa, niuium alibi montes, frigoris inclementia, fluuiorum & fluminum inundatio.

difficile ijs mandatū iter.

Tempore iniquissimo.

Declinandæ erant Regum quorundam inimicorum insidiæ; exterorum principum præsidia; nationum, per quas eundum offensiones, & quæ à cupidis rerum nouarum nasci possent pericula. Ita laboris moles augebatur, corporis defatigationes subeundæ obijciebantur animo: si, quod optabant ardentissimè, quam primum eo conuolarent, & Regibus alijs præreptam vellent adorationis primæ gloriam.

Amoris vis omnia superauit.

Vicit omnia diuinus amor, rupit, velut aranearum telas cuncta viarum impedimenta: dulcis labor, defatigatio, fames, pericula, quæ Messiæ recens nati causa suscipiebantur licèt inadsuetis, licèt inexpertis.

Com-

Commendat sanct. Chrysostomus Iacobi laborum tolerantiam in profectione: *Vide*, ait, *vel hunc iuuenem, qui domi educatus, qui antea nunquam in peregrinatione fuerat; neque magnum iter fecerat; neque graue aliquid expertus fuerat, quomodo iter arripiat: & cum occumberet sol, ibi dormiuit; vbi eum nox comprehendit; accepit, inquit, lapidem & posuit ad caput suum: vide pueri robur: lapide propulsari vsus est, & super pauimentum dormiuit.* Quis dubitet Reges quot noctibus ferè dura in humo; non molli in strato membra declinasse? quandoque sub dio, frigidâ licèt tempestate, vel in iumentis breues cepisse somnos, quo citius ad incunabula Messiæ peruenirent; *Vidisti* (ait de peregrinatione Abrahæ S. Chrysostomus) *quomodo nec ætas ei fuit obstaculo; neque aliud quidquam, quod cum potuit detinere, vt domi resideret; sed vicit omnia istius in Deum amor: anima enim vigilans & sobria cuncta abrumpit impedimenta, totáque fit eius, quod amat: & in nullo, quod in medio apparet difficile, retardari se patitur; sed omnia præterit, nec subsistit, priusquam re desiderata potiatur: Propterea & iustus iste neque senectute, neque alijs maioribus causis prohiberi potuit, quin omnibus disruptis vinculis quasi iuuenis, & ætate florens, ac à nullo prohibitus festinabat, & anhelabat Domini præceptum perficere.* S. Chrysost. c. 12. Genes. ho. 31. Alacritas Abrahæ in obediẽdo.

Habent hoc proprium condimenta, quod cibos insipidos, & insuaues efficiant palato gratiores: sic amor diuinus condire solet laboris in Dei causa suscepti molestias, vt non labor; sed sapor & amor videatur; præsertim si comites habeat mansuetudinem, & animi demissionem: tunc enim, quæ prius animo velut onus Æthnâ grauius apparebant, iam plumâ leuius habentur, vt gaudeat etiam oblatam occasionem amorem suum dilecto grauibus & molestis in rebus demonstrandi: cum non ignoret vnicam à Deo viam ad cœlestem patriam perueniendi esse constitutam aduersorum tolerantiam, quâ Christus præcessit. Vt rectè nos S. Leo ad laborem & perpessionem molestiarum in via Dei sic exhortetur. *Considerantes itaque dilectissimi ineffabilem diuinorum munerum largitatem, cooperatores simus gratiæ Dei, operantis in nobis: non enim dormientibus prouenit regnum cœlorum; nec otio desidiâque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur: sed quia, sicut Apostolus ait, si compatimur, & glorificabimur; illa nobis currenda via est, quam ipse Dominus si esse testificatus est, quam nobis nullis operum meritis suffragantibus, & sacramento consuluit, & exemplo: vt in adoptionem vocatos per illud proueheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem. Hic autem labor pijs filijs, & bonis viris non solum nec asper, nec onerosus; sed etiam suauis, & leuis est: dicente Domino: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meum super vos: iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Nihil enim arduum est humilibus, & nihil asperum mitibus; & facilè omnia præcepta venirent ad effectum, quando & gratia prætendit auxilium, & obedientia mollit imperium.* Amor condimentum laboris. mansuetis & humilibus. S. Leo ser. 5. de Epipha. Rom. 8.

Iuerant Reges nostri pridem vias superbiæ, luxuriæ, vanitatis prorsus præruptas vliginosas, & difficiles: vt cum impijs quererentur: *ambulauimus vias difficiles*: nam in tantis, & contrarijs animi perturbationibus, quibus cœci seruiebant, perpetuos animi lancinantis aculeos sentiebant: ad planam cum Christo duce & comite viam deducti modestiæ, temperantiæ, mansuetudinis, ac succensi desiderio soli nato recens Messiæ placendi, eum donis colendi, & adorandi, iam labor omnis dulcis, & optabilis mirè proficiscentes recreabat. difficiles viæ peccatorum. Sp. 5. 7.

Habent enim hoc ipsum semitæ virtutis, vt suaues, æquæ, dulces, & amœnitate virenti bonorum operum amabiles sint: contrà flagitiosorum via lubrica, confragosa, prærupta, difficilis, est, anceps & dubia, turbinibus perturbationum sæpe contrariarum concutitur. Pulchrè vtramque describit viam S. Eucherius qui vehementer nos impellit, vt cum sanctis Regibus viam vitiorum cum virtutis semita commutemus, ob huius felicitatem, illius labores, molestias, & difficultates: *Nescio*, ait, *charissimi, cur vobis vitiorum ac superbiæ itinera aspera, & confragosa magis placeant; cum magis humilium viæ molles, planæ atque directæ sint: vbi enim est humilitas, ibi requies, ibi tranquillitas, ibi omnis serenitas. Dum enim ipsa sibi placet, atque pacata est, etiam siqua tribulatio, siqua tempe-* viæ virtutis planæ faciles, amabiles. Eucherius de Epipha.

humilis omnia suffert.

stas oborta, nihil erectum, nihil sublime, nihil oppositum inuenit, vbi illidat impetum suum. Siquid itaque ex aduerso irruerit, totum post se humiliatâ fronte transmittit. Quælibet tribulatio ita ab humilitate mitigatur, ac vincitur, sicut in planis littoribus sine aliquo fragore vndæ, consumitur aurarum motus, ferociamque ventorum montium obiecta suscipiunt; vallium verò subiecta non sentiunt.

iter superborum miserrimum.

At verò è contrario viæ superborum plenæ offendiculis, plenæ præruptissimis præcipitijs: quia vbi est supirbia, ibi est indignitas, ibi animositas, ibi labor, ibi tribulatio: vt iam ei ante diem iudicij iusta damnatio tribuatur, & improbæ quæque mentes in semetipsis habeant pœnam suam, probabiles & emendatæ in semetipsis inueniant refectionem, vel remunerationem suam. Non est, itaque carissimi, cur interdum Domini nostri famulatum intolerabilem pronunciemus, secundum vel leuitatem, vel duritiem morum nostrorum, qualem animum habuerimus, tale super nos iugum Domini sentiemus. Nemo itaq; dominicum onus esse intolerabile conqueratur, qui duri est animi, qui cordis est asperi, ipse sibi facit durum & asperum iugum Christi, & verè graui premitur sarcina mens subiugata peccato; onus verò Domini scit releuare, nescit opprimere. Quod si leue & iucundum esse volumus, per vias pristinas non ambulemus; sed potius hanc arctam & angustam, cuius finis in beatitudinem introducit. Hæc viatorem suum ad eum perducit, qui est via, veritas & vita; certum est enim, quia Christi cœpimus vias; certum est quod relicto itinere terreno iter spirituale conficimus, quando obedientia, & humilitas mentis gubernaculum moderantur, quando terrenis cupiditatibus repudiatis spes futurorum illuminata occupat mentem, quando illam bonorum cœlestium pulchritudinẽ cordis ima suspirant. Per salutiferas, inquam, gradimur vias, quando anima damnatis omnibus præsentium rerum voluptatibus id potius cogitat, quando depositura sit tabernaculum corporis sui, rursumque illud, resurrectionis tempore, receptura, vt cum eodem recipiat, prout gessit, siue bonum, siue malum: Hactenus Eucher. confragosum, & perdifficile peccatorum iter; viam verò planam, gratam, & amœnã virtutis explicat, quam ingressi SS. Reges maioribus incesserunt lætitijs, ieiunijs, vigilijs, frigore, periculis, & improbis laboribus, quam olim in regijs voluptatibus: Solet enim Deus seruos & hic melle diuinorum solatiorum in corporis defatigatione reficere, & post vitam æternã mercede munerari. Excitent interim vecordiam nostram labores illi, tam difficiles peregrinationis Regum, vt & Christo libenter in pauperibus subueniamus & pietatis ac religionis labores nullos detrectemus, ad quæ pietatis officia sic nos exemplo Regum S. Chrysostomus exstimulat: *adoraturi, ait, Christum, cuncta proijciamus è manibus; si vero illi tantum iter confecerunt, vt natum viderent, tu quam excusationem habebis, qui ne vnum quidem angiportum adis, vt visites ægritudine afflictum, & vinctum catenis? Quis vestrum, qui innumeris estis Christi beneficijs obligati, tam longinquæ propter ipsum arripuit expeditionis laborem, quam illi barbari, imò sapientiores ipsis Philosophis? verum quid ego loquar de spatio itineris longioris, cum plurimæ feminarum tantâ iam animi mollitudine resoluantur, vt nisi aduectæ mulis quamlibet exiguo spatio à domibus suis venire nequeant, ad videndum Dominum in præsepio spirituali? & barbari quidem illi priusquam Christum viderent, tam longam exsuperauerunt viam propter ipsum: tu verò nec vbi videris eum, imitaris.*

S. Chrysostomus ho. 7. in Mat. ob.

Reges reprehendunt ignauiam nostram.

Vetus ista sanctorum Patrum querela de socordia Christianorum, quam præ omnibus disertissimè S. Bernardinus exaggerauit, proposito nobis ob oculos labore tam difficili SS. Regum peregrinationis. Vtinam verba sanctissimi viri cordibus inscribant suis Christi fideles, quoties tepor vitæ spiritualis obrepit, fastidium subit cœlestium, ardor ille pristinus perfectionis obtinendæ refrigescit. *Non retardauit eos longitudo viarum, quia de extremis terræ finibus, vel saltem de longinqua regione venerunt ad Christum: non eos retraxit difficultas temporis, quia in hieme: non multitudo expensarum quas ex regali comitiua eos facere necesse fuit: non delicata teneritudo complexionum, quia delicatè nutriti erant: non periculum personarum, quia eis fieri poterant insidiæ multæ; sed accendit & inflammauit eos fidei spei vigor, caritatis ardor, & externi luminis splendor, ac interna irradiato ac illustratio viradiosior, vt nec temporis momento potuerint vel timore for-*

S. Bernardinus ser. 24. de Epiph. enumeratio molestiarum itineris.

fortunæ, vel amore patriæ cum negligentia seu desidia aliqua retardari. Erubesce Christiane infelix, & miser non imitari sanctorum Magorum exemplum: saltem postquam Iesus dilectus & amasius non iam vnicâ stellâ; sed mille mill. bus miraculis, Sanctorum exemplis, Martyrum victorijs & triumphis tuam pigritiam excitat, & tuam cæcitatem illustrat: præcipuè quia stabulum iam mutauit in cœli palatium, præsepium in regni solium; virginis gremium in Patris sinum, atque consessum; parvulitatem in maiestatem; panniculos & fasciam in gloriosam stolam; Lacrymas & vagitus in cœlestes concentus; mutitatem infantiæ in locutionem paternæ substantiæ; societatem bestiarum in multitudinem Angelorum; vt piè timeas ad dexteram Patris iam sedentem, quem Heroaes timuit matris vbera lambentem, saltem, quod patefacta gloria te debet attrahere, si non vis benedictos Magos ad adorandum infantiam sociare. Hucusque S. Bernardinus flammis amoris accendit teporem nostrum in laboribus Dei causa suscipiendis: ignem amoris, quem Christus misit in terram, & vehementer vult, vt incendatur, opus est calentibus precibus flagitare, mansuetudinem item & promtum obediendi studium, vt viæ nobis cœlestes planæ, facilesque reddantur, & curramus cum Magis, gratiæ stellâ duce, viam non mandatorum; sed consiliorum etiam Dei: vt quorum incitamur labore itineris, & præmium assequamur in cœlis.

Quæ & quot stellæ nostræ.

CAPVT XXXIII.

Periculorum omnium contemtus in profectione.

PRÆTER corporis molestias, labores, fatigationes, adeoque pericula morborum, & vitæ plura poterant à prædonibus, hostibus, & Regibus, quorum regiones permeabant, imminere vitæ discrimina, vel timeri, quæ diuino freti præsidio contemserunt, vt breui temporis vsura liceret coram natum recens Regem adorare. Liceat mihi Abrahæ peregrinationis pericula à S. Chrysostomo graphicè depicta cum his conferre.

pericula itineris.

S. Chrysostomus ho. 31. in 12. Gen.

Quod si (ait auriſluus Orator) *quis & illud prudenter expendat, quantæ per illud tempus viarum difficultates erant: neque enim sicut nunc licebat impunidè cum alijs versari, & tam facile peregrinationes suscipere: Nam singula loca propijs principatibus distincta erant; eratque necesse iter agentibus ab alijs ad alios Principes transire, & ferè quotidie de regno in regnum progredi. Erat igitur & hoc nonnihil obstaculo iusto, nisi tantum habuisset diuina mandata perficiendi desiderium: verum omnibus illis impedimentis, quasi araneæ telæ essent, disruptis, menteque fide roboratâ, bene fidens dignitati promittentis iter agressus est:* Ego longè maiora fuisse existimo vicinis à Regibus & Principibus nostris viatoribus obiecta discrimina: Sabæis potissimum, qui clade sat magna Romanos sub Augusto affecerant, nec subigi viris & armis hactenus potuerant; licet vicini Reges ijs sæpius bellum intulissent: quam nunc facilè pene inermes aliena, in terra, laboribus itineris exhaustos inuadere, thesauros eorum diripere, seruituti mancipare, tum verò bellis hactenus intactam patriam, orbis pene terrarum delicias & paradisum depopulari? licet enim fœderati Romanis & Parthis tunc essent; potuit tamen occasio spoliorum opimorum, qualis alia nulla fuerat, incendere quorundam ad nocendum eis cupididatem.

Exemplo Abrahę peregrinantis.

grauiora Regibus imminebant.

Sed is, cuius in stella vultus diuinus radiabat, sic animos eorum in aduersis confirmabat, vt nihil sibi à Regibus & Principibus metuerent, sed quasi suis in regnis securi voluptuosis in locis graderentur. Demus tamen nihil fuisse ijs pace iam totius orbis Augusti vigilantia stabilitâ, nec à Romanis, nec à socijs eorum Parthis formidandum: illud sanè periculorum pleniſſimum videbatur, cum ignorare non possent, Herodem in Iudæa Cæsaris beneficio regnare, velle alium contra legitimum Regem & Maiestatem imperij Romani, Regem natum proclamare, à quo nil iam sperare habeas; plurimum verò à Palæstinæ populis & Herode metuere, non satis tutum videbatur: Adde & ipsi recens nato Regi malè consulebant, cuius procul

ab Herode.

S. Chrysost. ho. 6.

dubio vitam Herodes insidijs erat appetiturus. Congerit hæc discrimina S. Chrysostomus, probaturus non eos humano; sed diuino consilio tantum itineris suscepisse: nam si res ad humanæ rationis trutinam expendatur, cum res plena periculi esset, vix posset à temeritate & prudentia excusari.

Quænam, inquit, Magos ratio persuasit, quænam etiam impulit spes præmiorum? vt ad Regem adorandum venirent tam vasto à se spatio terrarum separatũ? Quod & si super ipsos regnaturus fuisset, sic quidem haberet peregrinatio tam longa rationem: nam si in regali fuisset aula natus, ac patre regente, consequenter fortè quis diceret, istos in honorem patris puerum adorare voluisse, & hoc sibi ad conciliandum Regis animum suffragium comparasse: nunc verò cum illum nec suum Regem sperent futurum; sed gentis alienæ, magnoque spatio à sua regione dissitæ, neque dum in virum adoleuisse, cum cernant, quâ ratione tanti laboris iter arripiunt, & offerunt munera; maximo certè cum periculo ista omnia facturi. Herodes enim his auditis animo perculsus est, adeoque populus vniuersus tumultuabatur, cum hæc ex ipsis didicisset. Verum hæc, inquis, minime præsciebant. At omni prorsus ratione nuda probatur hæc obiectio: nam etsi valde insipientes essent, istud tamen nequaquam ignorarunt, quod ingressi in vrbem à Rege gubernatam talia prædicando, aliumque Regem præter eum qui tum sedem tenebat, esse aemonstrando, decies mille sibi accerserent neces. Cur etiam adorarunt pannis inuolutum? nam si virilis iam fuisset ætatis, dicere quis fortè potuisset, quod aliquod abeo auxilium præstolantes in præuisum se periculum coniecissent: quod tamen ipsum extremæ omnino fuisset aementiæ vt Perses & barbarus, nullumque habens cum Iudæorum gente consortium vellet à domo sua discedere, relinquere etiam patriam, propinquos, ac suos lares, regnoq; se alterius subdere. Ita poterat virum fortem, quid dico Reges, tanta periculorum imminentium magnitudo ab instituto reuocare; sed quos semel amor diuinus totos occupauit hoc dulci iam ebrios nectare facit omnino vitæ mortisque contemtores: iam tum paratos mortem Solymis iubente tyranno Herode oppetere, dum modo regiam pueri maiestatem in metropoli regni coram inuasore tyranno publicassent: idem eorum mentes ardor inflammabat in via, qui postea, cum triumuiri crudeli morte libentes volentes pro fide occubuerunt.

animi celsitudo Regum.

desiderium Martyrij.

Nec enim Christi milites, fidei testes, defensores & præcones præuisa solent mortis terrere pericula: sed animare, lauream hanc norunt nobilissimam, quàm apprehendere summis in amoribus habent, vt patuit in S. Andrea ad crucem velut cœleste regnum anhelantem.

CAPVT XXXIV.

Dromedariorum mira pernicitas, quibus vsi fuerunt Reges; & quot leucas indies confecerint.

INCREDIBILEM illam sanctorum Regum per tot incommoda, pericula & aduersa Christi videndi, muneribus honorandi & adorandi cupiditatem nihil æquè demonstrat, ac mira celeritas, & festinatio, quâ remotissimas orbis regiones, pernicitate stupendâ, percurrerunt, vt quam primum votorum compotes euaderent.

celeritatem Cæsaris & Pompei superarunt.

Nec enim dubium esse potest, quam Iulius Cæsar, Pompeius, & Alexander Magni in bellis apparandis; exercitu deportando per longinquas exterorum regiones, & prælio conficiendo celeritatem adhibuerunt, hos Reges, non propriæ gloriæ; sed honoris diuini studio succensos, vsos eadem imo maiori velocitate properasse, cum hisce Deus cœlestem nuncium præmitteret citatissimum, cuius auspicijs & ductu sine periculo breuissimâ viâ possent iter omne emetiri. Nunc quoniam Ecclesia vult eos è scripturis dromedarijs & camelis vsos esse, pernicitatem eorum è Gentilibus repetamus.

incredibilis currendi celeritas Maximini. Indaci.

Atque vt omittam hominum quorundam prodigiosam celeritatem, vt Maximini Thracis, qui teste Capitolino Seuerum Augustum currentem equo, præuertebat pedes: Indacum qui viam, quam vir mutatis equis per diem conficere nequibat, decurre-

currebat autore Suida. Atam nouennem puerum, qui Romæ Fonteio & Vipsanio Coss. à meridie ad vesperum 75. passuum millia continuo cursu peruolauit teste Plinio. Denique gigantem Starchaterum Suecum, quem Olaus scribit vno die è superiore Suecia in Daniam iter, quod vix 12. diebus equo confici potest, absoluisse, sit fides istorum penes autores.

Indaci. Atam pueri Starchateri. *Olaus l. 5. c. 7. Sept. reg.*

Iumentorum certè mira velocitas celebratur. *Iulius Cæsar*, inquit Suetonius, *longissimas vias confecit incredibili celeritate, expeditus meritoria rheda centena passuum millia in singulos dies, vt persæpe nuncios de se præuenerit.* At Tiberius Nero coæuis testibus duplum spatium die noctuque percurrit essedo. Plinius ita narrat. *Cuius rei admiratio ita demum solida perueniat, si quis cogitet nocte ac die longissimum iter vehiculis tribus Tiberium Neronem emensum, festinantem ad Drusum fratrem ægrotantem in Germaniam: in eo fuerunt passuum ducenta millia:* Fusius idem Valerius Maximus sic commemorat: *Tantum enim amorem princeps, parensque noster insitum animo fratris Drusi habuit, vt cum Ticini, quo victor hostium ad complectendos parentes venerat, graui illum, & periculosa valetudine in Germania fluctuare cognouisset, protinus inde metu attonitus erumperet; iter quoque quam rapidum & præceps, velut vno spiritu arripuerit eo patet, quod Alpes Rhenumque transgressus die ac nocte mutato subinde equo ducenta millia passuum, per modo deuictam barbariem Antabagio duce solo comite contentus euasit: sed eum tunc maximo labore & periculo implicatum, mortaliumque frequentia defectum sanctissimum pietatis numen & Dy fautores eximiarum virtutum, & fidissimus Romani imperij custos Iupiter comitatus est.* Videas hic Cæsarem vno stipatum comite die vno naturali per difficillimum iter Alpinum, & infesta Germanorum hostium loca supra 50. Germanica milliaria, vel 67. ferè leucas peragrasse, vulgaribus & obuijs equis, vehiculis ter variatis: Cur non Reges nostri camelis vel dromedarijs inuecti, qui triplum vincunt equorum celeritatem ducenta Germanica milliaria dierum duodecim spatio potuissent emetiri? Nisæos Aristoteles equos commendat à pernicitate. lib. 9. animalium. c. vult. sed his longè statuunt velociores camelos & dromedarios, quibus cursus nomen dedit.

Plin. in Nat. hist. Nero die vno conficit 50. mil. Germanica. *Val. Max. lib. 5. c. 5.*

Aristoles l. 9 anima c. vlt.

Philostratus hos asserit vna die mille stadia conficere: sunt ea Italica milliaria 125. leucæ 41⅔. ac Germanica 31. *Cameli*, inquit Maldonatus noster, *quamuis onerati 40. quotidie leucas conficere dicuntur.* Tostatus *Dromedarij sunt animalia velocissima, & dicitur de ijs, quòd tantum ambulent vna die, quantum equi tribus.* Et subdit: *Dato, quod dromedarius tantum ambulet in vna die, quantum equus in tribus, non poterant decem diebus plus ambulare, quàm 400. leucas.*

Philostratus lib 2. vitæ Apu. Maldonatus in 2 Matth. Tostatus in 2. Matth. cameli 40. leucas die

Libet oculatum testem Radziuilium audire in Cairi descriptione: *Dromedarius*, ait, *cameli genus it cumprimis expedito passu gradarij adeo celeriter currens, vt equus etiam citatiore gressu eum æquare non possit: hic per postas, vt vocant Mecha aduenerat, cursus autem ratio talis adhibetur, vt decima quinta die Mechâ Cairum perueniatur. Cursor vnus dromedario insidens per continuos quinque dies proficiscitur, rursus alius alium dromedarium adscendit, & quinque alios dies progreditur: tandem tertius quinto itidem die tertio vectus iumento Cairum defertur.* Operæpretium erit interuallum Mecham inter & Cairum emetiri: quòd si me non fallunt Geographicæ tabulæ recentiores, globique sphærici 26. circiter gradus intercipit, qui faciunt Germanica miliaria 390. leucas 520. ita vt quotidie 26. Germanica milliaria 5 leucas autem 35. decurrat, si recto posset itinere eo tendere: sed cum amfractu magno cogatur sinuosam maris rubri oram circumlegere: minimum ei 30 Germanica, & 40. leucæ indies erunt peragrandæ. Ex horum autorum testificatione potest quis spatio dierum quinque, vectus eodem dromedario, ducentas leucas commodè decurrere.

Radziuilius in Cairi descriptione. Dromedarij velocitas.

iter Mechã inter & Cairum 520. leucarum.

Videamus nunc quantum Arabiæ felicis semotior pars, Sabæ scilicet regia distet Solyma: quindecim ego circiter gradus numero: at fines extremos Arabiæ Iudææ propinquiores vix 13. abesse gradibus, quod dimidiatum videtur itineris esse Mecham inter & Cairum intercepti: nec octo quidem dierum, si cum hodiernis cursoribus Turcicis comparetur: continetque Germanica mil. 195, leucas circiter 260. sed ob amfractuosos circuitus rotundum constituamus numerum, trecentarum leucarum.

iter Sabæ ex Arabia Solymam vsque.

carum: quæ alias ferè distantia est Sabam inter & Solymam: percommodè quis eodē vectus dromedario 9. diebus absoluet: Reges verò nostri diebus vndecim: ita vt quotidie tantum 25. vel 27. leucas confecerint: quod fieri sine corporis graui defatigatione, certis tamen horis somno ciboque capiendo decerptis, ijsdem etiam iumentis potuit perfacilè. Nam si Iulius Cæsar, & Tiberius Nero duodecim horarum spatio vulgaribus equis 25. milliaria Germanica & supra 31. leucas permearunt, non valuissent Reges nostri triplo pernicioribus vsi cursoribus dromedarijs tanto minus iter eodem temporis spatio conficere; quos non cupiditas vel amor fraternus, sed diuinus longè potentior stimulabat? Quibus dux itineris de cœlo fulgens sidus, Angeli comites: Spiritus ipse diuinus impulsor, consiliorum & itineris capiendi rector & moderator: qui sic eorum corpora volebat laboribus exerceri, ne exhaurirentur: ita mentem cœlestibus solatijs reficiebat; vt molestias tam longinquæ peregrinationis ne persentiscerent quidem.

est dierum 9. vel 11.

Gentiles longius iter eodem mensi breuiori spatio equis. cur non Reges eum tot diuinis subsidijs.

Restat vt eos laudemus testes, qui Reges dromedarijs vectos iter breui tempore decurrisse docuerunt, omitto vaticinium Isaiæ 60. & commentores loci: Ecclesiæque mentem, quæ id caput de Magis interpretatur.

Qui doceant eos vsos dromedarijs.

S. Cyprianus: *Diu homines illi huius prophetiæ prouentum exspectabant, & vbi venit plenitudo temporis, orto repente nouo sidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonijs muniti, quam signo, dromadis inuecti in Iudæam stella duce peruenerunt.*

S. Cyprianus.

S. Hieronymus: *Eos a principio Indiæ deducit camelis vectos.*

S. Hieronymus.

S. Anselmus: *Nec mireris eos 13. diebus venisse in Bethlehem, cum equos Arabicos, & dromedarios habeant.*

S. Anselmus.

Innocentius: *Venerunt autem de finibus Persarum & Chaldæorum: & quod de partibus tam remotis in tam breui tempore super dromedarios animalia nimirum velocissima festinasse dicuntur: secundum illud Prophetæ: inundatio camelorum. Isa.* 60.

Innocentius 3.

Hugo Cardinalis: *Secundum* S. *Hieronymum die Natiuitatis iter ingressi sunt, & 14. die Hierusalem venerunt in dromedarijs.*

Hugo Card.n.

S. Thomas Aquinas: *Alij dicunt stellam apparuisse primo cum Christus natus est, & statim Magi visa stella iter arripientes longissimum iter 13. diebus peregerunt: partim quidem adiuti diuina virtute, partim autem dromedariorum velocitate: & hoc dico si venerint ex extremis partibus Orientis.* Durantes. *Hieronymus dicit, quod in die natalis primo ab ijs visa est stella, sed venerunt in dromedarijs: qui velocissimè currunt: vnde & dicuntur à dromos quod est cursus & ares, virtus, & sunt minores camelis: sed ijs velociores: scilicet tantum in vna die currunt, quantum equus in tribus.* Recentiores idem tenent. Regius: *Arabia* inquit, *distat summum trecentis leucis à Bethlehem, quod iter 10. diebus confici poterat ab illis: cum præsertim Isaias scribat, illos cum dromedarijs fuisse venturos: & rectè: nam in Arabia procreantur cameli dicti dromedarij à cursu: sunt autem animalia velocissima & possunt vno die mille stadia, id est, milliaria 125. leucas 41. conficere.*

S. Thomas q. 36. art 6. ad 3.

Durantes l. 6. rationalis.

Regius in 2. Matth

Baronius: *Quod quidem haud mirum videri debet ad celeritatem itineris dromedarijs vsos fuisse, quos velociores esse equis Nissæis Aristoteles tradit.* Similia habet Salmeron tract. 38. f. 345. Gretzerus, Bosquier & alij. breuiter Maldonatus *Verosimile est camelis vsos esse, qui quamuis onerati, 40. quotidie leucas conficere dicuntur.* Suaretz: *Vt venirent ex Arabia vsque Bethlehem, non indigebant tanto temporis spatio; distat enim trecentis ad summum leucis, quas decem diebus conficere potuerunt: præsertim cum Isaiæ 60. indicetur eos in dromedarijs fuisse venturos: quod obiter confirmat hos Magos venisse ex Arabia, in qua hi cameli procreantur, hoc autem animal velocissimum, & conficit vno die mille stadia i.e. 40. leucas.*

Baronius A. Christi 1. p. n. 34.

Salmeron tom. 38.

Gretzerus l. 1. c. 7.

Bosquier.

Maldonatus in 2. Mat.

Suaretz.

Satis idonei videntur autores iam laudati: quibus credi tuto potest, Magos 10. vel 12. diebus leucas trecentas Sabâ Solymam vsque decurrisse, imo autore Tostato quadringentas interim leucas peragrare potuisse: quod Gentiles multos fecisse constat: & rectè monet Doctor Angelicus, partim eos diuina virtute adiutos iter id absoluisse.

CAPVT XXXV.

Celeritas ſanctorum Regum in diuinis iußis exſequendis.

HAnc negant ij, qui vel biennio volunt ſtellam ante natalem Domini illuxiſſe, vel tanto poſt natum tempore Chriſtum adoraſſe. Vocant alij Reges è propinquis Iudeæ regionibus, vnde triduo vel quatriduo poſſent advolare, minuuntque parendi velocitatem. Sed ſtabilita ſententia, quæ Magos ex Arabia educit, tredecim dierum interuallo dromedariorum pernicitate per trecentas ferè leucas: rectè nobis præſcribitur Regum obediendi celeritas imitanda.

incredibilis celeritas obedientiæ.

Perſanè mirum eſt, Reges molliter enutritos, delitijs & voluptatibus adſuetos, ſummâ hieme tot exteras regiones per mille vitæ pericula Dei iuſſu celerrime decurrere neſcios, quo locorum ſtella duce tenderent: & indefeſſo volatu potius, quam curſu quotidie 25. vel 27. leucas progredi, nullis retardari ſolſtitij brumalis tempore cœli injurijs, niuoſorum locorum lubricitate, defectu ſterilibus in locis commeatus, montium adſcenſu, fluminum exundantium tranſitu, concito ſemper curſu vel volatu potius auium more celerrimè percurrere: vt rectè ſcriptores quidam illos nunc nubibus, aliàs auibus volantibus ſoleant comparare. Carthagena illud Iſa. 60. Regibus accommodat. *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & ſicut columbæ ad feneſtras. Quia ſicut illæ flante vento incredibili celeritate mouentur, ita tres Reges illi diuino ſpiritu afflante ſimili celeritate pergebant: quia neſcit tarda molimina Spiritus S. gratia.* & Giron. Dominicanæ familiæ nobilis eccleſiaſtes. *Merito ijs adaptare poſſumus Iſa. 60. qui ſunt iſti, qui vt nubes volant? Prophetæ reſpondere poſſumus, ex c. 40. Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ.* Regum inſigne aquila, tribus potiſſimum rebus excellit auibus, viſus perſpicacia, volatus celeritate, & volucrum dominatu: quales aquilæ tres Reges noſtri ſiderum & cœleſtium rerum contemplatione, parendi diuinis iuſſis velocitate, & dominio perturbationum animi: hi quam perniciſſimè viam emenſi longiſſimam ſunt, vt veri Meſſiæ armigeri prædam ei ſubactæ Gentilitatis ſpoliaque dedicarent

in re ardua.

similes nubibus. *Carthagena hoc. de Epipha.*

aquilis. *Giron de Epipha.*

Imbelles nuper & delicijs emanciati columbis ſimiliores: diuiniore nunc afflatu vegetati, *mutant fortitudinem*, pennas ſumunt aquilinas, amoris & inflammati deſiderij videndi ſaluatoris. *currunt & non deficiunt: volant, nec fatigantur.* Curſus in ijs coniunctus cum volatu commendatur: ſimilesque dicam Reges noſtros alatis quadrupedibus, quorum curſus alarum remigio, velut ſecundis adſpirantibus ventis pernicitati volucrum adæquatur? Niſi malis eos quatuor alatis animalibus Propheticis affimulare: portenta enimvero loqueris, cum bouem vel leonem volantem aſſeris: quæ tamen Ezechiel Propheta vidit pennata & volantia: vt licet corporeæ molis pondere declinarent in terram, impetu tamen diuini Spiritus elata, nec terram quidem contingerent: ſic Reges iſti grandia terræ pondera, ſi regnorum amplitudinem, opum affluentiam, & voluptatum inuitamenta conſideres; at poſtea, quam Spiritus ille cœleſtis mentes occupauit, iam animus terrenis cupiditatibus liberatus, & expeditus, geniorum inſtar Angelicorum nil niſi diuina ſuſpicere, cœleſtia concupiſcere, ſui deſpicientiam, corporis fatigationem, honorum contemtum quærere, & quò Spiritus impetus ferebat, eò concitatis pennis euolare. Didacus Vega luculenter hunc locum exponit de Regibus: *Vt rem impoſſibilem demonſtremus, dicere ſolemus: vt ſi bos, homo, leo volaret: nihilominus vidit Ezechiel c. 1. & 10. animalia iſta, quanquam mole corporea præſtantia, quadrigæ adiuncta, pariter pennis in ſublime ferri, myſterium quoque illud arbitratur, cum incederent, non reuertebantur. Agitantes pennas ferebantur ocyus, nec tamen retro ſpiciebant, aut conuertebantur, admirabaturque Propheta, quod currus rotarumque pondus & moles machinam illam, quæ nubes tranſcendebat, in terram non deturbaret: volens itaque huic dubio occurrere, cuncta in Spiritum refert. Spiritus enim vitæ erat in rotis. Non eſt mirum, quod animalia illa tam velociter, tamq; leuiter ferrentur progrederenturq; lugiter, & adiuncta currui ac rotis: nam erant quaſi informata ſpiritu, & animatæ rotæ.*

4. alatis animalibus Propheticis.

Didacus Vega de Epipha.

Spiritus rotas animat & volare facit.

Rotæ. Quid est vir iustus? spiritus corporea mole (de qua, ait Salomon, *corpus, quod corrumpitur aggrauat animam) grauatus volat absque impedimento vllo, & cœli transcurrit semitas, admiranda est eius velocitas, vincit leuitate aquilam, dimittit post se impedimenta omnia, ac vlterius pergit: nihil enim illi viam præcludere potest, non persecutio, non labores, non austeritas vitæ, non rigor ieiunij, non sensualitas & rebellio propriæ carnis: hæc omnia non sufficiunt, quæ cum ab incepto itinere retrahant: Quis horum autor, quis omnia ad tantam facilitatē reducit? quis labores omnes vincit? spiritus vitæ qui est in ipsis: Spiritus Sancti igne concaluit, qui pedes eius mouet, & laborem itineris leuat.* Hæc Vega: Currum nouum gloriæ suæ diuina maiestas constituebat in nouella Gentilitatis ecclesia; quem tres Reges, hominum more ambitiosi vitulorum instar lasciui, leonum ritu feroces & iracundi Cherubinorum etiam instar sapientes, humana potius quam diuina scientia præuia stella duce trahebant: ij Spiritu diuino mox animati & alati, quam cæcis ante cupiditatibus, non hominum; sed ferarum instar indomitarum seruiebant, terrenis corpore toto menteque inhærentes. tam nunc aërei & ignei Spiritus diuinissimi sequuntur, impetum; nec reuertuntur: sed vnam Dei propositam habent gloriam, cuius intuitu nec laboris molestias, corporis fatigationes, vitæ pericula, minas & insidias regum, imprimis Herodis tyranni persentiscunt, aquilâ iam leuiores, & velociores, extra quasi sortem humanam & instabilis fortunæ volubilitatem ac mutationem constituti, vt merito diuino beneficio tres illi Gentiles Reges fauorem, dignitatem, & prærogatiuas Ecclesiæ Dei sibi, & toti Gentilitate vindicarint, spoliata veteri synagoga. Tantum fuit celeritate perdifficili iudæos in adorando recens nato Messia & recipiendo præuenire. *Celeritas illa Magorum* (monet alibi Rupertus) *damnat desidiam nostram, qui tot lumina fidei, doctrinæ, & exempli habentes, vix venimus ad Christum.* Venimus quandoque: sed quam segniter, & ignauè: quantis animi perturbationibus, curis & alijs desiderijs implicati? Quam facili negotio leui suborta difficultatè & impedimento propositum deserimus, in pristinas reuoluimur sordes, à Christo perfidè descisentes? Vigiles amat Deus, cœlestium instinctuum auditores: celeres, fortes, & constantes pertectores.

nouus currus gloriæ Dei tractus à tribus Regibus.

Rupertus.

CAPVT XXXVI.

Stella prope Hierosolymam in Iudæa euanescit.

HActenvs lætis auspicijs & successibus vndecimum iam diem Reges progressi celerrime. præ spiritualis solatij redundantia trecentis leucis peragratis, viarum brumali inclementia corruptarum asperitatem, corporis labores, molestias & fatigationes, nec sentire quidem videbantur: nam sideris ductu, cœlitumque comitatu & præsidio contra difficultates & impedimenta quæuis muniebantur; similes infantulis in via Domini, qui lacte diuinarum deliciarum nutriuntur. Quo paulatim magis roborati cum essent & confirmati, vt suis discerent militare stipendijs, & proprio natare cortice, cum Iudæam intrassent, nec multum abessent ab Hierosolyma, repente sidus euanuit, periclitante Deo constantiam illorum, & animi celsitudinem in aduersis, quam posteri sequerentur. *Iustorum enim vitam admirabili varietate contexit Deus nec iucunditates sinit habere continuas*, ait S. Chrysostomus.

lætus processus.

stella se occultante obnubilatur. *S. Chrysost. S. Vincent. ho. 8. in Matth.*

Dubitatur vbi cœperit se occultare. S. Vincentius Thaumaturgus æui sui putat in Iudææ ingressu contigisse. *ipsis*, ait, *præparatis, statim inceperunt viam, & stella præcedebat ostendens eis viam, quam debebant facere: hoc modo venerunt vsque ad terram Iudææ, & in crastinum, quando debebant intrare terram Iudæorum, stella disparuit illis.* Fauent autores, qui peccasse volunt Magos, quod Solymam ingressi, consuluerint Herodem, & humanum consilium, adeoque punitos esse arbitrabantur: quam S. Bernard. insinuat opinionem. *Cum recessissent Magi, & reliquissent Iudæos, ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos. Hinc manifestè datur intelligi, quoniam humanum flagitantes consilium, diuinum amisere ducatum, & conuersos ad terrenum documentum signum cœleste deseruit.*

S. Bern. ser. 3. de Epipha.

Sed cum Sanctorum Patrum permulti varijs allatis rationibus infra recitandis velint

velint diuino consilio Solymam eos ante, quam Bethlehemum contendisse: videtur & ad eam vrbem, vt præconium noui Regis facerent, stella eos deduxisse, & prope eandem se subduxisse: hoc enim autor operis imperfecti disertè docet. *Ex hoc, ait, ostenditur loco: quia cum aliquantulum stella duxisset Magos, prope Ierusalem abscondita est ab eis, vt relicti à stella, cogerentur in Ierusalem interrogare de Christo simul, & manifestare de illo.* & ante hunc Cyrillus: *negauit se eorum oculis cum Hierosolymam venirent.* prope Solymam euanescit. *Autor operis imperfecti.* *S. Cyrillus.*

S. Thomas q. 36. a. 7. *Cum enim intrarunt Hierosolymam, occultauit se ipsam.* *S. Thomas.*

Congerit pro hac sententia Maldonatus complures SS. Patrum: *sunt*, inquit, *qui putent stellam prope Hierosolymam disparuisse, vt Magi natum Regem in vrbe regia nunciarent, ne Iudæi ignorare possent, quod Gentilium testimonio didicissent: in qua sententia Ambrosius est, lib. 2. in Luc. c. 2. S. Augustinus. ser. 30. 31. 35. de tempore, S. Chrysostomus ho. 7. S. Basilius, de humana Christi generat. Theophyl. Bern. in sententijs.* *Maldonatus.* *S. Ambrosius.* *S. Augustinus.* *S. Chrysostomus.* *S. Basilius.* *Theophylactus.* *S. Bernardus.*

Sed quid stella factum interea, dum Herodem Iudæosque Reges nostri consulerent? potuit quidem eam Deus in præiacentem vaporum materiam resoluere, & postea nouam ex eadem materia generare stante verborum istorum veritate. *Ecce stella, quam viderant in Oriente.* Poterat eodem loci remanentem luce sua spoliare: vel ad punctum totam eius redigere magnitudinem, ne caderet sub adspectum: vti quotidie scimus accidere in sanctissimo altaris Sacramento: sed cum talia miracula sine necessitate vel autoritate scripturæ non temerè sint inducenda, potius crediderim ab Angelo in cœlum altius subleuatam, vt non nisi nocte, & ægrè admodum cerneretur, nec commodè posset à fixis astris discerni; quid enim opus erat, vel ad alium transportare locum, vel humanum impedire visum, ne stellam illam conspiceret: vt dem hoc etiam fieri potuisse: Proprium huic erat stellæ quandoque se dimittere profundius, vt incumberet stabulo: quandoque leuari sublimius: vt cum noctu Reges quiescerent, vel cum ipsis se videndam in Oriente primum diuersis in locis obtulisset. Quid factum sit stellâ subductâ. *Salmeron tract. 40. f. 364.*

CAPVT XXXVII.

Cur euanuerit.

NOn sequor eos, qui vel humanam quandam prudentiam, fastum, aut sui fidentiam in Magis nostris reprehendunt: & punitam volunt. Debebat Solyma, quod Propheta Euangelicus tantò ante præuiderat, Regum splendore, maiestateque collustrari: debebant Reges ipsi non minora fidei fortitudinis, constantiæ, & omnis virtutis Euangelicæ vestigia ibi relinquere, quam Bethlehemi. Erant ipsi, vt supra demonstraui, primi delecti à Deo Doctores, Apostoli, Euangelistæ: primi regni Messiæ præcones & defensores: primi futuri coram Tyrannis Christi Confessores: quæ Solymis constat accidisse, Deo non permittente tantum, sed volente, & oblatâ ipsis occasione percommode ad id muneris obeundum, constanter eos impellente. Pro me faciunt sancti Patres omnes, qui Regis non casu; sed diuino consilio, decretoque volunt prius Solymam intrasse quam Bethlehemum: hac potissimum allatâ ratione præ aliis: vt duritia Iudæorum prorsus careret excusatione. *Isa. 61.* Diuino consilio Solymam intrarunt. varias ibi prærogatiuas obtinuerunt. ita SS. Patres.

Hieronymus: *Deferuntur Magi stellæ indicio in Iudæam, vt sacerdotes à Magis interrogati, vbi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de aduentu eius.* *S. Hieron.*

S. Chrysostomus: *Ne enim dicerent Iudæi, ignorauimus, quando natus est quoue in loco: & ea omnia, quæ Magos spectant, dispensatione Dei euenerunt, & alia plurima, vt nullus prorsus excusationis relinqueretur color, non inquirentibus id, quod factum erat.* & paulo superius: *Quia vero illi videre eum noluerunt, per aliquantum se tempus occultans, rursus semetipsam demonstrauit ex alia longè splendidiore maiestate & imperio: non enim iam illum Magi: non stella, non Angeli, sed Pater ipse cœlitus prædicauit.* *S. Chrysostomus.*

S. Augustinus ser. 2. fusè: sed ser. 6. hoc modo neruosius: *Detestanda ergo Regis Herodis insania; sed magis miranda Iudæorum stultitia, propter quos iudicandos dispositione diuina, se à conspectu Magorũ Christum quærentium parumper illa stella subtraxit, apparuit namq; vt locum in quo fuerat puer, demonstraret, poterat vtiq;* *S. Augustinus ser. 2. & 6.*

etiam index esse ciuitatis: sed quod in Bethlehem Iudæ Christus nasceretur de libris sanctis interrogati Iudæi proferre debuerunt, parati ad legendum, cæci ad intelligendum, duri ad credendum. Iterum ser. 67. de diuersis: *Nonne potuit eos ad illam ciuitatem eadem stella perducere, sicut postea perduxit ad locum, vbi Christus cum matre infans erat? poterat sanè, non tamen factum est: vt hoc à Iudæis inquirerent: quare voluit Deus hoc à Iudæis inquiri? vt dum ostendunt, in quem non credunt, ipsa sua demonstratione dammentur.*

S. Leo ser. 2.

S. Leo: *Hoc respondérunt de Prophetico eloquio, quod indicabat stella de cœlo, quæ vtique poterat Magos Hierosolymis prætermissis vsque ad cunabula pueri, sicut postmodum fecit, sua significatione perducere, nisi ad confundendam Iudæorum duriciem pertimuisset, vt non solum ductu sideris; sed etiam ipsorum professione innotesceret natiuitas Saluatoris.*

Beda. in 2. Matth.

Beda: *Quod Magis tunc stella non apparuit, quæ eos ante ducebat, ad Iudæorum factum est damnationem, vt exquisiti ab Herode locum natiuitatis Christi exprimerent, ne vllam excusationem ignorantiæ haberent, post neglectam fidem, cum ante natiuitatem eius non tantum quod nasci: sed vbi nasciturus esset, demonstrarent.*

Rathpertus in 2. Mat.

Rathbertus: *Sed cur Hierusalem ijdem Magi intrauerunt, non abs re factum esse crediderim, primo, vt Iudæi inexcusabiles essent.*

Haymo in Epiphan.

Haymo: *Non casu: sed diuina dispensatione factum est, vt Magi Regem natum primum Hierosolymæ quærerent, quæ est Metropolis Iudæorum: vt scilicet ipsi locum natiuitatis à Iudæis discerent, & Iudæi ab ipsis Regem suum natum audirent, & si cum ipsis ad adorandum ipsum pergerent, saluarentur; si autem pergere nollent, inexcusabiles essent.*

Theophyl. in 2. Mat. Rupertus. S. Bernardus. S. Thomas. S. Bernardinus. Suaretz.

Theophylactus: *Occulta erat ad paruum tempus stella, singulari dispensatione, vt Iudæos interrogarent, & turbaretur Herodes, ac manifestior fieret veritas.*

Similia habent Rupertus, S. Bernardus in sententijs, S. Thomas, S. Bernardinus, cum recentioribus plurimis. Suaretz tantum verbis contentus ero. *Verisimile est, quod* Chrysost. inquit, *duxisse Magos vsque Ierusalem, & ibi se occultasse; inde factum est, vt ibi putauerunt esse terminum itineris:* & vt S. Leo Papa inquit: *Regem natum in ciuitate regia fuisse inquirendum*: varias subiungit Patrum rationes, alibi referendas.

Hinc conficitur communi Patrum placito factum diuino prorsus consilio, vt intrarent ante Hierosolymam, natumq; Messiam publicarent, quam ipsum adorarent.

CAPVT XXXVIII.

Deliberatio Magorum amissa stella, & constantia, de perquestigando natali loco Messiæ.

Hæsitatio Magorum stella se occultante.

ENimvero cum vndecima die profectionis, quarta scilicet Ianuarij post meridiem citato cursu stellam per Judæam sequerentur, hoc alacrius, quo sciebant propius à loco se abesse natalis Messiæ Iudæorum; & ipsi iam metropoli propinquare, repente præter exspectationem omnium, oculis videntium stella se momento subduxit, & attonitos simul ac tristes omnes deseruit. Quid agerent Magi, quo se verterent? quid consilij caperent? magna suboritur mentibus singulorum fluctuatio, & titubatio. Tentariné credam eorum fidem, & in arrepto proposito constantiam potuisse? Ego mihi facile persuasero submurmuratum initio fuisse à nonnullis stipatorum: videri phasma aëreum, ducemque itineris dubium & incertum: non abesse periculum, ne velut à fatuis delusi nocturnis ignibus sint: præstare quantocyus patriam relegere, futuri aliàs Iudæis ludibrio, si iactent temerè recens nati Messiæ stellam effulsisse, quam Iudæorum fortassis obseruasset nemo; nec possent ostendere: Præterea nec vacare periculo in vrbe regia, præsente Rege alienigena à Romanis constituto Regem alium Iudææ recens natum proclamare.

Hæc poterant in tanto satellitum numero quidam cetera cauti prudentesq; minus tamen instructi à pietate Christiana, vanis adhuc idolomaniæ cultibus implicati, Regum auribus insusurrare: Non tamen adducor, vt putem vllum Triumuirorum tam claro Prophetiæ diuinæ dono collustratum, quidquam de certo natalis Messiæ desiderati signo stella, & ortu eiusdem in Iudæa quidquam dubitasse. Nec vllum

eorum

eorum admisisse cogitationem infecta re cum suis reuertendi, quos fides inconcussa, spes solida, caritas perfecta constansque sic Christo devinxerat: vt iam tum parati starent, se lanienæ offerre prius, quam ab eius etiam Iudæis publicando regno; vel in Metropoli, vel coram Rege desisterent: sperabant etiam Iudæorum indicio cunabula se Regis facilius cognituros. Interim cum animo singuli demisso sentirent de se humiliter, Deum videntur obtestati, noxam dimitteret, si forte vitio suo indignos se tali duce effeciffent: Sanctus Vincentius Regum deliberationem piè, licet impolito stylo, sic describit. *Quando debebant intrare terram Iudææ, stella disparuit illis: cogitate qualem tristitiam habuerint dicentes. O miseri quid est hoc: ex aliquo peccato nostrum stella disparuit, quid faciemus?* dicit Sanctus Thomas 3. p. q. 36. a. 7. *quod tenuerunt consilium, quid facerent: quidam ex comitibus dixerunt, quod redirent; quoniam quærere Regem nouum in terra aliena magnum periculum esset, alij dixerunt, quod irent ad minus in Ierusalem, quia talis Rex in magna ciuitate deberet esse natus: & quia ibi erant magni Rabbini, & Doctores; ideo faciamus quod in nobis est.* Persuasissimum mihi est, sanctissimos Reges hactenus externa specie signi spectabilis etiam tractos, eo sublato potentiori tam illustratione mentis, quam impulsu voluntatis diuinitus incitatos esse, tunc potissimum, cum Deus exteriora tolleret subsidia; ideoque statim se, remque totam precibus commendasse, diuinam clementiam obtestantes, iuberet, quid fieri vellet: nec minus faciles aures habuisse quam Paulum cum Damascum properans de cœlo tactus rogauit: *Domine quid me vis facere.* & statim audijt: *Surge ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere*, Sic existimo cœlitus ijs indicatum esse, irent in Iudææ metropolim, audacter de loco nati Regis Iudæorum ob visam eius stellam scisciterentur: nec Regem alienigenam formidarent; sed intrepidi natum Messiam publicarent, locum indagarent, eum à Pontificibus cognituri. Hac diuina voluntate cognita, mutuo se Reges ad agendum fortiter animarunt, ac se, suosque ad ingressum vrbem præpararunt: id quomodo sit gestum libro sequenti prosequemur.

LI.

LIBER SECVNDVS
COMMENTARII IN CAP. II. MATTHÆI
GESTA SS. TRIVM REGVM HIEROSOLYMÆ.

CAPVT I.

Voculâ: Ecce celeritas cum admiratione designatur.

REDEO post varias ante ingressum ciuitatis Hierosolymitanæ difficultates expeditas ad S. Matthæi textum excutiendum: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam*, ac primam voculam: *Ecce* præsenti capite considerabo: quam licet scriptura sæpius vsurpet ad rem aliquam demonstrandam: vt Ioannis 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, & Pilatus ad Iudæos: *Ecce homo*: *ecce Rex vester*: hic tamen miram indicat SS. Regum velocitatem, quod à nato puero die decimo vel vndecimo iam ab extremis Orientis partibus Solymam aduolassent, vt Angelorum euangelia pastoribus inquilinis oblata præuerterint exteri, primique nati Messiæ famâ Iudæis in metropoli & ipsâ regiâ publicarint. Vnde Iansenius ait *dixisse S. Matthæum: ecce, vt intelligas statim post Christi natiuitatem Magos venisse.* Maldonatus idem sensit. *significat statim nato Christo venisse Magos*: sicque S. Epiphanius & eum secuti, quotquot post biennium à Christi natiuitate volunt eos intrasse Solymam, confutantur.

Io. 1. Io. 16. vox ecce indicat celeritatem. cum admiratione.

rei nouæ.

Præter celeritatem eadem vocula significatur admiratio, quæ potissimum oritur, cum rem nouam, inusitatam, magnam & splendidam inopinato percipimus. Res noua prorsus, inusitata, nec hactenus visa, lecta, vel audita fuit, Regis noui natales à ciuibus & domesticis ignorari, ab exteris & ipsis hostibus ab extremis orbis partibus approperantibus annunciari prope locum, vbi natus seruabatur. Quæ res nouitate & raritate incredibilior, Regem à subditis contemtum, & ad stabulum inter pecudes abiectum, à sapientissimis mundi principibus adorari? hos tanto terrarum interuallo dissitos ea celeritate certatim concurrere, vt eius se dominatui subijciant, seruos se eius & mancipia profiteantur?

incredibilis.

magnæ.

Quæ res magnitudine personarum excellentior Reges videre Orientis inuictos, nec Romanorum hactenus armis domitos & fractos, præconium agere Messiæ Regis nati, tot seculis à Regibus, Patriarchis, & Prophetis exspectati & desiderati? qui licet Gentiles essent, adesse tamen cum thesauris & apparatu regio, vt vix natum regijs ornent muneribus, eique regna sceptraque sua subijciant?

& inopinatæ.

Sed maior rei secuta est admiratio, quod hæc ipsa improuiso, nihil tale Iudæis opinantibus, cum ad rerum omnium summam desperationem deuenissent, alienigenæ tyranno subiecti, repentè Iudaici regni promissum instauratorem, Dauidis filium natum, exteris nuntiantibus audierunt. Hinc nata ex auditione tam inspe-
rata admiratio & stupor, ex stupore conturbatio tam Regis Herodis, quàm Iudæorum subiectorum: ij, iam iugo adsueti & seruituti, mirari tam audacter in Metropoli regni, coram Rege novum Regem publicari: vt meritò S. Matthæus tam noua, magna, rara, inusitata, & inopinata scripturus exclamarit: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam.*

CA-

CAPVT II.

Magi cur hic nominentur, non verò Reges

DE origine Magorum, institutis, professione, moribus, est alibi copiosè disputatum: vbi sunt etiam ab infami necromantiæ suspicione vindicati: Adhæc Reges fuisse, centuriâ testium demonstraui. vnum restat hic loco suo ostendendum, cur Magi potius, quàm Reges nominentur. Testes nati saluatoris & adoratores eius primi de Gentibus quærebantur, eos voluit diuina prouidentia ad munus hoc adhibere, qui sapientissimi, religiosissimi & incorruptissimi vulgo ferebantur, tales apud Ethnicos præcipuè Magi censebantur: licet igitur & tunc Reges philosopharentur; eorum tamen, non vt Regum, sed vt Philosophorum testimonium de Messiæ nati stellâ quærebatur: facilius enim Reges, quàm periti Astrologi in nouis exortis stellis, cometis, & alijs phænomenis decipiuntur. qui testes optimi.

Sed aliorum hic malo rationes, quàm meas recitare. Salmeron has adducit: *Magis è re nostra & Dei erat, vt sapientes de Christo redderent testimonium, quàm Reges: Reges enim plerumque ignari & imperiti sunt, aliorumq; sententiam sequuntur: & cum sapiunt, sapientum reguntur consilio. maius ergo est testimonium, quod datur à sapientibus, quàm quod à Regibus. deinde vt ostendatur, quàm sit æquum & conueniens, vt qui Rex futurus est, sit sapiens; quique alios sapientes gubernaturus est, sapientiâ, qua ceteros gubernet & regat, antecellat. præterea coram summo Christo rege nullus fidelium vocari Rex debet: vt enim coram sole stellæ remittunt lumina sua; sic coram Imperatore Christo Imperatorium nomen cessat.* rationes cur Magi potius vocentur. *Salmeron. tract. 38. §. 341.*

Suaretz sic breuiter. *Euangelista Magorum nomine potius, quàm Regum vsus est, fortasse quia sapientiæ nomen dignius, quàm potentiæ existimauit: vel, vt* Canus *dixit, non existimauit Euangely testimonium regio apparatu cumulandum.* *Suarez Disp. 14. s. 2. in fine Can. lib. 11. loc. Theol. c. 5. ad 4.*

Copiosè & docte Ildephonsus Giron: *Reges quidem erant; sed Magi vocantur: quia Regibus maximè necessaria sapientia, vt sciant veros amicos, fideles subditos, & consiliarios ab adulatoribus discernere. Sap. 6. Melior est sapientia, quàm vires, & vir prudens, quàm fortis. Auaite ergo Reges & intelligite: discite iustitiam finium terræ; præbete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo. Salomon maximè placuit Deo, quia sibi facta optione petendi quidquid vellet, non petijt diuitias, neque honores, sed sapientiam 3. Reg. 3. vera autem sapientia est, scire & nosse Dominum: his enim, qui terrena sapiunt, dicitur Isaiæ 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismet ipsis prudentes; hi enim sunt, quibus abscondit Deus diuina mysteria, sicut Christus aicit Mat. 11. Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & reuelasti ea parvulis: parvulis enim & humilibus reuelat Deus arcana cælestia: quales fuêre Magi procidentes coram puero* IESV; *atque adeò primi Euangelistæ electi sunt, qui Euangelium detulerunt in Ierusalem: vnde exitura erat lex.* *Giron in fragmentis de Epiphaniâ.*

Agutè Maldonatus quærit: *At cur Euangelista Reges non appellauit? cur autor libri Iob amicos eius Reges non appellat, Tobiæ verò autor libri appellat? si alius Euangelista eamdem scripsisset historiam, quam Ioannes c. 4. 46. scripsit, illum fortasse quem Ioannes regulum vocat, alio nomine vocauisset. Neque ratio quærenti omnino deerit, cur Matthæus Magos potius quàm Reges, cum vtrumque essent, appellauerit: voluit enim tacitè rationem reddere, cur ex stella esse Christum natum cognouissent, hoc enim Magorum, non Regum fuit.* hactenus Maldonatus. alij cum his faciunt, vt Azor: *Sanè Matthæus Magos potius, quam Reges, quamuis vtrumque essent, maluit appellare: voluit enim rationem reddere, cur ex stella Christum cognouissent, hoc enim Magorum & sapientum fuit, non Regum cognoscere & coniectare.* Confirmat idem Alexander Pellegrinus hoc modo: *Magi dicuntur ab Oriente venisse, qui etiam, vt communis opinio fert Reges fuisse perhibentur: indagare lubet, cur Regis appellatio inuoluatur silentio ab Euangelista. Honorificentius profecto fuisset, & Seruatori glorioſius,* Maldonatus. *p. 2. lib. 1. c. 11. q. 5.* *in cap. 2. Matt. paradox. 1.*

si omni ablata dubitatione sacrarum oraculis literarum accepissemus, eos qui ad Christum infantem accesserunt venerabundi fuisse Reges. Cur igitur tantæ rei adhuc sub iudice lis est? magno id quidem consilio, nisi fallor; videlicet, si res attentè consideretur, nulla plane super hac re poterit esse controuersia, cum enim quicunque Deo seruit Rex sit nobilissimus, annon satis superque fuit explicatum eos fuisse Reges, quorum diuitiæ, bona, vires, vita ipsa supremo rerum Domino tam religiosè, tam sedulò famulabantur?

CAPVT III.

Quomodo profecti sint ab Oriente.

Oriens absolutè. respectiuè, pro Asia sumitur in scripturâ. *Pineda in Iob. 1. v. 4. n. 23.*

ORIENTIS nomen absolutè sumitur pro parte primâ terræ habitabilis, quæ solem spectat Orientem, & India nominatur. at per respectum hoc loco pars ea designatur Asiæ, in quâ sol prius quàm in Iudæâ solet exoriri, siue rectâ lineâ respiciat magis solis ortum, siue etiam nonnihil in austrum declinet vel septemtrionem; imo tota fere solet Asia, si scripturam spectes, respectu Iudææ censeri orientalis, vti occidentalis eidem Europa existimatur, vt Pineda in c. 1. Iobi obseruauit, *Orientales*, ait, *Armeniam, Arabiam, Mesopotamiam, & conterminas prouincias intelligit, nam respectu Palæstinæ & Ierusalem tota Asia orientalis est, & Europa occidentalis, & Balaam Chaldæus Syriam vocat Orientalem; non aliter dicti sunt Magi, Matthæi 2. venire ab Oriente: quod; vel ab Arabia vel Chaldæa Solymam venerunt.*

Quid apud Mathematicos. *he. 1. de Epipha.*

Rectè: quod è Mathematicis & Geographicis principijs ita probat Eckius. *Comparatiuè vna ciuitas dicitur ad aliam orientalis, cuius meridianus vicinior est ortui solis*, seu vt Salmeron ait, *quicunque locus magis vergit ad illam partem, ex quâ sol oritur versus nos, vocatur magis orientalis quàm alius, etiamsi non distet ab eo, nisi per vlnam aut brachium.*

Quod si verò regio partim in septemtrionem vel austrum, parte verò suâ declinet in Orientem, eadem nunc australis, nunc orientalis ab Hagiographis appellatur: nam Chaldæa cum media iaceat Iudææ Septemtrionem inter & Orientem, Aquilonaris sæpius nominatur: vulgata sunt ea Prophetarum verba: *ab Aquilone pandetur omne malum.* De eadem Num 23. dicitur: *De Aram adduxit me Balac de montibus Orientis.* Arabia quoque & Saba, licet Australis, sæpe nominetur, vnde: *Regina Austri* venisse dicitur, Abraham tamen etiam filios suos ab Isaac seiunctos, *versus Orientem* dicitur seu Arabiam ab eo segregasse. & Tacitus lib. 5. ponit eam Iudææ ad Orientem, vnde sic ait hoc loco Maldonatus. *Est Arabia ad Palæstinam inter Orientem & Meridiem & solent regiones mediæ nunc orientales, nunc meridionales appellari, sicut Regina Saba Regina Austri, id est, meridionalis dicta est.* Matth. 12. consentit Suaretz: *Arabia*, inquit, *quamuis nonnihil ad Austrum declinet, Orienti tamen vicinior est: vnde Tacitus lib. 5. historiarum Iudæam à parte Orientali dicit spectare Arabiam: quod maximè verum esse censetur, si hiemalis solstitij ratio habeatur.*

Ier. 1. *Num 23.* Arabia dicitur australis. *Gen. 25.* & Orientalis Abrahamo & Tacito. *Suaretz D. 14. ser. 3. in fine.*

Quamuis igitur ex Arabiâ Reges duos educamus, dici rectè possunt venisse ab Oriente: præsertim cum tertius ex Indiâ videatur accessisse, quæ per excellentiam meretur nomen Orientis.

mysticè quid Oriens significet.

Mysticè sic Orientem autor operis imperfecti interpretatur: *Vnde dies nascitur, inde initium fidei processit, quia fides lumen est animarum.* hoc est nimirum lumen, quod suspicere, quod venerari, quod orantes petere debeamus: vt ad patriam paradisi (collocati versus Orientem) è quâ peccatum nos expulit per fidem & gratiam redeamus: nam, vt ait S. Gregorius. *Quotquot in fide consistimus, rectè orientales dicimur, inter quos vt olim Iobus, sic potius Christus magnus nominatur: ad quem per orientalem Baptismi portam admittimur, vt indeficiens nobis solis iustitiæ lumen oriatur.* primi filiorum istorum Orientalium Magi propterea sunt etiam ab Oriente ad verum Orientem Christum euocati: quibus traduntur, quotquot è Gentibus fidem in Christum receperunt, de his Ezech. 25. *Ecce ego tradam te filijs*

S. Greg. 1. mor. c. 19. Iob 1. *Ezech. 25.*

lijs orientalibus in hereditatem, vt non minus de Magis, quam Abrahamo verum sit: *Quis suscitauit ab Oriente iustum, vocauit eum vt sequeretur se?* ipse scilicet verus *Oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris & vmbrâ mortis sedebant.* idem & nobis ortus, eodem traxit funiculis gratiæ, funiculis caritatis: nam & ipse est, qui per se ipsum ad se nos trahit, vt Remigius dicat. *Pulchrè Magi ab Oriente venisse dicuntur: quia omnes, qui ad Dominum veniunt, ab ipso & per ipsum veniunt.* imo *Magi*, ait, S. Chrysologus: *ab Oriente in Orientem veniunt.* nam ortum solem requirebant: sic enim S. Basil. inquit. *Hodie Magi ab Oriente venerunt, ortum solem iustitiæ requirentes, eum de quo legitur Zach. 6. Ecce vir Oriens nomen illi.* ad illum Orientem è tenebris properabant, vt ignorantiæ caliginem depelleret, calore caritatis inflammaret pectora, nunquam ab eius se beneficio adspectu per peccatum segregaturi donum hoc ingens erat, cognoscere hoc lumen, requirere, desiderare, & illi semper adhærere, quod Iudæis negabatur. Præclarè Chrysologus: *ab Oriente ad Orientem veniunt Magi, vt susciperet venientes ipse, qui iusserat, vt venirent: quando enim Deum Magus, nisi Deo iubente perquireret? quando Regem cœli, nisi reuelante cœlo, Astrologus inuenisset? quando vnum Deum sine Deo Chaldæus adoraret in terrâ, qui in cœlo Dijs totidem quot sideribus seruiebat? plus cœleste de Magis, quàm de stellâ signum est: quod Iudææ Regem, quem legis autorem Magus scit, nescit Iudæus; Chaldæa defert, non defert Iudæa; Hierosolyma auersatur & refugit, Syria sequitur, & adorat.* stella scilicet Magorū velut Bosphorus Magos Astrologos ad verum iustitiæ solem Orientem adducebat, quem deinceps vt Deum, & rerum omnium conditorem adorarent, cui stellæ cœli tam errantes, quam fixæ cum Rege siderum & fonte luminis sole seruiebant. Tam subitò Magos spretis maiorum institutis mutasse religionem nouam; credidisse Deum recens natum, quem ipsi Iudæi quibus promissus erat exsecrabantur; gratiæ fuit efficacis argumentum, quæ non dedit tantum lumen, quo diuinitatem agnoscerent, sed & permouit voluntatem, vt vellent eundem quærere, vt Deum adorare, & muneribus honorare.

Luc. 1.

in catenâ S. Thomæ.

S. Chrysologus.

Pergunt ex Oriente in Orientem.

Christus eos attraxit ad se. *S. Chrysologus ser. 156.*

per gratiã efficacem.

Sed quomodo ex Oriente passim dicuntur ad Orientem profecti non transito Occidente? ab Oriente quisquis rectà progreditur, relinquat Orientem necesse est, & Occidentem versus tendat; eo deinde superato, redditus ad Orientem conceditur. An poterimus in hoc itinere verè cœlesti nostrorum nouorum ecclesiæ siderum Occidentem reperire antè, quàm Bethlehemi in Oriente solem contingant? reperit eum Barradius, cuius discursum moralem vtiliter hic attexam. *Currui*, ait, *solis simile fuit Magorum iter, ex Oriente per Occidentem in Orientem currit sol: Magi similiter ex Oriente per Occidentem venerunt in Orientem. ecce Magi ab Oriente venerunt, ait Euangelista: per Occidentem deinde, id est: Hierosolymam transierunt: nonne rectè Occidens Hierusalem dici potest, in quâ sol ipse Christus occidit; in qua tunc ei occasum Herodes meditatus est? per hunc ergo Occidentem Magi ex Oriente profecti, in Orientem, id est, Bethlehem, in qua sol admirandus ortus est, felici & solari veluti cursu moti sunt. Nobilior Oriens est Bethlehem illo, in quo sol exoritur; in illo oritur sol; in hoc solis conditor est exortus: in illo lux oritur corporum, in hoc animorum; in illo lux pecorum, in hoc lux hominum:* & ante hunc S. Maximus: *venit*, ait, *ab Oriente illuminata Gentilitas: Iudæa verò durissimi sui cordis infidelitate cæcata remanet in occasu: quomodo autem non verè in occasu & in tenebris tabescit omnis contumacia Iudæorum, qui indefessi solis præsentiam respuebant, diem perpetuum perdiderunt.* Vtinam tam constantèr, ardenter, & feliciter ab Oriente & initio ætatis nostræ duce & comite stellâ fidei & gratiæ continuis passibus per Occidentem mortis ad Orientem verum solem & patriam paradisi tenderemus: eo solum animos, mentem, studia & desideria flecteremus! sicut iubemur mortui corporum situ respicere solem Orientem, imo Christum passis manibus in cruce suffixum facie ad occasum conuersâ nos adspicientem, halitu nos redanimantem, porrectis brachijs & inclinato capite ad osculum exspectantem.

Transito prius Occidente. Hierosolyma.

Bethlehẽ verè oriẽs.

S. Maximus ho. 3. in Epipha.

Cur mortuorum corpora respiciant Orientem in sepulcris.

Fuit is à mille & pluribus annis mos Christi fidelium, vt piè defunctos, licet non in templis & cœmeterijs, sed agris & campis tumularent; supina reclinarent corpora, facile solem Orientem respiciente.

Modus funerandi antiquissimus.

Videmus, dum dum hæc 1640. scribo, Coloniæ à septem iam hebdomadis agrum

Vrſulanum, vt multi putant, ſingulari diuinâ prouidentiâ reſeratum, & Martyrum iſtorum humanâ diligentiâ maiorem, angelicam verè ſepulturam: nam genios ferunt cœleſtes, Epiſcopo, Clero, & Optimatibus ciuium pollinctoribus in iſtâ tot millium funeratione manus adiutrices adſpectabili forma porrexiſſe. ipſi videntur Angeli centurijs & chiliadibus Martyrum agri ſat vaſti regiones certas deſcripſiſſe, omnes foſſas rectâ lineâ ab occaſu ad ortum ſolis architectonicè definiuiſſe; & corpora, ciuium operâ collecta, pulcrâ & ordinatâ ſerie ſupina in arenâ manibus in crucis formam ſupra vmbilicum pleriſque decuſſatis ſic reclinaſſe, vt capita ſingula rectâ ſolem adſpicerent Orientem, ſuppoſitis communiter fruſtis Romanorum laterum ſincipiti, ne qua parte in alteram caput inclinaret: cum verò obſtipum iam collum corporis diutius cæſi obriguiſſet, vt in ſepulturâ flecti nequiret ad Ortum, contractis etiam cruribus, pectus tamen totum cum braehijs; ſicut & corpora capitibus mutila, ſic obuerterunt Orienti, vt ad normam & regulam Mathematicè rectâ ſemper ſeruatâ lineâ depoſuerint. Iucundum ſanè pium, & ſanctum ſpectaculum, ad quod Principes etiam viri ſæpius inuiſerunt, videre loco non magno 100. & plura corpora longâ ſerie ſic artificioſè depoſita, vix vt à vicino vel ſuperiore, aut inferiore ſingula contingerentur, ſingulis quaſi terreis loculis a ſe diuiſa, phialis, ſed fractis iam vetuſtate, cum arenâ cruentâ iuxta collatis, quæ ſanguinem Martyris iſtius biberat: nam qui ſanguis commixtus diuerſorum ſecerni non potuit, vaſis prægrandibus & capaciſſimis, varijsque phialis, & poculis laxi oris, alio in loco, ſed lateribus vetuſtiſſimis operto, cuſtodiebatur; vel in foueas prælatas & latas effuſus, in puluerem tenuem cæruleumque verſus inuentus eſt. Stupui tantam ante 1442. annos horum locorum incolarum diligentiam, & tantam in tot millium Martyrum funeratione, imo mira feſtinatione curam, ſolicitudinem, & laborem adhibitum, vt tot, ordine tam decenti, ſitu tam pio, ſeruatis iam inde ab Apoſtolis acceptis moribus fidelium, locarentur: adeoque confirmor, veram, quam refert S. Eliſabeth à ſanct. Vrſula profectam reuelationem, Angelos toti funerationi præfuiſſe, Clero cum Epiſcopo ciuibusque in egerenda humo, & apportandis coporibus, occupatis: ſed de hoc, Deo dante, alibi copioſius: nondum enim approbata, nec cultui publico propoſita ſunt ea corpora, bellona nimium ſæuiente.

templa reſpiciunt Orientem.

Ita voluit Chriſtus nos viuos & mortuos ſemper vultum, corpus & mentem Orienti obuertere, ac Chriſtum cruci pro nobis affixum obtueri, memores vocationis Gentilium ad fidem ab Oriente profectæ. quem in finem templa ſolent Chriſtianorum Orientem reſpicere, quam rem cum ex ſanctis Patribus ornatè deducat Melchior, Inchofer ipſius verba referam. *Nam quòd antiquo Chriſtianorum inſtituto ex omnibus cœli plagis, ad ſolis Orientem partem conuertebantur orantes, vt tradit Origenes, quòd etiam Apoſtolica traditione ſacræ ædes Orientem ſpectantes exſtruebantur, vt Clemens narrat: ſi id congruè nobis innuit ſpectandam eſſe primam humani generis patriam, hoc eſt paradiſum, quem Deus in Eden ad Orientem plantauit; & ex cuius lucidis & Orientalibus ſedibus culpa nos exegit; vt volunt Baſilius, Athanaſius, Gregorius Nyſſenus: profectò non incongruè etiam ſignificabit, ab Oriente veniſſe eos, qui primi ex Gentibus crediderunt, vt inde vocationis noſtræ, & illueſcentis primùm Euangelij recordemur; iteruméque cogitemus pendentem iam de cruce pro ſalute noſtra Dei filium ab Oriente reſpexiſſe ad Occidentem, quod obſeruant Damaſcenus & Caſſiodorus: ea de cauſa in ædes ſacras ingreſſi Orientem verſus adoramus: ſed ita adoramus, inquit Damaſcenus, hoc eſt, Chriſtum obtueamur: aduerſo nempe vultu ab Oriente nos in occaſu conſtitutos reſpectantem. Vtrúque verbo Latino complexus eſt Latinus Pacatus, cùm dixit, diuinis rebus operantes in eam cœli plagam nos conuerti, vnde lucis eſt exordium. atque ex his apparet, quanta ſit affinitas myſterij crucis & Magorum vocationis ab Oriente, vt hinc initium capiat Gentium ſalus, inde perfectionem, nec alterum ab altero memoriâ ſeparetur, adeoque vno religionis cultu vtrumque aptè concludatur.* Hæc & plura in hanc ſententiam ibidem Melchior, vt nos orantes memores faciat beneficij vocationis Gentium ad fidem: quod vult diuina bonitas, hilari nos & grato ſæpius animo reuoluere.

vt memores ſimus vocationis ad fidem.

Damaſc. lib 4. orth. fid. c. 13. Caſſiodorus in pſ. 67. Pacatus in Panegyri.

Hoc autor operis imperfecti bellè obſeruauit, ideo vocatos etiam ſanctos Rege

ab Oriente, quod ea profectio prognostica sit, & index euentus felicioris: audire ipsum libet, futura ex astris prælagientem: *Quando ab occidente aliquid nascitur contra Orientem, dominatio mali ostenditur contra bonos: quando ab Oriente aliquid nascitur contra Occidentem, dominatio boni ostenditur contra malos: quoniam igitur in temporibus Christi iustitia subiugatura erat iniustitiam, & fides infidelitatem; ideo ab Oriente venerunt primitiæ fidei. vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* hoc signū prognostic. cum fuit. Serm. 3. de Epipha.

Huius ergo nec prognostici signi fuisse ignaros existimo, antequam Solymam ingrederentur; vt quod futurum in fidelibus è Gentibus conuersis & Iudæa breui reprobandâ signis ipsi, verbis, & inuicta animi constantiâ figurabant, id animosius, Rege licet & Solymâ frendente & insaniente, coram ipsis gererent: vnde Iudæis & Herodi infelices, aduersos, & tristes, nobis lætos rumores nunciarunt, de quibus S. Bernardus *Meritò sanè ab Oriente veniunt, qui solis iustitiæ nouum nobis ortum annunciant, & lætis rumoribus totum mundum illuminant.* Lætis igitur & gratis animis sæpius beneficium adoptionis cœlestis & fidei recolamus: animum crebrò ad verum solem iustitiæ. Orientem eleuemus: visitabit nos gratiæ efficacioris auxilijs Christus, *Oriens ex alto*, vt morientes adscendamus cum eo *super cœlum cœli ad Orientem.* felix Gentilibus. Psal. 67.

CAPVT IV.

VENERVNT HIEROSOLYMAM

Causæ variæ adferuntur, cur Deus eos Hierosolymam proficisci voluerit: & animi præparatio Regum ad ingressum vrbis.

Humanâ prudentiâ ductos trâdunt.

VIDAM Sanctorum Patrum putant eos humanâ ductos prudentiâ putasse, Regem non nisi quærendum esse in ciuitate regia, quos multi recentiorum sequuntur.

S. Leo: *Humano sensu significatum sibi Regis ortum, æstimauerunt in ciuitate regiâ esse quærendum.* S. Leo Rupertus lib. 2. de gloriâ & honore filij hominis.

Rupertus Tuitiensis: *Locum ipsum Magi licet diuinitus inspirati nescierunt: quippe qui non in Bethlehem, sed primum Hierosolymam venerunt, dicentes: vbi est magis in sublimi quàm humili loco, in regiâ ciuitate, quàm in vico mediocri; magis in turbâ diuitum, quàm in silentio pauperum nasci posse & quærendum esse putauerunt Regem Iudæorum: itaque Hierosolymam venerunt.*

Remigius: *Quamuis Dominus ibi natus non esset, quia licet agnoscerent natiuitatis tempus, locum tamen non agnouerunt. Hierusalem enim regia ciuitas est, & crediderunt, quod talis puer non nisi in regiâ vrbe nasci debuisset.* Addit tamen & has duas alias rationes prima meliores. *siue ideo venerunt, vt adimpleretur, quod scriptum est, De Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ierusalem: quia ibi primò annuntiatus est Christus; siue vt studio Magorum damnaretur pigritia Iudæorum.* Remigius in catenâ S. Thomæ. Ratio.

Confirmantur hæc ex dictis libro superiori de stella prope Solymam euanescente: cùm enim non ignorarint, eam regiam & sacerdotum esse ciuitatem, ac metropolim Iudæorum, ad quem omnes Orientis nationes frequenter confluebant; existimasse videntur, quod perducti iam stellâ duce ad locum natalis Messiæ ipsa suo perfuncta munere ad nihilum recidisset: tantum in ea quærendum vrbe de domo nati Regis Iudæorum: Eam Suarez insinuat causam: *Verisimile est, quod Chrysostomus inquit, duxisse Magos vsque Ierusalem, & ibi se occultasse, vnde factum est, vt ipsi putauerint ibi esse terminum itineris.* Vt dem hanc opinionem videri probabilem:

Ego tamen potius existimo (sicut extremo capite superioris libri dixi) cum apparere desineret stella, Magos precibus rem Deo commendâsse; mox & diuinitus monitos, vt quærerent in metropoli de Rege recèns nato; nihil Herodis Regis tyrannidem reformidarent; à sacerdotibus enim rem omnem Herodis operâ cognituros. Hic igitur præter allatam supra rationem de Iudæorum peruicacia conuincenda, probabilior opinio.

varias

Cur Deus eos voluerit intrare Hierosolymam.

varias adducam causſas è ſanctis Patribus, cur neceſſum fuerit Chriſtum à Regibus noſtris in regia promulgari : eas S. Bernardinus aptè digerit, & ad tria ſumma capita reuocat.

S. Bernardinus ſerm. 24. de Epiph.

Primò, *propter ipſos Magos: vt qui prius admoniti fuerant cæleſti ſigno, confirmarentur etiam dicto prophetico, ex Doctorum Hebræorum reſponſo.* Secundò, *propter Chriſtum, vt natiuitas eius nuntiaretur in regiâ ciuitate, ac per conſequens Iuæi Chriſtum non recipientes inexcuſabiles haberentur.* Tertiò, *propter myſterium, vt myſticè figuraretur, quod fides Chriſti erat à Gentibus deuotè recipienda: & à Iudæis pro maiori parte in ſuâ perfidiâ remanentibus reſpuenda: quia Magi Gentiles Chriſtum deuotè quæſierunt, & inuentum adorauerunt; atque ſacerdotes Iudæorum, Chriſtum audientes natum per cæleſte ſignum in nullo ſunt niſi in ipſo moti ad ipſum quærendum ſeu etiam venerandum.*

1. 2. 3.

Rathbertus.

Rathbertus totidem ponit cauſſas: Primò, *vt Iudæi inexcuſabiles eſſent:* Secundò, *vt ſcribæ & ſacerdotes qui locum natiuitatis ex prophetiâ deſignabant, velut lapides milliarij ob cordis duritiam debitè damnarentur.* Tertiò, *vt Chriſtus qui pax noſtra dicitur, de Ieruſalem, quæ viſio pacis interpretatur manifeſtius, Iſaia dicente, nuntiaretur, quia de Sion exibit lex & verbum Domini de Ieruſalem.*

1. 2. 3.

Iſa. 2.

S. Thomas 3. p. q. 36. a 8. ad 3.

S. Thomas: *Diuino nutu factum, vt adſpectu ſtellæ ſubtracto Magi humano ſenſu in Ieruſalem irent, quærentes in ciuitate regiâ Regem natum: vt in Ieruſalem primò Chriſti natiuitas publicè annunciaretur, ſecundum illud Iſa. 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem: & vt etiam ſtudio Magorum de longè venientium damnaretur Iudæorum pigritia prope exiſtentium.* & in 2. Matth. *Quare venerunt Hieruſalem? duplex eſt ratio: vna, quia erat ciuitas regia, inde Regem Iudæorum in regiâ ciuitate quærebant: item hoc factum fuit ex diuinâ diſpenſatione, vt primò teſtimonium ferretur de Chriſto in Ieruſalem; vt adimpleretur prophetia Iſa. 2. De Sion exibit lex.* &c. Confirmat Doctoris Angelici rationes Maldonatus adiecto S. Baſilij teſtimonio : *Mihi non tam eorum curioſitate, quàm diuino conſilio factum videtur, vt Ieroſolymam venerint, vt priùs à Gentibus, quàm à Iudæis Chriſtus Rex natus annunciaretur, ne Iudæorum de ſuo Rege teſtimonium ſuſpectum haberetur: vt S. Baſilius hom. de humanâ Chriſti generatione, humana etiam poſtulabat ratio, vt qui natum quærebant regem, in regiam vrbem venirent.*

1. 2. 3. 4.

& in 2. Matth.

Maldonatus in 2. Matth.

Gwilliaudus his accedit : *Certè oportuit palam annunciari natiuitatem Domini ac reuelari, non obſcuris argumentis, ſed demonſtrationibus euidentiſſimis, & maximè vulgaribus, ne quis ignoraret porro Saluatorem mundi eſſe natum: deinde oportuit nobis exhiberi veræ fidei & confeſſionis vivum exemplum : oportuit præterea accedere calculum propheticum oraculo gentilitio, ſiue Balahamico, vt euidens fieret omnis generis oracula gentilitia & Iudaica conſpirare in exhibitum ſemen benedictum, cui debebatur regnum ſempiternum.* Vincit igitur hæc opinio poſterior priorem numero teſtium & momentis rationum, vt merito ſit ei præferenda, præſertim cum multum conferat ad SS. Regum commendationem, quod non tam humana prudentia, quam diuino conſilio, peractis precibus vna mente Solymam ingredi decreuerint, vt à Gentibus in Metropoli Meſſias Rex Iudæorum natus publicaretur : & dum ipſi loci natalis ignari, perquirunt eum ab Herode, Iudæorum Principes, rogatu Regis ſine periculo capitis ſecuri edicerent veritatem; & ita natiuitas Chriſti certa Gentilibus & Iudæis haberetur.

in 2. Mat.

diuino conſilio ſtatuunt intrare Solymam.

Enimvero tunc animi excelſi & inuicti magnitudinem Reges pariter exhibuerunt : cum obiecto mentis oculis periculo, quòd ab Herode Tyranno poſſet imminere, nihil extimuerunt, omnia humana deſpexerunt, nihil quod homini poſſet accidere, intolerandum putarunt ; dummodo primi, Patris cœleſtis, ad Principes Iudæorum legati conſtanter & intrepidè noui Regis diuinam & regiam maieſtatem verbis teſtarentur, & muneribus ſuis indicarent; atque ita poſteris ideam relinquerent excellentis & humana cuncta contemnentis animi, quomodo Chriſtum coram Regibus & tyrannis in aperto capitis diſcrimine confiterentur cum mortis & rerum fluxarum omnium diſpicientiâ. Imaginem conſtantiæ regum noſtrorum autor operis imperfecti nobis exhibet : *nunquid*, ait, *neſciebant, quia in Ieruſalem regnabat Herodes? nunquid non intelligebant iuſtitiam legis, quia quicunque Rege viuente alterum*

magnanimitas eorum.

Regem

Regem pronunciat, aut orat, quasi minister Tyranni punitur in sanguine? sed dum considerabant Regem præsentem, nunquid non habebant præ oculis suis iudicium mortis, qui talem rem illicitam vsurpant? sed non curabant de morte: si autem curassent de morte, nunquam hoc ausi fuissent. Adhuc non viderant Christum: iam parati erant pro eo mori.

Macti animis Reges, pergite, quo robur inuictum animi, quò Deus stimulis amoris vocat: pergite constanti & præsenti mente Regem Iudæorum primi Doctores Euangelistæ & Apostoli in vrbe regiâ promulgare. edite posteris Gentilibus, Martyribus, & Confessoribus fortitudinis exemplum, quod in mortis periculis imitentur. tempus, tempus iam est, quo fortissimo animi impetu, plenissimâ & maximâ voce, summâ contentione corporis, vnâ mente Regem natum coram Iudæis, coram Rege contestemini. Adest vobis diuinus Spiritus, quo autore peregistis iter, & Solymam intratis: eodem adiutore vincetis Tyrannum, & nobile Regi nouo trophæum in metropoli regni palam omnibus erigetis. adhortatio ad Reges ingredientes vrbem.

CAPVT V.

DICENTES.

Voce palam fidem in Christum profitentur.

QVOD præcones Regis coram turbulentis ciuibus, legati coram hostibus, milites in acie vnicè sibi proponunt, Regis sui gloriam, salutem, voluntatem; nec cuiusuis potentiam, minas, tormenta, gladios, ignes reformidant: sat salui, si salua voluntas, salus, & gloria Regis, quam fortunis, famæ & vitæ suæ anteponunt: idem iam vrbem Solymam dum ingrediuntur, animis obiiciunt Reges nostri: magni præcones, legati, milites, orbis Monarchæ recens nati, licet coram turbulentissimis ciuibus, immanissimo Tyranno, iuratissimis hostibus, principibus sacerdotum: intrepidi tamen, sed hilares, amica & serena fronte intrant vrbem, quasi aut templum Solymæum (vt ab exteris fieri amabat) ex voto adituri, aut Regem Herodem salutaturi: ita nemine retardante regio cum apparatu, suisque thesauris & stipatu in vrbem honorificè admittuntur, effusâ statim ad Orientis Reges Magos videndos vniuersa ciuitate, perquam curiosa, quid illo sibi apparatu cum regijs thesauris vellent. Ipsos ergo Reges existimo velut in acie primipilos, sic comitatum suum præcessisse, nec, quod Regibus solenne, per satellites aut interpretes, sed clara & apertâ voce de Rege nato publicitus ipsosmet interrogasse: nam legatos præcones & milites se nouerant magni Regis esse, quos per se fungi tali decebat munere. Primi erant (quod nec ignorasse putem) Apostoli, primi Doctores & Euangelistæ Iudæorum: ideo suâ voluerunt voce, & Regem recens natum ijs publicare, & verbis eos atque exemplo concitare, vt se ad eum adorandum sequerentur. Reges sunt tres legati, præcones, & milites Christi, audacter vrbem intrant. præeunt ipsi Reges. per se annunciant Christum natum.

Itaque velut sponsa dilecti amore saucia, dum quærit, quem diligit anima, sui penitus oblita, mortis & periculorum immemor, vnum cogitat, amat, loquitur dilectum; ita Reges amore nati Messiæ iam ebrij, sui impotes, coram confertâ ciuitatis multitudine publicè fidem in Deum hominemque ac Regem Iudæorum natum profitentur; eius se Regni præcones, defensores, ac subditos exhibent; in eius fidem & clientelam vt se conferant Iudæi, quibus promissus aduenerat, quâ verbis quâ factis cohortantur. Ita nobis præluxerunt exemplo, vt quoties necessitas vel Dei gloria postulat, non vereamur fidem nostram in Christum amore nostri cruci affixum, coram Hæreticis, atheis, barbaris, & Gentilibus confiteri: nec iacturam fortunarum, infamiæ & derisionis notam, nec mortem etiam ipsam formidare. *Qui enim* (promisit Christus) *confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Decet etiam cùm perditi quidam incæstas ac blasphemas in Deum & Sanctos voces evomunt, palam eorum licentiam verbis obiurgare, vt Dei honor saluus maneat, & proteruia conscelerati ssimorum coërceatur. quando & quomodo imitandi. *Matt. 10.*

CA-

CAPVT VI.

VBI EST.

Inquirendus cum Magis Deus ſapienter, ſimpliciter, & humiliter.

concurſus ciuitatis.

ONCVRRERAT iam ad camelorum & dromedariorum ſtrepitum, ad ſatellitum electiſſimam manum, & tres ipſos Orientis Magos videndos, & audiendos Hieroſolyma; ſuſpenſa ſciendi deſiderio, quid è tam remotis orbis partibus iſthoc apparatu ſplendidiſſimo ſapientiſſimi viri ſibi vellent.

captant beneuolentiam auditorum Reges.

Agite primi, Regis magni præcones, & legati; primi noui Euangelij Magiſtri & Apoſtoli, prudenter auidam & diſcendi ſtudio accenſam Solymæorum ciuium concionem erudite: ſapientes oratores, magna paucis nunciaturi, animos auditorum initio dictionis conantur conciliare: ſi quid autẽ ſit, quod poſſit dicenti beneuolas auditorum mentes deuincire, præſertim cùm vir autoritate maximâ perorat, illud præcipuum eſt, ſi faſtus abſit, ſi moderatis verbis, animoque compoſito communem vtilitatem Reipublicæ proponat, & illa caueat, quæ ſuperbiam olent: nec alios cum ſupercilio reprehendat, publica potius emolumenta commodàque ſibi propoſita monſtret, ipſorum etiam auditorum in arduo & difficili negotio voluntatem & conſilium exquirat, vt Reipublicæ ſaluti communique bono & neceſſitati conſulatur: quis enim tam vecors & communis boni negligens eſt, quem nulla mala vel damna publica commoueant? qui non ad ea vitanda, & ad ſalutem Reipublicæ curandam, & quæ ad eam neceſſaria ſunt audienda libenter animum mentemque accommodet? ita Reges noſtri, dum præconium facturi ſunt noui Regis nati Iudæorum, initio non arguunt Iudæos, vt iure reprehendendi videbantur, quod promiſſi Regis immemores eum deſertum & abiectum negligerent, quod nihil de eius natali ſolliciti eſſent, cùm eum ignorare non poſſent, certè non deberent, quòd denique dominatum regni ad alienigenam tranſtuliſſent, vt opus propterea eſſet exteros aduocare, qui eius natiuitatem denunciarent: nihil iſtiusmodi attingunt. aberat omnis à dictione calumnia, reprehenſio, vituperium, familiari eos compellant ſermone; nec oſtendunt ſe dubitare. quin ſciant natum eſſe Regem Iudæorum;

prudenter abſtinent à reprehenſione.

& interrogant eos familiariter.

vnum rogare, cùm ſe pariter promtos offerrent, ad eum vt Regem, Dominum, & Deum abiectis idolis recipiendum, locum natalem indicarent: *vbi eſt*, quærunt, non dubij, quaſi nec pueros Iudæorum locus latere poſſet, quem Reges exteri natum vndecim iam dies de cœlo cognouiſſent. Habet hoc humilis, morata, cauta prudensque dictio, licet res per ſe difficiles, periculoſas, & à mentibus vulgi alienas eloquatur, beneuolis tamen auditur animis: cum ea, quæ proponit, non ab animi maleuolentiâ, ſed boni communis amore proferuntur, ac quamuis abhorreant à multitudinis voluntate, digna tamen omnes iudicant, quæ diligentius inſpiciantur, & examinentur, nec primâ ſaltem fronte damnentur; ita cùm & credere, ſe Regem Iudæorum natum *ſimpliciter*, adeòque, vt ſcriptura ait, *confidenter* dicerent, & demiſſo humilique animo populum de nati Regis loco ſciſcitarentur, nullam in vulgo tunc quidem trepidationem, nullam auerſionem genuerunt: mirata interim plebs nuncij tam magni, tam inſperati nouitatem; imo deſiderium concitarunt in multis monendi hos exteros de Rege Herode tunc, in ciuitate, dominante. Qui ſi imprudenter Herodis tyrannidem, & regni inuaſionem publicaſſent, alium verò legitimum natum Regem prædicaſſent, parum abfuiſſet profectò, ne non tantùm ab Herodis amicis, ſed in ipſis compitis diſcerpti manibus multitudinis, vt perduelles occubuiſſent, & Regem recens natum mactandum eorundem tyrannidi obieciſſent: ideo quærere, rogare, & ſciſcitari, de loco nati Regis, quàm eius natales oſtentare maluerunt. Rectè S. Auguſtinus: *Venerunt & quæſierunt, dicentes: vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum &c. annunciant, & interrogant; credunt & quærunt, tanquam ſignificantes eos, qui ambulant in fide, & deſiderant ſpeciem.* Credere igitur ſe,

ſimpliciter & confidenter annunciante Meſſiã natum. *Pſ.* 10. 6.

Ser. 5.

Meſ-

Messiam dum confitentur natum esse, annunciant; sed prudenter inquirunt, de loco quem ignorabant ne venisse putarentur; quasi docturi Iudeos ea, quæ verè Iudæi tunc ignorabant, scire autem ex lege iubebantur; sed vt ipsi peregrini & rerum istius loci hospites & imperiti facilius a Iudæis instruerentur. Hac humili interrogatione in auditoribus suis fidem nati Messiæ ingenerarunt, quam vt suo suaderent exemplo, velut certam & nihil hæsitantem proponunt imitandam: audi Bernardum *quid dixerint* (Magi) inquit, *audiamus vbi est, qui natus est &c. quam certa fides, & nihil penitus hæsitans? non quærunt, vtrum natus sit, sed fiducialiter loquuntur, & interrogant sine dubitatione vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?*

humiliter quærunt locum.

Fides eorum eximia. *serm. 3. de Epipha.*

Sed vnde natam putamus istam fiduciam, nisi ex fide certâ & simplicitate, quâ præditi licet *prudentes* essent *vt serpentes*, declinarunt, omnis offensionis occasionē, ne caput pueri in discrimen vocarent; nihilominus *simplices vt columbæ*, candidè, & apertè, cuius rei gratiâ tantum iter suscepissent, pronunciant, juuari & dirigi peregrinis in locis amant: ideo, quia sine fuco & fallacijs rem vt erat exponunt; intrepidè magna animi confidentia Iudæos præsentes allóquuntur: *ambulans* enim *simpliciter*, ait scriptura, *ambulat confidenter*, & *iustus sicut leo confidens absque terrore erit.* Quid metuat, qui creatis omnibus rebus spretis vnum Deum quærit, is enim nihil iam formidat eorum, quæ casibus humanis subiecta possunt perdi vel interire, nihil concupiscit, nisi quod stabile, quod æternum sit, & nulli obnoxium mutationi: fidenter hunc & audacter medios inter hostes securus periculi quærit, cui si vitam rapiant, tunc demum inuenit bonum quod quæsiuit, nunquam ab eo separandus; bonæ si fortunæ tollant, vltro libenter offert, vt nudus nudum IESVM imitetur, *qui cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo; sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Huius igitur amore Reges isti seruire, quàm imperare maluerunt: huius vt præconium facerent, nullum periculum fortunarum, nullum discrimen vitæ declinarunt: hæc votorum summa, dilecti amorem alijs etiam ingenerare. Ergo cum tam solicitè spretis & relictis omnibus per tot rerum discrimina suum dilectum quærerent, tandem inuenerunt, & cum eo pariter omnem felicitatem, atque in ipsis maximis periculis animi securitatem: vtinam pari studio mortales cum istis Christi gratiam, sicut opes, honores & voluptates quærerent; multo illam facilius quàm hæc consequerentur, hoc nobis Christi quærendi studium Loyartes diserte proponit imitandum. *Inuenire meruerunt, quem tanto studio tantoque labore quæsierunt: quos nec loci distantia, nec hyemis asperitas, nec sumtuum magnitudo, nec vlla, quæ subibant pericula, inquirentes de nouo Rege, in regno alieno præsente Rege proprio; nec quoduis aliud retardabat, quo minùs eum quærerent, donec inuenirent. Illud præmium Dominus solicitè ipsum quærentibus promisit, Deut. 4. Quæretis me & inuenietis, si tamen toto corde quæsieritis, Pro. 3. si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, & quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, id est, si ea auiditate, cura & industria, qua homines pecuniam quærunt. & Pro 1. Qui manè vigilauerint ad me inuenient me, vt prima scilicet cogitatio manè sit de Deo quærendo.*

nihil metuunt.

Quærendus cum Magis Christus est solicitè. *de Epipha.*

CAPVT VII.

Qui natus est Rex.

HEROMERVS Regem ποιμένα seu Pastorem vocat, quòd pascere debeat subditos velut oues, ducere, & defendere, non deglubere & deuorare: Regem natum quærunt Reges nostri, sed Pastorem: errabant ouium instar in solo peregrino, dum elapsi faucibus inferorum adire verum pastorem animarum recens natum volunt: audierant in Iudææ pascuis vberrimis suas oues pascere: veniunt ex Oriente in Iudæam, orant cum sponsâ, *indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*, locum quærebant Iudæâ, vbi in meridie natus erat, vbi pasceret Israëlem, & regeret: ipsam metropo- [illegible] ressi non jam clam, sed palam in compitis & vicis clamant: *ubi est qui natus*

Rex idem esse pastor debet. & pecus defendere.

Cant. 1. 6.

libro 3. in Cant §. 2.

est Rex Iudæorum? quæ verba sic exponit Ludouicus de Ponte: *indicate nobis, vbi Rex & Pastor vester regat, pascat, & cubet in hac vestrâ meridie, quoniam venimus cum muneribus adorare eum: ne verò dubitent, quem designent Regem, num Herodem, vel eius aliquem filium; eum signanter exprimunt, qui natus est Rex.*

non Herodem vel eius filios petunt. quia non nati Reges.

Constabat Herodem humili stirpe genitum, non esse natum Regem, sed intrusum, sed à Romanis constitutum, qui non pascebat, sed mactabat, sine lege, sine discrimine nobilissimos & innocentissimos Judæorum, nec huius etiam filios quærebant, qui paternorum flagitiorum heredes & æmuli, & paulò antè & eo ipso ferè tempore parricidales manus in Herodem acuebant, nec nati Reges; cum Herodes testamenti condendi priuatus potestate, non nisi Cæsaris beneficio & voluntate heredem posset nominare, cuius tamen hereditatem Augustus postea accidit vehementer, & exili tantum filium eius adsperfit portione, nec Regis, sed Tetrarchæ dedit nominationem: alium quærebant in hoc natum, vt cum constaret sceptrum Iudaicum traditum alienigenæ, ipse Patris sui Dauidis regnum instauraret nullo termino finiendum.

& ab Augusto parte tantum regni donati.

Ac Græcus quidem ὁ τεχθεὶς habet, seu *ille natus Rex*, non factus & creatus, nec qui aliorum Regum Iudæ more legitimâ ætate à populo Rex recipitur, à sacerdote vngitur, & cui subditi se obligant sacramento; sed cui iam inde à conceptione regia potestas in cœlo totoque mundo debetur, qui à Spiritu S. Rex vnctus ipso natali die regni possessionem obtinuit: & cuius à nobis hodie regnum in metropoli promulgatur.

Regnum spirituale Christi agnoscunt.

Iam tum sciuisse non dubito Reges, Christi regnum non fore temporale, sed spirituale; quod licet animabus imperaret, sua tamen Regibus & quibusuis hominibus iura bonaque fortunæ seruaret illæsa; vt nec Herodes iure sibi quidquam haberet ab isto metuere; cui vel vltro venerant ipsi sceptra & regna sua submissuri; quo rerum omnium potiunte magnâ possent ipsi pace subiectos sibi populos gubernare. Pascere venerat Christus, & Reges, & Regum subditos eâ ratione, vt dum pacificè ad legum diuinarum præscriptum suis præfuissent, vnà cum subiectis hominibus regnum adirent in cœlis sempiternum. Egregiè regnum hoc spirituale Christi describit Granatensis dum Regem à Tyranno sic discriminat: *Tyrannus est, qui regni moderationem & opes omnes ad suam ipsius vtilitatem refert; Rex verò qui se & sua omnia in regni sui stabilimentum & vtilitatem confert. Tale regnum Christi est: is namque eâ lege regnum suum moderatur, vt se ipsum, opes, labores omnes ac merita sua in subditorum vtilitatem conferat, omnemque curam & solicitudinem in eis iuuandis, regendis, tuendis, locupletandis, & ad veram felicitatem perducendis impendat. Talis ergo Rex Christus est; cuius principatum Propheta dicit esse super humerum eius, quoniam totum regni sui pondus humeris suis ferendum imposuit. ô felix potestas, ô faustum regnum! ô verè amandus & colendus Rex, qui ita regenais alijs propositus est, vt cum rebus nostris non egeat, vitæ suæ dispendio det nobis vitam æternam! Rex videlicet, qui nos Reges efficiat, qui ad cœleste regnum perducat, qui secum in cœlestibus considere & perpetuo regnare faciat. Hunc ergo, cœlestem, non terrestrem Regem eum Magis adoremus, hunc colamus, qui veram nobis libertatem, veram pacem, veramque animæ nostræ de hostibus victoriam largitur.* hactenus Granatensis.

Conc. 3. de Epiph. Christus non Tyrannus sed verus Rex.

subditos suos Reges facit.

Efficax sanè ad persuadendum, Magorum argumentum; cùm enim eum natum Regem, & Iudæorum quidem nominarent, primos se fore pollicentur, qui huic recens nato fidem obligent, eius se tutelæ committant, eidem sceptra subiectosque populos subiugaturi. fidenter tantum Iudæi sequerentur, & promissum sibi toties Pastorem, Ducem, & Regem iam tandem natum agnoscerent, eius auspicijs vberrima pascua reperturi.

CA-

CAPVT VIII.

Cur natus dicatur Rex Iudæorum.

SCIEBANT Reges non Iudæorum tantum; sed & Gentilium, totiusque mundi monarcham esse, cuius regnum nec finibus temporum, nec locorum spatijs circumscriberetur; sed vt spiritale designarent regnum fidelium, quibus per fidem esset imperaturus, & leges, viuendiq: normam definiturus, Iudæorum Regem dixerunt. Vnde Salmeron: *Erat tamen Rex Iudæorum, scilicet credentium & confitentium eum Regem spiritualem; quæ quidem fides & confessio sine Dei beneuolâ voluntate atque gratiâ ab hominibus nequit haberi congruè, si nominis etymon consideres.* Est tamen cur Iudæorum Rex potiùs voluerit, quam Gentilium nominari: nam Iudæis toties promissus erat; è stirpe eorum descenderat: in Iudæa nascebatur, ibidem maximam partem educandus, ibi victurus & moriturus, vnde Balaami etiam vaticinio dicebatur ex Iacob, & de stirpe Iesse prodituras. Magnum tamen huius & Regum Iudæ antecedentium discrimen passim hagiographi posuerunt, extra id, quod c. superiori attuli: palmarium est, quod solus inter Reges salutē esset omnibus, & regnum æternum fidelibus allaturus: hoc nomine Tres Reges non Iudæos tantum; sed & Herodem ad regnum Christi, suis ostensis, quæ secum ferebant muneribus inuitabant: nullam aliàs ipsi Regem Iudæorum ne Salomonem quidem, si viueret, tantis itinerum molestijs, & periculis adituri. Quocirca S. Augustinus ait: *Cum autem multi nati atque defuncti essent Reges Iudæorum, nunquid quemquam eorum adorandum Magi quæsierunt? quia nec quemquam eorum loquentem de cælo didicerunt. Non itaque Iudæorum Regi, quales esse illis solebant, hunc tam magnum honorem longinqui alienigenæ, ab eodem regno prorsus neglecto, ab extraneis à se deberi arbitrantur: Sed talem natum esse didicerant, in quo adorando salutem quæ secundum Deum est, maximè consecuturos, minimè dubitarent. neque enim erat ætas saltem, cui adulatio humana seruiret, non de membris purpura, non in capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus, non gloriosa fama præliorum, hos ad eum viros ex remotis terris cum tanto voto supplicationis attraxerunt. Iacebat in præsepio puer, ortu recens, exiguus corpore, contemtibilis paupertate: sed magnum aliquid latebat in paruo, quod illi homines primitiæ Gentium non terrà portante, sed cœlo narrante didicerant.* Hactenus Augustinus: Enimvero Rex Herodes auditis Magorum verbis non ambigebat, quin de Messia Iudæis promisso loquerentur: ideo non tantum a Concilio scisitabatur: *vbi Christus nasceretur*; sed & se adoraturum mendaciter appromisit, quasi Regum istorum voluntate comprobatâ Messiam externa saltem specie profiteretur dignum esse, cui à totius orbis Regibus honor diuinus exhiberetur, & cuius regnum spiritale potius esset, & diuinis promissis æternum nominatur. Hanc æternitatem regni Messiæ Magos ab Oriente tempore natalis eius: & Pilatum item Gentilē ab Occidente venientem tempore mortis eius, eumque simul Regem Iudæorum, frementibus licet contra Iudæis, professos esse, idem ostendit S Augustinus: quæ nota est alia propria Regis huius, qua ab alijs Regibus Iudæorum discernatur? *Quid denique Magi venientes dixerunt? vbi est qui natus est rex Iudæorum? Quid est hoc? nonne tam multi Reges antea erant Iudæorum. Quid tantopere alienæ gentis Regem nosse & adorare cupierunt? vidimus enim, inquiunt, stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum: nunquam hoc tanta deuotione requirerent, tanto pietatis affectu desiderarent, nisi eum agnoscerent Regem Iudæorum, qui Rex est etiam seculorum: Hinc Pilatus nonnulla aura veritatis afflatus est, quando in eius passione titulum scripsit; Rex Iudæorum: aduertamus ergo & in hoc mirabile Sacramentum. Magi ex Gentibus erant, ipse etiam Pilatus ex Gentibus: illi stellam viderant in cælo: ille titulum fixit ligno: vtrique tamen non Regem Gentium, sed Iudæorum vel quærebant, vel agnoscebant:*

Quo modo Rex Iudæorum. *Salmeron in 2. Matth.*

corū prærogatiuæ.

Magi quærebant Regem Saluatorem mundi. *S. August. to. 10. ser. 2. paulo ante medium. S. Tho. in catena. ser. 7.*

licet pauperem & abiectū. *ser. 6.*

Ipse Herodes aduertit eos de Messiâ loqui.

Æternum Messiæ regnum agnoscunt Magi cum Pilato.

Gentiles ab Oriente & Occidente profecti præferuntur Iudæis.

Iudæi vero ipsi nec stellam secuti sunt, nec titulo consenserunt: iam igitur præsignabatur, quod postea dominus dixit Matt. 8. Multi ab Oriente & Occidente venient, Magi ab Oriente, Pilatus ab Occidente venit: vnde illi Orienti, id est, nascenti, ille autem Occidenti, id est, morienti attestabantur Regi Iudæorum, vt cum Abraham & Isaac & Iacob, ex quibus Iudæi ducebant originem, recumberent in regno cœlorum, non ex eis propagati per carnem, sed eis inserti per fidem: vt ille de quo Apostolus loquitur Rom. 11. Oliuæ inserendus præmonstraretur oleaster: propterea quippe non rex Gentium, sed Iudæorum ab ijsdem Gentibus vel quærebatur, vel agnoscebatur, quia oleaster ad oliuam, non ad oleastrum oliua veniebat: rami tamen frangendi, id est infideles Iudæi Magis inquirentibus, vbi Christus nasceretur, in Bethlehem Iudæ respondebant, & Pilato exprobrante, quod Regem suum crucifigi vellent, pertinacissimè sæuiebant. Itaque Magi adorarunt Iudæis ostendentibus locum Christi nascentis, quia in scriptura, quam Iudæi acceperunt, Christum cognoscimus. Hactenus S. Augustinus Christum spiritualem non terrenum, æternum non temporalem Regem Iudæorum, Gentilium testimonio tam in natiuitate, cum pauper & vilis inter pecudes abiectus nasceretur, quam in morte, cum nudus in cruce moreretur, comprobauit: vt merito fidei prærogatiua Gentilibus debeatur: ideoque licet oleastri, sic inserti sunt in oliuam, vt posterioris species, amplitudo fructuumque vbertas, orbem iam vniuersum complexa sustentans & nutriens, prioris oliuæ formam velut corpus vmbram superarit.

Fide superant eos.

CAPVT IX.

Ardenter ac intrepidè cum sponsa sæpiusque quærunt Regem Iudæorum.

NOn semel tantum, iterum & sæpius ab obuia ciuium multitudine quæsisse Reges existimem: vbi natalis locus esset Regis Iudæorum, nam cum stupore defixi, quid responderent ciues nec haberent, nec forte si sciuissent etiam auderent, occasio data Regibus est, sæpius Regem natum publicandi. Amantium proprium est, ita abripi dilecti cogitatione, vt quemuis de eo sic sentire, sic cogitare putent, ideo à quolibet obuio, vt de re comperta rogare solent, non explicata satis dilecti persona: ebria diuino amore Magdalena quærebat ab angelis, quærebat ab ipso Christo dilectum suum, nec cui loqueretur, vel quid, & quo pacto peteret, satis cogitabat, ebrietatem istam ardentis desiderij graphicè depingit S. Bernardus in Canticis. *Amat ardenter*, ait, *quæ ita proprio inebriatur amore, vt maiestatem non cogitet: quid enim? respicit terram & facit eam tremere, tangit montes & fumigant: & ista se ab illo postulat osculari? ebria est, ebria certè, quia fortasse de cella vinaria egressa erat. O quanta amoris vis! quanta in spiritu libertatis fiducia, perfecta caritas foras mittit timorem: nec dicit: me osculetur hic, vel ille sponsus, vel amicus, vel rex, sed indeterminatè loquitur, osculetur me. Quemadmodum & Maria Magdalena dixit loquens de Christo Domino, quem in monumento non reperiens sublatum credidit: si tu sustulisti eum, dicito mihi: vbi posuisti eum, & ego eum tollam; quem eum? non aperit, quia palam esse omnibus credidit, quod à suo corde nec ad instans recedere potest: sic sponsa: osculetur me, ait, ille, qui nunquam à corde meo absens est, quia amore accensa credit nomen sponsi omnibus esse conspicuum.* ita Bernardus. Sanè Reges nostri de nati Regis cunabulis obuios scisciabantur: quem illi nec natum audierant, nec quis ille præter Herodem Rex Iudæorum esset, aut intelligebant, aut intelligere negligebant, ideo nonnulli sine responso eos dimiserunt. Mirum id videri poterat Regibus, si non diuino afflatu plura didicissent, Regem Iudæorum natum, in metropoli à Iudæis nesciri decimo vel vndecimo post ortum die, quem ipsi tot diebus ante cœlo narrante cognouerant: ab ipsis dico Iudæis, quorum Regibus, Prophetis, & Patriarchis tot seculis fuerat varijs oraculis promissus, tot votis desideratus, Regem suum negligi, imo etiam ignorari. Poterantne sapientes viri dubitare,

Amantes de dilecto vbique etiam apud ignotos loquuntur. vt Magdalena. *Serm. 7. in Cant.* Ebrij amore sunt.

Ab obuijs quærunt.

si

si rem humanis rationibus librassent, quin eodem, si non maiore studio & amore tota Iudæa raperetur ad Regem eum adorandum, quo Gentiles? quin iam nil aliud cogitarent, vel loquerentur, quam tripudia & gaudia de nato mundi Saluatore? & tamen ad interrogata stupent, hærent, titubant: nec quid Magi velint, de quo scisfitentur Rege intelligunt, quomodo locum eius natalem indicarent? Iterum dico, sæpiusque fuit prima quæstio diuersis proponenda: sed cum plures ambigere viderent, causam & signum natiuitatis stellam, vt postea dicemus, adiungunt, explicatius aduentus sui causam aperiunt, vt palpare iam Iudæi possent, nec Herodes ipse dubitare, quin de Christo & Messia sciscitarentur. Ardens hoc est amoris vehementis desiderium, & index, in sponsa quærente dilectum figuratum, nec illa putabat ab alijs dilectum, quem quærebat ignorari, aut certè debere ignorari: E lectulo se proripuerat, vaga per ciuitatem, eiusque vicos & plateas, discurrebat, vbique resonans solennem suam cantilenam: *Num quem diligit anima mea vidistis*: queritur & multum queritur: *quæsiui & non inueni*: consulit vigiles, consulit custodes, vacua dimittitur; parum explicatè quem quæreret, proponebat: omnes putabat eodem ebrios amore, velle idem, sentire idem, loqui idem. Sed ego alterum in sponsa miror, inter vigiles armatos, & nocte securam periculi vagari per publicum. at quod ei poterat esse discrimen, quæ dum quæreret tam ardenter dilectum, illi iam tum memoria, intellectu & voluntate tota inhærebat, qui præsens & omnia videns continuas, vt ita quæreret, amoris faces succendebat: idem à periculis tutam inter armatos & interritam efficiebat. Erant & Reges coniuncti Deo, quem diligebant, quem quærebant; ideo intrepidi, pericula nec aduertebant. Recte Baëza tantis in periculis securitatem vni tribuit ardenti desiderio fruendi Deo. *O si hæc nos* (exclamat) *vrgeret cura, vt in omnibus Deum quæreremus, vt à singulis creaturis de Deo sciscitaremur, qua securitate, quo triumpho per media mala incedere possemus? bis diuina sponsa è domo exiuit, vt absentem amorem perquireret, & primo custodum phalangas offendit: ait enim: inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: merito sibi virguncula timuisset nocte intempesta à tot militibus præuenta: verum sponsa nil timens ex illis quærit: nunquid quem diligit anima mea vidistis? & eo solum inoffenso pede militum phalanges pertransit. Molestius secundo exiuit: namque domo egressa, ait: Quæsiui & non inueni illum, inuenerunt me custodes, percusserunt me, tulerunt pallium meum. Cur ita? D. Ambr. in ps. 118. 7. v. 7. Qua ratione supra non tulerint, hæreo reperire, nisi forte quia ibi interrogasse se dixit: nunquid quem diligit anima mea vidistis? Hoc vno liberabimur, hoc vno medijs in periculis versabimur securi, si à singulis creaturis de Deo interrogauerimus, si nunquam ab ore excidat nomen diuinum. Hac sancta Dei inuocatione obiecta, sedabimus furentes tempestates.*

sæpius repetunt quæstionē

Nulla timent pericula.

quia vnī inhærent Deo.

vt sponsa.

Regibus forte ciuium nonnulli responderint, quos toties interrogarant, nullum ea in vrbe recens Regem natum reperiri; Herodem vrbis & Iudææ, Romanorum institutione regem renunciatum esse; alium cauerent in vrbe regia contra Romanorum voluntatem Regem appellare. Nihil istis mouentur Magi, alios pergunt sciscitari, donec fama per vrbem volans ad Regem permanasset.

CAPVT X.

Constanter de Christo interrogant, vbi natus sit, & quodammodo insultant Iudæis.

SIcvt ardenter & intrepidè, sic *castè* SS. Reges *amabant Christum, quia ipsum, quem amabant, quærebant, nec quid aliud, præter ipsum: sancte amabant eum non in concupiscentia carnis*, qui tot corporis fatigationes eius amore superarunt, *sed in puritate spiritus*. Amabant etiam: *Constanter*, dum enim Herodem & filios eius ipsis fortè ciues obtruderent, non alium se quærere profitebantur, quam cuius stellam ex Iacob orituram Balaämus prædixerat: quem ablato sceptro de Iuda venturum Iacob prænunciarat: qui enim Herodis Regis causa nec pedem mouissent, vt eum, quem solum medullitus amabant, & requirebant,

Castè quærunt. S. Bern. ser. 7. in cant. sanctè, constanter.

S.Tho.opus. 60.a.7. Tria necessaria ad accuratam inquisitionem.

inuenirent, nullam in eo perueſtigando diligentiam omiſêre. Tria apud S. Thomam exigit S. Auguſtinus ad accuratam rei inquiſitionem indicia. *O anima*, inquit, *ſi diligenter peteres, tribus hoc ſignis oſtenderes*: primò *enim lumen peteres, ne tenebris impediaris* (fecere hoc Magi dum deſerti à ſtella ſupplices ante vrbis ingreſſum Deum precibus, quid fieri vellet, obſecrarunt) Secundò *ſcientes interrogares, ne quærens aberrares*. Tertiò, *in nullo loco quieſceres, donec dilectum inuenires*. Illuſtrat hanc ipſam diligentiam S. Gregorius ſponſæ exemplo Cant. 3. *In lectulo meo quæſiui per noctem: dilectum*, inquit, *in lecto quærimus, quando in præſenti vitæ requie aliquantula in Redemtoris noſtri deſiderio ſuſpiramus: per noctem quærimus, quia etſi mens in ipſo vigilat, tamen adhuc oculus caligat: ſed qui dilectum non inuenit, reſtat vt ſurgat, & circumeat ciuitatem, id eſt Eccleſiam mente & inquiſitione percurrat*. Subijcit exemplum Magorum, quo de agimus. *Ad hanc rem nobis exemplo fuerunt ſancti Magi, qui longum dimetientes iter, quærere dilectum nunquam ceſſarunt, donec illum cum* MARIA *ſanctiſſima matre inuenerunt*.

Fortitudo Magorum.

Fruſtra ciues Magis pericula obijcitis, furorem Herodis inculcatis, Romanorum maieſtatem exaggeratis, nugæ illæ non infringunt Regum deſiderium, nec debilitant amorem quæſiti Regis, imo frigidâ velut adſperſâ ſuccendunt flammam, qua vos & Herodem inflammare ſuo geſtiunt exemplo, ad nouum regem adorandum. Iterant igitur & toties de loco nati regis iterant quæſtionem, vt ſi Reges exteros ſequi nolitis, ſit vobis æterno dedecori: quem vos Regem vobis promiſſum, oblatum, & datum turpiter in ſtabulum pecudes inter abieciſtis, & cum Herode quæritis ad internecionem, eum à Regibus exteris tanto labore quæſitum & inuentum, adoratum eſſe vt Deum, ſalutatum vt regem; & vt monarcham cœli terræque congruis muneribus honoratum. An ignorantiam miſeri prætenditis? at cum vobis natum Reges ipſi promulgarunt? nunquid regiam & diuinam eius maieſtatem declararunt? nunquid exemplo ſuo ad ſequendum inuitarunt, qui toties ingerunt: *vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus ſtellam eius in Oriente & venimus adorare eum*. Hoc eſt quod dum conſtantiam Magorum conſiderat in perquirendo Chriſto duce ſtella, ſic exaggerat merito S. Chryſologus. *Dicendo*, ait, *vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum, non interrogant, ſed inſultant, Quando ſcientes interrogant, neſcientes non ignorant; ſed negligentes arguunt, increpant deſides, malos produnt, contumaces verberant, ſeruum Domino non occurriſſe cauſantur*.

S.Chryſol. ſer. 156. Inſultant Magi Iudæis.

Putat aurifluus Doctor Magos diuinitus inſpiratos præſcijſſe Deo & ſtellâ duce locum ſe natalis Domini reperturos: tantum opus, vt regem natum promulgarent in metropoli, damnarent ſocordiam, quod quem decebat Solymæo in templo regio apparatu, & diuino honore colere, iam cogerent inter pecudes quietem capere. Pergit enim. *Nam quid ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant? vt quid illis ad hoc humanæ demonſtrationis officium, quibus ad hoc cœli ſidera ſeruiebant? Quo illis lucerna templi, quibus cœli ſidus mirabile prælucebat? vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? hoc eſt dicere. Cur Rex Iudæorum in præſepi iacet, & non decumbit in templo? cur non fulget in purpurâ, ſed ſqualet in pannis? cur latet in ſpecu, & manifeſtus in ſanctuario non habetur? Receperunt iumenta in præſepe, quem in domo ſua recipere vos ſpreuiſtis. Agnouit ſicut ſcriptum eſt bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: tu autem Iſrael tuum dominum non quæſiſti*. Quiſquis profecto Deum & Dominum ſuum audacter coram aduerſarijs confitetur, victor eorum & triumphator eſt; hac enim animi Deum quærentis conſtantiâ, ſic Reges noſtri proteruiam Herodis fregerunt, vt ſe ſecuturum, licet mendaciter, profiteretur.

reprehendunt impietatem.

ſua fortitudine vicerunt Herodem.

Vt recte Baëza dum vocem eam Chryſologi *inſultant* expendit, dixerit: *Sanè interrogatio hæc in hoſtes vniuerſos cenſetur inſultatio; non tam inquiſitio, quam victoria, quam triumphi proclamatio: & quis non vinceretur non proſterneretur ab his, qui ſic Deum natum quærebant, prædicabant?*

CA-

CAPVT XI.

VIDIMVS STELLAM.

Ex stella Magi Iudæis Christum natum esse probant.

FRVSTRA Magi locum nati Regis quæritis, quem natum esse Iudæi non arbitrantur; prius natum esse Messiam certis indicijs demonstrate: erunt qui locum ostendant, cum signa nati Regis agnouerint: *Vidimus*, respondent, *stellam eius in Oriente*. Breuis, arguta & certa collectio, qua probant euidenter Messiæ natiuitatem. Tunc nimirum nascetur Messias cum orietur stella ex Iacob: atqui stella orta est vndecim ab hinc diebus: *Vidimus enim stellam eius in Oriente*: ortus igitur Messias est. Maior æque certa Iudæis ac Gentilibus, ex verissimo Balaami vaticinio ab vtrisque recepto. Minor naturaliter euidens dicentibus, & moraliter certa Iudæis; tam ob sceptrum à Iuda ablatum, quàm quod hostibus suis sapientia grauissimis, dignitate supremis, fide incorruptis pro Iudæis aduersarijs suis testimonium ferentibus, haberi fides præcipua debebat: qui non per tot centena milliaria tantillo tempore sola visendi Messiæ nati causa aduolassent, nisi manifesta cœlitus monstrata signa veritatem etiam hostibus persuasissent. Hæc est certa Doctorum nota, non tantum vera dicere, sed verosimiliter, allatis diuinis oraculis, & humana, cum res patitur, ratione, vel experientia dicta stabilire: fidem enim diuinam necesse est esse fidelibus exploratissimam: hinc vt Hæreticus ad eam traducatur, opus est, illi moraliter euidens fieri, & persuaderi, Catholicam fidem solam esse certam, & firmissimis nixam fundamentis, à qua qui dissentiat, eum insanissimis opinationibus aberrare.

Probant reges natiuitatem Messiæ et stellæ ortu.

Clara veritatis demonstratione.

Doctorũ proprium ingna adferre credibilitatis fidei.

Miratur hanc Magorum prudentiam in responsis & sapientiam S. Bernardinus: *Dicite nobis*, inquit, *Magi, vnde in vobis tanta illuminatio intellectus, vnde in vobis tantum ortum est lumen: vnde in vobis tanta limpiditas virtutum? Respondent profecto: vidimus stellam eius: non falluntur, quod stellam videbant, stellam quærebant, & stellam habebant.* Quam obsecro videbant, quam habebant ducem stellam, quæ ciuitatem ingressuris se occultarat? erat quædam interior stella Spiritus Sancti, quæ non minus tunc mentes illustrabat, & voluntatem inflammabat, quàm corporeos oculos prius aërea: Hæc totius itineris comes, omnes labores lenierat, pericula remouerat, & iam in vrbe mentem vires que præbebat, vt audacter & sapienter noui Regis ortum Iudæis nunciarent, in eius se fidem & clientelam committerent, huius illustrati lumine ciuibus, Herode, scribis ac Pontificibus, legis & cultus diuini peritiores, nullius iam astutiam, fraudes & maleuolentiam formidabant, certi, non defore cum vsus esset, cœlitus sapientiam & fortitudinem, cui non possent aduersæ partes præualere ad hanc stellam Spiritus Sancti gratiam suspirabant, hanc augeri medullitus expetebant, hanc regnis opibus & delicijs omnibus anteponebant, qua freti Gentiles ipsi & nuper idololatræ iam Iudæos informabant, legem diuinam & oracula data explicabant, Messiam promissum natum demonstrabant, & ad eius cultum exemplo suo his vocibus permouebant: *vidimus stellam eius.*

Aderat Spiritus Sanctus.

illuminans eos & confortans.

CAPVT XII.

Cur stella EIVS dicatur.

HOc vocabulo EIVS damnant sancti Reges orituram aliquando hæresin Priscilianistarum, qui fatum ex hac stella Magis ostensa conati sunt adstruere, quos alibi sæpius confutauimus: hic breuiter tantum indicandum, quibus stella modis Christo sit famulata, & cur eius nominata.

Superius insinuatum est, eam primo fuisse à Christo nato procreatam, adeoque sicut quodlibet instrumentum artificis est, à quo fuit fabrefactum, eius-

Gen. 15. eiusque seruiat vsibus necesse est, non vero, vt illi dominetur, sic stellam hanc opus erat Christi voluntati ancillari, præsertim cum finis eius protectionis non alius esset, quam vt gloriæ Christi deseruiret,& Reges Astrologos ad cunabula & seruitium Saluatoris mundi recens nati deduceret. Præterea signum erat implendæ iam diuinæ promissionis Abrahæ quondam factæ, benedicendas in eius semine Gentes: vnde iussa est Christi nascentis imperio (condita prope Bethlehem) in Orientem se commouere, & inde dum ducit Reges, nutibus eorum & voluntati obsecundare: ideo à D. Thoma dicitur: *Ad obsequium eius facta.* Hanc stellæ respectu Christi subiectionem sic sancti Patres interpretantur: Glossa interlinearis: *stellam eius, id est propriam, quia hanc creauit ostensionem sui.* S. Chrysologus multus est in ea vocula explicanda: *vidimus stellam eius, ait, & quid non eius? stella eius est, non ille stellæ, stellam eius; quæ accepit esse, sed non dedit; stellam, cuius ortum tenebat autor, non quæ ortum tenebat autoris: stellam eius, venientem non à genesi, sed à genitore; mandato non fato; non à computatore, sed ab autore; non quæ daret ortum, sed quæ sustineret occasum; stellam non legiferam, sed significeram; ferentem non dierum ordinem, sed noctium lumen; stella hæc ministra viæ, non vitæ; comes Magorum, non cognata Christi; non dominantis domina, sed ancillula seruorum.* Et sermone præcedenti: *Vidimus stellam eius, aliquando videt Magus, qui habet stellam, non habetur à stella, nec ipse agitur cursu stellæ, sed ipse stellæ agit cursum; cuius per cœlum sic cursum dirigit, sic moderatur incessum, sic viam temperat, vt Magorum seruiat, & mittatur ad gressum.* S. Augustinus: *Hinc potius Christus non sub dominatu eius, sed Dominus eius apparuit.* S. Maximus: *Bene eius, quæ specialiter eius designabat aduentum, ceteræ quidem stellæ factæ sunt vt mundi tempora cursusque distinguerent, hæc verò prodire iussa, vt ipsum mundi Dominum & regni cœlestis adesse tempus ostenderet.*

S. Thomas in 2. Matt. Glossa. S. Chrysologus ser. 158. S. Augustinus ser. 5. S. Maximus serm. de Epiphania.

CAPVT XIII.

Vidimus & Venimus: cita & velox obedientia.

Celeritas parendi.

FRVSTRA biennium obtrudunt itineris nonnulli sanctis Regibus ipsis reclamantibus, *Vidimus*, aiunt, *& venimus*: non intercessit dies, hora, imo nec momentum quidem: quo pacto? nunquid nuncijs missis se mutuo ad iter capessendum prius sunt cohortati, necessaria ad iter præpararunt, de comitatu & annonâ sibi suisque prouiderunt, thesauros secum portandos collegerunt? interim, *vidimus*, rectè aiunt, & *venimus*: Dies etiam datus fuerit regio apparatui, viderunt tamen & eo ipso momento venerunt, dum vocanti parere decreuerunt, & se ad iter comparunt. Vt enim cœlitus illustrati diuinam aguouerunt voluntatem, protinus omni abiectâ morâ, curam, studium & industriam eo solum conuerterunt, vt quàm maturrimè præparatis omnibus necessarijs in viam se pariter darent. *Vidimus*, aiunt, nos pariter, & *venimus*, nulla enim regnorum, coniugum, liberorum, subiectorum cura retardauit quin ilico difficile, periculosum, & arduum susciperent iter: non illos ab incepto tanta leucarum trecentarum interualla, non hiemis asperitas, expensarum magnitudo, non denique periculum vllum & discrimen per tot aliena regna proficiscendi, Regem alium in alieno regno coram Rege nominandi, vel momento retardauit. Funes hi nautici Samsonibus, quasi fila & stamina tenuissima videbantur, quæ momento rumperent, vt venirent & Deum Regemque suum adorarent. Tantum potest in Regibus etiam pietatis ardor & flamma caritatis, nil amanti difficile, inuenit quod quærit, quisquis tanto labore & cura quærit.

Perruptis mille impedimẽtis.

Quoties heu nobis stella gratiæ vocantis lucet in tenebris peccatorum sedentibus & in vmbra mortis! Quoties cœlo narrante audimus: *Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus? Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum & gloria Domini super te*, non alios, *orta est*: *quia tenebræ* ignorantiæ *operient terram & caligo* erroris vel vanitatis *populos*: *super te* (per gratiam) *orietur Dominus, & gloria eius in te* & tuis heroicis operibus *videbitur*: Hanc Magorum in parendo celeritatem imitare: illi vt aquilæ *volant nec deficiunt*: vt Angeli parent in modum *fulguris*

Ephes. 5. 16. Isa. 60.

guris coruſcantis; vt quatuor iſta animalia Ezechielis plena oculis *coram facie ſua ambulabant, vbi erat impetus ſpiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur cum incederent: ibant de virtute in virtutem*: vna ijs cogitatio, ſpes, amor, deſiderium, vox *videbitur Deus Deorum in Sion: vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum*. Hæc ſumma votorum iuſtis: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad Deum fontem viuum: fuerunt mihi lacrymæ panes die & nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus*: Deum ſuum iuſti reperiunt, cum eius cognoſcunt imperium & voluntatem: cum hac malunt peregrinationis laborioſiſſimæ moleſtias tolerare, quam in otio ſibi vel quieti indulgere: malunt hic pro eo tormenta ſuſtinere, quam ſine ijs cum ipſo regnare in cœlis. *Quid enim mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum.* Ezech. 1. pſ. 83. pſal. 41. pſ. 72. 25.

Quoties igitur videris diuinam voluntatem, inſtinctum & afflatum ſentis: veni: nihil te obſequentem Deo remoretur, ſolis curſum imitare. *Iuſtorum enim ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit vſque ad perfectum diem.* Prou. 4.

CAPVT XIV.

Reges adorare Chriſtum cultu latriæ contra Caluinum voluerunt.

NEGAT Caluinus Reges noſtros veniſſe in Iudæam, vt natum Meſſiam velut Dei filium latriæ cultu adorarent, ſed vt honorem ciuilem exhiberent, adeoque facit eos infideles & ambitioſos. *Quantum*, inquit, *adipſos ſpectat, non venerant ad exhibendum Chriſto pietatis cultum, qualis debetur filio Dei; ſed Perſico more volebant ſalutare, quaſi præſtantiſſimum regem: neque enim de eo plus tenuiſſe probabile eſt, quam ſingulari potentia & dignitate fore præditum, vt populos omnes merito in ſui admirationem & reuerentiam conuerteret: fieri etiam poteſt, vt captare etiam voluerint eius gratiam ante tempus, quo ſibi propitium & fauentem haberent, ſi forte contingeret Orientali eum imperio potiri.* in Harmoniâ. Caluini calumnia.

Duo SS. Regibus hic impingit crimina: hæreſios & ambitionis; hæreſios cum Arianis, quia diuinitatem vult eos in Chriſto non agnouiſſe: ambitionis eoſdem arguit, dum ſperant præ alijs hoc obſequio ſibi regis huius gratiam demerituros. Vtrumque facit iniuſtè, quia ſine fundamento laudatiſſimis Regibus talia affingit crimina: nec ſcripturis neque ſanctis Patribus, imò nec rationi congruenter. Duo crimina obijcit iniuſtè ijs.

Scriptura vult eos non cuiuſuis Regis: ſed Chriſti quæſiſſe locum natiuitatis: id enim Herodes eorum nomine diſertè petit à Concilio: *vbi Chriſtus*, ſeu Meſſias, mundi Saluator, Iudæis toties promiſſus *naſceretur*; quem Reges ijs verbis: *qui natus eſt Rex, & cuius ſtellam vidimus*, congruenter vaticinijs antiquis deſcribebant; cuius etiam Dei hominis natalem locum Concilium ex Michæâ deſignauit: quem ipſe Herodes promiſit ſe adoraturum, quaſi (ficto tamen animo) ſignificaret Chriſtum Regibus promiſſum & ab ijs deſideratum, à Regibus eſſe diuino cultu merito honorandum. Contra ſcripturã.

Profecto ſi Regem ſingulari potentia & dignitate præditum ibant adoratum: quis inter Judæorum Duces & Reges quadringentis annis Herode fuerat potentior? Quis Auguſto iam inde ab vrbe conditâ triumphatâ iam pene Aſiâ Africâ & Europâ felicior, opulentior, glorioſior? hiſne deſpectis, in horum odium velut turbulenti, & ſeditioſi puerum Regem excitarent, Herodi & Auguſto prælaturi? quanto Romanorum & Herodis furore & odio ſibi conciliato? quanta pueri imbellis necdum ab armis, viribus & ſapientia inſtructi cum periculo? niſi verbis Herodi fidem feciſſent, non ſe Regem quærere, qui regna terrena veniret ablatum Regibus; ſed daturus ijs & omnibus eſſet regnum cœleſte & æuiternum; in quem Iudæorum Reges ſperarent, & per quem ſalutem eſſent omnes conſecuturi, quemque Gentiles ipſi ſeculis multis expectaſſent. Sed heu miſeram illam ambitioſam ſpem à puero paupere & abiecto, nec compote rationis ſperare, triginta forte poſt annos quietam ſuis in regnis eius Contra rationem.

fauo-

Contra SS Patres.

fauore poſſeſſionem? interim regna ſua tali facto Romanorum & vicinorum Regum potentiæ obijcere? Ridet hæc figmenta S. Chryſoſtomus & alij ſancti Patres, quos operæpretium eſt audire.

S. Chryſoſt. hom. 6. in 2. Matth.

S. Chryſoſtomus *Quænam Magis ratio perſuaſit, quænam etiam ſpes impulit præmiorum? vt ad Regem adorandum venirent, tam vaſto à ſe terrarum ſpatio ſeparatum? Quod etſi ſuper ipſos regnaturus eſſet, nec ſic quidem haberet peregrinatio tam longa rationem. nam ſi in regali fuiſſet aula natus, ac patre regnante, conſequenter fortè quis diceret, iſtos in honorem patris puerum adorare voluiſſe, & hoc ſibi ad conciliandum patris animum ſuffragium comparaſſe: nunc verò cum illum nec ſuum Regem ſperent futu rum, ſed gentis alienæ magnoque ſpatio à ſua regione diſſitæ, neque dum in virum adoleuiſſe eum cernant, qua ratione tanti iter laboris ſuſcipiunt? &c. Sed quid tandem remunerationis à parvulo, & à matre ſperare potuerunt? An vt in poſterum ſibi apud Regem gratiam collocarent? & vnde ſcire illi poterant, quia ille non obliuiſceretur tam properatæ adorationis iam maturus in regno, qui in ipſis adhuc fuiſſet cunis adoratus? Quod ſi illum crederent à matre admonendum, illi tamen ſupplicio eſſent quam præmio digniores, qui eum in tam apertum periculum, non tam adorando, quam prodendo tradiderunt. Hinc ſi quidem Herodes profecto turbatus omni puerum curâ quærebat, omnique eum interimere cupiditate properabat.* Potuiſſetne aureum hoc os Caluini, ſi legiſſet improbam dictionem accuratius confutare?

S. Auguſtinus ſerm. 6.

Breuius S. Auguſtinus: *Ad eum adorandum hodie accurrere potuerunt, non vtique Regi Iudæorum, quales eſſe illic ſolebant, hunc tam magnum honorem longinqui alienigenæ, & ab eodem regno prorſus extranei à ſe deberi arbitrabantur, ſed tamen natum eſſe didicerant, in quo adorando ſe ſalutem, quæ ſecundum Deum eſt conſecuturos minimè dubitabant.*

Et ſerm. 3.

Idem alibi. *Quid denique Magi venientes dixerunt? vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Quid eſt hoc; nonne tam multi antea nati erant Reges Iudæorum? quid tantopere alienæ gentis Regem noſſe & adorare cupierunt? vidimus enim, inquiunt, ſtellam eius in Oriente & venimus adorare eum: nunquam hoc tanta deuotione requirerent, tanto pietatis affectu deſiderarent, niſi eum agnoſcerent Regem Iudæorum, qui Rex eſt etiam ſeculorum?*

S. Fulgentius ſerm. 5.

Elegantiſſimè huius diſcipulus S. Fulgentius: *Qui tamen* (Magi) *venientes, cum ipſi Iudæi non eſſent, Regem Iudæorum ſe quærere profeſſi ſunt, & ad ipſum adorandum ſe veniſſe dixerunt. Quid eſt dulciſſimi Fratres, vt iſti Magi Regem Iudæorum adorandum quærerent, cum ipſi Iudæi non eſſent? & quem Regem? vtique non Herodem, ſed Chriſtum: volunt adorare Regem nuper natum, nec adorant Regem ante multos annos ordinatum? Adorare cupiunt infantem lactentem; non adorant Regem populis imperantem? Nam & de Herode Rege Iudæorum fuerant filij iam nati, qui erant patre mortuo regnaturi. Mortuo enim iſto Herode Archelaus in Iudæa: & Galilea principatum iunior Herodes obtinuit: Archelaus natus in palatio contemnitur, Chriſtus autem natus in præſepio eſt breuiſſimo collocatus: ille forſitan pretioſis inuolutus eſt ſericis; iſte viliſſimis inuolutus eſt pannis. Et tamen natus in palatio contemnitur, iſte natus in diuerſorio quæritur: ille à Magis nullatenus nominatur, iſte inuentus ſuppliciter adoratur. Quis eſt iſte Rex Iudæorum pauper & diues, humilis & ſublimis? Quis eſt iſte Rex Iudæorum, qui portatur vt parvulus, adoratur vt Deus?* Vides S. Fulgentium de diuina latriæ adoratione non duliæ, vel alia ciuili loqui, & illa vt Deum fuiſſe à Magis honoratum.

Chriſti cõparatio cũ Archelao.

S. Ambroſ. *Iſtum parvulum, quem tu quaſi vilem, qui infidelis es, arbitraris, Magi ex Oriente venientes tam longo ſpatio ſequebantur, & procidentes adorant, & Regem appellant, & reſurrecturum fatentur, offerentes de theſauris ſuis aurum, thus & myrrham, & viſu cognouerunt hanc eſſe ſtellam, quæ hominem Deumq; ſignabat.*

Plures non laudo Patres, alibi commodius allaturus, hi ſufficiant, vt cum ſcripturâ & ratione ipſa Caluini temeritatem redarguant.

Sed quia iiſdem verbis Regum ad Iudæos prolatis Doctores Iudæorum dici meruerunt, & fidei conſenſum in Eccleſia, conſtantiamq; inuictam in ſequendo Chriſto fidelium figurarunt ſingula capitibus, ſingulis examinabo. CA

CAPVT XV.

Sancti Reges sua interrogatione functi sunt officio Doctorum ad Iudæos.

DOCTORES fuisse primos Iudæorum sanctos Reges l. 1 c. 17. demonstraui, quid eosdem docuerint indicaui: nunc eos verbis ostendam paucis eandem fidem, quam muneribus declararunt, Iudæos docuisse.

Vulgata SS. Patrum & interpretum sententia est, eos thus vt Deo, aurum vt Regi, myrrham vt homini mortali obtulisse: quod recepta passim Iuvenci & Sedulij carmina confirmant: Iuvenci quidem: *Thus, aurum, myrrham, Regique hominique Deoque donaferunt*: ac Sedulij: *Aurea nascenti fuderunt munera Regi, Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulto.* Magi triplicem Christi dignitatem muneribus testati sũt.

Quod donis mystice significarunt, idem Iudæis ante verbis suis clarè diserteque publicarunt; Messiam scilicet orbi natum Deum hominem, adeoque moriturum: sed ne statim offenderent ciues illa Regis noui promulgatione, & cum Gentiles & exteri essent ostentatione diuinorum oraculorum sibi potius, quam Iudæis cœlitus inspiratorum, mollierunt officij talis dignitatem: nam quærendo quod ignorabant, suam fateri publicè maluerunt ignorantiam, & ab obuijs etiam optabant doceri, quo sic fidei veritas simpliciter absque fastu publicata, gigneret in Iudæorum animis curiositatem, rem ipsam ex diuinis oraculis examinandi, ac comperto, quod istis omnibus asserta Regum congruerent, facilius inducerent in animos, natum Messiam adorare. Itaq; quærunt primo de nati Regis Iudæorum loco, duoq; Iudæis de ipso nunciant: tam humanitatem mortalem ac patibilem, postea per myrrham indicandam, quam Regiam eius dignitatem, non illam terrenam & politicam, sed spiritualem ac cœlestem; non temporalem, sed æternam: quæ voce nati Regis, & postea per aurum indicantur: quale regnum eius Daniel secundo capite, & Dauid varijs locis decantarat. Ideo deserte non Gentilium, sed Iudæorum Regem, quasi Dauidis posterum, filium, & heredem toties ab ipso prænunciatum nominant: vt dum à Gentilibus & quidem Regibus vident Messiam tam solicitè perquisitari, Regem eum Iudæis promissum agnosci, & in eius vnius, non Herodis, non Augusti, vel Romanorum fidem & clientelam se conferre: & ipsi tanto prouocati exemplo sequerentur: obuia erant & vulgatissima Iudæis ea de regno Christi Dauidis oracula: *regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione.* Et ps. 88. *Ponam in seculum seculi nomen eius: & thronum eius sicut dies cœli, & thronus eius, sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum.* Vbi vocat Christum *semen Dauidis*, quia ab eo quatenus homo ducebat originem: thronum Christi comparat *diebus cœli*, quia stabit, quam diu sol, luna, sidera, & cœli perdurabunt: vt astra sint testes futuræ regni Christi perpetuitatis: Obuia Iudæis erant Isaiæ verba de eodem Messiæ regno: *Multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis; super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret amodo, & vsque in sempiternum.* Hunc igitur Regem natum paucis istis verbis publicabant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum*: nec pluribus opus apud eos, qui sibi vnis legem diuinam traditam gloriabantur. Vnde licet non ambigam Reges nostros per infusam, vt alibi docui, Theologicam scientiam, vna cum dono prophetiæ, hæc etiam vaticinia calluisse: cum vsus non esset, abstinuerunt huius scientiæ ostentatione: vnum tamen Balaami oraculum à Gentili profectum, & Astrologis (quales se profitebantur) proprium, silere non debuerunt: ita tamen modicè delibarunt, vt indicasse, non laudasse videantur.

eandem docuerunt Iudæos.

quærendo.

prædicant Messiæ humanitatem.

regiam dignitatem.

Oraculis Dauidis promissã. ps. 144. æternam.

Isaiæ 9.

Cur solo vsi Balaamã vaticinio.

Denique diuinitatem eiusdem Messiæ postea thure honorandam, sat claris verbis ostenderunt, dum & *stellam* visam *eius* vocant, vt eum significent eiusdem conditorem, Dominum ac conseruatorem; & se *venisse* asserunt, vt ipsum *adorarent*. Quibus non fidem tantum suam Messiæ testificantur; sed tres illi Reges velut Legati Christi cunctos vna mente & ore inuitant, vt dum eum volunt ritu solenni inaugura-

Diuinitatem Christi indicant ijdẽ.

augurare : Deum hominem & Regem honore & muneribus congruis adorare, seque illi fidei perpetuo Sacramento auctorare, adsint & Messiam suum Iudæis vnis promissum agnoscant, recipiant, venerentur.

Q. 36. ad 8. ad 3. ea ex stella probatur. *De incarn. verbi Dei.*

Hæc fuit sanctorum Regum, vt Doctorum annunciatio prima fidei, sicut à S. Augustino & Doctore Angelico nominatur, quæ paucis & humili submissaque interrogatione comprehensa, sensum tamen eundem refert, quem illud tonitru fulmenque S. Athanasij : *Cœtus natiuitatem præcurrit stella in cœlo, aut iam natum mundo demonstrauit ? at natiuitatis Christi non hominum quispiam ; sed stella in cœlo, vnde Christus descenderat resplendens testis fuit. Quis vnquam ex Regibus genitus, antequam posset per ætatem patrem aut Matrem appellare, regno potitus est ? & trophæa de hostibus erexit ? quis igitur est ille, qui propemodum ante geniturami sui, & regnat, & dispoliat inimicos ? Quis vnquam in Israël fuit Rex, in quo spem suam omnes gentes constituerunt ? &c.*

In Epiph.

Hanc eorum annunciationem sic exponit Haymo : *Suis*, ait, *verbis Magi eum, quem quærebant hominem, Regem, pariterque Deum fatebantur : hominem quippe se quærere ostendunt, cum dicunt vbi est, qui natus est : Regem, cum subiungunt, regem Iudæorum : eundem esse Deum confitentur, cum subijciunt : vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.*

D. to. 1. concil. circa A. 431.

Eandem fidei doctrinam ijsdem verbis ante Haymonem : Theodotus Ancyranus in concilio Ephesino comprobauit. *Tanquam Regem quærebant Magi regis natiuitatem indagantes, Iudæisque dicentes : vbi est, qui natus est Rex Iudæorum, vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum : Regem quæris ô Mage, & cur tanquam Deo thus offers, & muneribus simul Regem, simul Deum designans ?* Insinuat S. Episcopus Reges coram Iudæis expressius Regem Iudæorum : obscurius diuinitatem indicasse, quamuis in donis pari ratione expresserint vtrumque. Quod factum S. Chrysostomus obseruat, vt familiarius se insinuarent exordio prædicationis Christianæ fidei in Iudæorum animos, quorum Regem veniebant cum ipsis adoratum : vt qui oppressi tyrannide Herodis erant, in spem erigerentur, dominante Messia summam fore rerum conuersionem, pacem & donorum spiritalium redundantiam : sapienter igitur sic aduertit aureum os. *Magi quidem non vbi est, qui natus est filius Dei : sed natus est, inquiunt, Rex Iudæorum. oportebat siquidem accommodo ipsorum captui vti sermone, humiliora inter principia, ne offendiculum patiantur, & ea magis, quæ ad salutem ipsorum pertinent prædicare, vt eâ re magis alliciantur, quæcunque igitur prima testimonia proferuntur, & quorum statim post natiuitatem tempus erat, nihil de illo præcipuum dicunt, nihil sublime, nihil simile testimonijs post signorum demonstrationem exhibitis.*

expresserunt tamẽ eam obscurius. *Hom. 7. in Matt.*

vt accommodarent se captui auditorũ.

S. Thomas q. 168. ad 2.

Hoc ergo primum regni Christi Iudæis Magistris Magis publicatum est Euangelium, quod à S. Thoma hoc elogio commendatur : *Per istam annunciationem Magorum præsignabatur constantia Gentium, Christum vsque ad mortem confitentium, adhuc non viderant Christum, & iam parati erant pro illo mori.*

Concionatorum solatium cũ successu carent. *Isa. 53.*

Fuit quidem Magorum magna in prædicando Christo prudentia, vehemens dicendi ardor, & inuicta constantia ; sed successus exiguus, imo nullus ; vt hoc sit solatio Christi præconibus, non euentum & successum à Deo, sed voluntatem & conatum remunerari : poterant cum prophetâ suspirare, *Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est ?* interim non desistunt obuijs Christum publicare, donec ad aures Herodis fama dimanauit, qui missis palatinis videtur eos in regiam inuitasse.

Serm. de Epiphan.

Contra nos, & paucis mutatis contra Iudæorum duriciem intonat hæc B. Laurentius. *Clamat*, ait, *prorsus contra nos istorum fides Gentilium, absentem quæsierunt, & nos præsentem contemnimus ? hominem regnaturum super Israël cognoscere atque adorare voluerunt : nos autem præsidentem in cælo & in terra (Iudæis promissum & donatum) nec adspicere, nec illi famulari dignamur. Respicite ô mortales, redite ô præuaricatores ad cor : currite affectu non corpore, votis non pedibus, vt regem vestrum in præsepio inueniatis Christum.*

CA

CAPVT XVI.

Concordem & constantem totius Ecclesiæ fidei eiusdem confessionem ijdem adumbrarunt.

NIHIL apud sanctos Patres & interpretes tritius, quam stellæ lumine fidem designari: de quâ tamen re forsan vberius agemus inferius, duo circa eam Reges illustria posteritati Gentilium reliquerunt documenta; quomodo mater Ecclesia in membris licet, ætate, corporibus, nationibusque difformis, in consensu fidei eiusdem sic coalescat, vnus vt animus corpora diuersa videatur informare: tres erant, vna tamen voce, spiritu, mente *Vidimus*, aiunt, *stellam eius*. Indicant consensum fidei in toto mundo.

Deinde raram fortitudinem ac constantiam in eius publica cum vitæ periculo professione adumbrarunt, quam sicut primi illi Ecclesiæ progenitores, primi Doctores, & confessores expressérunt sic eam, quæ enituit vel in Hæreticorum ac sectarum dissensionibus conuellendis, vel in tyrannorum minis & tormentis despiciendis sapientia Doctorum, ac fortitudo Martyrum in Ecclesia, viuis coloribus fuit ab his delineata. Fortitudinem in eius publica confessione.

Iam tum initio nascentis Ecclesiæ plures erant Apostoli, Discipulique Domini, qui primo seculo totum per orbem fidem Christi disseminarunt; sed quia spiritu sancto eodem regebantur, idem fidelibus in fidei articulis mira consensione tradiderunt: vt enim ab vno fonte luminis stellæ siue fixæ siue errantes lucem omnē mutuant, quam solent hominibus communicare, sic Doctores omnes Ecclesiæ locis, temporibus & corporibus seiuncti, ab eiusdem Spiritus Sancti influxu, quasi riui ex eodem manantes fonte hauriunt, quod solent in Ecclesiæ membra deriuare: Vtitur hac cœlorum similitudine ac stellarum S: Bruno, vt contra sectarum varietatem nobis suadeat doctrinæ Catholicæ consensionem: *per cælos*, ait, *qui hanc stellam nouam dederunt Apostolos intelligimus, de quibus dicitur, cæli enarrant gloriam Dei ps 28. noua autem eorum stella fides est, atque doctrina, cæli nobis prædicant, cæli nos vocant, cæli nos inuitant ad Dominum. multi sunt cæli, sed vna est stella, quia multi sunt Apostoli & Doctores; sed vna fides & doctrina: vnam enim dicunt omnes, vnam fidem prædicant omnes. vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma prædicatur ab omnibus: Hanc stellam sequamur, hanc fidem & doctrinam teneamus: hæc nos ducet ad* IESVM: *hoc lumine veniemus ad Christum, neque nos errare in itinere permittet, tantum nos eam ne deseramus, semperque ad eam respiciamus, & via regia incedamus.* Idem spiritus docet omnes Doctores. *S: Bruno ser de Epiph.*

Illustris sanè Romanæ, & Catholicæ veræ Ecclesiæ nota est, quod iam inde à Christo passo toto dispersa mundo Gentes & linguas omnes orbis complexa, nullo vnquam tempore quidquam in fidei semel receptis articulis variarit: sed omni retro tempore idem ab omnibus nationibus creditum, traditum & monimentis commendatum sit posteritati. Contra verò rectè sectarios dici nouatores: quis enim à Christo nato vnquam per omnia sensit, docuit, credidit idem, quod Lutherus, Caluinus, Munsterus? vt quidam fuerint olim prauorum dogmatum fabricatores, è quorum erroribus aliquot suorum suxerint, sexcentos tamen ipsi coxerunt: certe congeries illa tot errorum à nullo vnquam nec per somnium cogitata. Adde quam paucæ vel Europæ (:cum vix eam egrediantur:) regiones singularum opinionibus totæ imbuuntur? iam in ipsis Lutheranis vel Caluinistis quot sectæ, dissensiones, prælia? vt vix vlla ciuitas, quid dico ciuitas? vix domus vlla sit vel familia paulò frequentior, quæ licet hæresin eandem communem profiteatur, in capitibus tamen doctrinæ inter se non dissentiat? hinc consensio fidei veræ. & dissensio Hæreticorum.

Iam vero quis fuerit animorum, & doctrinæ consensus orbe toto in istis incunabulis Ecclesiæ testis oculatus S. Irenæus secundo seculo sic describit: consensio Catholica iam inde ab Apostolis. *I.* 102. & 3.

Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem quemadmodum prædiximus Ecclesia, & quidem in vniuersum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit ijs videlicet, quasi vnum habens animum & vnum cor. Nam etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt; sed vna tamen virtus traditionis, vna & eadem est: & neque hæ, quæ in Germaniâ, Ecclesiæ sunt tradunt

tradunt aliter, neque hæ quæ in Iberis sunt; neque hæ, quæ in Celtis; neque hæ, quæ in Oriente; neque hæ, quæ in Ægypto; neque hæ, quæ in Libyâ; neque hæ, quæ in medio mundi sunt constitutæ.

Traditio stellæ cõparatur.

Quod eadem traditio diuersis Gentibus, hoc vna stella tribus Regibus, eadem singulis indicauit completum Balaami vaticinium, natum Messiam congruis muneribus honorandum: eadem cunctos eduxit è patria, præluxit in via, stitit saluos, & incolumes prope Solymam: eadem origo lætissimi Euangelij, *Natus est Rex Iudæorum, vidimus stellam eius*: omnes hoc animo credunt, & lingua confitentur.

& soli fides *Baëza l. 2. c. 8. §. 5.*

Soli rectè fidei consensionem Baëza noster sic comparat: *Vnus*, ait, *est sol, cuius vno lumine vniuersæ fulgent cœlorum stellæ; tam quæ Orientales, quam quæ Occidentales illuminant; astra vnius sole splendore candicant, sic diuini iustitiæ solis eadem lux, eadem doctrina vniuersas mundi plagas peruasit, non alia quæ Iudæos, alia quæ Persas, alia quæ Romanos trahit; sed quæ modo Christianam Ecclesiam irradiat, & quæ Hebræos in columna ignis perduxit, & quæ in stella apparuit Magis Persicis eadem est: vnius solis iustitiæ fulgurat radijs. Etenim aiebant Magi, vidimus stellam eius in Oriente. non indignati solis Iudaicis radijs fulgurari: imo eodem cum Iudæis lumine ab Oriente circumfundi testantur, &c.*

Huc crediderim spectasse illud psalmi 67. Iter facite ei, qui adscendit super occasum; Dominus nomen illi. Hic perstrepebant cantibus triumphales phalanges, dum solem iustitiæ Christum versus occiduam plagam, vbi Roma sita erat Apostolorum curru videnit adsportari quod placet illustrare vnico Clementis Alex. in exhortatione ad Gentes commentario, ait enim, *Fiant omnia lux, quæ sopiri non potest: & occasus credit æque illustratus luce fidei ac ipse Oriens. Hoc noua voluit creatura: hanc lucis perpetuitatem noua creatura, id est, fidelis, qui filius lucis est, suo quasi iure exigit: qui enim omnia obequitat sol iustitiæ, obijt humanitatem imitans patrem, qui æquè facit oriri solem suum super omnes, & rorem instillat veritatis. Ecce tibi innumeræ pene creaturæ, cœlestes aliæ, terrenæ aliæ, insensibiles & sensibiles, rationis expertes, & rationales; barbaræ, politicæ, Orientales, Occidentales, sub vnâ solis luce lætantur. Sic etiam diuini solis lumen idem vniuersum orbem terrarum irradiat, Iudæus & Græcus; barbarus & ciuilis, Orientalis & Occidentalis eisdem illuminantur radijs; solis lux semper omnibus eadem omnibus antiquis, & recentibus, ita prorsus iustitiæ sol omnia obequitat imitans patrem, qui solem suum oriri facit super omnes. non alia lux lunæ in synagogâ, alia stellarum Persis, alia planetarum Christianitatis, sed Occidens & Oriens, sed Iudaica luna, & Christiani planetæ & Magorum stella vnius & eiusdem solis luce perfundunt omnes.*

sol illuminat omnia.

eademque fides omnes nationes.

Hactenus Baëza. Hoc vnum mirum est, cum sol ille in Iudæa exoriens illuminaret, & ad se raperet Orientem, ita cæcutijsse Iudæos, vt nec lucem eius viderint, nec videre voluerint. quidquid clamarent vna voce Reges: *Vidimus stellam eius in Oriente, vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* sed eheu quæ tanta ciuium obcæcatio! nec verbis Regum fidem tribuerunt, nec vt lumen illud viderent, pedem mouere voluerunt. Hinc stella prope Solymam euanuit; & Christo moriente sol meridie lunæ oppositu lumen perdidit, vt eam Iudææ mentis obtenebrationem indicaret.

CAPVT XVII.

Constans & efficax emicat in Regibus propositum voluntatis Christum superatis omnibus periculis piè religioseque colendi.

in 2. Matt.

NOTAT Hugo Cardinalis his tribus summam salutis æternæ contineri; *Vidimus rectæ fide, & venimus bona operatione, adorare mentis deuotione.* Fides si operibus bonis destituatur, est ærarium sine pecunia, arbor sine fructibus, corpus animâ viduatum: formata sit oportet caritate, quæ vitam spiritalem operibus prodit, nec communibus contenta tendit ad ardua & difficilia, firmo mentis concepto proposito, quod nullæ conuellant occurrentes difficultates. Venerant adorare

fides operibus se prodit.

Regem

Regem Iudæorum Reges Orientis per mille vitæ pericula : iam Iudææ metropolim attigerant, cum deseruntur à stella, certi tamen non redire in Orientem ante, quam Messiam adorassent.

Ingressi vagantur per ciuitatis compita : clamant aperta voce & scisciantur ab obuijs; *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? venimus adorare eum*; audiunt ciues attoniti, mirantur nouum vulgari Regem : illi pergunt : *venimus adorare eum*. senem obtrudunt eis ciues Herodem Regem, & filium eius Archelaum : illi, *Vbi est, qui natus est Rex, venimus adorare eum*; Furorem eis, & immanitatem Herodis quidam opponunt, nati iterum Regis locum quærunt: *Venimus adorare eum.*

efficax propositum Regum adorandi Christum, & constans in periculis.

An non hos ego Martyres dixero, qui pro confessione Messiæ recens nati se audacter exponunt periculis? non tyranni furentis gladios, non rogos ardentes, nec satellitum eius barbaram immanitatem reformidant; tantas sacris pectoribus amor vires & spiritus indiderat, vt mortem & omnia terribilia despicerent, per ignes & gladios parati incedere, dummodo possent natum recens infantulum adorare: ab hoc efficaci proposito, non Iudæorum desidia, non tyranni Herodis nota crudelitas deterret; quærunt & identidem natum Regem quærunt: *Venimus*, clamant, *adorare eum*. Hæc est vis & efficacitas amoris diuini, quæ eam menti firmitatē & robur adiecit, vt cum Apostolo fidenter dicat; *Quis nos separabit à caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo* IESV *Domino nostro.*

nam amor inuictus triumphat. *Rom.* 8. de omni re creata.

Hoc animi proposito certo & firmo ceperant iter Magi : hoc eodem igne magis succrescente totum feliciter decurrerunt, ruptis omnibus itineris molestijs: & cum pene in termino desperatio consequendi cupiti boni nasci videretur, tantum abfuit, vt desiderium langueret, adorandi pueri frigeret ardor; vt non dubitarint ipsum consulere hac super re, Herodem Regem: eum vel comitem secum adorandi pueri abducturi, vel morte tyranni crudelitate obita suū recens nati Regis amorē testificaturi.

in tepidis desiderium progressu languet,

Non Regibus accidit, quod contingit ijs, qui solo reguntur impetu cæco voluntatis; ardua quandoque proponunt : manus etiam admouent operi; sed dum prope à metà absunt minimo subnato impedimento, languent, animis concidunt, nec operi coronidem imponunt: vel ita frigidè peragunt, vt nulla sit operis inchoati cum progressu & fine comparatio : similis eorum cursus motibus, qui ab externa vi atque impulsu profecti, processu paulatim remittuntur, & languent: contra Reges ab insita vi gratiæ Spirit. Sancti acti tanto concitatiore cursu spretis periculis rapiebantur, quanto viderant finem magis propinquare: vt enim lapidum decidentium impetus hoc velocior est & concitatior, quò propius à centro abest, sic eorum desiderium hoc ardebat vehementius, & plus animi viriumque accedebat, quò compererant se solo natali Messiæ fieri propiores. Incredibilis fuit ille pietatis, & deuotionis ardor: *Venimus adorare eum*: qui non tantum hoc pluris æstimandus, quod per tot centenas leucas eos impulerit; sed in tantis occurrentibus vitæ periculis maiora cœperit incrementa; vt hoc vno constantis propositi velut obiecto scuto, *Venimus adorare eum*, omnia tela calamitatum declinarint : Hanc pietatis ideam S. Ambrosius suis proponit: *Imitamini*, ait, *istos Magos, vt eo studio & ardore semper ad Ecclesiam veniatis, quo illi desiderio de longinquis regionibus Christum adorare venerunt: illi pretiosa munera obtulerunt, & vos offerte illi animas vestras, erigete ad Deum animas vestras; & videte corda & cogitationes vestras, vt & pro bonis actibus vestris Deo gratias agatis, & mala vestra longè à vobis proijciatis.* sed ecce quæ sæpe multorum malè feriatorum insania, quæ templum frequentandi festis & solemnioribus diebus cupiditas? veniuntne vt Christum videant, cum Magis adorent, & muneribus oblatis venerentur? imo vt ipsi præ Deo videantur, colantur, honorentur; vtinam non vt turpiter amentur, & formæ illecebra, vestium mollitie, oculis emissitijs illaqueent spectatores. Alij prô scelus veniunt, vt præsente, & spreto Christo videant, pereant, & perimant se, alios, ipsum etiam in se & alijs Christum : iam ipso nequiores Herode, qui simulans venturum se ad Christū adorandum: puerū non se neci destinabat. Hi si Magos primos Gentilium Christi adoratores inspi-

sicut motus violentus proiectorum. Magorum impetus erat naturali motui similis.

crescebat aduersis.

Lascidorum scopus templa adeuntium

cerent

cerent eos coram Iudæis clamantes audirent; *venimus adorare eum.* quod idem toties inculcant exemplo suo Herodi, vt simulatam licet, exprimant tamen vocem eam, *vt & ego veniens adorem eum.* Hoc spiritu templa sunt adeunda, Christus in diuinissimo sacri altaris Sacramento visitandus, vt animitus dicamus: *venimus adorare eum.* obstent licet impedimenta, reuocent negotia, retrahant curæ domesticæ; periculum etiam vitæ remoretur; calcatis omnibus alacres efficax & constans propositum concipiamus, *venimus adorare eum.* Finio caput hoc cum acri S. Chrysosto. mi & feruida exhortatione ad eam sanctorum Regum ruptis omnibus obstaculis pietatem imitandam: *Imitemur*, inquit, *nos saltem Magos, ac barbaram consuetudinem abijciamus: longo itinere curramus, vt Christum videre liceat: nam & illi nisi procul regionem propriam reliquissent, nequicquam videre Christum potuissent. Recedamus à terrenis negotijs, etenim Magi illi, cum adhuc morarentur in Perside, stellam videre tantummodo; postquam vero à Perside recesserunt; solem ipsum adspexêre iustitiæ, qui certè nec stellam quidem ipsam videre tamdiu meruissent, nisi cito à Perside fuissent profecti; surgamus ergo etiam nos, & licet omnes turbentur, nos tamen alacres & promti ad Christi domum accurramus. Etsi Rex, etsi populus, etsi Tyrannus velint huius itineris cursum impedire, nequaquam tamen accensi desiderij extinguamus ardorem: sic enim omnia aduersa calcabimus, quoniam & illi nisi vidissent puerum, nec periculum, quod intentabatur à Rege vitassent: postquam vero adorarunt, securitas & tranquillitas subsecuta est: nec iam stella illos; sed Angelus suscipit, quia scilicet adorando facti fuerant sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis; & tu itaque Iudaicum populum repugnantem, vrbem turbatam, cædis appetentem Tyrannum, & fallacem istius seculi vmbram relinquens in Bethlehem festinus accurre.* hucusque S. Chrys. Nunc turbatum Herodem, & Hierosolymam videamus.

hom. 7. in 2. Matth.

superanda sunt quæuis impedimenta salutis.

CAPVT XVIII.

Audiens autem Herodes Rex turbatus est.

duæ metus Herodis causæ.

FAcile ad aures Herodis tyranni dimanauit, publicitus in compitis à Regibus Orientis nouum recens natum Regem Iudæorum proclamari: nouitas rei admirationem, post timorem, mox turbationem excitauit.

Duo sceleratissimum tantum non exanimabant, crudelitatis in innocentes, & legitimos Iudaici regni successores exercitæ recordatio, ac metus, ne quis superesset alius regum exterorum fultus auxilio, qui regnum inuaderet. Ac conscientiâ quidem malefactorum solet ideo Deus Tyrannos assiduè lancinare, vt meminerint, *omne sub regno grauiore regnum esse*, Deum & Regum Regem, humanis rebus præsidere, qui cum regna dederit, potest flagitiosis eripere; & Crœsos ad pyras & rogos vt conditionis humanæ, & fortunæ mutabilitatis meminerint, condemnare. Non solent potentes reges sibi nimium præfidentes bellorum rumoribus percelli: facile tamen à Deo leui motu, præsertim impij sic metu perturbantur, vt vel vmbram metuant. Iob. 15. *Sonitus terroris semper in auribus eius* (impij) *& cum pax sit, ille semper insidias suspicatur, circumspectans vndique gladium:* Vulgatus est ille Dionysij tyranni continuus metus, qui cum iam non tonsoribus tantum exteris, sed & filiabus diffideret, barbam & crines adurebat, & Damocli, felicitatem regiam exaggeranti, cum gladium fulgentem è seta equina capiti prandentis imminentem suspendisset, monstrauit, non posse parem metui continuo cruciatum & infelicitatem reperiri.

conscientia malefactorum.

tortor continuus. vt Dionysij tyranni.

Erant sane scelera immanissima Herodis, quæ velut tortores continui poterant cor eius exedere; nam cum gente Idumæus in alienum Iudææ regnum per fraudem irrepsisset, vt illud sibi contra viuos legitimos heredes stabiliret, ipsos cum filijs propijs sanguinis Dauidici participibus ad vnum omnes dolo, vel apertâ vi interemit. principio quidem Hyrcanum Pontificem verum heredem regni, mox Hyrcani nepotem Aristobulum etiam Pontificem interfecit. tum ijsdem furijs armatus domum & familiam suam parricidalibus cædibus funestauit. Nam coniugem suam Mariamnem Hyrcani filiam, huiusque matrem Alexandram: ac

scelera Herodis.

ac duos ex Mariamne susceptos filios Alexandrum & Aristobulum: deniqúe Antipatrum suum ex alia vxore filium barbara feritate trucidauit, ne regnum amitteret; vt fusè varijs in locis Iosephus prosequitur: & dubitamus metu non fuisse fermè examinatum, cum nouum audiret regem Iudæorum in regni metropoli à Regibus exteris promulgari? Merito *dabit tibi* (Herodes) *dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumtam mærore, & erit vita tua quasi pendens ante te: timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ: manè dices, quis mihi det vesperum, & vespere, quis mihi det mane, propter cordis tui formidinem, quâ terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.* Immanitas eius in liberos & coniugem. Deut. 28. pauor Herodis.

Causam hanc timoris sancti Patres constituunt metum successoris; S. Leo, *Herodes audiens Iudæorum principem natum successorem suspicatus, expauit.* & ser. 3. *conturbatur Herodes, timet saluti suæ, metuit potestati.* ob regni successorem.

Haymo: *Herodes qui fraudulenter & callidè regnum obtinebat Iudæorum, mox vt regem Iudæorum audiuit natum, metuens, successorem, conturbatus est animo, timens, vt quod iniustè tenebat, iustè amitteret.* ser. 3. Haymo de Epipha.

S. Augustinus: *Herodes timet successorem, Magi desiderant redemtorem, illi cupiunt inuenire regnum, metuit ille finiri regnum.* S. Augustinus

Vel talibus regni præconibus poterat timoris inanitatem cognoscere: qui retentis sceptris & regnis suis cœleste & spiritale Regis huius regnum appetebant: præsertim cum cœlis relictis pauper venisset; cunctis, qui vellent adire, regnum æuiternum post vitam oblaturus. passim sancti Patres id probant, & panici timoris causas reprehendunt, quos visum attexere: nam elegantibus antithetis regni spiritualis & cœlestis Christi diuersitatem à terreno separant. inanitas timoris.

S. Hilarius Arelatensis: *Non ad hoc venerat Christus, vt alienam inuaderet gloriam, sed vt suam donaret; non vt regnum terrestre præriperet, sed vt cæleste conferret; non venerat ad dignitates rapiendas, sed ad iniurias perferendas; non vt caput ad gemmatum diadema, sed ad spineam coronam præpararet; non vt supra sceptra constitueretur magnificus, sed vt crucifigeretur illusus.* Christus venerat daturus regnum cœleste omnibus. S. Hilarius

S. Leo: *Superfluo Herodes timore turbaris, & frustra in suspectum tibi puerum sæuire moliris; non capit Christum regia tua; nec mundi dominus potestatis sceptri tui contentus est angustijs, quem in Iudæa regnare non vis, vbique regnat.* S. Leo ser. 3.

Elegantissimè S. Fulgentius sic trepidantem Herodem reprehendit: *Quid est quod sic turbaris Herodes? quoniam natum regem Iudæorum audisti turbaris, suspicionibus agitaris, inuidiæ stimulis inflammaris, & ob hoc natum regem occidere conaris. Inanis est ista turbatio tua, & vana prorsus cogitatio: Rex iste qui natus est, non venit reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subiugare nec ideo natus est, vt tibi succedat; sed vt in eum mundus fideliter credat, venit ergo, non vt pugnet viuus, sed vt triumphet occisus: nec vt sibi de alijs Gentibus auro exercitum quærat, sed vt pro saluandis Gentibus pretiosum sanguinem fundat. Inaniter inuidendo timuisti successorem, quem credendo debuisti quærere Saluatorem, quia si in eum crederes, cum eo regnares, & sicut ab illo accepisti temporale regnum, acciperes etiam sempiternum: huius enim pueri regnum non est de hoc mundo, sed per ipsum regnatur in mundo: ipse est enim sapientia Dei, quæ dicit in Prouerbijs, per me reges regnant. puer iste verbum Dei est: puer iste virtus & sapientia Dei est: puer iste, qui nunc à Magis dicitur rex Iudæorum, idem creator est & dominus Angelorum: quapropter cuius times infantiam nascentis, magis timere debes omnipotentiam iudicantis, noli ergo eum timere regni tui successorem, sed time infidelitatis tuæ iustissimum damnatorem.*

Erat profecto cur pessimè sibi conscia rea timeret conscientia iudice propinquante, & domino seueram à famulo rationem malefactorum repetente, ita recens in cunis natus & vagiens voluit, iam tum in Herode Solymaque perculsa maiestatem suam demonstrare & scirent, quid facturus esset thronus iudicantis, quem ita terrebant cunæ vagientis. in hanc sententiam S. Ambrosius: *Sicut quilibet rex, qui paruæ potentiæ est, alterum Regem, qui magnæ potentiæ est contra se, vt regnum eius inuadat venire cognouerit, contremiscit & conturbatur: ita & Christo in carne veniente, qui rex futurus erat mundi, Herodes turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.* Terror in figura trepidationis in iudicio. S. Ambr. in c. 4. Apoc.

S. Greg. hom. 10.

Et S. Gregorius: *Cœli rege nato rex terræ turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur, cum altitudo cœlestis aperitur. quemadmodum terræ visceribus conclusis aër terram concutit, ita hominis visceribus conclusa terra, id est regni terreni terrenarumque rerum amor hominem perturbat.* Consentit S. Augu-

S. Aug. ser. 2.

stinus: *Timuit eum rex Herodes eisdem sibi Magis nunciantibus, cum adhuc quæ-rerent parvulum, quem cognouerant cœloteste iam natū; quid erit tribunal iudicantis, quando superbos reges cunabula terrebam infantis? quanto consultius reges, non sicut Herodes interficere quærerent; sed sicut Magi potius adorare delectentur, iam præsertim eum, qui & ipsam mortem, quam cupiebat inimicus inferre, etiam pro ipsis inimicis ab inimicis sustinuit: eam in suo corpore occisus occidit. pie timeant reges ad dexteram patris iam sedentem, quem rex impiè timuit adhuc uberā matris lambentem.*

Heroes in cunis virtutem exerunt *Galenus.* Pericles. Alexander. Christus. *autor operis imperfecti.*

Huc facit, quod Galenus in libro, cui præfixit titulum, *An animal sit id, quod in utero*: vult Heroum indicium esse, in ætate infantuli suam exercere virtutem: *Nondum*, ait, *natus erat Pericles olympius, & iam Græcos omnes ob insomnium terrebat; Alexander nondum natus, ab omnibus iam Ammonij filius dicebatur & regni princeps.* sic Christus Dei filius recens natus natu suo tres Reges ex Oriente stella duce euocauit, tartareas potestates debellauit; impium regem Herodem metu prostrauit: de quo autor operis imperfecti, *qualis futurus erat inposterum, cum ad perfectum veniret, demonstrabat in puero, qui adhuc in cunabulo constitutus diabolum exspoliauit à suis, scilicet ab istis Magis, quomodo cum veniret ad bellum euacuaturus fuerat omnem potestatem eius considera.* Hercules in cunis serpentes manibus apprehendit innoxius; puer hic vel agnus dracones Chaldæorum, Tigrides

Hercules in cunis serpentes apprehendit. *Rupertus.* Agnus vincit dracones.

Persarum, & colluuiem teterrimorum animalium superauit, quæ cum scriptura nominasset, subiecit: *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet eos.* aptè Rupertus in hoc sic commentatur. *pulchrè cum dicere posset hi cum Christo pugnabunt, maluit dicere, hi cum agno pugnabunt. Hoc mirabile & laudabile est, unde satis eleganter in Propheta iubetur vocari nomē eius, velociter spolia, cito prædare; quia antequā sciat puer vocare patrem, aut matrem, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ; iam tum in cunis tartareos dracones manibus apprehensos enecat, dum ad se Magos allicit, & ad osculum manus reges admittit, qui dæmonum nuper & idolorum cultui seruiebant.* Terret Herodem impium, & dominum suum cogit inuitum & reluctantem palam tamen confiteri: prius ipso, quem sensit in se terrore corporis, postea voce: Hinc colligit rectè S. Augustinus, Christi in orbem totum dominatum: *Hæc sunt testimonia natiuitatis tuæ Domine* Iesu, *antequam tibi fluctus substernerentur calcanti, cederent imperanti; antequam ventus te iubente siluisset, mortuus te vocante vixisset, sol te moriente palluisset, terra te resurgente, tremuisset, cœlum te adscendente patuisset; antequam ista & alia mirabilia iuuenilis tui corporis ætate fecisses, adhuc in manibus matris portabaris, & iam dominus orbis agnoscebaris.*

Christus infans Herodem. *ser. de Natiuit.* signa diuinitatis Christi. in infancia.

Agnosce Herodes, si sapis, vt quem voce coram Magis fateris dignum qui adoretur, agnosce & mente: tenerum placa muneribus, vt tibi & regnum stabiliat Iudæorum in vita, & aliud post mortem donet in cœlis sempiternum. at quæ ista vesania? *Annunciantibus*, ait, S. Augustinus, *Magis regem natum turbatur Herodes, & ne regnum perdat, vult eum occidere, in quem si crederet, & hic securus, & in illa vita sine fine regnaret. quid times Herodes? quia audis regem natum? non venit vt te excludat, sed vt diabolum vincat; sed tu hæc non intelligens turbaris, & sæuis, vt perdas vnum, quem quæris.* scilicet Herodes comperto, Christum publicè natum proclamari, iam tum cum se ex timore collegisset animum adiecit, vt & Reges circumveniret, & de nece machinanda puero captaret consilia: quod cum suboluisset Palatinis, & ipsi primum exemplo regis, & tota paulatim ciuitas conturbata maluit Herodi, quam Messiæ nato & Magis adhærere.

lib. 3. ad catech. 14. stultitia Herodis.

CA:

CAPVT XIX.

Et omnis Hierosolyma cum eo.

DANIELIS 5. capite Balthasar Rex visa scribentis manu vocauit sapientes, sed cum characteres in pariete exaratos sapientum nullus intelligeret, ait, scriptura, *vnde rex satis conturbatus est, & vultus illius immutatus est, sed optimates illius turbabantur. Idem* videtur Solymæis ciuibus accidisse: quamuis enim 30. circiter annos Herodianæ Tyrannidi repugnassent, cum semel eius impietati adiunxissent iure iurando ipsi obligati, licet tot seculis desideratus Messias eorum natus diceretur: vt tamen regem suum turbatum, audierunt; & ipsis metu perculsis, vultum, linguam, & mentem omnem ad regis nutum finxerunt, & accommodarunt. Promiserat Deus Abrahæ, Isaaco, Iacobo, Moysi, & alijs Patriarchis orbis redemtorem Messiam, quam auidè Iudæi aduentum eius exspectarunt? quoties suspirabant: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem. Emitte agnum Domine, dominatorem terræ, mitte quem missurus es.*

Daniele 5. Cum rege turbantur optimates.

Repudiabat Messiam toties desideratum. *Isa. 45. 8. Isaiæ 26. Exodi 4.*

Hic finis erat omnis legis, sacrificiorum, & ceremoniarum Mosaicarum; huc preces, suspiria, publicæ priuatæque orationes omnium dirigebantur: nam in hoc vno spem, & salutem fixam & locatam sexus, ætas, & status omnis retinebat.

Venit venit illud *desiderium collium æternorum*; verus rex Israël terræ totius dominator. *Vidimus* clamant reges Gentium *stellam eius*, & nos pariter *venimus adorare eum*; venite exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, quoniam *Deus magnus dominus, & rex magnus super omnem terram. quoniam non repellet plebem suam: venite adoremus & procidamus ante eum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est dominus Deus noster, nos autem populus eius & oues pascuæ eius. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Gen. 49. Nec exterorum Regum exemplo mouentur. *Psal. 94.*

Sed Herodis regis immanissimi licet amor ita iam animos eorum occuparat, vt eo turbato de noui regis natiuitate non minus ipsi turbarentur, imo cum rege suo iam tum in recens natum puerũ armarentur, iam tum inclamabant opere, quod post sermone *nolumus hunc regnare super nos. nonne hic est fabri filius?* Hæc est peruersitas & maleuolentia filiorum Adæ, cum semel ambitiosus regum furor mentem occupauit: eum & diuinæ gratiæ, & cælestis regni spei & cupiditati longe anteponunt. prima igitur sanctorum Patrum causa turbationis Solymæ sanctæ ciuitatis in caput improbum reijcitur. S. Bernardus: *porro audito nomine regis rex Herodes successorem suspicatus expauit: nec mirum si turbatur Herodes, Ierusalem ciuitas Dei, quæ visio pacis est, cum Herode turbatur, quis non miretur? videte fratres quantum noceat iniqua potestas; quomodo caput subiectos quoque suæ conformat impietati: misera plane ciuitas, in qua regnat Herodes; quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, sed ad nouæ salutis ortum Herodiana mouebitur turbatione Confido ego in domino, quoniam inter nos minimè regnabit, etiamsi adesse contingat.*

Lucæ 19. Matt. 13. ne excidant gratia Herodis. *S. Bern. 5. de Epiph.*

S. Cyprianus: *Turbatur cum rege maligno Hierosolyma, non lætatur; expauescit & tabescit, & negare erubescit, quod scriptura testatur: nec minus scribarum sacrilegium, quam Herodis impietas; quia proprio Iudæi abutentes priuilegio, cum visitationi diuinæ inuenirentur ingrati, causam sibi cum Herode fecere communem: cum hunc & inde impietas, & infidelitas aduersus Dominum, & Christum eius fremerent, & pariter in odio eius consentirent.*

S. Cyprianus de stella & Magis.

Ludouicus de ponte: *Stupenda turbatio; intellexerunt Iudæi Magos inquirere de Messia diu ab omnibus exspectato, quod magnam illis adferre debebat lætitiam Pro. 13. Nam spes quæ differtur, affligit animam; desiderium veniens lignum vitæ & tamen attulit perturbationem, quare? quia non diligebant, quem quærebant: plus diligebant regem terrenum, quam cælestem: aut ex timore illius, hunc minus lætè venisse audiebant: applaudentes Herodi, & ideo turbati cum illo, id est respectu illius, amore & timore. En Iacob claudicantem pede post luctam cum Angelo: vno enim pede sacro credebat Messiam venturum, & desiderabat; cum altero hærebat Herodi, & de eius aduentu turbabatur.*

Lud. de ponte lib. 6. cant. exhort. 11. Pro. 13.

Baëza 18.

Baëza: *Omnis Ierosolyma turbata dicitur: cur non turbabitur ciuitas homini subdita? quis hominibus seruit, & non mille calamitatibus subiacet? hoc stipendium est illorum, qui hominibus inseruiunt, quòd mutationibus, quod doloribus, quod luctibus agantur.* probat id inductione omnium creaturarum, quæ subduntur ijs vt cœli elementa: & Angeli, quod *ingemiscat & parturiat vsque adhuc.*

Rom. 8.

Solet eam seruitutem, qua quis ambitiosè quærit fauorem virorum principũ consequi torpor, languor & desidia diuinis in rebus, vt quæ saluti conducant, iam nauseet & fastidiat stomachus, ita sensim ne vel fauorem perdant principis aut regis, vel vt fortunarum iacturam euadant, penitus salutaria deserant. Sic cum Iudæi formidarent, ne sparso de nato rege Iudæorum ipsi siue ab Herode, siue à Romanis vexarentur; maluerunt Messiam nec natum agnoscere. Hanc causam Haymo assignat, *alij*, ait, *turbabantur propter inuidiam, vt Herodes, alij propter timorem, vt Iudæi, qui audientes regem quæri Iudæorum, occasionem sibi aliquam nascendam metuebant, tam ex parte Herodis, quam Romanorum*, & Dionysius Carthusianus, *Turbati habitatores Ierusalem, vel quia volebant ei applaudere, vel quia timebant prælia concitari ab Herode contra Regem natum.* Comparat Iudæos S. Eucherius infirmis oculis, qui ad clariorem lucem incipiunt caligare. *Magna*, ait, *quidem erant, quæ dicebantur, sed quia lætitiam sonabant, & totius regni innuebant, non vtique perturbari, sed lætari & Herodes, & omnis Hierosolyma debuisset, sic enim infirmi oculi vise lumine perturbari solent: bene autem tales in Prophetarum libris per illas aues significantur, quas dies excæcat, & nox illuminat*: caligant ad cœlestia desideranda, licet lyncei nocte, terrenis & caducis in rebus eruendis talparum instar.

Haymo de Epiph.

Dionys. Carthus.

S. Eucher.

ideo caligabant oculis vt noctua.

Hanc mentis caligationem senescentis synagogæ Isaac præfigurauit: eandem ex Prophetis egregiè & copiosè describit S. Chrysostomus: *Hierosolyma vero quam habuit causam timoris? atqui illum patrem, & beneficum, & liberatorem Prophetæ longè ante prædixerant. quanam igitur ratione Iudæi turbati sunt? eòdem nimirum prauitate sententiæ, qua prius auersabantur Dominum beneficia conferentem, & Ægyptiacarum recordabantur carnium, tanta cum fruerentur libertate. Tu vero diligentiam considera propheticam: nam hoc quoque ipsum propheta olim prædixerat dicens: Et cupient si nati sint igne esse combusti: quoniam puer natus est nobis, & filius datus est.* Enumerat deinde varias causas cur lætari & gloriari debuissent potius quam perturbari, cum præ ignauia & desidia nec luberet ijs ea cogitare. *quanquam autem turbati essent, nequaquam studebant videre, quod acciderat: neq; Magos sequuntur, neque in tanta re tam mirabili aliquid curiositatis ostendunt. ita erant contentiosi pariter & desides præ ceteris omnibus: cum enim ipsi iactare debuissent, & eo nomine gloriari, quod apud se ille Rex editus esset in lucem, qui Persarum ad se regionem ortu suo triumphante traxisset, & sub quo omnes possunt populos subiugare, vtpote rebus prosperè magis succedentibus, & regno tam clarè ab ipso Regis sui fulgente principio, tamen ne sic quidem in meliora mutantur, cum paulò ante captiuitate essent Persica liberati. Erat enim omnino par ipsos animo voluere, etsi nihil de occultioribus, altioribusque nouissent, saltem ex præsentibus ita decernere, si iam Regem nostrum Persæ natum adeo contremiscunt, quanto cum magis timebunt, vbi adoleuerit, eique parebunt. eruntque res nostræ quam barbarorum longè splendidiores; sed nihil huiusmodi eos excitat: tantus siquidem eos torpor obsederat, eique coniuncta par inuidia: quod vtrumque vitium à nobis procul debemus arcere.* Hactenus S. Chrysostomus copiosè persecutus est ignauiam & cæcitatem Iudæorum ex timore fortunarum amittendarum ortam, quam inuidia fuit comitata, vel secuta. At quænam huius inuidiæ mater, nutrix, alumna? Ergone Solymæi ciues illam gloriam alijs vrbibus Iudææ inuidebant, quod non apud se, sed alios nasceretur, quod humilior, pauperior, abiectior videretur, quam vt ab eo sperare, vel petere salutem vellent? hanc post S. Chrysostomum causam perfidiæ Iudaicæ ponit Euthymius: *Tota ciuitas Hierosolyma quare turbata est? atqui gaudere ipsam magis oportuit, quod ipsis Rex natus esset, quem olim Prophetæ Saluatorem, ac Redemptorem Israël prænunciauerant, & gloriari tanquam propinquos, quod statim à cunabulis Persas ad sui adorationem attraheret. verum excæcauit eos inui-*

& Isaac senex. S. Chrysost.

Isa. 9.

Tertia causa inuidia.

Euthymius

dia,

dia, statimque audientes turbati sunt, quasi timentes, ne fortè salutem consequerentur. Persæ vero cum essent extranei, non solum nato non inuiderant, imo à finibus suæ regionis vsque Bethlehem propter eum venerunt. Iudæi autem cùm essent cognati, etiam gloriæ eius inuiderunt, ne fortè magnus futurus esset, & cùm Bethlehē prope haberent, ita inuidi fuerant ac pigri, vt ad eum non accederent.

Restringit hanc inuidiam Barradius ad principes, & rectè; nam ipsi & literati postea perpetuò Christo obstrepuerunt: *Vnde huic sapientia hæc & virtutes?* non poterant æquis oculis intueri pauperem & abiectum Bethlehemitam, principibus debere Sacerdotum imperare, leges ijs ferre: vitia eorum inueterata carpere, quæ quarta fuit, & forte principalis causa, cum enim flagitijs omnibus immersi suauiter rege conscleratissimo applaudente diuina & humana iura profanarent, non poterant non vereri censuram Messiæ, & pœnam cuncta Dei patris sui lege metientis pertimescere. quam caulam vt solet diserti simè, S. Chrysologus sic exsequitur: *Esto quòd Herodes rex amore regni successoris timore coactus sit talia moliri; quare Hierosolyma, quare principes, quare scribæ? quare? quia nasci non vult profanus Deum, seruus Dominum, iudicem reus, rebellis principem, perfidus cognitorem. Hierosolyma varia se contaminatione perfuderat, sacerdotes profanauerant sancta, & peccata vendentes, in quæstum veniam pietatemque conuerterant. Scribæ doctrinam cælestem, scientiam salutarem, vitale magisterium in suum sensum, in perfidiæ lapsum, in letale vaniloquium commutarant. Hinc est quod Christum nolunt nasci, viuere timent, quia nouerant se mox ignominiæ dandos, trahendos opprobrijs, ejiciendos templo, priuandos sacerdotio, oblationum munere vacuandos. semel enim cupiditate flammati, capti pompa, vitijs sauciati, vanitate ebrij, madefacti luxu, quia de correctione nil cogitare poterant, de venia nil sperabant.* Illustrat deinde à contrario clarissimis rem omnem & obuijs similibus. *Bonus villicus quando copiosum fructum continuo labore conquirit, venire Dominum suum ad lucrum suum cupit: suum concupiscit ad gaudium diligens operarius, quando opus suscepti laboris impleuerit, vt mercedem percipiat, patrem familias aduenire: Deuotus miles post conflictum, post victoriam præsentiam regis optat: vt præmijs sudores, & vulnera remuneratione compenset: sic ad palmam suam cupit venire* CHRISTVM, *qui bella mundi indefessa virtute prosternit: hic* CHRISTVM *venire non vult, qui superatus illecebris seculi, de pœna trepidat, de venia nil præsumit.*

cadebat hoc vitiū in sacerdotes & scribas. *Mat.* 13. 54.

quarta causa peccandi libido.

à Christo puniendas.

Aptæ similitudines à contrario petitæ.

Hæ sunt rationes quæ Solymam licet fidelem commouerint, vt ipsum Messiam nec desiderarit, sed cum immanissimo tyranno temporalis commodi perdendi metu perturbata, cœperit etiam cum eodem in necem recens nati pueri postea coniurare.

CAPVT XX.

Nulline boni in Ierusalem audito hoc nuncio nati Messiæ sint recreati?

TVRBATVM vidimus metu successionis Herodem: nec minus cum rege impio turbatos improbos subditos: magis tamen his omnibus turbatus est princeps tenebrarum: qui valde regno suo, quo peccatoribus omnibus dominatur, tunc cum CHRISTVS nasceretur, metuebat, ne ab eo successore CHRISTO pelleretur: hanc dœmonis in Herode turbationem adde & in Iudæorum sceleratissimis refert Autor operis imperfecti: *Puto*, ait, *quòd non tantùm Herodes à semetipso turbatur, quantum Diabolus in Herode. Herodes enim timebat, quod suspicabatur: diabolus autem timebat, quod verè sciebat. Herodes hominem æstimabat, Diabolus* DEVM *cognoscebat: audierat enim iam Angelos in aëre clamantes, Gloria in excelsis* DEO, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ideo quanto magis testes addebantur pro* CHRISTO, *tanto magis destructionem potestatis suæ Diabolus timebat: vnusquisque ergo eorum zelo proprio turbabatur, & secundum suam naturam sui regni successorem timebat: Herodes terrenum. Diabolus autem cœlestem: Nam nec Herodes*

hom. 2. in 2. Mauh.

Turbatus dœmon maximè.

timebat regno suo.

rodes terreretur, si cœlestem Regem nasci suspicatus fuisset; nec diabolus, si terrenum.

Vis scire quia non tantum ipse turbabatur, quantum diabolus in eo? Ecce & Iudaicus populus turbabatur, qui magis de auditu isto gaudere debuerat, quia Rex Iudæus surgere dicebatur designatus à DEO; *sed turbabantur: quia de aduentu iusti non poterant iniqui gaudere. Aut certè turbabantur timentes, ne fortè iratus Herodes Iudaico Regi genus eius vexaret: nam quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, sic Regibus aduersantibus sibi populus regni vexatur.*

status Hierosolymæ tunc miser. Diabolus autor præcipuus perturbationis aliorũ, obturbat quemque suo vitio.

Dominabatur Ierololymæ maximam partem diabolus. rege enim flagitiosissimo imperante, ad eius se mores Principes sacerdotum & Optimates accommodabant: quos fæx populi partem maximam sequebatur: vt ideo sancti Patres dicant accelerandam fuisse mali medicinam, ipso misso peritissimo medico CHRISTO, ne Rege tali tota paulatim Iudæa seduceretur: itaque suis quemque studijs Diabolus regem & populum ad odium Regis nati concitabat: vt vnanimes eodem, (licet dispari mentis proposito) conniterentur: Regem enim successoris metus, iudæos improbos fortunarum amissio, & inueterata peccandi licentia regnante Messia deserenda solicitabat. vt mallent impij Regis indulgentia sine lege, sine DEO viuere, quam anteactæ vitæ rationem in melius commutare.

3. *Reg. c.* 19. *v.* 18. Probi supererant Hierosolymæ. *Luc.* 2.

Ergone credendum tanta in vrbe, in qua multa centena hominum millia degebant, nullum omnino exstitisse, diuini iuris studiosum, auitarum legum cultorem: veri DEI ac virtutis amatorem? Nunquid cum Israël totus à DEO defciuisset ad idola vitulosque colendos autoribus Regibus Israëlis: adhuc DEUS gloriabatur. *Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baäl, & omne os, quod non adorauit eum osculans manus?* nunquid Simeon & Anna tunc etiam in Ierusalem morabantur, Simeon dico, *qui erat iustus & timoratus exspectans consolationem Israël, &* Spiritus S. *erat in eo.* Nunquid Anna *non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte & die, quæ loquebatur de* CHRISTO *omnibus exspectationem Israël?* Erant ergo, qui eum exspectarent. Rectè tamen scriptura loquitur. *Herodes turbatus est & omnis Hierosolyma cum eo*: An omnes eadem prorsus animi perturbatione? minimè gentium: Turbabatur Herodes; turbabantur ciues impij, vtrique metu, quem Diabolus in ipsis, diuersis tamen consilijs & vijs, & studijs excitabat: regem timor perdendi regni; ciues improbos, vt dixi, fortunarum amissio, & vitæ liberioris licentia perturbabat. Boni tamen (vt fieri amat) etiam omni in re subita, noua, inusitata & improuisa percelluntur admiratione quadam, & stupore defixi. Ita sanctitatis omnis speculum & prodigium Deipara cœlesti percepta Gabrielis salutatione, *turbata est, & cogitabat, qualis esset ista salutatio?* Quæ mentis interna & spiritalis perturbatio statim in gaudium vertit, & incredibilem parit animi gestientis voluptatem, quam illo cantico Deipara significauit: *Magnificat anima mea Dominum*: & Simeon, cùm exclamaret: *Nunc dimitte seruum tuum Domine.* De eo bonorum gaudio, sic S. Odilo loquitur: *Si verò rectis corde & iustis pastoribus videlicet & Magis, Zachariæ & Elisabeth, Simeoni & Annæ, & multis alijs salutem mundi, salutem deuotè præstolantibus adueniente Christo exorta est lux & lætitia: iniustis & iniquis, Herodi scilicet, scribis & Pharisæis ipsius crudelitati consentientibus, aduenit ingens mœror & tristitia.*

qualis impiorum commotio

qualis proborum.

vt Deiparæ Virginis. *Luc.* 1.

Lucæ 2. *S. Odilo ser. de Epiphan.*

Hanc bonorum turbationem gaudio maiore commutatam aptè describit Haymo, cùm varias mentis seiungit perturbationes: *Alij*, inquit, *turbabantur propter inuidiam, vt Herodes; alij propter timorem, vt Iudæi; alij vero nec propter timorem, nec propter inuidiam. Sed pro solo gaudio turbabantur: qualis erat Simeon senex, & Anna vidua & ceteri tales, qui Spiritu Sancto reuelante didicerant vicinam esse* CHRISTI *natiuitatem: sed cum audissent factum, quod totis votis desiderabant, præ nimia lætitiæ turbabantur: quod enim præ magno gaudio humana mens soleat conturbari, exemplo Petri discimus, qui cum vidisset Dominum in monte clarificatum, conturbatus est, nesciens, quid diceret.* Tales igitur licet Herodis metu & euentus exspectatione domi se continerent, animitus tamen videntur pro eo beneficio grates persoluisse, tandem salutare domini, quod tot Reges, Prophetæ & Patriarchæ videri desiderarant, illuxisse: nec Judæis, sed Gentibus etiam salutem allaturum. Confirmat sententiam nostram Ianfenius. *Verum*, ait, *tota ciuitas*

Haymo de Epiphan Tres causæ perturbationis.

vna ex lætitia.

Ianfonius.

cur

cur turbabatur? oportebat enim gaudere potius, quòd is natus esset, quem iam diu exspectassent: cuius adorandi gratia etiam exteri aduenissent; sed turbatio non solùm ex timore, sed etiam ex admiratione, & nouæ rei & gratissimæ nuncio. Proinde intelligi potest Herodem quidem turbatum præ timore, ciuitatis verò ciues quosdam quidem præ timore, alios verò propter rei nouitatem solam fuisse turbatos, aut potius omnis Hierosolyma accipi debet, pro maiori parte ciuium Hierosolymitanorum. Nam cum omnes gaudere deberent, tamen quæ fuit eorum carnalis cæcitas, multi eorum partim timore Romanorum, ne forte opprimerentur, huius noui Regis occasione, partim quod applauderent Herodi eique amici essent, simili turbatione turbabantur, qua Herodes. Sed ad Magos reuertamur.

CAPVT XXI.

An Reges vltro accesserint Herodem, & qua animi constantia CHRISTVM *professi sint coram eo.*

PER varias iam vrbis plateas sancti Reges, dum locum inquirunt, ortum Messiæ publicarant: nec dubito, quin fuerit diuinitus ijs ante vrbis ingressum indicatum à sacerdotum concilio per Prophetarum oracula se propterea dirigendos esse, vt pervulgatâ iam Messiæ natiuitate per ipsos, locus etiam natalis ab ipsis Iudæis ederetur, quo facilius, si qui sequi duces Reges vellent, eum possent adorare.

Ergo cum passim à ciuibus de Regis Herodis in vrbe præsentia monerentur, satis iam regno CHRISTI per plateas publicato, mutuo se ad Herodem conuenien- Reges decernunt adire Herodē vltro. dum & ad fortiter coram eo agendum animarunt.

Nec enim semel tantum: sed bis cum eo minimum locutos existimo, quamuis altera vice clam eos ad se euocârit: ne quid cum ijs tractasset, & quo eos dimisisset, emanaret: atque cum postrema vice tantum de tempore singulos examinarit: in primo videntur congressu stellæ ortum, & Balaämi vaticinium aperuisse: vt constaret, qua de causa concilium esset cogendum, & quid potissimum ab eo perquirendum. bis videntur egisse cum eo.

Ciuibus igitur ductoribus pergunt alacres ad Regis palatium: tum ne velut Romanorum & Herodis hostes viderentur seditiones & turbas conflare, vel insidias moliri: tum etiam vt ipsum, si possent Regem, ad recens natum Deum hominem adorandum cum omni gente suo exemplo prouocarent: comperto tot exteros principes saluo regnorum suorum iure, velle se ipsi submittere. Nec erat magnopere, quòd ab Herode sibi metuerent, quos cœlestis visio, diuina promissio, Spiritus Sancti præsens gratia sic roborabat, vt vel mortem haberent in optatis. *Isti reges*, ait, Tostatus, *non timuerunt Herodem, nec quemquam hominum, etiamsi putarent multos hoc grauiter & molestè passuros, quia sciebant, quod iste, ad quem adorandum ibant, erat* DEUS, *& defenderet eos ab omnibus: etiam videbant se dirigi miraculosè, cum stella eos regeret, imo credebant, quod nemo eis nocere poterat, quia* DEVS *iuvabat eos: & si* DEVS *pro nobis, quis contra nos? Rom.* 8. DEVS *protector vitæ meæ, à quo trepidabo? psal.* 26. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Quid *psal.* 117. causæ conueniendi eum. Fortitudo Regum. q. 21.

Præmittunt interea virum aliquem principem, qui Regum aduentum & causam significet, vt beneuolas Regis aures paret. Iam diuulgata per vrbem fama nuncij tam inusitati Herodis aures, vt dixi perculerat: & vt auidæ sunt aures Regum, cùm quid capiti suo timent imminere discriminis, non satis habent per alios, sed per ipsos potius autores famæ auent cognoscere, quò certius occurratur: sic fortè iam animo destinarat in regiam eos inuitare: de hospitio prospicere: quò liberalitate ista facilius ad rei veritatem pandendam permoueret. Missis igitur proceribus obuiam vocat Reges peregrinos in palatium; nec quidquam prius aut potius habet, quàm vt vnde veniissent, quid adferrent de Rege nato scisciteretur. primus cōgressus cū Herode.

Primum hunc congressum ita S. Cyprianus describit: *Nec potuere Palæstinæ incolas latere tanti nominis personæ, sed vbi auditum est, quòd stellam indicem nati in Bethlehem parvuli sequerentur, Herodi noui Regis inquisitio nunciatur. Euocatis Magis itaque* serm. de stella & Mag.

itaque Magis rei huius ordinem cum omni diligentia ſciſcitatur: audit natum in Bethlehem eſſe parvulum, quem profitentes Regem & DEUM, qui de Saba venerant adorare, & venerari feſtinant: intimatum eſt ei, quod ab antiquis temporibus Moabites propheta licet Gentilis prædixerat, & contulit cum literis Gentium ſanctorum vaticinia prophetarum, quorum ſcripta per omne ſabbatum legebantur: de quibus nulla in populo Iudæorum ambiguitas erat, quin rata eſſent: quæ illi vel aſſeruiſſent præterita vel prædixiſſent futura: à fortitudine illius, qui quaſi vnicornis obuios penetraret, in cuius obſequium vltrices de Italia trieres in Iudææ terminos aduentarent, & vſque ad finem mundi dilatarent imperium, anxius expauit & timuit. &c. Addit collationem huius cum Michææ teſtimonio, quod cum poſt concilium acciderit, infra recitabo.

hom. 6. in Matth.

ſermones habiti.

S. Chryſoſtomus etiam de primo congreſſu loqui videtur, dum vult eos, vnde venerint, quo tendant, & quo fine Herodi declarare. *Conſidera igitur horum, & admirare virtutem: non modò, quia tam longi itineris ſubiere laborem, ſed etiam, quia tam ſimpliciter ac libere egerunt cum Rege: etenim ne ſubdolè miſſi ab aliquo putarentur, & ducem ſui itineris produnt, & longinquitatem regionis fatentur, & fiduciam mentis oſtendunt: venimus, inquiunt, adorare eum: & neque tumultum populi atque clamorem, neque regis reformidant tyrannidem. Vnde mihi videntur iſti etiam in regione propria facti eſſe poſtea ciuium ſuorum magiſtri: qui enim iſta hic nequaquã dicere timuerunt, multo hæc ipſa liberius patriæ ſuæ hominibus prædicarunt.* Videas hic veros CHRISTI præcones, Apoſtolos & confeſſores, qui nulla regis præſentis habita ratione liberè fidem ſuam, & ratum mentis propoſitum ac decretum confitentur: etiam martyres audi affectu & voluntate, ſic enim eorum conſtantiam belliſſimè depingit autor operis imperfecti: *Nunquid non intelligebant iuſtitiam legis, quia quicunque rege viuente alterum regem pronunciat, & adorat, quaſi miniſter tyranni punitur in ſanguine? ſed dum conſiderabant regem futurum, non timebant regem præſentem: Nunquid non habebant præ oculis ſuis periculum mortis, qui talem rem illicitam vſurpabant? ſed non curabant de morte: ſi autem curaſſent de morte, nunquam hoc auſi fuiſſent. Adhuc non viderant Chriſtum, & iam parati erant mori pro eo. O beati Magi, qui ante conſpectum crudeliſſimi regis ante, quàm Chriſtum cognoſcerent, Chriſti ſunt facti confeſſores.* Poſt hunc congreſſum cum rege rurſum vult poſtea euocatos, vt nobiſcum ſentiat, non ſemel tantùm Herodem conueniſſe. Eſt & S. Augnſtini præclarum encomiũ huius coram Herode conſtantiæ inuictæ. *Quærunt Regem Iudæorum à rege Iudæorum, ab Herode homine,* CHRISTVM DEVM *& hominem: à terreno rege homine Regem cælorum, qui condiderat hominem, à grandi parvulum, à lato latentem, ab excelſo humilem, à loquente infantem, ab opulento inopem, à forti infirmum, & tamen ab Herode perſequente ſibi & alijs dominantem, à contemnente adorandum profecto; in quo nulla pompa regia videbatur, ſed vera Dei maieſtas adorabatur.* Et hic S. Doctor non ſolum poſtea euocatos ait. ſed hic vltro quæſiſſe à rege de nato Rege & CHRISTO ijs verbis, quibus ciues de eodem fuerant ſciſcitati, aſſerit: Certè non reſpicit perſonam amans: dilectum per mille quærit pericula: vel mori pro eo in lucris habet; quoſuis etiam ad eius conatur amorem & honorem propagandum pellicere. Facit cum his Dionyſius Carthuſianus. *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? ecce quam certa & ſecura, imò quam audax & admiranda interrogatio: iam enim Romani, qui tunc monarchiam obtinebant, præceperant, vt ſub periculo mortis nemo aliquem regem vocaret ſine eorum conſenſu: fuit item præceptum. & his Magis non ignotum, quod qui rege viuente alium pronunciat regem punitur in ſanguine: qualiter ergo hi Magi audebant regnante ſuper Iudæos Herode, in eius præſentia, abſque Romanorum licentia alium regem profiteri? Certè iſtam audaciam* CHRISTUS *eorum cordibus præſtitit, dicit quippe* S. Chryſoſtomus, *quod non curabant de ſui ſanguinis effuſione: alias talia loqui auſi non fuiſſent: nondum viderant* CHRISTVM; *& iam parati erant mori pro* CHRISTO. Delectat fateor me huius argumenti materia, quia filios decet horum Eccleſiæ progenitorum palmarium factum à varijs variè celebratum frequenti verſare memoria: vt ad id operibus cum tempus eſt exprimendum facilius animentur: ita nec poſſum nec debeo etiam recen-

Veri tunc fuerunt & primi Confeſſores.

ſerm. 62. de diuerſis.

ſerm. 1. de epiph.

Conſtantia mentis.

fidem & amorem tantæ facit constantiæ genitores. *Sed vnde*, ait, *tanta audacia Magis, vt in Ierosolymâ præsente Rege & crudelissimo tyranno nouum Regem inquirerent? ex magnitudine profecto suæ fidei: nam sicut Moyses fide non timuit animositatem Pharaonis: sic nec isti crudelitatem Herodis; sed maiorem audaciam præbuit dilectionis magnitudo: quæram, inquit sponsa, quem diligit anima mea, ita enim intensè eum diligo, vt vbicumque eum inuenire præsumo, postposito omni timore, audacter inquiram: nam vis amoris ingentis timorem pellit, & fortitudinem præbet ad aggrediendà pericula, vt dilectum quærat, donec inueniat. O Beati Magi,* ait S. Chrysostomus, *qui ante conspectum crudelissimi Regis, priusquam* CHRISTVM *cognoscerent (scilicet ex facie)* CHRISTI *facti sunt Confessores: & quare hoc, nisi quia eius facti erant dilectores, & libenter vitam perderent, vt* CHRISTVM, *quem diligebant, inuenirent: Considera*, ait, *horum virorum & mirare virtutem: non modo, quia tam longi itineris subire laborem, sed etiam quia tam simpliciter & liberè egere cum Rege, & neque tumultum populi atque clamorem, neque potestatem reformidant tyranni.* Ludou. Viues de ponte lib. 6. Cant. cap. 11. hom. 2. in 2. Matth. & hom. 6.

Tota primi congressus materia videtur exstitisse narratio Magorum de caussâ tam longinquæ peregrinationis occasione visæ stellæ, vaticinio Balaami, vt rectè S. Cyprianus aduertit: addo & de fama toto pridem Oriente peruulgata de Rege nouo breui nascituro, item de Sibyllinis oraculis, quibus ipsi regiam & diuinam dignitatem pueri recens nati adstruxerunt; de stellæ item Solymam vsque ductu: sed cum Herodes nihil se adhuc cognouisse de cunabulis regis istius assereret, institisse videntur ipsi, vt à Principibus Sacerdotum locus saltem natalitius venturi Messiæ indagaretur. Materia primi congressus.

Hæc est prima CHRISTI fidelium coram tyrannis & nobilissima confessio, qua Martyrum fuit robur inuictum & excelsi animi magnitudo cum rerum omnium humanarum despicientia figurata: vt iterum hic cogar non inuitus illud Angelici Doctoris præconium iterare. *Per istam annunciationem Magorum præsignatur constantia Gentium* CHRISTVM *vsque ad mortem confitentium. Vnde S. Chrysostomus dicit, quod dum considerabant Regem futurum, non timebant Regem præsentem; adhuc non viderant* CHRISTVM, *& iam parati erant pro eo mori*: ita S. Thomas. Hanc animi promtitudinem vel moriendi etiam non ignorauit Herodes, teste S. eodem Chrysostomo: vel alio autore, qui facit eum minis Magos terruisse: & blanditijs in suam voluisse contra natum Regem sententiam pellicere: fortè enim inane videri phasma stellæ; non sciri in Iudæa, quod factum illi in Oriente suspicabantur: minas etiam & pericula ipsis à Romanis obiecit, quæ declinasse videntur Reges, asserendo eum non terræ, sed cœli Regem esse, non fastu regio, sed virtute diuinâ interiore in animis hominum regnaturum, stante & vigente Romanorum monarchiâ: nec quidquam detrimenti passurum Herodis regnum: ipsum audiamus. *Vidit Herodes magnam deuotionem Magorum circa Christum, & quia non poterat eos nec blandimentis flectere, nec minis terrere, nec auro corrumpere, vt consentirent ei in interfectione Regis futuri, ideo & eos ipsos decipere cogitauit: nec enim poterat fieri, vt blandimentis seducti proderent eum, propter quem tanti itineris susceperunt laborem: nec expauescere poterant aliquem, vt traderent eum, qui non expauerunt Herodem: nec Cæsarum; sed in medium regnum illorum ingressi sunt alium Regem annunciantes: nec aliquid amplius desiderare poterant, quam Christum, cui illi de tam longâ prouinciâ munera pretiosa portabant. Cum vidit, quod aliud facere non poterat, ergo deuotionem promittebat, qui gladium acuebat, & malitiam cordis sui humilitatis colore defringebat: talis enim est consuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto grauius lædere volunt, humilitatem illi, & amicitias fingunt.* Hactenus apud S. Chrysostomum autor operis imperfecti: qui primas technas & machinationes primi congressus videtur satis luculenter explicare. nam cũ minis Cœsaris & Romanorum eos minimè terruisset, cœpit demum pietatem simulare, mutata sententia, gaudere CHRISTVM illum & Messiam desideratum aduenisse, quem ipse cuperet adorare: ideo & concilium promisit se continuo in regia vel sanedrim coacturum, vt de natalitio loco CHRISTI ex oraculis Prophetarum prius rei cognosceret veritatem. figura fortitudinis Martyrũ coram tyrannis. Nec minis nec blanditijs mouentur.

CAPVT XXII.

Herodes videtur honorificè Reges excepisse, & de hospitio ijs prope regiam prouidisse.

Mantuanus negat Reges honorificè ab Herode exceptos.

NEGAT Baptista Mantuanus Sanctos Magos fuisse Reges, quos Herodes non legitur magnificè suscepisse.

Nec Reges (ait) *vt opinor erant nec enim tacuissent, Historiæ sacræ autores genus istud honoris. Adde quod Herodes vt magnificentia Regum Postulat, hospitibus tantis regale dedisset Hospitium, secumque Lares duxisset in amplos.*

Sequuntur Mantuani rationem multi Heterodoxorum: at Canus, Salmeron & alij qui Reges eos fuisse dicunt, si ab Herode minus honorificè sint inuitati, tribuunt Herodis fastui & superbiæ. Suaretz vero ait. *Ego vero ex Euangelio video colligi non posse, quo apparatu vel honore Magos exceperit.* Insinuat parum ad Euangelistæ mentem & scopum pertinuisse prolixè describere regium apparatum, quo erant accepti: Barradius assentit: *Quæ inter Herodem & Magos transacta sunt, ea nudâ & simplici dictione esse narrata, omisso honorum & ornamentorum comitatu.* Quæ postea SS. Patres vt capite superiori vidimus fusius indicato duplici Magorum cum Herode colloquio explicarunt.

Suar. disp. 14. 9. 2. in fine.

Euangelista omisit honorem quem Herodes Regibus habuit vt parum ad rem.

Bosquier caussam reddit, cur in palatio suo noluerit exteros Reges hospitari, licet de alio fuerit ipsis ab Herode prospectum. *Non introductos tyranno forte metuente, ne Magi, quamlibet amici, nouo Regi regiam, in quam admissi essent occuparent, tenerent, ac seruarent, Neque tutum tyranno tali nuncio, tantâque vrbis trepidatione barbaros Reges, & multis etiam stipatos in curiam recipere: neque insolens Regibus exteris palatium à regia aliud aliquod hospitio adsignari.*

Assentior Bosquirio vulpem astutissimam, cum Reges simplices, candidos & apertos circumuenire vellet, ne quid ipsis fraudis suboleret, regia magnificentia, sed in vicino palatio habuisse; subornatis suorum palatinorum versutissimis, qui singula eorum, quo ad eius fieri posset, verba, facta vel nutus etiam obseruarent, & ad se referrent, vt omnia quam cautissimè gererentur: interim discessuris ad hospitium paratum, promisit, se eo ipso die coacto concilio diligenter de natali loco cogniturum, & ex fide postridie ipsis in regiam vocatis relaturum. Maluit sanè contineri alterius palatij finibus Reges cum comitatu, quam spargi per vrbis diuersoria varia: ne à tot Regibus fama Regis noui nimis iam vrbe tota dissipata accessu ciuium increbesceret: & ne etiam ij, qui tam constanter Regem natum professi erant, sensim conciliatis ciuium animis Herodi necem machinarentur. Atque ita Reges eodem in vicino palatio cum omni stipatu regijs submissis epulis, liberâ quasi in custodia detinebat,

dimisit ad vicinum ijs paratū regium hospitiū.

CAPVT XXIII.

Idem anxius metu cogit concilium.

Deus è magnis malis maiora elicit bona, patet in Mardochæo exaltato. & Iosepho

MAGNVM hoc sapientiæ & diuinæ potentiæ argumentum, quod soleat è magnis malis bona maiora educere: per hostes etiam & inuidos suos electos exaltare, totique mundo famam eorum nominis manifestare: Amani responsum ambitiosum cum Rege fecit, vt Mardochæus, cui crucem erexerat, post Regem primus renunciaretur: inuidia fratrum Iosephi, quem institoribus vendiderant, occasio fuit, vt Ægypto præficeretur, & fratres eius imperio subderentur: ita metus & perturbatio Herodis iam tum necem Christo machinantis, eius natalem locum oraculis Prophetarum patefecit: Regibus Orientis eundem adorandum obtulit, & Gentibus ostium Euangelij reserauit.

hom. de Epipha.

Quem metum ita bellè depingit S. Eucherius: *Turbatus enim Herodes, quiescere non*

non potest, angitur, angustiatur, & ne ex improuiso capiatur, principes sacerdotum & scribas populi vocat: timor timori additur, & qui Magorum verbis turbatus fuerat, iterum scribarum & sacerdotum responsione terretur. Terror Herodis seruis exaltationi Christi.

Quomodo enim quiesceret is, qui tantum terrena sapiens regni iacturam formidabat, dum suo tempore Christum esse natum audiebat? sed sicut Deus Augusti vsus fuerat ambitione, vt seruiret orbis descriptioni, adeoque Christus in Bethlehem iuxta Michææ vaticinium nasceretur, ita voluit hunc Herodis timorem, ne vim liberæ voluntati humanæ faceret, permittere, sic tamen, vt loco natalis Christi cognoscendo seruiret. quam prouidentiam diuinam sic commendat Iansenius. *Admiranda autem est in hoc negotio diuinæ sapientiæ dispositio mirabiliter omnia, quæ hic gerebantur cedere faciens in gloriam nati humiliter pueri, & confirmationem fidei in illum. Gloria enim pueri erat, quòd illi exteri Magi viri & eruditione, & fortunæ strepitu nequaquam aspernandi, tam insigne testimonium ferrent, quodque Herodes ipse & principes, sacerdotes cum scribis, quamuis hostes essent Christi, tamen autores essent, vt locus natiuitatis Christi Magis innotesceret, malitiosè enim Herodes quærebat, vbi Christus nasceretur, & tamen nesciens gloriæ Christi inseruiebat.* vt Augusti ambitio. Mira Dei prouidentia ex Iansenio.

Timor igitur & perturbatio Herodis moras castigat, ilico rei veritatem indagat, rationem init certissimam & perfectissimam, vt sibi quam optimè, quam primùm prouideat, & recens natum citius opportunius & cautius euertat. Aduertit hoc loco Doctor Angelic. ad certam rei veritatem perscrutandam tria seruanda ab inquirentibus: *Creditur enim multitudini, autoritati & literatis. Vnde congregauit multos, & autoritatem habentes, & sapientes. Et hoc est quod dicit, congregans omnes. quantum ad primum Sap. 6. Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum. Secundum, Principes sacerdotum. Mal. 2. Labia sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. Tertium, & scribas, non ad scribendum tantùm; sed ad interpretandam legis scripturam: per istos quidem volebat inuestigare veritatem.* Huc vsq; Doct. Angelicus. Ita filij tenebrarum sunt prudentiores filijs lucis: nam cùm tyrannum legum diuinarum, & humanarum euersorem timor impelleret, ne regno spoliaretur, nullum non mouit lapidem, vt quàm securissimè sibi prospiceret, explorauit tamen ante per rei peritissimos veritatem: nec poterant diuini iuris & oraculorum peritiores inueniri istis, quos enumeraui: hos igitur consuluit peruersa quidem animi voluntate, vt natum puerum occideret, Deo tamen moderante, vt cognitio natalis loci perspecta prodesset Magis ad Christum adorandum, & eius natales illustrandos: damnaret autem Iudæos, quod cum de loco nati Messiæ sententiam protulissent, ipsi tamen eum recipere detrectassent: exteris regibus eum agnoscentibus, recipientibus, & congruis muneribus afficientibus. Manet igitur illud Dei pronunciatum: *Consilium meum stabit, & omnis uoluntas mea fiet.* Dum enim arbitrij sui libertate ad infanda nequissimi quique abutuntur Deo permittente maleuolentiam, & ipsi seuera iudicis sententiâ puniuntur: & Deus improba eorum facta sic temperat, ac permittit, vt electis occasionem offerant Dei gloriam extollendi: sic Isaac peregrinus apud Abimelech regem inimicum tutelam inuenit, & in periculis defensionem: id miratur vehementer sanctus Chrysostomus, & suadet iustis certum in prouidentia Dei perfugium & asylum: *Vide*, ait, *quomodo variæ sint viæ sapientiæ Dei, & quomodo omnia iuxta suam voluntatem faciat, & in inuijs viam inueniat, per illa ipsa, quæ maximè aduersa videntur, salutem seruorum suorum conseruans. Hinc enim est, quod rex ille tantam habet curam iusti, quasi prædicans eum omnibus ciuitatis suæ inhabitatoribus, & declarans, quam glorioſus sit, & summo honore dignus, quem & maximi faciebat.* Herodes diligenter de loco inquirit. tribus obseruatis. consulit multos, autoritate præditos, & sapientes. Deus eorum peruersa consilia vertit in bonum. *Isa. 46, 10.* vt aduersa seruiunt saluti electorum.

Simillime per impium & hostem regem Herodem Deus sanctis Regibus consulit, & certam ad Christum viam monstrat.

CAPVT XXIV.

CONGREGANS OMNES PRINCIPES SACERDOTVM.

Quinam illi & cur merito consulendi?

IMPIVS Herodes scelerato licet fine docet tamen, quos in rebus fidei decidendis, vel conscientiæ nostræ scrupulis, angoribus, & necessitatibus consulere debeamus. Hinc videndum, quos nomine omnium Principum sacerdotum acceperit Euangelista.

Quis propriè Princeps Sacerdotum. successor Aaronis. perpetuus postea annuus. *lib.* 18. *ant. c.* 6.

Principis sacerdotum nomen (absolutè si sumatur cum prærogatiuâ dignitatis) nemo est, qui nesciat, quin summo Pontifici Aaronis successori præcipuè debeatur: hunc enim tantum sacris præfuisse, etiam CHRISTI tempore, toties clamant Euangelia, & Actus Apostolorum. Erat ea dignitas perpetua, vt plerumque non nisi cum vita Pontificis exspiraret: at cum Pompeius Magnus Solymam expugnasset, & vestem Pontificiam in suam, populique Romani potestatem redegisset, vt Iosephus autor est luculentus, Pontificatus ille summus venalis esse cœpit & annuus.

S. Chrysostomus. Euthymius. Theophylactus.

Hinc est quod S. Chrysostomus, Euthymius Matth. 26. 5. & Theophylactus Marci 14. sint arbitrati, per Principes Sacerdotum eos tantummodo designari, qui supremum aliquando sacerdotium, licet annuum, administrassent.

Præter hos vocati 24. familiarũ Principes 2. *Paral.* 36. 14.

Alij verius contendunt, extra dictos sacerdotes, alios complures & præsertim 24. eodem nomine iam tum fuisse insignitos, cum sacerdotium supremum non nisi cum vitâ finiretur: nam paulo post mortem Iosiæ Regis scriptura sic ait: *Sed & uniuersi Principes sacerdotum, & populus prævaricati sunt iniquè, iuxta uniuersas abominationes gentium.* quæ fuit occasio, vt Iudæi Babylonem transferrentur: Plures igitur iam tum scriptura numerabat in Principibus Sacerdotum. Quos illos? qui nimirum capita familiarum erant è quibus Sacerdotes consecrabantur, ijdem etiam Principes. 1. Par. 15. a. v. 6. vocantur & enumerantur. Harum classium Sacerdotalium Tirinus primores supputat 24. qui cum Principes, (vt alij quicumque familiarum quarumuis primi) dicerentur, & Sacerdotum ducerent familiam, rectè Hagiographi eos *Principes Sacerdotum* nominarunt.

Hoc loco.

Vtriusque generis Principes Sacerdotum interfuisse concilio certum videtur: tam eos, qui gesto Pontificatu maximo præ reliquis eminebant; quam capita classium viginti quatuor, cum omnes dicat congregatos: sanè non poterant posteriores 24. excludi, qui ad sanhedrim, & omne concilium iure suo vocabantur: in quo velut consiliarij & Iudices ordinarij decidebant: ita 1. Par. 23. 4. Matth. 26. 3. Act. 4. 26. sine ijs nullum concilium cogebatur.

Quod horum officiũ in Sanhedri. è quibus ea cogebatur.

Vocat ergo Herodes iure meritissimo Sacerdotes: *quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius*: nec tamen omnes: multa enim eorum millia censebantur; sed *Principes*, qui reliquis doctiores & prudentiores habebantur, & è quibus coibat sanhedris, seu magnum concilium, cui præter scribas etiam capita primariarum quarundam aliarum familiarum solebant interesse: eidem summus Pontifex præsidebat. Nimirum versipellis ille non ignorabat in fidei controuersia (qualis hæc de loco natali Messiæ proponebatur) concilium solere diuini spiritus afflatu & impulsu, Præside sacrorum Antistite regi, adeoque præcipuam huius decisionis habendam rationem, nec sine præsenti erroris periculo posse rem aliter dijudicari: ideò rectè quidem, licet fine pessimo id conuocare voluit, vt cognito natali loco necem parvulo machinaretur. Nobis interim hoc sit documento,

In rebus fidei consulenda concilia. *Haymo.*

in rebus, quæ fidem attingunt controuersis, scripturæ sacræ autoritatem, traditiones Ecclesiæ & veterum Patrum sanctiones esse expendendas, Vt id fiat prudenter Haymo sic monet. *In eo autem, quod Herodes noui Regis natiuitate auditâ Sacerdotes & scripturarum Magistros interrogauit, imitabile nobis exemplum reliquit: vt quoties aliquid novum in Ecclesiâ oritur, semper ad autoritatem scripturarum recurramus, propter id, quod scriptum est, omnia cum consilio fac: & ea respondeamus, quæ Patres nostros respondisse, vel tenuisse cognouerimus: & iuxta vocem Salomonis non transgrediamur terminos antiquos: quos posuerũt Patres nostri, sed impleamus illud*

quod

quod per Prophetam dicitur. Ierem.6. State ſuper vias & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit bona via & ambulate in ea Nec enim ſolet quemuis per ſe DEVS *edocere: ſed Saulum mittit ad Ananiam, Cornelium Centurionem ad Petrum: Eunuchum ad Philippum, ab ijs vt plinius* erudiantur: omnibus autem dictum de Eccleſiæ antiſtitibus. *Qui vos audit, me audit.* In his autem præcipuã tenet autoritatem matrix & Romana Eccleſia: vt appoſitè probat hoc in loco Beauxamis *Ex his,* ait, *patet difficiles quæſtiones ad concilia eſſe referenda: autoritatem autem conciliorum haberi ex matrice Eccleſia: ſic enim vt ſcribit Irenæus lib. 3. c. 3. contra hæreſes &* Tertul. *lib. de præſcriptionibus contra hæreticos, ſi quid ambiguum reſoluendum erat conſulebantur olim matrices Eccleſiæ, qualis fuit & eſt Romana: vtique ad inſtar antiquæ Hieroſolymæ, cuius ſynagoga ceteris prælata eſt.*

Lucæ 10. 16. & Romana Eccleſia

Iam ſicut in diſceptationibus fidei DEVS eas ſtatuit hominum aliorum iudicio definire, ſimiliter voluit etiam quemuis non ſuo niti & præfidere iudicio, quem dubitationum ſcrupuli, & mentis aculei cum anxitudine ſtimulant, ſed ad alios referre, præſertim ſecretioris tribunalis conſcientiæ arbitros: qui facile ſcrupulos evellent, ſi tempori conſulantur: & rectè DEVS vt ſuperbiam quorundam plectat, qui ſuam eorum iudicio præferunt opinationem, ſinit quandoque tantis vexari ſtimulis & ſollicitudinibus, vt pene in deſperationis barathrum præcipites agerentur, niſi tandem *diſc. 23.* tero cognoſcerent, animi dimiſſione & promta confeſſarijs obedientia præſtita evelli ex animo tales anxietates. Lubet Garciæ noſtri ſalubre monitum apponere. *Saulo,* ait, *dicitur: ſurge ingredere ciuitatem & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere: nonne ſatius & conſultius foret, ô ſumme Magiſter, vt omnium gentium Doctor à te primordia ſumeret Euangelij? minimè ait: ſciant mortales, quantus deferendus ſit honor illi, cui ego defero, ne ſuperbiant, & decipiant ſapientes: qui quantulâcumque doctrina præditi vel ſapientia, nullum conſulunt, neminem præter ſe adeundum & conſulendum putant: vt etiam deprimat inſaniam illarum mulierculârum, quæ vix delitias ſpiritus deguſtarunt, cum ad vnumquodque verbum audeas repetere, ſecretum meum mihi: ignoret hæc Pater ſpiritualis: nullam harum rerum experientiam habet: ô inſaniam! diuina ſapientia ſe ſubmittit, & ſcripturæ defert in terris, & tuæ phantaſiæ, & illuſi intellectus cogitationes cenſuram Patrũ ſpiritualium refugiant? aberrant autem omnes iſti. habemus enim ait 2. Pet. 1. propheticũ ſermonem, cui benè facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco.*

CAPVT XXXV.

ET SCRIBAS POPVLI SEV.

Doctores Iudæorum, qui alijs viam monſtrarunt, ingredi verò eam nullatenus voluerunt.

SIcvt Grammaticorum nomen initio datum à Græcis fuit omnibus, qui literas legere poſſent & ſcribere: poſteà alijs etiam attributum, qui autores interpretabantur, & iudices erant earum quæſtionum, quæ de hiſtorijs, fabulis & autorum ſenſu mouebantur: ita Hebræis Scribæ primo notarij dicebantur publici, qui conficiebant inſtrumenta, ſcripturas incorruptas conſeruabant: ijdem etiam poſtea cœperunt earum ſenſum interpretari, de legibus iudicare: Vnde Luc. 7. νομικοὶ id eſt, legis periti nominantur: quaſi legis Doctores. de Esdra dicitur. *Et erat ipſe Scriba velox in lege Moyſi,* quaſi ſolus & expeditus in ſcripturis exponendis.

ſcribarum prima notio. erant Doctores legis. Esdræ 7.

Apud Reges ijdem fungebantur munere Cancellariorum: nam Sataias ſcriba Dauidis & Sobna ſcriba Regis Ezechiæ nominatur. Atque ſicut Romani dubijs in rebus Aruſpices & Sibyllæ libros, ſic Hebræi Scribas conſulebant, vt ex lege diuina vaticinijsque Prophetarum reſponderent: vnde Doctores populi habebantur: qui ſi legum Moſaicarum corticem tantum & verba curarent, Scribæ; ſin penitus myſteria ſcripturarum ſcrutarentur, Phariſæi dicebantur: vt in Eccleſia Genebrardus non quoad vitam & mores, ſed officium, Scribas noſtris Canonum interpretibus, at Phariſæos Theologis comparet: quorum etiam ſolet in concilijs haberi præcipua ratio: ita concilium hoc ex ijs, qui pontificatum ſummum adminiſtrabant;

& Cancellarij Regũ. 2. Reg. 8. Iſai. 36. Qui Phariſæi.

ex Principibus 24. familiarum sacerdotum & scribis seu legis peritis, quorum multi erant è factione Pharisæorum, confiabatur.

pessimum Doctorum vitium bene docere, & malè viuere.

Horum commune fuit vitium, quod scirent Messiæ natalis locum: eius tamen gratia, nec gradum mouere vellent: alijs eundem indicarent, ipsi tamen odio ferè flagrarent eiusdem, & potius cum Herode in necem eius armarentur ob vitæ licentiam, quam cum Magis eius adorandi studio tenerentur.

Act. 1. *Matt.* 23. 2. ex Apostolo. *Rom.* 2. 17.

Exigit locus hic, vt accuratius è scripturis, SS. Patribus, alijs Doctoribus ostendam, quàm turpe horum scribarum exemplo docere, & facere: quam necessarium sequi IESVM Doctorem Doctorum, *qui cœpit facere & docere.*

Principio Christus eos hac de causa vehementer reprehendit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite; secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.*

similes æri tinnienti. 1. *Corinth.* 13.

Arguit eoldem S. Paulus: *Si autem*, inquit, *tu Iudæus cognominaris, & requiescis, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem: Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium habentem formam scientiæ, & veritatis in lege: Qui ergo alium doces, te ipsum non doces? qui prædicas non furandum, furaris?*

Rectè idem Apostolus eosdem caritate, & bonis operibus destitutos similes facit cymbalo tinnienti: alios ad templum inuitat æs campanum; foris tamen remanet: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: etsi habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.*

S. Augustinus serm. 65. de diuersis.

Sancti Patres miris similitudinibus eorundem describunt insipientiam, Magorum prudentiam. S. Augustinus: *Similes*, ait, *facti sunt Iudæi fabris arcæ Noe, alys vbi euaderent, præstiterunt, & ipsi diluuio perierunt: similes lapidibus milliarijs: viam ostenderunt, nec ambulare potuerunt, quia stolidi in via remanserunt; audierunt, & abierunt; inquisitores, id est Magi; dixerunt, & remanserunt Doctores*: Sapientes verè Magi non *auditores* tantum. & inquisitores, sed multo maximè *factores legis*, & diuinæ voluntatis, *sitiebant, vt cerous ad fontes aquarum*, Scribæ Magis fontem ostenderunt: Magi cucurrerunt, sitim non tantum ipsi de fontibus Saluatoris restinxerunt; sed tantum hauserunt ipsi, quantum opus ad regna tota simul irrigan-

arcæ Noë fabricatoribus. *Iacobi* 1.

fontem alijs monstrant & sitiunt. *in carmine de vita sua* Medici aliorum nõ sui ipsorum. Cæci sunt. *serm.* 3. *de epiph.*

da: Idem enim sanctissimus Doctor ait; *Quantum erat, vt Magis quærentibus Christum comites fierent. Cum ab eis audissent, quod visa stella eius venerint eum adorare, cupientes, ipsi eos ad Bethlehem, quam indicauerant, ducerent: pariter viderent, pariter adorarent: nunc verò alijs demonstrato vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate.*

Atque vt sitim, sic famem depulerunt alijs & morbos, ipsi fame mortui sunt, quod S. Gregorius Nazianzenus aduertit: *Consideremus*, ait, *non pulchrè thronis excelsis euecti, populi præsules, virtutis magistri, sortem adepti diuino cibo nutriendi animos, ipsi fame oppressi: medici affectum mortui, scatentes miserandis morbis.*

Cæcis eos S. Leo, & Greg. comparant, & ille quidem sic cæcitatem eorum describit. *Quid tam cæcum, quid tam lucis alienum, quam illi Sacerdotes & Scribæ Israelitarum fuerunt? qui percunctantibus Magis, & Herode quærente, vbi Christus, secundum scripturarum testimonia nasceretur, hoc respondent de Prophetico eloquio, quod indicabat stella de cælo: Iam ergo ad eruditionem Gentium propheticus sermo transibat. & prænuntiatum oraculis antiquis Christum alienigenarum corda discebant, cum Iudæorum infidelitas veritatem ore proferret, & mendacium corde retineret, noluerunt enim agnoscere oculis, quem de sacris libris indicabant: vt quem nunc adorabant in infantiæ infirmitate humilem, postea crucifegerent in virtutum sublimitate fulgentem.*

In cæcitatis humus die Epiphaniæ.

Cœpit hæc mentis obduratio cœcitasque in Scribis, & Pharisæis ab ipso die, quo Magi Solymam aduenerunt. Creuit & adoleuit tunc, cum Christus ijs editis innumeris miraculis salutem & cœli regnum prædicaret, inde toties væ vtrisque accinuit. toties cœcos, & cœcorum duces publicè nominauit, eorum continuis admonitio-

nitionibus arrogantiam, faſtum, turpitudines, & horrenda quæuis ſcelera caſtigauit. ſed in nece Saluatoris fuit conſumata: vt meritò ſic eam incredibilem caligantis mentis cœcitatem cum rerum ſenſus carentium agnitioni contuliſſet, ſeneſcenti Iſaaco cœco compararit S. Gregorius: *Sed*, ait, *in omnibus ſignis, quæ vel naſcente Domino, vel moriente eo monſtrata ſunt, conſiderandum nobis, quanta fuerit in quorundam Iudæorum, corde duritia, qui hunc nec per prophetiæ donum, nec per miracula cognouerunt: omnia quippe elementa autorem ſuum veniſſe teſtata ſunt: vt enim de ijs quiddam vſu humano loquar, Deum hunc cœli eſſe cognouerunt, quia protinus ſtellam miſerunt: mare cognouit, quia ſub plantis eius calcabile ſe præbuit. terra cognouit quia eo moriente contremuit: ſol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit: ſaxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt: infernus agnouit, quia hos, quos tenebat mortuos reddidit, & tamen hunc, quem Dominũ omnia inſenſibilia elementa ſenſerunt, adhuc infidelium Iudæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcunt, & durior a ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt; eumque confiteri abnegant, quem elementa, vt diximus aut ſignis, aut ſciſſionibus Deum clamant: qui etiam ad damnationis ſuæ cumulum eum, quem natum deſpiciunt naſciturum longè ante præſciuerunt: & non tantum, quia naſceretur, nouerunt: ſed etiam vbi naſceretur: nam ab Herode requiſiti locum natiuitatis eius exprimunt, quem ſcripturæ auctoritate didicerunt, & teſtimonium proferunt, quod Bethlehem honorari natiuitate noui ducis oſtenditur: & ipſa eorum gemina ſcientia: & illis fieret ad teſtimonium damnationis. Et nobis ad adiutoriũ credulitatis, quos profecto bene Iſaac cum Iacob filium ſuum benediceret, deſignauit, qui & caligans oculis, & prophetans in præſenti filium non vidit, cui tamen multa impoſterum prouidit; quia nimirum Iudaicus populus Prophetia ſpiritu plenus, & cæcus, eum, de quo multa in futurum prædixit, in præſenti poſitum non agnouit.*

Confuſmata obcæcatio in morte Chriſti. *ho. 10. in Epiph.*

ſcientia ſcribarium ipſis nocuit profuit Magis. ſimiles ſũt Iſaaco cæco. *Genes. 27.* coẽ exitiũ noſtra eruditio.

Quis iam illuſtrium Doctorum, & Concionatorum ſibi præfidere nimium & doctrinæ ſuæ audeat: quando legis diuinæ peritiſſimi ſcribæ, in rebus fidei licet ſcrutandis & docendis accuratiſſimi, ſic tamen in ſalutis propriæ curandæ ſtudio negligentes, deſides imò cœci, & iam non talpâ ſed ipſis elementis & cœlis cœciores euaſerunt & autorem ſuum, quem annunciarant cœli, & elementa præſentem verebantur, non agnouerint, cum Gentilibus, nec adorarint; imò necem, eidem per Herodem ſint machinati. Ita ſi doctores ſemel malitia cœcarit, omnibus indoctis, & barbaris etiam, & ſenſu carentibus iuſto Dei iudicio redduntur inſipientiores, vt habeant exemplum S. Pauli, quod imitentur, dicentis: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar*: hoc etiam ſimile S. Gregorij expendant. *nos de virtutibus vacui loquimur, & quaſi inter fructifera arbuſta poſiti, odoramur poma, nec manducamus: Scienti bonũ, & non facienti nonne peccatum eſt illi?* Idem alibi ait *Qui dicit & non facit nec prorſus gladio condemnatur.* Scitis ô ſcribæ, ſcitis viam Domini, quam Magis infidelibus monſtratis, eum ipſam non vultis ingredi? S. Leo. *Quæ iſta Iudæi tam imperita in vobis ſcientia eſt tam indocta doctrina? interrogati, vbi Chriſtus naſceretur, veraciter, & memoriter dicitis, quod legiſtis, & veſtra eruditio prodidit, quod ſtella non docuit, cur vobis viam, quam alijs aperitis, obſtruitis?* Radulphus: *Magiſtri legis teſtimonium de loco natiuitatis perferunt, vt ipſis fieret in teſtimonium damnationis, & nobis in adiutorium fidei: & qui per hos niſi praui Doctores deſignantur, qui dicunt, & non faciunt, & alijs proſunt, & ſibi obſunt, qui ſunt tanquam æs ſonans, & cymbalum tinniens, quod alios citat, & ſeipſum conquaſſat; qui ſunt tamen candela, quæ alios illuminat, & ſeipſum annihilat: Similes eoſdem facit* Barradius *aurificibus, qui ex auro, & gemmis annulos, torques, & præclara vaſa non ſibi, ſed alijs fabricant: aut ſartoribus, qui alijs ex ſerico pretioſa conſuunt indumenta, ſe verò ipſos craſſis, ac laceris induunt veſtibus. Similes quoque ſunt Doctores improbo Achitopheli: ceteris hominibus conſulunt præclarè; ſibi verò minimè, conſilium Achitophel, quod dabat in diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum: ſic erat omne conſilium Achitophel, & cum eſſet cum Dauid, & cum eſſet cum Abſolon: ſed quodnam ſibi conſilium accepit tantus conſiliarius, cuius conſilia Dei oracula putabantur? videns quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexit-*

Notent præfidẽtes ſibi de doctrina.

Greg. lib. 3. dialogo 37.

Greg. l. 6. in 1. Reg. c. 3.

ſerm. 2.

Radulphus de Epipha.

ſimilitudines aliæ de Doctoribus ſe non docentibus.

ſimiles Achitophel.

filium, qui reliquis dabat oraculum ! Hactenus Barradius. Nondum possum ab hoc argumento mihi ipsi tam vtili, & necessario manum reuocare. Morales noster congruè nomini suo mores hic nostros aptis ex Doctoribus collectis similibus instruit *De his*, ait, *& similibus verbo tantum & non opere docentibus, & prædicantibus, dicebat Magister veritatis Christus Dominus: allegant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere: super quod Hugo de S. Victore lib. de claustro animæ hoc appositissimum simile adducit: Solent mercatores duabus mensuris vti, quandoque vna, qua vendentes sua distribuunt, quæ mitior est, altera verò, quâ ementes aliena recipiunt; sed hæc maior est: maiorem tibi, minorem proximo: sic quidam prælati auaritiæ & voluptatis mensura vtentes, nimiæ parcitatis vasculo subiectis ministrant, ipsi autem pleno superfluitatis vtentes modio parcitatem prædicant subiectis, sed ipsi voluptatem sequuntur, de qua iustitiæ inæqualitate Pro. 20. Pondus est pondus, mensura est mensura, vtrumque abominabile est apud Deum. Nec dissimiles profecto huiusmodi Prælati & concionatores, à filijs Ruben, & Gad reperientur, qui exhortantes filios Israël, vt in promissionis terram proficiscerentur, ipsi tamen ignaui remanebant, vbi virētia prata animalibus pascendis inuenerunt, vt habetur Num. 32. eosq; D. Bernard. cribro farinæ similam mittenti, ex qua alij pulchrum, & delicatum panē conficiunt, & libi furfures tantum retinenti assimulauit, æquiparíq; facile possunt aquæ ductui lapideo aut ligneo, per quem transeunt & diuiduntur aquæ, quibus irriguntur hortorum plantationes, & producuntur pulcherrimi flores ipso tamen aquæ ductu, ipso scilicet prædicatore, sicut antea duriore, & sicciore remanente. Monstruosum quippe est hominem longiorem linguam, quam manum habere, facti velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: cymbalum namque ad sacra vocat fideles, ipso temporis iniurijs foris remanente: sicut diuersorij tabella vel turrium sagitta, quæ alios ab eminenti ventorum tempestate docet fugere, illa verò eisdem semper exposita.* Hactenus Morales noster. Concludo argumentum hoc simili egregio, quod Ioannes Ximenez Societatis nostræ rerum temporalium coadiutor ac laicus, officio auriga protulit tum, cum iussus à superiore præter morem dicere ad nostros tempore mensæ in triclinio: is hoc, quod sibi euenerat ita referebat: *occurrit mihi proximè currus hordeo oneratus, quem duæ mulæ in specie satis magnæ, & robustæ trahebant, sed hæsitabant in luto, nec poterant progredi, donec ego & alij transeuntes rotis aliquantulum eleuatis eas iuuimus, auriga ipso clamoribus & baculis eas impellente. Tandem ex luto exiuerunt; interrogaui aurigam, qui fieret, vt mulæ adeò magnæ & robustæ non potuissent currum ex illo volutabro attrahere? respondit causam esse, quod essent macræ, & parum comederent: cum ego vrgerem, cur non comederent, respondit non esse defectum hordei, siquidem currus coerat plenus; sed quod illis non daretur. Tunc inquit Ximenez: occurit menti meæ, quod aliquibus viris doctis, præclaris concionatoribus, & magistris euenit, qui etiam solent in via perfectionis hæsitare, ita vt nec passum progrediantur; eo quod valde sint macri & debiles in spiritu; non quod desit illis spirituale alimentum: siquidem currus intellectus eorum spiritualibus veritatibus est plenus, quas docent alios, & pro concione proferunt; sed quod eas non comedant nec sibi ipsis in meditatione applicent; vt corda sua permoueant ad feruenter reformandum vitam suam.* Longè diuersi Doctores nostri Euangelici, primi Reges Orientis, qui regnum Iudæis abiecti in stabulo Bethlehemitici pueruli prædicaturi, præluserunt animi submissione, rerum omnium creatarum contemtu: & breui post idem Gentibus Euangelium vulgaturi, potius despicientia rerum terrenarum, & meditationis vsu se præpararunt, quam exquisita reuolutione librorum: certè plus in persuadenda fide valet spiritus vehementia & ardor, quam verba composita, & ornata, quibus suam sæpius laudem Ecclesiastes, quam Dei gloriam solet aucupari; sed an tales improbi Doctores nonnunquam consulendi sint, videamus.

Morales in 2. Matt.

Matt. 14.

ijs qui duabus mensuris vtuntur.

cribro farinæ.

aquæ ductui.

Lud. de Ponte inuita. Balt Aluarez c. 24. §. 1.

aptissima similitudo.

Quales Doctores fuerint SS. Reges.

CA-

CAPVT XXVI.

SCISCITABATVR AB EIS.

An impij Doctores quandoque consulendi, & audiendi?

QVALES fuerint scribæ, quos consuluit Herodes, vidimus à sanctis Patribus sæpius, & multum reprehensos: an ergo tales putemus cum Herode consulendos? Passim in hoc Herodes à Patribus & interpretibus commendatur, ac proponitur imitandus, quod ad iuris diuini peritos fidei controuersiam retulerit, & ab ijs de loco nascituri Messiæ sit sciscitatus; vnum videtur obstare, quòd vita corruptos; moribus improbos, dum audit consulens, potius in errorem, quàm viam veritatis (cùm eam impij doctores detestentur, licet non ignorent) sit abducendus. Monitum præclarum est S. Ambrosij de viris, qui nobis sint consulendi. *Talis debet esse*, inquit, *qui consilium alteri det, vt seipsum formam alijs præbeat ad exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate: vt sit eius sermo salubris, atque irreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora.* Et c. 6. *Huiusmodi verò salutem nostram & existimationem committimus, qui sit iustus, & prudens, facit enim iustitia, vt nullus sit fraudis metus: facit etiam prudentia, vt nullus sit erroris suspicio* &c. Et. c. 12, *Quis in cœno fontem requirat? quis è turbida aqua potum petat; itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet: quis vtilem causæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? Degeneres animos vita arguit. Quomodo enim potes iudicare eum consilio superiorem, quem vides inferiorem moribus? supra me debet esse, cui me committere paro. An verò idoneum putabo eum, qui mihi det consilium, qui non dat sibi?* sit ea vera S. Ambrosij sententia, vt est verissima, cum de moribus agitur, & delectus haberi Doctores inter potest; quis dubitet virtute præditos longe tunc alijs præferendos: at cum fidei controuersiæ decidendæ, doctrinæ ratio habenda, non morum sola sanctitas est inspicienda: tunc enim & Christo præcipiente ipsi sunt audiendi: *super cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite, secundum opera verò eorum nolite facere.* Annon tunc maximè sedere super cathedram Moysi censebantur, cum iubebantur ex oraculis Prophetarum, & lege diuinâ ferre sententiam: non quam ipsi tenerent animo, sed quæ claris scripturæ verbis exprimeretur? vt verba Christi sic congruè Maldonatus interpretetur ex S. Hieronymo, & Hilario: *omnia quæ lex, & Moses vobis dixerint, scribis & Pharisæis recitantibus, seruate, & facite.* Obijcit sibi Maldonatus, cur non dicat ergo Christus, *quæcunque Moses dicit, sed quæ scribæ & Pharisæi?* respondet primo, *vt argueret hypocrisin eorum rectè docentium, & malè viuentium: deinde vt reprehensurus eos, ostenderet ex veritate non affectu se agere, quæ laudanda in ijs laudaret: sola vitia castigaret.* Itaque hoc si vnquam in concilijs legitimis habet locum. Adsint vitæ deterioris Episcopi, in decidendis tamen fidei articulis eis erit assentiendum. Appositè Salmeron in hanc sententiam ita loquitur: *Quærenda veritas in Ecclesia Dei est, atque ab eius Doctoribus, tametsi sanctis alioquin moribus præditi non sint, quia sibi ipsis obsunt tantum, nobis verò prosunt: quod quoniam seculi nostri homines minimè considerarunt, in pernicioſos ac turbulentos errores abiere. Magi nouerunt tempus natiuitatis: sacerdotes locum, & familiam, quinis enim in Dei Ecclesia talentum suum ad aliorum vtilitatem conferre debet, vt vnus ab altero addiscere non dedignetur.*

Laudatur Herodes quod scribas consuluerit licet impios.

damna eorum qui consulunt improbos.

per similitudines explicatur.

Quomodo boni præ malis sint consulendi.

Matt. 23. Improbi Doctores in rebus fidei etiam audiendi. *Maldonatus.*

Salmeron tract. 40. *fol.* 36.

Nouella erat plantula Magorum. hactenus ignara iuris diuini, aberrare facile poterat à semita; idea tamen futura fidelium erat: oportuit sic igitur adminiculari eam aliorum peritorum in lege sapientiâ; ne serperet humi vaga, vt Christiani posteri discerent, hunc esse diuinum ordinem, & ratam legem constitutam, tirones seniorum,

Tirones consulere debēt Maiores.

rum, est magistrorum consilijs gubernare, vt pulchrè in hanc sententiam obtesteretur eos ad istam subiectionem admittendam S. Bernardus: *Obsecro*, ait, *vos nouellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatos habetis sensus ad discretionem boni & mali, nolite sequi cordis vestri iudicium nolite abundare in sensu vestro, ne vos tanquam rudes adhuc versutus ille venator decipiat.* Erant Magi prouectiores spiritu, quàm vt grauioribus tentarentur assultibus, subtiliores nectere dolos poterat illis dæmon: voluit Deus, vt hos etiam obediendi promtitudine superarent. & nos eorum posteri horum exemplo: subdit enim de pientioribus: *Nam siluestribus illis & omnino bestialibus bestijs (seculares homines loquor) apertos satis expandit laqueos, vtpote quos facilè capiendos esse non dubitat, vobis autem, qui tanquam prudentiores cerui serpentes necatis, & desideratis ad fontem viuum, subtiliores occultat laqueos, & callidiora fraudis suæ argumenta conquirit.* Poterant Magi cogitare; si Judæi nec Regem suum inquirunt, imo nec natum esse sciunt, quid nos exteri supervacaneo labore in eo quærendo desudamus? non ita: regem consuluerunt sui capitis periculo: concilium rogandum censuerunt, ac licet consultorum nemo vel pedem mouere cum ipsis vellet: eorum tamen fidem habere verbis, consilium sequi voluerunt, vt securius, certius, & citius fontem aquæ viuæ, quem vnicè sitiebant, inuenirent. Quærebat sponsa Christi, Cant. 3. dilectum, accessit *vigiles, qui custodiunt ciuitatem*, inquirit, *num quem diligit anima mea vidistis?* quid per vigiles (ait hoc loco Gregorius) *nisi Doctores Ecclesiæ designantur? hi sponsam quærentem inueniunt, qui piam animam Christum inuenire sat agentem excipiunt, & vt citius inueniat, præceptis instruunt.* Vigiles tunc Solymæ Pontifices & Scribæ censebantur: hos per Herodem interrogant Reges: Prophetam secuti Ezechielem, qui monet: *à Presbyteris cognosce consilium*, vt iure laudet Fernandus eos: *Magi*, ait, *in Hierusalem peritos legis consuluerunt, vbi Christus nasceretur; sed spreuerunt consilium Herodis, qui dixit eis: renunciate mihi, quia scriptum est Eccl. 8. Cum fatuis consilium ne habeas: non enim potuerunt diligere nisi ea, quæ ijs placent.* ipse etiam *magni consilij Angelus* Christus exemplo præiuit: dum Philippum interrogauit: *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Ita nec inferiorum, nec malorũ Doctorum consilium bonum est abijciendum: & per hos quandoque Deus suos vult erudire, sic & Ephreëm Syrum per meretricem salubriter admonuit: vt doceat eosdem animi demissionem.

serm. 3. in ps. qui habitat.

etiam spiritu prouectiores.

Ezech. 25. in thes. script. v. consilium.

Humilitas Magorum.

Necessitas consulendi alios.

Ephrẽ docetur per meretricẽ.

CAPVT XXVII.

Concilio posita quæstio: vbi Christus nasceretur.

Duo mutauit Herodes in Magorũ quæstione. Christum vocat puerum.

CALLIDÈ duabus rebus Herodes immutat Magorum quæstionem: nam cùm illi de Rege Iudæorum nato rogassent. ipse de Christo nascituro concilium interrogauit: Hinc tamen patet sat explicatè Reges primo congressu mentem suam declarasse, quod non alium, quàm Iudæis promissum Messiam venissent adoratum: hunc apud Iudæos Christum, apud Magos per despectum appellat puerum fastu regio: nec enim id sibi poterat imperare, vt vel externis rebus (licet politicorum more fallaciter & arte veteratoria) Regem eum nominaret: tam exosum habebat nomen alterius regis Iudæorum.

eius imprudentia. arrogat sibi titulum Messiæ.

& de eius natali loco quærit?

Hoc miror, cùm ante multos iam annos increbuisset in Iudæa nascituri Messiæ tempus euolutis hebdomadibus septuaginta Danielis, & translato Iudæ sceptro in Idumæum aduenisse: cum etiam Herodi Iudæorum complures adulantes eum vt Messiam recepissent, qui ideo fuerunt etiam Herodiani nominati, quorum gregales erant, qui cum Pharisæis Christo de tributo Cæsari pendendo periculosam quæstionem posuerunt Matth. 22. Præterea cum Herodes ipse mirè sibi de hoc nomine gratulatus, magnificentissimum Iudæis templum æmulus gloriæ Salomonis erexisset, vt hunc sibi titulum honoris stabiliret: iam horum immemor, natalem inquirit locum alterius Christi, quia suum non posset ignorare: ita præcipitem agit tyrannum

ira

ira timorque, & insana regnandi libido: vt finem, quem hic spectabat vnicè facilius obtineret, & certiori via natum Christum perimeret.

Ideo quærit, *vbi nasceretur*: Hebræus habet, *vbi nasciturus esset*: vt elideret nati iam Messiæ, quam Magi passim concitarant opinionem: & vel hinc conijcere liceat, ne rumor ille longè tota die, & nocte per orbem & Iudæam vulgaretur, protinus ad se Magos euocasse, & hospitio regio accepisse cum comitatu, & apparatu, ne latius natiuitatem illam disseminarent. accelerasse etiam cum concilio, vt quamprimum Reges dimitteret, famam istam opprimeret, ac citius agere posset de puero trucidando. astutia eiusdem.

CAPVT XXVIII.

Stultitia Herodis qui & oraculis fidem tribueret, & speraret euentum se posse eorum impedire.

QVÆSIVIT Herodes locum natalem Messiæ; sed an diuino impulsus spiritu, vel maligno? diuino videri potest agitatus: vt duplici testimonio veritas tam Magorum & stellæ, quam Iudæorum & scripturæ panderetur; id multi Patrum insinuant: sed ea debuit permissiua vt vocant, Dei voluntas dici, diabolo potissimum Herodem impellente ad necem puero machinandam, quod vtique non aliter poterat facere, quam si locum commemorationis certo scripturæ testimonio comperisset: ita operis imperfecti autor. *Ex hoc, inquit, apparet maximè, quia diabolus turbabatur in Herode quoniam traditores legis interrogat: vt quid enim interrogat Herodes, qui non credebat scripturis? sed instigabat diabolus, qui credebat quod scripturæ non mentiuntur; nam diabolus alios in errorem inducit, ipse autem veritatem benè cognoscit.* An diuini vel maligni spiritus impulsu Herodes inquisierit? Videtur diaboli suasu fecisse.

Noua suboritur hinc, & maior difficultas: vel enim Herodes consulturus concilium verè diuinis oraculis credebat & fidem ijs certam tribuebat, vel non: si credebat ijs, quomodo poterat, nisi emotæ mentis fuisset, contra tot vaticinia Prophetarum sperare se posse æternum Messiæ regnum euertere; cum toties Patriarchis, Regibus & Prophetis stabilitas, & æternitas eius sit appromissa? sin his non credebat, cur consulebat pro loco natali cognoscendo; quibus fidem derogabat? An ita fastuosum & ambitiosum animum intemperiæ tunc vrgebant, vt quid faceret, ignoraret; Doctor Angelicus breuiter rem sic proponit. & discutit. *Aut ipse* (Herodes) *credebat Prophetiæ, aut non: si credebat, sciebat quod non poterat impediri, quin ipse regnaret: quare ergo interfecit pueros? si non credebat, quare ergo quærebat? sed dicendum: quod non perfectè credebat, quia ambitiosus erat, & ambitio hominem cæcum reddit.* Aptè, non enim toties audita, & lecta veritas oraculorum Propheticorum (quæ Herodes cum totum se ad Iudaïcos ritus transtulisset non poterat ignorare) sinebat, vt fidem ijs omnem derogaret, interim ambitio (more cuiusuis alterius peccati) sic traxit ad se peccantis voluntatem, vt non pateretur intellectum excutere rei claram veritatem: imo & ipsum inclinarit, vt rationibus exquisitis conaretur tueri voluntatis improbitatem, & grandius proponeret bonum, quam in se seuerit, speraretque consequi se nisu improbo posse, quod si liber fuisset à perturbatione ambitionis iam ἀδύνατον apparuisset: nam animi passio turbans limpiditatem intellectus, non sinit fundum veritatis intueri. Accedit quod dæmon studiosè mentem auocet à rei, quæ fieri non potest, memoria: imo facile proponat factu, quod fieri nequit, vt clarè probat autor operis imperfecti. *Quid enim, ait, vis? credebat Herodes scripturis, aut non credebat? si non credebat, vt quid interrogabat scripturas, quas putabat esse vaniloquas? aut si credebat, quia inde verè nasciturus est Rex, vnde scripturæ dicebant: quomodo sperabat posse se interficere Regem illum, quem futurum esse scripturæ dicebant? Nunquid homo poterat corrigere, vt ne fiat, quod Deus ordinauit vt fieret? sed quidem credebat Herodes in malo: in bono autem non credebat, quoniam quidem quod inde nasciturus esset Rex, vnde scripturæ dicebant; credebat: quoniam autem aduersus eum agere non poterat, quem Deus mittebat, non credebat, quia non suo con* An crediderit scripturæ. *Thom. hic* credidisse videtur. sed passio excœcauit lumen rationis. & diaboli suggestio. vt aliqua crediderit Herodes sibi grata alia non crederet.

ad diaboli impulsum

consilio gubernabatur, sed vinculo diaboli trahebatur ligatus, sic sunt omnes homines peccatores, in quibus diabolus operatur, credunt scripturis, & non credunt; quia hoc ipsum, quod credunt perfectè credere non permittuntur: quod enim creaunt veritatis est virtus; quia nulli potest esse occulta. Quod autem non credunt, excæcatio est inimici, quia subiecti sunt operibus eius; & mens eorum libera non est: explicat rem deinde claro simili, quod omnes contingit Christianos: *vtputa omnes qui Christiani sumus, & legimus, & scimus, quia mundus consummandus est, & quia morituri sumus: & hoc ipsum tamen perfectè non credimus: si enim perfectè crederemus, sic viueremus, quasi post modicum transituri de hoc mundo, non quasi in æternum mansuri.* Aurea sanè monitio, quam vtinam qui scelera sceleribus cumulant cubitalibus literis in cubiculis scriptam quotidie legerent. Profectò nisi defectus fidei esset in peccatore, qui fieri posset, vt memor suppliciorum in ferni peccatis mortalibus obstrictus vel noctem quiescere posset tot mortis omni momento obiectus casibus, quin ea ante dolore concepto expiasset? vana prò dolor spes vitæ longioris deludit toties, donec improuisa mors imparatum opprimat: Benè orabant Apostoli *Domine adauge nobis fidem*, vt verè *à iudicijs* Domini *timeamus: quia horrendum est incidere in manus Dei viuentis*: Sed horum velut tristiorem cogitationem auertit à peccatore dæmon, vt irretitum teneat flagitijs, facitque eum stultè ad ea, quæ fieri non possunt, cum Herode niti: suam interim dementiam. prudentiam etiam & calliditatem interpretatur: vide quam manifestè ad veritatis amussim expendat. S. Chrysostomus Herodis insaniam: dum primo ostendit in nullius Regis vel hominis cadere natiuitatem, quæ contingebant circa hanc: vt inde Dei opus esse cogeretur aduertere; & tamen ea moliri contra eum ausus est, quæ fieri non possent: *puerum*, ait, *interficere parans, quod non stultitiæ solum; sed etiam furoris indicium est: nam vt illa, quæ facta sunt, & illa quæ dicta idonea erant, quæ ab omni illum possent deterrere tali conatu. Non enim hominis naturæ consentanea erant, quæ acciderant, siquidem & quod stella Magos cælitus vocarit, & quod homines barbari longinquæ subierunt peregrinationis laborem, vt adorarent in pannis, atque in præsepio collocatum, & quod olim Prophetæ omnia ista prædixerunt, aliaque eiusmodi longè maiora erant, quam vt conuenirent homini; sed illum tamen nihil horum detinuit. Tale quippe est vitium malignitatis, sibi ipsi perniciem accersit, & frustra res nihili aggreditur. Considera ergo vecordiam: si enim Prophetiæ ipsi credebat, eamque immotam putabat, clarum erat illum aduersus impossibilia conari: sin vero non credebat vnquam euentura esse, quæ dicerentur, nec sibi timere debuit, nec puero insidiari: Ex vtroque igitur frustra susceptus dolus iste conuincitur.*

qui excœcat pecca tores.

quasi immortales essent.

fides ijs deest.

Lucæ 17. 5.
Heb. 1. 10.

S. Chrysostomus.

Quam testata fuerit natiuitas Messiæ.

& stultè Herodes voluerit eum tollere.

Addit & tertium genus extremæ dementiæ quod Magos speraret se habituros adiutores in puero perdendo, ob cuius honorem tantum iter emensi fuerant. Ita stat e fatum Philosophi. *omnis peccans ignorat*, nunquam homo deliberatè peccatum conscisceret, nisi perturbatione quadam concitatus, obnubilatam haberet rationem, vt non possit vel nolit intendere ijs adiunctis rei, quæ eum valent ob peccati turpitudinem ab eo deterrere: ita Saul sciebat Dauidem à Deo electum, ac post se regnaturum, dum eum persequeretur; sed mens passionis æstu obnubilata sperabat à se contra Dei voluntatem eum posse trucidari. Proprium hoc habet amor, prius nobis vitio protoplastorum insitus & innatus, ita rationem perturbare, vel fascinare, vt sicut ebrij mens vacillat, & inconstanter nunc huc, nunc illuc desiderio ac cupiditate fertur, sic dementatus infelix homo amoris proprij perturbatione: nunc fidem diuinis habeat oraculis, postea mente paulum philautia dimota, credat ea se posse viribus suis euertere: quam inconstantiam graphicè describit Stephanus Salazar Carthusianus: *Subit*, inquit, *animum admiratio, & quotiescunque mecum reputo, quam transuersos nos agat nostri ipsorum conceptus amor: nunc enim effieit, vt quæ perse sunt clara, densissimis, & plusquam cimmerijs tenebris obducantur. Nunc vt vera, & diuinis oraculis prænunciata pro dubijs & incertis reputemus. Nunc vt non dubitemus diuina consilia eludi, & destinatos à Deo euentus humana posse ratione frustrari; cum scriptum sit: non est sapientia, non est prudentia: non est consilium contra Dominum*, &c. Probat id exemplo Saulis & aliorum, *Christus*

Vt Saul Dauidem.

philautia excœcat omnes peccatores.

Salazar lib. de Genealogia Iesu Christi.

& ipsos Apostolos.

in;

inquit, *Redemtor noster Luc. 28. acerbissimæ mortis suæ historiam ita apertè atq; perspicuè ob oculos proposuit discipulorum suorum; vt nullus superesset locus dubitandi: Ecce adscendimus inquit Hierosolymam & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint eum, occident eum. Quid obsecro proponi potuit dilucidius? verum vt videas, quam difficile intelligamus id, quod nostris aut votis aut cupiditatibus aduersatur; sequitur: Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur: Hoc insigni Pleonasmo rem esse prorsus stupendam atque mirabilem Lucas explicauit. Saul procul dubio compertum habebat Dauidem regnum initurum, scio* (inquit 1. Reg. 24.) *quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum: Idem fatetur de patre suo* Ionathas 1. Reg. 20. *At cum fidem & constantiam verbi Dei non ignoraret Saul, adeo cœcutiebat sui amore, & regni cupiditate captus, & longius à recto abductus, vt nihil non moliretur Dauidem è medio sublaturus. Vix enim credimus vnquam euentura, quæ contraria sunt nostris cupiditatibus. Heu quotus quisque credit se mortalem mortem & strictissimum iudicium subiturum, quotidie corrumpimur, quotidie commutamur, inquit Hieronymus, & immortales nos esse credimus. Achab non credit Michææ 3. Reg. 24. Iudæi non credit cæco nato, Io. 9. Herodes suis dolis diuina consilia putat posse labefactari. Cum scriptum sit: consilium meum stabit, & voluntas mea fiet, & iterum: congregamini gentes, & vincimini: inite consilium, & dissipabitur: quia nobiscum Deus.* O amor proprie quam bene cœcus pingeris, fingeris, nominaris? ita sapientissimum Salomonem etiam exoculasti, vt speraret se cæso Ieroboamo diuinum posse decretum euitare: orandus Deus cum Psalte Regio: *Illumina Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum.* Ne cœcus ille proprius amor ita mentem nobis eripiat, vt vitijs frena laxemus & speremus diuinam euadere nemesin, omnia scelera nostra continuo conspicientem, ponderantem, & suo tempore punientem.

toties prædictam Christi passionē. non credentes.

Saul sciens Dauidem regnaturū.

eum parat necare.

hinc apertè non credunt peccatores.

psal. 12. 4.

CAPVT XXIX.

AT ILLI DIXERVNT

An concilium peccarit Herodi respondendo?

ABSTINEO me breuitatis causa à varijs hic incidentibus difficultatibus: habueritne concilium veteris testamenti certam & exploratam Spiritus Sancti adsistentiam, & gubernationem? hoccine legitimum fuerit? An Rex id coëgerit; præsens vel præses fuerit? summusne Pontifex primus responderit, an vltimus deciderit quæstionem? Illud tantum quæro, peccarintne Iudæi, dum Herodi locum natalis Messiæ rogati significarunt: deinde veréne complices Regis fuerint, & pariter cum eo in necem nati pueri coniurarint?

Iansenius cum alijs excusat eos à culpa: *non*, ait, *apparet eos hac in re culpandos eum Regi suo, cui subiecti erant, eidemque proselyto, & pietatem simulanti non potuerint non pro suo officio respondere, illud in testimonio iure omittentes, quod propositæ quæstioni non seruiebat.* *Iansenius* excusat eos.

Culpant alij scribas & pariter peccasse volunt: multus in hoc est autor operis imperfecti. (*Dant*, inquit, *responsum regi interroganti ex corde non bono, cum deberent celare mysterium regis à Deo prædefiniti ad salutem gentis Iudææ, maxime in conspectu regis alienigenæ, qui non solum zelo regni; sed etiam generis alieni odio aduersaturus Regi postmodum futuro non ignorabatur, si ipsi sapienter voluissent considerare. Et non solum manifestum mysterium: sed etiam ad fidem sermonum suorum Propheticum protulerunt exemplum, tanquam qui thesauros Domini sui absconditos hostibus eius prodant, & facti* Alij reprehendant rectius. *autor operis imperfecti.*

3. *sunt non prædicatores operum Dei, sed proditores mysteriorum eius; & non Doctores Herodis, sed irritatores malitiæ eius. Ex quibus docemur scripturarum occulta non manifestare iniquis: sed fidelibus, sicut præcepit Paulus: quæ à me audisti per multos testes hæc commenda fidelibus, qui possunt etiam alios docere. Iste non solum Prophetiæ mysterium prodiderunt Regi iniquo, sed adhuc ipsam Prophetiam præcidentes, ex uno consensu suo omnes, & non exponentes scripturam diuinitus inspiratam interficiendorum paruulorum facti sunt causa.*

4. Decisio.

Ego vero sic existimo, si concilium Regi fidei materiam quærenti, vt exteris etiam Regibus satisfaceret, respondisset è scripturis, quod Deus cupiebat: virtutis etiam meritum fuisse reportaturum: at si quod probabilius est, iam tum, vt cum Rege paulo ante perturbabantur, sic modo peruersa animi propensione arma Herodi suggerere voluerunt Scribæ, & sacerdotes ad necem parvulo inferendam, locum eius diuersorij digito demonstrando, grauissimo se scelere polluerunt ipso Herode nequiores, qui diuinorum librorum auxilio ipsis ad salutem Iudæorum & Messiæ aduentum præparandum creditorum, nequiter ad necem ei machinandam abuti voluerunt: quod hic autor asserit, & ab eo tant multi sanctorum Patrum, quorum verba recitabo.

Quo fine videantur fecisse.

id SS. Patres testantur.

S. Chrysologus: *Videt Christum Magus, Iudæum præueniens manibus suis, quia quando Christum Iudæus Herodi scelere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur: hinc est, quod Gentilis, qui erat nouissimus factus est primus, quia tunc ex Magorum fide est Gentium credulitas dedicata, & Iudæorum est notata crudelitas.*

S. Chrysologus s. serm. 160.

S. Augustinus: *O Iudæorum terra impia, non congruis cælo, cælum demonstrat, vt aderetur, tu quæris, vt infans necetur, illi sibi annunciant Deum suscepisse pro te, & tu vis perdere eum, qui venit redimere te: nunciastis Herodi, vbi occidendus inueniri potest filius Dei; sed ille vestros filios occidens pro filio Dei, & vos orbitatis pœna nescios punit tanquam proditores, & filios vestros Dei fecit heredes: sic vos irridebat ille, qui habitans in cælo, iacebat in terra; sic furias vestras vestrique Regis subsannabat, quando mala vestra in vos retorquebat: & de malis vestris multa bona ille faciebat.*

S. Aug. l. 2. ad Catech. c. 5.

Et lib. 4. c. 4. *quid vobis profuit, quod prodidistis Herodi, vbi Christus nasceretur? nonne vos læsistis potius, quam Christo aliquid nocuistis? audiens enim ille à vobis, vbi Christus natus posset inueniri, vestræ gentis infantes præcepit continuo occidi.*

lib. 4. c. 4.

Item c. 5. *Magi Iudæorum Regem prædicant, Iudæi abnegant: illi quærunt adorare, isti quærunt occidere; dicunt Magi Herodi Regi, quem quærunt natum regem: dicunt Iudæi ex qua ciuitate surgat regnare: vtrique prædicant, vtrique confitentur, sed illi aliter, illi vt inuentus adoretur, isti vt captus necetur. O Iudæi ad hoc ferentes lucernam legis in manibus, vt alijs viam demonstretis, & vobis tenebras ingeratis: Ecce Magi primitiæ Gentium offerunt munera, non solum aurum, thus, & myrrham; verum etiam animas suas: & vos repudiat iniquitas propria; vt illum, qui vos venit obligatos liberare, dementes effecti quæratis occidere*: Sed de ista Iudæorum scelerata voluntate, qua cum Herode in necem pueri coniurarunt infra iterum recurret dicendi locus, vt à grauissimo scelere de prodendo malo fine loco non possint liberari.

CAPVT XXX.

IN BETHLEHEM IVDÆ.

Cur Christus nasci voluerit?

1. caussa vt Prophetiæ implerentur.

PRINCEPS ratio, quia Prophetarum vaticinijs, ibi velut Dauidis filius & regni verus heres in ciuitate Iuda nasci debuit, vt Dauidi facta promissio iam impleta significaretur. hoc erat igitur præter temporis notã aliud certũ argumentum nati Messiæ, locus natalis à Prophetis prænunciatus: & ipsa Dauidis patria, nam vt in hac velut eius legi-

legitimus heres naſceretur voluit Deus Auguſtum famulari, indicta deſcriptione & cenſu orbis terrarum: vt ibi ſinguli nomen ſuum profiterentur, vnde genus, & familiam ducerent.

2. ob fugam gloriæ.

Altera cauſa fuit amor abiectionis, & fuga gloriæ; quo nos iam inde ab ætatis exordio doceret rerum humanarum deſpicientiam, & amorem crucis & opprobrij. S. Leo: *Sed qui ſerui ſuſceperat formam, Bethlehem præelegit natiuitati, Hieroſolymam paſſioni.* Non venerat Chriſtus orbem terrarum potentia, viribus, vel vana ſcientiæ prudentiæque fama, & claritudine ſubiugaturus: ſed animi demiſſione, manſuetudine & aduerſorum tolerantia: ſuos igitur vt Dux milites ad ſimilia capeſſenda arma permoueret, crucis & contemtus inſignibus ornatus naſci, viuere, moriq́ue voluit: vt ijsdem decorati diuina potius virtute, quam humana ſolertia Deo mundũ acquirerent. *Si maximam Romam* (ait S. Thomas ex ſermone concilij Epheſini cap. 5.) *elegiſſet ciuitatem, propter potentiam ciuium mutationem orbis terrarum putarent; ſi filius fuiſſet Imperatoris, poteſtati vtilitatem adſcriberent: ſed vt diuinitas cognoſceretur, orbem transformaſſe terrarum, pauperculam elegit matrem, & pauperiorem patriam; elegit autem Deus infirma mundi, vt confundat fortia: & ideo, vt ſuam poteſtatem magis oſtenderet in ipſa Roma, quæ caput mundi erat, etiam caput Eccleſiæ ſuæ ſtatuit in ſignum perfectæ victoriæ, vt & inde deriuaretur fides per vniuerſum mundum.* Humilia Deo præ reliquis placent: per ea enim diuina ſe exerit potentia, quæ ſuperba & faſtuoſa ſemper deprimit, depreſſa & abiecta ſurrigit, vt non poſſit homo ſatis propriæ deſpicientiæ pretium æſtimare: huius valorem vt doceret homines Chriſtus, hominem induit. ſed viliſſimum, & abiectiſſimum, vt ſuas oſtenderet diuitias & delicias in pannis contemtuq́ue gloriæ latitare. Appoſitè S. Bernardus: *Diſcimus ex hoc, quomodo ſuſcipi velit, qui in Bethlehem voluit naſci: erat enim, qui ei forte ſublimia quærenda eſſe arbitraretur palatia, vbi cum gloria Rex gloriæ ſuſciperetur, ſed non propter hoc à regalibus ſedibus venit. In ſiniſtra eius diuitiæ, & gloria, in dextra longiturnitas vitæ: horum omnium æterna in cœlo affluentia ſuppetebat: ſed paupertas non inueniebatur in eis: Porro in terris abundabat, & ſuperabundabat hæc ſpecies, & homo neſciebat pretium eius: hanc itaque Dei filius concupiſcens deſcendit, vt eam eligat ſibi, & nobis quoque ſua æſtimatione faciat pretioſam.*

S. Thomas 3. p. q. 35. a. 7.

1. Cor.

Humilitatem docet nos Chriſtus.

ſerm. 1. in vigil. Nat.

Licet igitur ſponte & voluntate ſua Dauidis elegerit familiam, è qua gigneretur, adeoq́; ipſius patriam: etiam in hoc voluit nos docere ſubmiſſionem, quod patriam viliorem prætulerit digniori: quam tamen factis ipſe ſuis fecit omnibus orbis ciuitatibus illuſtriorem: nam Deus pater, quo magis ſe filius deprimere geſtiebat, hoc captabat ipſe magis occaſionem vbique gloriam eius declarandi: hinc Magos ſtella præuia deduxit ab Oriente, vt iacentem in pannis inter pecudes in præſepio Regem eſſe cœli terræq́ue Solymis, & per Palæſtinam publicarent.

CAPVT XXXI.

Sic enim ſcriptum eſt.

profuit ambitio Concilij Iudæorum ad veritatẽ cognoſcendam & publicandam.

VT Herodis ambitio, ſic ſcribarum iuris diuini peritia mirificè ſeruiuit natalibus Chriſti propagandis: cum enim inanis eſſent gloriæ cupidiſſimi, & fauorem Herodis modis omnibus venarentur, promtos ſe paratoſq́ue ad nutum eius finxerunt, & examinatis oraculis diuinis certatim ipſam pariter promſerunt veritatem: Quod Deus fieri voluit, vt ſancti Reges Iudæorum & ſcripturæ teſtimonio confirmati, magis ad quærendum natum Meſſiam excitarentur, teſte ſancto Leone: *Per Hebræorum Scribas & Doctores: quod ſacro de ortu Chriſti pronunciarat, didicerunt, vt gemino teſtimonio confirmati ardentiore fide expeterent, quem & ſtellæ claritas & prophetiæ manifeſtabat autoritas: prolato enim diuino oraculo, per reſponſa Pontificum, & declarata ſpiritus voce,*

S. Leo ſer. 4.

quæ dicit & tu Bethlehem, quam facilè & quam consequens fuit, vt Hebræorum proceres crederent, quod docebant: sed apparet illos carnaliter cum Herode sapuisse: & regnum Christi commune cum huius mundi potestatibus existimasse: vt & illi temporalem spernerent Ducem, & terrenum metuerent consortem; vbi causam subnectit, cur Magos sequi noluerint; quia cum terrenum tantum regnũ eius fore crederent; Herodi alienigenæ maluerunt, quàm legitimo suo Regi adhærere: ideo & ipsi petenti, solicitè responderunt. Putat hoc loco S. Chrysostomus eos, quia nondum Christi inuidiâ laborabant; de eo veritatem promtè declarasse: quam deseruerunt postea, cum eius gloriam miraculis auctam liuore stimulante, non æquis oculis adspexerunt: *Videsne*, ait, *cuncta eò tendere, vt Iudæi arguantur? qui cum Christum nondum vidissent, & necdum inuidia eos inuasisset, verè testimonia recitabant; vbi vero adspexerunt gloriam eius miraculis editis partam, liuore correpti, ex eo veritatem deseruerunt*: itaque Rege sic postulante non detrectarunt se mutuo docere, & à se nonnihil discere tam Iudæi, quàm Magi, licet dociliores Iudæis Magi essent discipuli, qui non contenti scientia & theoria eam ad inuestigandum cognitum Messiam retulerunt vt idem expendit.

nec tamen agnitam veritatem sunt secuti.

hom. 7. in Mat.

carebant tunc inuidia personæ Christi docent & docentur mutuo Magi & Iudæi.

S. Chrysostomus.

Considera verò ait hoc loco etiam quam admirabilia administrentur, quanque miranda negotia: quandoquidem & vicissim docent, & mutuo à se aliquid addiscunt, Iudæi scilicet & Persæ: nam Iudæi quidem à Magis audiunt: quoniam stella eum in regione Persidis prædicauit: Magi verò à Iudæis discunt, quod eundem quem stella promulgarit etiam Prophetæ multis seculis retro prædicarint, atque sic interrogationis occasio, diligentioris & manifestioris facta est demonstratio doctrinæ: ac ipsi quidem veritatis inimici promendæ veritatis gratiâ etiam nolentes coguntur legere literas & prophetiam interpretari. Ita diuina prouidentia vel nolentes voluit Iudæos, sicut Magis olim, ita & nostro tempore seruire Christianis: qui sibi quidem pœnas accersunt sempiternas, dum cortici inhærent & literæ scripturarum: spiritum vero & medullam nolunt degustare. multum tamen nobis commodant, dum ex eorum libris Gentiles conuincimus, non esse posterius de Christo conficta quasi oracula; quæ post eius mortem primum scripta sunt; sed multis ante seculis prænunciata; sicut hostes Christi libris suis diuinis confitentur: hoc argumentum licet alibi luculenter ex S. Augustino tractarim, quia tamen supereſt eiusdem sanctissimi Doctoris alius locus reliquis prolixior, & ad præsentem materiam accommodatior, non pigebit apponere: *O magnum sacramentum! hodie per Iudæorum codices ipsos conuincimus, fiunt fideles per eorum codices: ostendimus Paganis, quod nolunt credere; nam aliquando Pagani faciunt nobis hanc quæstionem, cum vident quæ scripta sunt sic impleri, vt negare omnino non possint, quod ea per Christi nomen in omnibus Gentibus præsentantur, quæ in SS. codicibus prædicta recitantur; in fide Regum, in euersione idolorum, in mutatione rerum humanarum, & aliquado audent vt dicant: vidistis ea fieri, & tanquam prædicta sint conscripsistis: Hoc Poëta quidam eorum fecit, narrauit quèndam ad inferos descendisse, atque in Beatorum regionem venisse, demonstratosque illi Romanorum Principes nascituros; quos iam ipse, qui hæc scribebat, nouerat: præterita enim narrauit; sed quasi essent prædicta conscripsit; sic & vos inquiunt nobis pagani, vidistis hæc omnia fieri, & scripsistis vobis codicem, in quibus hæc legantur, tanquam prædicta.* Hæc est Paganorum oppositio; quam egregiè diluit commendando diuinam prouidentiam, quæ voluit vt Iudæi victi à Romanis soli inter omnes debellatos orbis populos vterentur suis legibus, ritibus, ceremonijs, libris: vt ex ipsis aduenisse Messias prædictus monstraretur: ipsum audiamus; *O gloria Regis nostri! merito Iudæi à Romanis victi sunt, nec deleti, omnes gentes à Romanis subactæ in Romanorum iura transierunt, hæc Gens & victa est, & in lege sua mansit: quantum ad Dei cultum attinet, patrias consuetudines, ritusque custodiuit; euerso etiam templo suo, extincto sacerdotio pristino, sicut dictum est à Prophetis; seruant tamen circumcisionem & morem quendam, quo à ceteris gentibus distinguuntur, propter quod? nisi propter testimonium veritatis: sparsi sunt Iudæi vbique portantes codices, quibus Christus prædicatur: & sicut prædictum est, præsentatur, vt iam Paganis possit osten-*

S. Augustinus serm. 67 de Annesis.

seruiunt modo Iudæi Christianis vt olim Magis.

Virgil. 7. Æneidos.

ideo Deus voluit Iudæos ritus suos retinere.

ostendi; profero codicem, lego Prophetam, ostendo impletam esse prophetiam: dubitat Paganus, ne forte hoc ipsum confinxerim; inimicus meus habet hunc codicem antiquitus sibi a maioribus commendatum: ambos inde convinco, Iudæum, quia id prophetatum & completum ego cognoui; Paganum, quia non ego hoc confinxi: non ergo seducant dæmonia specie diuinationis incautos: huc vsque S. Augustinus: hæc est illa mentis obcœcatio, quâ iusto Deus iudicio tastum eorum nimium diuinis suis eloquijs & legis operibus præfidentium adeoque fidem Christi renuentium comprimit: & quotannis dum adhuc Paschalem manducant agnum, nostræ tamen & Gentilium in Christum fidei veritatem probant; vt alibi idem ait Doctor, *Iam verò quem non fecit intentum, quid sibi velit, quod Magorum inquisitioni, vbi Christus nasceretur, Iudæi de scriptura responderunt, & ipsi cum eis non adorauerunt? nonne hoc videmus etiam nunc, quando ex ipsis sacramentis, quibus eorum duritia subditur, nihil aliud, quam Christus, in quem credere nolunt, ostenditur? nonne & quando occidunt quem in Paschate & manducant, Gentibus Christum demonstrant, quem cum eis ipsi non adorant? nam illud quale est, quod sæpe de testimonijs propheticis, quibus Christus prænunciatus est, quibusque hominibus dubitantibus, ne fortè à Christianis illa conscripta sint, non adhuc futura sed facta, ad Iudæorum codices prouocamus, vt animos dubitantium confirmemus: nonne etiam tunc Christum Iudæi ostendunt Gentibus, quem nolunt adorare cum Gentibus?* Toties inculcat S. hic Doctor illam Iudæorum cœcitatem Christianis famulantium, vt caueamus, si enim ob arrogantiam sic Deus oliuam abiecit, dilecta & prælata oleastro: nos si contingat à SS. Magorum humilitate degenerare, timendum, ne pari vel maiori percutiat mentis cœcitate.

nam Agni Paschalis esus ostendet Messiam.

CAPVT XXXII.

ET TV BETHLEHEM.

Discrepantia inter S. Matthæum & Michæam conciliatur.

SANCTVS Matthæus Michæam laudans ita recitat, *Et eu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in Principibus Iudæ: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.*

Textus S. Matthæi.

At Michæas ait: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iudæ: ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.*

Textus Michææ c. 5.

Variant hi duo tribus in punctis, *primo*, S. Matthæus omisit Ephrata: *Secundo*, vocat *nequaquàm minimam*, cum Michæas eam paruulam nominet. *Tertio*: Matthæus substituit Principibus, *pro millibus Iudæ*. Hinc graues ortæ quorundam autorum censuræ & dissonæ sententiæ.

Discrepãt in tribus

Fuere nonnulli, qui dicerent Euangelistas sæpe memoria lapsos, testimonia scripturarum non alijs tantum verbis; sed alio etiam & contrario sensu recitare; quod mihi videtur dictu temerarium: si non impium: non enim vitium esset Euangelistæ, *seu calami velociter scribentis*; sed scribæ Spiritus S. calamum ab errore non reuocantis: malè tales fulciunt se S. Hieronymi testimonio, qui cum de hoc loco dicit sensum esse contrarium, de vocula *minima* loquitur, cui negationem præfixit Euangelista, sensu prorsus eodem remanente, vt iam videbimus. *Secundo* S. Hieronymus, nec Euangelistam aut Michæam; sed Scribas arguit, malè Michæam recitantes; quorum etiam, ait, voluisse S. Mathæum allatis, ipsorum verbis ignorantiam indicare: at non improbabile, quod quidam censent, concilium librum in medium attulisse, verbaque Michææ clarè legisse, non de memoria recitasse: vel si non legerit; Euangelistam voluisse ex aduersariorum etiam sententia, quam approbat de loco, confirmare Christum, non nisi in Bethlehem nasciturum.

1. sententia temeraria.

fundamẽtum eius refutatur. *in Epist. ad Pammachium.*

2. sent. S. Hieronymi.

Tertia quorundam opinio, locum Prophetæ per interrogationẽ legendũ esse, hoc modo: an minima es? sensu eodem, quo negat Euangelista minimam esse; sed cum interrogationis nota absit à Romanis exemplaribus, non est eo confugiendum.

3. sent.

4. sent. *Suarez. to. 2. 3. p. q. 13. a. 3.*

Quarto Suaretz citat Iustinum, Cyrillũ, Alex. Orig. Tert. & alios, qui ipsi Michææ loco

loco negationem præfixere; forte quod in Græcis nonnullis exemplaribus eam inuenissent: sed hi videntur potius Michæam verbis Euangelistæ loquentem induxisse, vt ipse fatetur à S. Ambrosio recitatum Prophetam cum negatione: mouet tamen dubium de apparenti repugnantia vtriusque, quam dicit esse verborum non sensuum.

verior sen.

Maldonati: Mihi Maldonati placet sententia ab Euangelista non verba Prophetæ, sed scribarum & concilij recitari: quæ non Michææ verba sed sensum continent, & eius interpretationem clariorem, è qua Herodes facilius, quam è verbis Prophetæ rei veritatem apprehenderet, & sic eos etiam excusari posse censet Doctor Angelicus, *Quod vsi sint scienter alijs verbis, & dicunt sententiam, quia cum Herodes esset alienigena, non intellexisset autoritatem Prophetæ, & ideo dixerunt illi, quod notum erat Herodi*, & Salazar ex Remigio ait, *eos non ad verbum, sed paraphrasticè, vt commodius intelligerentur vaticinium recitasse.* Itaque cum sensu concordent scribæ cum Michæa, licet verbis discrepent, vt facilius responsum ab Herode cognosceretur; non magnopere culpandi videntur, præsertim cum S. Matthæus eorum etiam approbet, velut aduersariorum testimonium, quo certius constaret non Michææ tantum; sed etiam concilij totius sententia Messiam in Bethlehem, non alibi, esse nasciturum: quæ sic apud Hebræos inualuit opinio: vt Ioannes 7. cap. hunc eorum sermonem proferat, *nunquid à Galilæa venit Christus? nonne scriptura dicit, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* nunc voces singulas Prophetæ expendamus, sensumque cum Euangelista componamus.

concordat. *S. Thomas in 2. Matt.* *Remigius. Salazar.* *Ib. 7.*

CAPVT XXXIII.

DE BETLEHEM EPHRATA

Etymis nominum & quomodo frugifera sit ac domus panis?

PRIMA fuit hæc antilogia, quod Michæas Bethlehem Ephratam nominet: Euangelista cum Scribis dicat *Bethlehem terra Iuda*: Doctor Angelicus claritatis id causa rectè ait fecisse: *Ephrata enim nomen antiquum erat & forte Herodi ignotum, vt ergo ab ea, quæ in Galilæa est Bethlehem distingueretur, terra Iuda addiderunt.*

in catena. Bethlehē prius dicta fuit Ephrata. 1. *Par.* 4. *v.* 4. à fertilitate vtrumq; nomen duxit. *Adrichomius in descriptione terræ sanctæ.*

Fuit Bethlehem Iuda Dauidis & Christi patria binominis, quæ à suis (vt quidam volunt) videtur conditoribus duplex nomen accepisse; Ab initio *Ephrata dicta*, forte ab eo, qui Bethlehemum genuit scriptura teste; *isti ait sunt filij Hur primogeniti Ephrata patris Bethlehem*: sed siue ab his, siue aliunde sit appellata, nomen vtrumque congruenter datum est loci fertilitati: nam *Ephrata* ducitur à radice *para fructificauit*: *Bethlehem vero domum panis* significat: appositè: sic enim agri totius amœnitatem & fertilitatem describit Adrichomius. *Bethlehem sita est in monte mediocriter arcto, situ ipso arcto & oblongo, terra subiecta rerum omnium copiam, multum præstat, vini potissimum, vt comparandum non sit, quod ex alijs Palæstinæ locis adfertur; iter verò quod Hierosolyma euntibus Bethlehem est; vsque adeo sui amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis transeuntes delectat, vt si ad tam præclaram naturæ faciem cælestis aliqua & digna Christiano meditatio accedat, non iam in terris sibi esse videatur, sed in paradiso Christi natiuitatem & incunabula præsentibus oculis contueri.*

fæcunditas agri Bethlehemitici.

Itaque non vacat mysterio: quod locum hunc vbertate & fertilitate celebrem Deus voluerit Bethlehem nominari: vt iam tum ostenderetur, illum qui verè *panis Angelorum* est hominibus in alimentum datus, ibi velut in agro fœcundissimo germinaturum: quo plerique & sæpe SS. Patres respiciunt.

Bethlehē quomodo sit domus panis. à Iacobo propheticè & hoc nomen datū, est.

Ex etymo vocis ita Haymo loquitur, *Pulchre ergo Dominus in Bethlehem nasci voluit, Bethlehem quippe domus panis interpretatur: eo quod ibi pauerit Patriarcha Iacob pecora sua, imprimens & nomen Bethlehem ob futuræ significationis mysterium, quæ prius Ephrata dicebatur: locus enim in quo Dominus nasciturus erat, vt ibi verus panis per materiam carnis appareret; qui electorum mentes æter-*

terna satietate reficeret: ipse scilicet, qui ait in Euangelio: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi & de quo Psalmista dicit: panem de cœlo dedi eis & panem Angelorum manducauit Homo: de quo etiam bene Sedulius *canit: Christus erat panis, Christus petra, Christus in vndis:* Et S. Eucherius: *Non vacat mysterio, quod B. Virgo Maria relictâ patria, ciuitate, & domo filium suum in Bethlehem parere venit, Bethlehem enim domus panis interpretatur: Iesus autem de se ipso loquens ait: Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi; dignum ergo fuit vt panis vivus in domo panis nasceretur, cuius Christi natiuitas fuerit causa, vt sic vocaretur: Hoc enim ipse Dominus ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitã in vobis. suscipiamus itaque Christum in domo nostra, suscipiamus eum in mente ex pectore nostro, oriatur in nobis ipse via, veritas, & vita, ipse sapientia & iustitia;* Ac hi quidem duo putant nomen non tam à conditoribus manasse, quam à Prophetico afflatu, vt Haymo sentit, Iacobo cum pasceret ibi pecora Messiæ natalem locum ibi præsagiente, quod confirmat S. Greg. *Bene in Bethlehem nascitur Christus: ipse est enim, qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit: item locus in quo Dominus nascitur Domus panis antea vocatus est, quia futurum erat, vt ille per materiã carnis appareret, qui electorũ mentes in æternâ satietate reficeret:* S. Hieron. inducit ex etymo dictorum vocabulorum S. Paulam patriam Christi salutantem postea, quam eius decora id est mysteria fidei illic peracta copiosè memorasset; *atque inde ait Bethlehem ingressa & in specum saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium & stabulum, agnouit bos possessorem suum, & asinus præcepe Domini sui, vt illud impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est, Beatus qui seminat super aquas, vbi bos & asinus calcant, me audiente iurabat cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepi Dominum, Magos adorantes, stella fulgente desuper, Matrem virginem, nutricium sedulum, Pastores nocte venientes vt viderent; Verbum quod caro factum erat, & iam tunc Euangelistæ Ioannis principium dedicarent: In principio erat verbum, & verbum caro factum est, paruulos interfectos, Herodem sæuientem, Ioseph & Mariam fugientes in Ægyptum, mixtisque gaudio lacrymis loquebatur, salue Bethlehem domus panis, qui de cœlo descendit, salue* Ephrata *regio vberrima atque* καρποφόρε *cuius fertilitas Deus est, Hæc requies mea, quia Domini mei patria est, hic habitabo, quia saluator meus elegit eam.* His accedit Drexelius noster: *olim*, ait, * *quod Geneseos Historia testatur, in orbe vniuerso fames præualuit: nam in toto orbe panis deerat: æuo nascentis Christi summa religionis veræ penuria erat, crescebat quotidie fames in omni terra: hic est pinguis ille panis, qui delicias præbet Regibus: hic est panis ille diuinus, qui descendit de cœlo: Bethlehem si vocis etymum spectamus, idem est quod frugifera, seu domus panis; Rectè hoc quidem. Quia ibi natus est seruator, qui suos reficit æterna panis abundantia: Beda quotidie, ait, Christus in Nazareth concipitur, flore scilicet verbi suscepto, & in Bethlehem ijs nascitur, qui se dono æterni Patris reficiunt:* quæris qui domus fieri & Bethlehem possis? potes, quando & quoties libuerit, dignè Dominici corporis mysteria frequentare: pie docet te hoc & perspicuè mellifluus Bernardus, *Bethlehem*, ait, *domum panis; Iuda sonat confessionem; tu ergo si diuini verbi pabulo repleas animum tuum, fideliterque, & si non dignâ certe quanta potes deuotione suscipias panem illum, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo, dominicum videlicet corpus Iesu, vt veterem vtrem corporis tui noua illa resurrectionis caro reficiat & sustineat, quatenus nouum, quod intus est vinum hoc solidatum glutino valeat continere, si denique ex fide viuas & nequaquam gemere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum, Bethlehem factus es, dignus planè susceptione dominica, si tamen confessio non defuerit, sit proinde Iudæa sanctificatio tua, confessionem & decorem induere quam maximè in ministris suis stolam Christus appreciat.*

Christus panis viuus ibi.

de Epipha.

ho. 3. in Euang.

laus eius.

S. Paula salutat Bethlehem. ibi domũ figit.

de Christo nascente c. 3. Gen. 43.

In vigil: Natiuit: quomodo quis efficiatur Bethlehem.

CAPVT XXXIV.

Nequaquam minima es, & tamen minima.

Conciliantur verba Euangelistæ cum Michææ verbis.

HIc apertam quidam putarunt esse repugnantiam verborum, cum sensus prorsus sit idem, paruulam vel minimam vocat Michæas Bethlehem, ob loci & murorum angustias, innuit tamen magnam, quia virorum magnorum & ipsius Messiæ futura est patria, quod clarius Euangelista præfixa negatione exprimit, dum nequaquam censeri vult paruam, quæ mundi Seruatorem genuit: rectè S. Gregorius Nazianzenus: *nulla res prohibuit, quo minus Bethlehem simul & parua ciuitas esset, & totius terræ metropolis: vtpote Christi parens & nutrix*: Obseruat hic Cornelius à lapide apud Michæam tacitè aduersatiuam particulam *sed* ex nexu sermonis subintelligi, æque ac eadem subintelligitur psal. 118. v. 141. & 154. quasi diceret, ô Bethlehem minima quidem es, si domos, si muros, si ciues, si habitum, si celebritatem consideres; sed tamē nequaquā minima es, si Principes à te datos, vel dandos spectes: dedisti enim Dauidem, dabis & Christum Et ante eum Suares: Tacitè ait indicata seu intellecta latet ibi coniunctio aduersatiua, vt sensus sit *Tu Bethlehem paruulus quidem es, sed ex te egredietur Dominator in Israël, ac si diceret, sed virtute & dignitate magnus existis.*

S. Greg. Nyss. orat. 19.

Bethlehē ambitu minima. dignitate maxima.

Castellū nominatur.

Duo vult igitur Michæas de Bethlehem affirmare, primo paruulam esse ciuium numero, & murorum ambitu, vt res ipsa locique circumscriptio demonstrat: deinde de dignitate esse præcipuam, quia non Dauidem tantum genuit, sed & Messiam proferet. *Euangelista* (ait Suarez) *qua prior pars de loci quantitate nihil ad mysterium pertinebat, partem aliam de illius dignitate disertis verbis explicare studuit: dicens: nequaquam minima es in principibus Iudæ. Et vt explicaret se loqui de loci dignitate; subdit: ex te enim exiet Dux. addens particulam enim, quæ etiam non est in Propheta: Nam causa, ob quam Bethlehem non est minima dignitate ea est, quia in illa natus est Christus.*

Fauent huic expositioni ceteræ versiones. Tigurina, Vatablus, S. Hiron. Theodor. Remigius, Lyranus, Arias: quæ ita habent: *Paruula quidem es, inter chiliarchias Iudæ, ex te autem prodibit mihi, qui dominator sit in Israël.* Arabicus Antiochenus ita vertit: *& tu Bethlehem vrbs parua non eris in millibus Iuda: quia ex te egredietur Dominator supra Israël.* At Arabicus Alexandrinus dicit: *& tu Bethlehem Ephrata non humilis in millibus Iuda, quia ex te egredietur caput super Israël.*

Michæas dicit parvulus.

per Metonomyam.

Sed quid sibi vult: quod masculino Michæas vtatur genere: tu Bethlehem paruulus es? an vt Sanchez existimat respexit ad genus partis vtriusque, quæ Bethlehem componit: tam enim *Beth* domus, quam *lechem* panis masculinum exigit epithetum, vt Treuiri, Parisij sunt terminatione masculina. Vel sanè conditorem ciuitatis pro ciuitate accipit, sicut enim de domo Vcalegontis in genere masculino. Latinus Poëta: *iam proximus Vcalegon*: canit, ita per Bethlehemum virum principem ciuitatis, accipit ciuitatem: appositè, cum eum comparet cum alijs principibus, qui conditores fuerant vrbium aliarum Iudaicarum.

Quocirca non est inter Prophetam & Euangelistam vlla repugnantia, quæ si prima fronte quibusdam appareat, eam adiecto ad mores confirmandos documento sic breuiter descutit Rupertus: *cum Propheta dixit paruula es, subaudias in oculis hominum: & cum Euangelista dixit, nequaquam minima es, subintellige apud Deum.*

humiles Deus eleuat,

Cum Saul paruulus esset in oculis suis, magnus apud Deum, imo & homines esse cœpit: & mutata fortuna cum flatu eius secundiore nimium elatus iam se non caperet, diuinis obluctatus mandatis, quantis cœpit iactari calamitatibus? vilis iam suis, vilis & hostibus esse, turpiter ab eis victus, & ex alto suspensus. Paruam se semper & minimam ancillam Deipara reputauit: quanta vero apud Deum cœlites & homines? *Respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Quid filius eius *electus ex millibus*? nonne abiectus, inter pecudes natus? postea moriturus, *vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio*

iectio plebis: *& sciens infirmitatem*? cui deinde *datum nomen, quod est super omne nomen*, quia vnica ad veram gloriam via sui ipsius contemtio & despicientia: recta etiam ad depressionem semita fastus & arrogantia: *Qui enim se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur*: *deposuit enim Deus potentes de sede & exaltauit humiles.*

Isa. 57. Philp. 2. superbos deprimit. *Lucæ 14. Lucæ 1.*

CAPVT XXXV.

In principibus seu millibus Iuda.

PROPHETA dixit *in millibus Iuda*. Matthæus *in principibus*. Syrus *in Regibus* eodem prorsus sensu: nam regnum Hispaniæ comparare cum regno Franciæ tribus modis possum, nominando Regem, regnum, vel coronam Hispanicam, eique oponendo Regem, regnum vel coronam Franciæ: cum idem vsu & acceptione valeant: ita apud Hebræos multitudines, millia vel chiliarchiæ Iudæ pro eodem sumebantur: & loco earum vocum principes, chiliarchæ, Duces & Reges, qui illis millibus, vel multitudinibus præerant, licebat vsurpare. Erant singulæ 12. tribuum Israëlis per suas familias distributæ; quæ familiæ in chiliades vel millia aut multitudines, vel ciuitates secabantur, quibus millibus, vel ciuitatibus principes vel chiliarchæ præerant. Et quia *Eleph* Hebraicum significat simul mille, simul etiam chiliarcham, qui præest mille: vel principem: item doctorem & autorem: hinc apud Hebræos sæpè nomina isthæc confunduntur: vt pro *millibus* principes vel ciuitates accipiantur & contra.

discrepãtis scripturæ explicatio idem est Rex, regnum, vel corona Hispaniæ & apud Hebræos multitudines, millia, chiliarchia vel principes & chiliarchæ.

Ita Deut. 33. dicitur eodem sensu: *Hæ sunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manasse*: Et Iudæi etiam pro familia mea dicebant *Chilias mea*: vel princeps meus. Num. 1. 16. & alibi.

Deut. 33. Triplex sensus.

Triplex igitur potest esse explicatio: vt sicut dixi corona Franciæ potest comparari cum corona Hispanica, vel rex cum rege, vel regnum cum regno: sic etiam millia, principes & chiliarchia Bethlehemi, cum millibus, cum principibus & chiliarchijs aliarum vrbium: & primo quidem modo facta collatione sensus erit, ô Bethlehem vix est paruus vicus, & minor, quam vt computeris inter vrbes Iudæ, quæ abundant multis ciuium millibus; sed licet sis minima murorum ambitu & multitudine ciuium, es tamen maxima dignitate, ob Christum, ita S. Hieronymus: secundò verò modo, si principes cum principibus confundantur, quomodo dixi potuisse accipi masculino genere Bethlehem paruulus es? & hic sensus elicietur: paruus es respectu spatij, & loci, & prouentus præteritorum principum: paucos enim dedisti Iudæ principes: at magna, si consideres Messiam dominatorem ex te nasciturum. Iuxta tertium seu chiliarchias, hæc erit sententia: parua es si ciues tuos numeres inter chiliarchias Iudæ: quorum nec mille comprehendis, at magna respectu Christi nasciturí, qui non tantum chiliarcha erit, sed dominus etiam cœli & terræ, Rex hominum & Angelorum.

1.

2.

3.

Rectè igitur Ecclesia de Bethlehem canit: *O sola magnarum vrbium maior Bethlehem, cui contigit ducem salutis cælitus incorporatum gignere*: iam enim Bethlehē omnes totius orbis ciuitates nobilitate vincit: quia princeps eius reliquos omnes totius orbis infinitis partibus superat: *candidus & rubicundus, electus ex millibus, & totus desiderabilis.* Est & ipsa Bethlehem è millibus Iuda, & totius orbis vrbibus electa, in qua Christus in lucem produceretur: vt nihil iam splendoris Hierosolyma habeat, si cum hoc vico conferatur. S. Chrysost. id ex Euangelista deducit, *Hoc*, ait, *verè dicens, Ierusalem quoque comprehendit: nam omnis orbis Bethlehem confluit, vbi natus positus est, & nobilis factus est locus ille, non alia de causa, quam hac sola.* Accinit huic Bethlehemo & hoc epinicion S. Bernardus. *O Bethlehem parua, sed iam magnificata à Domino, magnificauit te, qui factus est in te, paruus ex magno: lætare Bethlehem, per omnes vicos tuos festiuum hodie Alleluia cantetur: Quæ tibi ciuitas, si audiat non inuideat pretiosissimum istud stabulum, & illius præsepij gloriam! in vniuersa siquidem terra iam celebre est nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes: vbique gloriosa dicuntur de te ciuitas Dei: vbique psallitur:*

prærogatiua Bethlehemi. *Cant. 5. 10.* præ Hierosolyma. *S. Chrysostomus to. 3. Homilia in Gentiles quod Christus est Deus* S. Bernardus.

quia

quia homo natus est in ea & ipse fundauit eam altissimus. Paruus & tu ô pie lector hic esse desidera, tibi vilis, abiectus, nullus: & *gloriosa dicentur de te ciuitas Dei*: in te etiam nâscetur Deus homo, fundabit in te sedem sibi altissimus, qui *superbis resistit, & humilibus dat gratiam.*

CAPVT XXXVI.

EX TE ENIM EXIET DVX.

Christus verus Dux animarum.

Diuersitas Prophetæ & Euangelistæ.

VAriat & hic nonnihil Prophetæ cum Euangelista lectio: caret Ducis nomine Michæas, & solius dominatoris meminit: *ex te*, ait, *mihi egredietur, qui sit dominator in Israël*: S. Matthæus verò sic ait, *ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël*. Nam sacerdotes cum de Duce nascituro in Bethlehem rogarentur eum non tam millibus, quam Ducibus & principibus Iuda, qui ex alijs ciuitatibus prodierunt, appositè compararunt, & prætulerunt, interpretati clarius sensum oraculi: deindè vt mansuetudinem Ducis huius & clementiam ostenderent, ποιμανεῖ *pascet*, addiderunt, quasi non virga ferrea tyrannorum more, sed optimi pastoris instar subditos esset gubernaturus, vt capite sequenti dicam.

Christus Dux & Pastor.

Michæas apponit *mihi*: *ex te mihi egredietur*: nam facit Deum Patrem loquentem, & affirmantem ad suam gloriam, laudem & obsequium Christum inde nasciturum, vt Dei patris nomen tota Palœstina & orbe terrarum celebretur.

At Matthæus *enim* apponit, vt indicet causam se dare, cur Bethlehem non in minimis sit numeranda, quia pariet Ducem Israëlis, & orbis.

Locus hic non poterat de alio quã Christo intelligi.

Iudæi quidam locum hunc de Ezechia sunt interpretati, at sub eo datum est hoc oraculum, nec is è Bethlehem prodijt; sed ex vrbe Hierosolymitana.

Alij Zorobabeli accommodarunt, qui tamen Babylone natus fuit: Theodorus Mopsuestenus cum suis id asseruit, contra quem sic declamat S. Chrysostomus. *Hom. 7.* *Quidam autem impudenter audaces aiunt de Zorobabele hæc fuisse prædicta: sed qua tandem ratione istud defendent? non enim egressus eius à principio ex diebus æternitatis. Quomodo item istud, quod ante dictum est: ex te exiet Dux, ipsi Zorobabeli poterit conuenire? qui non in Iudæa, sed in Babylone natus est. Vnde etiam nomen accepit, quod illic sit satus.*

non habitauit in patria.

Expendit & illud S. Chrysostomus Euangelistam & Prophetam tantum asserere ex Bethlehem exiturum, non illic educandum. *Porro* ait *considera ipsam Prophetiæ diligentiam: non enim dixit, quod in Bethlehem permansurus esset, sed ex Bethlehem procedet, inquit, vt signanter prophetasse videatur, illum ibi tantummodo nasciturum.* Breui enim post in Nazareth, deinde in Ægyptum abijt: in Galilæa nutritus: vt vix sciretur in Bethlehem substitisse, qui Nazarenus semper credebatur. fic à nobis voluit amorem patriæ superari. ne nos, dum alibi possumus Ecclesiæ bonum, Deique gloriam vtilius promouere, fumo patrio nimis tenaciter inhæreamus, & offuscemur, cum Christus patriam vt hospitium & diuersorium quasi in viâ, transitu & peregrinatione delegerit. *Veniunt* (ait S. Cyprianus) *in Bethlehem, quem prædixit Gabriel, inuenitur Emanuel: ciuitas parua, domus paupercula: tale elegit fabricator mundi hospitium*: ideo vix mensem, tanquam viator, ibi voluit subsistere: quo nos doceret aliam nobis in cœlis patriam inquirendam: hic orbem terrarum totum, arenam & stadium esse, in quo pro brauio cælestis gloriæ decurramus.

vsus ea pro diuersorio. *S. Cyprianus.*

quia patria communis omnium Cœlũ est. *S. Greg. Naz. orat. 25.*

Rectè S. Gregorius Nazianzenus: *Magnis omnibus & excelsis viris patria vna est superna Ierusalem, in quam conuersationem nostram recondimus: terrenæ autem hæ patriæ, & hæc generum discrimina breuis huius & caducæ vitæ nostræ ac scenæ ludi sunt. Quam enim quisque terram siue per tyrannidem, siue per calamitatem ante occupauerit, ea patria dicitur, cuius æque hospites & aduenæ sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus.*

Par ex omni orbis angulo ad cœlum & patriam nostram est &æquè expedita via,

imo

imo potius inde expeditior, vbi plus ad Dei gloriam, proximi vtilitatem, propriamque perfectionem laboratur: quod plerique extra potius. quam intra patriam, Christo teste, consequuntur.

Christum igitur, qui Ducem hic se nostrum viæ nominat, sequamur recta ad patriam præeuntem continuis virtutum incrementis; parum de loco, in quo ambulamus cogitemus: sequamur, inquam, vt milites suum polemarchum, sic nos verum Ducem, qui Pastores per Angelos, Magos per stellam duxit: ad quod verbis quidem simplicibus, pie tamen sic S. Bonauentura exhortatur: *Iesus est Dux animarum nostrarum in pugna contra hostes animæ: ergo in exercitu nostro Dux Deus est: & sacerdotes eius, qui clangunt tubis: Dux vniuersalis & misericors est: Christus Dux fuisti in misericordia populo, quem redemisti: qualiter autem Dux iste ducat populum suum per desertum huius mundi, dicitur Exodi 13. in columna nubis eis fuisti, in columna ignis per noctem, vt nubes ab æstu protegeret, & ignis in tenebris luceret: sic Christus Dux noster, qua ducit, protegit, ab æstu vitiorum, illuminat contra tenebras vitiorum: expandit nubem in protectionem eorum: vnde etiam sicut lumen columnæ Iudæos, sic lumen veritatis ducit Magos.* Augustinus. *Væ qui derelinquunt Ducem te, & oberrant in vestigijs suis.* Cœci profectò dum sine Duce cupiditatibus suis velut equo effreni laxant habenas, tandem per auia & deuia tracti ex alto se præcipitant. Sapientes illi, qui Ducem Christum frenatis cupiditatibus regiâ via crucis præeuntem sequuntur: neque enim tantum viam eis monstrat: sed complanat, expeditam, calcatam ac tutam reddit, munit contra hostes, adiuuat & confortat debiles. *Eia*, monet prudenter Thomas de Kempis, *fratres pergamus simul: Iesus erit nobiscum, propter Iesum suscepimus hanc crucem, propter Iesum perseueremus in cruce: erit adiutor noster, qui est Dux noster & præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis: sequamur viriliter, nemo metuat terrores: simus parati mori fortiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, vt fugiamus à cruce.* Ducem hunc sibi Dauid petit: *Dux mihi eris.* ps. 30.

Christus Dux viæ ad eam.

S. Bonauentura ser. 1. de Epipha.

protegit suos.

viam tutã reddit.

Tho. de Cẽpis l. 3. c. 56.

pugnat pro suis.

CAPVT XXXVII.

QVI REGAT POPVLVM MEVM ISRAEL.

Christus Pastor etiam fidelium est.

QVOD Michæas habet: *qui dominetur*, mitiori vocabulo sacerdotes ποιμανῶ *pascet* vel *reget* sunt interpretati: idem enim qui Dux à psalmographo promittitur, & Rex Israëlis; velut Pastor tamen oues suas dicitur deducturus. *Qui regis Israël intende, qui deducis velut ouem Ioseph.* vbi Dauuid videtur ad se figuram Christi allusisse: vt enim ipse à pastu ouium ad regnum & solium fuit eleuatus propterea, vt sciret Regem velut Pastorem debere commodis ouium intendere, pascere eas, tondere, non deglubere: sic Christum, licet Rex esset cœli & terræ, pedo tamen benigni pastoris potius oues ducturum, quam virga ferrea percussurum innuit: ideo typum eius Dauidem. *Deus de gregibus ouium adsumsit eum de post fœtantes accepit eum, pascere Iacob seruum suum, & Israel hereditatem suam.* Pulchrè Theophyl. *Pascet dixit, non tyrannidem exercebit, vel deuorabit: alij enim Reges non Pastores, sed lupi sunt; Christus autem Pastor, sicut ipse dicit: ego sum Pastor bonus.*

Christus Pastor suorum & Rex. *p. 79.*

figura Dauid ab ouibus ad regnum vocatus. *Psal. 77. hoc loco.*

Cur igitur noster interpres non vertit *pascet* sed *reget*? fecisset sanè, si Græcorum & Homeri potissimum consuetudine Christum prius ποιμένα nominasset: vt enim officij Reges commoneret Homerus, eos semper Pastores appellat: at cum ἡγεμόνα ducem nuncupasset, aptius subiunxit regendi munus: qui velut Dux exercitus pro subiectis populis in acie decertans erat moriturus, vt Israëlem sanguine suo in libertatem assereret.

Cur dicatur regere Israelem.

Interim dum Israëlem reget, an Gentes erit deserturus? minimè: nam & hæ continentur nomine Israëlis populi electi, & seminis Dei, adeo quidem vt Iudæorum perpauci: Gentium autem innumera fit eius fidem secuta multitudo, Iudæis repudiatis,

etiamne Gentes. *S. Chrysostomus. Ho. 7.* cur harum non fiat mentio.

diatis, Gentilium potius seu spiritalium Israëlitarum Dux esse vocarique voluerit, quam Iudæorum, licet tunc non expediret Gentium fieri mentionem: vt magis animaretur Iudæa ad Regem & Ducem suum admittendum. Eleganter hæc colligit ex Apostolo S. Chrysostomus: *Cùm totius orbis sit rector effectus*, ait, *qui regit populum meum Israël, nolens offendere Iudæos, tantisper sermonem de Gentium vocatione celauit. Quomodo ergo, inquis, non rexit populum Iudæorum? istud imprimis factum est; nam hoc loco Israëlem dicendo, quotquot ei ex Iudæorum & Gentilium populo crediderunt innuit: & hoc interpretatus Apostolus aiebat: Non enim omnes qui ex Israël, hi sunt Israëlitæ, sed quicunque per fidem repromissionis nati sunt: si vero non omnes rexit, hoc ipsorum crimen est, & culpa: cum enim oporteret eos adorare cum Magis & glorificare Deum, quia tale iam tempus instat, in quo illorum omnia peccata soluantur, nihil namque in hoc loco audiunt de iudicijs, de supplicijs, sed de mansueto tantum, mitique rectore, contra faciunt, turbantur, & tumultum concitant, atque conturbant: & mille post hæc moliuntur insidias.*

pascit & has pane Angelico.

Sed dum Iudæi verum Pastorum missum non nisi ad oues, *quæ perierant domus Israël* stultè contemnunt, deserunt: & cum Herode mortem illi machinantur, nouas ex Oriente Deus pater oues, Gentilitatem adduxit, verum Israelem vel Iezraelem semen: & filios Dei, quos Pastor ille vnus animarum in Bethlehemicum admittit beneuolè stabulum, & ouile suum; seipsum monstrat ijs in præsepio, velut Magis & sapientibus viris non fœnum, sed panem Angelorum offert, præbentem delicias Degibus. Interim dum eos tantum eius suauissimi panis odore recreat & adspectu: nos etiam eodem reficit & pascit, quod nec pastor nec mater vlla præstat filio. *Quis enim*, ait S. Chrysostomus, *Pastor pascit oues proprio cruore? & quid dico Pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores, filios alijs tradunt nutricibus, hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia sibi nos coagmentat.* & S. Augustinus ait, *Vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum hodie factus est homo: Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, verè panis filiorum, non mittendus canibus.*

S. Chrysostomus, Ho. 63. in Matth.

ser. 9 de Natiuitate Domini.

CAPVT XXXVIII.

Peccarintne Scribæ & Sacerdotes omittendo verba extrema Michææ, & egressus eius á diebus æternitatis. & an conspirarint in necem Christi cum Herode?

Hoc loco excusan: Iudæos *Iansenius & Maldonatus.*

NEGAT Iansenius, vultq; *illud in testimonio iure omisisse quod propositæ quæstioni non seruiebat.* Consentit Maldonatus: *Sequebatur & egressus eius à diebus æternitatis, quod illi tacuerunt: sed non tam malignitate, quã prudentia mihi videntur tacuisse, quod ad quæstionem propositam ab Herode; vbi Christus nasciturus esset, nihil attinebat.*

Reprehenduntur.

Contra recentiores quidam interpretes & Patres sentiunt, eos iam tum in necem pueri coniurasse, & cum vilioris videretur esse conditionis, humili & obscuro loco natus, cuius etiam natalis latebat ipsos Iudæos, eidem Herodem prætulisse: adeoque siluisse, diuinum eius & spiritale regnum, quod Herodem potuisset à nece puero parandà deterrere. ita Salmeron hoc loco: *Ac malitiosè quidem videntur Scribæ atque Sacerdotes verba, quæ sequuntur silentio suppressisse, & quæ poterant à cæde meditanda compescere Herodem: nempe egressus eius ab initio à diebus æternitatis: nam in principio erat verbum, & hoc erat in principio apud Deum. Ne ergo putaremus Messiam tantum hominem esse, qui ea ratione natus est in Bethlehem; addit generationem eius æternam, per quam verus Deus ostenditur.*

à Salmerone

S. Chrysostomo.

Deprehendit idem in ipsis S. Chrysostomus: *Ac ipsi quidem veritatis inimici, promendæ veritatis gratia etiam nolentes coguntur legere literas, & prophetiam interpretari, licet non totam: cum enim dixerint, quia ex Bethlehem processurus esset, qui regeret Israël, nequaquam tamen id, quod sequitur, addiderunt, in adulationem regis.*

Fuscus

Fusius idem facit autor operis imperfecti: *Et non solum prophetiæ mysterium prodiderunt Regi iniquo, sed adhuc ipsam prophetiam præcidentes, ex vno consensu suo omnes, & non exponentes omnem scripturam diuinitus inspiratam interficiendorum paruulorum facti sunt causa: quomodo enim scriptum erat? Et in Bethlehem terra Iuda, non es minima inter principes Iuda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël, diesque eius à diebus seculi. si ergo integram prophetiam protulissent, sicut fuerat dicta, considerans Herodes, quia dies nascituri Regis illius à diebus seculi erant, & intelligens antiquitatem honoris eius, quia non erat ille talis rex terrenus, cuius dies à diebus seculi erant, in tantum furorem non euasisset aduersus eum: nunc autem præcisâ hac parte prophetiæ, quæ compescere poterat zelum eius, primam partem solum protulerunt, quæ eum poterat irritare. Vnde ita exponentibus illis putans Herodes similem ceteris Regibus ex eâ nasci Regem paruulos interfecit, cum illis æstimans occidere etiam Christum. O infelices Iudæi! Herodem docuerunt, quia de Bethlehem nascitur ipse, qui est gubernaturus populum Israël, & se non docuerunt postquam natus est, vt crederent ei. Herodes illis credidit, quasi vera dicentibus, vt persequeretur Christum, & ipsi sibi non crediderunt, vt susciperent eum.*

Accedit his Doctor Angelicus hoc loco: *Nota quod truncant caudam autoritatis:* S. Thom. *scilicet & egressus eius, sicut ab initio, à diebus æternitatis: per quod insinuatur, quod non debebat esse Rex terrenus, sed cœlestis: quod si sciuisset Herodes, non fuisset inscius; inde fuerunt causa necis eorum.*

Huc faciunt ij sancti Patres, qui volunt Scribas & Principes Sacerdotum coniurasse in necem Saluatoris: quod S. Petrus Chrysologus ita docet: *Si Hierosolyma, si Rex,* S. Chrysologo. *si Scribæ, si Principes Sacerdotum ad Christi sic turbabantur infantiam, quid isti serm. 58. facerent? Christus perfectum mox in hominem si venisset, si fultus diuitijs, & multitudine, si cum suspectis, si cum extrancis? quid nil dant tempori, nil ætati, nil pauperi, nil parenti: sed vt audiunt natum, parant nascenti mortem, innocenti dolos, scelus pio, nudo gladios, soli milites, vagienti necem; pœnam parenti.*

Opponit Iudæorum sanguinario consilio pietatem SS. Regum S. Gregorius Nyssenus: *Peregrini & à testamentorum promissione, benedictioneque Patrum alieni sunt Magi, qui cognitione populum Israëliticam antenertunt, & cœlestem agnoscentes lucem, & in spelunca Regem non ignorantes, sanctè munera offerunt illi insidias struunt; hi venerantur, illi persequuntur; hi gaudent inuento, quem exquirebant, illi nuntiato illius ortu reformidant: videntes enim stellam supra locum, vbi erat puer, gauisi sunt gaudio magno valde: Herodes autem audiens, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo: hi ei tanquam Deo thus offerunt, & auro dignitatem regiam colunt, & prophetica quadam gratia per myrrham mortis dispositionem subsignificant, illi verò cunctos infantes vnum in locum coactos internecione delendos censent.* S. Max. etiam Gentium fidem contendit cum perfidia, dolis & insidijs Iudæorum; *Quæ tanta permutatio Fratres, quæue ista conuersio est? apud Iudæos Propheta loquitur, nec auditur, apud Gentes stella tacet & suadet? verè sicut scriptum est, quibus non est nunciatum, de eo videbunt, & qui non audierunt, intelligent. Ecce enim Chaldæi, quibus nihil vnquam fuerat de huiusmodi mysterijs prædicatum, intellexerunt natiuitatem Christi, ipsumque Christum solicitè perquirentes cœlo monstrante stellæ ducatu inuenire meruerunt. Nec sanè à quibuscunq; vilibus, obscuris, abiectisque hominibus hæc sunt vel intellecta, vel visa; sed à Chaldæis, id est apud quos superstitionum regnabat error: in his ingressus mundum Christus primitias fidei salutaris inuenit: & factum est inter Iudæos & Gentiles perfidiæ fideique quoddam certamen: nato enim Christo exsultabat Chaldæa, & tota cum Principibus suis Hierosolyma torquebatur: insectabatur Iudæus, Magus adorabat, Herodes acuebat gladium, Magus munera præparabat.*

SS. Regum pietas. S. Gregorius in natalem Domini. S. Maximus. hom. 5. de Epiph.

Sed nemo disertius sancto Augustino summam ingrati animi significationem & perfidiam magisque patheticè declarauit. *Nondum*, ait, *loquitur, & totum concutit mundum, clamat cœlum noui sideris radians fulgore, clamat terra turbata per Herodem: veniunt Magi admoniti, inquirunt Iudæi turbati: quærunt vbi esset, qui vbique totus est, & quæritur in mundo mundi* lib. 5. ad catech c. 5. S. Augustinus

fabricator: adhoc autem quærebatur, non vt agnoscerctur sed vt occideretur: quia mundus per eum factus est, & mundus eum non cognouit. O munde immunde, venit, qui te redimat, & turbaris? & hunc tu vis perdere, quando te disposuit ille liberare!

Hæc fuit perfidia Iudæorum iam tum clamantium: *nolumus hunc regnare super nos*, nam vitijs suis immersi, quibus Herodes conniuebat, imò applaudebat, non poterant iustitiæ summæque virtutis Regem adamare, qui veniebat Palæstinam à corruptelâ scelerum liberare: ita cum sancti Patres velint eos in necem Christi cum Herode conspirasse, non alienum videtur fuisse, quod Doctor Angelicus cum S. Chrysostomo docuit, eos eadem moleuolentiâ stimulante prætermisisse de industriâ, quæ præuidebant posse tyranni furorem mitigare.

CAPVT XXXIX.

TVNC HERODES.

Eius pauor, furor, & insania: at SS. Regum contraria studia.

Herodis pauor. ex ambitione. *S. Bernardus l. 3. de considerat.*

COGNITO iam loco natalis Christi cor Herodis maioribus exæstuat curis: quo se vertat ignarus: ambitio perturbabat & lancinabat contínuis aculeis: & ipse puer inermis armatum Regem magis fodicabat. Verè stimulos ambitionis descripsit Bernardus. *O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places! nihil acrius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotijs eius.* Hæc vrget vt necem puero machinetur. cui puero? cuius ad nomen contremiscit, cuius ad nutum ipse cum omni regno perturbatur. *S. Eucherius. hom. 1. de Epipha.* *Ecce* (ait S. Eucherius: *iacentem in præsepio pertimescit armatus, contremiscit humilem rex superbus, & abiectam infantiam ac vagientem expauescit ætatem, obuolutum in pannis metuit purpuratus.* & huic ipsi dolos, insidias, & mortem parat cognito iam loco natiuitatis falsa adorationis promissione. Insanis Herodes, insanis ambitione tibi mentis oculos perstringente, qui vitæ mortisque Dominum tuis putas imperijs subiacere: erit cum ipse lubens volens pro te etiam cupiet mortem crudelissimam oppetere, vt te, si Magorum fidem imitari velles, regni cœlestis heredem constituat: sed tyranni dementiam ex S. Leone præstat audire, *Herodes audiens Iudæorum Principem natum, successorem suspicatus, expauit, & molitus necem, salutis falsum spopondit obsequium: quam felix foret, si Magorum imitaretur fidem, & conuerteret ad religionem, quod disponebat ad fraudem? O cæca stultæ æmulationis impietas! quid perturbandum putas diuinum tuo furore consilium? Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum: quid incommutabilem dispositarum rerum ordinem vertere, & aliorum facinus præoccupare conaris? inors Christi non est temporis tui: ante condendum est Euangelium, ante prædicandum est Dei regnum; ante sanitates donandæ sunt, ante sunt facienda miracula: ergo quod alieni futurum est operis, tui esse vis criminis? nihil hac molitione proficis, nihil peragis: qui voluntate suâ natus est, arbitrij sui potestate morietur.* *ser. 1.*

Nil ista tyranni mentem commouent, moriendum licet Dei Filio, imo quia Messias Iudæorum rex exspectatus est.

Consilia eius stolida.

Contrà diuinam frustra pugnas potentiam; qui stellâ missa reges exteros aduocauit, non poterit se per ipsos vel alios à periculo liberare? imo socios eosdem, certè administros adhibebo. Simplices sunt, aperti candidique pectoris, nil sinistri de meis technis suspicantur: præmittam exploratum, adoraturum me post eos simulabo. O vecordiam hominis! hosne tu sceleris tibi parabis si non architectos, certè socios, qui tanto itinere ad eum adorandum aduolarunt? hos te illi præposituros speras, qui nullâ tui habita ratione, nullo tibi præcipui honoris exhibito argumento veniunti vt in ipsius se fidem & clientelam te neglecto spretoque recipiant? Copiosè persequitur hanc Herodis insaniam sanct. Chrysostomus *Puerum* (ait) *interficere parat, quod non stultitiæ, sed etiam furoris indicium est, nam & illa, quæ facta sunt, & illa, quæ dicta, idonea erant, quæ ab omni eum possent deterrere tali conatu: non enim hominis naturæ consentanea erant, quæ acciderant: Sed eum tamen nihil horum detinuit; tale quippe est vitium malignitatis: sibi ipsi* *S. Chrysostomus.*

ipsi perniciem accersit, & quæ sæpe absque effectu operis ærumnosa, & impossibilia conatur efficere. Quin illud quoque extremæ amentiæ est, quod putat Magos se potius, quam natum puerum veneraturos, cuius gratia: tantum iter emensi erant, & tamen cum tam multa sint, quæ illum abducere possent, non capessit.

tentat quæ fieri nequeunt.

Frustra scilicet obijcitur ei ratio, quem excæcauit ambitio: non vetita & illicita tantum, sed ea simul aggreditur, quæ fieri prorsus nequeunt; nec enim requiem sinit misero, donec tentet saltem, licet euentu frustretur. Iterum cum Bernardo dico, *ô ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places, nihil acrius cruciat, nihil molestius inquietat.*

Sanctorū Regum studia contraria.

Quid Reges nostri? læti hilaresque diuinis interim illustrationibus & gaudijs omni nectare, vel mundi voluptatibus longè delectabilius fruebantur: licet enim nonnihil absentia Regis nati tot votis desiderati solicitabat, voluntas tamen diuina mirificè volabatur, quæ iam ipsis vt Apostolis & Doctoribus Iudæorum, ac Messiæ regni præconibus vtebatur: volebatque ideam esse Confessorum, vt intrepidè constanterque pergerent fidem Christi prædicare, breui cupitis gaudijs fruituri, loco per ipsum tyrannum Regem ipsis designando. Heu quam dispar Herodis impij, & pientissimorum piumuirorum Regum conditio? quam vota & studia imparia? hi principum & militum Christianorum, ille fidei persecutorum personam gnauiter sustinebat: vtrique summo conatu suum finem præstitutum pari voluntatis impetu pene quæ fieri nequeunt, molientes, rapiuntur medijs contrarijs. Illi amoris magnitudine ad eum per mille mortes inquirendum, hic odio eiusdem concitatus per mille fraudes ad eum contrucidandum, neutri parcunt operæ, vigilijs, curis, laboribus: dispari successu: illi diuino fulti præsidio: hostibus Christi Scribis, Sacerdotibus, ipsoque Herode administris & consultoribus quæsitum inueniunt, & venerantur: Iste spe suâ frustratus à Magis deluditur; à puero, cui necem parabat, breui post atrocissimo morbi genere tollitur.

Comparatio Herodis cum ijs

Sæuit, inquit S. Augustinus, *Herodes, vt inter multos perdat vnum, & pluri-* *lib. 4. ad Cat. c. 4.*
nos necando se efficit reum: nec occidit, quem quærit hominem DEVM. *O Herodes magna tua iniquitas: & infantes necas, & tuæ nequitiæ testes cumulas: & Christus à te non inuenitur: quia nondum venit eius hora, vt patiatur: teneris autem persecutor & reus mortis eius, nihil agendo in ipso: sed dum multum agis, perdidisti te ipsum, quid metuis talem Regem, qui sic venit regnare, vt te nolit excludere: quem quæris, Rex regum est, si velles securus obtinere regnum tuum, ipsi supplicares, vt ab ipso acciperes sempiternum.*

CAPVT XL.

Clam vocatis Magis.

Cohfert Prophetæ oraculum cum Balaã

NOx interim lapsa peruigilem curis, exercuit Herodem, Magos pijs cõmentationibus & precibus tenuit: fixum iam & ratum Herodi necem puero struere: & si sceleris administros habere nequeat Magos, indices tamen esse vult natiuitatis, loci & commoditatis. clam igitur ad se accersit: coquit interea dolos, & artes suas veteres, vt incauti is suam in puerum persuadeat pietatem, affectum & religionem: confert iterum, quæ à Magis didicerat congressu primo de stellâ, de Balaami vaticinio, cum his, quæ concilium ex Michæa retulerat: vt rectè notat Cyp. *Conturbabat* ait, *quoq; aliud quod in Michæa scriptum testimonium, quoniam de Bethlehem, quæ est Ephrata, egrederetur paruulus, qui dominator esset in Israël: cumque ea, quæ domestici codices continebant, cum his, quæ ab alienigenis dicebantur, intelligeret conuenire, diuinis tentans reluctari consilijs, simulat perfidus religionis assensum, promissurus Magis, sese ad adorandum paruulum cum omni deuotione illico adfuturum, cum per reuertentes certitudinem de puero accepisset*: Hoc vnum succurrit diligentius ex ipsis inuestigandum, ex quo tempore sidus illuxisset Orienti, vt si fallerent, nec starent promissis ac Hierosolymam declinarent, sciret, à quo tempore paruulos esset interemturus. Vt tamen omnia caute

clam vocat Magos.

prouideq̃ue clam Iudæis gererentur, occultè censuit euocandos, ne qui Iudæorum fuis fallacijs obniterentur. Vides vulpinam calliditatem, quam hic filio inseuit, ob quam innatam rectè fuit à Christo vulpes nominatus: De qua S. Chrysostomus:

S. Chrysost. hom. 7.

Clam, ait, *vocatis Magis sciscitabatur ab eis; existimabat enim Iudæos pro pueri salute solicitos, nec in tantum illos furoris erumpere, vt protectorem suum & Saluatorem suum, & ad liberationem illius gentis ortum vellent tradere hostibus: idcirco secretè Magos vocat, ac tempus inquirit non pueri, sed stellæ, multâ cum cautione captans venationem.* Et Theophylactus hic: *Clanculo eos vocauit propter Iudæos,*

ne Iudæi tumultuarentur.

Theophyl.

suspicabatur enim, quod Iudæi fortassis puerum facturi essent magni, & curaturi: vt seruent illum: vtpote liberatorem suum, & propterea clam insidiatur. Eadem

Euthymius.

ferè Euthymius refert. *Quia suspectos habebat Iudæos, nempe Christi cognatos, nec volebat, vt ipsi audirent, quæ interrogaturus & præcepturus erat, ne forte intelligentes, quod ei insidiaretur, seruarent, ipsum tanquam proprium Regem.* Sed cum

fingit pietatem.

re adoraturum eum promittas Magis, cur id clanculum facis, quod palam Iudæis & omnibus te facturum polliceris? non metuis, ne vel hinc veteratorias artes tuas Magi sint notaturi, & celaturi veritatem? sed norat ex primo congressu iam Magorum non suspiciosam pietatem, ita nec dolum sperabat ab ijs aduertendum: quem animi candorem, cum iterum secundo in congressu obseruaret, ideo non videtur ijs comitem adiunxisse; non enim dubitabat, (qua erant Reges tres in seruanda promissorum fide religione) quin ex condicto Solymam essent reuersuri. Hæc est imago dolosæ & pessimè sibi conscię mentis, quæ lucem & solem auersatur, vt Christus ait, *ne arguantur opera eius*: ideo *omnis, qui malè agit, odit lucem*, odit multorum præsentiam,

Ioan 3. mali oderunt lucē. *S. Chrysologus.*

tunc inprimis, cum dolos & insidias machinatur. rectè S. Chrysologus *Occultè vocat Magos, quia palam nil audet simulata mens, conscientia dolosa; occultè vocat Magos, quia fur amat noctem, latro in occulto tenait insidias.* Detestatur vt qui maximè tales veteratores DEVS Prov. 6. vbi sex Herodis huius vitia sic tangit Sapiens. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius: oculos sublimes,*

contra dolosos & mendaces. *Matth. 11. 2 Reg. 12. 12. ps. 21.*

linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem. Euertit ea pestis omnem humanam societatem: & ideo statutum à Deo, vt coram orbe vniuerso in anastasi doli fraudesque talium mundo toti declarentur: *nihil enim occultum, quod non reueletur.* Certè si fraude Dauidis ita detestatus fuerit DEVS, vt ei sit comminatus. *Tu enim fecisti absconditè: ego autem faciam verbum illud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis*: quid ijs futurum, qui semper probis & simplicibus struunt dolos, parant insidias? *parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.*

CAPVT XLI.

Diligenter didicit ab eis tempus stellæ.

VENIVNT Magi rursum coram tyranno Christi natales, regnum, & diuinitatem testaturi: & si possent, Herodem secum in societatem adorationis allecturi: ita enim Sanctorum in DEVM religio, in proximum caritas exardescit, vt parum arbitrentur vno se corde & mente DEVM colere: multos accersunt socios, quibus quantum possunt, exemplo,

Reges expetunt socios habere adoratores.

sermone, rationibusq; persuadere nituntur, vt pariter infinitum illud bonum amplectantur, laudent, & animitus celebrent. Ita cum Psalmographo *Venite*, aiebat, *& narrabimus vobis omnes, qui timetis* DEVM, *quanta fecit animæ: Vidimus stellam eius in Oriente: venimus adorare eum: magnificate Dominum nobiscum, & exaltemus nomen eius in idipsum*: Sed alia prorsus consilia, cogitationes, & machinationes Herodis: qui interim religionem & amicitiam vultu simulat, regio rursum honore singulos excipit, salutat, alloquitur, laudat eorum &

fucata Herodis oratio.

veneratur in Christum recens natum pietatem, longinqui laborem itineris, & desiderium adorandi pueri, cuius & ipse studio mirificè teneatur, comperto à Principibus Sacerdotum, quod exiguo spatio Solyma abesset: vix sex millibus passuum, quæ dicta, dici vix potest, quantum Reges recrearint, animosque addiderint, vt & ipsi aude-

auderent eum ſocium & itineris comitem exoptare: facile enim proborum & ſimplicium hominum credulitas ſimulatis aliorum amicitijs circumuenitur; præſertim ſi laruâ pietatis dolos obtegant. Graphicè depingit has artes Herodis operis imperfecti autor. *Vidit*, ait, *Herodes magnam deuotionem Magorum circa Chriſtum, quia non poterat eos nec blandimentis flectere, nec minis deterrere, vt conſentirent in interfectione Regis futuri: ideo & eos ipſos decipere cogitauit: & vidit, quod aliàs facere non poterat: ergo deuotionem promittebat, qui gladium acuebat, & malitiam cordis ſui humilitatis colore depingebat. Talis enim eſt conſuetudo omnium malignorum, quando aliquem in occulto grauius lædere volunt, humilitatem illi & amicitias fingunt.* Huc verò doli iam omnes dirigebantur, vt primo verè ſibi perſuaderent iam negotijs regni diſtentum conſtituere proxima opportunitate Chriſtum adorare; deinde vt ad reditum Herodi promittendum ſe obligarent: quo cognito iam à Regibus loco, parentibus, cognatis, & ipſis quantum fieri poteſt, pueri lineamentis, eo ſolo peremto ſibi à reliquis occidendis temperaret: ſin tamen eos dolis animaduerſis adorato puero redire non contingeret; tempus ſaltem ſtellæ exorientis exquirere diligenter voluit, vt ſi locum, parentes, & agnatos cum puero non poſſet inuenire, cuncti eius ætatis pueri necarentur: *Idcirco*, ait Remigius: *hic inquirit diligenter, quia callidus erat, & timebat, ne non reuerterentur ad eum: vt tunc ſciret, quid ageret de puero occidendo.*

Simplicitate & credulitatem. Magorum decipere parat.

eius machinatio.

cur tẽpus ortæ ſtellæ exquiſierit.

Haymo: *quod ſcilicet ideo fecit, vt ſi Magi ad eum non redirent, quod poſtea contigit, ab eo tempore, quo natum Regem Iudæorum audierat, omnes pueros in Bethlehẽ interficiens, eum quem metuebat, interficere poſſet, non intelligens ſtultus, quia non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Similia habet S. Eucherius: *ideo faciebat, vt ſi Chriſtum inuenire non poſſet, ſaltem natiuitatis eius tempore cognito. qui ſolus occidi non poterat, ſimul cum ceteris eiuſdem ætatis necaretur: non intelligis Herodes, non intelligis, quod tibi per Moyſen à Domino dicitur: non coques hœdum in lacte Matris ſuæ, id eſt, non occides Chriſtum infantem, & ad virginis Matris vbera pendentem.* Dos ideo adduxi, vt conſtet Herodem exortu ſtellæ voluiſſe pueri cum ſtella nati ætatem indagare, vt noſtra firmetur alias probata ſententia, quod ipſo natalis Dominici puncto temporis ſit ſtella nec citius procreata.

Hæc eſt Herodiana vel potius diabolica calliditas & inquiſitio, vt Chriſtus natus in corde pœnitentis ilico perimatur, ne dum adoleſcit, & gratiâ ſtabilitur, difficilius poſſit arbor altis ſtirpibus radicata conuelli, vt opus ſit confeſſarijs & ſacerdotibus vigiles adhibere curas, & manus, vt teneræ plantulæ diligentius foueantur, cuſtodiæ ſepib. cingantur, ne *ſingularis ferus* eas *depaſcatur* & euertat. Aduertit hoc optimè Giron Eccleſiaſtes egregius: *In diligenti quoque Herodis inquiſitione de tempore ſtellæ, atque de Chriſti natiuitate Diaboli diligentiæ ſagacitas attendenda, & maximè cauenda eſt, qua inceſſanter inquirit, vbinam Chriſtus naſcatur: vt omni adhibitâ ſolicitudine vel natiuitatem impediat, vel ſaltem natum Chriſtum in animâ quam citiſſimè poterit, expellat.* Vbique tales ſe inſinuant Herodis & Dæmonis adminiſtri, qui naſcentem volunt pietatem, religionem, vel quamuis virtutem ſtatim in ſemine opprimere: cauendum autem, ne tales dominentur, & re ipſâ præſtent, quod moliuntur. Vidit hoc etiam in religioſo ſtatu & præcauit S. Bernardus, dum hos ſuis verbis exhortatur: *Videte*, inquit, *Fratres, quantum noceat iniqua poteſtas, quomodo caput impium ſubiectos quoque ſuæ conformat impietati: miſera planè ciuitas, in quâ regnat Herodes, quoniam Herodianæ ſine dubio particeps erit malitiæ, & ad nouæ ſalutis ortum Herodianâ mouebitur turbatione. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minimè regnabit; etiamſi adeſſe contingat; quod & ipſum* DEOS *auertat. nam Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas eſt, naſcentem velle extingere religionem, & allidere paruulos Iſraëlis: ſi quid enim ad ſalutem pertinens, ſiquid religionis oritur, quicunque reſiſtit, quicunque repugnat, planè cum Ægyptijs paruulos Iſraëlitici germinis necare conatur: imo cum Herode naſcentem perſequitur Saluatorem.*

moralis ſenſus. diabolus teneram. virtutem opprimere ſolet.

ſer. 3. de Epiph.

CAPVT XLII.

ET MITTENS EOS IN BETHLEHEM AIT: ITE ET INTEROGATE DILIGENTER DE PVERO.

SAtis iam à Magis instructus de tempore ortus stellæ, cum aduerteret fidenter, eos cuncta, quæ scebant de nato puero, manifestasse, & ipse, quo sibi magis eosdem redderet obligatos, ad ea, quæ voluebat animo, perficienda pararet obsequentes, quasi sceleris destinati futuros administros; aperit concilij sententiam de loco natiuitatis, mittit in Bethlehem, vicinum indicat locum, quem paucas intra horas possent attingere: irent, & diligenter pueri locum natalem, genus, formam, parentes, cognatosque perquestigarent, quo pluribus indicijs compertis, cum iam per regni negotia præpediretur, postea liceret eundem adorare: Puerum eum non Regem vocat: nec enim in animum suum inducere poterat, vt eum Regis nomine compellaret. S. Chrysostomus: *non dicit interrogate de Rege, sed de puero: ei enim etiam nomen potestatis inuiderat.* Mittit ad Christum perquestigandum Reges nihildum mali suspicantes: vt inuentum ipse perimeret eâ mente, qua Saul ad explorandum Dauidem expeditos destinat his verbis. *Considerate locum vbi sit pes eius: & renunciate ad me, vt vadam vobiscum.* Vterque cruoris auidus, ambitionis stimulis agitatus, proprijs parabat manibus innocentem victimare: prætentâ tamen Herodes specie pietatis, eo modo, quo Caracalla solus vt imperaret, Getam fratrem consortem imperij matris in gremio trucidauit: & vt scelus religione tegeret, statim in Diuis voluit eum numerari hoc ingeminando: *sit Diuus, dum non sit viuus.* Ita Christum simulat Herodes vt DEVM adoraturum; sed vt hominem & Regem eum neci destinat. *Recte* S. Augustinus, dolosis istis, *labia dolosa quid in ore & corde loqueris mala? aliud enim habet lingua tua, aliud clamat conscientia, te ipsum decipis, cogitando talia erras, falleris & fallis.* Consutum hunc dolis & fallacijs animum bene Iansenius sic expendit. *In his, quæ de Herode scribuntur, aduertere licet, malitiæ quanta sit versutia; quanta quoque diligentia ad perficiendum, quod cupit. Siquidem veluti pium Magorum studium adiuuare volens, scribis & Pontificibus congregatis, quærebat, vbi, quem illi quærebant, nasci deberet; cum reuera per hoc perniciem pueri moliretur. Deinde clam vocat Magos, nec discit tantum tempus apparentis stellæ; sed diligenter discit, omnibus scilicet neruis in hoc incumbens, vt exactum tempus sciret, nec tamen proderetur illius impium molimen. Adhæc quo faciliore negotio puerum, quem perditum optabat, inueniret, mittens in Bethlehem Magos, mandat de puero sibi renunciari; atq; vt id ab eis impetraret, malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat, deuotionem Magorumq; imitationē dolose promittens: Nec dicit solū ite & interrogate de puero, sed interrogate diligenter: aut vt habet Græca* ἐξετάσατε, *hoc est examinate: nec dicit renunciate nobis, sed mihi: sibi enim primum volebat innotescere puerum, vt cum prius tolleret è medio, quam populus Iudaicus eum plane resciisset natum esse. Verum vt in his patet, quæ sint malitiæ artes, quantum sit eius studium, sic rursum considerare in eis licet Herodis insipientiam & malitiæ cæcitatem: Nam cum natum puerum tantum esse iam didicisset, vt eius natiuitatem longe ante & scripturæ diuinæ prædixissent, & stella de cœlo manifestasset, putauit tamen suis consilijs diuinæ se posse resistere voluntati, & perturbandum suo furore diuinum consilium.*

Idem expendit diuinam prouidentiam, quanta elicuerit bona ex ea SS. Regum simplicitate, qua cuncta Herodi, quæ norant de stella, declararant: *Diuino*, ait, *nutu factum est, vt in Magorum simplicitate confideret Herodes, sperans eos ad se reuersuros, vt sic nullum eis adiungeret comitem, vtque & ipsi incolumes in patriam redirent annunciaturi suis regionibus Christum. alioqui enim, nisi spes hæc scelerato imposuisset, sæuiturus erat in Magos ipsos, qui nuncium tam inauspicatum ipsi attulissent. Deinde in suam puerique nati gloriam tam callidis varijsque consilijs-*

S. Augustinus 6. orat. contra Iud. Pag. & Arianos.

Iansenius hic.

Ite, interrogate diligenter de puero. Quæ verba Herodis dolosa.

Herodis fraudes, quas DEVS in bonum vertit.

Herodis stultitia eiusdem.

diuina in his prouidentia emicat.

permisit DEVS *Herodem pueri necem cogitare, vt ostenderetur, quam nihil possint humana consilia, quantumuis callida & quantumuis potentium, contra dispositionem diuinam, & quantus esset puer iste natus, cui præualere nequit calliaissimus & potentissimus Rex,*

Homuli nos miseri formicæ sumus, & formicis minores, si cum illa infinita sapientiâ conferamur: prouidæ sibi videntur; bene de annonâ in hiemem prospexisse granis apto loco contra putredinem conseruatis: bene locum contra pluuias irruentes muniuisse: at quid hæc omnia contra vel pueri alicuius vires? noñe potest & habitationē earum & horrea destruere? loco formicas exturbare, ipsas, vti vult, capere, perdere, necare? frustra formiculæ omnes hominum poterunt sapientiam, vires, & consilia suis euertere machinationibus: stultos igitur & verè insanissimè insanientes Reges, Augustos, Alexandros reputemus, quoties contra diuinam nituntur prouidentiam; vel quando viros bonos, in Dei tutela & præsidio constitutos, se suis putant posse consilijs, viribus, & potentia in vno capillo capitis violare: nam, *qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur: Dicet Domino susceptor meus es tu, & refugium meum, vt saluum me facias:* coniurent iam in eum non omnes tantum Principes, Reges, Cæsares, qui sunt, fuerunt, erunt, sed totus cum orcicolis tartarus sede sua amotus obuiet, vt glutiat vel puerum in diuina defensione constitutum; quid omnes illi nisi formica, pulex vnicus, vel si quid minus fingi potest, si cum gigante contendatur? *Non est consilium, non est fortitudo contra Dominum:* huius nobis fauorem & auxilium conciliemus, cuius solius protecti scuto minas & vires totius vniuersitatis, vt bullam, diffiabimus. Sæuiat, sæuiat igitur insanus Herodis furor velut pumilionis ictus contra gigantem: cælum terræ miscere paret nec puerum reperiet, nisi mente perfecta cum Regibus eum adoraturus veniat: nec si per infantum cædem ei struat insidias, ipsi, puerilque necatis officiet. Pulchrè S. Leo *Cur sincero officio non facis quod subdolâ falsitate promittis? perge cum Magis, & verum Regem simpliciter adorando venerare: Sed tu Iudaicæ sectiator cæcitatis non imitaris Gentium fidem, corque pertersum ad crudeles conuertis insidias, nec illum occisurus, quem metuis, nec illis nociturus, quos perimis.*

homines formicis comparantur.

psal. 90. securissimus, quem DEVS protegit.

S. Leo ser. 4.

CAPVT XLIII.

Cum inueneritis, renunciate mihi.

HVc omnis Politicorum & Atheorum schola confluat, doctum en hic habetis, imo veteratorum maximum: dolorum, fraudum, insidiarum Magistrum callidissimum Herodem. Fœcundum iam pectus concutit, mille promit nocendi artes, quibus vos vsi, hostes imo amicos, si vultis, vestros fortunis & vitâ exturbetis. Vnum moneo finem, euentum, & catastrophen luctuosam inspicite, licet initia secundiora videantur. Egregiè serpentis antiqui patris mendaciorum in cathedra pestilentiæ personam Herodes sustinet: primo quod Atheorum & Politicorum proprium, per ipsam religionem, vt postea dicam, vult omnem euertere religionem: DEVM si potest, vita & cœlo exturbare: cum Lucifero sedere in Aquilone, nec iam similis, sed Dominus esse altissimi, excusso seruitutis iugo, quo creatæ res omnes iure procreationis rerum omnium conditori subijciuntur. Perge Herodes egregiè Luciferi personam induisti, conscende in astra, regni diadema apprehende: sed heu non vides Sathanam vt fulgurè cœlo præcipitem rudentibus inferorum tartaro alligatum, pice, sulphure, & flamma fumantem, & æstuantem, iam demum seruitutem seruire longè infelicissimam pœnis æternis mancipatum? seruiat iustitiæ diuinæ damnatus æterno carcere, qui nolebat Deo Parri clementissimo subdi filius, cum eo regni consors sempiternis gaudijs alias fruiturus: hæc demum merces & luctuosus Atheorum exitus, cum mendacij parente & Atheorum Magistro Herode: & vitam hic agere calamitosissimam, continuis conscientiæ sodicantis stimulis agitatam: & vermium è corpore quandoque scaturientium morsibus infestissimam: & post eam tartari flammis concremari. Audi S. Chrysologum: *contumax seruus audit natum Dominum, sed domino*

Atheorum Doctor Herodes.

Æmulus Luciferi

Pœna vtriusque.

ser. 158. & stultitia.

mino nascenti parat loqueos, non honorem: mortem præparat, vt carcat seruitute: sed quia nec finiri DEVS, *nec perire salus, nec vita poterat interire, permanet in honore Dominus, servus remansit in crimine, & ad pœnam trahitur, qui ab obsequiũ venire contemnit; capitur ad sententiam, qui ad gratiam noluit peruenire.* Sed iusto accidit vindicis Dei iudicio, dum politici illi Amanes euersum eunt & occisum Mardochæum innocentem, vt magis ipsi gloria sublimes euehantur; dumque ipsos sperant honori suo velificaturos, ipsi coguntur Assueri veri Dei sententiã præcones laudum suorum hostium esse, & suspendio etiam suo gloriam ipsorũ illustrare. Ludit hunc ludum sæpe diuina in mundo prouidentia; quæ delusit egregiè deluforem Herodem cum assectis Phariſæis. Nam (ait S. Leo) *& sæuitia Herodis volens suspecti sibi regis primordia extinguere, huic dispensationi nesciens seruiebat: & dum atroci intentus facinori ignotum sibi puerum indiscretâ infantum cæde persequitur, annunciatum cœlitus dominatoris ortum insignior vbique fama loqueretur, quam promtiorem ad nauandum diligentioremque faciebat & supernæ significationu nouitas, & eruentissimi persecutoris impietas.* Vt igitur Aman, dum ad genua sua deijcere Mardochæum nititur, vel alta suspendere trabe, ac totum eadem die euertere Israëlem; oppressus ipse diuino consilio est; ipse autem præco laudum Mardochæi constitutus, postea funesto è ligno suspensus, gloriæ Iudæorum factus est autor, præco & prædicator: sic & à Magis Herodes, cum ijs egregiè ad locum natalem deprehendendum, solicitè coacto prius concilio, seruijsset, delusus est, ac ipsorum maximè profuit pietati, multumque merita Regum cumulauit: vt enim medici prudenter veneno contra venenum vti consueuerunt ita Deus malitia dœmonum & reproborum vtitur, non vt noceant, sed vt prosint electis ad gloriam: vnde Petrus Damiani ait: *Ipsi spiritus iniqui profectus nostri obsequio sunt deputati: nondum tentamur & non succumbimus; dum impetimur & prævalemus; dum oppugnat certè violentus hostis, & non expugnat, futuræ nobis retributionis pondus accumulat, & dum laborem certaminis irrogat, victoriæ nobis materiam subministrat:* tantum enim abest, vt quod intendebat Herodes, Reges & Christum sustulerit, vt etiam ipsorum & Christi Regis Israëlis nomen toto fecerit orbe Gentibus & Iudæis magis celebrari. Rectè Origenes *Herodes deridere volens, derisus est, spernendo sanctos spretus remansit, & subdolis cogitationibus fraudis suæ, atque consilijs superatus atque confusus expauit, sentiens quod delusus esset, à Magis; deluſa est eius animi peruersitas à sanctâ iustitia, sicut scriptum est, Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum. consilium autem Domini manet in æternum, cogitationes cordis eius in generatione & generationem.* Monet deinde prudenter & suauiter politicos Origenes à talibus consilijs & consiliarijs sibi vt caueant: nam *hæc conuenienter vel de Herode vel de similibus eius (Politicis & Atheis) dicta à Prophetis atque conscripta sunt. destructum est ergo consilium Herodis: vt multorum proficeret salus, & is, qui ex virgine natus est, totum redimeret mundum.* Qui sano & sapientissimo vult vti consilio, non alio quam Deo vtatur consiliario, cuius cum infinita sit sapientia, non poterit ad consiliandum aptior reperiri; renunciet Atheis, renunciet Herodi & Diabolo, quod baptismatis sacramento initiandus se facturum promisit: execretur fraudes, & machinas patris mendacij, & secundiores obseruabit rerum suarum euentus; quos ipse totius vniuersitatis prouisor ad salutem ipsius & bonum ita flectet & diriget, vt omnia, quæ eueniunt, eius etiam saluti congruant. Cum Magis igitur ad Christum dum properat, Herodi dico, vt ipse petit, & Diabolo renunciet: Hoc S. Chrysologus suadet; *Conuenienter* ait, *dixit renunciate mihi, quia semper diabolo renunciat, qui peruenire ad Christum festinat; Christianus futurus à sacerdote cum audit renuncias diabolo? respondet, renuncio. proprie ergo Herodes à Magis sibi renunciare debere dicit, qui se Diaboli sciebat tenere locum, satanæ nouerat implere personam.*

Herodes dum perdere quæritChristũ, illustrat eius aduẽtum.

ser. 2.

Vt Aman Mardochæum. veneno venenum pellitur.

opusc. 23. c. 4. in fine.

hom. 3. in diuersos.

delusus à Magis Herodes.

ei & Diabolo renunciandum est.

CA-

CAPVT XLIV.

Vt & ego veniens adorem eum.

HIc totus congruenter nomini suo pelliceus Herodes est, vel vt Christus loquitur, *vulpes*; simulat cum Atheis & politicis religionem: vt euertat & tollat religionis autorē DEVM: stulto & insano conatu vulpes adsilere in cœlum contendit, & solio Regem gloriæ deturbare. *In eâdem calliditate* (ait Haymo) *quâ Herodes fraudulenter regnum Iudæorum arripuerat, etiam in Domini nece perseuerauit; promittens se adorare, quem disponebat occidere, cuius exemplum simulatores, id est hypocritæ modo sequuntur, qui dum speciem sanctitatis ostendunt exterius, quam non habent interius,* DEVM, *quem ficto corde quærunt, cum Herode inuenire non merentur: quia sicut Dominus prope est omnibus inuocantibus se in veritate, ita longè est à peccatoribus salus. vnde benè idem Herodes pelliceus, siue pellis gloria interpretatur: quia cum hypocritæ exterius quasi de bono opere gloriari appetunt, interiori versutia fœdi pariter & sæui sunt, iuxta illud, quod ait Dominus, attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* nimirum ex fructibus arboris eius species cognita est; *O calliditas ficta,* (ait S. Fulgentius) *ô crudelitas impia, ô nequitia fraudulenta! sanguis innocentum, quem fudisti crudeliter, attestatur, quid de hoc puero voluisti*: hanc vulpinam in Herode pellem, & dentes lupinos obseruat etiam S. Gregorius similes eis, quos hodie politicos appellamus. *Herodes,* ait, *ad callida argumenta conuertitur, & ne terreno regno priuaretur, renunciari sibi, vbi puer inueniatur, postulat adorare se eum velle simulat, vt hunc, si inueniri possit, extinguat: sed quanta est humana malitia contra diuinitatis consilium? non est prudentia contra Dominum: nam ea, quæ apparuit stella, Magos perducit, natum regem reperiunt, munera deferunt; & ne redire ad Herodem debeant, in somnis admonentur: sicque fit, vt* IESVM, *quem quærit Herodes, inuenire non possit: cuius personâ qui alij, quam hypocritæ designantur, qui dum ficte quærunt, inuenire Dominum non merentur.* parum huic simulatori puerum tollere, ipsis non dubito, quin primis eius adoratoribus insidias & necem apparârit, imo Cæsaris & Romanorum iudicio, quod contra eorum voluntatem & imperij maiestatem Regem prædicassent: quorum etiam sententijs repertum puerum forte subiecisset, vt Iudæorum euaderet odium; quod S. Bruno insinuat. *quanta,* ait, *est iniquitas Herodis, quanta est astutia diaboli: fingit se adorare velle, quem molitur occidere, mittit Magos ad* IESVM, *rogat vt ab ipso redeant ad se, habet enim fiduciam, quod influat Iordanis in os eius: sunt enim escæ eius electæ Iob. 40. neque magnopere curat alios deuorare, nisi eos, qui iam per fidem & baptismum veniunt ad* IESVM, *& in Christi militia computati eius signaculum suscipere meruerunt.* Nam cum à Regibus hisce iam Christo fidei sacramento autoratis metuere potuisset, ne pueri necem vlciscerentur: vt prouida nimis esse solet tyrannorum sæuitia: & hos tollendos forte Romanorum insidijs parabat: vt à se facti inuidiam in alios deriuaret: sed videt è cœlo DEVS ista contra DEVM ipsum & diuinæ tutelæ creditos clientes clandestina consilia: videt & dissipat: ita vt quamuis conetur puerum, tamen non possit vllo pacto reperire; quem tamen Magi tanto interuallo dissiti & pastores facile inuenerunt. ipsos etiam callidè Magos indices natalium eius licet obsecret, nec sic tamen reperiet. *simulabat* ait, S. Eucherius *adorare se velle, quem conabatur occidere, sed non timet veritas falsitatis insidias, quam cæca feritas! credebat quod comprehendere* DEVM *fraudibus posset: Ecce cuius terra & cælum, ostendebat aduentum, qui pastorum, non latebat simplicitatem, quem Magi de extremâ venientes Æthiopiæ parte cognoscunt, solus ad illum non potest Rex sacrilegus peruenire. fallitur ergo stulti furor tyranni: Christum non potest inuenire perfidia, Deus non crudelitate sed credulitate quærendus est, muneribus promerendus est, orationibus inquirendus.* Veniet tamen, veniet ipse Christus, non iam puer blandus in matris gremio, sed Iudex se-

uerus

Herodis vulpina calliditas. *Haymo hic. & Epiphan.*

Matth. 7.

S. Fulgent. ser. 5.

Christo insidiatur. *Pro. 20.* Hypocritarum idea est.

Insidias etiam Magis parat.

per Romanos.

sed incitas.

pœna hypocriſis.

uerus in ſolio Maieſtatis: tunc cogetur improbus veterator & mendax hypocrita Dominum ſuum iuuitus adorare, & ad tormenta ſempiterna recipienda genua & corpus inclinare; quo verbis iſtis S. Chryſologus reſpicit. *Vult mentiri, ſed non poteſt, veniet vt ad tormenta curuetur, ad ſupplicia iaciatur, ſternatur ad pœnam, qui adorare finxerat, vt ſæuiret*: Merito ad pœnam atrociorē iſti probitatis ſimulatores

ob ſummā impiobitatem. *Cic. l. 1. de offic. ante medium. ſer. 9. de quadrageſi-*

vocantur, cum nulla peſtis humanæ ſocietati pernitioſior ſit, quam eorū, qui virtutem mentiuntur, vt ocultius noceant: viditid Cicero Gentilis cum ait: *Totius iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum cum maximè fallunt, id agunt, vt viri boni videantur*, & S. Leo: *Plus plerumque periculi eſt in inſidiatore occulto, quam in hoſte manifeſto.*

Similis omnino pœna manebit politicos æui noſtri, qui dum tantū ad ſtabiliendas peruerſas animi machinationes impiè cultu diuino abutuntur, omnis expertes timoris diuini, tempus erit cum eundem Iudicem ſeueriſſimum experientur, & ſerius contremiſcent; nam ſicut culpæ ſceleris & nequitiæ ſocij Herodis eſſe voluerunt, eādem vt pœnâ plectantur neceſſe eſt. bene eos depingit ſuis coloribus hocloco Beauxamis; *Huic ſimiles ſunt permulti, qui prætextu religionis religionem euertere conantur, & ad inſtar Iudæ oſculo filiuu hominis tradunt; tales & hi, quos Politicos dicimus, qui vt ſunt verè Athei, qualis erat Herodes, eâ tantum ratione religionis curam ſuſcipiunt, vt illius prætextu populi gratiam nanciſcantur, etiam aliquando religionem ſubuertant. Hos Principibus inſuſurrare videmus id, quod à Numâ-Pompilio profectum eſt, nuper autem à Machiauello reuocatum in libro ſuo de inſtructione principis, non aliâ prorſus ratione religionem inductam eſſe, quam vt populus timore contineretur; idcirco principem, vbi occaſio tulerit, ſe religionis vinculo abſoluere poſſe: adeo nihil ob oculos principum verſari voluit, quam ſuam non autem Dei cauſam*: Sed ab eo tam deteſtando facinore merito

Atheoiū inſignis malitia.

cunctos deterreat Herodis immane tam vitæ præſentis, quam ſequentis ſupplicium, ad quod conſcios ſimilium remittit S. Bern. *Credo*, ait, *ſi quis conſcius eſt huius rei, de ceteroſibi cauebit, & Herodianum execrabitur animum, ne ſimilem exitum ſortiatur.*

& dignū ſuppliciū. *ſer. 3. de Epiph.*

CAPVT XLV.

Qui cum audiſſent Regem, abierunt.

conſtantia Magorū.

MVLTA occurrebant in Magorum oculos & aures Hieroſolymis, quæ eorum fidem potuiſſent tollere, labefactare conſtantiam, deſiderium adorandi Regis retardare, quæ DEVS voluit hiſce licet tironibus initio ſtatim vitæ melioris obuenire, quo eorum virtus ſolidior clarius emicaret: nam ea omnia, velut affuſa frigida, mentes eorum magis ad adorationem Chriſti permouerunt, qui ſciebant ſe iam tum viris Apoſtolicis & Doctoribus fidei velut ideam præparari, quorum ſe moribus in Chriſto prædicando conformarent: hinc neque manifeſtis Herodis flagitijs, neque ſocordia Iudæorum Meſſiam ſuum, nec inquirentium, offenduntur, ſed acceptā, vt ipſis erat imperatum, natalis loci deſignatione, gratijs humaniter Herodi actis iter Bethlehemum verſus arripiunt. *Audierunt* (ait) Remigius, *Magi Herodem, vt quærerent Dominum, ſed non vt ad eum reuerterentur. ſignificabant enim bonos auditores, qui bona, quæ audiunt à malis prædicatoribus, faciunt, ſed tamen opera eorum non imitantur.* Mellilegis eos apibus comparat, quæ licet eidem norint flori virus adhærere, eo tamen relicto mel ſolum colligunt, & ſuum in vſum conuertunt, toties redeunt, quoties ſpes affulget mellis tantum aliquid in de exſugendi.

Remigius.

apibus ſimiles ſunt ſine ſuſpicione mali. *Salmeron. gen. 4.*

Et quæ eorum ſimplicitas & mentis candor nec tunc quidem teſte S. Chryſtomo dolos Herodis vel Iudæorum ſuſpicabantur omnes ſuo quodammodo pede metientes. *Abierunt*, ait Salmeron, *nihil mali ſuſpicantes: vera enim caritas non eſt ſuſpicioſa, nec cogitat malum; ſic Abel exiuit cum Fratre in agrum nihil mali ſuſpicatus, vbi eſt occiſus. Sic Ioſephus à Fratribus ſuis citra vllam ſuſpicionem ſuā eſt venditus: ſic etiam Vrias Hethæus fortiter pugnauit, ignorans dolum ſibi paratum, & ductas inſidias.*

Illud

Illud ferè mirantur omnes Herodem adeo de tollendo puero sibiq́ue stabiliendo regno solicitum: cum iam iter susciperent Magi, nullum eis suorum adiunxisse comitem, qui pueri natales exploraret: sed præter fiduciam, quam de reditu Magorum conceperat, DEVS voluit intellectum obscurare, ne consilia diuina præpedirentur

Herodis cœcitas.

Hoc S. Bernardinus obseruauit: *Vnde fuit*, ait, *in Herode tanta intellectus obscuratio: cum enim tanquam tyrannus verus semper de suo dominio trepidaret, & ob hoc de aduentu Magorũ turbatus esset, atque de venturo Rege à scribis & Pharisæis sciscitatus, à Magis diligenter didicerit tempus stellæ, ideo mirabile est, quomodo vel cum eis, vel post eos non miserit aliquos pueri exploratores, propterea notandum est, quod in his & similibus mirè refulget occulta dispensatio* DEI: *miris & occultis modis impediens eorum interitum, quod sibi & suis impiè aduersatur. Patet insuper in tanta populi Iudaici cæcitate & Herodis, quod cum status secularis & clericalis in odio* DEI *est, aufert illis sensum, propterea Isa. 6. dicitur de talibus; vnde & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, videte visionem & nolite cognoscere: excæca cor populi huius.* Maximè vero deploranda Sacerdotum & Scribarum vecordia, torpor & ignauia, qui nec comitari voluerunt abeuntes: ij si metu Herodis id facere verebantur, alijs saltem diebus eo negotiorum velut causa tendere potuissent: & de Regum Orientalium ibi gestis, vel fama Messiæ nati cognoscere: Sed omnes vitiorum, vt dixi, sordibus inuoluti potius eius aduentum, regnum & iudicium formidabant: ne de peccatis arguerentur.

& Iudæorũ imprimis Sacerdotũ vecordia.

Ier. 2

Applicat his querelam Dei apud Prophetam S. Bonauentura: *Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me. Vnde Greg. in mor. præfat. Iob. c. 2. plerumque actione secularium confunditur vita continentium, dum illi extra habitum adsumunt opera, & isti iuxta ordinem proprium non excitant corda: verendum igitur est, quod secularis possit claustralem reprehendere. Erubesce Sidon, ait mare Isa. 23. Sidon claustralis, mare secularis.* Videant igitur, videant Clerici, & Religiosi, qui Sidonis instar stabili freti fundamento consiliorum DEI, sibi contra fluctus & procellas maris videntur optimè communiti, ne quandoque à secularium nonnullis per mare ventorum turbinibus perpetuo iactatum significatis, in constantia DEVM quærendi, & contemtu rerum caducarum superentur: dum ipsi quandoque viri Ecclesiastici neglecto decore domus DEI, & cultu superni numinis toti lucris, & rei familiaris curis distinentur, nullam interim officij sui, nullam animarum habent rationem: de quibus ita conqueritur S. Gregorius. *Nullum puto alijs maius præiudicium, quam à secularibus tolerat* DEVS, *quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccantis qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, terrena concupiscimus, Dei causas negligimus, & terrenis actibus implicamur.*

Bonau. ser. 2. de Epiph. querela de malis Ecclesiasticis & Religiosis.

S. Gregorius hom. 17. in Euang.

Lugenda sane mentis obtenebratio Iudæorum, quod tantillo medij diei itinere nollent eo contendere, quo per trecentas fere leucas Regis Orientis in oculis ipsorum proficiscebantur: vt iam cœperit DEVS regnum filij ab ipsis ad Gentes transferre, cum sic ad omnes admonitiones obduruissent. pulchrè eam infidelitatem, vt vocat, describit S. Augustinus: *Quid dicam de infidelitate Iudæorum, qui Christum quærentibus Magis etiam prophetiam indicem attulerunt: Bethlehem ciuitatem designauerint, quam ipsi non inuenerunt: similes facti fabris arcæ Noæ, alijs, vt euaderent, præstiterunt, & ipsi diluuio perierunt: similes lapidibus milliarijs, viã ostenderunt, nec ambulare potuerunt, quia stolidi in via remanserunt, quæsitum est ab ijs, vbi Christus nasceretur: responderunt, in Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est. audierunt & abierunt inquisitores, dixerunt & manserunt Doctores, & contrarijs affectibus separati illi facti sunt adoratores, isti persecutores: simile quiddam nunc quoque Iudæi nobis exhibere non desinunt: nonnulli Paganorum, vt nouerint Christum ante prophetatum, quando eis de scriptura clara testimonia proferimus, suspecti ne forte à Christianis ista conficta sint, malunt credere codicibus Iudæorum, & sicut tunc Magi fecerunt, istos dimittunt inaniter lectitare, ipsi pergunt fideliter adorare.*

Infidelitas Iudæorũ.

Ita Christus sol Oriens ex alto, sicut vni hemisphærio Gentilium lucem & diem attulit

Christus sol Iudæis noctem, Gentilibus diem attulit.

tulit optatissimum, sic Iudæis tenebras magis quam lucem quærentibus noctem dedit sempiternam. Id præclarè ex S. Hieronymo & Isaia de onere Dumæ seu visione Idumææ, (ad quam regionem Magi spectabant) colligit Ludouicus de ponte. *Duma*, inquit, *est silentium, quia altum fuerat ibi silentium legis Dei, & aduentus Christi; sed ruptum est silentium ex Dei instinctu. Ad me inquit clamat ex Seir, Custos, quid de nocte? dixit custos venit mane & nox. si quæritis, quærite, conuertimini & venite*, clamor, inquit D. Hieronymus, *clamor est Gentium (maximè Magorum) dicentium ô custos, quid absque peccato in carne es peccatrice? qua causa voluisti humanum corpus assumere? quare natus in nocte? adhuc nox ista perseuerat? in tenebris manes, & te nondum inuenire possumus? respondit custos, scilicet ipse Christus* DEVS *& homo, custos hominum: venit mane & nox: id est Gentium multitudini ortus ego sol iustitiæ, & Iudæis venerunt tenebræ iuxta id, quod postea dixit, in iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Quare vos ô Gentes si quæritis quærite: id est si me quæritis, studiosius quærite, conuertimini ad me, & sanabo contritiones vestras, venite ad me, & inuenietis requiem animabus vestris. Hæc quasi audijssent Magi, verè & ex corde quæsierunt Christum, Iudæis in suâ nocte & tenebris cum Herode permanentibus. Nam vt inquit D. Leo: veritas illuminat Magos, infidelitas occæcat Magistros: Carnalis Israël non intelligit, quod legit; non videt quod ostendit; vbi est Iudææ gloriatio tua? ecce maior seruis minori, & alienignis in sortem hereditatis tuæ intrantibus eius testamenti, quod in solâ literâ tenes, recitatione famularis. Quamobrem Iudæi isti in illam maledictionem corruerunt; tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo; & mustum, & non bibes vinum. Quia notitiam tradiderunt de Christo, qui vnctus interpretatur oleo gratiæ, & lætitiæ præ consortibus suis, & tamen non sunt hoc oleo vncti, sed Magi se illo vnxerunt, & biberunt mustum seu vinum nouum doctrinæ, quam nouus Rex Christus adferebat; quem illi iudicarunt, sed respuerunt: erant enim de numero eorum, qui sederunt supra cathedram Moysi: de quibus Saluator asseruit: omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite, secundum vero opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt, calcant oliuam & vuam, sed non potiuntur, oleo & vino; vos autem vnginimini, & inebriamini illo.* Grauem subiungit idem ex S. Chrysost. commina-

Christus annũciat-ijs diem, Iudæis noctem.

Magorum in nocte oratio ad Christum.

Iudæi excœcantur.

Mich. 6.

hom. 6. in Matth.

tionem Iudæis quidem à Christo intentatam: sed rectè tepidis & ignauis Christi fidelibus applicatam, quos Magi isti suo confundent exemplo in iudicio. Propter quod optimè perpendit sanct. Chrysostomus: *Dominum adduxisse Magos Gentiles, vt infidelitatem Iudæorum magis magisque confunderet: & ingratis prorsus omnem aditum excusationis obstrueret: quoniam illi quidem minoribus crediderunt: isti vero nec maximis. Illi vni Prophetæ Balaam, & stellæ, quam futuram annunciauit; isti nec multis Prophetis, nec pluribus signis ab ipsis præstitis; nec longè maioribus ab ipsomet Christo postea exhibitis. Vnde sicut viri Niniuitæ, qui egerunt pœnitentiam ad prædicationem Ionæ, & Regina Saba, quæ à finibus terræ venit, quærere Salomonem, audire sapientiam eius, surgent in iudicio contra nationem Iudæorum, & condemnabunt eam: sic etiam surgent contra illam Magi, qui à finibus terræ venerunt Christum quærere, & meruerunt inuenire, vt eos suo exemplo confundant, valdeque reos ostendant, quin etiam surgent contra Christicolas desides, & tepidos Christianos, & ignauos, qui horum virorum non profecerunt tam admirabili fide, & constanti fortitudine, vt relictâ patriâ per ingentia pericula Christum quærerent, nec destiterunt à quærendo, donec inuenirent: ipsi vero nec in propria patriâ illum quærunt, pluris facientes, sicut scribæ gloriam hominum, quàm gloriam* DEI: *& terrena commoda, quàm cælestia: ibi trepidantes timore, vbi non est rationabilis timor. Infelices profecto, qui alijs ostendunt Christum, sed non sibi quærunt, felices vero, qui Christum sibi ostensum ab alijs quærunt & inueniunt: sed felicissimi, qui postquam sibi inuenerunt, ostendunt alijs, curantes vt iam quærant & inueniant.*

Grauissima comminatio in Iudæos.

& tepidos Christianos.

Non est, quod huic admonitioni adijciam, cum eo librum hunc finio.

LIBER

LIBER TERTIVS.

TOMI II. EXEGETICI ADORATIO CHRISTI IN BETHLEHEM.

CAPVT. I.

Dies Epiphaniæ 6. Ianuarij fuit & 13. post natalem Christi.

ILLVXIT tandem Epiphaniæ dies Gentibus optatissima: qua iam repudiatis Iudaïs Filius Dei *procedens sicut sponsus de thalamo* se Gentilium Ecclesiæ casto copulauit & æterno coniugio: cuius tempus ante quam diei mysteria perpendantur, est stabiliendum. *ps. 18.*

Superius confutauimus eos, qui biennio vel anno voluerunt stellam ante natalem Christi diem Magis apparuisse. Restant alij, qui biennio post docent cum pridem oblatus fuisset in templo Christum à Magis adoratum esse. Dux horum S. Epiphanius est. *Iussit*, ait, *omnes infantes in finibus Bethlehem occidi à duobus annis & infra, vsque ad diem, in qua Magi apud ipsum fuerunt. Hinc cui non apparet, quod quando venerunt Magi duos annos natus puer erat?* Si obijcias tunc in Bethlehem puerum cum matre non reperissent, cum testetur Euangelista statim eos oblato in templo Christo in Nazareth reuersos esse, respondet ob venerationem natiuitatis Christi solitos fuisse Deiparam & Ioseph redire quotannis in Bethlehem, & ita repertos à Magis ibidem non in stabulo: sed in domo teste Matthæo *& intrantes domum*: sequuntur eum nonnulli alij. Fundamentum sumitur *à bimatu*, ex quo iussit Herodes infantes necari: & alias in templo Deipara non turtures: sed agnum & aurum obtulisset, acceptis tam pretiosis muneribus.

Epiphanius vult accidisse biennio post nativitatem Christi *lib. 2. contra Hæreses. ratio eius. obiectionem diluit*

duplex fundamentum.

Communior & verior sententia 13. post ortum die & 6. Ianuarij facta hæc esse. Indicat hanc celeritatem Euangelista his verbis. *Cum natus esset; ecce Magi venerunt*: & istis: *vidimus & venimus adorare.* communis sententia.

Concinit S. Matthæo certa fidelium traditio & communis Ecclesiæ sensus diebus 13. à natali dominico Theophaniam celebrantis Adstipulantur Patres. *Ammonius Alexandrinus* ait *Magos Christum adorasse 13. post ortum die, dies autem ille fuit 6. Ianuarij*: Alcuinus: *acceptis muneribus præeunte eos stella ad Christi cunabula decimo tertio die, quod est hodie, Bethlehem peruenerunt.* *Ammonius in Harmonia 4. Euang. lib. 7. c. 4. Alcuinus. de offic. div. c. 3. Rabert.*

Paschasius Ratbertus: *Duodecimo autem die idcirco possibile creditur aduenisse, quoniam omnis illa pars anterior regionis ab Ierusalem iure Oriens appellatur*, loquitur de ingressu Solymæ, cum postridie Bethlehemum peruenerunt.

S. Anselmus *Magi ab Oriente dicuntur venisse, nec mireris eos in 13. diebus venisse in Bethlehem.* *S. Anselm. in 2. Matt.*

Regino: *Anno Octauiani Cæsaris 42. Iesus Christus filius Dei natus est, eadem nocte ab Angelis euangelizatur, à Pastoribus visitatur; octaua die circumciditur; tredecima die stella duce à Magis adoratur, & mysticis muneribus prædicatur.* *Regino in Chronico*

Huc faciunt omnes ij Patres supra laudati qui dromedarijs vsos volunt,

& quos infra adferemus, qui dicunt in ſtabulo ab ijs eſſe adoratum.

Suaretz. diſp. 14. ſ. 4. Baronius. A. 1.

Recentiores ſine numero ſunt, tam interpretes, quam ſcholaſtici: videri Baronius poteſt ad primum Chriſti annum, Suaretz, Azor, alij; rationibus hic non eſt opus: eædem ſufficiunt, quas in celerit ateeorum deſcribenda attulimus: certe dicere Deiparam quotannis in Bethlehem conceſſiſſe caret, autoritate ſcripturæ ac Patrum & ratione. Fundamentum à bimatu petitum nullum eſt: de tempore infanticidij variant ſententiæ; multi (vt ſuo loco videbimus) volunt anno poſt abitum Magorum accidiſſe, cauſam dilatæ necis hanc inter reliquas adducit S. Auguſtinus: *Mitto dicere quot, & quantis occupationibus regia cura diſtendi potuerit & per plurimos dies ab illa intentione vel auerti omnino, vel impediri.*

fundamẽti confutatio.

S. Auguſt. lib. 2. de conſenſu. Euãgeliſt. c. 11.

Sin dixerimus eodem anno Herodis extremo Magos adoraſſe, & cæſos infantes cur tamen ſæuierit in bimulos etiam tyrannus hanc commodam adfert ſanct. Chryſoſtomus rationem. *Quod à biennio & infra interfecit, ne mireretur, ſiquidem pauor, & furor maioris ſecuritatis & certitudinis cauſa, etiam tempus producit, ne quiſquam eius ætatis & forte is potiſſimum, propter quem alij interimuntur, effugiat.* Et ſanct. Thomas addit. *Ne cui ſidera fauulantur ſpeciem ſuam paulo ſupra vel infra ætatem transformaret*: Recte ergo hoc zetema ſic decidit Petrus Simonis Tiletanus Iprenſis Epiſcopus. *Vnde liquet non vanis rationibus niti, non ſolum Hieronymum & Auguſtinum, veruntamen omnes prope autores & veteres & recentiores (inter quos ille quoque eſt, qui inter fragmenta Caroli Magni librum conſcripſit de ritibus & ceremonijs Eccleſiæ Romanæ) atque adeo vulgus omne Chriſtianorum, quod diebus à natiuitate Chriſti tredecim Magos exiſtimat ad eius cunabula in Bethlehem adueniſſe.*

S. Thom. q. 37. a. 6. ad 3. Petrus Simonis S. Aug. l. 2. de cœleſti.

CAPVT II.

Quam dies deſideratus Chriſto, & optatus Magis?

optatiſſimus dies Epiphaniæ

QVi potuit dies ille non eſſe Chriſto & Magis optabilis? Quater millenis & amplius annis eum DEI filius deſiderarat: quo non cum natura Angelica, ſed humana; non cum veteri ſynagoga ſerua, ſed fideli ſponſa, & ſorore Gentilium Eccleſia, vinculo, non quod ſolui poſſet libello repudij, quem dedit Indæis, ſed æterno coniungeretur, ita vt omnes in hac ornanda diuitias amoris, ſapientiæ, bonitatiſque quodammodo exinaniret.

Dies erat illa, quam præ ceteris placuit *deſponſationis*, & *lætitiæ* nominare, qua deſideratam diu ſponſam, eductam ex Oriente, fœdam, & decoloratam antea maculis errorum, & idololatriæ, nunc ſibi ſiſteret ſpecioſiſſimam, & præ Angelis amabilem & dilectam: qua die ſic omnes ipſe Rex ſponſus inuitat ad gaudia, & amoris diuini magnitudinem conſiderandam.

ob ſponſalia Chriſti cum Gentilitate. *Cant. 3. 12.*

Egredimini & videte filiæ ſion, Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius. Coronarat Pater æternus filium diademate diuinitatis; mater addidit eidem alterum diadema humanitatis: eam licet ſibi in exortu ſuo deſpondiſſet, præcipuè tamen omnem amorem ſuum effudit in Gentilitatem, quam hoc Epiphaniæ die ſibi copulauit, die veræ lætitiæ ſuæ, quo poſt fuſum ſanguinem primos lytri ſoluti præſtantiſſimos fructus tulit, dum Gentilitatis primitias ab hoſte violenter ereptas DEO Patri conſecrauit. *Vnxit* profecto te non minus tunc *oleo lætitiæ* Pater æternus, quam cum factus es homo: tunc enim adhuc *ſol* iuſtitiæ *tanquam ſponſus procedebas de thalamo, exſultaſti vt gigas ad curendam viam, à ſummo cælo*, ſeu ſinu patris, *egreſſio tua & occurſus tuus vſque ad ſummum eius*, ſeu ſinum matris: quæ rerum omnium creatarum apex, & ſummum faſtigium poteſt nominari: vt nunc è ſinu matris diademate gemino cinctus Gentilitati ſponſæ venienti de longinquo tot votis, quater millenis annis expetitæ coniungereris, vt & fuſi ſanguinis fructum referas, & nomini tuo congruenter *acceleres, ſpolia detrahas, feſtines prædari.* Iam *lætabuntur*

duplex diadema eius.

eiuſdem lætitia

pſal. 18.

& fructus effuſi ſanguinis.

coram

coram te sanguine tuo liberati, *sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando diuidunt spolia, iugum enim oneris eorum, & virgam humeri, & sceptrum exactoris superasti.* Parvulus enim *natus es nobis*; Filius & sponsus hac die *datus es nobis*: *& factus est principatus super humerum tuum, & vocabitur nomen tuum admirabilis consiliarius*, DEVS *fortis*, *Pater futuri seculi*, *princeps pacis*. An non iure *princeps* hodie *pacis*, exsultet gaudio, qui non tantum homines DEO patri conciliauit; sed & Iudæos Gentibus ita deuinxit, vt qui ritibus, moribus, & animis à se plurimum dissidebant, hostes inter se capitales, iam sub vno capite & Rege auctorati corpus idem, membra connexa, & inuicem aptata inter se constituant? Hoc igitur die *multiplicabitur regnum eius*, (heri in metropoli præconibus, & buccinatoribus tribus Regibus publicatum) & deinceps *pacis non erit finis, super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud amodo, & in sempiternum.*

Isa. 8. liberatio Gentium. Isa. 9. pax stabilita.

Horas iam sponsus computat, donec adueniat, cuius caritate sauciatur: *vulnerasti* clamat impatiens moræ, *vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Sororem vocat ob humanæ naturæ societatem, *quia enim pueri communicarunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit ipsdem: propter quam causam non confunditur eos Fratres vocare.* Merito Sororem vocauit sponsam, cui casto voluit connubio copulari, vt de ipsis canat paranymphus in epithalamio. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Sunt igitur futuræ quæ sorores, etiam sponsæ, & reginæ; nam & hic amor supremi Regis vel similes inuenit, vel similes facit: *adstitit*, ait, *psaltes Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*: quod qua connubium nouum iniit reiecta synagoga, verti recte vult S. Chrysostomus: *Stabilita est, seu firmiter & immobiliter stetit*, vt ei non valeant *portæ inferi præualere.*

Cant. 4. 9. Ecclesia soror. Heb. 2. & sponsa. Cor. 11. v. 2. psl. 44. 10. Cant. 8. præparatur donis in via.

Interim consultat de sponsa properante SS. Trinitas. *Soror nostra parua, & vbera non habet; quid faciemus sorori nostræ in die, qua alloquenda est?* Aperit verbis istis fraternam imo paternam solicitudinem curamque Sacrosancta Trias, sanctorum Magorum à stella deserrorum, vt illam varijs calamitatum fluctibus agitatam vberioribus gratiæ, diuinique solatij donis cumulet, quo dignior efficiatur, vt quæ virtute tenera, si creseat, & viribus augeatur, vt iam apta sit, quæ filio DEI possit prolem spiritualem gignere, fouere, lactare, & educare. Tunc igitur alloquitur sponsam: cum Spiritus Sancti donis replet; tunc ei impertit vbera, cum scientia pariter & virtutibus auget, vt & valeat fœcunda filios DEO generare, & sciat eas non sibi superbe arrogare, sed sponso tribuere: quia *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*: tunc illa tot aucta donis & pro- libus exsultabit & exclamabit: *Quis genuit mihi istos? ego sterilis* Gentilitas, *& non parieus, transmigrata, & captiua diaboli: & istos quis enutriuit? ego destituta & sola, & isti vbi erant?* Iam tum has proles grauidæ Gentilitati Christus dum expetit sponsam nimis diu tardantem, singulis exspectat momentis: Angelos eis subsidio mittit, breui post & stellam: vt securius & citius approperent, & his cœlestibus donis & fœtibus fœcundentur.

Cant. 8. augetur virtutibus. 1. Cor. 3. Isa. 49. 21. vt pariat & educet sanctam sobolem.

Nec minus beatissimi Reges diem illum felicissimum illuxisse lætabantur, quo sceptris abiectis DEO se totos consecrarent, & Messiam recens natum oculis coram vsurparent, placarent muneribus, & nomine totius Gentilitatis adorarent. Iam tum præsagiebat animus, Iudæos, dum Regem suum nec adspectu dignarentur, ab eo repudiatum iri, & Gentiles præ ipsis eligendos, quos cum pauculis eorum, qui fidem Messiæ conseruarent eo ipso die, velut lapis angularis duos parietes ita connexurus esset, vt vnus deinceps populus conseretur, vna communis religio, sensus, & rituum, morumque conformitas vtramque in gentem inducatur.

Magorum desiderium.

Itaque quo se magis eó beneficio iudicabant indignos, hoc demissius & ardentius DEO gratias referebant, hoc vehementius anhelabant, vt dilecto suo tam incensis desiderijs expetito coniungerentur arctius. Quam sæpe gemitibus ardentibus suspirabant. *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris & deosculer te, & iam me nemo despiciat?* Fratrem postulant consor-

& ſuſpiria ad Chriſtū Fratrem. *Cant.* 8.

tem humanitatis, tenerum, matris gremio fotum, eiuſdem prenſantem vbera, portatum brachijs, foris extra Bethlehem expetunt amictum iam veſte humanitatis: vt coram oſculentur, adorent, & muneribus venerentur: ne deinceps velut hoſtes teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes deſpiciantur: ſed ei coniuncti & fœderati ſub eodem capite Chriſto militent. Promiſſa ſponſo non parua adijciunt: *apprehendam te & ducam in domum matris meæ*, (in patriam meam) *ibi me docebis* (conuertere ſubiectos populos) *& dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum*: conuertam ex Gentibus innumeram iuſtorum virorum multitudinem, qui fide & claritate præſtabiles, etiam ſanguine pro te fuſo ſuum in te amorem teſtificentur. Itaque non poterat non hic dies Gentilibus optatiſſimus illuxiſſe, ad quem duodecim dierum curriculo, tantis factis impendijs, grauiſſimis moleſtijs & periculis iactati ſuſpirabant, vt deſiderio collium æternorum copularentur; & cum Iudæis, licet inuitis, coirent perpetuam ſocietatem. *Ideo enim venerat Chriſtus, vt manifeſtaretur in ipſis cunabulis infantiæ ſuæ*, (ait S. Auguſtinus) *his qui prope, & his qui longè erant; Iudæis in paſtorum propinquitate, Gentibus in Magorum longinquitate: illi ipſo die, quo natus erat, iſti ad eum hodie aduenijſſe creduntur. Manifeſtatus ergo eſt, nec illis doctis, nec iſtis iuſtis: prævalet namque imperitia in ruſticitate paſtorum, & impietas in ſacrilegijs Magorum, vtroſque ſibi ille lapis angularis applicuit, quippe qui venit ſtulta mundi eligere, vt confunderet ſapientes, & non vocare iuſtos, ſed peccatores; vt nullus magnus ſuperbiret, & nullus infirmus deſperaret: vnde ſcribæ & Phariſæi dum nimis docti, & nimis iuſti ſibi videntur, eius naſcentis ciuitatem oſtenderunt, prophetica elogia recitantes: hunc reprobauerunt ædificantes, ſed quod factus eſt in caput anguli, quod natus oſtendit, hoc paſſus impleuit.*

Ephes. 2. 12.

& ſponſū. *Cant.* 8.

Ser. 2. *de Epiph.*

vtilitas diei Epiphaniæ.

Chriſto adhærendum.

Huic nos inhæreamus cum alio pariete habente reliquias Iſraël, quæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt; eos etiam paſtores illi præſignabant de proximo coniungendos, vt nos, quos ex longinqua vocatione Magorum ſignificabat aduentus, iam non peregrini & inquilini; ſed ciues ſanctorum & domeſtici Dei maneamus, cœdificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide exiſtente Chriſto, qui fecit vtraque vnum: in vno amemus vnitatem, & ad alligandos ramos, qui etiam de oleaſtro inſerti per ſuperbiam facti hæretici facti ſunt; quoniam potens eſt DEVS *iterum inſerere eos*: Decet nos Magorum poſteros eorum animi demiſſionem & deſiderium coniunctionis cum Chriſto ſponſo deſiderare, ne velut amarus oleaſter & ſterilis ex oliua decidamus; vel exciſi deputemur igni ſempiterno.

CAPVT III.

ET ECCE STELLA.

Proficiſcentibus, cum horæ ſpatio abeſſent Solyma apparet, & quare.

Regum in itinere pia ſtudia.

DIScesserant ab Herode Magi, portiſque Solymorum egreſſi Deo videntur grates ceciniſſe, quod & ſuo functi Doctorum, & præconum Chriſti munere, regnum eius Iudæis prædicaſſent, & confirmati Prophetæ vaticinio non procul abeſſe loco viderentur, DEVM pariter obteſtantes, vt per iter inchoatum ad cunabula Meſſiæ deduceret. Et quia vnum tantum in votis habebant recens natum paruulum; non de Iudæorum querebantur vecordia, quod Regem ſuum non aditu viſuque dignarentur: ſolum enim verſabant animo, quomodo breui repertum honore, cultu, muneribuſque congruis proſequerentur.

poſt horæ iter apparet iterum ſtella. *Radziuius. fol.* 82.

Et ecce dum incitato curſu horæ vnius ſpatio mœnia Solymorum reliquiſſent, notum cœlo ſidus iterum inopinatò præluxit. Locum reducis aſtri ſic Radziuilius deſcribit: *Non adeo magno interuallo, eſt puteus muro elegan-*

obdu-

obductus; sed, aquam turbidam habet, & nullius vsus: dicitur Magorum puteus: *quod eo in loco Magorum stella denuo Magis apparuisse dicitur, cum in Bethlehem proficiscerentur.* *Breidēback*

Breidenbach Decanus Moguntinus sic obseruauit. *Exeuntes Hierosolymam ad duo milliaria, venimus ad locum, vbi stella reapparuit.* Denique Franciscus Quaresmius. *Post horam,* inquit, *iterum, vt probaretur constantia, visa est stella.* Quocirca cum sex millibus passuum Solyma distet Bethlehemo, tertiam ferè partem itineris confecerunt prius, quam stella præluceret. Duo quærenda veniunt, cur non citius, vel serius visa sit: deinde, cur iterum apparuerit, cum locum iam non ignorarent. Citius sanè, vt illucesceret non merebantur ciues reprobi Solymorum; sed nec Herodis Palatini, quorum nonnulli ad portas vrbis, vel extra mœnia sunt Reges prosecuti: à quibus si prodigiosa fuisset stella obseruata, non leue puero periculum ab Herode potuisset imminere. *Quaresmius to. 2. c. 7.* cur non citius.

Magis etiam proderat Regibus, quorum constantia clarius absente stella emicabat, dum se Propheticis oraculis viua fide firmati solarentur, & dirigerent, certi cum opus, DEVM non defore suis: donec desiderium adorato paruulo Regum impleretur. cur iterum

Vt iterum appareret necessarium erat: quo puer in stabulo facilius inueniretur; facile enim, non sine tumultu & turbatione apud Bethlehemitas in diuersorio, & frustra puerum quæsiuissent; maiore suo & Christi periculo. Hanc causam sancti Patres adferunt, congeruntque hoc loco complures alias rationes, cur Hierosolymæ cum essent, stella se subduxerit oculis: præcipuas earum alibi retuli: prætermissas ibi, nunc adducam: S. Chrysostomus hoc ex loco probat non stellam; sed virtutem diuinā, seu Angelū fuisse: cum intra breue temporis spatium, vt varia perageren-tur, tam diuersis fuerint modis, diuina successum omnem moderante prouidentia, informati in singulis. *Propterea,* ait, *& fuerat abscondita, vt amittentes subito itineris sui comitem interrogare Iudæos cogerentur, resque omnibus innotesceret. Postquam enim interrogauerunt, & Iudæos suos habuerunt Doctores, & stella eius rursus apparuit: sed specta seriem aptam, ordinemque seruatum: post stellam suscipit eos populus Iudæorum: & Rex: & Prophetam inducunt docentem id, quod videbatur. Post Prophetam ipsos Angelos excipiens, omnia edocuit. Tandem verò ab Hierosolymis in Bethlehem duce stella perueniunt: inde quoque redeuntes adhuc stella comitatur, vt hinc euidenter addiscas, quia non vnum erat hoc sidus, è ceteris. Et quidnam opus erat, inquis, hoc sidere, cum iam vicus ille fuisset cognitus absq; dubio vt videretur & puer.* Insinuat Angelum eis semper comitem adfuisse, qui stellæ præuia luce viam ex Oriente monstrauit, qui in ciuitate per populum, Herodem, & concilium, quæcunq; petebant, indicauit: nam vt ijs ab Hierosolymitis non noceretur, sed ij ipsi in caula tam periculosa subseruirent votis & desiderijs Regum, prouidit DEVS Angelorum ministerio. Rursum vult ab Angelo ductos cum Solymam egrederentur; & informatos: quis dubitet occulta mentis illustratione, qua responsum Propheticum illis, vt verum & sequendum proponebatur: via quoque velut intento digito singulis monstrabatur: forte & Angelus stellam breui reducem fore ipsis significabat: vnde non tam de ea visa: quam stante supra vbi erat puer, sic exsultarunt. causæ occultationis & reditus stellæ *S. Chrysostomus.* 1. ob Iudæos. 2. ob Reges, vt scirent non esse communem stellam. 3. vt puerum deprehenderent Angelus comes indiuiduus Regum.

Theophylactus inde probat etiam fuisse virtutē diuinam. *Occulta,* inquit, *ad paruum tempus erat stella singulari dispensatione, vt Iudæos interrogarent, & turbaretur Herodes, manifestiorque fieret veritas, vt autem egressi sunt à Ierusalem iterum apparuit ducens eos, vnde manifestum, quod stella erat virtus.* Sed nouam hic autor prætexit causam, *vt Herodes turbaretur.* Hanccine DEVS etiam intendit: vel permisit tantum? Permisisse certum est; cum magna veritatis, vt subditur manifestatione; imo & Christi maiestatis, & potentiæ declaratione, cui nulla potuerit Regum potentia, vel ad capillum capitis minuendum incommodare. Has causas Suaretz noster permissionis diuinæ memorat. *Voluisse,* ait, DEVM *permittere turbationem Herodis: tum vt illius tyranni crudelitas, & astutia ostenderetur: tum etiā vt exemplo illo constaret, nihil posse humana consilia aduersus diuina; neque Christum fuisse interficiendum, quando Reges terræ volebant; sed quando ipse voluit: vt eleganter tradit S. Fulgent. ser. de Epiphan. tum denique vt manifestaretur prauæ* *Theophylact.* 4. vt Herodes turbaretur. *Suaretz to. 1. in 3. part. disp. 6. sect. 1.* *Iudæo-*

Iudæorum dispositio, qui simul cum Herode turbati, & Christi necem machinati fuerunt, vt notat S. Hieron. Matth. 3.

August. ob Regum instructionē

S. Augustinus huius occultationis hanc etiam adfert rationem, vt Gentiles à Iudæis instruerentur, vaticinia de Christo & eius natali loco prædicta iam completa esse, ideoque magis in fide Christiana confirmarentur, quando sicut ortum stellæ & Messiæ, Gentilis Balaam; ita locum eius Iudæus vates prænuntiarat: vtrumque impletum iam oraculum esse bis apparens stella demonstrans, ipsum in Bethlehem puerum natum declarauit. *Iam vero*, ait, *quod eadem stella, quæ Magos perduxit ad locum, vbi erat cum Matre virgine* DEVS *infans; quæ vtique poterat eos & ad ipsam ciuitatem perducere, se tamen subtraxerit, nec eis prorsus apparuit, donec de ciuitate, in qua Christus nasceretur, ijdem ipsi interrogarentur Iudæi; vt cum secundum diuinæ scripturæ testimonium nominarent: ipsi dicerent, Bethlehem non minima in principibus Iuda; quid aliud hic significauit diuina prouidentia, nisi apud Iudæos solas diuinas literas permansuras, quibus Gentes instruerentur, illi excæcarentur: quas portarent non ad adiutorium salutis suæ; sed ad testimonium salutis nostræ; nam hodieque cum promissas prophetias de Christo proferimus, iam completarum rerum, luce declaratas, Iudæorum codices recitamus, vt tollatur dubitatio paganorum, quæ iam in Magis illis figurabatur, quos Iudæi de ciuitate, in qua natus est Christus diuinis elogijs instruebant: & cum ipsi nec requirebant, nec agnoscebant. Nunc ergo carissimi gratiæ filij & heredes: videte vocationem vestram & manifestato Iudæis & Gentibus Christo tanquam angulari lapidi perseuerantissima dilectione cohærete.* Hactenus. S. Augustinus quis dubitat, quin Magi cum stella duce Solymam attigissent, & ibi per concilium cognouissent non procul inde, duabus circiter leucis natalem Messiæ locum abesse, mirificè fuerint in fide confirmati, duplici iam completo vaticinio tam Gentilis Balaami, quam Michææ Iudæi: at cum sidus iterum appareret, & ipsis præluceret, quid addi potuit, nisi vt exclamarent: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Ps. 92. Tostatus. 6. vt fides Magorum perlustratur.

Commendat hoc loco fidem Magorum Tostatus tunc cum Solymā egrederentur & fiduciam, qua diuinis promissis nitebantur non minorem, quam ostendit Abraham: cui cum DEVS in Isaac semen pollicitus esset, in quo tribus omnes terræ benedicerentur & postea mandaret, vt eundem in monte immolaret, sperauit reuocandū à mortuis Isaacum, vt staret rata diuina promissio; sic Magis primitijs Gentium ea fides donata fuit, qua certo confiderent fore, vt cœlesti ductu Messiam inuenirent: voluit igitur (vt idem docet) denuo stellam apparere, quia cum afflicti mœrerent, & tamen denuo vocantem sequerentur eos consolari statuit: deinde declarare, quod non suo vitio & peccato, sed diuina prouidentia ad maiorem fidei constantiam stellam perdidissent: denique vt fidem maiorem Michææ testimonio de natali Christi loco tribuerent, & ne cogerentur passim de persona nati recens pueri interrogare.

reditus stellæ causæ.

1
2
3
4

Iansenius tres adfert. 1. ad consolationem Magorum

Iansenius ad duas vel tres hoc modo reuocat causas. Prima, *Quia cum iam plerumque tentata esset Magorum solida fides, eo quod in regia vrbe non solum non inuenissent, quod quærebant; sed ad nomen eius omnes vidissent Iudæos conturbatos, & quem quærebant plenè illis esse incognitum, ita vt merito se delusos esse potuissent cogitasse: iam tempus erat, vt fidelis ille Dominus, qui facit, cum tentatione prouentum, quo sustineri posset probatam illorum fidem corroboraret, & quasi præmio quodam collaudaret, comprobaret. Secundo id factum est, ne cogerentur id nato in Bethlehem puero, sed adhuc Bethlehemitis incognito solicitè inquirere; sicque per Magorum inquisitionem puero manifestato quis improbo regi prodere pergeret recognitum regem: & ne in Bethlehem venientes Magi offenderentur propter humilitatem & obscuritatem nati pueri: itaque eadem illa stella, quæ tempus natiuitatis indicauerat, locum quoque demonstrat.*

2. ad pueri periculum declinandum.

3. ne Reges offenderentur.

Rectè Iansenius obseruat, ne vicinitate loci Reges offenderentur & paupertate pueri stella eis ipsum demonstrasse, fide vehementer Solymis & reduce stella confirmatis, sed hanc rem in morali sensu sequenti capite discutiam.

CA-

CAPVT IV.

Stella tunc clarior effulsit quam in Oriente, & fidem Magorum significauit.

NVM pari semper emicuerit fulgore sidus dubium est: factum id esse, congruere videtur naturæ eius: quam solidum, densum ac compactum corpus luminosum fuisse diximus, quod solet æqualibus semper radijs vt causæ reliquæ necessariæ coruscare: licet DEVS id densius efficiendo & augendo, vel eidem maiorem lucem impertiendo facile potuerit magis irradiare: vel solem nube crassiore tegere, vt lumen huius stellæ clarius funderetur: id factum esse putat Cornelius à Lapide hoc loco: *Hinc*, ait, *apparet, quod Stella in Oriente maiori fulgore splenduerit: deinde Magos comitans fulgorem hunc temperarit, ac in Ierusalem planè eum occultarit: tum vt Magos cogeret adire Pontifices & Scribas, ad quærendum, vbi Christus nasceretur; itaque eis innotesceret, eum natum esse Messiam: tum quia Herodes ceteriique eius assecłæ, vtpote impij indigni erant, qui cœlestem hanc stellam viderent: Descendentibus vero è Ierusalem Magis rursum stella apparuit, & primæua claritate refulsit, vt Christum, qui lux, imo sol est mundi, suo fulgore indicaret, certumque locum, puta stabulum, in quo natus degebat, demonstraret, ne Magi per domos eum quærendo diu & frustra oberrarent.* Atque hæc stellæ solito maior irradiatio fidem in ijs indicat, non tentamentis Herodis, & diaboli caligantem; sed clariorem, vegetiorem, firmiorem, velut lucem in tenebris manifestius renitentem. Quocirca fideles omnes fidei præuium secutos iter figurant, quotquot gestiunt ad patriam peruenire S. Augustinus: *interrogant & quærunt, significantes eos, qui ambulant per fidem & desiderant speciem*: Vnde cum iam puerum inuenissent, stella subito euanuit. quasi cum visio patriæ succedet fidei; hæc erit auferenda. Multa sunt in stella, quæ fidem Magorum adumbrent: ideo Beda fidei eam comparat: *Stella*, ait, *est quælibet adhortatio bona ducens ad Christum, vel potius fides, quæ est mentis quædam illustratio.* S. Antoninus perite fidei eam sic assimulat: *Stella est fides, de qua potest exponi illud Eccl. 44 species cœli, id est, viri cœlestis est gloria stellarum, id est claritas virtutum: qui scilicet Deus numerat multitudinem stellarum seu virtutum, & omnibus eis nomina vocat, inter quas prima est fides: hanc videntes Magi in corde suo gauisi sunt, non solum gaudio magno sed & valde: nam nisi fidem diuinitatis habuissent, ex visione pueri & matris eius, parum gauisi fuissent: sed propter fidem credentes Deum esse & summum bonum gauisi sunt valde: & propter istam veram fidem procidentes adorarunt eum, non enim adoratur nisi Deus: Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli inseruies, id est adorabis cultu interiori, recognoscendo eum vt principium & finem sui & omnium, & illi soli seruies cultu exteriori, vt Domino summo, eius præcepta seruando.*

causa varietatis in stellæ illuminatione.

eam admittit Cornelius à Lapide.

S. Augustinus ser. de Epiphan.

fidei comparatur.

Beda in 2. Matth.

S. Antoninus.

Barradius.

Pluribus Barradius noster eandem fidem cum stella confert: *E cælo*, ait, *Magis Stella affulsit. è cælo quoque Gentibus stella affulget, quæ cœlestem hunc Regem indicat: hoc est fides: fides stella est fulgentissima, quæ intellectui velut cælo infixa ad Christum homines dirigit. Columna est illa nubis, quæ spirituales Israëlitas per orbis solitudinem præit; lingua est cælorum: Si enim* S. Augustinus: *stellam Magorum vocauit linguam cælorum, cur nos fidei stellam eodem nomine non afficiamus? lingua profecto cælorum est fides: nam cœlestia diuinaque eloquitur*: D. Maximus eandem orbis oculum appellauit, *Stella*, inquit, *illa velut quidam caligantis orbis oculus, mundi veterem nouauit adspectum, fides quidam caligantis orbis oculus, qui cœlestem cæcis hominibus adspectum adfert: tolle hunc ex orbe oculum planè cæcus erit: tolle hanc è medio stellam, nullus ad Christum veniet. fides speculum est admirandum 2. Cor. 13. videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: *Fides*, ait S. Bernardus, *quoddam æternitatis speculum est: quemadmodum enim æternitas, ita fides omne tempus complectitur, præterita simul, præsentia & futura sinu suo vastissimo comprehendit: præteritam mundi creationem, nati incarnationem, miracula, futura beatorum præmia, impiorum supplicia, videmus*

fidei variæ comparationes.

est columna nubis. S. Augustin. ser. 2. & 3.

orbis oculus. D. Maximus ser. 1.

speculum æternitatis S. Bernardus.

hæc nunc per ſpeculum obſcura quidem, ſed certiſſima cognitione, in patriam veram cum peruenerimus cæleſtem, frangetur ſpeculum, diſſoluetur ænigma, fidei obſcuritas abſcedet, cognitio ſuccedet clariſſima. Stellam ſequuntur Magi & munera offerunt cum ſtella, hoc eſt fidei munera, hoc eſt opera conungenda docent, non enim placet Deo operibus vacua fides. Quemadmodum homini non vinea placet, aut arbor frondibus exuberans, fructibus carens, omnem palmitem in me non ferentem fructum, ait Dominus, tollet eum pater plura vide apud eundem.

fides ſine operibus eſt arbor ſine fructibus.

Decuit profecto fidem Magorum aduerſis probari, ſicut eandem in Abrahamo DEVS fuit periclitatus: vt non minus quam Abraham progenitores fidelium dicerentur, & eſſent norma, quam conuerſi Gentiles cum fide ad mortem vſque propugnanda ſequerentur. ſed de fide Magorum infra copioſius.

CAPVT V.

Myſticè gaudium ex viſa ſtella ſignificat gratiæ reditum poſt peccatum & diuinæ conſolationis poſt tentationes affluentia.

Reges fidem & gratiam retinuerunt.

TRISTES amiſſa ſtella Reges fuiſſe nemo dubitat: ſed & eiuſdem reditum & ductum expetiſſe perquam credibile: eo frui non licebat, quādiu cum Herode verſabantur: Certum tamen mihi videtur, eos interea nec fide, neque gratia cœleſti caruiſſe; geſſiſſe nihilominus imaginem eorum ſancti Patres volunt, qui ſe peccatis dum obſtringunt, adeoque Herodi vel diabolo mancipant, animam gratiæ nudant ornamentis. Ita Haymo: *Diſcimus ergo per hanc ſtellam, gratiam Domini non incongruè figurari, & per Herodem Diabolum: ingredientibus ergo Magis ad Herodem ſtella eos reliquit, quia eos, qui ſeruitio diaboli ſe ſubdunt, diuina gratia deſerit; ſed ſi ab Herode egreſſi fuerint, ſi per pœnitentiam iugum diaboli à ceruicibus ſuis excutientes Deum quærere cœperint, iterum diuina gratia eis apparebit, iterum nos illuminabit, iterum viam, qua Dominus inueniatur, demonſtrabit: & ſolet contingere, vt maiore lætitia exſultet anima cum gratiam Dei recipit poſt peccatum, quam gauderet in eius perceptione ante peccatum; ſicut Dominus in Euangelio de oue perdita & inuenta ſimilitudinem exponens ait, dico vobis gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper 99. iuſtis, qui non indigent pœnitentia: Luc. 15. & de inuentione filij prodigi, cum maior filius contriſtatus eſſet, vocem patris audiuit: oportet te fili gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat, & inuentus eſt.* Monuit id ante hunc S. Ambroſius: *Magi ad Herodem intrantes, ſtellam perdiderunt, & vos ſi ad diabolum acceſſeritis peccando, lucem ſpiritualem non habebitis, niſi forte per confeſſionem, & pœnitentiam denuo ab illo receſſeritis. Moneo ne intrectis ad Herodem: quia melius eſt peccatum cauere, quam emendare; nam ſi diabolo ſuadente peccaueritis, per pœnitentiam autem Deo adiuuante ab illo receſſeritis, gratiam perditam recipietis: ſicut & Magi poſtquam ab Herode receſſerunt, ſtellam, quam perdiderant, videre meruerunt.*

S. Ambroſ. ſer. de Epipha.

S. Thomas.

Doctor Angelicus exinde ſenſum hunc myſticum de gratia deducit, quod ipſe Chriſtus fons & origo gratiæ ſtella, ſicut inferius dicemus, appelletur, ideoque monet, ſimiliter acceſſum ad Herodem declinandum, *Stella*, ait, *ſignificat Chriſtum, Apoc. vlt. Ego ſum radix Dauid, ſtella ſplendida & matutina: vnde per illam ſtellam intelligere poſſumus gratiam Dei, quam amittimus, cum ad Herodem id eſt diabolum accedimus. Epheſ. 5. Eratis aliquando tenebræ. Itē cum ab Herode, id eſt diabolo recedimus, ſtellam, id eſt, Chriſti gratiam inuenimus: ſimile Exodi 13. vbi dicitur, quod Dominus præcedebat Iſraël, quando exiuit ex Ægypto in ſpecie ignis. ibi autem præcedebat in ſpecie ſtellæ.*

ſtella gratiam ſignificat.

S. Eucher. ho. de Epiphan.

Sic etiam Eucherius ait: *Recedunt Magi ab Herode, & vident ſtellam, quia & illi qui à Diabolo ſeparantur, vident iuſtitiæ lumen.* Peccato igitur quiſquis obſtrictus, Herodi ſeu diabolo famulatur, ſciat immaniſſimo ſe tyranno mancipatum eſſe,

à quo

à quo fœdissimè dum vivit, pertubationum animi contrarijs motibus, velut flagellis continuis agitatur, & stimulis conscientiæ velut calcaribus pungitur, & post hanc seruitutem pœnas incurret sempiternas. Ideo rectè S. Chrysostomus eum equum diaboli nominat; *Peccatores*, ait, *sunt equi diaboli: nam sicut equus Domino suo in portandis oneribus, in trahendo curru, & in vectando seruit, illumq; sessor freno in quam vult partem inflectit ad nutum, ita regit peccatorem diabolus pro arbitrio suo.* Quis non expetat stella gratiæ duce & comite se tanti tyranni freno & calcaribus liberare: & in filiorum DEI sortem ac conditionem euadere, qui pœnitudine delictorum concepta, & diabolo relicto ius acquirunt regni cœlestis adeundi: rectè Seneca alibi: *O quam contemta res est homo nisi supra humana adscenderit!* nimirum per gratiam, vt animus à terrenis auocatus, dulcis huius sideris adspectu & ductu delectetur: nam huius gratiæ (quam iustificantem vocant Scholastici) effectus est liquidissima quædam animi delectatio, qua sic mens rectè sibi conscia capitur, & delinitur, vt longè voluptatibus omnibus antecellat: & licet homini conducat, vt sæpè calamitatum procellis ventiletur, in ipsis tamē solet aduersis spe cœlestis beatitatis obtinendæ DEVS sic virum iustum consolari, vt malit cum diuina voluntate malis istis exerceri Christi patientis instar, quam sine ijs perpetuis incedere lætitijs.

peccator est equus diaboli. S. Chrysostomus ho. 24. in Matth.

ex gratia iustificante oritur. pax & lætitia.

Ita Sancti Reges, cum scirent multum conferre ad DEI gloriam, si biduo forte vel triduo stellæ carerent beneficio, vt commodius in vrbe Christi regnum publicarent: lubentes, volentes paruerunt, quos eo maiori postea gaudio DEVS cumulauit: quo fuerant in Dei negotio pertractando cum molestia diligentiores.

Ideo tropologicè significant eos, qui post nubila turbinesque calamitatum repente serenii solis adspectu recreantur, ita Iobus: *Post tenebras sperabat lucem* & post annorum aliquot extremas calamitates in summam vitæ huius etiam felicitatem respirauit. Iactent te igitur vitæ mortalis omnes miseriæ; fortunis cum Iobo omnibus exturbatus, morbis quibusque dirissimè lancinatus, ab amicis, filijs & coniuge derelictus, vexatus, derisus, sterquilinio incubes: noli animum despondere: poterit cum voluerit & tibi expedierit te DEVS ad pristinam & secundiorem fortunam reuocare. dictum tibi ne dubita: *Ad punctum in modico dereliqui te: & in miserationibus magnis congregabo te: in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericodia sempiterna misertus sum tui.* Mellifluè S. Bernardus hanc Christi velocitatem in amicis suis tristibus iterum refocillandis dulcedine solatiorum diuinorum ita describit: *Imo*, ait, *si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit, Apostoli decem dies in hac exspectatione sederunt perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus & Maria Matre* IESV: *& tu igitur orare disce, disce quærere, petere, pulsare: donec inuenias, donec accipias, donec aperiatur tibi: nouit Dominus figmentum suum; fidelis est, non te patietur tentari supra id, quod possis: confide in ipso, quod si fideliter exspectaueris, nec diem decimum exspectabit: præueniet, certè in benedictionibus dulcedinis desolatum animum & orantem, vt feliciter, & non ad insipientiam tibi consolari renuens in ipsius memoria delecteris, inebriatus ab vbertate domus, & voluptatis eius torrente potatus.* Habet hoc proprium via nostra ad cœlestem patriam, quod alternet in ea secunda cum aduersa fortuna: ne vel prosperiore nimis elati cum Salomone DEVM deseramus; vel grauiore pressi molestiarum onere peccatis succumbamus: & quibusdam expedit etiam, vt sæpius & molestius affligantur, qui nequeunt vti secundiore rerum successu: vnde quod gratiæ incrementum solet, in quibusdam serenitatem mentis, & delectationem, quæ sub sensum cadit maiorem solito generare, in alijs grauiores etiam nonnunquam molestias & corporis afflictiones: vt in sanctis Regibus steterit cum gratiæ incremento tristitia, dum actu adspectus tolleretur: sic & in pijs quandoque gustus ille saporque liquidæ diuinæque voluptatis remittit, dum dona gratiæ cumulantur.

post tristitiam sequitur gaudium.

Iob 14.

fiducia in Deum excitanda. S. Bern. ser. 6. de Ascens.

alternat in pijs solatia & tristitia.

quosdam Deus per sola aduersa ducit Blosius in monitis c. 10.

Docuit hoc S. Gertrudem Christus, quam iussit oblato corde suo inde sugere abundantiam dulcedinis, & donare quibus, & quantum vellet: illa plenis quasi buccis vim magnam hausit, quam optabat certæ personæ communicari: quæ subito tam inuaues & amaros animi motus in alteram pro qua precabatur, excitauit, vt stupefacta roga-

rogaret Christum, quænam ista gratiæ iam impetratæ tam molesta, & insuauis operatio? audijt à sponso: quoties dona cuiquam elargitur gratiæ, sic in ijs operari, sicut subiectæ materiæ conuenit, & saluti congruunt: *Nam quibusdam vtilior est affectio, morbi, molestiæ, quibus anima eorum solidatur, ornatur, perficitur ad desiderium cordis mei: quod quamuis hic eos lateat, eius tamen rei veritatem in altera vita experientur.*

Testæ sumus omnes nos homines in manu Dei, & figuli: nouit ille quæ vasa, quantoque tempore debeant rotari, vel igne excoqui, vt apta sint, quæ ad mensam Dominicam adhibeantur: *Quoniam ipsi cura de nobis*: Igitur omnia de manu eius siue dulcia, siue amara libenter suscipiamus, certi quoniam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

1. Petri 5.

Ro. 8.

Deo non hominibus nitendum.

Denique multi sanctorum Patrum sentiunt hoc loco significari, quod ij, qui humanis nituntur spreto Deo consilijs, cœlestibus auxilijs destituantur, similes Iudæis, quos olim frequenter arguit apud Prophetas DEVS, quod diuinæ dissisi potentiæ, fragili & arundineo Ægypti baculo niterentur: ideoque iusta vindicta hostibus traditi perierunt: donec DEO supplices, ab eo cum subsidium sero licet flagitarent, obtinuerunt. ita S. Bernardus: *Cumque recessissent Magi, & reliquissent Iudæos, ecce, stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos: Hinc manifestè datur intelligi, quoniam humanum flagitantes consilium, diuinum amisere ducatum, & conuersos ad terrenum documentum, cœleste signum deseruit*: quod sic velim accipias: non quasi peccarint (quos supra dixi iussu diuino Solymam introisse) sed quod ij, quos figurant, peccent, qui contra diuina mandata suo freti iudicio naturalibus & humanis malunt, quam cœlestibus regi consilijs & iuribus.

S. Bernardus ser. 3. de Epph.

S. Thomas in 2. Mat.

Et Doctor Angelicus ex Glossa sic commentatur: *Tertio*, ait, *propter instructionem nostram: & instruimur de duobus secundum Glossam, primo quod qui humanum auxilium quærunt deseruntur à diuino; illicitum est enim humanum auxilium quærere, non quærendo diuinum. Isaiæ 31. Væ qui descenditis in Ægyptum ad auxilium in equis sperantes habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt & super equitibus, quia præualidi nimis, & non sunt confisi super sanctum Israël, & Dominum non requisierunt*, primo semper exquirendum consilium & auxilium diuinum, tum vero nec humana vel naturalia sunt prætermittenda subsidia, ad Ezechiæ Regis exemplum: qui cum suis diffisus viribus ad diuinam confugisset opem, postea nec destitit obturare fontes, ad aquationem Assyrijs prohibendam, fatiscentes muros instaurare, turres exstruere, nouis mœnibus vrbem cingere: nec tamen his viribus, sed DEO confidebat, cum suos, vt fortiter agerent, sic hortaretur: *Viriliter agite, & confortamini, nolite timere, multo enim plures nobiscum sunt, quam cum illo: cum illo enim est brachium carneum, nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis.* Fructum tulit vna nocte tantæ fidentiæ in DEVM, qua centum octoginta millia Assyriorum vnus aliquis cœlestium geniorum interemit. Quem etiam Regem DEVS prius voluit varijs calamitatum procellis agitari, vt insperatâ potitus triumphatis tot copijs sine sanguine victoriâ, gauderet abundantius, quo prius hostium metu perculsus erat vehementius: Alternant scilicet in bonis hæc in via aduersa cum prosperis, ne nimis vel secundis rebus efferantur, vel calamitosis deijciantur: in via se norint, nondum in patria: diuino per aduersa quæris nitendum & tendendum auxilio, quod nunquâ solet *Pater misericordiarum* rogatus filijs suis denegare: excitat etiam eosdem vt petant; stellâ gratiæ mentem excitantis, illustrantis & præuenientis demissâ cœlitus: cuius ductum & impulsum quotquot cum Magis sequuntur, ad Christum omnis boni fontem securè perueniunt, itaque ducem, hunc Magis præluccntem contemplemur.

Isaiæ 31.

operandũ cum diuina gratia.

2. Paral. c. 32. 7.

fructus fiduciæ.

CA-

CAPVT VI.

Antecedebat eos.

IANSENIVS cum alijs, vt alibi vidimus, hinc colligit, stellam non totius itineris ducem Magos præcessisse: ideo etiam tantopere nouo eius officio exsultasse: quem rectè confutat his verbis Maldonatus: *Qui hinc colligunt stellam non fuisse Magis totius viæ ducem, quod quasi nunc nouo eius officio lætentur, non videntur animaduertere, eadem ratione probari posse, ne visam quidem illis antea fuisse: quod ita nunc quasi ante non vidissent ea visa lætentur.* 2. Aliam lætitiæ causam postea proponemus. Sanè cum maior etiam forte initio, quam modo viæ cognoscendæ necessitas vrgeret, & lactandi Reges essent, & efficacius ad Christum adducendi per loca periculosissima viderentur, stellæ eiusdem ductu omnia sunt assecuti: non enim tantum luce præuia viam ostendebat, sed etiam Archangelus Michael, qui cursum eius moderabatur, sic eos ad eam sequendam inuitabat, vt manu quasi prehensa, trahere videretur autore S. Chrysostomo: *Nulla stella habet hanc naturam: neque enim ibat propter Magos tantummodo, apprehensa manu eos trahens, viamque demonstrans, lucente prorsus die, ac sole rutilante quidnam opus erat*, inquis, hoc sidere, cum certè iam vicus ille fuisset repertus? *absque*: *dubio, vt videretur & puer.* Solent filios prehensa manu matres ducere ne concidant: vt manibus suis tam ijs auxilientur, quam eosdem protegant: ideo manui sæpius vmbram scriptura coniungit, diuinamque simul defensionem appromittit. *Posuit*, ait Isaias, *os meum quasi gladium acutum; in vmbra manus suæ protexit me* & 41. v. 16. *posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te.* Quam felix qui velut iumentum Domini manu diuina regi se ducique finit non quo cæca voluntas, vel proprij tenacitas iudicij; sed quo Deus sequi iubet, Dauidem verbis & opere canentem imitatus: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum: tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me.* Rectè in voluntate tua Domine sanctissima, & iustissima, à qua plurimum peruersa mea deuiat, quam cum sequor, cœcum mihi ducem constituo; an mirum si mihi relictus in tenebris, & cœco duce vbique corruam, incurram, offendam, à Dei defensione derelictus? Tu sapientissime IESV, qui Magos stella duce velut dextera traxisti, & protexisti, *esto nobis in Deum protectorem, & in locum refugij, vt saluos nos facias in die malorum proteges nos in abscondito tabernaculi*: in illa misericordia nos proteges, quæ rectè *Tabernaculum absconditum* nominatur: Fidenter hic & securè latitans canit, *Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cæli commorabitur. Dicet Domino susceptor meus es tu & refugium meum, Deus meus sperabo in eum*: Quam belle cum Psalte Regio Reges nostri tunc id canere potuerunt, cum stella velut diuina prehensi manu ducerentur? sed cur non ijs ad obsequium præirent astra; qui ductum in omnibus Dei sequebantur, & se suaque volebant omnia Regis recens nati dignitati famulari? Hinc iterum poterant Regis istius nati potentiam cognoscere, & ad se suaque ei submittenda vehementius inflammari: quo clarius notabant, non stellam tantum; sed & stellæ motorem Angelum, vel Archangelum Michaelem ipsis deseruire: vt inde diuinitatem pueri cognitam adorarent religiosius: quam caulam operis imperfecti autor ita refert. *Antecedebat eos, vt considerantes obsequium stellæ, Regis intelligerent dignitatem, & dicerent apud se quomodo sit Rex ille terrenus, cui stella ministrat? Quid autem mirum, si soli iustitiæ orituro stella ministrabat diuina? Præcedebat autem eos, quoniam hominibus quærentibus Deum, sic omnia elementa ministrant. Si ergo magnum putas: quia Christo stella obsequebatur; Vide quoniam maiora sunt, quæ tibi homini constituto ministrat, Ecce enim tibi sol currit, & luna fulgere non cessat, si tibi homini constituto elementa ministrant, quid mirum si Christo stella obsequebatur; si tibi peccanti elementa ministrant, quid mirum si ante illos quærentes Christum stella currebat? & si Angeli ministrant hominibus, quos Deus non*

Iansenij sententia confutatur à Maldonato.

cur initio opus stellæ

cur postea simile.

Deus ducit & protegit.

Isa. 49. 2.

vt iumentum.

Psal. 72.

psal. 20. securitas in tutela hac Dei *psal.* 26. *psal.* 90.

Autor operis imperfecti.

Electis omnes creatæ res seruiunt.

ad

ad obsequium hominum, sed suum creauit, quid magnum si hominibus elementa ministrant, quæ propter homines sunt creata? Hanc diuinam erga se benignitatem & munificentiam iure Reges nostri venerabantur; quod astrum solis æmulum, cursum eius regente Michaele Archangelo, mortalibus subseruiret, solem ipsum iustitiæ præsentem demonstraret adorandum, & omnibus obsequijs, cultu & religione honorandum: ideo merito Regi regum recensnato sceptra sua Reges submiserunt, eum non Regem tantum, sed Deum etiam cœli terræq; conditorem agnouerunt, & supplices fuerunt venerati: *mysterium stellæ* (subdit idem autor) *Intelligebant, quoniam dignitas tunc nati Regis excedebat mensuram omnium mundialium Regum: necesse enim erat, vt glorioſiorem putarent Regem eum, quam stellam, cui stella sic deuotè obsequebàtur. Aut quomodo non crederent ei subdendos homines, cui etiam cœli elementa subdita esse videbant? aut quomodo poterat terra esse rebellis, cui famulatur & cœlum?*

impietas peccatoris in Deum. seipsum lædit. quasi statuam pugnis cedēdo se vulnerat.

Nec desinit homo solus & vnus in via Deo suo non repugnare tantum, sed gigantum more cum eo peccatis belligerare, similis Herodi, qui cum audiret cœlestes stellas ei famulari, non dubitauit tamen necem machinari: scilicet mortalis & patibilis venerat; nec in hoc aberrabat, posse eum & vita (licet non inuitum) exturbari. Adhucne audent mortales Deum & Christum in gloria Patris residentem, ac immortalem sceleribus velut armis lacessere, & vitam si possent ereptum ire, dum quod in Christo nequeunt in membris eius attentant: vt male & ægrè sit Christo? sed quid in æterna beatitate constituto potest accidere ægrimoniæ? non Christo tales, sed sibi ipsis nocent. Similes illis, qui pugnis statuam Cæsaris tundunt, sibi non Cæsari nocent, suas ipsi manus non Cæsarem vulnerant. Agnoscant cum Magis in Christo diuinitatem, nec tantum, vt dixi, quia stella Christo, & seruis Christi famulatur: sed etiam quia tam potenter influit in hominum voluntates, vt ea, quæ voluntati propriæ, carni, & cupiditati contraria sunt, ea medullitus diligant: ad ea sola quærenda Regum etiam non cogit, sed suauiter inclinat voluntatem. Quam verè in manu Dei sunt corda Regum: quo enim eos nulla potest humana vis inflectere, tam efficienter mouet Deus, vt appetant vltro, à quibus voluntas eorum paulo ante abhorrere maximè videbatur. Potest enim autor naturæ suum opus, salua etiam arbitrij libertate sic aptare, mouere, flectere, vt placitum fuerit summæ & infinitæ in res humanas potestati: quæ clarissima fuit in Christo recens nato nota diuinitatis; Quod Reges ad summa natos, gloriam docuerit & fauorem hominum declinare: laboriosas itineris tam longinqui molestias adamare, lenocinantes carnis voluptates deuitare. Sanè non potuit quæ naturæ contraria videntur, nisi naturæ conditor persuadere. Colligit hæc ex nota Christi diuinitatis Baëza noster: facit is duos de diuinitate contendentes arbitris Magis, Christum & stellam, cuius forte cultui cum Persis fuerant consecrati, tum Christum victorem in ea, quæ carni contraria sunt Reges inclinantem. *Ecce*, ait, *vobis lucidissima sidera sedes habitantia crystallinas, & puer pauperculus obscuro vix egressus è stabulo, paupereque sub tecto pauperis matris innitens brachijs contendunt de diuinitate. Spectat supernè Angelicus exercitus, infernè totus orbis terrarum: iudicaturi adstant Magi stellarum deuoti admiratores, & iudice Mago stellæ priuantur diuinitate, & diuina agnoscitur paupertas infantis, qui adoratur.* Prolato deinde ex S. Chrysologi verbis Magorum iudicio, quod stella conserua sit non Deus, subdit: *Non equidem Deus est, qui hominum obtemperat voluntati, qui humano nutu omnia sua metiri obligatur: creatura est conserua, quæ sublimes occupans sedes, vt regnet, hominum cogitur inseruire palatijs: at ille vnus Deus est summa potens Diuinitate, qui sub seruili forma, contraria suggerens voluntati hominum, nimirum abiectionem, humiliationem, paupertatem, tolerantiam, in hæc contraria hominum animos inclinat, & trahit. Quis nisi Deus elatas hominum rationes, regias rationis sedes, vt greges tonsarum cogeret in stabulum? Deus ille merito adoratur à Magis, qui inusitata imo contraria homini docet, vt homines trahat.*

Christus trahit volentes.

ad molesta carni.

Baëza l. 2. c. 8. §. 13. & Reges ad se pauperem sequendum. relicto stellarum cultu.

Sinamus & nos Deū corda nostra, quo voluerit, inflectere, vasa qualia voluerit, figulum illum supremū efformare: opera quæ Deus per nos voluerit, exercere. *Nunquid glo-*

gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est. Antecedit nos stella: ad Iesum ducit pauperem, mitem, humilem, cum Magis affectu mentis, & imitandi studio sequamur. homō tanta Deus.

CAPVT VII.

VSQVE DVM VENIENS STARET SVPRA, VBI ERAT PVER.

STARE nunc stellam, quæ paulo ante præcedebat, indicium fuit astri noui penitus non vulgaris: nec fixi, nec errantis: vt hinc passim sancti Patres colligunt: & quidam etiam Angelum vel cœlestem virtutem ideo vocant, quod ab Angelo cursus eius sisteretur. Vnus instar omnium sit Theodotus Ancyranus: *Quod autem & iam, ait, de stella, eam stetisse super puerum, virtutem esse, quod apparuerat, manifestè indicauit, nulla etenim stella, quæ in cœlo isto est, super puerum stare conspici potuisset, quoniam spatij magnitudo adspectus iudicium fugiens, neque statum neque motum stellarum manifestum sensui facit, stetit, inquit, stella supra locum, vbi erat puer: ergo relinquens altitudinem stella, qua apparebat, humilior facta est, vt statu suo natiuitatem Regis ostenderet: nam tanquam regē quærebant Magi.* Et hoc antiquior S. Chrysostomus: *Deinde postquam immineret puero, iterum stella sistit cursum suum, quod ipsum maioris erat virtutis, quam stellæ natura insit, nunc videlicet apparere, nunc occuli, & vbi apparuit, sistere cursum, hinc procul dubio Magi incrementa cœperunt fidei, propterea etiam gratulati sunt, quoniam quæsitum reperiunt, quoniam effecti fuerant nuncij veritatis, & quia non frustra tam longæ viæ spatia confecerant: tam ardenti quippe erga Christum cupiditate flagrabant.* Sed auctamne dicemus fidem, quæ cum per experientiam rem creditam exhiberet, fidei meritum minuere videbatur, iuxta pronunciatum Christi: *beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Verum est, minuebat in Apostolo meritum fidei, qui iam animum obfirmarat non credere, nisi rediuiuum oculis vsurpasset: at noua & Magis ardua fidei obiecta tunc sanctis Regibus proponebantur; eum, quem Regem quærebant, in stabulo specuque eum belluis pauperem, egentem abiectumque cernere, & tamen cœli terræque Dominum confiteri: quem Deum petebant, fascijs ligatum, vagientem & gelu rigentem contueri, vt aliorum egere subsidio, desertus ab omnibus videretur. His ne Reges offenderentur, sed constanter firmiterque crederent ac confiterentur orbis dominatorem, opus non tantum, vt stella consisteret: sed ipsi capiti pueri propius immineret, ne superesset vlla ratio dubitandi, quin is tot votis expetitus puer esset. *Etenim* ait ibidem S. Chrysostomus: *Ad locum stella perueniens, super ipsum pueri stetit caput, ostendens Dei filium esse, qui natus est, cumque substitisset, ad adorandum adducit non simpliciter barbaros, sed eos, qui inter illos sapientia pollebant.* Haymo vult certo stellam indicio puerum indicasse. *Nullum*, ait, *dubium est, quod stella, quæ in Oriente Magis Regem Iudæorum natum ostenderat, certum signum & indicium stando supra domum, vbi erat puer, dederit: scilicet vt ipsum esse sine dubio agnoscerent, quem in Oriente positi, natum in Iudæa esse didicerant: nam quam magnum eum in corde tenuerint, quem videbant esse paruum, manifestatur cum subiungitur & procidentes adorauerunt eum.*

ex statu stella colligitur non vulgaris fuisse.

Theodotus Ancyranus erat. de Nat. in concil.

S. Chrysost. ho. 7. in 2. Matth.

quandoq; adspectus rei fidei meritum minuit. *Io. 20. 29.* hic tamen auxit.

stetit super caput pueri.

Haymo ho. de Epiphan.

radios sparsit clariores.

S. Maximus putat stellam maiores clarioresque radios emisisse, qui locum ac pueri præsentiam designarent, quod explicat clarius Thomas à villanoua: *Mira planè res, sistit desuper proximum tecto, rotatur, voluitur, tripudiat, scintillat, radioque velut digito quæsitum Regem ostentat. Stupent nouitate viri, neque enim erat aptum principi tectum, desiliunt equis conciti, domusque penetralia lustrant.* Fauent huic radio puerum versus pro-

S. Maxim. ser. de Epip.

vnumque protendit in caput pueri

Melchior Inchofer c. 21. stella vocalis. *Eucherius ho. in Epiphan.* alloquitur Reges.

protenso Regum Æthiopiæ insignia, qui cum se iactent à Magis Euangelicis descendisse, sidus proferunt instar cometæ caudati, seu radio vno prominentis: quod stella velut indice protenso splendore locum nati Regis demonstrauit. Alij vocalem hic stellam faciunt, quæ verbis articulatis Regibus puerum Deum significarit. Ita S. Eucherius *Stabat igitur stella & clamabat: habet enim linguam suam; ne enim longe petamus exempla: sic illa stella loquebatur Magis, sicut istæ literæ loquuntur nobis, significando igitur loquebatur; sed quid significabat, quid dicebat? vis audire quid? hic est puer; hic est mater pueri; hic eum quærite, hic eum inuenietis: hic in paruo corpuscolo latet, qui vbique est, & omnia implet.* Ideo stellam supra S. Augustinus: *linguam cælorum* nominauit: quod gloriam & maiestatem diuinam pueri Regibus suo protenso radio quasi digito, vel quasi scriptis literis, imo quasi vocibus articulatis demonstraret.

CAPVT VIII.

ERAT PVER:

Extra non intra Bethlehem: in via non in vrbe.

Autores qui velint intra Bethlehem natum. *Cyprianus ser. de Nat. Christi. Beda. ser. 8. de locis sacris Gretzerus. l. 4. c. 11.* rationes 1.

INTRA Bethlehem esse Christum natum vili in diuersorio, quidam ex sanctis Patribus docuerunt. Inclinat S. Cyprianus: *Veniunt in Bethlehem, inuenitur Emmanuel,* ciuitas parua, domus pauperscula, supellex exigua. Beda etiam dicit diuersorium fuisse *quasi naturale semiantrum in Orientali angulo Bethlehem situm,* & quidem intra muros Bethlehemiticos collocat. Hos sequitur & his propugnat rationibus Gretzerus noster. *Quia Euangelista dicit Christum natum esse in Bethlehem, quod propriè est intra ambitum, fines & limites istius vrbis: nam Ioseph adscendit ex Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem cum Maria, & cum essent ibi, nempe in Bethlehem, peperit filium suum primogenitum, & Angelus ad Pastores: natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. ecce in ciuitate natus est, non extra; si quis extra Ingolstadij ambitum foris in agro vel stabulo alicuius agri hodie nasceretur, an verè diceres eum in ciuitate Ingolstadiensi, natum esse? Pastores quoque inter se mutuo: transeamus vsque Bethlehem: illi ergo erant extra Bethlehem, non is, qui natus fuerat in stabulo: natum enim in stabulo indicat præsepe: vbi enim præsepe, nisi in stabulo?*

2

3

contraria sententia communior.

Sed cum SS. Patrum complures cum scholasticis & interpretibus velint extra potius oppidum Christum hanc lucem primum in spelunca adspexisse, ad obiecta responderi potest, per Bethlehem etiam suburbanum stabulum vel antrum intelligi, quid autem vetat in suburbijs antra, stabula, & præsepia reperiri?

S. Hiero. Ep. 17. 18. Origen. l. 1. contra Celsum. Eusebius l. 7. de monst. c. 1. de monst. 4. Niceph. l. 1. c. 18. Chrysol. ser. 175.

S. Hieronymus vocat locum istum: *Speluncam Saluatoris, & paruum terræ foramen.* Eadem Origenes habet. Eusebius ait, *Nunc ostendi agrum, in quo virgo enixa, infantem deposuit.* Expressius Nicephorus asserit locum fuisse *speluncam extra oppidum positam.*

Huc faciunt ij sanctorum Patrum, qui Christum aiunt in via nasci voluisse. S. Chrysologus: *vt viator in via nasceretur, vt omnis aditus excluderetur erroris, & viator tandem cœlum peteret, qui terreni itineris incassum diu sudores pertulerat & labores.* omnibus volebat Christus ad se patere accessum, ideo in via, qua noctes & dies accessus esset, nasci maluit: aliam S. Gregorius addit causam: *propterea non in parentum domo, sed in via nascitur, vt ostenderet, quod per humanitatem suam, quam adsumserat, quasi in alieno nascebatur.* Copiosior S. Augustinus reliquis est hac in via describenda. *Christus,* ait, *veritas & vita est: adsumendo hominem factus via est, ambula per hominem & peruenies ad Deum. Per ipsum vadis, ad ipsum vadis. Noli quærere, qua ad ipsum peruenias præter ipsum. Si enim via esse noluisset, semper erraremus: factus ergo via est, qua venias; non tibi dico-*

S. Greg. ho. 8. in Euan. 40. 10. ser. 55. de verbis Domini c. 4. Christus via, veritas & vita.

dico quære viam, ipsa via ad te venit; surge & ambula, ambula moribus non pedibus.

Iterum alibi: *Homines*, ait, *ad viam veniunt, nunquid via venit ad ipsos? via nostra venit ad homines, inuenit errantes, vocauit ad se extra ambulantes, in me, inquit, ambulate, & non errabitis: ego sum via, veritas, & vita. Ne dicas, vbi est via Dei, ad quam regionem ibo? quem montem adscendam, quos campos inquiram? viam Dei inquiris? salutare Dei est via Dei, & vbique hæc est.* His autem omnibus antiquior S. Iustinus idem scribit. *Quoniam*, inquit, *Iosephus non habebat locum in vico illo, vbi diuersaretur, in spelunca quadam, quæ vico propinqua erat, diuersatus est.* Rationes vel congruentiam hanc ex Caietano probat & roborat Suaretz *Addit*, ait, *Caietanus hic literalem rationem huius mysterij fuisse, quia ad occultandam huius Natiuitatis excellentiam, & Matris virginitatem oportuit, vt remotis arbitris, proculque ab amicis & cognatis, atque adeo extra domicilium proprium B. Virgo pareret. Eademque ratione potuit esse conueniens, vt in loco remoto, & extra vrbem posito partus accideret, alioqui vel oporteret obstetricem vocari, & alia quæ in partu necessaria esse solent adhiberi, vel necessarium esset mysterium virginei partus omnibus patere. Præsertim, quia oportebat Pastorum ac Magorum adorationem, absque tumultu & publica manifestatione, ac multorum admiratione fieri. Cum ergo Diuina sapientia suauiter omnia disponat, locum ad hæc omnia accommodatum elegit, & ideo credibile est, locum hunc extra vrbem positum fuisse.* hactenus Suaretz. Tenet idem Barradius, *Fuit* ait, *hæc spelunca & rupes extra ciuitatem, ipsi muro adiacens, ab hominum turba & oculis semota, vt abditissimum mysterium abdito in loco ederetur.*

to. 8. in Isa. 39.

S. Iustinus in dialog.

Caietanus Suaretz. q. 35. de 18. s. 3. eius ratio-

1

2

3

Barradius. to. 1. l. 8. c. 14.

Quocirca quæ Gretzerus opponit, de suburbio si explicentur, verè natus in Bethlehem dicitur, & in ciuitate Bethlehem, qui in suburbano specu nascitur.

CAPVT IX.

Videntes autem stellam non antecedentem, sed stantem gauisi sunt.

IANSENIVS gaudium incredibile Magorum adscribit stellæ reduci: *Quam*, ait, *cum vidissent Magi, merito gauisi sunt gaudio maximo; nam sideris quidem spectaculo gauisi erant Magi in Oriente; sed multo Magis nunc nimirum, quod intelligerent spem suam non esse frustratam, nec frustra tanti itineris se suscepisse laborem; idque post apparentem negotij desperationem. Deinde quod experirentur stellam ad eundem perducere locum, quem scriptura demonstrauerat, quodque ducem iam nacti essent nequaquam fallacem.*

Iansenius gaudium adscribit de visa stella.

Maldonato potius & Regio consentio, qui gaudium non tam de apparente sidere. progressu, ductuque volunt accipiendum, quam quod cursu iam absoluto consistens radio protenso monstraret veram stellam, imo solem iustitiæ Christum puerum: sic enim ait. *Nec significat, vt ego quidem arbitror Euangelista Magos adspectu stellæ, quæ paulo ante euanuisse videbatur, lætos fuisse: id enim si dicere voluisset, non hoc loco, sed ante dixisset: & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos; & gauisi sunt gaudio magno valdè; sed significat eos gauisos fuisse videntes stellam (sicut proximè dixerat) stantem supra, vbi erat puer: lætantur enim: non quod stellam viderint, quam sæpe iam viderant: sed quod Christum, quem quærebant, inuenerint.*

alij de ea stante.

Maldonat.

Assentit his verbis Regius. *Non scribit Matthæus adspectu stellæ gauisos: nam hoc oportuisset dicere omnino cum superius scripsit, & ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos: tunc subiungendum fuisset, gauisi sunt gaudio magno valde: non hoc ergo est, quod significare vult hic saltem præcipuè, sed gauisos potius fuisse, quia viderunt illam stantem, vbi erat puer. Neque verò inficiari velim exhilaratos fuisse visa prius stella, cum Hierosolymis excederent, sed summum illud gaudium, de quo nunc loquitur Matthæus, tunc fuisse affirmauerim, cum*

Regius.

ſupra ſtabulum illud aureo quolibet palatio auguſtius pependit fulgentiſſimum ſi-
dus, index infantis. At certè quid ni gauderent in ſinu tam pretioſo theſauro
inuento? Parum ſanè Reges hos ſanctos curſus ſideris commouebat, qui non igno-
rabant Deum quotidie licet improbiſſimis & flagitioſiſſimis ſpectabilem ſolis & lu-
næ progreſſum impertiri, ſine quo vitam non poſſent ſuſtinere: maius igitur gau-
dium ex impleto iam Michææ vaticinio naſcebatur: vicum Bethlehem ante ſe vi-
Beda in 2. Matth. debant, & in ſuburbanâ latere ſpelunca recens natum Regem cognoſcebant. Huc
reſpicit Beda dum ea verba, *videntes ſtellam*, ſic interpretatur, *intelligentes prophe-*
tiam eſſe finitam, inenarrabili gaudio gratulantur, qui de tribus partibus mundi
ad Chriſti fidem conueniunt.

Eucherius conc. de Epiphan. Explicatius deducit idem S. Eucherius: *Hoc eſt quod dicit videntes ſtellam gauiſi*
ſunt gaudio magno valde: quid enim videntes ſtellam, niſi intelligentes quod
dicebatur & ſignificabatur per ſtellam; non enim magnum gaudium eſt videre
ſtellam; nam & ſolem & lunam ſæpe videmus, & non multum videndo gau-
S. Chryſoſtomus. *demus; gaudebant igitur non propter ſtellam, ſed propter ſtellæ ſignificatum.*
Et S. Chryſoſtomus *deinde poſtquam immineret puero, iterum ſtellæ ſiſtit cur-*
ſum ſuum, quod ipſum maioris erat virtutis, quam ſtellæ natura inſit, nunc
videlicet occuli, nunc apparere, & vbi apparuit ſiſtere curſum: hic procul au-
bio Magi incrementa fidei cœperunt, propterea etiam gratulati ſunt, quoniam
quæſitum, deſideratumque repererant. Docemur igitur à Magis non creato, ſed
increato, ſummo & infinito bono tantum delectari: hoc vnum ſitire, quærere,
veſtigare: nec ceſſare, dum eo perfruamur: quia ſolum eſt, quod humanum
poteſt appetitum penitus ſatiare. Neceſſe profecto eſt, vt quiſquis re fluxa, la-
S. Bernard. ſer. de falla-cia præſentis vitæ. bilique capitur & delectatur, cum ea tranſierit, & perierit, omne ſecum homi-
nis gaudium eripiat. *Gaudent*, ait S. Bernardus, *in cibis, gaudent in pompis, gau-*
dent in diuitijs, gaudent & in vitijs homines, ſed luctus extrema occupat iſtius-
modi gaudiorum, quod gaudium in materia conuertibili mutari neceſſe ſit re
mutata. Accenditur cereus, non purum lumen eſt, ſed lucerna, ſiquidem ignis
ipſe propria fomenta conſumit, nec niſi ipſa conſumtione fouetur. Porro deficiente
materia etiam ipſe deficiet, & vbi eam videris prorſus exuſtam, hunc quoque
nihilominus extinctum eſſe reperies. Sicut ergo flammæ illius nouiſſima fu-
mus occupat & caligo, ſic lætitia lætæ rei in triſtitiam commutatur.

Hoc gaudium breuiſſimum ſcriptura vocat: *Gaudium Hypocritæ ad inſtar pun-*
Iob. 20. Pro. 24. Io. 16. *cti*: momento vix durat: nec breuitate tantum ſua: ſed aculeo relicto debet nos
deterrere: quia *extrema gaudij luctus occupat*: Aliud cum ſuo aduentu nobis
gaudium promittit Chriſtus; *iterum*, ait, *veniam ad vos, & gaudebit cor veſtrum,*
& gaudium veſtrum nemo tollet à vobis: quo cœperunt noſtri Reges viſâ ſtel-
lâ, nec præeunte quidem, ſed ſtante frui, tunc cum non creatum bonum; ſed
increatum offerretur: *Reuera*, ait idem mellifluus Doctor, *illud verum & ſo-*
lum eſt gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur, & quod
cum poſſederis, nemo tollet à te, cui comparata omnis aliunde iucunditas mœ-
ror eſt: omnis ſuauitas dolor eſt; omne dulce amarum: omne decorum fœdum,
omne poſtremo quodcunque aliud delectare poſſet moleſtum. Obſcura iam Re-
gibus ſtella, claritas ſolis ipſius radijs illuſtrati: ſileant Angeli, quibus iam ſa-
pientia Dei loquitur: iam demum tenebras deſerunt, & lucem ingrediuntur, de
profundo fluctuum emergunt ad portum; de miſera ſeruitute in felicem reſpirant
libertatem; de morte denique tranſeunt ad vitam: cum ipſum autorem vitæ
matris in ſinu ſuis oculis contemplantur.

in Deo non creato bono gaudendum.

creata tranſeunt nec ſatiant

ſed contriſtant.

Chriſti æternum gaudium.

CAPVT X.

Gaudio magno valde, ob Christum veram stellam.

ALLEGORICE Christum stellam nominari frequentissimum, in scripturis & SS. Patribus. S. Ambrosius: *Stella ab his videtur, & vbi Herodes est non videtur, vbi Christus est rursus videtur, & viam demonstrat: ergo stella hæc via est, & via Christus, quia secundum incarnationis mysterium Christus est stella: orietur enim stella ex Iacob, & exsurget homo ex Israël Num. 24. denique vbi Christus, & stella est, ipse enim est stella splendida & matutina: sua igitar luce ipse se signat.* Aptissimè Christus ea stella stante designabatur: qui vt sol verus & fons omnis siderei luminis ipsis stellis suam communicat caritatem, sic Christus fidelibus sui agnitionem, dum per viam mortalis vitæ, in fide contendunt ad patriam: donec stante ijs in morte stella lux indeficiens Christus in cœlis oriatur: tunc enim figura & vmbra tollitur, corpus ipsum luminosum exhibetur, à quo sine fine luce beatitatis æternæ sic irradiantur, vt nullis deinceps errorum tenebris obscurari.

Christus est vera stella. *S. Ambros. in 2. Luc.*

Christus præsertim gentibus.

Quo respicit Rathbertus: *Christus*, ait, *stella fuit Apoc. 22. & in ea, quæ apparuit Christum esse monstratum manifestissimè approbatur: nullum igitur signum congruentius poterat apparere ad inuitandum, quam per quod fides credentium radiaret in miraculis, & vera, quæ Christus est stella ex Iacob præsignaretur ex oraculo: cui profecto vera fide Christo obsequentes configurati per hoc iam iamque velut stellæ cœlorum æterna perpetuitate collucentes virtute cœli in cœlestibus præsiderent: quid enim aptius, quam per stellam fides, qua itur ad stellam ostenditur, vt per eam, quia lumen proprium non habemus, illustrati perpetua æternitate lucere possimus; demonstratio quippe in stella Christi fuit, ad quam qui peruenerit, & ingressus fuerit Ierusalem illam cœlestem, monstrabitur ei continuo Christus stella matutina, iuxta promissum Ioannis: & ideo supra puerum rectè stetisse dicitur, quia idem sanctorum claritas approbatur: quam qui conspexerit, gaudebit vtique gaudio magno valde, & adorare non desistet ante conspectum Dei, quia domum Dei semel ingressus æterna satietate Christi lætus fruitur.* Stella Magorum bosphorum facit tam fidei nostræ signum, quam solis Orientis indicium, eius vtique solis de quo Zacharias. *Ecce vir Oriens nomen eius.*

Rathbertus.

Hinc S. Augustinus *Magos*, ait, *credere & quærere tanquam eos, qui ambulant in fide, & quærunt speciem*: Bosphorus est: dum in via præuiâ stellâ fideles progrediuntur: stante autem iam stella & solis ipsius radijs exorientibus, nihil ille Bosphorus admirationis, nihil splendoris & lucis videtur retinere, cuius lumen solari claritate penitus absorbetur. Sic Magis Christum intuentibus nullum amplius de stella gaudium, qui bono iam summo & infinito tot votis expetitio fruuntur, similes ijs qui in patriam cœlestem admissi, & æternæ lucis fulgoribus irradiati, fidei perdunt obscuritatem, ipsi visioni velut fonti luminis & sine fine adhærescunt. Est tamen qua in re Christus nobis in via progredientibus, velut stella non stans tantum intuentes recreet; sed & ambulones antecedens ducat, viam monstret & præparet; in ea contra hostes protegat & tueatur: reficiat & animet.

S. Augustin. ser. 5. de Epiphan. in via lucifer.

sol in Patria.

Nec eos tantum, qui virtutum apicem contigerunt: sed etiam, qui vitijs primum bellum mouent. Quod ex eadem sententia S. Ioannis, qua Christum stellam vocat deducit, & ducem Christum facit S. Bernardinus triplicis viæ incipientium, progredientium, & perfectorum. *Stella*, ait, *profecto est ipse Iesus, qui de se, Apoc. vltimo dicit.* Ego sum radix & genus Dauid, *stella splendida & matutina, quibus verbis Christus ostendit, se esse omnium sequentium se, incipientium, proficientium & perfectorum perfectum ducem: incipientium eum ait, ego sum radix, id est radicale principium & fundamentum & nutrimentum totius regni Dauid, & totius cultus Dei in ipso fundati, & in alios deriuati & de plenitudine eius omnes accepimus, omnes rami inde viuificantur. Secundo, proficientium genus*

ser. 24. de Epiphan.

est stella incipientium.

2. proficientium.

Dauid id est principium generis & generationis Dauid, id est manus fortis, vt pugnet contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus, contra mundum: tertio perfectorum stella dicitur propter puritatem innocentiæ, splendida propter claritatem refulgentiæ ab aliud: matutina propter splendorem gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: hæc est stella, quam quærebant Magi.

3. perfectorum.

Hanc stellam & ducem, qui sequuntur, non errant in auijs, non franguntur laboribus, deficiunt viribus; sed hilares in aduersis, fortes in periculis, constantes in molestijs Christo duce, triumphant de hostibus, semper læti & gaudio diffluentes: non iam creatis bonis, fluxis opibus, vana iactantia, fœdis carnis illecebris; sed contrarijs delectantur, ambiunt cum Christo paupere, & nudo reclinato in præsepio, rerum etiam necessariarum inopiam, cum eo spreto & abiecto sui ipsius despicientiam: cum eo rigente, tanta in aëris inclementia corporis defatigationes, labores, afflictationes. Hæc veri causa gaudij, & liquidissimæ voluptatis, quæ longissimè voluptates omnes carnis antecellit. Quam sic describit & rectè S. Antoninus. *Ego* ait *Iesus stella splendida & matutina. Hanc videntes non mirum si gauisi sint, quia in eo causa omnis gaudij & veræ delectationis; replebis me lætitia cum vultu tuo: de hac Isa. 60. surge & illuminare Ierusalem, id est anima fidelis, quia venit lumen tuum; quæ prius tenebrosa eras & nesciens veritatem, ego matutina, Io. 18. in hoc natus sum, vt testimonium perhibeam veritati: ecce cæcitas mundi, & error contrarius veritati, quia beatum dixerunt homines populum, cui hæc sint temporalia bona in abundantia, vt diuitiæ, honores, delitiæ, voluptates & huiusmodi, tanquam in his consisteret vera felicitas, certè si sic esset, Christus errasset; qui cum potuisset his omnibus abundare, & sine peccato, contraria elegit, incipiens ab ipsa sua natiuitate: verum cum Christus sit veritas, & errare non possit, dicere opus, quod tu erras, non ista contemnendo, vt ipse fecit, & cœlestia quærendo: omnia terrena contemsit Christus homo, vt contemnenda esse monstraret,* ait S. *Augustinus. Amantur diuitiæ adeo, vt contemnantur præcepta Dei, pauper esse voluit in sua natiuitate, pannis paucis & vilibus cum mater inuoluit: appetuntur honores & gloria. In loco vili nascebatur, omnibus occultus; delectationis corporis procurantur auidissimè, etiam inhonestissimæ: Iesus autem virgo purissimus delectatur in lapide duro scilicet præsepis, dum vult succurrere mundo* ait S. *Augustinus. Etsi honorem & gloriam non quærit, recepit à Magis: paulo post maximam persecutionem sustinuit ab Herode, ita vt nocte oporteret matrem virginem cum paruulo fugere & per septennium Ægypti exilia pati ne occideretur: surge ergo Ierusalem ô anima, & ad istum radium veritatis scilicet mundi contemtum proficiscere: & tunc videbis, & affluès delicijs virtutum, & gaudijs & mirabitur & dilatabitur cor tuum, in Dei incarnati amorem, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, rerum scilicet huius sæculi ad te cognoscendum, & mare sæculi obliuiscendum.*

S. Aug. in.

gaudium summum sequi hunc ducem.

error & cæcitas mundi.

tenebras præfert luci.

Sed prô dolor, quam multi ad splendorem Orientis huius sideris caligant oculis, imo Magis excæcantur: & tantum abest, vt caducis bonis, in quibus solis felicitatem suam sitam arbitrantur spretis, lucem præuiam sequantur: vt derideant potius stellæ assectas, Iudæis similes, qui ridendos potius Magos Regem alienæ terræ quærentes & adorantes, quam imitandos duxerunt. ij claritatem diuinitatis & stellæ videre non poterant, humanitatem abiectam in præsepio contemnebant: quo trahit. Eucherius oraculum Balaami: *Hoc & Balaam significauerat, orietur stella ex Iacob, & homo ex Israël: est igitur Christus & homo & stella, stella in significatione, homo in veritate: stella Gentibus, homo Iudæis: Gentes enim in stella sequuntur & illuminantur; Iudæi hominem tantum esse putant, & excœcantur: vnde ipse quoque ait in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant.* Magos igitur sequamur stellæ Christique assectatores: non minus nos quam ipsos *visitauit Oriens ex alto, illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent ad dirigendos pedes in viam pacis: hæc pax, quæ exsuperat omnem sensum* offertur à Christo: hanc suis largitur sequacibus, *vt custodiat corda & intelligentias*: vt de cetero *quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua*

Eucherius conc. de Epiphen.

Luc. 2.

Phil. 4.

vir-

virtus si qua laus disciplinæ Christianæ hæc solicitè cogitent, in his se exerceant: in his vnicè acquiescant. Hinc iterum dico orietur *cordis gaudium, quod nemo tollet à nobis.*

CAPVT XI.

Et de adspectu Mariæ stellæ maris.

MAGNVM iterum Regum gaudium videre stellam alteram maris, Virginem Mariam, plus virtutum radijs, quam stellam suis splendoribus fulgurantem, & quis Mariam dubitet stellam appellari, cuius nominis etymon stellam significat. Hebraicè enim מרים Mariam id est doctrix, seu magistra, & ductrix maris nominatur, Cynosuram rectè dixeris, quæ nautas in procelloso maris æstu securos facit periculi, ne naufragentur. Maria stella vi nominis.

Hoc eam elogio Sancti Patres plerique decorarunt. aptè hoc ipso in loco S. Eucherius: *Stat supra domum illam, in qua erat virgo Maria, stat stella supra stellam, Maria enim stella maris interpretatur, stella itaque filius, stella est mater, stella oritur de stella: sed maior, quæ oritur quam illa, de qua oritur: vnde & merito supra stare videtur: non dixit supra puerum: sed supra, vbi, erat puer: vbi enim erat puer, nisi in sinu matris.* Encherius.

Duabus solent rebus & effectibus excellere stellæ, illuminant corpora, & influunt virtutes occultas in res inferiores; hinc licet conijcias, sicut Deipara fuit super omnes Angelorum Hierarchias exaltata, sic etiam plus gratiæ, luminis & gloriæ recipit, quam beati omnes: vt sola, *mulier amicta sole*, nominetur: Eadem copiosissim à solet clientibus dona à Deo impetrare & imprimis calore diuinæ caritatis accendere: sicut mellifluè docet S. Bernardus: *ipsa*, ait, *est nobilis stella Iacob, cuius radius vniuersum mundum illuminat, cuius splendor præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quam corpora, fouet virtutes, excoquit vitia.* Stella verè Maria quæ licet humilitate & sui ipsius despicientia, parua hominibus, & ancilla propria confessione videretur, orbe tamen terrarum longe maior erat: clara fuit per morum & virtutum honestatem, pura candore virginitatis: stella verè maris, quæ dirigit nauigantes in huius mundi mari ad portum salutis: præeminens altitudine: quia super Angelorum Hierarchias eleuata chorum constituit singularem: vt ad eam licet abyssо fluctuum absorpti respicere possint; & ipsa naufragia cunctorum hominum clementer auertat. *vita nostra*, ait, S. Gregorius: *nauiganti similis est; is namque qui nauigat, stat, sedet, iacet, vadit, qua impulsu nauis ducitur: ita & nos summus, qui siue vigilantes, siue dormientes, siue tacentes, siue loquentes, siue volentes, siue nolentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus*, quem vtinam feliciter attingeremus: sed heu quam multi excusso rationis gubernaculo temerè sinunt nauim turbulentis iactari fluctibus, donec vel charybdi luxuriæ absorbeatur, vel in scopulos impacta superbiæ conteratur; vel in vada & breuia terrenarum opum deuoluta stet immobilis, vt cursum nequeat continuare. Duo effectus stellarum illuminare & influere. conueniũt Mariæ. *Apoc.* 12. illuminat mundum. stellæ proprietates aliæ conueniunt eidem. S. Gregor. in Registro l. 6. ep. 26. vita hominis nauigatio est. naufragosa multorum

Quibus (quærit S. Bonauentura) *auxilijs possunt naues inter tot pericula transire vsque ad litus patriæ?* certè respondet *per duo: scilicet per lignum & stellam: id est per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis Maria maris stella: ipsa nobis mundi lucem, imo solem peperit*: quamuis & ipsa solis etiam nomine decoretur: dum filius eius in sole dicitur tabernaculum posuisse: ipsa præsertim naufragis lucem solet insperatam offerre, cum procellæ tentationum, & calamitatum diem nobis eripiunt, si tantum solicita prece inuocetur. *O quisquis igitur* (monet S. Bernardus) *te intelligis in huius seculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiæ vndis, si* S. Bonauentura in speculo B. Virginis c. 3. Maria stella naufragis. S. Bernardus.

ambitionis, si detractionis, si æmulationis, respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis; respice ad Mariam: si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso: cogita Mariam: in periculis, in angustijs, in rebus dubijs, Mariam cogita, Mariam inuoca; non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis, & sic in temetipso experieris, quam merito dictum sit, & nomen virginis Maria. Vnum præcipuè S. Bernardus efficax medium adfert obtinendi à Deipara, quæ petis, virtutum eius sedulam imitationem. *Vt*, inquit, *impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum*: Nos scilicet etiam vult stellas esse, ac exemplo virtutum, aliis prælucere, quales à reditu suo Magi stellæ toto fulserunt Oriente: dum Christi & Deiparæ visa virtutum documenta suis expressérunt moribus: vt sicut in stellis lumen solis reuerberatur: sic in ipsis Deiparæ vita moresque velut in speculo resplenderent, ita facti sunt Reges isti, vt antea stellæ Iudæis, dum fidei lumen Christi recens nati præferrent, sic Gentilibus etiam quando doctrinam Christi & euangelicam moribus & vitâ potius, quam verbo publicarunt; quales esse stellas decet omnes Christianos: de quibus ita S. Leo: *Quicunque in Ecclesia piè viuit & castè, qui ea quæ sursum sunt sapit, non quæ super terram, cœlestis quodammodo instar est luminis: & dum ipse sanctæ vitæ nitorem seruat, multis viam ad Dominum quasi stella demonstrat: in quo studio omnes dilectissimi vobis prodesse inuicem debetis: vt in regno Dei, ad quod recta fide & bonis operibus peruenitur, sicut filij lucis splendeatis.* & alibi: *Lucete dilectissimi vt luminaria in hoc mundo: sint lucernæ mentium vestrarum semper ardentes, & nihil resideat vestris tenebrosum in cordibus, quoniam sicut ait Apostolus Ephes. 5. fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: impleanturque in vobis, quæ in trium Magorum imagine præcesserunt: & sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videntes opera vestra bona, glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Sicut enim magnum peccatum est, cùm inter Gentes, propter malos Christianos blasphēmatur nomen Domini: ita magnum pietatis est meritum, cum eidem in sancta seruorum suorum conuersatione benedicitur.*

imitanda est.

omnes Christianos decet esse stellas.

ser. 3 de Epiph.

ser. 5.

quales SS. Magi fuerunt.

CAPVT XII.

Cur gauisi sint gaudio magno valde in Deo.

perfectum gaudium debet esse. 1. de Deo. 2. magnũ & constãs.

VIx alius scripturæ locus gaudij magnitudinem luculentius exprimit, vt ea phrasi videatur omnino perfectum numeris omnibus absolutum proborum virorum, in hac vita gaudium ex gratia cœlesti natum explicare. Ad quod primo requiritur, vt de Deo & æternis rebus concipiatur: vt enim pusilli pectoris & vilis animi signum est paruis & infimis delectari, sic generosi & excelsi tantum sublimia, constantia, vera & æterna bona desiderare: & his acquisitis magno, constanti & perpetuo gaudere gaudio, quod cum re stabili perennat, non cum fluxa & euanida diffluit: qua ratione solet etiam à cosmophilorum gaudijs secerni, quæ parua sunt: quia de paruis rebus; breuia quia de caducis & temporaneis; corporis potius gestientis & subsultantis motus, quàm mentis immortalis constans & perennis oblectatio: vnde vel cum vita immo citius vitâ perit, quoties acerbior casus corpus vel animum mœrore deiecerit: animi verò gaudium ex æternis bonis hauftum, nec vllo fortunæ tristioris flatu mouetur: nec cum vita exspirat: sed tunc primum reflorescens perpetuat cum animi immortalitate.

Rathbertus in 2. Matt.

Rathbertus huius gaudij magnitudinem sic expendit: *Gaudio perfecto gaudet aliquis, quando propter Deum, quod est verum gaudium gaudet: nam vita viuere quid est aliud, quam in virtutibus viuere, & beatæ vitæ actus habere adhuc in*

ijstius

istius corporis vita? sicut è contrario morte mori quid est aliud, quam pro vitijs & peccatis morte puniri? ita volens Euangelista illud vnicum & admirabile gaudium credentibus innuere: præmisit eorum gaudendi magisterium lætandique munus: fide cum gratia desideranter quærentibus in corde cælitus diffusum: & non solum gaudio gauisos, sed magno vtique gaudio: quo nullum est maius: atque in ipso magno gaudio ipsos valde gauisos, quia potest in vno eodemque gaudio alius plus, alius minus gaudere. sed & magnum gaudium dici potest, ob distantiam illius gaudij, quod est infimum gaudium, quo potius gestire dicimur: etsi eo abusiuè rectè gaudere dicitur, vnde per Salomonem Pro. 2. secundum 70. lætantur cum malefecerint, & exsultant in rebus pessimis: est igitur & medium vitæ, quoties de bonis Domini temporalibus gaudere populus prohibetur; magnum ergo gaudium rectè non alibi, quam in Deo propter seipsum accipitur.

Magnum igitur illud verè censet gaudium, quod non ex fluxis, caducis, infimis; sed ex summo, æterno & infinito bono capitur: nec illud vult remissè sed intensa cum voluptate animi possideri: vt in eius vnius fruitione mens tota conquiescat. intensior vero voluptas solet esse, quo perfectior amati boni cognitio: nã quo mens plures bonitatis rationes, & momenta ponderat in re desiderata, hoc solet impetu maiori ferri in eam; & ea tandem obtenta plenius delectari. Iam verò sancti Reges præcipua quædam diuinæ sapientiæ, & vaticiniorum propheticorum scientiâ donati clarissimè diuinitatem Regis recens nati, & summi boni magnitudinem librabant suis ponderibus, vt ita totis præcordijs eius acquisitione boni in id vnicè velut centrum raperentur. Quo collineat Rupertus: *Non contentus dixisse gauisi sunt gaudio magno, addidit valde, quia reuera gauisi sunt; gaudio magno gauisi sunt, & gaudium eorum fuit in spiritu; siquidem & iucunditatem, & exsultationem thesaurizauit super eos; quibus nihil defuit de plenitudine scientiæ & fidei, quæ à nobis exigitur, diuina scilcet scripturarum lectione instructis, quod comprobatur ex ipsorum muneribus bene consideratis.* Quod nos diutina sacrarum literarum volutatione, sanctorum Patrum & Doctorum monumentis sæpius lectis & memoriæ commendatis ægrè tamen assequimur, hoc isti Theodidacti primi quasi Doctores noui Euangelij sic combiberant, vt possent fluenta doctrinæ tam in Iudæam, quam Orientem deriuare, cui scientiæ theoricæ de Deo homine, cum accederet experimentum, quod oculis suis capiebant, liquidissima mens voluptate fruebatur: præsertim cum id certis paulatim gradibus sumsisset incrementum. Innocentius gradus hos ita fabricatur. *Nam Magi gauisi sunt gaudio magno valde: quia viderunt stellam gauisi sunt, sed quia quam viderunt antecedebat eos, gauisi sunt gaudio magno: & quia inuenerunt puerum cum Maria matre eius, gauisi sunt gaudio magno valde.*

intensè ob cognitionem clarissimã.

Rupertus l. 2. de gloria filij hominis c. 2.

gradus tres gaudij Innocentius ho. 3. de Epiph.

Vt fuerit gaudium & post tristitiam bidui, ingens de stella visa: maius autem de præeunte & viam manu quasi prehensa demonstrante: maximum certe de stella stante fuit: maius etiam maximo gaudio de visa stella maris, & infantulo in sinu matris reclinato: hic summa votorum, satietas & quies animi: extra quam cetera despiebant omnia: & quidquid mundus in summis numerat opes, voluptas, gloria, velut stercora despiciebant. Doctor etiam Angelicus similes insinuat progressus ad gaudium vehementius. *Gauisi sunt propter spem, quam recuperauerunt, timebant enim, quia de longinquis partibus venerunt, amittere, quod sperabant*: Ro. 12. *spe gaudentes*: *item addit, gaudio; aliqui enim gaudent, & non gaudent, quia lætitia humana non est perfectum gaudium* Pro. 14. *Extrema gaudij luctus occupat*: *verum autem & perfectum gaudium de Deo est*: Isa. 61. *Gaudens gaudebo in Domino, & exsultabit anima mea in Deo meo. Tertio addidit magno*: *quia ista magna iam cognoscebant de Deo, quia Deum incarnatum, & multum misericordem* Isa. 12. *Exsulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israël*: *quarto addit valdè, quia intensè gaudebant.* Negat S. Bernardinus vsquam scripturam verbis expressioribus gaudij magnitudinem de Deo explicasse; quod vult quidem in animo sic esse inchoatum, vt in corpus redundarit, *Secundum Rabanum hic est ingeminatio verborum ad designandam gaudij magnitudinem; est enim triplex gaudij magnitudo: scilicet cogitationis, affectus & effectus; puto quod hoc dictum sit tantis verbis, tanti gaudij expressiuis, vt intelligi possit, quantum gaudium de-*

in 2. Matth.

S. Bernardinus ser. 24. in Epiphan. triplex gaudii magnitudo.

debuerint habere, cum viderent Iesum lucem, quæ in tenebris lucet; neque recolo me legisse alicubi in scriptura verbum tanti cumulati gaudij, sicut istud: quasi apertius per hoc exprimatur, quod omnis potentia animarum eorum exuberanti gaudio exsultauit, ita vt etiam in sensum corporis redundarit: per corporis namque oculos in reuisione stellæ tanta materia gaudij abundauit in corde, vt tota regio cordis sustinere non valens in actualem corporis exsultationem proruperit: nã, ait, gauisi sunt scilicet videndo stellam, gaudio scilicet in intellectu, magno in affectu, valde in effectu. Vbi quæ de visa stella dicit, refer ad Iesum, cuius initio visi memine-

intellectus voluntatis corporis.

rat. de hoc enim & Gentibus viso tam inusitatis verbis scriptura, cum ipsis Magis exsultat, vt omnes pariter è Gentibus ad Christi traductos fidem commoneat beneficij hoc die collati magnitudinem, non grato tantum esse animo recolendam, sed voce, gestu, & corporis totius gestientis lætitia festiuè celebrandam, quod Deo nexu humanitatis copulati, ius acceperimus regni cœlestis adeundi. Valde nos stimulat ad gaudium hoc ipso die S. Basilius: *Magi videntes gauisi sunt gaudio magno: nos etiam in cordibus nostris idem gaudium suscipiamus: Hoc inquam gaudium, & Angeli pastoribus nunciant, cum Magis quoque adoremus, cum pastoribus item Deum laudemus; cum Angelis denique canamus, choreasque læti ducamus: quod est hodie nobis Saluator natus Dominus ac Deus noster Iesus Christus: apparuit autem nobis non in forma Dei: ne quod erat debile perterrefaceret, sed in forma serui, vt quod erat seruile liberaret. Quis itaque animo tam ignauus, quis ita ingratus, vt hodie non lætetur, non exsultet, non præsentia solennia omni animi hilaritate suscipiat? festum hoc ingens ac nouæ creationis, vbi cœlestia Archangelos ad Zachariam Mariamque mittunt, ac choros Angelorum constituunt dicentium: Gloria in excelsis Deo. 2. astra è cœlo mouentur, Magi ex Gentibus properant, terra in spelunca lucem recipit. Nemo sit non lætus; nemo ingratus, nos quoque cum his lætitiam voce gestuque exprimamus, nostrum hoc est festum: Theophaniam appellamus, in quo mundi salutarem concelebramus diem, Domino natalem hodiernum pijs mentibus concelebremus. Hodie namque Adami maledictio soluta est; non est quod amplius dicamus terra es & in terram reuerteris, sed cœlesti coniunctus in cœlum adsumeris; non est, vt iam dicatur in dolore paries filios: Beata enim quæ Emmanuel peperit, & vbera, quæ lac præbuerunt, quia natus est nobis filius, & datus est nobis.* Gaudij igitur summa nostri sit de Christo & matre eius virgine Maria, non de fluxis & caducis bonis: sit incensum vehemens & perpetuum: quod hac in vita inchoetur: in patria cœlesti perficiatur.

omnia hoc die exsultant. cur homini sit lætandum.

S. Basilius de Verbi incarnat.

CAPVT XIII.

Intrantes domum, stabulumne an diuersorium?

in domo putant intentum.

S. Epiphanius hæres. 5.

SANCTVS Epiphanius docet à Magis non nisi biennio post natalem Domini Christum esse adoratum: nec tamen in præsepi reclinatum: sed in diuersorio commorantem: *Non enim*, inquit, *inuenerunt Mariam in spelunca, vbi peperit; sed velut Euangelium habet, deducebat ipsos stella vsque ad locum, vbi erat puer, & ingressi in domum inuenerunt puerum cum Maria, non amplius in præsepi, non amplius in spelunca, sed in domo, vt cognosceretur veritatis certitudo, & temporis duorum annorum spatium, ex quo natus est, donec accesserunt Magi.*

Theophy. in 2. Matth. Iansenius c. 8.

Assentit Theophylactus de domo: *Multa*, inquit, *occurrente multitudine, vt censeretur, non habebant ad tempus domum, sed in spelunca natus est Christus, deinde inuenta domo visus est ibi à Magis Dominus.*

Et Iansenius: *Quod non erat eis locus in diuersorio, Magis videtur fuisse propter multitudinem hospitum tunc occasione descriptionis aduentantium. postea Magi*

Maldonat. *inuenerant puerum cum Matre in domo.* Maldonatus: *Magos autem etsi tertio decimo venerunt die, non iam in præsepi, sed honestiore loco Christum inuenisse mihi probabile videtur. Quod enim in præsepi repositus fuerit, partim mysterio, partim necessitate factum & necessitatem cessisse credendum est, & Mariam aut Ioseph*

omni

omni diligentia commodiorem locum quæsiuisse, suadet eorum pietas.

Dubitat Caietanus: *Incertum*, ait, *est, an Matthæus præsepium appellet domum, an forte cessauerit hospitum multitudo in illa domo diuersoria; & sic virgo ex præsepio hospitata fuerit in domo diuersoria in qua non fuerat illi locus cum peperit.*

Communis est sanctorum Patrum & recepta iam contraria sententia. Sanctus Iustinus Martyr: *Atque ibi cum essent, enixa est Maria Christum, & in præsepi posuit, vbi eum Magi ex Arabia venientes inuenerunt.* contrariâ communior. *S. Iustinus in Dialogo cum Tryphone.*

S. Gregorius Nyssenus: *Magi stellam viderunt, & Regem in spelunca latentem non ignorauerunt.* *Greg. Nyss. orat. de Nat. Do.*

S. Hieronymus: in epitaphio Paulæ, exarato in fronte speluncæ. *S. Hieron. in epitaphio S. Paulæ.*

Adspicis augustum præcisa rupe sepulchrum,
Hospitium Paulæ est cœlestia regna tenentis:
Fratrem, cognatos, Romam, patriamque relinquens,
Diuitias, sobolem Bethlemiti conditur antro.
Hic præsepe tuum Christe, atque hic mystica Magi
Munera portantes, hominique Deoque dedere.

S. Hieron. *Ecce in hoc paruo terræ foramine cœlorum conditor natus est, hic involutus pannis, hic inuentus à Pastoribus, hic adoratus à Magis.* *S. Hier. ep. 17. ad Marcellam.*

S. Chrysostomus: *Idcirco nihil ibi ex his, quæ sensibus percipiuntur magnum, sed tugurium ac præsepium & inops mater, vt melius nuda Magorum Philosophia claresceret: & vt discas, quòd non homini tantum, sed etiam Deo autori omnium accesserint bonorum, propterea nullo eorum quæ extrinsecus videbantur offensi sunt, sed adorabant & munera offerebant.* *S. Chrysost. ho. 8. in 2. Matth.*

S. Augustinus ser. 1. *Illud vero quale est, quod Magi veniunt ad Deum natum, imo ducuntur; positum in præsepio vident; videbatur quidem in præsepio, sed dominabatur in cœlo:* & ser. 2. *In præsepi tunc iacebat, & Magos ab Oriente ducebat, abscondebatur in stabulo, agnoscebatur in cœlo, vt agnitus in cœlo manifestaretur in stabulo, & appellaretur dies ille Epiphania, quod Latinè manifestatio dici potest; simul eius celsitudinem, humanitatemque commendans: vt qui in aperto cœlo signis sidereis monstrabatur, in angusto diuersorio quæsitus inueniretur inualidus infantilibus membris inuolutus infantilibus pannis adoraretur à Magis, timeretur à malis.* *S. Augustinus ser. de Epiph.*

Theodotus Ancyranus: *Sed iste qui Magos ineffabili virtute ad pietatem traxit idem lætam hanc festiuitatem constituit, non iam in præsepi positus, sed in hac salutari mensa propositus.* *Theodotus Ancyr. ora. de Nat. in cœt. Ephesi.*

Eucherius: *Nos quoque personam Magorum spiritualibus imitemur obsequijs: ducatum nobis præbeat, velut stella lux fidei: hæc illum nobis ostendat, non iam in præsepio vagientem, sed in summa cœli ara dominantem.* *S. Eucherius ho. de Epphan.*

S. Basilius Seleuciæ Archiepiscopus: *Prodijt Emmanuel in mundum hunc, quem ipse olim condiderat, loco in diuersorio nullo comperto reclinatur in præsepio: interim æterna tabernacula præparat in cælo: in specum abditur, & per stellam prodítur: à Magis dona accipit, & pretium pro peccatis dissoluit.* *S. Basilius de Verbi incarnat.*

Rathbertus: *Quia si post annum eo venissent nequaquam in præsepio, vt narrat Euangelium; sed iam eum delatum in Ægyptum inuenissent: quo profecto patet, quòd ad duodecimum veniunt diem.* *Rathbertus in 2. Mat.*

Rabanus: *Magi iacentem in præsepio adorarunt.* *Rabanus lib. de instit. cleric. c. 32.*

Euthymius: *Et ingressi domum, domum*, ait, *hic tugurium vocat. statim autem peperit virgo Christum, & quia alius locus non erat in diuersorio, inuolutum fascijs infantem reclinauit in præsepe: deinde ipsum tulit, & quando ingressi sunt Magi ipsum super genua habebat.* *Euthymius*

S. Odilo Cluniacensis Abbas circa A. 990. *Claritas enim Dei, quæ sic vt Euangelium loquitur nato Christo pastores circumfulsit, de remotis terræ partibus ad præsepium illud hodie Magos adduxit, in quo virgo puerpera Deum infantem posuit.* *S. Odilo ser. de Epipha.*

S. Ber- *S. Bernardus ser. 3.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

S. Bernardus: *Vnde vobis hoc alienigenæ: neque enim tantam fidem inuenimus in Israël: sic vos non offendit vilis habitatio stabuli?*

Laurent. Iustinianus *ser. de Epiphan.*

Laurent. Iustinianus: *Magi prophetarum imbuti vocibus, præcurrente sidere ad stabulum, in quo iacebat Dominus, adiere, vnde quæso tanta fides? minimè hic regius apparatus, sed fœnum aridum, arctum præsepe, fœtens stabulum, & iumenta irrationabilia adstantia conspexere.*

Christus Rex cœlestis non terrenus.

Omitto recentiores referre sine numero Baronium, Suaretz, Regium, Azor. Nobis sunt Reges illi documento. Christum cœlestem Regem non terrenum, vel de mundo esse: ita nihil quod cosmophili suspiciunt, amant, adorant, hic reperitur, omnia sensibus contraria, visu abiecta, auditu horrida, tactu aspera, odoratu fœtida, gustatu amara, quia per hanc calcati mundi gloriã, spretis carnis illecebris, contemtis opibus itur ad cœleste regnum, cuius in se formam Christus exhibet in præsepio: & hos triumuiros eandem ad semitam arctam, spinosam, horridam inuitat, quam illi promte ingrediuntur, vt ducem Iesum sequantur præeuntem: nec tristes, sed hilares, alacres gaudio delibuti maximo. pulchrè autor operis imperfecti. *Videamus quid tale glorioſum videntes in puero gauisi sunt, qui Regem quærentes tanti itineris susceperunt laborem: nunquid viderunt palatium marmoribus splendidum: nunquid aulam regiam diuersis populis personantem? sed quid? pandochium tenebrosum & sordidum, & magis animalibus, quam hominibus aptum, in quo nemo contentus erat secedere, nisi itineris necessitate coactus: puerum pannis sordidissimis inuolutum, & in sordidiore quoque præsepio positum, quia locus ille sic erat angustus, vt nec ponendi infantem spatium inuenirent. Si ergo Regem terrenum quærentes sic inuenissent, magis confundendi fuerant, quam gauisuri: quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent, nunc autem quia cœlestem Regem quærebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen solius stellæ testimonio contenti gaudebant.*

via ad cœleste regnum humilitas.

Hæc est via, qua compendio venitur ad gloriam, sui & rerum omnium caducarum despicientiam: via quidem arcta & visu horrida; sed in qua generosi Christi sectatores plus voluptatis interioris inueniunt, quam cosmophili in rerum omnium humanarum affluentia: solidum hic reperitur & perenne gaudium, quod de Deo haustum spretis omnibus hic inchoatur: & post vitam perficitur. ita tot testibus subscribendum merito: Ecclesiã confirmante in horis diuinis dum canit: *Hodie stellaMagos duxit ad præsepium*: & rectè sic inuentio Christi fuit Bethlehemitis occultata, ne proderent eum Herodi: & Deipara capta iam loci diuinitate, tot sacris mysterijs decorati prælegit eum alijs domibus, donec Solymam contenderet, licet interea mutare hospitium licuisset.

Ecclesia consentit. cur adoratus in stabulo.

CAPVT XIV.

Domum Ecclesiæ intrandum esse vt Christus inueniatur.

cur stabulum dicatur & domus & diuersorium. *ps. 103.* domus est Ecclesia.

MIRANTVR Aduersarij *domum* dici & *diuersorium*, cum stabulum sit. quibus rectè Euthymius respondet *domum* dictam tugurium, *quod vtcunque inhabitaretur*; *diuersorium autem tanquam sedes & mansio ingredientium*. certè psaltes nidum *Herodij domum* nominat: Quamuis ea nec mysterio vacare putem: vt cum Ecclesia frequenter domus in scripturis appelletur, insinuet intrandum in Ecclesiam Gentibus esse, si cupiant Christum saluatorem & salutem ipsam inuenire.

Ita venerabilis Beda locum illum *Intrantes domum*, interpretatur: *per fidem Ecclesiam ingredientes, Christum in primitiua Ecclesia inuenerunt. quæ ex Israëlitico populo conuersa est ad fidem.* Hodie igitur Sancti Reges, & per ipsos Gentiles *plantati in domo Domini, in atrijs Domini Dei nostri* statim virtutum ramis floruerunt. Ipsi visa stante stella *Lætati sunt in his, quæ dicta sunt eis, in do-*

Beda. psal. 91.

domum Domini ibimus, adorabimus ad templum sanctum eius: replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Parua quidem & exilis videtur: humilis & abiecta: belluarum antrum, non hominum diuersorium: ita tamen breui dilatanda Gentibus, vt eius amplitudinem iure verbis istis obstupescat Propheta. *O Israël, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!* Nunquid ampliata domus ista vehementer die Epiphaniæ, quando non tria tantum regna, sed tres etiam orbis regiones, per hos tres legatos ambitu suo & gremio comprehendit? quorum fidei ardore totus pene Oriens cœpit Christi fidem amplecti: An etiam hodie dicemus domum eam consecratam, cum non solum coaluit è Iudæis, & Gentibus: sed prima Deo sunt in ea holocausta Gentium immolata: vt rectè tunc cœperit *domus orationis* nominari: & *sanctitudo*, quæ *domum Dei decet* nobilissima eius membra possederit.

psal. 121. psal. 5. psal. 64.

quam dilatata? *Baruch. 3.*

die Epiphaniæ consecrata. *Matt. 21. psal. 92.*

Frustra igitur Christum Hæreticus quærit, quem non nisi per fidem in domo Ecclesiæ reperiet: nec tamen Christi fidelis eum poterit sola fide inuenire, nisi studuerit relicta viuendi praua licentia à vitijs declinare: quia *domum Christi decet sanctitudo*: sancta requirit, & munda membra, politos & puros templi sui lapides, è quibus cœlestis illa pulcherrima domus construatur. Facit huc, quod Innocentius de multiplici Dei domo exponit. *Qui vult inuenire Iesum, ingrediatur sanctam Ecclesiam, puram conscientiam, & diuinam scripturam: in his enim domibus Iesus inuenitur: quoniam inter multas istæ sunt præcipuæ domus Dei: de prima legitur: domum tuam decet sanctitudo: de secunda: ambulaui in innocentia cordis mei, in medio domus tuæ. De tertia: ambulauimus in domo Domini cum consensu. Frustra ergo quærit Hæreticus; quia Christus extra domum Ecclesiæ nusquam reperitur: propter quod ipse dicebat Iudæis: quæretis me & non inuenietis. Quærebant Iesum parentes eius, & inuenerunt eum in templo: hanc ergo domum intrantes fideles, puerum Iesum cum Maria matre eius inuenerunt, credentes eum natum de virgine secundum humanam naturam adsumtam, qui stellam creauit secundum potestatem diuinam.* Sed quia conscientiæ domus meminit, eadem munda sit oportet antequam domum Dei ingrediamur: ne domum Dei speluncam latronum, imo dæmonum efficiamus; nam cum Christi fideles varijs sceleribus inquinati viuunt; nonne de eorum conscientijs dicet Isaias c. 13. *Replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi strutiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi ululæ in ædibus eius, & sirenæ in delubris voluptatis*: quibus verbis capitalibus obstricti vitijs denotantur, de quibus Deus conqueritur: *Quid est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa?* Non enim ita Iudæorum vel Gentilium vitijs Deus commouetur, vti fidelium: qui cum per fidem dilectos se Christi profiteantur foris, iuratissimi tamen eius hostes intus sunt, dum indies suis ei flagitijs bellum mouent: vtrumque monitum & de conscientia ab omni hypocrisi, vana gloria & affectu prauo expurganda: & de fidei cum Ecclesia consensu, Vigerius Cardinalis conjungit. *Sic intrare*, ait, *oportet domum, id est Ecclesiam Dei: extra illam enim & sine gaudio Spiritus Sancti puer adorandus inueniri non potest. Stella quam viderant Magi stabat supra vbi erat puer: inde non discedit gratia Spiritus Sancti, vbi manet puer Iesus. vt ergo adoremus, intremus Ecclesiam: non tantum hanc manufactam, quæ tamen domus Dei est, sed professionem veritatis, quæ sit in fide Catholica: cuius rei gratia dicit Euangelista: Intrantes domum inuenerunt puerum. In medio Ecclesiæ laudabo te, dicit propheta. Quod alibi exponens, in concilio iustorũ & congregatione se Domino confiteri velle contestatus est. Intima igitur conscientiæ nostræ ingredientes, clauso ostio domus nostræ intentionis secreto conueniamus Dominum nostrum Iesum Christum: non sicuti hypocritæ faciunt in angulis platearum, longas orationes orantes, Magi intrant domum Iesu priusquam adorent: quare per ea, quæ diximus eos imitari toto pectore studeamus.*

Hæretici sunt extra illam. *Innocent. de Epiphan.* *psal. 92.* *psal. 100.*

domus etiam conscientiæ mandanda *Isa. 13.* *Jer. 11.* *Vigerius c. 11. ac Epiphan.*

CAPVT XV.

Stabuli Bethlehemitici descriptio & vestigia locorum, quæ à Magis nomen retinent.

CVM vero Deipara locum, vt diximus, natalem Christi cunctis orbis palatijs digniorem & augustiorem per dies 40. voluerit habitare, donec Solymam contendit, ideoque stabulum fuerit à Regibus frequentatum, tam Bethlehemi, quam stabuli situs & præsepij diligenter sunt examinanda.

descriptio Bethlehemi.

Distat Bethlehem sex passuum millibus seu leucis duabus Gallicis Hierosolyma, supra collem in longum porrecta : situm eius sic describit Beda. *Bethlehem in dorso sita est, angusto ex omni parte, vallibus circumdato ab Occidente in Orientem, mille passibus longa, humili sine turribus muro : in cuius Orientali angulo quasi quoddam naturale semiantrum est, cuius exterior natiuitatis dominicæ dicitur fuisse locus: interior præsepe Domini nominatur.*

Beda c. 8. de locis sacris.

Borchardus.

Borchardus assentit Bedæ. *Ab Ierusalem*, ait, *duabus leucis contra Austrum sita est Bethlehem in monte non tamen excelso : mons quidem arctus est, extendens se in longitudine ab Oriente in Occidentem : ab Occidente patet ingressus.*

stabulum non casa sed spelunca fuit.

Stabulum seu spelunca extra non intra vicum seu oppidum fuit, vt supra dixi : & in agro, vt Eusebius Pamphili asserit : *hodie quoque qui illum locum incolunt, tanquam à Patribus eorum accepta memoria, his qui visendi gratia Bethlehem petere consueuerunt testimonium suum adferunt, veritatem fidei facientes, agrumque demonstrantes, vbi virgo enixa infantem posuit.*

lib. de dimonst. Euang. c. 5.

Speluncam autem fuisse, vel antrum communis sanctorum Patrum est doctrina non casam. S. Hieronymus. *Quo sermone, qua voce speluncam Saluatoris exponam? ecce in hoc parvo terræ foramine cœlorum conditor natus est, hic adoratus à Magis.*

Epist. 18. ad Marcellam.

S. Iustinus : *Quoniam Ioseph non habebat in vico illo, vbi diuersaretur, in spelunca quadam, quæ vico propinqua erat diuersatus est.* S. Epiphanius. *Dicitus Lucas dicit puerum iacuisse in præsepio & in spelunca eo quod non esset locus in diuersorio.*

in dialogo. hæres. 51.

descriptio antri.

Antrum id sic describit Borcardus. *In fine Orientali sub rupe quadam existente tunc temporis iuxta parietem vrbis (& videtur secundum illarum regionum morem, fuisse locus pro stabulo, habens præsepe excisum in rupe, vt moris est illic disponere præsepia) ortus est de virgine Christus, iuxta rupem alia est capacior, quatuor tantum pedibus distans, sub qua excauatum præsepe fuerat, in quo Dominum virgo reclinauit, videtur tamen mihi vtramque rupem vnam fuisse : sed ostio facto diuisa est, per quod in chorum ex capella, in qua est natiuitatis locus adscenditur.*

Breidenbach eodem ferè depingit modo : *In fine*, inquit, *Orientalis ciuitatis eiusdem sub rupe quadam, quæ erat iuxta murum ciuitatis eiusdem : & videtur iuxta morem terræ illius fuisse locus pro stabulo, habens præsepe excisum in petra : vt ibi moris est facere præsepia, ortus est huic mundo de virgine matre sol iustitiæ Christus Iesus.*

Præsepe lapideum.

Sed hi quidem, vt & Radziuilius faciunt præsepe lapideum : quod S. Chrysostomus appellat luteum. *O si mihi liceret videre illud præsepe, in quo Dominus iacuit: nunc nos Christiani, quasi pro honore tulimus luteum, & posuimus argenteum; sed mihi pretiosius est, quod ablatum est.*

& insertum ligneum minus.

S. Chrysostomus.

Communior Ecclesiæ Romanæ taditio tenet, fuisse ligneum : quam sequitur Baronius, Barradius, Suaretz, alij: hodieque religiosè Romæ in D. V. Maiore adseruatur. Sed quid vetat dicere fuisse lapideum, excisum è petra, quod ideo vocat *luteum* S. Chrysostomus, cui minus aliud è ligno fabrefactum à Iosepho fuit inditum : vt

Radzi-

Radziuilius factum his verbis asserit. *Antequam ad altare perueniatur in parte dextera sex vlnarum distantia, est præsepe in rupe excisum; in quo Christus natus fuit positus: quod cum sit valde capax & vastum, constat aliud minus lignum fuisse insertum, iuxta morem in partibus illis obseruatum.* Hoc est antrum illud cunctis orbis palatijs augustius: cœlesti domicilio geminum: imo *quem cœli* ſi i immensis spatijs *non capiunt*: specus angusta Bethlehemitica & præsepe cubitale circumscripsit: hoc nimirum in loco nasci voluit Dei filius, ab Angelis concini, à Pastoribus visitari, à Magis adorari: vt nobis animi demissionem commendaret: quæ hoc etiam meretur à Domino, vt quo latere quis amplius desiderat despici vel ignorari, hoc cœlitus magis declaretur, & honoretur. *Radziuilius*

Fuit antrum hoc subterraneum excisum in petra: quæ statim Deiparæ puerulique vsibus necessariam profudit à se aquam citra incommodum: vt cauitas petræ semper plena nunquam tamen redundaret. *Petra*, ait Beda, *iuxta murum cauata primum dominici corporis lauacrum de muro missum suscipiens, hactenus seruat, quæ si qua forte occasione, vel industria fuerit exhausta: nihilominus continuo dum respicis, sicut ante fuerat, plena redundat.* fons in petra. *Beda* nunquam redundat.

Erexit eodem loci postea Constantinus & Helena basilicam opere magnifico, de qua Beda. *Hæc spelunca tota interius marmore tecta supra ipsum locum, vbi Dominus natus specialiter traditur, S. Mariæ grandem gestat ecclesiam.* Ecclesia

Inspiciamus nunc ea loca, quæ prope Bethlehemum vel in antro retinens vestigium nomenue aduentus vel adorationis sanctorum Regum.

Horum tria designat Breidenbach. *Exeuntes*, ait, *Hierosolymam ad duo milliaria, venimus ad locum, vbi stella reapparuit Magis; inde primo venimus per ambitum monasterij ad altare circumcisi pueri: inde processimus ad aliud altare, vbi tres Reges munera sua aptabant, & dona Domino offerenda. Inde per gradus quosdam lapideos descendimus in quandam capellam pulcherrimam, sed paruam; secus cuius altare maius est locus Christi Natiuitatis: & inde procedentes, venimus ad aliud altare sub rupe quadam excisum: vbi Magi Domino aurum, thus, & myrrham obtulerunt: ante dictum altare est locus, vbi erat præsepe, in quo B. Virgo natum filium reclinauit.* tria loca Magorum notata vestigijs

Quaresimius Franciscanus. *Tria*, ait, *altaria esse in Ecclesia S. Mariæ in Bethlehem: maius in medio spatiosum, hinc inde in brachijs Ecclesiæ sunt alia altaria; quod in Aquilonari parte vocatur altare Regum: quoniam ibi Orientales Reges relictis iumentis se præparauerunt ad ingrediendum locum natiuitatis: & hic proxima est cisterna, etsi sine aqua, quæ hac ipsa ratione cisterna Regum appellatur.* *Quaresm. in elucidat terræ s. lib. 6. c. 12.*

Consentit Radziuilius. *Adscendentibus per sinistræ partis gradus in templum, offert sese statim altare eo in loco positum, vbi venientes ad Christum Magi ab equis descenderunt: tum descripto præsepis loco subdit, è regione illius ad tres circiter cubitos, est aliud altare, vbi tres Magi procidentes Christum adorauerunt; muneraque illi obtulerunt.* *Radziuilius*

Ex quibus manifestum est; in ipsa spelunca Christum à Magis extra oppidum fuisse adoratum: vt maior gratiæ diuinæ efficacitas, Regum istorum submissio, Christique nati gloria declararetur. *Est autem* (ait rectè Albertus Magnus) *admiratione dignum, quod non viderant curiæ regalis frequentationem: sed pro palatio diuersorium, pro throno præsepium, pro purpura regali fascias conscissas, pro splendore & cultu regio stabulum, & tamen hæc omnia in domo Herodis videntes, ab ipso diuerterunt, & nihil horum apud puerum inuenientes, eum Regem mundi esse confessi sunt.* Magna fides & humilitas Regum. *Alb. M. in 2. Matth.*

CAPVT XVI.

Ingens desiderium Magorum adorandi pueri.

Isa.40. *Isa. 51.* CONSOLAMINI, *consolamini, populo meus, dicit Deus vester: loquimini ad cor Ierusalem: consolabitur Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius, ponet desertum quasi delicias, & solitudinem, quasi hortum Domini: gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarum actio & vox laudis: prope est iustus meus; egressus est saluator meus.* Occurrite Reges, occurrite Regi & Deo vestro, qui passis brachiolis in sinu matris collocatus vos exspectat, vt ipse vos consoletur. *Ecce Deus saluator vester* in stabulo, matrisque gremio, *fiducialiter agite, & non timete: quia fortitudo vestra, & laus vestra Dominus, & factus est vobis in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris; confitemini Domino, & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius: quia excelsum est nomen, annunciate hoc in vniuersa terra: exspectat, vt misereatur vestri.* Quis animo desiderium comprehendat, quo diuini spiritus impetu abrepti fuerint ad natum recens infantulum in stabulo submissis genibus adorandum? regna sua deseruerant, coniuges, liberos & fortunas omnes reliquerant, per tot vitæ pericula, labores, fatigationes spretis Herodis minis tandem euaserant ad incunabula Regis desideratissimi. Stella dux & comes viæ intento radio pueri locum designabat: Spiritus Sancti afflatus, si vnquam alias, hic certè videndi & complectendi pueruli cupiditatem inflammabat, vt ilico desilierint è camelis, & paruulum in stabulo pecudes inter abiectum, vt DEVM supplices adorarint: nec dubitarint, quin esset ipse, quem Balaam in stella prædixerat: quem Aggæus *desideratum Gentibus* prænunciarat. Interim ardenti studio properantes ad stabulum Reges bellè sic interpellat Drexelius noster. *Et quid vos Reges ad hoc antrum, ad hunc puerum properatis? venimus adorare eum: adorare hoc tam extremæ paupertatis spectaculum? Vos Regem Iudæorum quæritis: quid ad hunc pauperrimum infantem deflectitis? venimus adorare eum: itane adorare? nihil hic nec honorandum quidem, nedum adorandum cernitur: si specum neglectissimam ingrediamini, prius resilietis, quam adorabitis: & adhuc dicetis venisse vos illum adoratum? venimus adorare illum. At verò lectum illius considerate, quam humilis, quam modicè instratus est? nullus hic thorus eburneus, nec pictо Campanico tapetio tectus: horridi præsepis fragmenta, stipulis, fœnoque rigentia, malè fouent lacrymantem paruulum: nos cum adorare venimus. Date veniam alienigenæ, in regno non vestro errare vos credo. Regem inquiritis? Ego hic nihil cerno regij: non hic curulis sella; non ostro, auroque ambitiosæ tunicæ, nullæ purpuræ, non conchyliata peristromata; non aurati thalami; sed nec vlli clientium Reges, famulorum nec vnicus. Hic vnus est solus cum matre, & scne plorans puſio. Hunc ipsum adorare venimus: ignoscite viri, persuaderi non possum Iudæorum Regem in Iudæa præter Herodem omnino neminem, aliquem in Arabia sciri: falsus rumor spargi potuit; vera fama non potuit. Non famam audiuimus: sed stellam illius vidimus, & venimus adorare illum. Illum sic inclusum antri tenebris, sic inuolutum linteolis, sic bestijs accubantem? Omnes illum pro despectissimo habent; nam omnibus alijs potius concessum hospitium, quam illi. Nos illum adorare venimus. At verò si vltimam huius infantis egestatem ipsis oculis percipiatis, vereor, ne quem adoraturi venistis, deseratis contemtum, venimus adorare illum.* O fidem Regum incredibilem, constantiam inuictam, pietatem singularem, animi demissionem prorsus obstupescendam, qua nullis potuerunt extremæ paupertatis & vilitatis indicijs; nullis tyranni minis, & Iudæorum ludibrijs ab adorando puero dimoueri! macti nunc animis Reges inclyti, ite, quo vestra vos pietas, & sideris protensi radius vocat: hominem adspicietis, imo puerum vagientem: sed latentem eius diuinitatem supplices adorate: iacet inter pecudes; quem cœlestis militiæ cingit exercitus: stabulo præsepioq; concluditur: quem nec cœlorum immensa spatia comprehendunt: pannis vilibus inuoluitur: ipse tamen viridantia prata floribus & cœlestes globos sideribus variegat: vagit nunc inter brachia ma-

desiderium Regum.

nihil retardat eos. *Aggæi. 2.* *Drexelius p. 1. de Christo nascente c. 11.*

Mira constantia, fides & pietas.

matris ad cuius olim iudicis tonitru totus contremiſcet orbis: iam manus pedeſque vinctos faſcijs & inuolutos pannis tenet, qui cœli terræq; dominator Reges omnes impios mortis æternæ ſupplicio condemnabit: ite nunc Reges ſapientiſſimi: ite: puetumque lactentem, DEVM & Regem veſtrum ſupplices adorate: ite Reges & orbis futuris monarchis ideam exprimite veræ pietatis, qua ſua deinceps ſceptra Chriſto Deo homini, velut Regi & Domino ſubijciant: magno vobis hæc religio, demiſſioque olim erit emolumento: *Erit merces operi veſtro* ſacerrimo: vos ille parat Eccleſiæ ſuæ progenitores dare: vos in ſponſas ſibi dilectiſſimas ſpreta matre ſua ſynagoga æterno coniugij fœdere copulabit: ex vobis noua iam naſcetur progenies, heres cœli, DEI vera propago, quæ permixta cœleſtibus genijs æternis fruetur paradiſi delicijs, opibus, ſceptris. 2. Paral. 15.

CAPVT XVII.

Inuenerunt puerum oculis vt ſtellis fulgurantem.

STANTE igitur ſtella, protenſoque ſuper puerum indice radio, continuo tres Reges pariter cœlitus moniti, deſiliunt è camelis & dromedarijs loco prius indicato, qui nomen ab ipſis tulit: mox autore S. Vincentio, ſinguli nouo ſe veſtium verſiculorum induunt apparatu, quaſi ſacrifici Deo recens nato facturi congruè tamen myſticis muneribus, quæ iam oblaturi puero præparabant, aureas eis phialas complent: nouum ſacrificij genus Deo, homini, Regi litaturi. Hoc vt celebritate maiore perageretur, euocantur cœlo mentes Angelicæ, quæ melicis vocibus, neruis pulſis & tibijs concrepantibus animos Regum ad inuſitatam pietatis ſignificationem, ac demiſſionem inclinent: quibus harmonicè concinentibus à ſenſibus animis Regum alienatis rapiuntur totis medullis ad puerum oculis contuendum: & ei quæuis obſequia ſeruorum more exhibenda. Interim primas ſinguli ſocijs Regibus deferre, donec litem arbiter diremit Spiritus Sanctus: id quo pacto acciderit cœlitus affiata S. Franciſca cognouit, in cuius vita hæc narrantur. *Dum mentis aciem intendit, obtutos habet tres Reges Orientis, cum ingenti ſtipatorum comitatu properantes ad mundi ſaluatorem adorandum: qui pariter cum propinquaſſent ſtabulo, primas ſibi mutuo detulerunt; nec parua fuit illa demiſſionis animi concertatio, donec admirabilis omnium melicorum inſtrumentorum & vocum cæleſtis prorſus & diuinus concentus Angelorum inſonuit, & mentem attonitam à præſentibus ita emouit ad contemplanda cæleſtia, vt eos omnium caperet oblitio, pariterque conſiſterent immoti: dum igitur tres ſancti & tres beatiſſimi Reges auidiſſimis auribus melodiam diuiniſſimam hauriunt, nouo cæleſti lumine colluſtrati, omnibus incedunt lætitijs, & impulſione arcana Spiritus Sancti permouentur ad profundiſſimam maieſtati pueri reuerentiam, & ardentiſſimum amorem exhibendum: & dum pariter tres efficaci licet ſpontaneæ coactioni morem libenter gerunt, vna omnes pariſque velocitate ſubeunt antrum, procumbunt in genua, abiectiſque corporibus in terram, Chriſti diuininitatem venerantur.* Hactenus vita S. Franciſcæ. Sed dum proſtrati pauimentum ſpeluncæ ſordidum fronte feriunt: quos dicam animi ſenſus, quæ cordis accenſi ſuſpiria, quas oris voces affectus indices habuiſſe: dum pergunt hymnidici genij neruis & fidibus concrepare? Scribanius noſter ſingulos facit ſtabulum, fœnum & pannos ſalutantes.

præparatio Regum ad adorationē

vita S. Franciſcæ lib. 3. c. 19.

concentus Angelicus

ingreſſus.

proſtratio.

Scribanius. c. 11. amoris diuini.

O ſtabulum Regis mei, amoris mei regia, te veneror mea regia, in qua ſtabulare voluit Rex meus, veneror te metum ſtabulum, regia facta amoris mei: æternet hoc mihi ſtabulum, Rex meus, amor meus: non quæro hic marmora, non aurum, non laquearia gemmis radiantia: non parietes aulæis grauidos, non quidquid docta manus luſit in ornatum ingenio vincente natura: vnus enim amor meus & arte morum ſubdocto ſudauit ferro; quidquid ornamentorum laſſata terra & maria quocunq; ſolo mutuata ab vtraq; deuexerunt Indiâ, Oriente Occidente, totoq; quidquid tot retro ſeculorum omnibus quaqua terrarum fatigatis fluminibus portentoſa

affectus pij eorum.

Regum produxit insania, tam facilè vincit amor meus, quam facilè maria vincunt torrentes, cœlumque antestat terris. Felix spelunca regiarum cunarum amoris mei vicaria ministratrix: vbi columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, adscensus purpureus Regis Salomonis *mei? verum quo mihi columnæ argenteæ, reclinatorium aureum, adscensus purpureus? Non pro his omnibus melior iam Salomon amor meus, cuius caput aurum optimum; cuius genæ, sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs;* cuius *labia lilia distillantia myrrham primam;* cuius *manus tornatiles aureæ, plenæ hiacinthis*; cuius *crura columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas?* Fortunatum fœnum; plumæ, lectus, thalamus factum dilecto meo. Non dicam cum sponsa tua: *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Exaruit fœnum, & emortuum iacet. At tu mihi pro fœno *flos campi & lilium conuallium, & botrus Cypri dilectus meus mihi es.* Fulciar tantum his floribus, madeam vino: *quia amore langueo*: sed & *vineæ florentes dederunt odorem suum: in hoc odorato fœno lectulo dilecti mei: Beati panni: non & beatiores si demuter in illos, si præcingar amore meo animatus pannus, si obuoluar dilecto meo vitalis fascia? beati panni anima castæ virginis matris manibus præcingenda amori meo: beata fascia anima virgineo obuoluenda nexu amori meo. Quam bene ludemus virgineo explicati sinu, virgineque manu & brachio implexi amori meo? fortunati aoli si fallam in his pannis matrem: felices fasciæ si fallam in his amorem meum animato dolo? o quando quando obuoluar amori meo castus amor pœnitentiæ lotus manibus? quando è mœsto lacrymarum balneo pœnitentiæ fontibus, virgine magnæ matris ablutus dextera, beabor in amore meo: vt indissociando nexu castus nunc amor casto innectar amori æternum meo? beatior etiam magne Iosephe nutritius factus amoris mei: casta dum ludit inter brachia amor meus, pendet amica collo sarcina, purpuraque genas basijs purpureturque tuis: Tempora vbi estis, ignosce inuideo tibi magne senex. An vsque & vsque iuuat basiare: satis ab satis: morior si pergis. Quid negas amicum pondus, paululum secede hac regia, vt succedam nutritius nouus: paululum concede hanc sarcinam vicaria gestandum dextera: vt ludat iam amor meus in hoc vicario collo, genis, vertice, dum pannos explicat virgo mater amori meo: o basia vbi estis, vt osculetur me osculo oris sui amor meus? Beata omnium basia amoris & mea.* Ita luditin amoribus suis Scribanius, quorum vehementia reuerentiæ quandoque negligit ordinem. Sed dum similia singuli corde magis, quam ore promunt, & erecto vultu faciem radiantis pueri contemplantur, terrore quodam sacro velut præsente iudice rei percelluntur.

oculi Augusti scintillantes,

Augusti ferunt oculos plenas maiestatis scintillas euibrasse.

fulgor in facie Iesuli

Quid ni speciosissimi pusionis oculi, quasi duo soles in tenebricosa specu fulgurantes sic aciem mentis sanctorum Regum illustrarunt: vt & indices fierent latentis in humanitate diuinitatis: & scrutantis arcana cordium Iudicis quædam quasi fulmina: nam & desiccabant prauos cupiditatum humores, & magnetis instar ad amorem pueri corda spectantium attrahebant: fulgorem hunc diuinissimi vultus agnouit S. Hieronymus. *Certe*, inquit, *fulgor ipse, & maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat adspectu: sic enim in magnete lapide, & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulas & festucas sibi copulent: quanto magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat, quos vocabat?* adstipulatur Cottonus: *Quid impediet, quo minus illos è pueri facie quendam diuini luminis radium promicantem vidisse dicamus, qui corda illorum penetraret, simulque indicaret, quem videbant* Devm *simul & hominem Regem, & Messiam promissum esse?*

S Hieron. comment. in 3. Matt.

Cottonus c. 7. medit.

Cornelius à Lapide: *Vultus Christi pueri cœlestis lucis radium euibrabat, & magis mentes Magorum feriebat & illustrabat, vt agnoscerent infantem hunc non esse merum hominem, sed verum* Devm, subijcit testimonium Hieronymianum

Lapide in 2. Matth.

Vberius Carthagena deducit hoc argumentum. *Putarim*, inquit, *ipsum adspectum & miram eius pulchritudinem amorem pariter & venerationem in his Regibus conciliasse, quia cum Christus esset splendor Patris, & figura substantiæ eius, Heb. 1. etiam in externa facie diuinitatis radij resplendebant: vt testatur Plinius de pelo-*

Carthag. ho. 1. de Epip.

pictore Parrhasio, qui externis vultus lineamentis internos animi affectus, & ingenium prototypi exprimebat: vt in Athenis conditiones, & mores ciuium ea in imagine depingerentur: ita Spiritus Sanctus omnipotentiæ penicillo talem Christi vultu exprimebat, vt intuentibus non leue esset diuinitatis argumentum. Lyranus vult Moysis parentes ex serenitate vultus pueri præsagijsse virtutem ei quandam diuinitus collatam esse, ad Israëlem liberandum: ob ia eum seruarunt contra regis imperium: ita Christi facies quasi per rimulas internæ diuinitatis specimen dabat: quam dum speciem Reges isti contemplabantur, regna sua libenter puero submiserunt.

Parrhasius in pictura expressit affectus hominum

Fulmina dixi Iudicis irati bina pueri lumina videbantur: quæ formidine percellerent intuentes: vt iam non amplius de oculis, sed rogandâ veniâ commissorum solliciti lacrymis rigarent ora Reges, & paruulum placare precibus instarent: notauit hoc olim autor operis imperfecti. *Cœlestem*, ait, *Regem quærebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen solius stellæ testimonio contenti: gaudebant, oculi eorum contemtibilem puerum adspicere non poterant, quia spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat.*

Reges irati pueri vultum timent.

autor operis imperfecti in 2. Matt.

Vnum in dolore solatium, paruulum vilibus mitigari obsequijs, qui venerat etiam ad terras, vt morte sua mundi crimina lueret. *Inuenerunt*, inquit, S. Bonauentura, *puerum: si offendisti puerum, cito, & modicè, & pomo vel ouo ei reconciliaris: sic & pœnitens Christo: si dixero, ait, impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritque iustitiam & iudicium, & pignus restituerit, rapinamque reddiderit, & in mandatis vitæ ambulauerit, neque fecerit quidquam iniustum, vita viuet.*

placare teuerum conantur. *S. Bona. ser. 1. de Epipha.* is facilè placabilis est.

Cito placatus Regum demissione paruulus, offert veniam delictorum, de suo libens offert reconciliationem, offert satisfactionem. Erat sex diebus ante in circumcisione sanguis profusus pueri sat copiosè: quem sanguinem offert Magis lytrum, vt è seruitute tartarea in libertatem filiorum Dei, cœlique heredum vindicentur. Quam præclarè stimulat hoc loco S. Bernardus peccatorem: vt tanti boni consequendi mirificam teneat occasionem, nec remittat: captaturus postea cassis manibus cum calua semel effugerit. *Quid timeam, quando saluator venit in domum meam? ei soli peccaui: donatum erit, quidquid indulserit ille: denique paruulus est: leuiter placari potest: quis enim nesciat: quia puer facile donat: Ecce si non fuerit pro minimo, possumus reconciliari pro minimo: pro minimo, inquam, non tamen sine pœnitentia: sed quia minimum quiddam nostra est pœnitentia: de te Domine suppleo, quod minus habeo in me: ô dulcissima reconciliatio! ô satisfactio suauissima! ô verè reconciliatio facilis, sed pervtilis! satisfactio parua, sed non paruipendenda: etenim quam facilis modo, tam difficilis erit postea; & sicut modo nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paulum nemo, qui possit.* Cuius sanè prudentis viri cor amore non colliquesceret, intuentis Deum infinitæ maiestatis hominis amore vili vestitum humanitate, immortalem spiritum, mortali & patibili carne circumdatum, vt morte sua seruorum, & subditorum noxas expiaret; Regem gloriæ sine stipatu pecudes inter abijci, vt orbis vermiculos opibus, & sceptris cœlestis decoraret? Quis non huic se Regi Domino, imo sponso totum traderet, & vnius obsequio manciparet, tanto amoris incendio præuentus & prouocatus? præsertim cum infantis ætas illecebra quædam & inuitamentum sit amoris, quæ nullam respicit conditionem, nullius offenditur vilitate: pari cunctos amplectitur amore: in omnium libens amplexus ruit. *O anima*, merito exclamat S. Augustinus: *insignita Dei imagine, redemta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis! dilige eum, à quo tantum dilecta es, intende illi, qui intendit tibi; quare quærentem te, ama amatorem tuum: esto solicita cum solicito, cum vacante vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta* Sed si tantus te non capit amor tui, moueant innumera, quæ in te contulit hactenus, & conferet in moriturum officia; moueat merces illa felicitatis perpetuæ, quam tibi promisit: si te illi vt amicorum fideliſſimo cum sanctis Regibus totum commiseris: pergit enim S. Augustinus: *Elige illum in amicum præ omnibus amicis tuis: quia cum omnia tibi subtracta fuerint, solus ille tibi fidem seruabit, in die sepulturæ tuæ: & cum omnes amici tui re-*

S. Bern. ser. 1. de Epiph.

S. Aug. c. 24. Man. animæ pulchritudo Deo dicanda.

Christus mandus super omnia.

cedent à te, ille te non derelinquet, ſed tuebitur à leonibus infernalibus rugientibus præparatis ad eſcam, & conducet per ignotam regionem, atque perducet ad plateas ſupernæ Sion, & ibi collocabit te cum Angelis ſuis ante faciem maieſtatis ſuæ, vbi audies illud melos Angelicum, ſanctus, ſanctus, ſanctus; ibi eſt canticum lætitiæ, vox exſultationis & ſalutis, gratiarum actio, vox laudis, atque alleluia perpetuum. Ibi eſt cumulus felicitatis, ſupereminens gloria, ſuperabundans lætitia & omnia bona, Sic Reges, quem prius vt iudicem trepidi rei venturum formidabant, eundem ſimul vt amicum fideliſſimum diligebant, & largitorem infinitorum præmiorum exſpectabant: ita totus ſe in amorem dilecti Chriſti effundebant, iam immemores & impotes ſui: regiæ iam obliti maieſtatis, tædet eos iam dominari ſubditis, quando Dominus vniuerſi cum belluis in ſtabulo diliteſcit; deſipiunt opes, quas Deum vident contemnere; diſplicet ſtipatio militum, quando Rex gloriæ pecudum ambitur corona.

Sed quid interim Maria Mater & virgo? num eam trepidaſſe, expalluiſſe, cohorruiſſe ad tantorum Regum adſpectum exiſtimamus?

CAPVT XVIII.

Cum Maria læta non trepida, vero Salomonis throno.

DVBITARI merito poteſt, an ad inuſitatum ſtrepitum Virgo Maria Dei genitrix, cum ſonitus camelorum, & quaſi cohortium militarium illuc tendentium in antro perciperetur, anxia trepidarit, & ſibi puerōque ab hoſtibus vel Herode metuerit?

Thomas à Villanoua. trepidam facit Deiparam.

Thomas à Villanoua tremulam & pauentem facit: imo & filium nimio metu occulentem: eleganter tamen aduentum Magorum depingit. *Deſiliunt*, inquit, *equis conciti, domus penetralia luſtrant, intus virginem decoram: vident, vultu venuſto, facieque pulcherrimam, verecundam, ſolam, tremulam, ſedentem in angulo, geſtuque pauentem virginem, ſpecioſam valde, decoris portentum maximum: qualis non fuit ab initio altera, neque futura eſt in æternum: hæc ad equorum dromedariorumq; ſtrepitum pauida infantem præſepi locauerat; fœnoque condiderat; neque enim ſoli veniebant Gentium proceres: ſed multa ſuorum familia comitati, ſicut decebat Reges extranea regna petentes. Vnde Propheta: inundatio camelorum operiet te: inſpiciunt ſe mutuo Reges tanto decore perciti, beneuoleque ſalutant.*

Subijcit coloquium cum Deipara matre, vt ipſe putat tantum non exanimata. *Quid inquiunt Reges agis hic puella decora: quænam hic cauſa manendi? quænam es & vnde veniſti? eſtne tecum aliquis? quis te deduxit huc? eſtne tibi filius? durum verbum, acutus gladius, virginis viſcera ſcindens: ſilet vultu pallida, ſanguineməque pauore toto cor rapuerat: quid enim tunc anxia virgo faceret? mentiri non poterat, filium prodere non audebat: ſilet ergo: neque tamen locum ſilentio præſtat repetita quæſtio: inſtant Reges, acrius pacis & amoris ſigna præſtantes; proditur itaque adſpectibus decorus infans, præſepique à matre leuatur.*

confutatur

Metum ego hunc abfuiſſe à virgine penitus mihi perſuadeo: verecundum tamen in ea Principum virorum pompa virginis, & rubore magis quam pallore reſperſum vultum: nec ambigo, quin ipſa prænouerit aduentum Regum, ſtellæ ductum, futuram adorationem, & munerum donationem. id enim ſpiritus, qui Reges in apparandis donis inſtruebat: ipſe pariter virginem matrem ſpiritu prophetico imbuebat, vt non trepida, ſed animoſa, licèt verecunda ad eorum aduentum & conſpectū è præſepio leuatum brachijs, & gremio exceperit infantulum ſtatim ab ipſis adorandum. Hinc prius inuentum Euangeliſta puerum memorat, quod primo ſtatim & obuio intuitu incurrerint in adſpectum pueri: deinde matris. In hanc ſententiam inclinat his verbis S. Chryſoſtomus: *Et reclinauit eum in præſepio: poſtea verò eum ſuſtulit, & in genibus habuit: ſiquidem vt Bethlehem ingreſſa eſt, partum celeriter abſoluit, vt hinc quoque totam diſpenſationem agnoſceres, quia ſcilicet non*

puer ante viſus quam mater.

S. Chryſoſt.

For-

fortuito ista, nec simpliciter acciderunt; sed secundum providentiam Dei, & prophetiæ consequentiam vniuersa completa sunt. Subijcit adorationem Magorum. *Euthymius.*

Euthymius citat his verbis Chrysostomum. *Deinde sicut, ait Chrysostomus, ipsum tulit, & quando ingressi sunt Magi, ipsum super genua habebat: nec enim more aliarum matrum partus dolores sustinuit.* Consentit S. Bernardus: *Ecce enim in Euangelica lectione audiuimus, quoniam intrantes domum Magi inuenerunt puerum cum Maria matre eius. In infantili corpore, quod virgineo mater fouebat in gremio: quid nisi veritas susceptæ carnis apparuit? quid in eo, quod cum matre paruulus inuenitur, nisi verus homo, & verus hominis filius declaratur?* Atque hi quidem recte volunt à matre filium gremio fotum, vt facilius à Regibus ilico videretur & adoraretur: vnde hinc potius lætitia matri, quam timor subortus fuerit: vt expresse S. Eucherius: dicat ad ea verba: *inuenerunt pucrum cum Maria matre.* *quanta igitur tunc tibi exsultatio fuerit ô virgo beatissima Maria, quis cogitare valeat; quando eum, quem nuper genueras, iam quasi Deum adorari videbas?* Rectè etiam notauit S. Bernardus, ideo paruulum in sinu matris apparuisse, *vt verum esse hominem appareret: nam quod Dei filius idem esset, diuina lux ijs satis indicabat: nam vilia omnia in matre, vilissima in filio videbantur, nunquid,* ait autor operis imperfecti, *viderunt matrem eius diademate coronatam? aut in lecto aureo recumbentem? nunquid puerum auro & purpurâ inuolutum? nunquid matrem eius vix tunicam vnicam habentem, non ad ornamentum corporis: sed ad tegumentum nuditatis proficientem, quam habere poterat vxor carpentarij: puerum pannis sordidissimis inuolutum.* Vilis ornatus Regis, si mundi spectes apparatum: verè diuinus tamen & cœlestis. Quærebat in cœlis filius Dei thesaurum paupertatis & submissionis: nec eum in gaudiorum omnium redundantia poterat inuenire mundum vidit affluere talibus mercibus; imò thesauris absconditis, quorum valorem nemo vnus hominum æstimaret: descendit & cum matre sua primus extremam sponte voluit amplecti paupertatem, vt beatos ostenderet pauperes, quos iure perpetuo cœlestis regni maneret hereditas: huius thesauri pretium his ipsis Regibus cœpit in stabulo declarare, per sidus aliud stella splendidius, mentis illustrationem, vt pannos etiam spretis sceptris esse scirent adorandos. *Verum,* quærit S. Chrysostomus: *quid illud est, quod Magis puerum adorare persuaserit? nam neque virgo ipsa erat nobilis, nec domus illustris, nec quidquam ex his omnibus, quæ videbantur, huiusmodi erat, quod Magis admirationem faceret, eosque alliceret. Id procul dubio fecit, & stella & à Deo donata lux, quæ illorum mentibus quasi aliud quoddam sidus effulserat, eosque paulatim ad perfectiorem scientiam prouehebat: cum enim essent cuncta alia vilia, nisi istud eorum animos incitasset, nunquã illi tantum honoris paruulo detulissent: idcirco ibi nihil ex his, quæ sensibus percipiuntur magnum; sed tugurium ac præsepium & inops mater, vt melius nuda Magorum philosophia eluceresceret, & vt discas, quod non homini tantum, sed etiam tanquam Deo autori omnium accesserint bonorum, propterea nullo eorum, quæ exterius videbantur, offensi sunt, sed adorabant.*

lætitia potius in virgine quam metus. *Eucherius ho. de Epip.*

cur Iesus in sinu matris? paupertas.

amara à Christo.

S. Chrysost. ho. 8.

causa adorationis interna lux

Hæc est illa abyssus diuinæ in humanum genus bonitatis, quod cum infinito dignus honore Dei filius esset: tamen ea nostra causa susceperit, quæ tanta maiestate indignissima videbantur: quid enim mirabilius Regem gloriæ tot myriadibus Angelorum in cœlis vallatum, iam in terris ob salutem suspendio multandi mancipij, nasci in stabulo, pannis inuolui; pauperis matris foueri gremio? *Itaque quanto minorem se fecit,* ait, S. Bernardus *in humilitate, tanto se maiorem exhibuit in caritate, & quanto pro me vilior, tanto mihi carior.* Hisce oculis fidei libentius Christum in vlnis matris Magi, quam in throno Salomonis aureo contemplabantur. *Gloria,* ait S. Augustinus, *nati apparet in virginitate parentis, & gloria matris in diuinitate filij nascentis, qui totus est dulcis & desiderabilis.* Thronus Salomonis erat ex ebore grandis & vestitus auro fuluo nimis: quid candidius & incorruptius virginitate, quid fulgentius caritate virginis? cuius caritas vt sol sidera, sic lucem reliquorum sanctorum omnium anteiuit: *multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas.* Hic est aureus ille lectulus Salomonis; 60. fortes ambiunt illum; quid dico 60. fortes? ferculum & *currus Dei decem millibus multiplex*

amor Christi in homines. *S. Bern.*

Excellentia Deiparæ. *3. reg. 10.* thronus è Salomonis & lectulus *cant. 3.*

Ps 97. vnde gaudium Deiparæ ortũ. *tiplex millia lætantium*; scilicet Angelorum myriades custodiunt illum: vnde & Regibus ipsis iam tum Dei mater omnibus Reginis augustior, & maiestate honorabilior apparebat. Tot chiliadibus & myriadibus stipata virgo, adhuc Regum Gentilium aduentum expauerit? imo si aliàs, hic exsultauit in Deo Iesu suo: *gaudens gaudebo in Domino & exsultabit anima mea in Deo Iesu meo. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam & laudem coram vniuersis Gentibus; siquidem notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu Gentium, reuelauit iustitiam suam.*

Isa. 91. Habacuc. 3.

Psal. 97. Nec minus gauisi adspectu gemini sideris inclyti tres Reges. *Ecce repleuit Deus in bonis desiderium eorum*: Quid poterant amplius appetere, quam Iesum cum Maria; Solem cum Luna. Quod si visa stella stante *gauisi sunt gaudio magno valde*, quanto vehementius desideratis tot votis infantulo cum matre reperto? In quorum adspectu *desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo*: Gaudium Deiparæ sine pauore cum filij exsultatione ipsa Dei genitrix his verbis S. Birgittæ, cum Bethlehemitico in antro moraretur, explicauit. *Filia mea, scias, quod quando tres Reges Magi venerunt in stabulum ad adorandum filium meum: bene ego antea præsciebam eorum aduentum, & quando intrauerunt & adorauerunt eum, exsultauit tunc Filius meus & præ gaudio tunc habuit faciem hilariorem: ego etiam nimis gaudebam, & lætabar mirabili gaudio exsultationis in mente mea, attendens ad verba eorum, & actus, conseruans ea, & conferens in corde meo.*

Psal. 77.

S. Birgitta Deiparam ait conscia fuisse aduentus Regum & lætam.

CAPVT XIX.

Iesum cum Maria matre eius & omnium viuentium repererunt.

Reges credunt Mariam esse Dei Matrem. contra Nestorianos. probatur 1. ex Euangelistis.

REges nostri inuenerunt IESVM: vt DEVM adorauerunt, Mariam, vt matrem Dei crediderunt, & eorum fide Matthæus Euangelista confutat secuturos aliquot seculis post Nestorianos, qui Mariam Deiparam agnoscere noluerunt: contra quos sacrarum literarum monumenta, Sancti Patres & Doctores cum tota Ecclesia eam virginem incorruptam Dei veram Genitricem confitentur. Ac primo disertis Euangelistæ verbis, Christi, qui est verus DEVS, veram matrem agnoscunt Mariam Mat. 11. *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Luc. 2. *peperit filium suum primogenitum*: ibidem *& dixit mater eius: fili quid feci sti nobis sic.* Io. 3. *Et erat mater Iesu ibi.* Io. 19. *cum vidisset Iesus matrem, dixit matri suæ.* Prædicit hoc Isaias c. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Et Luc. 1. Elisabeth ait: *vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me*: vbi voce *Domini* diuinam personam intelligit: sic enim SS. Patres. præsertim S. Gregorius interpretatur. *Eadem virgo & ancilla Domini dicitur, & mater: Ancilla enim Domini, quia verbum ante secula vnigenitus, æqualis est Patri: Mater verò, quia in eius visceribus ex Spiritu S. eiusque carne factus est homo, quia non prius in vtero virginis caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem, sed statim Verbum factum est caro.*

Matthæi 1. Luc. 2. Io. 3. 7. ex Isaiæ 7. ex verbis Elisabeth. *9. Regist. Ep. 61.*

Ratio.

Ratio est clara, Christus est verè DEVS. Maria verissima mater Christi ergo & DEI Christum verè DEVM esse, S. Paulus disertè dicit Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Quod si obijcias: non peperit diuinitatem: ergo nec DEVM: simile intorqueo spiculum ex homine: nulla mater gignit humanitatem cum nobilior eius pars anima scilicet à DEO creata infundatur: nec tamen hoc impedit, quo minus hominem dicatur mater concipere, generare, nutrire; actiones enim hæ non naturæ, sed hypostasis & personæ sunt: vnde cum Maria Christum & personam eius conceperit, peperent, lactarit, vt matres aliæ: cur non vera Christi adeoque personæ diuinæ mater nominaretur? Et sanè plus Deipara filio suo, quam vlla mater soleat, aut possit, contulit: in solidum enim parens eius fuit: omnis ab ipsa materia sanguisque, quem alij non à matre, sed

Obiectio.

Plus Deipara contulit Christo quam aliæ matres filiis.

sed simul à patre habent, dimanauit: plus etiam quam matres aliæ ad formationem corporis, organa membrorum aptanda, ad formæ inductionem iuuit: formatoque iam corpore nutritionem, & augmentationem sola ministrauit: nam & ipsa plus, quàm in alijs virtus actiua naturalis effecit: accessit & virtus supernaturalis; cuius instrumentum fuit: vt ipsa tam matris quam patris vicem subierit, & amor Christum inter, & virginem longe maior exstiterit, quàm alios inter filios matresque: nam in his ille diuiditur, partem sibi pater, partem alteram sibi mater vindicat, hic collectus & coniunctus amor Christi in vnam matrem toto alueo ferebatur: hinc à Græcis contrà Nestorium Theotocos seu DEI matris meruit in concilio Ephesino appellationem, quem fidei articulum Chalcedonense etiam; tum sexta & septima synodus & Lateranensis confirmauit, ac S. Thomas 3. p. q. 35. a. 4. cum Scholasticis propugnat, fulminatis pridem anathemate Nestorianis.

Contra quos hoc ipso festo ex eodem Matthæi loco sic detonat S. Bruno Carthusianæ familiæ Patriarcha. *Nestoriani non inueniebant puerum cum Maria matre eius, quia non credebant Christum habuisse matrem: vnde in detestationem eorum B. Virgo Maria vocata est Theotocos, id est Dei, qui etiam homo est, mater.* Ex hoc capite suprema nascitur dignitas Deiparæ: cui similis nulla inter pure creatas res potest inueniri. Posset quidem diuina potentia gratiæ magnitudinem augere in virgine, vel alijs: vt tamen maioris filij aliqua mater dicatur, nec ipse quidem Deus facere potest. Quo sensu loquitur audacter S. Bonauentura: *Ipsa est, qua maiorem Deus facere non potest: maiorem mundum posset facere Deus, maius cælum posset facere Deus; maiorem matrem, quam matrem Dei non posset facere Deus: Vnde* D. Bernardus ait, *neque enim decebat eum alia mater, quam virgo; neque virginem alius filius, quam Deus, quia nec maior inter matres; nec maior inter filios nasci potuit.*

S. Bruno. ho. de Ep.

Deus nequit creare maiorem matrem Deiparâ. *in speculo B. Virg. prope finem.*

Ergone diuinam credamus potentiam in dignitate talis matris exinanitam? certè Doctor Angelicus vocat eam infinitam, & tribus adnumerat, quibus fieri nihil potest melius. *Humanitas Christi, ex hoc, quod est vnita Deo; & beatitudo creata ex hoc, quod est fruitio Dei; & B. Virgo, ex hoc, quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus; & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis, sicut non potest aliquid melius esse Deo.*

infinita quodammodo ea maternitas *S. Thom. 1. p. q. 25. a. 6.*

Summam vult dicere esse humanitatem Christi, quia vnum cum Deo suppositum habet: summa est beatitudo: summumque bonum, quod Deus largitur in ea beatis, dum Deum clare videntur, eoque perfruunt; suprema denique mater Dei genitrix Virgo Maria est, quia Deum peperit. Sunt alij tam beati, quàm Angeli ministri Dei, hæc mater est, Domina Reginaque cœli & terræ, hominum & Angelorum. Quanta hæc excellentia muneris; præstantia dignitatis, eminentia puras inter res creatas, licet omne, quod extra Deum est, consideretur? S. Augustinus suis eam eminentiam momentis ponderat. *Tanta est dignitas virginis eo, quod mater Dei sit, vt planè excedat non solum omnium hominum dignitatem, verum etiam Angelorum: cum longè præstantius & excellentius sit, esse matrem Principis, quam ministrum: tanto enim perfectior vnaquæque res appellatur, quanto magis vnitur & coniungitur Deo, qui est summa perfectio.* Pulchrè à coniunctione proxima cum Deo infinito bono matris Dei colligit immensam quandam excellentiam, quam eandem ex officio matris cum S. Augustino sic exaggerat D. Bernardus. *Magnum est Angelo, vt minister sit Domini; sed Maria sublimius quiddam meruit, vt sit mater, tantoque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris nomen matris accepit.* Idem gloriam eandem deducit, quod quandam cum Deo Patre communem habeat prærogatiuam. *Ista est nostræ virginis singularis gloria & excellens prærogatiua; quod vnum eundemque filium cum Deo Patre meruit habere communem.*

S. Augustin. lib. 3. de symbolo ad catechu.

præcellit Angelos. *S. Bern. ser. in Nat. B. V.*

habet prærogatiuam cum Deo Patre. *ho. 1. sup. missus est. S. Bernard. to. 1. ser. 25. de salut. Angelica a. 3. c. 2.*

Altius adscendit S. Bernardinus Senensis, miratur non solum in creatis; sed nec in personis diuinis præter solum Patrem reperiri dignitatem: quod Dei filium habeat. *A fidelibus*, ait, *salutatur B. Virgo, cum dicitur Mater Dei: tanta nempe laus est quam ei tribuimus, cum dicimus Mater Dei, quod nec in personis creatis, vt Angelis, & hominibus, nec in personis increatis reperitur hæc incogitabilis dignitas,* scili-

maior hic titulus quamdominium creaturarum. imperat Deo.

S. Bernard. hom. 1. super missus.

scilicet quod habeat Dei filium; nisi in vna persona diuina, quæ est Patris, & vna persona humana, quæ est matris. Insuper maius est hoc donum, quod sit mater Dei, quam sit Domina creaturarum Dei, quia hoc dependet ab illo: sicut ramus à radice: propterea ei potius dicimus Mater Dei, quam Domina mundi, vel vniuersi. Ecce Deus ipse voluit non tantum ei creatas res omnes subijcere, velut Dominæ & Reginæ mundi: sed & se quodammodo subdere. Audi S. Bernardum, *Vtrimque stupor, vtrimque miraculum, & quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; & quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio.* Voluit Dei filius ab ea concipi, nasci, lactari: vt rectè ex tanti filij infinita maiestate se matris imperio subijcientis hoc modo matris deducat excellentiam S. Gregorius: *Si vis virginem cognoscere, qualis & quanta sit, in eius filium oculos conijcito, & ex eius excellentia poteris etiam excellentiam matris intelligere: talis ergo mater talem filium decet, & è contra talis filius talem matrem: mater dedit filio humanam naturam, filius verò matrem cœlesti gratiâ repleuit; vnusquisque ergo dedit, quod habebat.*

ex magnitudine filij mater cognoscitur.

S. Gregorius sup. 1. Reg.

digna fuit vt esset mater Dei.

Sed an audacius quam verius dixit S. Gregorius, cum ait: *Talis ergo mater talem filium decet, & talis filius talem matrem?* eamne dignam fuisse dicimus, quæ Dei filium generaret? verissimum id effatum: tam SS. Patrum sententijs, quam Ecclesiæ Romanæ dictis consentaneum. S. Ambrosius *Quid in singulis moror, quæ digna fuit, ex qua filius Dei nasceretur.* S. Basilius: *digna vnigeniti diuinitati coniungi fuit.* S. Bernardus: *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria susceperit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam filius eius sublimauit.* Et ser. 4. *Quæ vel Angelica puritas, virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei?* Quæ congruenter dicta sunt menti S. Romanæ Ecclesiæ, dum canit: *Quæ sola digna fuit portare Regem cælorum & Dominum.*

S. Ambrosius l. 2. de Virgine. S Basilius. ho. de humana Christi gener. S. Bernard. ser. 1. do assump.

eius vnius merita superant valorem meritorum omnium creaturarum.

Sed cum nec Angeli simul cum hominibus copulati donum id mereri dignè potuerint per opera gratiæ, cui respondet solum perfectio & consummatio gratiæ, cum beatitudinis consecutione: quomodo canit Ecclesia solam ipsam meruisse? ergo credendum est eius vnius merita totius militantis & triumphantis meritorum valorem superare? audet hoc ipsum profecto de vno virginis actu pronunciare, quo Gabrieli adsensum præbuit. S. Bernardinus. *Plus* ait, *meruit gloriosa virgo in vno consensu, scilicet conceptionis filij Dei, quam omnes creaturæ siue Angeli, siue homines in cunctis suis actibus, motibus & cogitationibus.* Ita nec creaturarum vlla, nec omnes simul copulatæ extra illam dignior fuit, quæ Dei maternitatem mereretur de congruo, quàm Maria: vt ipsam propterea cœlestes exercitus solam inter creatas res velut *prodigium* quoddam admirentur & iure Magi nostri viso tanto naturæ miraculo mirificè sint recreati. *O virgo sanctissima exclamat* S. Epiphanius, *quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti: stupendum enim est miraculum in cœlis, mulier amicta sole, stupendum miraculum in cœlis mulier gestans lucem in vlnis: stupendum miraculum in cœlis alter thronus Cherubicus: stupendum miraculum in cœlis, mulieris filius, qui & ipsius, & seculorum est pater: stupendum miraculum in cœlis; thalamus virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum.* Hoc igitur viso prodigio Reges magis, quam visâ stante stellâ, gaudijs omnibus incesserunt: quia non tantum eam Dei, sed & omnium viuentium matrem fide agnouerunt: & vt talem supplices sunt venerati, vt per eius suffragia placatos & propitios cernerent infantis oculos.

prodigium quoddam fuit.

S. Epiphanius in ser. de virgine.

Maria mater viuentium.

Hæc enim est tua ô clementissima Dei mater, incredibilis misericordia, qua non Dei tantum; sed & communis omnium viuentium mater esse, & nominari desideras, vt omnibus possis misericordiæ sinum pandere: omnes alis tui patrocinij protegere; vt sicut nemo est, qui non solis beneficio fruatur, nullus viuentium iustorum sit, in quem non per te diuina dona dimanent. *Maria*, ait S. Bonauentura: *non solum est mater Christi singularis, sed etiam mater omnium fidelium vniuersalis. Vnde* S. Ambrosius ait: *si Christus est credentium Pater, cur non ipsa, quæ genuit Christum credentium sit mater? Eia carissimi omnes nunc gaudeamus; omnes gaudendo dicamus: Benedictus Pater, per quem Maria est nostra mater, & benedicta mater, per quam Christus est noster frater.* Ecce quam fecunda virgini-

S. Bonauentura. S. Ambros. in speculo B. V.

primogeniti Deiparæ tres Reges.

ginitas facta est Mariæ : vndecim ante dies primogenitum peperit : iam trigeminos Deo parit Reges, non sterilem, fecundissimam inquam prolem, quæ regna integra breui Christo fratri & Virgini matri generabunt non mundo mortales homines; sed cœlo Reges immortales : quanto matris Mariæ gaudio, quanta gloria fratris Christi Domini, & eius imperij incremento ? An non fecundior iam in Ecclesia virginitas Sacerdotum,& Religiosorum,quam paternitas secularium? Est ne auditum à seculo parentem vnũ mille ex se genuisse ? Et repertus vnus Xauerius est;qui decennij spatio cœlo plus quam 10. myriades Gentilium, sacro fonte ablutas generauit. *Gaudete igitur* (vobis applaudit S. August.) virgines sacræ : *Virgo peperit Christum: non vos contristet sterilitas;quarum fides magna est fecunditas; nec doleatis vos non esse matres, quæ spiritualiter generatis, virgines permanetis; filios suscipitis, integritatem non amittitis; accepistis ab illo nomen maternũ; vt decus castitatis in vos permaneat sempiternum. Amate quod est, seruate quod accepistis, imitamini fideles matrẽ capitis vestri : non vobis denegauit pignora, qui natus est de virgine Maria : quod tantæ matri contulit, & in sua carne seruauit, hoc etiam vobis donauit virgo mater sancta caro Christi ab omni contagione integra : sed nec ipsa caro sterilis fuit, dum eam prædicando spirituales filios regenerauit ad vitam, & post passionem per totum mundum fructificauit occisa.* Rectè igitur SS. Reges non solum puerum, sed cum Maria matre eius, imo & sua inuenerunt : per quam securi accessum habuerunt ad filium, matre pro ipsis brachia quibus gestabat ; vbera, quibus lactabat; gremium quo fouebat, exhibente : vt tantis amoris indicijs, & veniam illis clementer, & cœlestium bonorum abundantiam liberaliter impertiret

Primogeniti Deiparæ tres Reges.

virginitas Christiana fecundior maternitate seculari.

S. Ambros. l. 4. ad Cantech. c. 4.

CAPVT XX.

Ioseph præsente vt œconomo & custode thesaurorum.

EVANGELISTA non meminit hoc loco Iosephi : nobis tamen nefas sit præterire eum Patriarcharum,&Prophetarum veteris testamenti quasi solem : Reginæ cœli & Dei genitricis custodem; virum & caput; illum filij Dei defensorem, altorem, educatorem, imo cum quo Deus Pater nomen Patris communicauit : dum ei filium suum orbis totius thesaurum nobilissimum commisit nutriendum: vt ideo non tantum nomen, sed etiam munus & autoritatem Patris participarit : & quis dubitet officium illius longè fuisse præstantissimum, diuinissimæ familiæ tutorem esse, prouidum patrem & sollicitum curatorem: vt ex sanctissimo Christi & Mariæ contubernio parem, si non maiorem, ei Suaretz & alij putent gratiam cum Apostolis & sanctitatem accessisse. De hoc dubitant multi; num adfuerit Magorum adorationi : plurimi negant ob silentium Euangelistæ, & diuinam, vt credunt prouidentiam, ne Christus forte Iosephi filius crederetur.

Tituli & prærogatiuæ S. Iosephi.

Tom. 2. 3. p. d. 8. s. 2. n. 2.

putãt eum abfuisse.

Rabanus & Glossa ordinaria. *Diuino autem nutu factum est, quod abierat Ioseph, ne aliqua malæ suspicionis occasio daretur Gentibus.*

Rabanus & glossa ordinaria.

S. Anselmus : *Aberat Ioseph, ne aliqua malæ suspicionis causa daretur Gentibus.*

S. Anselmus

S. Thomas : *Sed quare non fit mentio Iosephi : dicendum, quod diuina dispensatione factum est, quod non adesset, ne istis, qui primitiæ Gentium erant, daretur suspicio prauæ opinionis.*

S. Thomas.

Guido Carmelita citat pro ea etiam Remigium.

Guido.

Maldonatus, *Quod Iosephi mentio non fiat, aut casu, quod forte domi tunc non esset; aut mysterio factum est, vt Ioseph à Magis non inueniretur : ne forte Christi patrem putarent : nam pastores puerum cum Ioseph & Maria dicuntur inuenisse.*

Maldonatus

Maldonatum sequitur Salmeron & Morales his rationibus persuasi. *Factum id ne istis, qui primitiæ Gentium erant, daretur suspicio prauæ opinionis & suspicionis malæ occasio, communis generationis ratione hunc paruulum fuisse natum: nunc Gentes ex Sibyllinis libris, aut aliunde nouisse poterant Regem, quem quærebant, ex virgine nasciturum: velut daretur locus Magis cogitandi Messiam Regem, quem vt Deum adorabant Patre in terris carere, & conceptum esse de Spiritu Sancto, natumque tantummodo ex Virgine Matre.*

Rationes.

adfuisse docet alii.

S. Chryſoſt. ho. 8. in 2. Matth.

Contrarium tenent alij, S. Chryſoſtomus de Ioſepho ait, *Miſericors Deus mœſtis rebus etiam iucunda miſcuit: videns Ioſeph, puerum natum, maxima exſultatione repletus eſt: ſed huic etiam gaudio periculum magnum ſucceſſit, cum tota ciuitas turbaretur, Rex fureret, & ad necem puerum quæreret; ſed hunc mœrorem alia rurſus*

S. Bern. ſer. 1. de Epiph.

lætitia ſubſecuta eſt, apparitio videlicet ſtellæ & adoratio Magorum, S. Bernard. ſer. 1. de Epiph. *Quid facitis ô Magi, quid facitis? lactantem puerũ adoratis? in tugurio? nunquid aula eſt ſtabulum, thronus præſepium, curiæ frequentia Ioſeph & Maria?*

Albert. M. in 2. Matt.

Albertus M. *Nec ſit mentio de Ioſepho, ne aliquid ſuſpicionis oriretur, vt quidam dicit, ſed hoc friuolum mihi videtur, quod nihil talium in malam ſuſpicionem induxiſſet Magos: vnde ideo non ſit mentio eius, quod Magis oſtendebatur diuinitas eius, in qua nil operis habebat Ioſeph; mater autem cum Deo in filio communicauit, & ideo ſit mentio ipſius.*

Dionyſius Carth. in 2. Matth.

Dionyſius Carth. *Ioſeph ſecundum aliquos Deo ordinante tunc abfuit, ne pater pueri putaretur: vel forte adfuit, quatenus viſa tanta pueri veneratione eum de cetero amplius veneraretur: potuit etiam puer hic de corde Magorum talem ſuſpicionem excludere, quos in alijs mirabilioribus ſupernaturaliter docuit.*

Beauxamis. com. in Harmon.

Beauxamis vult Reges à Ioſeph oraculum petiſſe, credidit ergo eum adfuiſſe: ſic enim ait, *Vnde conijcitur illos de ſuo ad Herodem reditu aliquid ſciſcitatos eſſe aut à Maria, aut Ioſeph aut etiam puero.*

Corn. à Lapide.

Eandem inſinuat ſententiam Cornelius ad Lapide. *Ioſephi hic nulla fit mentio, vel quia aberat, iueratque in vrbem, vel agrum, vt cibos & aliqua neceſſaria B. Virgini & Chriſto procuraret, idque Dei conſilio, ne Magi eum Chriſti eſſe patrem, Chriſtumque ex eo more ceterorum puerorum genitum eſſe putarent. Vel ſi aderat, vt curutor Chriſti æque ac ſtabuli, ſub nomine Mariæ coniugis ſuæ intelligitur: ſed hac phraſi ſignificat Matthæus ita ſe geſſiſſe B. Virginem, & Ioſephum coram Magis, vt illi ex Dei inſtinctu intelligerent, Chriſtum natum ex ſola virgine per virtutem Spiritus Sancti, Ioſephum verò tantum eorum eſſe adminiſtrum. Vides ait operis imperfecti autor, vt Ioſeph ad miniſterium Mariæ erat electus.*

Hieronimus Xauerius.

Hieronymus Xauerius in vita Chriſti, ſic narrat ingreſſum Magorum in ſtabulum: *Bethlehemum cum veniſſent, ad locum, vbi infans erat, Ioſeph ad eos exiuit, & interrogatus reſpondit: ibi eſſe; venerunt illi ad locum, vbi S. Maria erat filium in præſepi inuenerunt attoniti ob anguſtam loci ſolitudinem, & defectum miniſtrorum.*

Carthag. l. 6. ho. 2.

Carthagena. *Difficile*, ait, *mihi creditu eſt Ioſephum ibi non adfuiſſe: congruentius dici poſſe exiſtimo, Euangeliſtam ſolum commemorare Mariam adeſſe cum Ieſu, vt ſignificaret recens natum puerum matrem ſolam habere in terris, patrem verò niſi in cœlis.*

Cottonus,

Cottonus ex myſterio accidiſſe vult, vt tres Reges, tria offerrent dona, coram ternario ſtabuli, quod ſic enumerat, *Tertium eſt ternarium ſtabuli Magis illud ſubeuntibus: tu ipſe* (puer) *ſancta mater tua, & eius coniux Ioſephus.*

Franc. Lucas hic.

Franciſcus Lucas: *Cetrum Ioſephum, non eſt probabile abfuiſſe, & qui ſocius erat triſtium omnium iucundiſſimo hoc ſpectaculo fuiſſe fraudatum; ſed idcirco nominatus haudeſt, vt à Magis intellectum fuiſſe ſignificaretur nihil illum ad Domini natiuitatem contuliſſe.* Sequitur hos Boſquier & Franciſcus ab Oſſuna Eccleſiaſtæ nobiles Fraciſcani. Fauet S. Franciſcæ Romanæ viſio: nam cum ſubiſſet antrum, vidit Deiparam filium vlnis geſtantem cum S. Ioſepho præſente: & deinde tres Reges puerum adorantes & munera offerentes. idem docet Scribanus, de Ponte & alij.

vita S. Fraciſcæ l. 3. c. 19.

Vtraque ſententia probabilis eſt.

Prima pluribus nixa antiquioribus, & grauioribus autoribus: altera ratione non inferior: myſterio prior.

ſententia autoris. Ratio. conciliantur vtriq;

Mihi omnino non perſuadeo cum multis credam horis imo & nocte Reges illic hæſiſſe, & poſtridie reuiſiſſe ſtabulum tanto tempore Ioſephum, puerũ curæ ſuæ creditũ, & matrem ſolam reliquiſſe: ſi dixerimus adueniſſe, dum adoratio duraret, offendiculo remoto iam, ex eius abſentia, inſtructiſque Magis, quod vt famulus, non pater accederet, vtraq; ſententia conciliari poſſe videretur: tunc enim iã à virgine edocti eſſe Magi poterant myſteriũ corporati & nati de virgine filij, cuius ſolatio & auxilio Deus Ioſephũ ſponſum iam abſentem breui reducẽ deputaſſet: ipſi alias Reges vltro ſe tali miniſterio mancipaſſent, vel ſuorum aliquem reliquiſſent, vt tali matri & filio quam optimè pro-

prouidetur Et erat cum virginem manſiſſe matrem crederent, quod & in hoc diuinam ſapientiam mirarentur, qui coniuges duos voti caſtitatis religione & ſimul coniugij vinculo nexuiſſet, vt quam optimè & pueruli cuſtodiæ, & ſuſtentationi, ſimulque virginitati matris conſuleretur, & calumnijs hominum occurreretur. Nec mirum Reges tam altè iam tum in adyta diuinæ ſapientiæ contemplando penetraſſe qui prophetico ſpiritu præſagiebant, puerum illum Deum hominem, mortem pro nobis ſubiturum & à mortuis rediuiuum iuſtos in cœlis præmijs affecturos, vt donis ipſi ſuis poſtea ſunt conteſtati.

prouidentia Dei in hoc caſto coniugio hanc Reges præuiderunt.

Eſt & myſterij ratio, quæ congruenter Triadem in ſtabulo iam tum perſonarum fuiſſe perſuadeat, cum Reges accederent: terreſtris illa Trinitas repræſentare cœleſtem debebat: cui prognatæ ex tribus Noë filijs, & per tres orbis præcipuas partes diſperſæ nationes, per hos tres Legatos Reges ſe dedicarent: in fidem ſe & clientelam diuiniſſimi ſe pueri committerent: in quo noua ſubſtantiarum trium trias, diuina, ſpiritualis & materialis in vnam perſonam coaleſcebat. Hic beatiſſima virgo Dei Patrem: filius Verbum, Ioſeph Spiritum Sanctum paracletum & conſolatorem ſignificabat: quem minimè tunc abeſſe conueniebat, cum eius maxime auxilio, conſilio ſolatioque coniunx indigeret: vt enim non expauerit ad eum virorum ingreſſum (quæ tamen ad Angeli, virilem formam induti, ſermonem conturbata eſt, præ verecundia naturali inſito ſuffuſa pudore) multò magis ad tot externorum principum cum eo ſtipatu diutinam allocutionem, & ſocietatem egere ſponſi videbatur præſentia, & auxilio: cum ille cuſtos eiuſdem eſſet virginitatis & pudoris: præſertim cum vtrique, Deiparæ ſaltem diuinitus aduentum Regum ante ſignificatum fuiſſe dixerim ex vita S. Franciſcæ, quo facilius ad eorum ingreſſum diſponerentur omnia; eorum ſeruiretur pietati, inſtructioni, deſiderio; donaque regia magnificentia puero offerenda, præpeditis Deiparæ manibus in infantulo ſuſtinendo, exciperet Ioſeph: nam Chriſtus & Deipara vt alterum Pharaö Ioſephum in Ægypto, ſic hunc in Bethlehem *conſtituit eum Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ*; accepit ergo Regum oblata munera, tam pro alendo Chriſto & familia, præſertim extra patriam diſceſſurâ, quàm pro pauperum ſubleuanda egeſtate: *Fidelis*, ait S. Bernardus, *& prudens Ioſeph, quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutritium, velut alterum paracletum virginis*, & filij; qui labore manuum familiam aleret, & iam breui profecturus erat in Ægyptum: ideo Chriſtus hæc dona Regum ei obtulit; vt ſumtus ad oblationem in templo, reditum in Nazareth: & commorationem Ægyptiacam ſuppeterent: quo tempore vix erat occaſio victum labore manuum comparandi:

myſteria hic obſeruata.

Trias cœleſtis.

terreſtris.

ex officio Ioſephi coniugis.

pſ. 104.

S. Bernardus.

Hanc terreſtrem Trinitatem agnoſcunt multi recentiorum, in quâ ſolent Ioſephum cum Spiritu Sancto comparare. Oſorius noſter ait: *ſicut in cœlo eſt ineffabilis Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſic in terra eſt Trinitas alia explicata in hoc Matth. Euangelio: Ieſus, Maria, Ioſeph. Pater æternus & Maria maximè conueniunt; ſicut enim ille filium generat, ſic & Maria; Filius idem eſt: Spiritus Sanctus cum Ioſeph conuenit, vterque ſponſus Mariæ eſt, & vices Ioſeph Spiritus Sanctus impleuit.*

comparatur Spiritui Sancto.

Oſorius. con. 1. de S. Ioſeph.

Et eo antiquior Gerſon, ac ex eo Andreas Soto Franciſcanus: *Merito admiratione & deuotione plenus eam conſiderans exclamauit doctiſſimus Gerſon in ſua Ioſephina in fine dicens. O veneranda Trinitas; Ieſus, Maria, Ioſeph, quam coniunxit diuinitus caritatis concordia, cuperem vt mihi verba ſuppeterent, ad explicandum tam altum & obſconditum à ſeculis myſterium, tam admirandam venerandamque Trinitatem Ieſu, Mariæ & Ioſeph, velle mihi adiacet, ſed poſſe non inuenio. O quàm dilecta huius Trinitatis domus, Chriſtus, Maria, Ioſeph, æternæ Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui Sancto! Nihil carius, nihil melius nihil in terris erat excellentius.* Conſentit Barradius *tom. 1. lib. 6. c. 8. ô beatam domum, in qua beatiſſima illa Trinitas habitabat Chriſtus, Maria, Ioſeph!*

Gerſon. lib. de S. Ioſeph c. 26.

S. Barradius. tom. 1. 6. c. 8.

Itaque cum Sancti Patres paſſim velint tam in Triade donorum, quàm perſonarum

officio eius cõgruebat.

sonarum Regum fuisse mysterium SS. Trinitatis, & triplicem Christi dignitatem repræsentatam tunc, cum Gentiles se Christo & Ecclesiæ quasi publica fidei professione, præmissa aggregarent, congruenter oblata dona sunt Triadi cœlesti, & personæ Christi filij, coram terrestri Trinitate: & tradita fidei & custodiæ Ioseph: qui hac in cura Christi & B. Virginis superior erat, & caput, & cui ex officio incumbebat bona familiæ pretiosa conseruare, administrare, & in vsum familiæ pauperumque expendere: cum enim *caput mulieris sit vir ad Ephes. 1.* Caput Mariæ fuit *Ioseph* quæ ei tanquam capiti obediebat. Tanquam capiti responsa cœlitus ei reddebantur de fuga in Ægyptum, & de reditu: ideo & *Iesus descendit Nazareth, & erat subditus illis.* Ioseph tanquam pupillus educatori, imo quasi patri: congruebat igitur officio Ioseph hic maximè adesse, vt omnia suauiter, ritè & ordine, non sine magnorum mysteriorum adumbratione, in rectè constituta familia peragerentur, sine perturbatione in virgine, cum Regum istorum exterorum gaudio, solatio, instructione: qui sane se ipsos, vt dixi, libenter tam sancto muneri deuouissent, nisi diuinitus constitissent, abundè prospectum familiæ de viro idoneo Ioseph: cuius & ipsi prudentiam & industriam naturali maiorem suspiciebant, & fortè eodem sunt administro vsi vel saltem consultore, quo sibi de necessarijs ad reditum vsque prouiderent.

caput erat Deiparæ & Christi. *Luc. 2.*

sanctitas eius, *v. 3. de S. Ioseph.*

Hinc conijcias licet S. Ioseph merita & sanctitatis fastigium, quod ita describit Osorius: *Ex quo manifestè colligitur, quod sicut Mariæ gratia fuit maxima ex hoc, quod in quantum mater erat, Christo superior, & ideo inter eam & Christum maxima debuit esse similitudo, licet maior gratia absolutè in Christo: eodem modo summa debuit esse gratia in Ioseph, vt caput Mariæ esset, & inter eos maxima debuit esse proportio & similitudo.* Quam gratiæ magnitudinem & incrementum nominis eius proprietas indicat, vt Morales noster ex Alberto Magno & alijs sic colligit: *Hinc magnus* Doctor Albertus *c.* 48. *super. Missus est, ait, proprietas nominis etiam & significatio, quæ incrementum sonat, ipsi nihilominus optime congruit, quod per hanc dispositionem quantum ad seipsum, & quantum ad proximum, & quantum ad Deum sublimatus fuit, virtutum videlicet augmentatione, famæ celebritate, nominis reuerentia: & dilectione matris Dei familiaritate, & diuina vt putatur paternitate.*

l. 3. tom. 5 n. 36.

Reges proficiunt ad spectu Ioseph.

Quocirca Reges istos tres multum non solum Christi & Mariæ; sed & Ioseph familiaritate profeciisse existimo, tam prouidè, tactè modestè & reuerenter familiam paruulam in illo Regum conuentu, & Christi regni inauguratione gubernantis; vt plus exteri Reges Ioseph prudentiam prorsus diuinam, quam Pharaã Ioseph Patriarchæ, vel Danielis Reges Babylonij, Medorum & Persarum in administrando regno sint demirati: eiusq; verecundiã, simplicitatem, & pietatem conati sint imitari, profuit igitur tunc vel maximè Ioseph prudentia Christo & Mariæ in Regibus excipiendis: profuit ipsi Ioseph o Regum adspectus, vt sciret qua reuerentia & pietate Christi totum seruitio se manciparet: cum videbat Reges Orientis tanta animi submissione sceptra & regna eidem submittere. Sciret etiam muneris sibi commissi supremam ferè post Dei matrem dignitatem. De qua item Toletus: *In tantam dignitatem euectus est, vt matris Dei, cui inter puras creaturas sanctitate & dignitate nihil est æquale, meruerit esse verus sponsus, & vnigeniti filij Dei pater nuncupatus. Quibus duobus priuilegijs & titulis auctus est super omnes Patriarchas & Prophetas, qui ante eum fuerunt, quibus si adiungas quod quem Reges & Prophetæ desiderauerunt videre, & non viderunt, audire & non audierunt (vel semel tantum, vt Reges tres Magi viderunt & audierunt) ipse enim non solum vidit & audiuit, sed in vlnis sæpe portauit, frequenter amplexus & osculatus est, per plures annos cibauit, instituit, & paternis officijs ipsi ministrauit.* Expediebat igitur Ioseph o Regum eorum pietatem intueri, quod quem illi 300. leucis peragratis difficillimo anni tempore, per mille vitæ discrimina quæsierant, vt eo semel vna die fruerentur: ipse tot annis continua eius familiaritate, vsu, consuetudine potiretur. & quia tum ipse tũ virgo Maria plurimu precibus imò autoritate valuerunt, Regibus etiam Christo reconciliatis censendi sunt ipsis tot gratiæ dona impetrasse; & ijs fonte ipsũ omnis gratiæ reclusisse: ex quo hi illi continuos riuos gratiæ, nunc gloriæ in cœlis hauriunt fonti proximi: nã

vtilitas eius eo tẽpore.

in cap. 1. Lucæ.

precibus prodest Regibus.

sum-

simma, ait Osorius, *gloria S. Ioseph ex maxima gratia, quam habuit colligenda est, si attendas ad illam S. Thomæ sententiam, ex propinquitate ad fontem gratiæ ampliorem gratiam redundare, & ideo, ait Thomas, anima Christi Domini gratia fuit plena super omnes homines, quia propinquissima fuit verbo, quod est fons gratiæ, ei personaliter vnito: secundo huic fonti Maria, quæ in vtero fontem continuit gratiæ, tertio huic fonti approximauit noster Ioseph per 30. annos illi adhærendo & illum comitando: nos ergo vt Ioseph imitemur, & eum in gloria sequamur, Christo fonti adhæreamus & ad eum accedamus.* Sed velut ipse cum carissima coniuge fontes misericordiæ Regibus aperuit, vt in eos toto alueo redundarent, & nobis supplex oratus eosdem pandet, quem vt mecum Lector pius ex S. Bernardino deprecetur, oro.

ob summã propinquitatem cũ verbo. *ser. 2. de S. Ioseph. in fine.*

Memento nostri Beate Ioseph, & tuæ orationis suffragio apud tuum putatiuum filium intercede: sed & beatissimam virginem Mariam sponsam tuam mihi propitiam redde, quæ mater est eius, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat per infinita secula seculorum Amen. *Tom. 3. de S. Ioseph. a. 3.*

CAPVT XXI.

Admiratio & lætitia Magorum.

VIDERVNT ingressi Reges antrum, viderunt Iesum cum Maria matre & Ioseph, viderunt pecudes inter Dominum maiestatis residere. Quis eos affectus mentis primo corripuerit, dubitari potest. Ego post salutationis antè memorata suspiria stupore defixos hæsisse diu satis attonitos existimo cum tremore. Psalmographo forsan idipsum istis verbis prædicente: *Reges terræ congregati sunt; conuenerunt in vnum: ipsi videntes sic* (Christum Dei filium inter animalia positum) *admirati sunt, conturbati sunt,* (de eius à Iudæis facta abiectione) *commoti sunt* (miseratione vagientis & lacrymantis pueruli) *tremor apprehendit eos*, Regis Regum, Iudicis & diuina considerata maiestate, sic nostris peccatis virgentibus abiecta, contemta, & exinanita.

Affectus Regum varii. *Psal. 47.* admiratio

Nec dubito, quin similia secum reputantes animo singuli, quæ SS. Gregorium & Augustinum in stuporem adduxerunt, attoniti sint contemplati. *Ipse*, ait S. Gregorius Nazianzenus: *Dei filius, ille seculis antiquior, ille inuisibilis, ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium, illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illud archetipo expressum, illud sanctum sigillum ad imaginem suam se contulit, & carnem ob carnem gerit, & cum intellectuali anima ob animam meam iungitur: vt simile per simile repurget. O nouam commixtionem, ô admirandam temperationem! qui est, fit, qui creatus non est; creatur; quo nullo loco contineri potest, per interuentum animæ intellectualis inter diuinitatem & carnis crassitiem continetur! Qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur: carnis enim meæ paupertatem subit, vt ego diuinitatis eius opus consequar. Qui plenus est exinanitur; sua enim gloria ad breue tempus exinanitur; vt ego plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnam me circumstat mysterium? diuinam imaginem accepi, nec custodiui: ille carnis meæ particeps fit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem adferat.*

stupor. *S. Gregorius Naz.* de verbo corporato.

Stupet hic etiam S. Augustinus: *ô mira & inexquisita compago, ô noua & inaudita commixtio! Deus qui est, & qui erat, creatur, fit creatura: qui immensus est, capitur; diues diuites constituens pauper constituitur; incorporeus, carne vestitur; sermo crassescit; videtur inuisibilis; palpatur impalpabilis; comprehenditur incomprehensibilis;* & alibi, *conditor solis conditur sub sole, effector cœli & terræ sub cælo exortus in terra: ineffabiliter sapiens sapienter infans: mundum implens in præsepio iacens, sidera regens, vbera lambens. Ita magnus in forma Dei, paruus in forma serui, vt nec ista breuitate, magnitudo illa minueretur: nec ista magnitudine breuitas ista premeretur. Neque enim quando*

S. Augustin. in psal. 118. v. 176. Tom. 10. ser. 23. de Nat. Dei.

Angeli provocant ad amorem Christi

membra humana suscepit, opera diuina deseruit, Interim SS. Angeli verbis S. Augustini Reges exhortantur, *Gaudete solenniter* (S Reges) *& sempiternum diem hodierno quoque admoniti cogitate: æterna dona spe firmissimâ concupiscite, filij Dei esse accepta potestate præsumit propter vos temporalis factus est temporum autor, propter vos in carne apparuit mundi conditor. Quid adhuc mortales mortalibus rebus oblectamini, & fugitiuam vitam si fieri posset tenere conamini? spes longè clarior effulsit in terris, vt terrenis vita promitteretur in cælis. Hoc vt crederetur res incredibilior prærogata est, Deos facturus, qui homines erant, homo factus est qui Deus erat, nec amittens quod erat, fieri voluit ipse, quod fecerat.*

Tom. 10. ser. de natiu.

calcatis terrenis.

lætitia ex stupore.

Hæc dum secum attoniti contemplantur, & illam maiestatem, sic hominum causa depressam obstupescunt, lætitia simul incredibili perfunduntur: quod nunc tandem liceat coram oculis intueri, brachijs complecti, ore dissuauiari, quem tot votis expetierant; tot laboribus, & periculis quæsierant: nec huius potuit gaudij magnitudinem Euangelista describere: satis fuit illi gaudium ex stella stante conceptum aliquo modo delineare, cum dixit: *gauisi sunt gaudio magno valdè*: at cum ipsum solem cum luna suis oculis contemplantur, silet & animo nobis relinquit ponderandum. *Lætetur* igitur *hodie cor quærentium Dominum*: nam si magna fuit lætitia, Dominum quærere: quid erit inuenire? si ita absentis solus odor afficit, quid præsentis gustus, atque suauitas efficiet? vt canit S. Bernardus: *Iesu spes pœnitentibus, quam pius es petentibus quam bonus te quærentibus sed quid inuenientibus? lignum vitæ* ait sapiens, *est desiderium veniens*: qua credimus eos lætitiâ completos esse, quando oculis vsurparunt, & manibus contrectarunt, quod tantopere desiderarant? Ponderabant animo beneficij magnitudinem, quod primi & soli ex vniuersis Gentibus electi fuissent tanti mysterij à tot Regibus Christi progenitoribus expetiti vt essent inspectores, participes, testes, & præcones; beatos igitur suos agnoscebant oculos, qui Deum Maiestatis hominem indutum intuerentur: beatas suas prædicabant aures, quæ vagitibus lacrymantis pueri personabant: sed dum cordibus & ore Christi laudes iubilant, iterum iterumque pulsat rei nouitas, facti tam stupendi demiratio. *Quis enim* (ad se inuicem loquuntur) *hic nouus Iudæorum Rex adeo magnus, & paruus: adeo pauper & diues; adeo humilis & sublimis? Quis est iste Rex, qui portatur vt parυulus, & adoratur vt Deus paruus in præsepio, immensus in cælo? vilis in pannis, pretiosus in stellis?* sed hæc è fide cum ortum habuerint: eius excellentiam libet expendere.

Psal. 104.

colloquia mutua.

Pro. 13.

CAPVT XXII.

Fides eorum singularis.

simpliciter credunt sine ratione *Ephrem de natura Dei non curiosè scruanda.*

DE huius obiecto & præstantia qua veterum Patriarcharum imo quodam modo Apostolorum fidem superarunt, actum est lib. I. hic quam ardua fuerit & difficilis est expendendum; quod non loci tam abiecti insolentia dimoti ab ea, quin puerum tam vilem, & pecudes inter depositum Regem orbis & Deum profiterentur. Principio SS. Patres solent exaggerare simplicitatem fidei in Magis, quod non curiosè rationes humanas trutinarint; sed intellectum in omnibus subiecerint fidei dictamini: ita S. Ephrem curiosos scrutatores maiestatis Dei Magorũ exemplo perstringit. *Attende*, inquit, *ô infelix & calamitose Magos illos, qui è longinquis partibus ad adorandum nuper editi Regis infantiam aduenerant: quoniam non illi Regem in purpura iacentem inuenerint, neque diademate pellucentibus gemmis intexto caput eius erat insignitum: sed infantem vilibus inuolutum pannis in præsepio repererunt, & continuo apertis thesauris suis cum gaudio obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myram; vbi cerne in hoc excellentissimam Magorum fidem. offendunt in vili ac humili præsepio iacentem Regem, cœlestem, sanctum, nuper pro salute totius mundi in carne natum; reperiunt inquam in præsepio reclinatum; nec tamen vlterius inquirere pergunt: & quid obsecro angusto præsepio vilius, inter tot porro vilia & abiecta, etsi nullum Regis indicium Magi cernerent, nihil tamen de illus maiestate dubitabant; nihil pannorum vilitate mouebantur: neque geniti*

natu-

naturam curiosè scrutabantur: at tu miser & infelix, cum ad dexteram Patris scias ingenitum omni subnixum maiestate Regem considere, Patri æqualem, & cum ipso laudari & adorari, adhuc illum temerè rimari & scrutari audes? qui te ipsum ignoras creatorem tuum ita temerè pervestigas? quis talem in te non detestetur imprudentiam? Dominus ac Deus vnigenitus Patris in cœlo ad dextram sedet Patri: Angeli & Archangeli, Cherubim quoque & Seraphim cum metu & tremore ei adsistunt pressis cum honore deorsum obtutibus, puluis autem ac cinis in terra sedens summum illam scrutari præsumit opificem? Cherubim prope solium gloriæ consistens suam sub alis contegit faciem, neq; tantam illam maiestatem intueri sustinet, homo vero terrenus ac luteus, qui se ipsum, & matris suæ tempus nescit, Dominum cunctorum creatorem rimatur: siquidem fidei oculus, cum in corde cuiusquam claræ & liquidæ lucis instar effulserit, purè quoque ac sincerè Dei agnum contemplatur, qui pro nobis occisus & immolatus est. Angeli trepidant & homo scrutatur.

Est fidei diuinæ comes indiuidua obscuritas quæ si rei haberet experimentū, fidei cessaret meritum: *quia vidisti*, ait Christus, *me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt & crediderunt*: ita decet consilio Apostoli *in captiuitatem redigere omnem intellectum in obsequium Christi* cū Magis: vt hac subiectione rationis clarum mereamur diuinæ maiestatis in cœlis conspectum, & fruitionem: sed quia Iudæi nimij *scrutatores* fuerunt *maiestatis, oppressi sunt à gloria*: Stulti videbantur ijs Magi Reges, cum puerum in stabulo supplices adorarent; sed *stulti facti sunt, vt fierent sapientes*: sola hæc sapientia, non suo niti iudicio: diuinæ credere & certissimæ veritati: *Quæ stulta sunt mundi*, ait S. Ambrosius, *elegit Deus, vt confundat fortia: credimus Iudæis, quia notus aliquando in Iudæa Deus: sed hoc ipsum negant, propter quod credimus: quia non norunt Patrem, qui filium negauerunt. Vnum Deum communis natura testatur; quia vnus est mundus: vnum Deū fides significat, quia vna fides noui & veteris testamenti: vnum Spiritum S. testificatur gratia: quia vnum Baptisma in nomine Trinitatis est; vnum Deum Prophetiæ dicunt, Apostoli audiunt: vnum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus & myrrham supplices ad Christi cunabula detulerunt, auro Regem fatentes, vt Deum thure venerantes: Thesaurus enim regni sacrificium Dei myrrhæ & sepulturæ. Quid igitur sibi voluerunt mystica munera inter abiecta præsepia, nisi intelligeremus in Christo differentiam diuinitatis & carnis: vt homo cernitur, vt Dominus adoratur, latet in pannis, sed fulget in stellis: cunæ nascentem indicant, stellæ dominantem: caro est quæ inuoluitur, diuinitas cui ab Angelis ministratur, ita nec diuinitas naturalis maiestatis amittitur, & adsumptæ carnis veritas comprobatur, hæc est fides nostra: sic se Deus cognosci voluit ab hominibus.*

Fides obscura esse debet. *Io.* 16. 2. *Cor.* 10. 5. *Pro.* 25, & cæca quæ vera est sapientia. licet Iudæis sit stultitia. *S. Ambros.*

Fides est, quâ credis, quod non vides: videbant Reges puerum vagientem vt ceteri, sed egenum, plus omnibus, abiectum, despectum: cum iumentis dormientem: nulla hic indicia regiæ, vel diuinæ maiestatis: sed stellæ ductu & Spiritus Sancti impulsu latentem, quam non videbant, firmiter credebant, & adorabant diuinitatem. Verbis ardentissimis tepidos hic exstimulat Christi fideles Laurentius Iustinianus: *Prostrati solo humillimè Deum adorauerunt, in homine sapientiam, in carne atque imbecillitate infantis Dominum maiestatis, suam deinde credulitatē muneribus protestantur. Vnde quæso tanta fides? vnde tam clara diuinitatis beatis istis affulsit cognitio? minimè ibidem regius apparatus, non ornatus thorus, non deaurata palatia, non famulantium turba; sed puerulus vagiens panniculis inuoluitur, arctum præsepe, fœnum aridum, fœtens stabulum, & iumenta irrationabilia adstantia adspexêre, porro intus operabatur gratia, loquebatur verbum, se manifestabat diuinitas; propterea cognouerunt, procciderunt, adorauerunt. Clamat prorsus contra nos istorum fides Gentilium; absentem quæsierunt & nos præsentem contemnimus, hominem regnaturū super Israël agnoscere atq; adorare voluerunt: nos autem præsidentem in cœlo, & in terra, nec adspicere, neque illi famulari dignamur. Respicite ô mortales, redite ô præuaricatores ad cor, currite affectu, non corpore, votis non pedibus, vt Regem vestrum in præsepio inueniatis Christum.* *Laurentius Iustinianus de Epiph.* gratiæ impulsum sequuntur. Reprehensio tepidorum.

Quod homines flagitiosi tam imprudenter tot se polluant sceleribus, quid aliud, nisi quidam defectus est veræ fidei. Nam si Deum omnibus præsentem: secreta cordis rimantem: iustissimum iudicem flagitiorum omnium: & diritatem tormentorum

defectus fidei causa omnium scelerum.

gehennæ, qua plectit mortiferæ labis reos attentè considerarent, nunquam in tantam abyssum scelerum libentes volentes præcipitarent. Horum fidem suscitat exemplo Magorum Iustinianus: vt iam saltem immortalem peccatorum iudicem & vltorem vereantur; quem Magi mortalem & patibilem in cunis adorauerunt. In qua latronis fides in crucem acti commendatur, qui cum nihil magnum in Christo morituro videretur adspicere, quod eum posset eo mortis articulo ad fidem eius confitendam allicere, quam quidam Apostolorum putantur tunc perdidisse, tamen voce libera Deum professus est, Regem agnouit, & regni consortium flagitauit: Cui tamen tam insigni fidei & S. Bernardus, quem libro primo recitaui: & Thomas à Villanoua hanc fidem longe præfert. *Mira*, ait hic, *quidem fides latronis, quæ Deum orauit in patibulo: sed non minor Magorum, quæ Deum coluit in stabulo: agnouit ille pendentem, illi lactantem: isti plorantem: ille clauis affixum, isti pannis inuolutum; ille vita exeuntem, isti intrantem. sed ille fortassis eius opera audierat, isti verò, nil in eo audierant, aut viderant, quod notarent.*

rara fides latronis in cruce.

Thomas à Villanoua.

eâ tamen maior Magorum.

Hæc est illa Magorum fides, quæ iam tum ab exortu stellæ vsque contemtores facere inceperat rerum caducarum, vt totis præcordijs ad cœlestia anhelarent, quâ duce vel auriga ducti & gubernati tanta velocitate per tot pericula puerum quæsierunt: & tandem inuentum tam insolita & admiranda religione in sordibus illis iacentem adorarunt: solet enim fides dux itineris cœlestis nobis labores occurrentes & molestias mitigare, solet præ dulcedine proposita cœlestium fastidium parere caducorum, vt in hac ipsa solennitate notat Ildephonsus Giron. *Magna*, ait, *virtus fidei ostenditur, quæ vim habuit, vt contemnantur diuitiæ, regna, deliciæ, addit quoque fortitudinem contra pericula, & audaciam coram regibus & principibus, sicut merito miratur* S. Chrysostomus: *horum Magorum audaciam, qui nihil veriti Herodis sceptrum Hierosolymam intrepidi ingressi sunt: addit quoque faces agilitatem & celeritatem, siquidem ex tam remotis regionibus tredecim dierum spatio venerunt Hierosolymam, vt merito illis adaptare possimus verba Isa. 60. Qui sunt isti, qui vt nubes volant: ceterum ex ipso Euangelio Prophetæ c. 40. respondere possumus, qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, & adsument pennas sicut aquilæ. Rupert. lib. 6. in Matt. de Christo Domino interpretatur illud Psalmi 103. Herodij domus dux est eorum: ipse enim Christus auis est, quæ ex Bethlehem Magorum dux fuit, ipsosque Magos duces Iudæorum, Gentium & nostros esse voluit.* Hi sunt generosi fructus tam nobilis arboris fidei, è qua tales variarum virtutum actus heroici pullularunt, quibus Gentiles omnes posteri fideles pascuntur, roborantur, animantur, vt eam fidem Christo in diuinissimo altaris sacramento latenti publicitus nec Reges & Cæsares vereantur præstare, & reuerentiam exhibere, quam illi puero in terris tam aliena in specie vt Deo cultum adhibuerunt.

Ildefonsus Giron.

effectus veræ fidei. S. Chrysost.

Rupertus.

CAPVT XXIII.

Christus in SS. Eucharistia præsens exemplo Magorum credendus & adorandus.

peruicacia Caluinistarum.

QVotquot heterodoxorum è Caluini scholâ credere nolunt Christum in SS. Eucharistia præsentem, confundantur & erubescant Regum istorum inspecta supplici pueruli adoratione & fide tam certa diuinitatis considerata: quis enim non iudicet æquius & certius Christo disertis verbis asserenti, se sub speciebus panis & vini contineri: quam stellæ monstranti puerum vagientem esse Deum? Quid difficilius creditu Gentilibus & Regibus sapientissimis, quam immensum matris gremio comprehendi, æternum in tempore generari, immortalem subdi mortis imperio, sapientiam infantem: omnipotentiam ligari fascijs, Regem gloriæ & Deum omnium rerum conditorem pueri egentissimi, despectissimi & vilissimi formâ contineri? nec tamen Reges hæsitarunt fide, vt Deum supplices adorarunt: vt Regum Regi sceptra submiserunt: vtinam nouatores nostri horum attentè fidem, & Christi sacrâ Eucha-

ex fide Magorum.

ristiam

ristiam instituentis verba ponderarent, & errore dimisso Ecclesiæ se orthodoxæ adiungerent: in quorum gratiam colligam SS. Patrum dicta, qui ex hoc loco Christi fideles ad fidem & cultum sanctissimi illius sacramenti solent inflammare.

reprehenditur à SS. Patribus.

S. Chrysostomus sæpius hinc capit occasionem suos stimulandi auditores. *Hæc*, ait, *mensa vicem explet præsepis, in quo natus est Christus: nam & hic ponitur corpus dominicum: non quidem fascijs inuolutum, sed vndique Spiritu Sancto contectum.* *S. Chrysost. ser. de S. Philogonio. to. 2. l. cor.*

Et alibi. *Hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & viri impij ac barbari: tu non in præsepi, sed altari: non mulierem, quæ in fascijs teneat, sed sacerdotem præsentem & Spiritum super proposito sacrificio abundè diffusum vide, excitemur ergò, horreamusque, & maiorem quam barbari illi prænobis feramus pietatem.*

Idem conqueritur quòd Christus fons omnis gratiæ in templo sub diuinissimo sacramento deseratur, & solus ferè relinquatur ho. 7. de hoc festo. *Ex hac mensa spiritualium emanat fons bonorum, & hanc tu statim relinquens curris ad theatrum, & sedentem iuxta donorum cœlestium fontem Christum relinquis? nam & modo super fontem sedet, non vnam Samaritanam? sed vniuersam alloquens ciuitatem: forsan & nunc Samaritanæ tantum loquitur: nam & nunc nullus ei adsistit, nisi quod alij solis quidem adsint corporibus, alij vero nec ipsis quidem corporibus: attamen ipse non recedit, sed manet, & à nobis postulat potum non aquam, sed sanctimoniam: sanctis enim Christus, sancta distribuit. Non enim aquam de hoc nobis fonte largitur, sed sanguinem viuum: qui quamquam mortis dominicæ symbolum sit, nobis tamen causa sit vitæ: tu vero relinquens huius sanguinis fontem, calicemque reuerendum, ad diabolicum illum fontem festinans accurris, vt naufragium patiaris.* *hom. 7.*

Monet ibidem, ne quis indignè præsumat diuinissima tractare mysteria, eos enim Herodi comparat. *Caue*, ait, *ne Herodi efficiaris similis, & dicas*; vt & ego veniens adorem eum: *cumque veneris, interimere coneris, huius etenim similes sunt, qui indignè mysteriorum consortes sunt: reus est enim inquam iste corporis & sanguinis Domini: qui enim huiusmodi sunt, habent in se tyrannum, regno Christi iugiter inuidentem, longè sane Herode illo nequioream, mammonam scilicet: hic enim tenere imperium gestit, suosque cultores, qui adorantis quidem speciem præbent, iugulant autem inter adorandum: itaque timeamus, ne quando speciem supplicum atque adorantium gerimus, opere contraria exhibeamus. Igitur adoraturi Christum cuncta proijciamus è manibus, si habeamus aurum offeramus illic.* indignè communicantes Herodi similes.

Et hic quidem colendi Christi modum in SS. Eucharistia tradit; S. Hilarius verò eandem fidem suscitat. *Aliud intelligitur, aliud videtur, aliud oculis, aliud animo conspicitur: parit virgo, partus à Deo est, infans vagit, laudantes Angeli audiuntur: panni sordent, Deus adoratur. Ita in Eucharistia panis species conspicitur, sed Christi corpus, ipse etiam Christus Deus & homo adoratur.* Et S. Gregorius Nazianzenus. *Cur tu ad id quod oculis cernitur impingis, nec spectas id, quod animo & intelligentia percipitur: fascijs quidem inuolutus est: verum sepulturæ fascias reduuius excussit: in præsepio reclinatus est: ceterum ab Angelis celebratus est, & à stella proditus, & à Magis adoratus.* *S. Hilarius. lib. 1. de Trinitate.* panis species hic est, non panis. *orat. 3. de Theologia.*

Sed nouatores nostros iam olim præclarè S. Basilius & Ephrem vehementer redarguerunt, dum nimis curiosè potentiam Dei & modum perscrutantur; *O abs surdam*, ait S. Basilius: *& prauum hominum ingratitudinem! Magi adoratum veniunt, & Christiani curiosius quærunt, quomodo in carne Deus sit, & quali carne? & an adsumtus homo perfectus sit, an imperfectus: taceant curiosi: & in Ecclesia Dei superuacanea inuestigare desistant: laudentur quæ nobis concredita sunt, vt de quibus ratio omnino non redditur, ne vestigentur.* Copiosius S. Eph- & vehementius. *Non expauescis miser non stultè terreris? qui te ipsum nescis; creatorem explorare præsumis? Quis talem non exsecretur audaciam? Deus & Dominus vnigenitus Patris in excelsis ad dexteram Patris residet; Angeli, Archangeli, Cherubim & Seraphim cum metu & tremore adstant, illi pressis deorsum cum horrore reuerentur obtuitibus, ciais autem ac puluis in terra sedens scrutatur opificem: Cherubim prope solium* Reprehenduntur Hæretici curiosi *à S. Basilio serm. de Epiphan. in fine.* & S. Ephrê;

gloriæ sub alis suis contegit faciem, neque in illam maiestatem infigere lumina sustinet: homo autem terrenus & luteus, qui se ipsum & mortis suæ tempus ignorat, Dominum omnium conditorem perscrutatur? siquidem fidei oculus cum in corde cuiuspiam claræ & liquidæ lucis instar effulserit, purè quoque & sincerè Dei agnum contemplatur, qui pro nobis occisus & immolatus est: donauitque nobis corpus suum sanctum & immaculatum, vt iugiter eo vescamur: hunc fidei oculum qui possidet manifestè ac lucidè intuetur Dominum, & certa plenissimaque fide sanctissimum agni immaculati vnigeniti filij cœlestis patris corpus manducat, ac sanguinem bibit, haud quaquam curiosè diuinam, sanctamque fidem perscrutans. Esto igitur fidelis atque innocens, participa immaculatum corpus & sanguinem Domini tui fide plenissimâ, certus quod agnum ipsum integrum comedas, ignis immortalis sunt mysteria Christi, caue ea temerè scruteris: ne in ipsorum participatione comburaris.

Quid respondendū Hæreticis

Sed Nouatoribus nostris nec posse quidem à Deo corpus suum eo modo dari negantibus ingeri debet: si Christus non carnem suam, sed vt ipsi volunt symbolum instituere tantum voluit: cur tam expressis verbis de corpore non de symbolo indicauit? cur videri tantum voluit esse corpus quod traditur; & sanguinem, qui funditur, si nec corpus nec sanguis erat, sed symbolum & figura? Cur Apostolus clamat manducantem indignè reum fore corporis & sanguinis Domini, si non corpus manducat, nec sanguinem bibit? cur videri vult fieri, quod fieri nullo modo vult? imò vt ipsi blasphemè dicunt, quod facere nec potest? Denique cur tantum, tam magnum & longum errorem Deus tot modis suo verbo, Ecclesiæ vtu, miraculis, & Martyribus ratum esse voluit, atque ab omnibus credi; si esse in Eucharistia noluit? Facessant igitur Hæreticorum nugæ, & scrutationes curiosæ superuacaneæ: Christo dicenti credatur: potuit ibi esse, voluit ibi esse, quia dixit, ibi se esse, & id credi tantopere voluit.

CAPVT XXIV.

Et procedentes.

PRIMVS hic actus est externus, è fide incensa interiore promanans, genuum, imò totius corporis & vultus in terram submissio, index animi & veræ demissionis, calcato fastu & arrogantia, qua se velut mancipia quædam nouo recens inaugurato Regi Persarum more subdiderunt:

2. Par. 6.

De Salomone scriptura dixit, quod *genibus flexis, & palmis in cælum leuatis* Dominum sit deprecatus: at de SS. Magis Euangelista Græcè πίπτοντες inquit, prostrati tam corpore, quam animo: nam animi subiectionem summam, corporis inclinatione maxima, Persarum, & Orientalium nationem instituto declarabant; sicut & de Iudæis post Salomonis preces scriptura testatur, cum ignem vidissent cœlo lapsum holocausta depascere, *& corruentes proni in terram super pauimentum stratum lapide adorauerunt, & laudauerunt Dominum.* Quod Angeli coram illa maiestate faciunt, cum facies velant, nec audent oculis coram intueri, Reges ipsi præstiterunt, vultu in terram demisso, ore humum complectentes; vt indicarent iam spreta mundi gloria toto se pectore amplecti sui despicientiam contemtum & crucem amore Christi, mundi vilissima pro delitijs eligentis. *Docet*, ait Regius: *nos præsens sanctorum Magorum exemplum, vt si Christus nobis in votis est, qui est vera gloria, mundi gloriam, quâ nihil fugacius, despiciamus omnino. Sic sapientissimi illi Reges diuino spiritu illustrati post exactos longæ peregrinationis labores, in vno Christo spectando, omni honore prosequendo, omni affectu amplectendo toti fuêre: Quare deijciunt sese regio diademate posito, totoque corpore humi prosternunt, tantum impuerum apertis fidei oculis, intendunt, eiusque paupertatem, & quæ cum ea & cruce coniuncta sunt, exosculantur & amplectuntur. Multi sunt qui Christum fatentur Redemtorem, adorent, extollant; sed pauci, qui cum Magis ita Christum quærant, vt eum vnicum vitæ, & peregrinationis suæ scopum spe-*

Persarum adoratio. & Iudæorum. imitantur Angelos.

& Christū *Regius lib. 1. c. 10. diges. 3.*

Christi crucē complectūtur.

spectent, & rebus omnibus abiectis, cum sui despicientia, cum paupertate, cum cruce toto pectore complectantur.

Et hæc quidem corporis totius prostratio cultus diuini fuit & latreutici argumentum: vnde dæmon Matth. 4. hanc ipsam petebat à Christo corporis totius submissionem, *Hæc omnia*, ait, *tibi dabo, si cadens adoraueris me.* & in veteri testamento cum diuinos honores erecta statua Nabuchodonosor arrogaret sibi, edixit omnibus; *cadentes adorate statuam*: id quia tres pueri detrectabant, in fornacem missi Babylonicam, diuino tamen auxilio medijs in flammis incolumes & sani Deum laudantes perstiterunt. Rectè Hector Pintus *Qui diabolum colunt, cadere dicuntur: viri fide muniti, & caritate præditi, Deum colentes, in faciem suam cadebant, vt summam erga illum reuerentiam demonstrarent* Gen. 17. *Abraham enim viso Domino cecidit pronus in faciem suam: in eo enim diuinum quoddam fidei lumen priscis illis temporibus mirabiliter eluxit & Ezechiel sapientiæ ac virtutum ornamentis excultus, qui omne studium ad Dei gloriam celebrandam conferebat, cum Deum in animalium visione intueretur, cecidit in faciem suam, vt ipse c. 2. testificatur: Et Magi Orientales inuenientes puerum Iesum cum Maria matre eius, procidentes adorauerunt eum: prædixerat hoc Isaias c. 49. Erunt Reges nutritij tui, vultu in terram demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Et Psalmista 71. ps. coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Curtius vult Alexandrũ cum se Iouis haberi filium vellet, mandasse summam illam corporis inclinationem. *Itaque*, ait, *omnibus præparatis, quod olim praua mente conceperat, nunc esse maturum, quonam modo cœlestes honores vsurparet, cœpit agitare, Iouis filium non dici tantum se: sed etiam credi volebat, tanquam perinde animis imperare posset, ac linguis: Itaque more Persarum Macedones venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora.* Sed frustra Macedones aggressus, nemo eum prostrato corpore voluit adorare: *Nemo*, ait Curtius: *illorum quidquam ex patrio more labare sustinuit*: Et Reges nostri puero infanti, & egeno non aduoluuntur tantum genibus, vt prædictum: *Mihi curuabitur omne genu*: sed etiam vultu & mento terrã feriunt. Quem morem Persarum, cum is honos præsentibus Macedonibus Alexandro exhiberetur, falsè sic lusit Polypercon: *Cum venerantibus*, ait Curtius, *vnum ex his mento contingentem humum, per ludibrium cæpit Polypercon hortari, vt vehementius id quateret ad terram: elicuitque iram Alexandri. Itaque Rex tu autem non veneraberis me, an tibi vni digni videmur esse ludibrio?* Hoccine illud est, quod lingere Propheta nominat? nec illud Reges infantulo præstare erubuerunt. Profecto si Macedones adduci nunquam potuerunt, vt Regem Alexandrum eo cultus genere prosequerentur; imo qui etiam præsente & indignante ac fremente contra eos Rege cauillis Regem & risui cultores eius habuerunt: quomodo non iure mirandum, hos ipsos Reges vltro tantum submissionis puerulo tribuisse? *O felicissimi Reges (non victi vt Persæ ab Alexandro*, (rectè miratur Bernardinus) *cui prociditis, quem adoratis? fallimini: vbinam regalis custodiæ satellitium? vbi aula, cortinæ, vbi thronus, vbi diadema regium? pro custodia bestias video: pro throno stabulum, & præsepium; pro ostro & purpura pannos, pro diademate paleas. Quis est iste Rex Iudæorum pauper & diues, humilis & sublimis; paruulus & immensus, vilis in pannis pretiosus in stellis*: appositè quæstioni & admirationi respondit S. Leo: *ô perfectæ scientiæ mirabilem fidem, quam non terrena sapientia erudiuit, sed Spiritus S. instituit, viderunt & adorauerunt puerum, quantitate paruulum, opis alienæ egentem, fandi impotentem: & in nullo ab humanæ infantiæ generalitate dissimilem: quia sicut fidelia erant testimonia, quæ in eo maiestatem diuinitatis asserebant, probatissimum esse dicebant Verbum carnem factum & sempiternam illam essentiam filij Dei hominis veram suscepisse naturam.*

signum hoc cultus latriæ.

3 *Danielis.*

quomodo is differat à diaboli cultu.

latria Abrahami Ezechielis.

SS. Regum

Curtius l. 8. n. 6.

Alexander expetit hanc adorationem.

Macedones constanter renuun.

ridentque eos qui præstant homini quod soli Deo conuenit.

Hoc nimirum erat, quod Reges ipsos impulit, vt honorem deferrent egeno infantulo quem Macedones habere Regi suo Alexando noluerunt. *Procidentes igitur*, ait Innocent. 3. *Reguli ante Regem, Magi ante Magistrum, adorauerunt serui Dominum, homines Deum: sed magni paruulum, imò verius parui magnum: erat enim hic puer ille, de quo prædixerat Isaias* 9. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius ad-*

admirabilis conciliarius, Deus fortis, pater futuri seculi princeps pacis.

Quam verendum, ne nobis Christus exprobet, quod Polyperconti obiecit Alexander, *tu autem non veneraberis me? an tibi vni digni videmur esse ludibrio?* Angeli velata facie coram me contremiscunt: Reges adorant genu flexo; cœlites supplices venerantur: homo mortalis audeat dum immolor in altari; ridere, garrire, oculis lasciuere? vtinam non etiam nobis in tartarum deiectis falsè sicut in terram deturbato Polyperconti insultans ingerat. Cubabat super Regem Polypercon, quem Alexander deiectum lecto præcipitat in terram: & cū is pronus corruisset, *Videsne*, inquit, *idem te feciſſe, quod in alio paulo ante ridebas?* Credere facit Deus dœmones etiam in tartarum deuolutos diuinam maiestatem: eam contremiscere & iustitiam vindicem, quam excutere nequeunt, inuitos pati, & patiendo agnoscere & confiteri: caueant, qui in templo Deo nolunt submittere genua, ne prostrati in tartaro cogantur experiri & fateri illam infinitam Iudicis potestatem; & seueritatem.

at hominū impietas in templo.

Curtius ibidem.

digna flammis.

CAPVT XXV.

Reges hi verè sapientes facti sunt stulti apud homines.

quæ sit sapientia carnis & mundi. *S. Bernard. ser 9 in parvis. Rom. 8. & 1. cor. 3. Jacob. 5.*

Est sapientia quædam carnis & mundi, inimica Deo, pestis animæ, vera, si iuxta rationes æternas consideretur, stultitia, quâ terrena cœlestibus; caduca sempiternis, creata diuinis bonis & rebus anteferuntur, quam ex scriptura sic depingit S Bernardus: *Dicitur sapientia carnis, quæ inimica est Deo, & sapientia huius mundi, quæ stultitia est apud Deum*, vtraque illa secundum Apostolum Iacobum terrena est, animalis, diabolica.

Iob. 5.

Hæc sapientia Magistra nequitiæ, fraudis, & omnis improbitatis: suos reddit discipulos sapientes, *vt faciant malè, bene autem facere nesciunt*. sed erit cum decepti vana spe, diuinæ iustitiæ manus vltrices non effugient: sic ijsdem minitantis. *Comprehendam sapientes in astutia eorum, & perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.*

Christus vera sapientia. *Iacobi 3. 1. cor. 1. 31.*

Quamuis in hac mortali vita, dum secundante fortuna votis suis quandoque potiuntur, soli sibi sapere videantur. Diuinior est alia *sapientia, quæ desursum est: hic est Christus Dei virtus, & Dei sapientia: qui factus est nobis sapientia à Deo & iustitia, & sanctificatio, & redemtio.*

Hauenatā & corporatamquærunt Magi inueniunt.

Docti sibi Reges antea videbantur, humanis omnibus scientijs Philosophicis & naturalibus instructissimi, inde nomen duxerant, quo magis quam titulo regio commendantur. Audierant natam esse sapientiam corporatam, auidi placita eius cognoscendi, iter arduum & difficillimum iniquissima tempestate anni stella duce ingrediuntur, & post mille pericula superata tandem feliciter eius optato conspectu perfruuntur: noua vident, inusitata, nec audita hactenus: Regem maiestatis in stabulo; Deum inter pecudes abiectum, vilem, despicatissimum: & insusurrari suis audiunt, auribus. *Hæc est vera sapientia, sui ipsius despicientia: non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: hæc via sapientiæ, ambulate in ea.*

docentem audiunt. *Ro. 12.*

Audiunt & obediunt, vident filij Dei demissionem, imitantur: procidentes ilico sui contemtum profitentur: caduci iam honores, fastus & gloria desipit, cum Dei filius sic inglorius in stabulo dilitescit: pœnitet iam præteritæ superbiæ, sordent sceptra; sola cœlestis vitæ futura bona concupiscunt: Hæc vera apud Deum sapientia, licet hominibus esse stultitia videatur, verè sobria dicitur, & à mellifluo Doctore eleganter describitur. *Sobria siquidem sapientia est in pœnitudine peccatorum præteritorum, in contemtu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum: inuenisti planè sapientiam, si prioris vitæ peccata desleas, si huius seculi desiderabilia pauipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Inueniſti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt, prout sunt, vt hæc quidem amara & fugienda; ista quoque velut caduca & transitoria contemnenda: illa verò vt perfecta bona, tota appetenda desiderijs, intimo quodam mentis sapore diiudices, & discernas.*

imitantur.

S. Bern. ser. exprou. Beatus, homo qui inuenit sapientiam.

descriptio veræ cœlestis sapientiæ.

Illi illi Reges, qui nuper in omni rerum abundantia solas in amoribus carnis illecebras, & incentiua vitiorum habebant, omnem in gloria, regiaque maiestate felicitatem esse sitam existimabant, nihil de futuris post mortem siue præmijs, siue supplicijs soliciti: viso tantummodo Dei filio rigente media hieme toto corpore, illacrymante ocellulis, contremiscente toris tenellis artibus, iam aliam docti sapientiam, vitæ suæ præteritæ licentiam, delicias & omnem mollitiem exsecrantur: honoris insignia, titulos & famulorum obsequia despiciunt, horrent iam futura, & sola tartari supplicia, sola cœlestis vitæ præmia concupiscunt: horum omnium indicem externam adhibent corporis in terram abiectionem; hac contestantur omnibus, illos se viles pannos pueruli, illam egestatem & despicatum filij Dei plus omnibus vitæ commodis, honoribus & delicijs adamare, suspicere, amplecti, exosculari. Rideat, & derideat mundus istam, vt appellat stultitiam, sola & vera hæc est è cœlo hausta sapientia, sui ipsius despicientia.

eam exercent sanctæ Reges.

Obstrepant Magis nostris proceres & palatini molliores: obganniant satellites. *Quid facitis ô Magi, quid facitis? lactantem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergone Deus est iste? Deus certè in templo sancto suo; Deus in cœlo sedes eius; & vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio? quid facitis quod & aurum offertis? Ergo Rex est iste? & vbi aula regia? vbi thronus, vbi curiæ cœlestis frequentia? Nunquid aula est stabulum? thronus præsepium, curiæ frequentia Ioseph & Maria? Quomodo ita insipientes facti sunt sapientes, vt adorent paruulum despicabilem tam sua ætate, quam paupertate suorum? Insipientes facti sunt, vt fierent sapientes, & prædocuit eos spiritus, quod postea prædicauit Apostolus: Qui vult sapiens fieri, stultus fiat, vt sit sapiens. Quia enim per sapientiam mundus in sapientia sua Deum cognoscere non poterat, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos fieri credentes.* Videas hic gratiæ cœlestis efficacitatem: quam subito commutet cor, affectus desideria & propensiones hominis? Vt enim si rubrum oculo vitrum obieceris, omne quod in sensum visus incurrit, licet niue candidius sit, iam purpureo tinctum colore iudicatur, mutata rerum omnium scena, colores, & adspectus existimantur, cum non res ipsæ, sed sola videndi ratio & conspicilium sit variatum: ita qui modo cœlesti quodam vti cœperunt perspicilio sapientiæ, prout erant res omnes, sic eas ponderabant: mutare iam de rebus ipsis caducis æstimationem, singula iam suis librare momentis, ideo contemnere, quæ prius alta & summa iudicabant, falsa decepti imagine, & iudicio, colore certo vitiato; amare iam vilia, quæ Dei filius ipsa Patris sapientia monstrabat amplectenda præ delicijs.

Obstrepente comitatu. *S. Bern. ser. 1. de Natiu.*

simile á rubro conspicilio.

iudicant nunc de rebus, vt Christus.

Pergit itaque sanctus Bernardus: *Nonne timendum erat, Fratres, ne scandalizarentur viri isti, & illusos se crederent, eum tam indigna viderent? à regia ciuitate, vbi Regem quærendum coniectabant, ad Bethlehem villam paruulam diriguntur: ingrediuntur stabulum, inueniunt inuolutum pannis infantulum; non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia; procidunt, venerantur vt Regem, adorant vt Deum.* Causam nunc audi tantæ in Regibus mutationis. *Sed profecto qui illos adduxit, ipse & instruxit, & qui per stellam foris admonuit ipse in occulto cordis edocuit.* Ille nubem remouit ab oculis, vitrum coloratum à rebus, vt quælibet in se ipsa suis vestita coloribus clarè videretur, adeoque caduca præ æternis, terrena præ cœlestibus, humana præ diuinis ne adspicienda quidem. Tunc verè dici Magi sapientes, & Magistri Reges istu potuerunt, cum diuina donati sapientia rem quamuis suis momentis cœperunt æstimare: cum exemplo Dei filij demissionem animi præ fastu regio, paupertatem præ diuitijs, corporis afflictationes præ delicijs adamarunt. *Quomodo*, belle ait Bernardus: *non humiliaretur homo, coram humili Deo?* Hic erat citharœdus & fidicen, qui tam scienter pulsabat neruos: vt ad eius

ser. de Epiphan.

saltant ad numeros Christi.

numeros non erubuerint Reges subsilere: Dauidis instar saltitantis coram arca vt vilis haberetur: concinnè vsurpat hanc similitudinem Didacus Vega *Si hominem*, ait, *eminus videtis saltantem, & membra agitantem, furiosum arbitramini, & miramini motuum gestuumque corporis celeritatem, atque dicitis, procul dubio delirat iste. Quare propius acceditis: sed vbi audœdi resonantem cytharam audieritis: tum demum eum percipitis ad numeros saltitare. Ita Sancti patrabant ludrica, & quæ amentiam referrent: omnes eorum cernentes opera tenebat stupor, dicebantque, qui hoc fit? id minimè suspicabar. Spinas & tribulos S. Benedicti, cumulos niuis S. Francisci, saxum S. Hieronymi, vinculum & catenas asperas S. Dominici, quis non admiretur? at si propius accesseris, audita interius suaui Spiritus Sancti emodulatione, perceptis inspirationibus diuinis, lumine, quo irradiantur; auxilio efficaci, quo præueniuntur, deposito pristino errore admirari desines, & merito talia præstare ipse asseres.* Postea Regum nostrorum sanctam insaniam, imo cœlestem sapientiam ita speculatur. *Quis*, ait, *non stultitiam reputet, sanctorum Regum horum labores? mittunt patriam, & regna sua solo instinctu & irradiatione stellæ, de qua prædixerat Balaam: orietur stella ex Iacob, nescientes quo pergant, quoue teneant iter, excedunt patria & regionibus suis, & prouinciam arduam sanè & multis circumseptam laboribus aggrediuntur. Quærunt Regem nouiter natum, in extera regione, in qua regnabat alius; ingrediuntur Ierusalem, rumoribus omnia complent, populum terrent aperta voce, quærentes vbi est, qui natus est Rex Iudæorum. At re penitius inspecta, & maturius considerata, cognita ratione, quam assignant, vidimus stellam eius in Oriente, perceptoque, quod potissimum spiritu Dei agerentur, ipsorum aduentus occasio elucidata, & stuporis nostri causa eneruata manebit:* Breuitatis amor vetat ire per singula, quæ mundo videntur stulta in Regibus: in Christo autem, quæ Iudæis maxime displicuerint, vt eius inter pecudes abiecerint infantiam, quæ sceptris regijs nostri præposuerunt: hæc addit Vega. *Cum spinis circumseptum inuenissent (Iudæi) Deum, & inter densa nemora, inter afflictiones, abiectionem, contemtum, paupertatem constitutum, pauperibus & abiectis parentibus natum, filium fabri reputatum, scandalizati sunt, & ipsius adhærere vestigijs destiterunt. Quocirca ô beatos Reges, qui ne in minimis quidem vacillatis, qui in nullo offendimini: quos non conturbauit nascentis humilitas, paupertas, despectus, neque loci, in quo nascitur vilitas.* Facti sunt Reges nostri exemplar Principum Christianorum: qui hanc etiam Christi paupertatem omni ducunt gaza regia ditiorem: præsepe ligneum quouis aureo throno pretiosius: hos pannos Saluatoris quauis purpura nobiliores: hisce genibus incuruatis aduoluuntur fastu posito regio, vt liceat exosculari, quem honorem nec sceptris vel diademati tribuunt? Sic crux etiam Christi contemtu, ludibrio & sanguine nobilitata, iam longè quouis apparatu regio solet præstantior & honoratior esse Christianis. Ita *quæ stulta mundi* sunt *Deus elegit, vt confundat fortia.* Imo ipsi iam fideles eos, qui magna despiciunt exemplo Christi verè magnos arbitrantur, contra viles, qui laudes vel honores aucupantur. *Nullo pacto*, ait S. Chrysostomus: *metuas, quasi tollatur honor tuus, si te ipsum humiliaueris, hic enim amplior, & præstantior redditur: si enim voluerimus magni ac admirabiles videri, non modo tales non erimus: verum etiam ceteris omnibus abiectiores futuri sumus. Quare si magnus vis esse, hæc ipsa contemne, & eris profecto magnus; illud enim, quod tu maximum putas, minimum omnium est.*

Didacus Vega ser. 1. de Epipha.

Reges Magi in quibus mundo stulti videbantur.

to. 66. in Matth. Honor fit amplior ab eius despicientia.

CA

CAPVT XXVI.

Humilitatem Christi nascentis Reges sunt imitati.

ANVTILIS est, licet cœlitus immissa sit cognitio de stulta mundi prudentiâ in aucupandis honoribus, & contectandis opibus : & de verâ Christi sapientiâ in ijsdem declinandis, suique ipsius despicientia : & humilitate, nisi contingat eandem opere exercere : cum vna sit ad humilitatem via humiliatio ; quæ non in consideratione sed exercitatione collocatur. Sed *Quomodo*, ait S. Bernardus : *non humiliaretur homo, coram humili Deo?* Christus exemplo suo docet humilitatē

Plus verbis exempla possunt ad persuadendam humilitatem : exempla dico præstantium, nobilium, & prudentum virorum, exempla Regum & Principum : hos æmulari gloriosum omnes ducunt. Epaminondæ Thebanorum Principi cum supremo abiret Magistratu vilissimum fuit, vrbis ni fallor expurgandæ munus imperatum : perfecit id ipse ea dignitate, & accuratione, vt exinde nullum in ciuitate honoratius haberetur : & omnes deinceps summis defuncti magistratibus ambitiosè eidem officio inhiarent. Sic pannos, stabulum, præsepe, reliquaque mundi retrimenta & contemtum mortales negligebant, in postremis numerabant : pretium illarum sola Dei sapientia nouerat : quæ cum filius Dei verus Rex gloriæ, velut regni sui decora & ornamenta sibi seposuisset, Reges nostri viso sic contemto Domino, cum posteris velut honoris insignia circumferre voluerunt. *Quomodo enim non humiliaretur homo, coram humili Deo?* Requirebant humilem Deum Magi nostri, non in purpura ; sed in pannis & fascijs : non illi diuinitus afflati Herodem, non Herodis filium fastu tumentes, gemmis fulgentes, sceptro & diademate conspicuos ; sed puerulum & infantulum in stabulo & præsepio verum nihilominus Deum hominem, & Regem gloriæ requirebant, veram Patris & æternam sapientiam, qua magistra discerent animi demissionem. Epaminondas fecit honoratissimum munus, quod fuit abiectissimum. & Christus quē Reges imitantur.

Magi, ait S. Augustinus : *veniunt ab Oriente, Regem Iudæorum requirentes, qui tot Reges Iudæorum nunquam quæsierunt : requirebant autem non aliquem viribus ætatis grandæuum, humanis oculis in excelsa sede conspicuum, exercitibus potentem, armis terrentem, purpura nitentem, diademate fulgentem, vel de cruce sibi exsultantem, in qua diuersos Martyres redimeret confitentes, vel ab inferis resurgentem, aut in cœlos adscendentem ; sed recens natum, in cunis iacentem, vberibus inhiantem, nullo ornatu corporis, nullis membrorum viribus, nullis parentum opibus, non sua ætate, non suorum potestate præstantem. Quomodo non humiliaretur homo coram humili Deo,* tandem inuento, sic abiecto, sic contemto, sic omnia terrena conculcante? Ita nasci voluit, ita viuere, ita mori, vt ostenderet *regnum* suum *non esse de hoc mundo* ; sed cœleste : ad quod paupertate non diuitijs ; humilitate, non fastu, contemtione non inani gloria ; corporis afflictatione, non carnis lenocinijs peruenitur. Miratur Sanctus Chrysostomus, quomodo Magi isti Iudæorum illum Regem ex stella didicerint, cum certè non istius regni Rex esset, sicut etiam ipse Pilato respondit *Regnum meum non est de hoc mundo: nihil quippe tale monstrauit: quale mundi huius Reges conuincimus ; neque enim hastatas ille atque clypeatas ostendit militum cateruas, non equos regalibus phaleris insignes, non currus auro ostroque fulgentes ; non enim istum, nec aliquem similem ornatum circa se habuit, sed vilem prorsus hanc vitam egit, ac pauperem, duodecim tantummodo homines eosque despicabiles secum circūducendo.* Hoc filij Dei exemplum ita Reges adspectu primo permouit, vt prostratis in terra corporibus, ipsam si possent sub humum se parati essent dimittere, dummodo tantā aliquā

S. Aug. ser. 66. de diuers.

S. Chrysost. ho. 6 in 2. Matth.

plus exempli vis quã miracula & eloquentia persuadet. *S. Leo ser. de Epipha.*

ratione Dei filij submissionem possent imitari. Plus sane Reges ista virtus, quam Iudæos innumera Christi miracula permouerunt: parum apud ipsos tot fidei præcones Apostoli: parum ipsius Christi cohortationes diuinissimæ potuerunt: Nihil apud Pharisæos nati cæci curatio, nihil Lazari resuscitatio: nil ipsa Christi valuit anastasis. Miratur illam adspectus tam rari & inusitati exempli vim & efficientiam Sanctus Leo, cunctis prodigijs potentiorem. *Quocirca*, ait, *nec immerito, cum tres Magos ad adorandum Iesum noui sideris claritas deduxisset, non eum imperantem dæmonibus, non mortuos suscitantem, non cæcis visum, non claudis gressum, aut mutis eloquium reformantem, nec in aliqua diuinarum virtutum actione viderunt; sed puerum silentem, quietum, & sub matris solicitudine constitutum; in quo nullum quidem appareret de potestate signum; sed magnum præberetur de humilitate miraculum. Illa igitur species sacræ infantiæ, cui se Dei filius aptarat, prædicationem auribus intimandam, oculis ingerebat: & quod adhuc vocis non proficiebat vsus, visionis iam docebat effectus.* Dociles Christus nactus erat discipulos, & non discendi magis, quam agendi cupidos; qui vt eius prototypon disciplinæ Christianæ mansuetudinis & submissionis lineamentis expressum adspexerunt, ilico suis se ei conformare moribus & vita studuerunt: hoc enim fine Dei filium sciebant è cœlo ad terram descendisse, vt claram viæ cœlestis doctrinam exemplo potius nos, quam verbo doceret. *Tota itaque*, pergit S. Leo: *victoria Saluatoris, qua & diabolum superauit, & mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta: dispositos dies sub persecutione inchoauit, & sub persecutione finiuit; nec puero tolerantia passionis; nec passuro defuit mansuetudo puerilis; quia vnigenitus Dei sub vna maiestatis suæ inclinatione suscepit, vt & homo vellet nasci, & ab hominibus occidi: si igitur omnipotens Deus causam nostram nimis malam humilitatis beneficio bonam fecit, & ideo destruxit mortem, & mortis autorem, quia omnia, quæ persecutores intulerunt, non renuit: sed obediens patri crudelitates sæuientium mitissima lenitate tolerauit: quantum nos humiles, quantum oportet esse patientes, qui si quid laboribus incidimus, nunquam nisi nostro merito sustinemus? Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato?* Concludit deinde totum hoc argumentum: *Vnde tota dilectissimi Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi: neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vna & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus Iesus ab vtero matris vsque ad supplicium crucis pro omni fortitudine elegit, & docuit.*

totaChristi doctrina consistit in hũilitate.

Hoc cum Spiritus Sancti affatu scirent Reges nostri, & pueri adspectus eos ad imitationem prouocaret, sic accensi sunt virtutis eiusdem desiderio, vt culmen eius attigisse videantur: & iure sancti Patres in eis apicem humilitatis suspiciant: ad quorum exemplum posteri Gentiles ita se conformarunt, vt palmam submissionis præriperent Iudæis, si sancto Augustino credimus. *Veruntamen*, inquit, *illi* (Pastores) *Deum ex eo, quod Christum viderunt, laudauerunt; isti autem* (*Magi*) *visum Christum etiam adorauerunt: in illis gratia prior: in istis humilitas amplior: hæc est illa humilitas, quam plus, in illis, qui ex Gentibus erant, quam in Iudæis diuina scriptura commendat. Ex Gentibus erat ille Centurio, qui cum Dominum in toto pectore suscepisset, se tamen dixit indignum, vt in domum eius intraret. Hæc est illa humilitas, qua inseri meruit oleaster in oliuam, & oliuam dare contra naturam, eamque meruit mutare per gratiam.* An maius humilitati dato præmio potuit exoptari, vt ea in Regibus, & posteris dicatur meruisse eam factam à Iudæis ad Gentiles Ecclesiæ translationem? Nonne Iudæi velut peruicaces, duræ ceruicis, à Deo & lege desciscentes penitus sunt repudiati: quia Dei filium in propria venientem non receperunt, exosi tantam eius paupertatem & vilitatem: quin & Herodi mactandum obtulerunt: Reges verò Gentilium sceptris abiectis, in genua prouoluti, vultuque terram ferientes, vt Deum adorarunt. Quam promtè, quam hilariter Reges illi fastum, animos & spiritus regios isti maiestati sic abiectæ submiserunt, cuius eam

Reges ea superarunt Iudæos.

S. Aug. ser. 64. de diuersis-

humilitate facti sunt ecclesiæ progenitores.

eam Principes Iudæorum Herodis amore neci destinarent? scilicet cum arduis velut cœlestes aquilæ nidum defixerant, cum Angelorum se choris credebant in cœlis adsistere Regi gloriæ, inde terrena cuncta, coronas & sceptra velut sordes & retrimenta mundi, vel etiam stercora cum Apostolo despiciebant. Cum aquilis iure Reges nostros contendo, quibuscum S. Gregorius D. Paulum & alios Sanctos comparauit ad illa verba. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? Videamus*, inquit, *aquilam, nidum sibi in arduis constituentem, quid ait, nostra conuersatio in cœlis est, & rursum, qui conresuscitauit, & considere fecit nos in cœlestibus. In arduis habet nidum, quia profecto in supernis figit consilium, non vult mentem in ima deijcere; non vult per abiectionem conuersationis humanæ in infimis habitare. Tunc forte Paulus in carcere tenebatur, cum se considere Christo in cœlestibus testaretur: sed ibi erat, vbi ardentem iam mentem fixerat, non illic, vbi illum pigra necessario adhuc caro retinebat.* Reges isti quamdiu suis in regnis à subiectis populis velut Dij quidam colebantur, aliquid esse, & supra sortem communem hominum elati & sublimes videbantur: nunc verò cum Dei filium sic abiectum nostra causa contemplantur: & cœlestes tamen exercitus ei velut Regi suo adsistere, melicis accinere vocibus, velare coram ea maiestate adspectum, iam non in terris: sed in cœlis se credebant residere gloriam illam infinitam contuendo: itaque & se ad terram, & si fieri potuisset, infra eam deprimere gestiebant; iam omnia caduca bona, quæ è cœli fastigio despicienti cum ipso terrarum orbe quantus quantus est, vnius instar puncti apparent, penitus sordent, vilescunt regna, quæcunque mortales inprimis numerant, cum Apostolo velut cœnum & lutum calcant & detestantur. Tantum est ex alto mundi semel vilitatem despexisse. Hæc est excelsitas animi & magnitudo, quam iure refert inter signa, quibus electi solent à reprobis separari. *In alto* scilicet *figere mentis aciem est mundi totius gloriam, vt sub pedibus fluxam & euanidam libenter & sæpius contemplari. Hoc namque*, ait, *esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt vitæ præsens iter capere, vt per spei certitudinem nouerint, iam ad alta peruenisse, quatenus cuncta, quæ præterfluunt sub se esse videant, atque omne, quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hoc enim est, quod sequenti se animæ Dominus per Prophetam dicit: Sustollam te super altitudines terræ: nam quasi quædam inferiora terræ sunt damna, contumeliæ, egestas, abiectio: quæ ipsi quoque amatores seculi, dum per latæ viæ planitiem ambulant vitando calcare non cessant: Altitudines autem terræ sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, diuitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatis, quæ quisquis adhuc per ima desiderija incedit, eo ipso alta esse æstimat, quo magna putat. At si semel cor in cœlestibus figitur, mox quam abiecta sint, cernitur, quæ alta videbantur: nam sicut qui in montem conscendit, eo paulatim cetera subiacentia despicit, quo ad altiora gressum amplius tendit: ita qui in summis intentionem figere nititur, dum adnisu ipso nullam præsentis vitæ gloriam esse deprehenait, super terræ altitudines eleuatur: & quod prius in imis desiderijs positus super se crediderit, post adscendendo proficiens sibi subesse cognoscit.*

Aquilis similes sunt. S. Greg. lib. 31. Mor. c. 19.

lib. 19.

& S. Paulo in cælis versanti.

humana omnia despiciunt.

Hoc signum prædestinationis.

quæ sint inferiora terræ. quæ altitudines. omnia cõtemnit: qui è cœlo despicit mundana.

Reges Magi in stabulo cor & animum defixerant, in scopum æternitatis velut in cœli fastigio spe & desiderio collocati: eos duplex rerum terrenarum genus retrahere nitebatur; inferiora & sublimiora terræ, inferiora quidem & seculares ipsi horrent, & conantur declinare: pijs verò cum ea Deus immiserit, amore cœlestium ea quandoque appetunt; & cum gaudio libenter amplectuntur: ita Magi dicuntur regnis relictis, egestatem amplexi, morte etiam pro Christo obita palmam martyrij meruisse; altitudines vero terræ vt terræ filij despiciant, ægrè adduci possunt: nam terrenis affixi rebus per sua dum desideria gradiũtur, vehementer suspiciunt mundi gloriam & honores & dignitates: quas dum in arduis, imo in cœlo nidum fixissent tres illæ aquilæ Orientales, penitus contemserunt, vt humano indignas ingenio, immortali subiectas animo: quæ viliora sunt, quam vt possint capacem dininitatis mentem satiare: quocirca nihil veriti iudicia suorum etiam asseclarum, vel aliorum hominum, vt despectum earum rerum monstrarent,

vltro se pedibus infantis egentissimi aduoluerunt, gloriosius de se, quam subiectis populis triumphantes. *Ametur igitur* (ait S. Leo) *humilitas & omnis à fidelibus vitetur elatio: alter alterum sibi præferat, & nemo quod est suum quærat; sed quod alterius; vt cum in omnibus abundauerit affectus beneuolentiæ, in nullo virus inueniatur inuidiæ, quoniam qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

S. Leo ser. 7. humilitas exercenda.

CAPVT XXVII.

Adorauerunt eum cultu latriæ.

Æthiopicus Reges hos non Magos sed *Adoratores* vocat; quia Gentilium primi tanto itinere venerunt, vt Christum Deum hominem adorarent.

Adoratores vocantur Reges.

Duo requirit adoratio vera hominis; exteriorem corporis submissionem (de quâ egimus) & mentis interiorem, ob excellentiam personæ cui exhibetur: vtraque recte Christo Deo homini præstatur, quia corpore & diuinitate nobis infinitis partibus antecellit; vt autem mentis perfecta fiat adoratio, vera sit oportet, & congrua maiestati, de quâ Christus. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Cultus verus fidei, spei caritatis, contritionis & religionis actibus continetur, Psalmographo teste: *holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Cauendum autem, ne prauus hæresios error decipiat adorantem, ideo veritatis etiam vox adhibetur, vt aduertit Theophylactus; *quia multi videntur adorare in anima, non tamen rectam habent scientiam, sicut Hæretici: ideo addidit & in veritate: oportet enim & mente adorare Deum, & sanam opinionem habere de ipso:* Habuere Reges veram Dei hominis fidem, quam congruis muneribus expresserunt, & affectum etiam mentis, amoris actibus & pietatis ardore significarunt.

Adoratio vera sine errore.

Ethiopicus in 2. Matth. init.

Iob 4. Ps. 50.

in 4. S. Ioannis.

Probat hanc cognitionis & fidei veritatem in ipsis S. Leo: *Consummant Magi desiderium suum, & ad puerum Dominum nostrum Iesum Christum eâdem stella præeunte perueniunt: adorant in carne verbum: in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum maiestatis.*

qualis Regum est. ser. 1.

Probat eandem S. Augustinus: *positum in præsepio vident, & Deum obsequijs confitentur: videbant enim in eo, qui natus erat, plus esse; quod animæ hominum, quam quod oculi peruiderint; videbatur quidem in præsepio, sed dominabatur in cœlo; intra corpusculum erat; sed intra se omnia continebat, imo se Magi humiliabant, quod famulari astra cernebant, in thure obtulerunt Deo honorem, in auro Regiam dignitatem, in myrrha corporis sepulturam.* Et alibi: *Quam stupenda dignatio! inter amplexus genitricis includitur, qui cœlum terramque complectitur, in sinu matris latet, qui regnum Patris excedit; humanitas cernitur, diuinitas adoratur.*

S. Augustinus serm. 1. de Epiphan.

Quid adorarint in Christo.

ser. 6. dominica infra Oct. Epiph.

Et Haymo: *Quem enim demissis in terram vultibus adorauerunt, sine dubio eum Deum crediderunt: & quia eum pro nobis hominem factum mortalem intellexerunt, mysticis muneribus hunc Deum, Regem, pariterque hominem prædicabant.* Et quoniam eos per excellentiam Æthiophicus interpres vocat, *Adoratores*, quod primi Gentilium eo sint Christum natum honore prosecuti, rectè miratur simul & causam adfert S. Basilius, cur primi sint & ante Iudæos ad id officium Messiæ præstandum destinati. *Puerum tandem inuentum cum donis adorarunt: hic contemplator, vt Magi, alienum à Deo genus, & à testamentis, gens peregrina, primum adoratione dignati sint, quod ex inimicis testimonia longe præstantiora fide, digniora-que essent; si enim Iudæi primum adoraſſent, suum ipsorum genus ornasse extulisseque forsan putarentur, nunc autem alieni, vt Deum, prius honorauere, vt iusto in eos animaduerteretur iudicio, qui illum cruci affixerunt, quem alieni adorauerunt.* Sed nondum satis explicatum, quid tandem sit Deum cultu latriæ soli tantæ maiestati congruo adorare: debet enim is maior esse, quam in rem creatam cadere possit; qui tunc propriè Christo tribuitur: cum vt rerum omnium conditor & archi-

hom. de Epiphan.

Cur Gentiles primi facti sint adoratores Christi.

Quomodo Christus cultu latriæ adoretur.

chitectus; cum vt vnus & solus salutis humanæ vindex & assertor, quam sanguine suo mortalibus peperit, cum denique vt Iudex supremus & Agonotheta colitur, qui victoribus in stadio palmam cœlestis gloriæ impertitur; hæc enim soli conueniunt Deo, nec creatæ puræ rei possunt attribui. Et ea copiosius S. Bernardinus exponit, quem non abs re erit piè differentem attendere. *Tripliciter Magi adorant eum, primo vt creatorem, secundo vt Redemtorem, tertio vt glorificatorem quæ triplex adoratio in eorum oblatione mysticè designatur. Primo quidem adorant eum vt creatorem; propterea Euangelista, ait, procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham, vbi ad literam considera, quod de triplici substantia adorant Christum: primo de corporali, quia procidentes: secundo de spirituali, quia adorauerunt eum: tertio de temporali, quia obtulerunt ei munera. Plura quippe non habet homo, quam corpus, animam, & temporalia: quasi dicant Christo: omnia nostra tua sunt, & à te habemus, & tanquam tua offerimus, verè tua. O sapientes Magi quid agitis? in fascia puerum. adoratis? adoramus, inquiunt, & sapienter facimus, quia sicut in adsumpto verbo profitemur diuinitatem, sic oportet adorari tanquam principium nostræ creationis, scriptum est enim Deut. 6. Dominum Deum tuum adorabis.*

1. 2. 3. S. Bernardinus serm. 24. de Epipha. 1. vt creator. de triplici substantia.

Secundo adorant eum vt Redemtorem, sicut Propheta prædixit: coram illo procident Æthiopes, id est culpâ originali nigri, secundum Christi sanguinem candidati, proinde hoc profitendo, simulque nos instruendo, secundum allegoricum sensum offerunt ei munera, protestando in auro regiam maiestatem, in thure Dei immensitatem, in myrrhâ carnis mortalitatem.

2. vt Redemtor.

Tertio adorant eum vt Glorificatorem, venerantur enim in adsumto homine summam diuinitatem, quia ille paruulus, Rex erat æternus, & habebat scriptum in vestimentis & in femore: Rex Regum & Dominus Dominatium: id est secundum vtramque naturam Rex est, in quo quidem glorificabuntur omnes, qui diligunt nomen eius; ad hoc igitur signandum anagogicum sensum sanctissimi Magi offerunt ei aurum, quod præfigurat in patria splendorem visionis, thus dulcorem fruitionis, & myrrham tenorem incorruptibilis possessionis.

3. vt glorificator.

Hactenus S. Bernardinus expressit, quænam in adorando Christo SS. Reges considerarint, & nobis, quoties Deo latriæ cultum adhibemus, sint mente pertractanda. Fuit igitur celeberrima hæc Christo recens nato exhibita adoratio: quâ Reges ipsi & alienigenæ è tam remotis & diuersis regnis & regionibus eodem tempore, pari celeritate, simili fine, per mille pericula vnum in locum conuenerunt, vt puerum recens natum licet abiectum, despectum, inopem vt Deum venerarentur. Rara hic & inusitata multa: *Primo*, quod Rex à Regibus adoretur, & sapientissimis orbis totius Regibus: adoratio Regia socios non admittit; vocat Rex aliquem in maiorem familiaritatem, nusquam in adorationem, nisi victum vel debellatum: cur igitur isti Reges cum sint, nec bello victi, vltro pedibus & abiecti pueri prouoluuntur? scilicet per stellam radius è puero diuinitatis emicans Deum illum esse testabatur, sic & Apoc. 1. Christus Ecclesijs & Episcopis, quorum vitia correcturus in maiestate Regiâ, pontificiâ, & cœlesti videbatur, inter septem candelabra seu Ecclesias solis fulgore facie resplenduit, & septem alia splendidissima in dextera manu gestauit, quia quod in ore splendet & fulget in opere, verè spectabilem & venerandum efficit Regem & dignum, vt cum Salomone à Regibus etiam honoretur. *Alterum*, non minus mirum est, cum hodie palatini & assentatores omnes soleant principes suos quasi Deos venerari; pauci vero è clero vel religiosis inueniantur, qui diuinam maiestatem congruo honore decorent, Reges istos in stabulo, coram bestijs, Christo in pannis abiecto, pauperi, & afflicto diuinum cultum, prostratis in terram corporibus exhibuisse, vt assentatorum istorum insania corrigatur, qui hodie è mortalibus principibus suis quasi DEOS faciunt mortales, interim qui tot gesticulationibus histrionicis placere mortalibus volunt, diuinæ tamen Maiestati vix vnum commodare genu vel leuiter sustinent, vt ridentium potius in templo speciem, quam supplicum & orantium referant: suis hos coloribus depingit Drexelius: nec pigebit eosdem obseruare: *Hic mihi adeste, ait, palatini vernæ aularum assectæ, & vel à Regibus aulici, imo vel à vobis ipsis discite summo Regi habere debitam*

adoratio hæc omnium celeberrima. 1. fit Regi a Regibus non victis.

2. vere vt Regem & Deum cõgruo honore adorant. contra deprauatos insanientis Mundi mores.

Drexelius in Christo nascente.

tam reuerentiam. Videtis tres istos purpuratos? hominem viderunt, Deum, quem non viderunt, coluerunt. Vos penè contrarium subinde facitis: quos homines esse scitis, fermè vt Deos veneramini, nouus dies nouas à vobis ceremonias discit, aliquem mihi ex delicatioribus aulicis date, & videte, quas dilicias non faciat, quomodo nictet, nutat, oscula terat, manibus ludat, poplites torqueat, sæpe pauimentum genibus passus aliquot perreptet, & limbos purpurarum lambat verenti ore. Videte quam vultu & gestu benignus, quoties manum suam dissuauietur, Domini genibus aduoluatur, ne gratiâ excidat? iam verò quid in templis? quid Deo? plerosque hos tales hic gonagrâ laborare credas, adeo genibus parcunt. Poplitem humo allidere piaculum, genua curuare, nisi illa puluillus, aut simile quid excipiat, nefas. Tolerabilia tamen hæc omnia; aut verò cum Deus adorandus proponitur, cum preces fundendæ, eum colloquendum cum Angelorum Rege, quibusnam id moribus, qua attentione res agitur? pene pudet dicere, sunt qui tantisper, dum mystes. finiat, barbam instruant, & in leges reducant, alius socio in aurem garrit, ex Hispania ex Gallijs noua; nec desunt, qui oculis omne templum obambulent, animo domum remisso. Et quam hæc talia, quod pessimum est non erubescimus? adeo in mores iam vitia transierunt. O si tales à se ipsis in aulis discerent, qui se gererent in templis? Orientales illi Reges si talia non erubuerunt in stabulo, quid facturos putem in templo? non purpuratum, non diademate ornatum, non gemmatum; sed pannis ligatum inuenerunt & procidentes adorauerunt eum, absunt lictores, qui virgâ fores feriant, desunt culcitræ procumbentium genibus substernendæ, pro Sabæis odoribus tetram halat mephitim stabulum; pro parietum aulæis natiuus tophus, pro aureis sedilibus, quibus hi exteri optimates locentur, immunda humus est: & tamen hoc ipso in loco sese Reges in genua abijciunt, diademata submittunt, manus cœlo attendunt, preces fernunt, infanti supplicant, munera explicant, proni adorant. Tertium etiam non minus mirum videri debet, alios diuinæ maiestatis in veteri instrumento adoratores Patriarchas & Prophetas plura semperindicia diuinitatis habuisse, plura & Pastores; ab his tamen illos & adorandi promtitudine, & donorum magnificentia, & animi demissione fideque superatos esse; quod etiam argumentum eum idem Drexelius politè & neruosè tractet, eius concisam dictionem audiamus. Quid mirum, olim supplices solo affusos Abrahamum, Lothum, alios? alia illis obiecta fuit facies maiestatis & terroris plena; hæc contra egestatis & abiectionis. Vel quid mirum, si opiliones illi per cœlestem legatum moniti, Deum intra pannos agnouerunt & coluerunt? Angelos viderunt, sermocinati sunt, per aëra tripudiantes & cantantes audiuerunt, neque illos auertere poterant aut habitaculi sordes, aut rerum penuria, aut raritas famulorum, illæ iam notæ, hæc propria, ista etiam grata fuerat, quoque minor apparatus, eo maior illis aditus erat; contra plane omnia in illis optimatibus, quibus tales cunæ nunquam visæ, talis egestas inaudita; tanta seruorum infrequentia prorsus noua; & reuera, si cogitemus, quam hæc nimium admiranda sint, & quæ ferè non credenda possint videri. Rex in stabulo; Deus in pannis; orbis restaurator inter bestias, mundi conditor in puellæ sinu, & nihilominus procidentes adorauerunt eum infantem, qui quod adorandum erat, moribundo corpusculo omnino occultaret. O ergo horum verè sapientum admiranda virtus, quæ stylum omnem vincat, cuius magnitudinem silentio necessum laudare! O & admiranda verè adoratio; sed non sola; diues illa fuit, & in suum Dominum liberalis, post delatam reuerentiam, post curuata genua, & allegatas preces donatio primum secuta & munera. Pudeat, pudeat inquam Christi fideles, tam tardè, languidè, tepidè, oscitanter, morosè, impiè, si non sacrilegè & emissitijs turpiter oculis tremendis adstare mysterijs, in ecclesijs. Quando Reges isti tam velociter per tot pericula conuolant ad stabulum fœtidissimum; vt ibi mortali & puerili tectum specie Deum tam submissè, piè & religiosè supplices venerentur. Vtinam aulici, vtinam vel religiosi Christo vt Regi adsisterent, vtinam, quâ terræ filij suis Principibus animi demissione & attentione, pari & Deo, pro fauore & gloriâ æternâ deseruirent.

aularum ineptiæ.

& aulicorum mores in templis.

2. superant Patriarchas & Pastores.

Pastorum inuitatio celebrior.

Regum adorantium humilitas maior.

CA-

CAPVT XXVIII.

Veniam supplices delictorum petunt.

TAcent prostrati Reges, supplices genibus Christi aduoluti; nec audent faciem leuare suorum veterum errorum & scelerum memores, quibus Christo Dei filio talem vagientis, algentis & rigentis pœnam procurarunt, hanc se ipsos promeruisse confitentur, à Christo tamen clementer orant exsolui, siue noxiâ siue culpâ propria. Mirantur & obstupescunt tam vili Deum maiestatis loco ob ipsorum delicta contineri. Dauid mirabundus ingeminabat Natani: *Videsne quod ego habitem in domo cedrinâ, & arca Dei posita sit in medio pellium?* sic ipsi nos regijs & auratis palatijs, lectis eburneis, gemmatis solijs superbi gloriamur, & Dei filius vt fastum nostrum luat, in præsepio reclinatur? tanto nos satellitio & stipatu cingimur, ille pecudes inter in antro delitescit? nos sensuum delinimentis & turpium voluptatum illecebris velut torrente quodam absorbemur, ille pro nostris flagitijs rigere membris, algere & tremere cogitur, niuium & ventorum iniurijs brumali cœlo expositus? quæ nostra peccandi licentia; congerendarum opum insania; luxus & vanitatis insatiabilis cupiditas, quam Dei filius tanta frigoris inclementia, rerum omnium indigentia & sordidis inuolutus panniculis debet expiare?

pœnitentia & contritio Regum.

2. Reg. 7.

agnoscunt se peccatis suis causã dedisse Christi doloribus.

Quid fles tenelle puer, quid nisi delicta & peccata defles, tuisque vagitibus & lamentis nos peccatores prouocas, vt anteactæ vitæ maculas lauacro lacrymarum eluamus? vt abiectis idolis & falsis religionum impiarum superstitionibus vni tuo cultui deinceps vitam nostram transcribamus? *verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatum quæ eis non profuit.* Maiores nostri cæcâ in errorum caligine versati te fonte bonorum omnium & vniuersi conditore deserto ligneis & lapideis idolis adhæserunt, ijs nefariè diuinos honores adhibuerunt, & nos posteri eorum ijsdem inuoluti tenebris ignorantiæ, viæ salutis ignari, sordibus ijsdem polluti diuinas leges tuas contra rationis dictamen violauimus, tuâ nunc tandem gratiâ fauoreque, cœlesti luce collustrati venimus ad te supplices, vt commissorum veniam exorantes ad tuæ vitæ exemplar, mores nostros & subditorum conformemus. *Ecce Dominus Deus noster tu: exspectauimus te, tu Dominus,* (non idola) *sustinuimus te & exsultauimus & lætabimur in salutari tuo, in semita iudiciorum tuorum: Domine sustinuimus te, nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ; anima nostra desiderauit te in nocte, sed & spiritu nostro in præcordijs nostris de mane vigilauimus ad te; Domine dabis pacem nobis, omnia enim opera nostra operatus es nobis. Domine Deus noster possederunt nos Domini absque te* (idola & dæmones) *tantum in te recordemur nominis tui, posside nos Domine.* Nec tantum sancti Reges delictorum commissorum supplices veniam postularunt; sed etiam se totos ad pœnam & satisfactionem obtulere. Aptè Vigerius cap. 14. inducit Reges se Christo ad flagella paratos offerentes his verbis. *Tu, in cuius nomine flectitur omne genu, cœlestium, terrestrium & infernorum, dorsum tuum flagellis pro nobis dabis, & cruci te patieris affigi, magnæ sunt iniquitates nostræ, quæ talem ac tantum Regem tam acerba sustinere flagella, vulnera mortemque compellent, transeant potius in nos omnia verbera, & pœnæ, quas pro nobis passurus es, nos teneant; nos enim sumus, qui peccauimus cum Patribus nostris; dederas nobis originalem iustitiam quasi hereditario iure à nostris primis parentibus deducendam, nos illam tantam hereditatem amisimus, quando illi à te recesserunt, & in regione à veritate longinquâ in regionem insipientiæ abierunt. Nempè delicias amplexus Adam primus omnium hominum Pater, ne tristaret vxorem suam matrem nostram, iustitiam omnem luxuriosè consumsit, non audemus hanc petere, petimus esse saltem mercenarij tui; scimus quia benè operantibus præstas gratiam, in qua si confirmari studuerint, das illis panem Angelorum. Age nobiscum non pro nostro merito; sed pro tuâ clementiâ vsci pe nos.*

Isa. 25.

Isa. 26.

puerum confitentur Deum.

Vigerius c. 24. de Epip.

ad pœnas se offerunt.

His calidissimis precibus veniam demissis in terram vultibus orabant, adhibitâ Dei Genitricis Mariæ & educatoris Iosephi deprecatione, quam facilè à puero diu aduen-

Christi allocutio Regum interna.

aduentum eorum præstolante cum fœnore obtinuerunt, tantâ donati gratiâ, vt Ecclesiæ progenitores audire meruerint. Vnde tacitis instinctibus hæc ipsis videtur Isaiæ verbis instillare. *Non me inuocastis, nec in me laborastis, non obtulistis mihi arietem holocausti vestri & victimis vestris hactenus non me glorificastis: non vos seruire feci in oblatione, nec laborem vobis præbui in thure: non emistis mihi argento calamum, & adipe victimarum vestrarum non inebriastis me, veruntamen seruire me fecistis in peccatis vestris, præbuistis mihi laborem in iniquitatibus vestris. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates vestras propter me, & peccatorum vestrorum non recordabor, reducite me in memoriam, narrate siquid habetis, vt iustificemini.*

c. 43. Isa.

offert veniam delictorum.

S. August.

S. Augustinus ex Ieremia Propheta facit eos veniæ deprecatores: *Veniunt*, ait, *ab extremo terræ secundum Ieremiam dicentes: verè mendacia coluerunt Patres nostri.*

Garzia discursu 23. in concionatore Euangelico.

Sed iam tum Garcia noster eos facit sponsas; & thalamum ac complexum sponsi verecunde casteque ambientes, qui dum apparatum ad has nuptias instruit, licet de ijs infra acturus sit, ita præfatur: *Pervenit ad sponsum suum cæca Gentilitas, quàm attonita stetit ante pueri maiestatem ante tredecim dies nati? quis non trementem videret virginem iam rubore iam pallore suffusam, quam attentè attrectat, insficit filium, ad sinum retrahit, quis infantem grauitatem affectare, & autoritatem ostentare? age mi Princeps, age hominem, repræsenta maiestatem, serena vultum, prætende brachiola & manus pedesque ad oscula exhibe: da libens manum pueri ò virgo insignium obedientiæ osculandam: ne abscondas ô Rex, sicut terreni nostri Reges, nouit enim lectissima virgo aulicis moribus erudita, sponsam esse, quæ manum postulabat. Fertur valde notanda esse verba, quæ inter sponsos primo vnus alteri dat; audiamus sponsam: nam licet principio suo inusitato splendore ad terram prouoluatur, vt soluendi linguas & lacrymas facultatem concessit, quas deuotio ligauerat & affectus cordis vincierat: soluunt igitur linguas & subitò se profundunt in lacrymas. Rex mitissime, infans Deus, amor noster, finis desideriorum: serui tui sumus, tua sunt item regna, quæ quasi à te substituti tenemus, & moderamur. Fatentur ingenuë, siquid vitæ, si quid gratiæ, si quid fidelitatis in nobis est, tuum esse donum, omnia tuæ libertati, voluntati & mercedi præponimus. Legati sumus à Gentilitate deprecandi te causâ missi, cessent iam odia antiqua, iræ restinguantur; in his igitur comitijs, quæ ad honorem Patris inter mortales cogere & celebrare voluisti, postulant nostra tria regna, per suauissimum lac, quod in tuum dulcissimum os puerperæ huius vbera de cœlo plena instillaut, quæ pueris gratissima esse solent, vt nobis in tenebris longè, à veritatis lumine natis, & in remotissimis mundi regnis positis, lumen, quod mortis tenebras propellit, affulgeat, & tanta merita gratis nobis impertiantur, impleantur promissa, compleantur prophetiæ: neque enim à te nec à puluere isto & fœno capita leuabimus nostra, nisi prius à te vocem salutis plenam & gaudij excipiamus.* Subiungit Garzia Christi sponsi verba ad eos dulcissima. *Illic videre erat infantem, clementem iam agere Regem, illic blandè allicientem sponsam, & ore silente hæc in eorum corda suauissima influit verba. Caritate perpetua dilexi te: desponsabo te mihi in sempiternum: vocabis me deinceps vir meus, dux virginitatis meæ: non vocabis me vltra Baalim, & dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipse dicet: Deus meus es tu.*

petunt manum osculandam.

Reges se Christo in seruos offerunt.

promittuntur nuptiæ.

Sed hæc in Epithalamio commodius.

CA-

CAPVT XXIX.

Reges perfectius quam Iudæi, Pastores à Spiritu S. & ipsâ sapientiâ incorporatâ instituuntur, vt figurent Ecclesiæ fidem & maiestatem.

ERANT sancti Reges iam tum in Oriente Spiritus Sancti sapientia satis instructi in fidei articulis. Accessit (cum in viâ Herodes conuenien-dus) parta de Tyranno glorioſa victoria maius lumen, nunc vero & gratiâ cumulati, veniaque acceptâ delictorum, cum ad nuptias iptantur, congruis officio vestimentis, splendore lumineque intelli-gentiæ pariter, & decore gratiæ, non dubium est, quin ipsa diuina sapientia coram ipsos videatur iterum insigni cognitionis diuinæ incremento do-nasse, quo perfectius quæ restabant, peragerent,& excellentius maiestatem Ecclesiæ, quam figurabant, virtutum actibus heroicis repræsentarent. Ita præ Iudæis pastoribus facta fuit sanctis Regibus illustrior vocatio, clarior infusa cognitio nati seruatoris & Dei hominis; vt dicat Petrus Simonis Tiletanus. *Quamuis ipsâ natiuitatis suæ nocte pastoribus aliquot Angelico nuncio instructis visus agnitusque fuerit, fuit tamen illa apparitio priuata, pauciſque facta, & pastores non videntur puerum istum quem viderunt, pro vero Deo habuisse, mundi ac rerum omnium conditore, vnde non leguntur eum adorasse; sed videntur habuisse eum tanquam excellentissimum aliquem inter homines Prophetam aliquem insignem aut saluatorem, sicut Angelus eis dicebat: quales Dauid, Salomon, Samson fuerunt, aut alij quidam Iudices, quos scriptura quoque saluatores appellat. Et licet eum forsan cognouerunt, Christum illū seu Messiam esse, quem lex omnis & prophetæ loquuntur, non sciuerunt tamen Messiam eum futurum simul & Deum verum & hominem; id quod multi etiam scribæ & Pharisæi ignorauerunt, non diligenter euoluentes scripturas legis & Prophetarū. At Magi cognouerunt eum hodie esse verum Deum, idque palam omnibus declararunt dicentes, se venisse, vt eum adorarent, & quòd sicut Deum adorarint ex muneribus, quæ obtulerunt, perſficuè constat.* Vndè clarius Christum verum Deum, quam pastores Iudæi cognouerunt. Elucere enim his in primitijs oportebat Gentium ad Christum conuertendorum fidem, nullo hæreſios errore maculatam: ex qua sectariorum subnata posteà peruersa dogmata confutarentur: pietatem etiam eorundem, & eximiam in Deum religionem, qua Reges ipsi & Imperatores erant subiectis populis præituri: ita præcipuo quodam diuini luminis adiumento fulciebantur, & maiori, quàm Iudæi pastores, ne aberrarent à lineâ, quod Doctor Angelicus his verbis exponit. *Magi sunt primitiæ Gentium in Christum credentium, in quibus apparuit, sicut in quodam præsagio fides & deuotio Gentium venientium à remotis ad Christum: & ideo sicut deuotio & fides Gentium est absque errore per inspirationem Spiritus Sancti, ita etiam credendum est Magos à Spiritu Sancto inspiratos sapienter Christo reuerentiam exhibuisse.* Accedebat, quod si pastores angelico sunt monitu instituti, quorum pietas senescentem iam synagogæ fidem & pietatem exprimebat: maiore fuisse nunc opus lumine fidei Regibus, non ab Angelo, sed à Spiritu S. communicando, & viâ quâdam excellentiore: qui Christianæ Ecclesiæ progenitores erant designati: ita Rupertus etiam modum, quo Magi sunt à Deo informati, longè præfert illi, quo pastores sunt ab Angelis instituti. *Vide*, ait, *quanta sit distantia in modo discendi: quantum distet inter eruditionem eius, qui per Angelum, siue per hominem, & illius, qui per solam Spiritus Sancti reuelationem meretur eruditi. Pastores itaque Iudæi quippè, qui in regione eâdem erant vigilantes, & custodientes vigilias noctis supra gregem suum, non per hominem; sed quod maius est per Angelum natum sibi esse Saluatorem Christum Dominum didicerunt: & tamen non adeò docti siue eruditi fuerunt, vt procedentes adorarent; aut munera offerrent; sed tantummodo venerunt, & cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, & reuersi sunt glorificantes & laudantes Deum. Isti primitiæ Gentium neque per hominem docti, neque per Angelum; sed per Spiritum Sanctum, modo & tres homi-*

Reges augentur scientia & gratia.

cur.

1.

Figurabāt Ecclesiæ fidem & cultum Dei.

Petrus Simonis tract. de Epiphan.

plus quam pastores donantur gratiâ.

2.

significabant fidei puritatem sine errore.

S. Thomas 3. p. q. 36. a. 8. inc.

3.

erant progenitores Ecclesiæ.

Rupertus l. 2. de gloria & honore filij hominis c. 2.

homines tribus partibus orbis Asiæ, Europæ, & Africæ fidei vel confessionis atque adorationis exemplar existere meruerunt. Erant autem non primitiæ tantum Gentium; sed & Patriarchæ fidelium omnium: qui ex tribus orbis partibus erant Christo procreandi: præterea primi legis Euangelicæ Doctores, primi eiusdem Sacerdotes, Christo sacrificium præparabant, Dei filio recens nato immolandum, quod longè veterum Iudaicæ legis holocaustorum vsum significationis præstantia superabat; multa succurrebant impedimenta in via, plura apud Herodem; plurima in spelæo, quæ poterant eos ab instituto reuocare: opus igitur clariore quadam & perfectiore luce diuina, quo ruptis omnibus difficultatum repagulis, sisterent se veros & primos Christo Sacerdotes, qui gratissimum thymiama diuinæ maiestati adolerent, cum Principes Sacerdotum Iudæorum contumaciter Messiam natum repudiassent.

Neomystæ Christi.

Prolixè probat hoc S. Chysostomus: *Verum*, ait, *quid aliud est, quod Magis persuaserit puerum adorare? nam neque virgo ipsa erat nobilis; nec domus, in qua habitabat illustris; nec quidquam ex his omnibus, quæ videbantur, eiusmodi erat, quod Magis admirationem faceret, eosque ad puerum alliceret adorandum: & vero illi non modò adorant, sed etiam apertis thesauris suis offerunt munera, & munera Deo certè, quàm homine digniora, thus siquidem & myrrha ipsi potissimum congruebant, quidnam igitur illud est, quod eis & domo & patria relicta tanti itineris spatia transire persuaserit? quod procul dubio fecit & stella, quam viderant, & à Deo donata lux, quæ illorum mentibus, quasi aliud quoddam sidus effulserat, eosque paulatim ad perfectiorem scientiam prouehebat: cum enim essent cuncta vilia, nisi illud eorum animos inuitasset, nunquam profectò tantum honoris illi paruulo detulissent, idcirco nihil ibi grande de sensibilibus istis conspicitur; sed angustum tugurium, ac vile præsepium, & inops mater, vt melius nuda Magorum Philosophia claresceret, & vt discas, quia non tantum tanquam homini; sed etiam tanquam Deo autori omnium supplicarent bonorum: propterea nullo eorum, quæ exterius videbantur, offensi sunt; sed & puerum fideliter adorabant, & munera offerebant, quæ tamen plurimum & à Iudæorum ruditate distarent, & ecclesiasticæ Philosophiæ conuenirent: siquidem scientiam isti, & obedientiam, & caritatem figuraliter offerebant, non oues, non vitulos.*

Spiritus S. gratia illos instruxit.

plusquam Iudæos.

Rudis erat non pastorumtantum Christi contemplatio, sed & Iudæorum veteris instrumenti: qui carnes non proprias; sed alienas Deo consecrabant: Reges Christo voluntatem propriam, & corpus laboribus itineris atterendo spontaneo holocausto obedientia dedicarunt: Iudæi victimas adolebant, hi cordis affectus continuis adspirationibus & actibus caritatis inflammarunt: Iudæi literæ scripturæ corticique tenacius inhærentes à fide vera paulatim defciuerunt: Reges isti nucleum penetrarunt: omnem sapientiam profanam & intelligentiam diuinis oraculis & autoritati submiserunt, aurum splendidissimum sapientiæ perfectæ Christi fidelium denunciarunt. Ad hæc & opere perficienda, & perfectam eorum in posteris futuram donationem significandam, opus erat clariore quodam lumine, quod ijs tunc & à Spiritu Sancto, & ipsa præsente adspectabili forma sapientia fuit communicatum, quæ dociles nacta primosque è Gentilibus discipulos, fontes in exhaustos diuinæ sapientiæ in eorum animos deriuauit tantò copiosius, quantò capaciores erant, & naturalibus omnibus exculti disciplinis, & prauâ liberi perturbatione voluntatis, quæ solet lumen intelligentiæ velut aqua turbida multum obscurare. Itaque vt S. Bernardus ait, *qui illos adduxit, ipse & instruxit, & qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit.*

discrimen inter rudia Iudæorum Sacrificia & Regum.

à Spiritu Sancto & sapientia vberius erudiuntur.

CAPVT XXX.

Et apertis thesauris suis : vbi & quando opera bona publicè facienda.

THESAVRI singulorum Regum non vulgarem indicant dignitatem: non enim nisi potentissimi principes à satellitibus optimè instructi, & contra vim omnem apprimè muniti solent in hostico per centenas aliquot leucas secum thesauros deportare. Ex thesauris Reges esse colliguntur.

Sed quos neque in via diebus tredecim, nec Hierosolymis coram Herode; nunc in hoc tugurio coram infante & matre paupercula velut in termino patefaciunt. Cur tredecim dierum spatio conditos tenuerunt? mysticus hic latet sensus, quem varij sanctorum Patrum ad mores rectè confirmandos celebrarunt. Cur in via non aperuerint.

S. Thomas hic & Glossa sic exponunt: *Mysticè & moraliter considerandum est, quod isti non in viâ; sed tum primò aperuerunt thesaurum, quandò venerunt ad Christum: vndè Matth. 13. dicitur: simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit.* Ostentabat Ezechias thesauros legatis Babylonijs: sed luit, acerbissimè punitus, ostentationem. *Ostendit eis* (ait Isaias) *cellã aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas supellectilis suæ, & vniuersa, quæ inuenta sunt in thesauris suis.* Mox ab Isaia sibi & posteris audijt has pœnas denunciari. *Eccè dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt patres tui in diem hanc in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus*: sapienter itaque hic monet S. Gregorius: *Notandum est, quod inuentus thesaurus abscondi-tur, vt seruetur: quia studium cœlestis desiderij à malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit: in præsenti etenim vitâ, quasi in viâ sumus, qua ad patriam pergimus; Maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident: deprædari ergò desiderat, qui thesaurum publicè portat in via. Hoc autem dico: non vt proximi opera nostra non videant, cum scriptum sit; videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est; sed vt per hoc, quod agimus, laudes exterius non quæramus: sic autem fit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, vt & de bono opere proximis præbeamus exemplum & tamen per intentionem, quâ Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.* Itaque quoties necessitas non vrget, nec caritas suadet, secretum ama: cane continuò: *Secretum meum mihi*, vt te Christus in orandi, ieiunandi, dandi eleemosynas modo docet Matth. 6. At quoties Dei gloria requirit, salus proximorum exigit, obedientiæ ratio præcipit: *luceat lux*, etiam tua, *coram hominibus*: aperi thesauros, nec talentum contine absconditum, vsuras ex eo, cùm tempus venerit, Christus Iudex exiget.

S. Thomas & Glossa. Ezechiæ ostentantis thesauros pœna. *Isai. 39.* Fugienda venditatio. *Isai. 24.* Opera bona quando facienda publicè.

Semper tamen coram Domino, licet in abdito, thesauri nostri virtutum sunt depromendi: nec enim regias exquirit gazas, minutis etiam contentus est, si è thesauro cordis hilariter offerantur. Ita sanctus Ambrosius: *Thesaurus tuus sapientia, thesaurus tuus castitas atque iustitia est, thesaurus tuus intellectus bonus; qualis ille thesaurus fuit, de quo Magorum viri aurum, thus, myrrham, cùm adorarent Dominum, protulerunt &c. habes & tu hunc thesaurum, si in te requiras: habemus enim thesaurum in vasis fictilibus; habes aurum, quod conferas: non enim renitentis metalli pretium de te exigit Deus; sed illud aurum, quod in iudicij die nequeat ignis exurere: nec dona pretiosa deposcit: sed odorem fidei, quem altaria tui cordis exhalent, & religiosæ mentis spiret affectus: ex hoc igitur thesauro non solum Magorum tria munera, sed etiam duo viduæ æra promuntur.* Paruulus & tenellus Iesulus modicis contentus, acceptat quælibet, si pura mundaque sint, & animitus è corde tuo proferantur: Cor enim vas illud & arca est, in qua virtutum gemmæ

S. Ambros. lib. de viduis. thesauri nostri sunt Sapientia. Castitas. Iustitia. Fides.

tuo proferantur: cor enim vas illud & arca eſt, in qua virtutum gemmæ & aurum reconditur, quæ quoties â nobis medullitus eliciuntur, toties theſauros ei mentis reludimus. Hoc thecarum genus Rupertus agnouit, dum ait: *Verè theſauri ſunt & merentur appellari, non tantum iſti arcia; & thecæ qualeſcunque, quibus clauſæ portari poterant ſpecies eiuſmodi, quam corda ipſa offerentium, quorum ex abundantia potuerunt inuiſibili Deo inuiſibiliter proferri cauſæ tàm ſanctæ, quas Eccleſia ſancta in illis ſpeciebus viſibilibus venerabiliter agnoſcit.* Sed vna non capit arca tria tàm diuerſa munera: triplex requirenda, vt aurum, thus, cum myrrhâ recipiat. Diſtinguit arcas iſtas S. Bonauentura: *Triplex*, ait, *eſt theſaurus, cordis, oris, & operis; de primo bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona: de iſto proferre debes aurũ dilectionis, thus deuotionis, & myrrham contritionis: de ſecundo etiã tria, aurum laudationis, thus orationis, myrrham confeſſionis: de tertio, aurum miſericordiæ, thus bonæ famæ, myrrham abſtinentiæ & mortificationis carnis*: ſed donorum iſta varietas inferius explicabitur, ſufficit hic attigiſſe vaſa, quæ triplicis generis cenſeri ſapienter vult, vt totus homo Chriſto conſecretur: nam corde, ore, opere; vel pijs cogitationibus, verbis, & operibus Deus celebratur: nec vnquam iſthæc vaſa vacua; ſed plena decet reperiri: vacuos enim non conuenit coram Deo apparere: ideò pauperis induit habitum, & rerum omnium egentiſſimi: quidlibet accipiet, nec reijciet, quod offeres. Vaſa præſertim aromatum amat, in hortis paſcitur, in areolis aromatum delicias quærit, veniet in hortum dilectus, dummodo meſſueris myrrham, ſed primam & probatiſſimam.

l. 2. de glor hominis. c. 2.

delectatur Chriſtus odoribus.

Hom. de Epiph. Deut. 19.

S. Bruno: *Gentiles erant iſti, & Prophetas non nouerant: legis tamen & Prophetarum dicta complebant: ſcriptum eſt enim: non apparebis vacuus antè conſpectum Domini Dei tui: iſti ſunt, de quibus ſcriptum eſt: omnes de Saba venient, aurũ & thus deferentes, & laudem Domini annunciantes Iſai. 60. & pſ. 71. Reges Tharſis. Docent nos iſti viri, qui primitiæ Gentium fuerunt, & per quos omne genus hominum ſignificatum eſt, qualiter debeamus quærere Chriſtum: & quomodo ad Ieſum venire: non debemus ad Ieſum venire ſine muneribus, non debemus ad eum accedere ſine aromatibus: ſic enim Regina Sabæ 3. Reg. 10. (quæ & ipſam Eccleſiam Gentium ſignificabat) venit ad Salomonem, offerens ei aurum multum, & aromata multa, & qualia prius non ſunt allata in Ieruſalem: ſic & illæ mulieres emerunt aromata, vt venientes vngerent Ieſum Marci 16. Lege Cantica Canticorum, & videbis, quod totus liber vnguento optimo & aromatibus redoleat.*

CAPVT XXXI.

Obtulerunt ei primò ſe in ſeruos, qui titulus Chriſtianorum maximus.

Deus nos petit, non noſtra.

PARVM Deo, vel potius nihil donat, qui externa dona, non ſe ipſum offert. Reſpexit Deus ad Abel prius, deindè ad munera eius: prius â peccatis cor expurgandũ eſt, quam exterior victima conſecretur. Reges noſtri antequam myſtica Deo ſacrarent dona, primum ſeipſos *ſacrificio ſpiritus contribulati & cordis contriti*: poſteâ laudis hoſtia victimarunt, corpus & animam obſequio diuino dedicando, regios & ſublimes ſpiritus demiſſione Chriſtiana puerulo pauperi ſubmittendo, propriam voluntatem non alienas carnes eidem offerendo. Monitum egregium S. Ambroſij ſerm. de Epiph. eſt: *Illi (Magi) pretioſa munera obtulerunt: & vos offerte illi animas veſtras: ſi idem, ſpem, caritatem, pœnitentiam, humilitatem, & caſtitatem diligitis, rationabilia illi dona offeretis, id eſt, voſipſos: quia plus Deus voſipſos, quàm ſubſtantiam veſtram diligit: multi enim ſunt, qui faciunt eleëmoſynas, & tamen peccare non ceſſant: iſti quaſi ſua offerunt Deo, & ſeipſos Diabolo: nullam habet Deus cum Diabolo partem, & idcò ſiue furtum, ſiue luxuriam, ſiue odium, ſiue ſuperbiam, & quidquid mali eſt, à vobis cum Dei adulterio repellite, & totos vos veſter creator poſſideat.* In hoc nobis imitandi ſancti Reges: qui prius corporis omnes ſenſus exertio-

S. Ambroſ. ſ. de Epiph.

exteriores ac interiores, passiones animi cum viribus omnibus, & membris profundâ in terram deiectione; animum deindè cum potentijs tribus memoria, intellectu, ac voluntate: omnemque scientiam, solertiam, & vigorem mentis lubentes volentes consecrarunt vno & vero holocausto: nihil deinceps sibi, nihil coniugibus, liberis, vel subditis indè decerpturi. seipsos primâ obtulerunt.

Ita Radulphus quatuor obseruat eos præstitisse: *procidunt, adorant, thesauros aperiunt, offerunt: in quo quid, & quo ordine facere debeamus ostendunt. Itaque Fratres antè Maiestatem Dei procidamus, id est, superbiam nostram humiliantes, nos peccatores infirmos & indignos confiteamur: adoremus, id est, Deum autorem & Dominum nostrum recognoscamus: thesauros cordis nostri per confessionem aperiamus: mala nostra nobis adscribentes, & si quid boni vel pretij habeamus in nobis Deo attribuentes & offerentes.* Sic & S. Bernardinus: *Vbi ad literam considera, quod de triplici substantia adorant Christum, primò de corporali, quia procidentes; secundò de spirituali, quia adorauerunt eum; tertio de temporali, quia obtulerunt munera: plura quippè non habet homo, quam corpus, animam, & temporalia: quasi dicant Christo, omnia nostra tua sunt, & à te habemus, & tanquam tua offerimus verè tua.* Radolphus. S. Bernard. serm. 2. de Epiph. tum etiam sua.

Consentit Gabriel Biel: *Adorabant Dominum summâ adoratione; quæ Latria dicitur, quoniam inuentum puerum vt summum bonum, & vniuersitatis Dominum reueriti sunt, omnia bona sua, animam, corpus, res externas ab ipso se recepisse sunt professi: quoniam de omnibus acceptis homagiũ præstiterunt: nam adorarunt secundũ animæ actum interiorem, prociderunt corpore, obtulerunt de temporali substantia aurum, nec modica quantitate: quia de thesauris: in quibus muneribus omnium statuum oblationem comprehendunt.* Gabriel Biel serm. 1. de Epiph. homagiũ ei de omnibus præstant.

Hac igitur sui ipsius perfectâ donatione seipsos, vt seruos Domino submisere; & obsequijs, & quibusque seruitijs vltrò manciparunt: multò gloriosius iudicantes seruire Deo, quam subiectis populis, & orbi toti imperare: quia *seruire Deo regnare est.* Nulla hac sui largitione Deo gratior, nobis vtilior, imò magis necessaria est. Rectè Thomas de Kempis sic Christum loquentem introducit: *Quid magis à te requiro, quam vt te studeas mihi ex integro resignare: quidquid præter te ipsum das, nihil curo: quia non quæro datum tuum, sed te: sicut non sufficeret tibi omnibus habitis præter me: ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato. Offer mihi & da te totum pro Deo, & erit accepta oblatio.* seruos se Christi offerunt. lib. 4. c. 8.

Itaque quod fecisse legimus 24. seniores, imitatos existimo SS. Reges: *Prociadebant 24. Seniores ante sedentem in throno* (Iesum in sinu Matris) *Et adorabant viuentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Et hoc se pacto totos obsequijs pueri obligarunt, vt Christi serui magis honorifico titulo, quàm regio se monstrarent delectari. Apoc. c. 4. Titulus ille summus esse Dei seruum.

Hoc gloriabatur Apostolus, cùm Romanis scribit: *Paulus seruus Iesu Christi: seruit*, ait Origenes, *Christo, non in spiritu seruitutis; sed in spiritu adoptionis: quia omni libertate nobilior est seruitus Christi, qui semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Origenes.

Adde sceptris & regnis glorioſior ea seruitus; qua dum Christi veros nos seruos profitemur, filij Dei meremur esse & nominari, imò regni cœlestis heredes, coheredes Christi. Reges, inquam, meremur esse regni sempiterni. Generosè igitur, & rectè S. Agatha, cùm ei Quintianus Prætor obtrectaret: *Nonnè te pudet nobili genere natam, humilem & seruilem Christianorum vitam agere?* Respondit: *Multò præstantior est Christiana humilitas, & seruitus, regum opibus & superbia.* Opes istæ Regum fluxæ sunt & caducæ: fastus & superbia Regum breuis & momenti instar: illæ, illæ veræ sunt opes, honores, gloria, quæ Dei filijs, & cœli Regibus adhibetur, ac nullo fine terminatur. An ideò Christus in cœlis glorioſus eum semori inscriptum titulum circumfert *Rex Regum & Dominus Dominantium*: quia quibus in illo Beatorum domicilio dominatur, Reges sunt, & orbis Dominatores? ideò canit Pſal- Maior regio. S. Agatha. Briuiar. Rom. 5. Febr.

Beati omnes sunt Reges.

Psaltes: *posuisti in capite eorum coronam de lapide pretioso. Constitues eos principes super omnem terram*: vt hi quidem iure debeant primi Christiani dominatus Reges nuncupari, qui primi se de Gentilibus Christi seruitio coronis abiectis mancipârunt. De his rectè Magallianus noster: *Hanc quoque nuncupationem* (serui Christi) *omnibus rebus præposuerunt Magi illi, de quibus Matth. c. 2. scribit: quippe qui ab Oriente stella duce profecti in diuersorio iacentem puerum Iesum adorarunt: abiecti nimirum esse maluerunt in domo Dei magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ego hos beatos Reges Deo se in præsepij angustijs perpetuò seruitutis nexu deuinxisse existimo, eòq; spectasse puto proiectas ad diuini pueri pedes coronas, & cetera imperij insignia, seruos Dei ad mortem vsque se fore trinâ munerum oblatione professi sunt: quibus eas virtutes mysticè significabant, quæ diuino numini sunt gratissimæ, caritatem videlicet, orationem, & mortificationem.*

in c. 24. Iosue sect. 3. adnot. 1.

Triplici titulo sumus Christi serui.

1. ob vnionem hypost.
2. ob redemtionem.
3. ob meritum.

Triplici porrò titulo iam tùm Reges erant Christo velut serui Domino obligati. Primò hereditario iure propter hypostaticam vnionem; quâ filius Dei & ipse Deus creatis omnibus absolutè dominabatur: accedebat titulus Redemtoris, quem iam tum circumcisus profuso sanguine meruerat; ideo Saluator appellatus: iam enim lytro tam pretioso redemerat eos è seruitute tartareâ. Tertius erat meriti titulus tunc etiam comparatus magnam partem, *propter quod & exaltauit eum Deus, & dedit ei nomen.* &c. vnde Isai. c. 9. cùm dixisset Propheta: *Paruulus datus est nobis*; subdit; *multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis: super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet & corroboret in iudicio, & iustitia amodò, & vsque in sempiternum.* Tot nominibus subditos se Christo puero cùm scirent libenter se suaque regna cum subiectis populis, vt seruos Domino subdiderunt: his fortè vt Didacus Vega concipit verbis: *O Rex supreme & Domine, qui nos tantâ gratiâ dignatus es, vt nobis aduentum tuum indicares, nosque ab Oriente vocares duce cælesti lumine, vt gratâ tuâ perfrueremur præsentia. O quot quantosque perpessi sumus labores in hoc itinere? quod subiuimus pericula? quantas superauimus difficultates? nihilominus omnia feliciter successisse ducimus: quandoquidem tanto bono gaudeamus & videamus te. En aduenimus Domine serui tui, vt pedibus tuis signa, & gentilia Gentilium subiitteremus, atque nos tibi iure deuinctos & subditos profiteremur: digneris nos in clientelam tuam, tutelam & protectionem suscipere, ex nomine Gentilium omnium te Regem nostrum agnoscimus & Deum confitemur: en pro omnibus vades stamus, vt filiorum sanctæ matris Ecclesiæ adscribere albo nos digneris; serui, serui, inquam, tui sumus.*

Isai. 9. Didacus Vega de Epiphan. Oratio, qua se Christo mancipât.

Christus acceptat eos.

Isai. 44.

O quis dubitet Christum verum, & legitimum eorum Dominum libenter oblationem suscepisse, & his cum Propheta verbis interioribus compellasse? *Serui mei estis vos: in vobis gloriabor: effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen vestrum: iste dicet: Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua Domino, & in nomine Israël assimilabitur* (dicetur Christianus & verus Israëlita vt Iacob) *memento horum Iacob & Israël, quoniam seruus meus es tu: formaui te; seruus meus es tu Israël, ne obliuiscaris mei: laudate cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus Iacob, & Israël gloriabitur: conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens.* Verè sapientiam Iudæorum Herodi adulantium stultam effecit: hos ipse veros Israëlitas instruxit, & primos à se Christianos nominauit seruos suos: quorum etiam posteros Gentiles promisit se in fidem & clientelam suscepturos. Nos igitur non alio honoris titulo quàm quòd Christi serui simus gloriemur: eodem emti pretio. Pulchrè S. Ambrosius: *Nescis quod redemerit te Christus: non emerit auro, non argento; sed pretioso sanguine Agni: ergò redemtus à Domino es, seruus es, qui creatus es: seruus es, qui redemtus es: & quasi Domino seruitutem debes, & quasi redemtori.* Quid glorioſius, quàm seruire tali Domino, tàm beneuolo, tàm sapienti, tàm potenti? quis seruum audeat lædere, pro cuius salute sic excubat, pugnat, & laborat Dominus? vt suo eum sanguine redimat, sanet, nutriat? Idem S. Ambros. *Dicito, monet, si fortè vides pugnare aduersum te diaboli tentamenta: quid mihi & tibi est Belial: ego Christi seruus sum: illius redemtus sanguine, illi me totum mancipaui, quid mihi & tibi est? non noui opera tua: nihil tuum quæro, nihil tuum possideo, nihil tuum desidero:*

hoc titulo gloriandũ. I. de Isaac 3. Medium est contra omnes tẽtationes. S. Ambrosius de Elia & ieiunio c. 20.

CA-

CAPVT XXXII.

Ei scilicet Christo Trismegisto ipsi Magi Trismegisti obtulerunt.

Trismegistus quis sit apud Ægyptios.

VETVSTI moris apud Ægyptios erat, vt ex omni numero Philosophorum Sacerdotes; è Sacerdotibus Reges eligerentur: quorum Regum qui superiores omnes, iustitia superauit, sicut & Philosophos sapientia, & Sacerdotes religione, merito fuit Trismegistus, & ter maximus nominatus: quia simul doctus Philosophus, Sacerdos religiosus, & æquus Rex ab omnibus audiebat, quoniam ex decoro præ ceteris omnibus hanc triplicem personam vnus sustinebat. Simile quid in Iobo, eiusdem amicis tribus, & in nostris Magis libro secundo obseruaui, qui quoniam simul Philosophi sapientissimi, Sacerdotes religiosissimi, Regesque iustissimi censebantur, Trismegisti dici meruerunt: & aptissimi, qui Trismegistum longè maximum Christum Dei filium Regem in metropoli pridie publicatum, nunc solemni ceremoniâ inaugurarent: Hic tantum hoc venit demonstrandum, eos congruenter doctrinæ Patrum & Doctorum triplicem personæ dignitatem in infante tenello adorasse.

Christus vere est talis. *serm. 1.*

S. Leo: *Vt sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur, thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi, scilicet diuinam humanamque naturam in vnitate venerantes: quia quod erat in substantijs proprium, non erat in persona diuersum.*

S. Cypria. de Stella & Magis.

Alios S. S. Patres infra numerabo. Cyprianus etiam sacerdotij ab eis in Christo creditam & honoratam dignitatem agnoscit. *In auro*, ait, *Regem, in thure Sacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamuis passibilem, profitentur. Oblatio ista & exponit incarnati Verbi mysteria, & breui subtilique iudicio vtriusque naturæ humanæ & diuinæ exprimit vnitatem, quod & proprium est vnicuique singillatim distinguens: nam Deo Patri, cuius imperium & regnum suis mundum replet splendoribus, in odorem suauitatis summus Sacerdos & Pontifex Christus se obtulit, cuius caro passionis cremata carbonibus, incensionis suæ fragrantiam transmisit ad cœlos, & vsque hodie odor ille suauissimus in terrestri cœlestique ecclesia indeficiens perseuerat. Quod autem passibilitas, quam obediens Deo voluntariè suscepit, incorruptione firmata sit, virtus myrrhæ obuians corruptelæ suo probat effectu, & visibilium ratione munerum immortalitatis solidæ constat euidens argumentum.* Huic congruenter Ecclesia canit: *In auro vt ostendatur Regis potentia, in thure Sacerdotem magnum considera.* Idem Beda & Petrus Damiani infra citandi dicunt, & fauent versus isti vulgares:

per thus vt sacerdos honoratur.

Regia maiestas Auro: Deus atque Sacerdos
Thure: sed in Myrrhâ significatur Homo.

Itaque triplicem passim in Christo dignitatem Patres confitentur, quæ solet etiam Christi nomine significari: cum enim, quod Hebræis Messias, Græcis sit Christus; idem Latinis vnctus, dicitur, congruenter Cantico: *oleum effusum nomen tuum.* Atque cum triplicis generis personas sacro legamus oleo delibutos, Sacerdotes, Reges, & Prophetas, tanquam capita gubernatoresque populi, siue in politicis moribus ad pacem & commoda temporalia, vt Reges: siue in ministerijs sacris & cultu diuino ritè decenterque obeundo, vt Sacerdotes: siue in doctrinâ legeque diuinâ sapienter ad Dei præscriptum populos informanda, & eius voluntate alijs significanda: hæc omnia munia præcipuo quodam modo Christo tribuuntur, qui de se ipse canit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, Illi à Patre dictum: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et de ipso prædixit Moyses: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies.*

triplices personæ vnguntur.

Christus Rex. Sacerdos Propheta. vnctus oleo diuinitatis.

Ob triplicem hunc dignitatis ſplendorem, duplici fuit oleo delibutus: primo diui-
Coloſſ. 2. nitatis: *Nam in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter* quod
vni Chriſto proprium. *Vnxit*, ait Pſaltes, *te Deus oleo lætitiæ præ conſortibus*
Pſal. 44. 8. *tuis*. Acceſſit oleum gratiæ diuinæ, donorumque ſeptem Spiritus Sancti tàm co-
& gratiæ vt fons eius. piosè, vt ea ab ipſo velut fonte ſcaturirent, & indè non in homines tantum, ſed
& Angelos (vt veroſimilius eſſe ſupra demonſtraui) vberrimè deriuentur. Hoc
c. 11. 2. *Iſaias* significat cum ait: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini* (ille, de quo
c. 6. dixerat, *Spiritus Domini ſuper me; eo quod vnxit me*) *ſpiritus ſapientiæ*
& intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & reple-
bit eum ſpiritus timoris Domini. Fontis huius ſcatebras inexhauſtas ita ſanct.
Io. 1. Ioannes deſcribit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum*
ſolus Triſmegiſtus eſt. *gratiæ & veritatis: & de plenitudine eius omnes accepimus.* Itaque ſicut Triſmegi-
ſtus nomen tulit, quod omnes ante ſe Philoſophos ſapientia, ſacerdotes religione,
& Reges iuſtitia ſuperarit, ita & puer ille à Magis adoratus eſt, verè Chriſtus &
ſignatus in pareliis. vt Triſmegiſtus: quia infinitis partibus omnes ante ſe ſacerdotes, Reges, & ſapien-
tes ſeu Prophetas anteiuit diuinus ſacerdos, Rex, & Propheta, imò Deus ipſe: quod
phænomena cœleſtia deſignarunt, quando Chriſto recens nato viderunt Hiſpani
tres ſoles coeuntes in vnum: quia tunc triplex illa ſuprema poteſtas in vnam Chri-
& adoratione Magorum. ſti perſonam concurrebat. Decebat igitur vt Triſmegiſtus ille maximus, & perfectâ
fide à noſtris Triſmegiſtis agnoſceretur, vt dixi: & donis congruis honoraretur:
eiuſque triplex poteſtas certis ſymbolis orbi dum vulgatur: ipſe interim ſolenni
ceremonia Rex & ſupremus Monarcha inauguraretur. Eleganter hanc inaugu-
Ludou. de Ponte lib. 1. in Cant. Cantic. exhort. 22. §. 3. rationem Triſmegiſti à Triſmegiſtis factam ſic deſcribit Ludouicus de Ponte: *Nec*
ſine myſterio tricolor arcus in die Epiphaniæ apparuit in cœlo: ſiquidem hæc tri-
plex Chriſti dignitas hoc die manifeſtata eſt mundo: Magi enim primitiæ Gentium
ipſam agnouerunt, ac muneribus ſunt teſtati: cum enim Reges eſſent, ac ſapientes
Magi Triſmegiſti. *inter Orientales, morem ſuæ gentis nouerant, quæ huiuſmodi heroës nominabat*
Triſmegiſtos, id eſt, ter maximos à magnitudine ſacerdotali, & regia, & ab eminen-
tia ſapientiæ, virtutiſque, quam alijs honoribus præferebant: de quorum numero
Magos fuiſſe crediderim: nec timeo Triſmegiſtos eos vocare. Vnde non mirum eſt, quod
Chriſtum quærebant Triſmegiſtum. *Regem Iudæorum, quem quærebant, Triſmegiſtum eſſe exiſtimarent. Vel fortè quod*
verius eſt, qui per ſtellam eos foris ducebat, intus illuminauit, vt puerum natum ve-
rè & per antonomaſiam Triſmegiſtum crederent, ſacerdotum, Regum, ac Prophe-
tarum, ſapientumque omnium excellentiſſimum ac ſupremum. Quamuis ſolum re-
nomine Regis. *giæ dignitatis meminerint, cum interrogabant: vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæo-*
rum? eò quod regia poteſtas notior eſt mundo, & ſub hoc nomine illum agnoue-
rant ex vaticinio Balaam, qui dixerat: orietur ſtella ex Iacob, & conſurget
virga de Iſraël. Cum ergò Bethlehem ſtellâ duce peruenerunt, virgam inuene-
runt ortam de radice Ieſſe, & florem de radice eius adſcendentem, id eſt, pue-
rum cum Maria matre eius. Nam vt interpretatur D. Hieronymus, puer cum
matre eſt flos cum virgâ, quæ ſine detrimento pudoris virgo perpetuò manens pro-
tulit florem ſaluatoris, qui etiam ſimul eſt virga & flos, quia Rex & ſacerdos, ac
ſanctus: non enim eſt virga arida, ſed florida, ſicut virga Aaron: quia cum regiâ
inuenerunt & adorauerunt. *poteſtate etiam ſacerdotis & Prophetæ inſignia coniungit. Videntes ergò Magi pue-*
rum, procidentes adorauerunt eum ſacerdotes ſacerdotem, Reges Regem, imò Pro-
phetæ Prophetam magnum: vt quid non Prophetas dixerim eos, qui in Oriente
videntes ſtellam longè diſtantem, Regem natum agnoſcunt, & tanti myſterij inter-
nam reuelationem accipiunt, muneraque deferunt, quibus id exterius teſtentur.
muneribus deſignant eſſe Triſmegiſtum. *Vndè apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham: Au-*
rum quidem tanquam Regi potentiſſimo, cui omne regnum acceptum referebant:
Thus verò tanquam ſummo ſacerdoti, à quo omnis ſacerdotalis dignitas deriuatur.
Myrrham tanquam Prophetæ ſapientiſſimo ac ſanctiſſimo, corpore quidem mortali,
fiunt & ipſi à Chriſto Triſmegiſti. *ſed mente integro & incorrupto, vndè omnis Prophetia, ſapientia, & ſanctimonia*
procedit. Quapropter peracta adoratione ſurgentes Magi multò excellentius, quàm
anteà nomine Triſmegiſti decorati ſunt: dum illos conſtituit ſpirituales Reges, ſacer-
dotes ac ſapientes, vt munia hæc diuino quodam modo deinceps obirent. Ad quo-

rum

rum imitationem ad Christi pedes te prosternens, offerto ei aurum dilectionis tanquam Regi Regum ac Domino Dominantium: thus orationis tanquam summo sacerdoti, qui se obtulit pro nobis Deo Patri: & myrrham propriæ abnegationis, tanquam Prophetæ & integerrimo Doctori perfectionis Euangelicæ. Vnde fiet, vt ab eius pedibus surgas Trismegistus, & ter maximus triplici illâ dignitate condecoratus, quam Christi nomen significat, & impartitur ijs, qui ab ipso digne denominantur Christiani.

CAPVT XXXIII.

Munera cur, & quo ritu.

QVÆDAM hic ex Gentilium etiam scriptis euoluenda: cur munera, non autem vocentur dona; quam ob causam obtulerint, & quo apparatu. Iurisconsulti proprietatem vocis munerum ritè examinant: imprimis ex Labione Vlpianus: *Inter donum*, ait, *& munus hoc interest, quod inter genus & speciem: namque genus esse donum.* Labeo ait, *vel à dando vel à donando dictum; munus speciem: nam munus esse donum cum causa, vt puta natalitium aut nuptiarum.* Ecce duas munerum missitandorum causas. Tertiam his adiungit Dauus ille Terentianus, *Amicus*, ait, *summus meus & popularis Geta heri ad me venit: erat ei de ratiuncula iampridem apud me reliquum pauxillulum nummorum, id vt conficerem: confeci: adfero: nam herilem filium eius audio duxisse vxorem, vt credo munus hoc corraditur: porrò autem Geta ferietur alio numere: vbi hero pepererit, porrò autem alio, vbi puero fuerit natalis dies.* Hic tria distinguit munerum genera. Natalitia vocabantur primo, quæ circa ipsum natalem diem; secundò quæ etiam circa recurrentem natalem diem munera dabantur. tertia nuptialia dicebantur. Itaque Magorum istorum munera natalitia fuerunt. Liceret & nuptialia vocare, quia tunc Christo sponso iuncta est Ecclesia: exprimuntque virtutes, quas sponsa sponso repromittit: fidem, caritatem, obedientiam, de quibus infra. Atque ita rectè S. Euangelista munera potius, quam dona nominauit.

Doni & muneris discrimen.

l. interdum de verborum interpret.

act. 1. scen. 1.

quæ munera Natalitia, quæ nuptialia.

Dona autem nullâ necessitate, iure, officioque deferebantur, sed spontanea erant, & quædam beneuolentiæ & honoris significatio, vel demerendi Regis, aut pacis constituendæ votum quoddam, aut firmandæ eius: qualia Latinus Rex Æneæ misit, de quibus Virgilius, licet ipse munera nominet:

quæ sint Dona.

Æneid. lib.

Centum Oratores primâ de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu prætendere ramos,
Munera portantes, eborisque auricque talenta,
Et sellam, regni trabeamque insignia nostri:

Erat hoc institutis Persarum & Orientalium firmatum, quorum Ælianus ita meminit: *Persæ legem habent, quæ vna ex omnibus obseruantissimè ab illis colitur, cùm rex in Persiam equitat, omnes ei Persæ, singuli pro suis facultatibus munera offerunt, vt qui agriculturæ dediti sunt, & terræ colendæ operam nauant, & qui sua manu laborant opifices, neque nimis attrita & praua, neque nimis pretiosa & magnifica donant, sed aut boues aut oues, nonnulli etiam frumentum siue vinum. Exeunti autem ipsi & præterequitanti hæc à singulis apponuntur, & munerum nomine vocantur, qua appellatione etiam recipit. Qui verò etiam sunt pauperiores, hi lac, palmas, & caseum ferunt, maturaque bellaria, & alias primitias de suis fructibus.*

Persarum consuetudo.

Ælianus l. 13 vari. hist. c. 31.

Eandem alijs etiam populis in Oriente consuetudinem fuisse docet Seneca: *Parthos*, ait, *non potest quisquam salutare sine munere, sibi valedicere non decet gratis.*

eadem Parthorum.

Senec. l. 2. ep. 5.

Fuit & in veteri testamento mos ille placandis Principibus vel offensis optimatibus receptus. ita monet senior Iacob filios cogitantes in Ægyptum: *Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis, & storacis, & terebinthi & amygdalarum.*

Iudæorum ac Ægyptiorum.

Gen. 43.

Genes. 31. Fecerat hoc ipſe quondam fratri cum diceret: *placabo eum muneribus, quæ præcedunt, poſtea videbo illum*, ſcilicet:

Munera crede mihi placant hominesque. Deosque,

Cumipſe Deus lege id cauerit Exod. 23. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus.*

ſcriptura mandat idem. cur Reges obtulerint.

Atque hæ quidem cauſæ omnes in donis his, ſiue muneribus SS. Magorum offerendis concurrerunt: nam & irati propter idololatriam numinis offenſam Gentilitati placare nitebantur: & pacem inter Deum & Gentiles, hos etiam & Iudæos conciliare, & Regem nouum inaugurare, vt & obſeruantiæ gratiâ & conciliandi regij fauoris ergò dona gentis ſuæ more, & ex præcepto diuino munera regnorum ſuorum Chriſto conſecrarint.

1. 2. 3. 4.

Nouam prætexit cauſam S. Auguſtinus: *Venerunt & adorauerunt, aurum, thus, & myrrham obtulerunt, ſecundum conſuetudinem ſuam, talia enim ſolebant offerre Dijs ſuis.* Itaque cum abiectis idolis Chriſto vero Deo nouum pararent, & primum Sacrificium regnorum ſuorum, pretioſiora quaſi decimas, & in his thus vt Deo proprium obtulerunt.

ſer. 67. de diuerſis. ſerm. 1. de Epiph. apparatus exterior.

Vſus eoſdem S. Vincentius putat externo quodam ad gentis morem apparatu veſtium: quibus ſic vt in muneribus clarius myſteria fidei declararent. *Credo*, ait, *ego, licet non legatur, quod rationabiliter Reges in muneribus ſignificabant, quod de Chriſto credebant: credo quòd etiam in veſtibus: quia Rex qui portabat aurum voluit indui de panno aureo; & ille qui portabat thus, de purpura alba; & qui portabat myrrham, ſcalata rubea: eccè quomodò parauerunt ſe aptè tam in muneribus, quàm in veſtibus.* Alium ex Beda retuli veſtium apparatum.

Nonnulli alij tiaratos eos obtuliſſe volunt ſacerdotum ritu. Et thus acerris impoſitum eidem vt Deo adoleuiſſe, quod veroſimile eſt, & Garzia noſter probat. Nam cum Chriſtum Deum & Regem ipſa corporis inclinatione, munerum donatione, & verbis ipſis indicaſſent, quidquid ad cultum externum credebant facere, & ad ſuum Chriſto teſtificandum amorem ac beneuolentiam videntur adhibuiſſe.

CAPVT XXXIV.

An ſinguli tria obtulerint dona.

negant. S. Auguſtin.

SINGVLOS ſingula tantum obtuliſſe SS. Patrum quidam volunt. S. Auguſtinus. *In eo quod tria à Magis munera offeruntur, Trinitas intelligitur; in eo verò, quod tres ſunt, & ſingula offerunt, in Trinitate vnitas declaratur.* Eadem ferè S. Hilario adſcribuntur.

Beda.

Beda: *Primus Melchior ſenex aurum obtulit, ſecundus Caſpar thure quaſi Dei oblatione digna Deum honorabat. Tertius fuſcus Balthaſar nomine per myrrham filium hominis moriturum profeſſus eſt.* Quod etiam S. Vincentius ſequitur.

Maldonat.

Maldonatus: *Credibilius eſt diuerſa, quàm eadem omnes munera dediſſe, quod id magis ſit vſitatum, & gratius accipientibus, honorificentius dantibus eſſe ſoleat.*

Fauet vulgatum carmen: *Caſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum.* Et reuelationes S. Franciſcæ.

communis ſententia contraria.

Communior & verior contraria ſententia.

S. Gregorij.

S. Gregor. hom. 10. arguit Hæreticos, qui ſingula tantum Chriſto dona obtulerunt: & pergit hortari fideles: *Nos itaque nato Domino offeramus aurum, vt hunc vbique regnare fateamur: offeramus thus, vt credamus, quod is, qui in tempore apparuit Deus ante ſecula exſtitit: offeramus myrrham, vt eum quem credimus in ſuâ diuinitate impaſſibilem, credamus etiam in noſtra fuiſſe mortalem.* Vbi vult ſingulos Regum hoc credidiſſe, & contra Hæreticos donis ſuis profeſſos eſſe, vt ipſos imitemur.

Druthmari

Chriſtianus Druthmarus: *Sed credimus quod corde crediderunt, muneribus oſtenderunt, & vnuſquiſque tria obtulit.*

Rathbarti.

Rathbertus. *Iure quæritur, vtrum ſinguli ſingula, ſeu ſimul omnes tria hæc, vel certè quod magis fatendum eſt: vtrum eorum vnuſquiſque fortè hæc tria pariter obtu-*

obtuliſſet: hoc enim potius congruit in myſterio: quia nemo Chriſtianus rectè dicitur, qui omnium vbique Deum regnare fatetur; & pro ſalute generis humani Deum hominem factum ſine ambiguo mortuum fuiſſe confitetur.

Gloſſa ordinaria, *Quæritur an ſinguli ſingula, an vnuſquiſque tria? quod magis fatendum eſt, quia congruit myſterio, quia omnis verè Chriſtianus Chriſtum Deum, Regem, & paſſum confitetur.* Gloſſa.

S. Anſelmus: *magis fatendum eſt, quod ſinguli tria: vnuſquiſque Regem & Deum, & paſſibilem credebat.* S. Anſelmus.

Petrus Comeſtor: *obtulerunt puero ſinguli aurum, thus, & myrrham: ſecundum Sabæis conſuetam oblationem.* Hiſt. ſchol. c. 6.

Innocentius III. *Non ſingula ſingulis, ſed omnes omnia obtulerunt: quia quilibet obtulit aurum, credens eſſe Regem & Dominum Dominantium: quilibet obtulit thus, credens eum Deum deorum, ac creatorem creaturarum: & quilibet obtulit myrrham, credens eum mortalem pro mortuis.* Innocent.

S. Bonauentura: *Quilibet obtulit tria munera in maxima quantitate, præſertim in auro.* Bonauent. lib. de vit. Chriſt. c. 9.

Barradius adfert hanc rationem, quoniam etſi aurum ſolum Principis viri donum eſſe poſſit, ſola myrrha, aut ſolum thus, non eſt diuite homine dignum munus: oportuit ergo myrrham & thus illuſtrare auro. Præter hanc eam addit rationem Salmeron, quoniam pares erant, & hic illa ſignificata in muneribus myſteria fide acceperant, & oblatione proteſtabantur ipſa. Denique Lapide citat pro hac ſententia hos etiam Iuvencum, Ambroſium, Remigium, Lyranum, Carthuſ. & Bedam, ac rectè conciliat cum alijs, quod primus plus auri, alter plus thuris, tertius plus myrrhæ Chriſto conſecrarit; qua ratione reuelationes etiam quædam ſunt explicandæ, de quibus ſuo loco. Barrad. & Salmer. alii ſententiæ huius aſſertores. conciliatur vtraq;

CAPVT XXXV.

Aurum, thus & myrrha, quid ſecundum literam: & quas dignitates in Chriſto deſignent myſticè.

AMagis hæc tria fuiſſe dicata Chriſto: & quia patria ipſorum iſtis abundabat: & quia tunc ijſdem Chriſtus maximè videbatur indigere, cui vt Regi tributum pendere volebant, certum & exploratum eſt, eaq; literæ expoſitio duplex eſt: priorem reperio apud Suaretz. S. Bernardus alteram indicat. *Vnde obiter*, ait Suaretz, *colligimus literalem rationem, ob quam Magi hæc dona obtulerunt, fuiſſe: quia illorum regio illis donis maximè abundabat. & in maiori æſtimatione & pretio habebantur inter ipſos. Congruenter igitur vt Regi ac Domino, vel quaſi decimas, vel tributa ſingulorum deferebant, vt ei ſubiecta cuncta profiterentur: præſertim cum ijs opus habere videretur teſte* S. Bernardo: *Obtulerunt*, ait, *Magi Domino aurum, thus, & myrrham: hæc fortaſſis pro loco & tempore neceſſaria videbantur: auri pretium ob paupertatem, myrrhæ vnguentum ob infantilis, vt aſſolet, corporis tenæritudinem: thuris odoramentum ob ſordidam ſtabuli manſionem.* duplex ſenſus literæ. Suaretz. diſp. 14. ſect. 3. S. Bernardi.

Sed myſticos præcipuè ſenſus à Spiritu S. intentos eſſe, nemo ſanctorum Patrum dubitat qui cum ſine numero ſint, præcipuis contentus ero. Vulgatiſſimus eſt, quem variis in locis inſinuaui hic pluribus teſtibus, prætermiſſis alias, ſtabiliam, interpretatio nimirum de Chriſti diuinitate, regia dignitate, & mortali humanitate. vt Caluinus & eius ſequaces redarguantur: qui negant à Magis in Chriſto adoratam diuinitatem. myſticus: de triplici Chriſti dignitate. S. Irenæus. lib. 3. contrà Valent. c. 10. initio.

Irenæus ſecundo ſeculo ſic fidem Magorum commendauit. *Matthæus Magos ab Oriente venientes, ait, dixiſſe, vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum: deductoſque à ſtella in domum Iacob ad Emmanuel, per ea; quæ obtulerunt munera oſtendiſſe quis erat, qui adorabatur: Myrrha quidem, quod ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur & ſepeliretur, aurum verò quoniam Rex cuius regni finis non eſt: thus verò quoniam Deus qui & notus in Iudæa factus eſt, & manifeſtus eis, qui non quærebant eum.* Sequenti ſeculo Origenes: *Vene-*

Origenes. lib. 1. contra Celsum.

Venerunt Magi in Iudæam, ferentes dona composito ex mortali & Deo. Aurum in signum potestatis regiæ, vt morituro myrrham, vt Deo thus.

S. Cyprian. quomodo Christus sacerdos.

Cyprianus idem docuit, de quo supra qui *Thure*, ait, sacerdotij etiam Christi dignitatem indicatam: quod Breuiarium Romanum recipit & Salmeron ita exponit: *cognouerunt cum verum Deum atque vnum Pontificem, orantem pro nobis, & preces nostras ad Deum offerentem: ita vt per illum exaudiamur ac boni odoris reddamur.*

Petr. Alex.

Petrus Alexandrinus, *Obtulerunt ei conuenientissima & decentissima donaria aurum, thus & myrrham: tanquam Regi; & Deo & homini.*

can. 13. S. Basilius. de humana Christi generat.

D. Basilius, *Vt Regi aurum, vt morituro myrrham, vt Deo thus obtulerunt:* S. Gregor. Nazianz. *Cum stella curre, cum Magis dona offer, aurum, thus & myrrham, vt Regi, vt Deo, & vt salutis tuæ causa mortuo.*

S. Gregorius Nazian. de Christi natiu. Iuuencus.

Secutus hos Iuuencus Hispanus. *Aurum, thus, myrrham Regique hominique Deoque dona ferunt.* Laudat hoc carmen & sequitur.

S. Hieron. in 2. Matt.

S. Hieronymus his verbis: *Pulcherrimè munerum sacramenta Iuuencus presbyter vno versiculo comprehendit.* Huic coæuus S. Ambrosius: *Quæ sunt veræ fidei munera? Aurum Regi, thus Deo, myrrha defuncto: aliud enim Regis insigne, aliud diuinæ sacramentum potestatis, aliud honor est sepulturæ, quæ non corrumpat corpus mortui; sed reseruet.*

S. Ambros. in 2. Luc. S. Chrysost. ho. 1. ex variis in Mat.

S. Chrysostomus: *Qui & salutare Domini natum Christum Dei filium nunciauerunt, & in oblatis muneribus Christum, & Deum, & Regem, & hominem constentur: nam in auro regni potestas, in thure Dei honor, in myrrha corporalis sepultura demonstratur: & idcirco aurum vt Regi, thus vt Deo, myrrham vt homini obtulerunt.*

S. Maxim. ho. 2. in Epiph.

S. Maximus: *Honoris est, quod offerunt Gentiles munera; gloriæ, quod adorant: Vnum ab illis defertur, vt Regi; aliud exhibetur vt Deo.* & ho. 3. *deferunt Magi munera, quæ non tam munera, quam mysteria probarentur.*

S. Hilarius. ho. in Epip.

S. Hilarius: *Isti Magi, qui ad illa cœlestis pueri veneranda cunabula peruenerunt quid aliud expresserunt in istis muneribus, nisi fidem nostram? per aurum Rex ostenditur; Deus thure agnoscitur, per myrrham, quæ condiendis est apta corporibus, sepultura crucifigendi hominis prædicatur.* S. Augustinus: *Triplicium munerum numero triplex significatio continetur: in thure obtulerunt Deo honorem; in auro Regiam dignitatem, in myrrha corporis sepulturam.* Et alibi: *Exhibent Magi aurum, thus & myrrham, plus in mysterijs quam in conscientijs offerentes. In auri munere Regia dignitas, in thuris vapore diuina maiestas, in myrrhæ specie sepelienda demonstratur humanitas: ac sic Trinitatem oblationum numerus loquitur: vnitatem deuotio vna testatur.*

S. August. tr. hom. 29. de temp. hom. 36.

S. Fulgent. ser. de Epiphan.

S. Fulgentius: *Per ista trium munerum genera in vno eodemque Christo & diuina maiestas, & Regia potestas, & humana mortalitas insinuatur: thus enim ad sacrificium, aurum pertinet ad tributum, myrrha pertinet ad sepulturam mortuorum.*

S. Leo ser. 1.

S. Leo: *Vt Sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur; thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi scienter diuinam humanamque naturam in vnitate venerantes.*

S. Chrysolog. ser. 2. de Epiphan.

S. Chrysologus: *Vnde tanta munerum scientia mysticorum? vnde donorum Sacramenta tanta, non Chaldæa arte, sed de prisca sanctorum traditione maiorum: erant isti de genere Noë, filij Abrahæ, qui Christum nasci per Deum didicerant, eumque hominem, Deum, Regem, moriturum alto coguouerant Sacramento: hinc, est, quod apta Patrum fidei munera portauerunt: vt aurum Regi, incensum Deo, morituro myrrham scienter offerrent, talique muneri & pietati satisfacerent & honori*

Theodotus Ancyr. hc. de natiuit.

Theodotus Ancyranus: *Triplicem namque munerum speciem adferunt, aurum, thus & myrrham: aurum quidem, quia is Rex est qui honoratur: thus quia Deus erat, qui natus est, id enim secundum consuetudinem offerebant eis, quos Deos putabant: obtulerunt quoque & myrrham passionem, vt arbitror, mortis per hoc annunciantes.*

Con-

Consentiunt Poëtæ post Iuuencum, Prudentius

Prudentius de Epiphan.

Hic pretiosa Magi sub virginis vbere Christo
Dona ferunt puero: myrrhæque & thuris & auri
Miratur genitrix tot casti ventris honores:
Seque Deum genuisse hominem, Regemque supremum.

Claudiano hæc tribuuntur

Claudianus.

Dant tibi Chaldæi prænuncia munera Reges
Myrrham homo, Rex aurum, suscipe thura Deus.

Et Sedulius

Sedulius.

Thesaurique simul pro religione solutis
Ipsa etiam vt species possent ostendere Christum
Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulto.

Idem tenet Isidorus Hispanus. *Magi figurauerunt Gentium populum, legem fidei cogniturum, indicantes Sacramentorum muneribus Christum per thus esse Deum, per myrrham hominem passum, atque sepultum, per aurum Regem omnium seculorum.* S. Isidorus in allegorijs noui test.

S. Gregorius: *Magi aurum thus & myrrham deferunt: aurum quippe regi congruit; thus vero in Dei sacrificium ponitur; myrrha autem mortuorum corpora condiuntur: Eum ergo Magi, quem adorant etiam mysticis muneribus prædicant, auro Regem; thure Deum; myrrha mortalem.* S. Greger. ho. 10 in Euang.

Venerabilis Beda: *In auro regalis dignitas ostenditur Christi, in thure eius verum Sacerdotium, in myrrha mortalitas carnis.* Beda in 2. Matt.

Haymo: *Aurum ergo Magi obtulerunt Domino, quia crediderunt eum esse Regem: thus ei obtulerunt, quia crediderunt eum esse Deum: myrrham ei obtulerunt, quia crediderunt eum esse mortalem in substantia carnis nostræ.* Haymo.

Christianus Druthmarus: *Aurum vt Regi: quia illud est gloria mundi, & Reges à subditis sibi hoc exigunt: thus vt Domino, quia semper & apud paganos Deicolas hoc pigmentum Domino fuit oblatum & consecratum; myrrham dederunt, quia morituru pro mundi salute cognouerunt.* Druthmar

Glossa ordinaria: *Per hæc tria intimantur, regia potestas, diuina maiestas, humana mortalitas.* Glossa.

Petrus Damiani: *Aurum Regi, Sacerdoti thus, myrrham mortali: fuit enim ex regia & sacerdotali tribu; fuit Rex, fuit & sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* Petrus Damian.

Theophylactus: *Aurum obtulerunt ei vt Regi, thus autem vt Deo; myrrham vt degustaturo mortem. Vides Magorum fidem, quod & à Propheta Balaam dicerunt Dominum, & Deum, & Regem esse ac pro nobis morituru.* Theophylact. in 2. Matt.

Euthymius: *Aurum siquidem regiæ dignitatis erat symbolum: subditi enim auro Regibus tributa pendunt, thus autem diuinitatis, thus namque Deo adoletur: Myrrha verò mortalitatis: hac enim veteres vngebant mortuos, ne putrescerent: ab his igitur, quæ protulerunt, muneribus demonstrarunt eum, qui apparuit puer & Regem esse & Deum: ac tanquam hominem propter homines moriturum.* Euthymius in 2. Matt.

Hos vndecim priorum seculorum Patres sufficia contra Caluinum attulisse, qui negat à Regibus Christum vt Deum agnitum & adoratum.

Reliquorum V. seculorum Doctores sine numero & in manibus sunt, qui hanc eorum fidem & religionem contestantur:

Quibus ferè ijsdem autoribus confirmatur, ijs insigne Prophetiæ donum diuinitus fuisse collatum: quo ea fidei mysteria futura longè ante prænouerunt & mysticè declararunt, vt deinceps apparebit.

CAPVT XXXVI.

Sensus alij de Christo allegorici.

sensus allegoricus quis sit.

ALLEGORICVS sensus scripturæ continet aliqua, quæ ad fidem & Ecclesiam militantem reuocantur: cuiusmodi multa, quæ de Christi vita credimus facta, tunc Reges donis suis futura prænunciabant. Hoc sensu multi, (quos superiori capite laudaui) Christi dicunt mortem vel sepulturam eis muneribus esse significatam. Vt Irenæus, Ambrosius, Chrysostomus, Hilarius, Augustinus, Chrysologus, Theodotus, Basilius, Isidorus, Theophylactus, Euthymius:

qui sentiãt eos Christi mortẽ præsignasse.

Non enim tantum (quod superiore capite probandum erat) hi Christum Regem Deum vel sacerdotem ac mortalem, patibilemque hominem esse asseruerunt, sed & morituri vel sepeliendi notas in muneribus explicarunt.

qui resurrectionem S. Cyprian. S. Ambros. Theophylact.

Ex his nonnulli simul resurrectionem seu incorruptam agnoscunt Christi sepulturam. Vt S. Cyprianus: *In myrrha*, ait, *incorruptibilem, quamuis patibilem profitentur*: S. Ambrosius. *Aliud est honor sepultur, æquæ non corrumpat corpus mortui, sed reseruet.* Theophylactus: *Iudæi cum myrrha sepeliunt, vt corpus maneat incorruptum: myrrha enim cum sicca sit, arefacit, exsiccat humiditatem, & non sinit innasci vermes.*

S. Hilarius.

Clarius Resurrectionem Christi & alia mysteria S. Hilarius & Rupertus eliciunt. Primus quidem ait, *In auro Regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo, atque ita per vocationem eorum sacramenti omnis consummata est cognitio: in homine mortis, in Deo resurrectionis, in Rege iudicij.*

Rupertus.

Rupertus verò per 4. mysteria 4. facies propheticorum animalium significatas putat in donis adumbrasse: *Myrrha*, ait, *faciem vituli inuenerunt, id est, Sacramenti passionis, qua ipse sacrificandus. Atque myrrha & aloës mixtura condiendum erat in sepultura corpus eius: aurum faciem Leonis, id est, gloriam resurrectionis, per quam caro, quam ex nobis mortalem susceperat tantum meliorata est, quantum aurum puluere seu limo terræ pretiosius est: thure faciem aquilæ volantis, id est, sublimitatem adscensionis, & confessionem ad dexteram Patris: ex quo dato hominibus Spiritus S. est cognitus, quod sit idem filius Dei, cui sacrificium incensi legitimum iure debeat offerri.*

virtutes Christi patientis. Cornelius à Lapide.

Cornelius à Lapide ex ijsdem eruit virtutes, quibus Christus cruento seipsum sacrificio cœlesti Patri immolauit.

Vt *Aurum*, ait, *dum ex aurea caritate, scilicet ex amore hominum seipsum immolauit: ac vt myrrham amarissimæ passionis dolorum & tormentorum: atque vt thus summæ religionis, submissionis, venerationis, & latriæ, vnde eadem feria sexta, qua Christus se obtulit in cruce, Magi quoque hæc tria munera Christo obtulerunt: traditio enim est Christum natum esse die Dominico, à quo si numeres tredecim dies, incides in feriam 6. hebdomadæ sequentis: Magi enim adorarunt eum decimo tertio ab ortu eius die, quo Ecclesia eorum memoriam recolit.* Citat Suaretz 3. p. q. 36. Addit Christum SS. Trinitati trina obtulisse dona carnem, animam, & diuinitatem.

Suaretz.

CAPVT XXXVII.

Anagogicè de Christo & Ecclesia explicantur.

quis sensus Anagogicus.

DEr eâdem sancti Patres affirmant Reges tres tam ea, quæ triumphanti Ecclesiæ sunt euentura, quam Christo glorioso quasi prophetico spiritu præsignasse.

S. Maxim.

Deferunt ait S. Maximus: *Magi munera, quæ non tam munera, quam mysteria probarentur: offerunt & aurum: in auro Fratres ostenditur captiuitatis nostræ pretiosa redemtio: in thure autem Dæmoniorum superstitio cessatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur: in myrrha verò, qua exanima solent corpora conseruari, præfiguratur carnis nostræ repa-*

reparatio, & resurrectio mortuorum, hæc autem offerri Christo tam sacra donaria non Magorum arbitrium, sed inspiratio omnipotentis elegit. Hic allegoricus miscetur anagogico. sanctus Chrysostomus ex ijsdem gloriam Christi Domini describit, qua cultus ei à cœlestibus, & terrestribus, & damnatis deferetur. *Si aliud*, ait, *mysterium contemplari lubet, in promtu erit illud accuratè discere: aurum, thus & myrrham recens nato offerunt & quia de illo scriptum erat, ipsi flectetur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum: his muneribus quod futurum erat, prænunciare voluerunt: auro significantes cœlestium Angelorum doxologiam, qua Christum indesinenter celebrant, thure terrestrium hominum genuflexionem, myrrha animarum, quæ apud inferos detinentur supplices preces.* Sanctus Bernardinus vult ijs gloriæ cœlestis beatitatem significari: *Ad hoc*, inquit, *significandum secundum anagogicum sensum sanctissimi Magi offerunt ei aurum, quod præfigurat in patria splendorem visionis, thus dulcorem fruitionis, & myrrham tenorem incorruptibilis possessionis.*

S. Chrysost. tom. 7. hom. in natiu. Domini.

S. Bernard. ser. 24. de Epiph.

CAPVT XXXVIII.

Tropicè accommodantur eadem dona varijs Ecclesiæ militantis statibus.

SEucherius eadem tribus accommodat Ecclesiæ statibus Doctorum, Martyrum, pœnitentium: *Habet Ecclesia aurum in sapientia, thus vero in sancta & bene Deo redolente conuersatione, myrrham autem in amaritudine pœnitentiæ, & carnis mortificatione. Aurum igitur offerunt Doctores; thus Martyres & Confessores; myrrham iam pœnitentes peccatores: in alijs itaque aurum fulget; in alijs thus suauiter redolet; in alijs myrrha sapienter amarescit. Quid aliud Deo offerre possumus? omnis nostra oblatio in his tribus muneribus continetur. Talia igitur munera obtulerunt Magi, in quibus ea fidei veritatem, & totam Ecclesiæ disciplinam significabant.*

Eucherius hom. de Epiphan.

Doctores aurum Martyres thus, pœnitentes myrrham offerunt.

Eadem sancti Patres fidei diuersis articulis, adiectis hominum varijs statibus applicant. Rupertus: *Et huiusmodi tota quidem illi offert Ecclesia dum credens & confitens, quod verè passus, mortuus, & sepultus fuerit, vitiorum in se mala propter eum mortificat: maximè autem exercitus martyrum, qui gustu mortis amaro eius passioni communicarunt: item thus eiusmodi tota quidem illi offert Ecclesia, credens & confitens, quia verè Deus est, & omnis in eo plenitudo Deitatis corporaliter inhabitat, maximè autem sanctorum ordo sacerdotum, qui propter eum cœlibem ducentes vitam super altari præsto sunt offerri illi incensum dignum, & omne sanctum iugiter sacri eius exsequi sacri altaris eius ministerium: itidem aurum eiusmodi tota quidem illi offert Ecclesia, credens & confitens, quia resurrexit, & immortaliter regnat, qui mortalis & mortuus fuerat: maximè autem Regum & principum potentia, ainitumque fidelium opulentia, qui ad construendas nomini eius ecclesias aurum & argentum ei fideliter obtulerunt, domumque eius, qui cum diues esset propter nos pauper factus est, largis donarijs ditauerunt.*

lib. 2. de gloria Christi.

martyres myrrham.

sacerdotes thus.

Reges aurum.

Alij sanctorum Patrum dum hinc fidei articulos credendos colligunt hæreses per hæc dona confutatas redarguunt: vt S. Fulgentius, Chrysostomus, Gregorius & alij, quos libro primo laudaui.

Multi per eadem munera vota designari volunt Religiosorum auro: paupertatem, thure obedientiam, myrrha castitatem, ita Lapide hoc loco. Videri etiam Cottonus potest in concionibus.

accommodantur tribus votis Religiosis.

Pulchrè Salmeron: *Religiosi, qui peculiari ratione se diuino famulatui manciparunt, offerunt aurum per votum paupertatis, omnibus fortunæ bonis renunciantes, thus per votum obedientiæ, seipsos in perpetuum vitæ offerentes holocaustum Deo: myrrham verò per votum castitatis carnis motus coërcentes, atque ab omni incontinentia petulantiaque seruantes.*

Salmeron tract. 40.

His tribus donis hoc assequitur religiosus, vt sublatis omnibus creatis rebus intime Deo soli sic adhæreat, vt cum Deum inter & religiosum nihil intercedat vnus quasi spiritus cum eo efficiatur. Quod rectè aduertit Albertus M. *Nihil*, ait, *erit medium inter te & Deum: quod sic patet. Quia nec res aliqua abextra: cum per votum voluntariæ paupertatis ablata sit omnis rei possessio, vsque ad vltimum: per castitatis votum corpus, & per obedientiam voluntàs, & ipsa anima: & sic quodammodo nihil relinquitur, quod mediet inter te & Deum.*

B. Albert. M. lib. de adhærendo Deo.

CAPVT XXXIX.

Applicantur tribus virtutibus sapientiæ, orationi, mortificationi.

S. Ambrosius ser. de Epiphan. S. Gregorius ho. 10. in Euangel.

CONSPIRANT hoc in scopo sancti Patres S. Ambrosius: *Et vos Fratres offerte illi aurum cœlestis sapientiæ, thus mundæ orationis, & myrrham perfectæ mortificationis.* S. Gregorius: *Auro sapientia designatur saluatore attestante.* Pro. 12. *Thesaurus desiderabilis requiescet in ore sapientis. Thure autem, quod Deo incenditur, virtus orationis exprimitur.* ps. 140. *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Per myrrham verò carnis mortificatio figuratur: vnde S. Ecclesia de suis operarijs vsque ad mortem pro Deo certantibus dicit: manus meæ distillauerunt myrrham.* Cant. 5. *Nato ergo saluatori aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ resplendemus: thus offerimus, si cogitationes carnis per sancta orationum studia in ara cordis incendimus, vt suaue aliquid Deo per cœleste desiderium redolere valeamus: myrrham offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus: per myrrham namque agitur ne mortua caro putrescat.*

Glossa. Glossa ordinaria: *Nos ergo thus offerimus, si cogitationes carnis in corde per studium orationis incendimus: aurum dum superna sapientia resplendemus: myrrham carnis vitia per abstinentiam mortificamus.*

Haymo. Haymo: *Per aurum intelligitur sapientia, iuxta quod Salomon omnium sapientissimus dicit. Thesaurus desiderabilis requiescet in ore sapientis: per thus intelligitur munda oratio, per myrrham mortificatio carnis exprimitur.*

T. Thomas. S. Thomas Aquinas: *Per aurum potest signari sapientia. Pro. 2. si quasi thesauros effoderis illam: per thus oratio deuota. ps. 140. dirigatur Domine: per myrrham mortificatio carnis. Col. 3. mortificate membra, quæ sunt super terram.*

tribus virtutibus Theologicis.

Præterea tribus virtutibus theologicis eadem dona solent applicari. Hoc docet S. Chrysostomus: *Cumque*, ait, *tres virtutes eum, qui ad Christum accedit, possidere oporteat, vt ait Apostolus, fidem, spem, & caritatem, apertis thesauris sui cordis, obtulerunt fidem, vt aurum fulgens, spem vt thus suaueolens, caritatem vt myrrham membra Ecclesiæ conglutinantem.*

S. Chrysostomus.

Innocentius 3. Innocentius Tertius: *Apertis thesauris non pecuniæ, sed sapientiæ: de quibus Matt. 13. dicitur: quod omnis scriba doctus in regno cœlorum de thesauro profert noua & vetera. Et Salomon Eccl. 9. in thesauris sapientiæ significatio disciplinæ; his ergo thesauris apertis, fideles offerunt munera, aurum, thus & myrrham, aurum contemplationis in fide, thus orationis in spe, myrrham compassionis in caritate.*

CA-

CAPVT XL.

Et tribus bonorum operum generibus eleëmosynæ, ieiunio, & orationi.

Homo totum se Deo quomodo offerat.

DE hæc tria bonorum operum genera potest homo se, suaque omnia penitus diuinæ maiestati consecrare. Nam per eleëmosynam externa bona; per ieiunium & quamuis corporis afflictationem velut myrrham corpus; per orationem animam Deo dedicat: vt thuris accensi instar totus euaporet in Dei holocaustum, vt probat S. Thomas his verbis: *Ex bonis fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleëmosynam: ex bonis corporis per ieiunium; ex bonis autem animæ per hoc, quod ea submittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationem.* Præit hic iterum S. Chrysostomus: *Obtulerunt Magi aurum, tu offer temperantiam, & virtutem: obtulerunt illi thus, tu offer puras preces, & incensum seu sacrificium spirituale: obtulerunt illi myrrham: tu offer humilitatem, & cor humiliatum & eleëmosynam.*

S. Thomas p. 3. q. 15. a. 3. in c.

S. Chrysost. orat. in S. Philogoniã

Sanctus Augustinus: *A nobis autem aurum accipit Christus, si eleëmosynas facimus, thus si orationes fundamus; myrrham si pro illo moriamur.*

S. Augustser. 1. lib. 50. hom.

S. Bernardus: *Aurum inter diuitias seculi videtur excellere, quod per eius gratiam omnes nos deuotè obtulimus saluatori, cum pro eius nomine ex integro dereliquimus substantiam huius seculi: iam vero necesse est, vt qui perfectè terrena contemsimus, flagranti desiderio cælestia requiramus. Sic enim offerimus & thuris odoramentum, quo nimirum, vt in Apocalypsi B. Ioannis legis, significantur orationes sanctorum. Vnde & Propheta in Psalmo; dirigatur, inquit, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; sic & in alio Psalmo legis, quia oratio iusti penetrat cælos: oratio inquam non cuiuslibet, sed iusti: nam qui auertit orationem suam, ne audiat legem, oratio eius erit exsecrabilis: porro si iustus esse volueris, & non auertere aurem tuam à mandatis Domini, ne auertat & ipse suam à precibus tuis, necesse est, vt non solum præsens seculum contemnas, sed & ipsam carnem castiges, subijcias seruituti: nam qui dixit, nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et alibi: si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Idem ipse in alio loco dicit. Qui vult venire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me: Quod exponens S. Apostolus Quicunque, inquit, sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Duas igitur alas habeat oratio nostra, contemtum mundi & afflictionem carnis, nec dubium, quin cælos penetret, & dirigatur sicut incensum in conspectu Dei.* videri de his Iansenius, Lapide & Morales potest.

Psal. 140.

Eccl. 35.

Luc. 14. Matth. 19.

alæ duæ orationis.

Quidam ieiunio sapientiam vel fidem substituunt.

Autor operis imperfecti: *Aurum sunt perfecti fideles & sapientes, dicente Apostolo: si quis ædificat aurum, argentum, lapides pretiosos. Si quis ergo præbet se Christo fidei & sapientiæ plenum obtulit ei aurum, thus autem est oratio, sicut scriptum est; dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Si quis ergo Christo mundam offert orationem, obtulit ei thus: myrrham æstimo esse opera bona: quoniam sicut myrrha defunctorum corpus insolubile seruat, sic opera bona Christum crucifixum, in memoria hominis perpetuum seruant, & hominem seruant in Christo. Primo enim oportet offerre Christo fidem rationabilem, deinde orationem mundam, tertio opera sancta. Tu ergo quando venis ad Ecclesiam ad adorandum Deum, munera tecum in manibus tuis porta: da non habentibus, & pete ab illo, qui habet, vt oratio tua bonis operibus commendetur.*

Autor operis imperfecti in 2. Matt. fidei aurũ offerendũ.

Glossa ordinaria: *Aurum*, ait, *est perfecta sapientia, thus oratio munda, myr-*

Glossa.

myrrha operatio bona: primum ergo fides Christo offerenda, deinde oratio, tertio eleemosyna: infirma est oratio, quam non munit eleëmosyna.

Guarricus ser. de Epiph. incipientes myrrhã dant.

Denique Guarricus ad tres gradus incipientium, proficientium, & perfectorum accommodat: *Myrrham*, inquit, *myrrham electam atque probatissimam Domino cum Regibus Rex & ipse obtulisti, si interim, dum non sufficit manus tua ad offerendum aurum sapientiæ, aut thus deuotionis, saltem cor contritum corpusq; afflictum cum amaritudine pœnitentiæ Domino sanctificasti: existimo enim myrrham esse primam oblationem incipientium. Deinde thus proficientium, demumque aurum perfectorum, atque idcirco cum simul ab Euangelista nominata sunt, pretiosiora quæque & digniora pro merito sui prælata esse in ordine nominum: alias namque secundum ordinem profectuum, myrrham thuri prælatam esse inuenis, vt est illud: sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris: & vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris: non paruus enim profectus est, cum de myrrha ad thus proficitur, cum de ista, quæ ad vsus est infirmitatis humanæ ad illud, quod diuinis & sanctis deputatum est sacrificijs peruenitur, vt qui sacrificium spiritus contribulati corporisque humiliati offerebat, non sine myrrha amaritudinis, iam sacrificium laudis offerat cum thure deuotionis, & iuxta promissionem Domini tanta consolatio immittatur lugentibus Sion, vt det illis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris. Iam verò de auro sapientiæ, quæ oblatio perfectorum est loquatur vobis, qui illud assecutus est, quia nec nouit illud nisi qui accipit: magnus profectus ac beatus qui inuenit sapientiam & affluit prudentia: sapientiam in contemplatione æternorum, prudentiam in administratione temporalium: vel vt moderatius sapientem definiam, qui nouit seipsum regere & alium. Pretiosius est hoc aurum cunctis opibus, etiam thure & myrrha: & omnia quæ desiderantur in virtutibus, vel gratijs huic non valent comparari. Denique sapiens tanquam vir virtutum dives in omnibus, & si prævalet aurum offerre in sublimi contemplatione, vel pruaenti administratione, non tamen negligit offerre thus.*

proficientes thus.

perfecti aurum. *Cant. 3.*

CAPVT XLI.

Myrrha mortificationis symbolum reddit amara quæuis amanti dulcia.

HACTENVS vniuersè de muneribus actum est: singula nunc disquirenda. Rectè Guarricus à myrrha ducit exordium, & donum incipientium vocat: quamuis & ideo videatur oblatum esse primo loco, quod mortalem indicaret humanitatem: reliqua siue regiam siue diuinam maiestatem.

Etymon myrrhæ. *Plin. l. 12. c. 15.* qualis arbor. duplex liquor ex ea prior stacte. virtutes & effectus myrrhæ Christo conueniunt vti fasciculo myrrhæ. *Cant. 1. 13.*

Myrrha ab Hebræo mor מוֹר ductum, quod amaritudinem notat, idem est quod amara: congruenter naturæ rei, cui datum nomen est: nam est in Arabia genus arbusculæ minoris, quam thuris sit arbor, adolescit ad cubitos vsque quinque scabra & spinosa. folijs aculeatis, duro & intorto caudice, cuius è vulnere defluit lacryma, gustu acris, & amara, quæ glutinandi siccandi & abstergendi vim habet egregiam: fundit autem arbor duplicem ex se liquorem; vtraque myrrha nominatur: sed primus, quem sponte sudat, stacte, seu gutta vocatur, & myrrha longè optima est & odoratissima: posterior manat ex caudicis incisi vulnere. Habet autem vim variam ad morbos depellendos myrrha: cor confortat & caput exhilarat, vnde mulieres olim siue fasciculum ex folijs, ramusculis, vel floribus myrrhæ colligatum gestabant ex collo ad pectus pendulum: siue pixidem odorationi seruientem, in qua succus condensatus, vel stacte seruabatur: ideo sponsa vel ipsa Gentilitas per primitias suas tres Reges voluit sponsum dilectum, iacentẽ inter pecudes in antro, pauperem, algentem, trementẽ, & vagientem tali fasciculo, comparare verbis istis: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur: quærant alij*

sta-

ſtactem primam, ad cor roborandum & caput exhilarandum: inter vbera foueant odores & delicias ſuas: hic puer candidus & rubicundus, nuper in circumciſione; verè *ſponſus ſanguinum*, pro meis inciſus peccatis, fundens myrrham odoratiſſimam, inter vbera recordationis & amoris mei continui commorabitur: vt eum ſemper verſet memoria, voluntas diligat: hic enim amor meus vnicus, hic odor meus, robur meum, qui cor, qui caput, qui totum corpus, & animam meam exhilarat, confortat, & præſeruat à putore vitiorum: hunc faſciculum dolorum, paupertatis, & contemtus ſponſi mei non iam in pectore; intra cordis abdo penetralia: cor mihi prius, quam dilectum quis eripiat: *Spiritus*, enim, *cordis noſtri Chriſtus Dominus*, ait Ieremias: hac ſtacte cordi inſerta, confortato *abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini mei: Chriſto confixus ſum cruci, viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Hæc dum ſecum ruminant ſancti Reges; dum eius non tantum recens fuſum ſex diebus ante ſanguinem; ſed & fundendum in cruce conſiderant: eundem & mortuum aloë & ſtacte conditum ſepulcro inferendum: & ſponſæ ſuæ inclamantem, *Ego quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris*: myrrham pariter offerre dilecto ſuo voluerunt, teſſeram amoris & indicem; neque enim deinceps licebit carnis illecebris, delicijs & voluptatibus operam dare, & *membrum ſub capite ſpinato facere delicatum*: *faſciculus*, inquiebant, *myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera* cognitionis, amoris, & operationis *commoretur*: vt corporis præciſis illecebris aſperam, ſpinoſam & horridam vitam tali ſub capite traducamus.

verè exhilarat & confortat.

affectus teneri ad Chriſtum. *Tren. 4. Galat. 2.*

Eccl. 24.

Septuaginta vertunt: *Alligamentum ſtactis fratruelis meus mihi, in medio vberum meorum demorabitur*: Ambroſius vertit: *Frater meus vel conſobrinus*: alij *ſororis filius* ſeu *nepos*, quia ſynagogæ filius: frater ob humanitatem: is pectori appenſus odore roborat, & exhilarat: vt eius perpeſſionis memoria & ſuaueolentia trahat, & & quaſi alliciendo cogat ijsdem doloribus, ærumnis, moleſtijs amore ſponſi recreari: ita Origenes: *Fraternus meus mihi guttam redolet: & hanc non diffuſam, neque vt libet diſperſam, ſed colligatam & conſtrictam, quo ſcilicet odor denſior reddatur & vehementior: & hic, inquit, cum talis ſit, in medio vberum meorum demoratur, & commanet, & requiem ac manſionem ſuam facit in loco pectoris mei.* Rectè ſponſus eo loci requiem capit, dum aſſidua cura & diligentia fouetur meditatio paſſionis eius, intentis in eum ſemper mentis oculis, ne vel eius, vnquã nos capiat obliuio: vel quid fiat à nobis, quod ſponſi poſſit oculos offendere, vel quietem interturbare: tunc enim continuo adſpirat & ipſe ſponſæ odorem ſuauitatis: vt dixit Nyſſenus: *Fraternus meus mihi eſt alligamentum, quod è collo ſuſpendo ſupra pectus, per quod bonum odorem præbeo corpori*: corpori ſcilicet non luxu & delicijs marcido, non cibis exquiſitis, & generoſo vino farto, adeoque olenti & patenti; ſed deſiccato, vigenti & ſano, quod decor virtutum è mentis abditis in ipſum redundans corpus ornat & honeſtat.

alia lectio. *Ambroſius.* Meditatio Paſſionis Chriſti. odoratum confortat. *Origenes ho. 2. ex quatuor.*

Nyſſ. ho. 1.

Poteſt enim & à viuis & mortuis corporibus myrrha putorem & humores prauos depellere, vt ſancti Patres copioſè tradunt. quos libet attexere, qui ſolent hinc nos ad deliciarum & luxus fugam excitare.

S. Gregorius: *Per myrrham agitur, ne mortua caro putreſcat, mortuam vero carnem putreſcere, eſt mortale corpus fluxui luxuriæ deſeruire ſicut de quibuſdam per Prophetam dicitur Ioëlis 1. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, iumenta quippe in ſtercore putreſcere eſt, carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire: myrrham ergo offerimus quando hoc mortale corpus à luxuriæ putredine, per condimentum continentiæ cuſtodimus.*

Gregor. ho. 10. in Euang. myrrha putredinẽ arcet.

Theophylactus: *Myrrham*, ait, *offerunt, vt deguſtaturo mortem: nam Iudæi cum myrrha mortuos ſepeliunt, vt corpus maneat incorruptum, myrrha enim cum ſicca ſit, arefacit, & exſiccat humiditatem, & non ſinit innaſci vermes.* Hac igitur noſtri ipſorum victoria contra vitiorum pruriginem & corruptelam vſi medicina, facile prauos humores cupiditatum terrenarũ exhauriemus, vt deſiccata vitijs carne ſponſo noſtrã cauſã mortuo ſimiles efficiamur: quo nos odor ille virtutum Chriſti crebrius conſideratarum rapit, vult enim dilectus ſuo dilecto ſimilis, & ſi poſſet idem cum eo, ſi non natura, voluntatum tamen, & morum conſenſione

Theophyl. mortificatio ſanat vicia.

sione fieri, quam myrrhæ vis illa spiritualis conciliat. *Mortuorum*, ait iterum S. Gregorius: *corpora myrrha condiri solent, ne putrescant: myrrham quippe corporibus ne putrescant adhibemus, dum membra nostra in Christi exemplum, per eorundem mortificationem à putredine luxuriæ restringimus, ne dum ea sine condimento dimiserimus, dissoluta putredine escam vermibus æternis faciamus.* Sed quid est quod dilectum sponsa non myrrham, sed fasciculum myrrhæ nominat? nisi quod dum sancta mens, Christi vitam ex omni parte considerat, contra omnia vitia ex eius imitatione repugnantes virtutes congregat, ex quibus sibi fasciculum myrrhæ aptat, quo carnis suæ putredinem sempiternam abstergat. Ipsa vitæ & perpessionis, ipsa virtutum Christi attenta consideratio, reficit odore, confirmat robore: dolores mitigat, timores pellit: verbo, quod myrrha corpori, hoc illa menti: *Myrrha*, ait Dioscorides, *calefacit, concoquit, saporem gignit, deuoratur in veteri tussi, laterum pectorisque doloribus, in alui profluuio, & dysenteria, horrores discutit, scabritiem arteriæ expolit, obtusam vocem expedit, ventris tineas enecat, contra grauem oris halitum manditur, gingiuas & dentes stabilit, vulnera capitis glutinat, medetur fractis auribus, ac ossibus nudatis: impetigines ex aceto purgat, diuturnas distillationes lenit, oculorum vlcera complet, albugines tollit, caliginem discutit, scabritiem læuigat.* Maiora his commoda solet animæ illi generosa victoria (quam Dominicæ passionis pia gignit consideratio) conciliare: nam palatum purgat, orexin cœlestium acuit, pectoris conuulsiones exinanitis prauis animi cupiditatibus tollit; vocem ad Deum expedit; purgat animi sordes, sentina vitiorum exhausta, grato virtutum odore reficit, oculos, aures, linguam, & sensus externos componit, modestiæ castæ & verecundæ legibus sensus acuit, oculorum inprimis aciem ad diuina & cœlestia peruidenda; aures ad audienda expedit, vt ei desipiant illecebræ carnis, opes sordeant, honores vilescant, animus solis diuinis occupetur & delectetur.

S. Gregorius. Dioscorides lib. 1. c. 67. conglobati effectus myrrhæ. consideratio passionis Christi eadem præstat.

Audi Nyssenum: *Illa anima, quæ suscepit bonum Christi odorem, & cor fecit alligamentum huius suffitus, se ita comparat, vt omnia sigillatim vitæ studia tanquam alicuius corporis membra ferueant spiritu, qui ex corde permeat. Nulla iniquitate in illo membro corporis refrigerante dilectionem in Deum.* Times ne nimia te myrrhæ forsan amaritudo tristem efficiat, stomachum moueat, omni lætitia spoliet? imo mirificè tibi mentis ângores & dolores tollet: & amara faciet omni melle dulciora: experto crede D. Bernardo, cui fasciculus semper inter vbera quiescebat. *Fasciculus*, inquit, *myrrha dilectus meus mihi myrrhæ amara res: dura & aspera tribulationem significat: ea sibi dilecti causa imminere prospiciens, gratulabunda id loquitur: confidens sese omnia viriliter subituram. Ibant, inquit, gaudentes discipuli à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, propterea non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leue præ amore eius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris: bene fasciculus quia parvulus natus est nobis: bene fasciculus: quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis: erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est fasciculus myrrhæ: an non fasciculus, cuius iugum suaue est, & onus leue? non quia leue in se (nec enim leuis passionis asperitas, mortis amaritudo) sed leuis tamen amanti: & ideo non ait tantum fasciculus myrrhæ dilectus meus: sed mihi inquit, quæ diligo fasciculus est. Vnde & dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, & quia fortis est, vt mors dilectio, & vt scias non in se illam, sed in Domino gloriari, neque de propria virtute, sed de Domini adiutorio præsumere fortitudinem, dicit illum inter vbera sua commoraturum, cui secura decantet: etiamsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Annon hunc fasciculum myrrhæ Reges nostri tunc inter vbera gestauerunt, cum tot viæ molestias, vitæ pericula, Herodis insidias amore Iesu cum regnis liberis, coniugibus despexerunt hilariter, aduersa cuncta vnico amore dilecti superarunt? hic fasciculus & corroborabat, & caput exhilarabat, vt constanter iuxta ac hilariter omnia molesta contemnerent, & in dulcibus numerarent:

S. Gregorius Nyss. ho. 3. amata reddit dulcia. Act. 5. cur fasciculus non fascis. Ro. 8. Serm. 43. in Cant. omnia amanti leuia & SS. Regibus.

iam

iam tum in itinere mors Christi quondam subeunda quam donis indicare statuerant, & omnes eius dolores, claui, flagra, & tormenta singulorum animis obuersabantur, quæ sic inflammabant voluntates, vt in mille proruere mortes amore dilecti desiderarent. Audi eundem S. & mellifluum huius fasciculi contemplatorem. *Tu quoque si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam carum fasciculum de principali tui pectoris nec ad horam patieris auelli, amara illa omnia, quæ prote pertulit semper in memoria retinens, & assidua meditatione reuoluens, quopossis dicere & tu: fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Et ego fratres ab ineunte mea conuersione pro acerno meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare & inter vbera mea collocare curaui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei, videlicet infantilium illarum necessitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in ieiunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, postremo periculorum in falsis fratribus, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis silua Euangelica copiosissime noscitur protulisse.*

ob memoriam passionis Christi.

Hi sunt ramusculi, flosculi, lacrymulæ fasciculi nostri, è quibus compactus & pectori alligatus, cor ad audendum roborat, & caput odore recreat, vt aduersa pro dilecto sustinere cum gaudio desideret. Cuius si semper odore mentem recreemus, & nos securi per aduersa quæque læto & infracto animo gradiemur, myrrham indies cum Domino Regibus dedicantes, nos ipsos superando, sensuum titillationes cohibendo, bestiales animi motus edomando, libidinis humorem desiccando, & erit, cum dilectus hortum lætus ingredietur, & dicet, *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*, scilicet cum animum sui victoria triumphantem, è carceris custodia liberum ad æternum beatorum palatium introducet. *Myrrham*, ait S. Gregorius: *cum aromatibus metit, quando mortificatione vitæ ad perfectionem perducta, electum suum ab hac vita succidens ad cæleste horreum cum sancta opinione inducit.*

studium S. Bernardi à tirociaio suo.

cantic. 5.

Deus quomodo metat myrrham cum aromatibus.

Quod vt consequamur, ita calentibus verbis Bernardus concludit, & adhortatur: *Hunc vos delectissimi tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris: habete illum semper non retro in humeris, sed ante præ oculis, ne portantes & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, leuius vestras portabitis, ipso auxiliante Ecclesiæ sponso.*

CAPVT XLII.

Aurum caritatis necessarium ad salutem à Christo emendum.

REGVM hoc donum, à Regibus orbis terrarum legatis, Monarchæ totius mundi, tunc cum Rex vniuersi solenni ceremonia inauguraretur, velut à subditis, non parca manu fuit oblatum, dico non parca manu; licet enim amor paupertatis Deiparæ magnum auri pondus recusasse videri possit, Regum tamen trium munificentiæ congruebat id facere, quod & Reges tres deceret, & mysterio diei conueniret, in quo coronatio Regis Regum acta solenniter, tributum exigebat subditorum. Ceterum num signatum, vel rude fuerit aurum ambigi potest: signatum existimo, fauet nummus, qui Mediolani conseruatur, & puero creditur à Magis esse dedicatus. Hanc quæstionem ita doctè Melchior Inchofer discutit. *Porro*, ait, *in auro præcipui census in illo ratio fuit, quod an signatum, an rude fuerit curiose fortasse quispiam quærat, non ignorans auro locupletes Orientis regiones fuisse semper quam plurimas, signati tamen vsum auri in ijs ad pretia rerum adhibitum ambigens: cui vel Naaman Syrus respondeat, se profectum ad Regem Israël tulisse secum decem talenta argenti, & sex millia, aureos nummos vtique signatos, & qui numerari manu possent miratur Plinius populum Romanum victis Gentibus in tributo semper aurum imperasse,*

aurum signatum oblatum fuit.

apud Syros id vsitatum & Romanos.

peraſſe, quamquam penuria regnorum non euenisset. In rem præsentem parum refert vtrolibet auro Magi Christum donarint: verisimile tamen est fuisse in num-

quando cœptum.

mos elaboratum: nam cum deinde Romani luxum Orientalium secuti penè in contumeliam naturæ vilitatem auro fecerint, insuper & hoc addiderunt, vt in monetas procuderent. Cœpit vero id apud Romanos centum circiter annis ante Christum ortum & sexiaginta duobus, postquam argenteis nummis vsum deaissent, quem dubio procul à Gentibus accep runt, non eis tradiderunt, Sed quomodo tributi & census nomine Christi consignarint, vt Regi, commodius infra considerabo: dum nos hic Reges commonent caritatis & beneficentiæ: vt inter metalla aurum, sic in virtutibus eminet caritas, ideoque primum quasi præcipuum valore & dignitate vereque donum regium ab Euangelista nominatur, sicut donorum primum, si Doctori Angelico credimus, caritas est: *Primum*, ait, *quod damus amor, quo volumus alicui bonum*: vnde manifestum est, quòd amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur. Vnde cum Spiritus S. procedat vt amor, procedit in ratione doni primi. Hoc donum & primum ab omnibus ad salutem exigit, vt maximè necessarium, quo qui caret, velut veste destitutus nuptiali è conuiuio mensæ cœlestis exturbatur. Itaque Prophetiæ, scientiæ, fidei, ceterisque donis & virtutibus omnibus antecellit, nam cum templa nos esse conueniat, in quibus diuina maiestas velùt in cœlesti domicilio conquiescat, omnia sint aurea & caritate tecta necesse est. Eleganter tractat hoc argumentum S. Bruno: *Valde sapientes fuerunt homines isti, qui talia munera Domino obtulerunt; omnium metallorum aurum pretiosissimum est, nec igne minuitur, nec vetustate corrumpitur: omnia vasa tabernaculi aurea sunt, arca, mensa, altare, candelabrum, thuribulum, &c. sic & in templo Salomonis omnia de auro purissimo facta erant, nihil in toto templo nisi aurum videbatur: ad nos Fratres ista respiciunt, nos sumus vasa tabernaculi, diuitiæ Dei, arcana Dei, sapientia Dei; si in corde tuo reposita sunt, tu arca es; si cibis spiritualibus alios paseis, tu mensa es; si sapientiæ doctrinæque lumine alios illuminas candelabrum es; si de tua sancta conuersatione bonum odorem circumquaque diffundis thuribulum es; si Spiritus S. dignum habitaculum in corde tuo præpararis, templum Dei es, hoc enim dicit Apostolus, nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Sanctus habitat in vobis. Aureos ergo nos esse oportet, siquidem tabernaculi vasa sumus, sed videat quisque quale aurum offerat Domino, ipse enim falli non potest, faber est & filius fabri, non Ioseph, vt Iudæi dicebant, sed illius, qui cœlum fabricauit & terram.* Sed vnde pauperes nos & egentissimi rerum omnium tantum auri corrademus, & probatissimum, vt templum Domino, & vasa cum omni supellectile vestiamus auro? Certe Dauidis prudentissima munificentia centum & octo millia talenta auri; argenti vero decies centena & septemdecim millia Salomoni consignauit in templum Dei profundenda, quæ summa longe ter mille & ducentos milliones auri superat Prado & Villalpando testibus. Sed ipse qui templum à te sed aureum expetit, velut Dauid alter vltro emendum offert aurum probatissimum, faber ipse scitissimus est, & auri explorator solertissimus, non decipiet *Suadeo tibi*, inquit, *emere à me aurum ignitum, vt locuples fias*, frustra colligis à mundo, vel amicis, vel tua ipsius industria: scoriã congeris, non aurum, quod nec ignem, nec ætatem fert, non homines, non Angeli verum tibi conferre possunt aurum, vnus & solus qui fabricatur id Deus & potest & offert: pretium quæris, exile sanè & obuium, pete, paratus id ipsum recipere & conseruare, nec dubites, quin sis obtenturus, plura etiam quam sperare potuisses: *dilata*, ait, *os tuum*, pete inquam, *& implebo*, donis cœlestibus, in quibus aurum eminet caritatis, *Petite*, ait, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis: omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur*, indignatur etiam petentium raritatem, tarditatem & negligentiam: *vsque modo non petistis quidquam, petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.*

caritas eo designatur.

S. Tho. 1 p. q. 38. a. 2. prima donorum. necessaria ad salutem.

omnia vestiri debent auro caritatis in tẽplo animæ. S. Bruno hom. de Epiph- in eo arca Dei. mensa. candelabrum. thuribulũ. Cor. 3.

aurum sit probatum.

in Ezech.

idDeus nobis offert. Apoc. 3.

Psal. 80.

Matt. 7. 7.

Io. 16. 24.

Solus igitur Deus id aurum caritatis offert, & confert ementibus, quamuis dispensatores sæpius adhibeat sacerdotes, qui in administratione sacramentorum eam Dei nomine nobis largiuntur. Sed cur ignitum requirit aurum nostrum? an sincerum vult, purum & ab omni purgatum scoria? hac liberatur, dum igne calamita-

& ignitum.

tum

rum & aduersarum rerum excoquitur, tunc enim in tenebris etiam vt ignis splendet radiat, & accendit. *Suadeo tibi*, ait Richardus victorinus in hunc locum, *à me eme-re aurum, id est caritatem luce intimi splendoris fulgidam, feruore dilectionis ignitam, in electis meis per fornacem tribulationis probatam, eme impensis rationis à me, à quo sunt certa bona spiritualis gratiæ, vt locuples fias; quamdiu namque sine caritate fueris, ceteris donis ditari non poteris; sed sine ipsa semper pauper eris.* Forte grauandum te credis auri pondere, metuis prædones ne deprehendant & auferant: eadem caritas, quæ aurum, & margarita longe pretiosissima est, ea vas auri valore superat, quam sola sub lingua, vel inter prædones securus periculi licebit abdere, audi S. Augustinum: *Si piger eras ad perscrutandos thesauros, non sis piger vnam margaritam sub lingua ferre, & quo vis securus ambula: hæc est margarita: diliges Dominum Deum tuum, &c.* hæc ita locupletat, *vt si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, quasi nihilum reputabit*; habet enim is iam non aurum in arca, sed Deum in corde, qui cum sit auri procreator, iure debet omni auro anteponi: idem enim rectè docet: *aurum habens in arca diues est, Deum habens in conscientia diues est, coniunge aurum & Deum, arcam & conscientiam.*

in hunc locum.

gemma etiam dicitur.

de Christiana disciplina.

sola locupletat.

Hoc aurum verè nobilitat possidentem, vt qui terræ filius erat, iam cœli ciuis & regni cœlestis heres constituatur, non hominibus, sed Angelis similis, qui beatorum instar iam impatibilis, quo magis aduersis excoquitur, velut igne, hoc emicat purius, rutilat clarius: Hoc aurum vt offerrent Magi, mundi prius amorem, carnis illecebras, opum affluentiam velut puluerem, lutum, sordes abiecere, non capit arcam cordis mundi aurum & Christi, illud effundendum vt hoc recipiat. *Bono*, ait, S. Augustinus: *implendus es, funde malum, funde vt implearis: putas quia melle vult te implere Deus, si aceto plenus sis*, disce cum Magis non diligere mundum, vt discas diligere Deum. Ama verum præstercore, & diuinum aurum: dic cum Apostolo, *hæc omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Tunc verum te subditum suum agnoscet Christus Rex, cum suo te viderit auro radiare, fulgere insignibus, cum nihil nisi quod Christus, amaueris, nihil volueris, nisi quod Rex tuus voluerit, vna tibi cum Christo & communis voluntas sit, arcam tuam expurgasti, aurum recipies diuinæ caritatis, res capacissima est voluntas Deo consecrata, hanc Deo cum Cottono verbis istis dedica.

amor mundi excutiendus.

stercus est non aurũ.

Hæc est vltima supremæ meæ voluntatis dispositio, quod aliud scilicet non velim nisi quæ tu vis, vt tua voluntas mea sit, mea tua, ego tuus sim & tu meus, tu per vnicam clementiam, bonitatem, caritatem, misericordiam meus; ego per creationem, redemtionem, iustificationem vocationem, oblationem, & per quidquid ad naturam gratiam, & gloriam spectat tuus, & ob hanc causam non aliud in posterum mihi cogitandum, aiendum, aut faciendum, quam propter te: si modo verum, eum qui esse dedit, dare quoque quæ ad esse referuntur, & te ipsum donante, mihi vt & dedisti humananitatis tuæ cogitationes, verba & opera, decus & splendorem addere ijs, quæ tibi vnita sunt ea vnione, de qua ipse Deo Patri tuo dixisti: rogo te Pater, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, opera enim, verba & cogitationes meæ non magis apud Deum Patrem tuum apparebunt, quam aquæ guttula vino plurimo infusa, vel ipsa ferri nigredo & duritics, dum fornace id educitur, ita fiat Deus meus, ita in perpetuum sit.

oblatio sui & voluntatis propriæ.

Io. 17.

CA

CAPVT XLIII.

Thus orationis ardentis penetrat cœlum, recreat cœlites.

thuris etymon.

LICET Priſcianus Thus ſine adſpiratione à tundendo dictum eſſe vellit Græcæ tamen alij malunt originis eſſe, ſiue à θυόω odorem facio ſiue melius à θύω ſacrifico deriuaris, quod apud omnes gentes thure Deo ſacrificabant. Erat hunc in finem Hebræis altare Thimiamatis, in quo Aaronici ſacerdotes mane quotidie Deo iubebantur incenſum adolere. *Adolebit*, ait, *ſcriptura Domino incenſum ſuper co*

Exo. 30. *Aaron ſuaueolens mane.*

Perſarum mos adorãdi Reges thure.

Apud Curtium vulgatum Perſarum Regibus thure fuiſſe ſacrificatum. Hinc Cleo, cum Macedones ad Alexandrum diuinis honoribus colendum hortatur: *Merita*, ait Curtius: *eius percenſuit, quibus vno modo gratia referri poſſet, ſi quem intelligerent Deum eſſe, confiterentur exigua thuris impenſa, tanta beneficia penſaturi,*

lib. 8. *n.* 6. *cui liberè & falsè reſpondit Calisthenes. Scilicet ego & tu Cleo Deos facimus, a nobis diuinitatis ſuæ autoritatem accepturus eſt Rex? potentiam tuam experire, fac aliquem Regem, ſi Deum potes facere? facilius eſt imperium dare, quam cœlum: Dij propitij noſtris meritis nos velint eſſe contentos, non pudet patriæ, nec deſiaero, ad quem modum Rex mihi colendus ſit diſcere.* Generoſe ſane thuris ſuffitum Regi

ſoli Deo conuenit thuris incenſum. negauit, quem ſoli competere Deo cenſuit. Reges autem noſtri, cum non Regem tantum Chriſtum, ſed Deum ſcirent, ilico thuris odores eidem adoleuerunt, quo & ſacerdotium Chriſti & diuinitatem teſtarentur, imo transferendum per hunc nouum & æternum myſtam ſacerdotium à Iudæis ad Chriſti cultores, & cruentum

ideo Chriſto Magi obtulerũt. in incruentum commutandum, ideo & ipſi ſacerdotes hoc incruento ſacrificio Chriſto primi litarunt apparatu nouo, vt ſuſpicatur Garcia noſter.

in Euangelico concionat. diſ. 20. *Thus*, ait, *in Sacrificium Deo obtulerunt, quo latriæ adoratio ſignificatur, quam omnis creatura Deo ſuo exhibere tenetur, hoc (ſacrificium) in matris ſinu, & poſſeſſione manſit, niſi velis ipſos de more Perſarum thuribulos in theſauris ſuis repoſitos, & ſcrinijs eduxiſſe, adoraſſe, & ſuffimentis adoriferis cultum illum & obſequium exhibuiſſe, non ſine veſtium & vaſorum apparatu, quod pium eſt, & dignitati pueri & ſapientiæ eorum, præuiæ cognitioni, qua illuſtrati ſunt, conſentaneum.*

quod ad gentes eſſet transferendum verum ſacerdotium. Hoc quidem veroſimile, quia nouum Chriſti fidelium holocauſtum certo veſtium apparatu ſine ſanguine litandum in typo exprimebant, quo Chriſtus ſempiternus ſacerdos primum colebatur: vnde Guilliandus de eo ait. *Tria obtulerunt munera, triplici genere munerum nouum offerentes ſacrificium, thure ſacerdotium Chriſti ſignificabant, quo antiquatur Leuiticum, & ſtabilitur nouum: vel thus vt Deo obtulerunt, quod offerimus, cum teſtamur quidquid habemus Deo eſſe tribuendum.* Rectè non diuinitatem tantum eo thure; ſed & ſacerdotij eius dignitatem teſtabantur pariter & adorabant, quia non ſolum decebat priuatos eſſe homines ſacerdotes, qui certis alligati locis pro ſe & certis hominibus & cauſis Deum placarent, ſed vnum aliquem totius vniuerſi & immortalem, qui & mala cunctis à rebus depelleret, & omnia bona procuraret.

mundus magnum Dei templum eſt. Philo mundum magnum fanum Deo ſacrum apellauit, cuius ſacerdotem, ait, hominem eſſe ideo conditum & in eo templo conſtitutum, vt pro omnibus Deo gratias, & ab eo ſingulis bona impetret & mala auertat; creatæ res aliæ ſiue ſenſibus, ſiue ratione deſtitutæ, non valent beneficentiſſimam illam diuinam maieſtatem

homo ſacerdos in eo, agnoſcere, adeoque neque pro creationis & conſeruationis beneficium animo grato compenſare. Vult igitur ſapienter Philo, cum eæ res hominis obſequio conditæ famulenter, vt homo Dominus earum pro ipſis & pro ſe grates referat. Explicatius rem eandem ſic proponit Lactantius. *Sequitur*, ait, *vt oſtendam, cur fecerit hominem Deus, ſicut mundum propter hominem machinatus eſt, ita ipſum propter ſe*

lib. de via Dei c. 17. *tanquam diuini templi antiſtitem, ſpectatorum operum rerumque cæleſtium, ſolus enim eſt, qui ſentiens capaxque rationis intelligere poſſit Deum, qui opera eius admirari, virtutem, poteſtatemque perſpicere, ideo ſermonem ſolus accepit, ac linguam*

vt Deo ſeruiat. *cogitationis interpretem, vt enarrare maieſtatem Domini ſui poſſit.* Sed heu quam

parum

parum ista considerant homines, quam raro Deum autorem omnium & cum debita grati animi significatione suspiciunt & religiosè venerantur? *Quam curuæ in terras animæ, & cœlestium inanes!* Aliùm oportuit ad terras mitti sacerdotem mundi, cuius officium præcipuum diuinam maiestatem congruo venerari cultu: totius vniuersi curam gerere, vt ingruentia mala propulsentur, & bona curentur, cuius excellentiam latè describit ad Hebræos Apostolus. *Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem quod maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium: vnde & saluare potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis: talis enim decebat, vt nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum habent sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo: hoc enim semel fecit, se ipsum offerendo*: Ideo sacerdos iste dicitur in scripturis, *desideratus cunctis Gentibus, & desiderium collium æternorum*, quod omnes non tantum Iudæi & Gentiles: ipsi etiam Patriarchæ, Prophetæ, & cœlestes exercitus Angelorum aduentum illius sacerdotis magni exspectarunt: qui congrue Deo pro vniuerso grates & dignè persolueret, & cultum illi debitum maiestati pro dignitate exhiberet, vt rectè dixerit Cornelius à Lapide: *Omnes res feruntur in Christum, vel ut centrum, cui coniungi desiderant: rursum omnes appetunt Christum, tanquam sacerdotem magnum, qui ob omnibus mala cuncta remoueat, & bona cuncta procuret. Hoc est, quod ait Christus. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipsum.* Christus enim est antistes magni Patris, *id est, totius mundi, hinc missus est Christus, qui quasi mundi antistes id præstaret, Deoque debitam gratitudinem, & cultum pro omnibus persolueret, & homines ad idem faciendum impelleret: vnde eius typo pontifex Aaronicus in veste gestabat totum orbem iuxta illud Sap. 10. in veste poderis, quam habebat totus erat orbis terrarum: hinc & Christus dicitur portare omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1.* Hunc igitur sacerdotem magnum à cunctis Gentibus desideratum Reges isti Gentiles tanto confecto itinere venerunt & ipsi sacerdotes pariter solenni ceremonia adoratum: ei thura, quibus placarent Patrem iratum mundo, detulerunt: ipse se primas velut hostias viuentes & gratissimum virtutum omnium odorem spirantes immolarunt, vt sicut thus omne euaporat, & in fumum abit, vt nil cineris superet: sic ipsi totos se diuino cultui manciparunt, nihil vt mundo vel carni relinquerent; sed holocausta meritissima Deo adolerentur: exemplar futuri sacerdotum nouæ legis, qui castitate & mentis puritate conspicui sic Deo se consecrare holocausto perpetuo deberent, vt mens eorum velut accensum thus continuo subuolaret ad cœlum: donec soluta corporis compage exspiraret, quasi thus vel candela tota ad Dei gloriam inflammata & absumta: sed quid spiritus illos beatos, toto reor effuso ad nouum spectaculum & holocausti odorem cœlo feciſſe? quale canticum laudis Deo putamus, accinuisse? Ex epithalamio Christi deprompsisse versum hunc opinor. *Quæ est ista quæ adscendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij?* Quænam ista noua, nobilis odoratissima Ecclesia ex deserto gentilismi tenuiter velut fumi virgula sursum erumpens, ita se continua vaporis suaueolentissimi adscensione conglomerat, vt in nubem & amplitudinem maximam coëat & concrescat, quæ cœlos penetrans diuinum illud beatorum domicilium gratissimo virtutum odore recreat & oblectat? Halat enim thura Christi: credit cum diuinitate sacerdotium sempiternum, ideo sacrificia & diuinos illi thure adolet honores: eadem myrrham humanitatis patibilis & morituræ, sed resurrecturæ confitetur: eadem regiam adorat eius maiestatem in corpore infantis pueri pecudes inter abiectam, & despectam: itaque vniuersam Euangelicæ legis doctrinam suo puluere pigmentario ex omni aromatum odoratissimorum genere coacto & compacto contestatur: & vnico suo sacrificio tripartito, quidquid mysteriorum fidei latet in Euangelio per Christum legislatorem promulgandum, hæc noua Gentilium Ecclesia symbolis suis profitetur. Quam expositionem pulcherrimè confirmat illa Theodoreti oratio. *Non immerito anima pia similis dicitur fumo suffimenti: quæ vt Apostolus ait, membra sua constituit hostiam viuentem, sanctam,*

eius desidia

Christus sacerdos eam supplet. *Heb. 7. & 8.*

ideo desideratus ab omni creatura fuit.

in 2. Aggæi. vt centrum omnium & sacerdos vniuersi. *Io. 12.*

Reges sacerdotes Christo sacerdoti thura deferunt.

seipsos incendunt.

typus sacerdotum noui testamenti.

Angelorũ concentus tempore noui incensi. *Cantic. 8.*

mirantur fidem Gentilium exactissimã.

Theodoretus.

Deo

Deo placentem; dicitur autem redolere myrrham, & thus ex vniuersis pulueribus pigmentarij, quia Christi humanitatem per myrrham designatam, & diuinitatem significatam per thus adorat: sponsique tum mortem credit, tum essentiam sempiternam confitetur. Sicque ex vniuersis pulueribus pigmentarij myrrham & thus ipsius admirari Angelos sanctos, quoniam & si illa habeat alias virtutes ex diuina scriptura tanquam ex pigmentarij officina depromtas; in ipsa tamen excellit myrrha & thus: id est sponsi diuinitatis & humanitatis cognitio.

& virtutes eorum omnis generis perfectissimas.

Sed parum est ea fidei mysteria credere, nisi fidei virtutes aliæ coniungantur. Itaque spirant ijdem Reges, vt myrrham sui ipsius odij victoriæque, sic & thura feruentis orationis, quam comites stipant & subleuant, virtus humilitatis, patientiæ, & eleemosynæ: contusi toti sancti Reges pistillo contritionis, & in puluerem redacti sui ipsius despicientia, flagrantissimorum instar aromatum exhalarunt suauissimum odorem superis: bona siquidem oratio; sed cum ieiunio, & eleemosina.

Tobiæ. 12.

duæ alæ orationis. misericordia.

Alæ sunt illæ geminæ, corporis afflictatio per itinerum molestias; & misericordia, quibus subuolat in cœlum oratio: nam salutare sui odium terrenum resecat pondus: misericordia & caritas velut ignis accendit, & in altum eleuat, vt cœlum penetret. Rectè tres anonymi apud Theodoretum locum sic explicant. *Quænam est ista, quæ ex halitu à perturbationibus remoto, per virtutem* (mortificationis) *& scientiam ad Deum sublata conscendit, velut surculus fumi, qui ab igne siluam depascente leuis in aëra tollitur. Sic enim anima spiritu succensa per actionem quidem carnis crassitudinem; per contemplationem autem rerum species extenuans, probis tum moribus tum sermonibus leuis ad Deum fertur, nec terreno pondere deprimitur. Hac ratione myrrham & thus ex aromatibus atque vniuerso puluere pigmentario redolens, ad cœlestem sponsum prouehitur: virtute igitur quasi myrrha cum carnis sensum mortificat fragrat, scientia vero quasi thure tanquam veritatis notis seipsam diuinam imaginem ostendit. Ita rerum naturas pertransiens suauiter olet, ad earumque tendit autorem, ex quibus instar pulueris earum rationes & modi excitantur ei, attenuante his veritatis senitis exploratricibus accurato sermone, qui totum hoc tanquam in igne spiritus excoquit.* Quod ignis thuri, hoc misericordia & caritas orationi: quod myrrha corpori; hoc asperitas vitæ sensibus & omnibus corporis & animæ facultatibus præstat: vt corpus & animo penitus Deo psallat. Itaque in hunc

& vitæ asperitas.

Canticorum locum sic S. Greg. commentatur. *Myrrhâ corpora mortuorum condiuntur, ne putrescant: thure vero incenduntur, vt redoleant. Per myrrham ergo mortificatio designatur, per thus vero orationum mundicia intelligitur. Sancta igitur anima, dum carnem suam à putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi myrrham mortuo corpori adhibet, vt post iudicium à corruptione æterna sanum permaneat: cum vero se ad cælestia maiori desiderio accendit, & cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes seruenter abijcit, quasi thuribulum coram Deo cor suum facit, in quo cum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo captat, in quo scipsam mens in conspectu Dei caritatis igni incendat: dumque feruentes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit, vt coram dilecto suaue redoleat, & proximos quosque ad eius amorem per bona exempla concitare non desinat.* Cor Regum semper ardens erat aceerra, quæ deinceps nullo non tempore orationum sanctissimarum odores, purè ad Deum directo mentis proposito, exhalabat: non enim vel mane tantum: vel aliquoties per diem: sed continuo decet cordis aram amoris prunis accensam conseruare, & bonorum operum suaueolentiam ad Deum euaporare, vt animæ nostræ, quod de sponsa dicitur, conueniat: *Odor vestimentorum eius, sicut odor thuris*: quod sic apponit, è S. Gregorius exponit: *odor vestimentorum eius, sicut odor thuris esse perhibetur; quia in omnibus operibus suis orat, dum perueniendi ad cælestia intentione ea, quæ potest bona operatur.* S. Stephanum Regem vel eius filium magnam argenti vim constituisse scribunt, vt coram Deiparæ statua noctes & dies thuris suffimenta incenderentur, parem à nobis Deus suffumigationem bonorum operum exigit, vt recta semper ad Deum mens feratur, non solum cum per diem operatur, sed vt & nocturnam quietem eo flectat, vt corpore dormiente cor in Deo vigilet, adsit vero perpetuus ignis cari-

caritas incendit thus orationis.

continua sit thuris euaporatio ad Deum.

Cant. 4.

tatis

tatis & feruoris, ne languidè cuncta peragantur: concludo igitur cum seria monitione D. Laurentij Iustiniani: *Est orationis thus valde proficuum, si tamen amoris sancti fuerit inflamatum incendio: ceterum quemadmodum thus, quamuis in se sit optimum, atque præcipuum, nullam tamen ex se refundit odoris fragrantiam, nisi injiciatur igni: ita nec orationis incensum Deo acceptabiliter præsentatur, si non exstiterit caritatis flamma: iacet prorsus oratio, & in sui torpore dormitat, nisi dilectionis desiderio subleuetur: vtrumque enim opportunè conueniunt: nam & ad orandum ducit caritas, & ipsa oratione caritatis flamma nutritur.* Sed nunc quibus sancti Reges verbis thesauros suos Christo & Deiparæ obtulerint consideremus. S. Laur. Iustinianus ser. de Epip. & ardens.

CAPVT XLIV.

Conceptis verbis sancti Reges offerunt dona: quorum pars à Christo & Deipara accipitur.

NOn dubium est, quin verba donis adiecerint, & humillimis ac infimis precibus sint Deiparam & Iosephum obtestati, ea vt recipere in pueri alimentum dignarentur. Exstat pulcherrima Viguerij Cardinalis oratio, qua primo se in seruos & milites offerunt Deigenitrici contra cogitatas Herodis insidias; tum dona piè consecrant; quæ cum Christipara non omnia recipit: partem vt eorum admittat, efficaciter obtestantur: non pigebit totam hanc munerum largitionem oculis & auribus pij lectoris proponere. Præmittit pueri gestientem lætitiam, maiestate tamen plenam. *Apertis*, ait, *à Magis coram magno Rege thesauris suis, manet infans Iesus matris gremio cum hilaritate faciei maiestatem iam præferens, venustoque corporis motu, & murmure suauissimo grati animi notas ostendens: nihil tamen pro humanæ infantiæ imbecillitate loqui sufficiens. Quare ad matrem virginem illi verba conuertunt. Debemus ò Regina cœli, filio tuo, quem gremio foues, quidquid habemus, quidquid valemus, & sumus. Adorantes illum debitum hoc nostrum in secreta cordis arâ professi sumus. Nunc quantum possumus, debitum ipsum soluere, non vt liberemur (neque enim id velle debemus) sed vt plus debeamus promti sumus, & præsto dissoluemus autem, simulque debebimus, si non filij tui obsequijs, nostrosque omnes comites designaueris. Nobis hoc maximè accedet gloriæ, non solum inter nostros, sed vbique Gentium, tanti principis pedissequos fieri: tibi vero non erit inutile id præstitisse: præsagit enim animus Herodem saluatori suo, imo hominum omnium saluti, filio silicet tuo insidias tendere: à quibus nostrâ diligentiâ infans tutus erit. Quod si vim apertam tentare Herodes constituat, nobis est ingens hominum & bellicorum apparatuum copia, quæ remanentibus hic nobis apud te, maturè huc à nostris conuocentur. Interea pro thesaurorum, quos vides copia, non solum victui necessaria suppeditabunt; sed milites & arma parare possumus, ad vim & fraudem hominis perditissimi propulsandam: tantum nos effice dignos filioli tui ô Regina ministros, nosque suscipe vernaculos seruos. Tui enim sumus, & nusquam melius, quam hic tecum ad filij tui tutelam, pro suæ & humanitatis imbecillitate possumus esse. Thesauros, quos coram illo aperuimus pro illo tu suscipe, & ad necessarios vsus pro tua sapientia dispensandos serua: nosque deinceps parere mandatis tuis scito esse paratos. Hi venerabundi & læti comites nostri se ipsos nobiscum filio tuo & tibi secum muneribus nostris dono dant. ita comites simul thesauros apertos ingerunt.* Commoda, militaris, regia, & pia Regum istorum oratio, qua thesauros regni, comites suos & clientes; se & vitam omnem pro Regis noui tutela & defensione libenter offerunt: congruam deinde moribus & prudentiæ Deiparæ subijcit responsionem. *Cessate, quiescite viri optimi; & vos ò Magi, audite quæso Dei ancillam pro suo filio Deo vero, & Rege summo studijs vestris satisfacere volentem. Quæ debere filio meo adorantes apud vos metipsos professi fueritis: quid etiam sibi munera vestra velint, vobis tacentibus res loquitur. Non enim ad hominem adorandum præsertim* in-

Vguerius cap. 8. de Epiph.

Infantis maiestatis plena hilaritas.

omnes se & seos offerunt in seruos.

arma promittunt contra Herodem.

& exercitum.

cum thesauris.

respondet Deipara.

dietatem eorum laudat.

infantulum, & in præsepio reclinatum paupere, vos homines sapientissimos & potestate præcellentes de tam remotis terrarum oris adducere potuit, ne si fides & deuotio erga meum filium: maior sanè quam erga hominem haberi possit. Felices vos, quibus Deum verum in humana carne natum cognouisse concessum est, & quid illi debeatis intelligere atque monstrare. Gestus dulcis, & balbities, *ac serenitas frontis Regis nostri fidem faciunt, studium vestræ adorationis illi fuisse gratissimum, cuius est semper de agnita & culta veritate lætari, quoniam ad hoc ipsum venit in mundum, vt testimonium perhibeat veritati, & in viam pacis homines bonæ voluntatis dirigat. Sed quia non est eius vim vi, fraudemue repellere fraude, qui pius est, mitis & humilis corde, non reddens pro malo malum; sed in bono malum superans, & omnes fraudum caligines, inuincibili luce veritatis effugans, vestro, vestrorumque famulatu, qui vsui nobis cedere non possit, ne quæso grauetis Regem vestrum; veseratibus potius seruate vos ipsos, vestra opera indigis. Gratissimum hoc erit & filio & matri, si maturè repetentes populos vestros iustè & piè eos seruabitis: puto vos non latere, minus hominem contra Deum posse, quam pulicem minimum contra maximum elephantem. Non enim est scientia, non prudentia, non virtus, non potentia contra Deum. Quare viri optimi, neque armis, neque bellicis apparatibus aduersus Heroaem nobis opus est. Thesauros vero vestros, quos in vsus exponemus, aut quibus opportunitatibus conseruabimus? Sancitum est legibus æternæ sapientiæ, & reuocari non debet, filium meum pauperem hic vitam agere, vt non per diuitias, quæ fortuitæ sunt; sed per virtutem vniuersum sibi subijciat orbem terrarum. Quod enim per vim & arma, quod per pecuniam acquiritur, durare non potest: quia nullum violentum sit perpetuum, & causa fortunæ fluxæ & momentaneæ solidum effectum adducere non possunt. Veritate & virtute filius meus vniuersum mundum subacturus est. Quæ quoniam stabilia bona sunt & immutabilia, regnum eius hostes deuastare non poterunt. Vobis ô Magi opus est thesauris: quoniam non nisi per eos iura vestra tenentur. Itaque quos apetistis thesaurorum loculos, claudite, domum reportate, vobis habete. Nos animorum vestrorum promptitudinem accipimus, pro qua Regis nostri ac meo nomine, vobis gratias habemus, & agimus. Referemus autem amplissimas, dum filius meus celebrari faciet glorioſi nominis vestri inter mortales memoriam sempiternam: inter cœlites vera vos felicitate non defectura donabit. Quarum ego rerum vadem exhibeo, vos accipite, & cum pace felices regiones vestras vestro cum comitatu repetite.*

gratam ostendit Christo esse tam piam voluntatem.

negat opus esse armis & thesauris.

cum vi nolit Christus domare orbem.

promittũt obedientiã monitorũ.

petunt pauxillum donorum recipiat.

Quæret quispiam qua lingua fuerit Deipara Reges allocuta, respondeo natiua eorum: cum omnes calleret, vt infra probabo: subijcit deinde Vigerius Regum oblecrationem, ne partem aliquam donorum admittere dedignetur. *Nostrum est, quod semper fuit ô Regina cœlorum, filij tui Regis regum, cœlorum conditoris & Domini tuisque parere decretis, monita suscipere, obsequi voluntati. Nunc autem, quod tanta nos præmia manere pro exigua operâ nostrâ promittis, pro his insuper te nobis vadem præbes, quamquam nos pudeat nostris hæc meritis non deberi: pro filij tamen tui profusa munificentia, proque tua in omnes clementia, magno & libenti animo promissa suscipimus, exsultantes & gloriantes & nobis glorioſum fore profitentes plus quam mereri potuerimus accepisse. His igitur pollicitis magno debitorum pondere libenter onusti ad propria remeabimus, populorum nostrorum commodis attentissimè vt iubes inuigilaturi. Referemus insuper thesauros nostros, vt iubes. Sed antequam illos hinc amoueamus, quoniam eis onerari non vis, rogamus saltem in animi gratis & acceptationis indicium, tantillum de his non asperneris accipere, quod præsentem inopiam tuam, si non vis ex toto releuare, saltem leuigare sufficiat. Hoc profectò te ô Regina recusare pro tua clementia ac sapientia non conuenit, ne nos contristes. Non te fugit Deum ipsum, quem tenes in gremio, suis humanis necessitatibus per homines ad diem subuenire constituisse. Eius namque sapientia sic homines regit, moderatur, atque sustentat, vt quæ fieri in illis, & de illis vult per creaturam suam semper efficiat. Concede quæsumus*

dignos nos Dei sapientia ministros fieri; ne asperneris de nostra abundantia tuis, ac filij tui necessitatibus subueniri: fortasse quod æquanimitate & mansuetudine Herodis furorem euadere constituit filius tuus, te cum illo longa peregrinationum Herodianarum insidiarum periculo subtrahes. Accipe igitur hoc pauxillum auri: ne respuas o Regina, quod grauare non potest, quod sine anxietate ad futuras necessitates pro modico tempore subleuandas, donec saltem ablactetur infans, præsidio tibi sit: videmus inter præsepis angustias, filij tui, quem adoramus, incunabula collocata: vnde indignis iumentorum odoribus saluatoris forte lædetur infantia. Quare modicum & hoc thuris rogamus accipias, vnde suffumigata domus salubrior fiat, & infantis animales spiritus valeant confortari. Perspicuum est pro voluntaria paupertate te ad vsum infantis, pannis non esse copiosam; si te abundantiorem facere voluerimus, scimus impedimento hanc esse supellectilem. Ne sudariorum, fasciarum, pannulorumue indigentia sordescat aliquid in carne pueri, myrrham, vim habentem, vt ipse nosti à putredine conseruandi, non ad delicias, sed ad munditiam, etiam paupertati ista tuæ conueniunt. Non enim à sordibus lædi decet pudicitiam tuam. Quare & hoc pauculum myrrhæ dignanter accipias rogamus & supplicamus: sic porrigunt aurum, thus, & myrrham, quæ Maria læta fronte suscipiens, iam quid ea munera sibi vellent sapientissima mente reuoluens, gratissima habere vultu & voce demonstrat. Sed alia quæ deinceps colloquia cum Deipara miscuerint infra prolixè proferentur.

in subsidiũ peregrinationis aurum.

myrrham pro mundicie seruanda.

CAPVT XLV.

Regum misericordia nos ad eleëmosynam excitat.

ALTERA orationis ala, qua subleuatur in cœlum misericordia est vel eleëmosyna, quæ licet in oblato auro designetur, ob mysticorum sensuum in auro discutiendorum abundantiam, huc distuli, vt sanctorum Regum munificentia nunc fusius pertractetur: in qua virtute longè veteris instrumenti Patriarcharum ita celebratam à sanctis Patribus hospitalitatem & liberalitatem superarunt. Erant isti conditores synagogæ; Reges nostri progenitores Ecclesiæ; illi peregrinos pro foribus tabernaculorum auidè operiebantur, visos vltro inuitabant ad prandium; solicitè susceptos ipsi curabant hilariter; vitulis occisis velociter reficiebant: ideo & Angelos hospitio recipere meruerunt: at quanto beneficentiæ studium maius Reges ipsos, relictis regnis, liberis, coniugibus per trecentas leucas, per innumera vitæ discrimina, tanta celeritate, suis cum thesauris tredecim dies volare, vt infantulum peregrinum & hospitem, à populatibus & cognatis desertum, rerum omnium egenum, inter pecudes abiectum inuisant, nudum vestiant, thesauris suis regijs cum familia opportunissimo tempore, tempestate frigidissima, in loco sordidissimo sustentent, foueant, nutriant; eidem vt famuli Domino prostratis in terram corporibus seruitia deferant: parati se totos eius & familiæ mancipari obsequijs? ideo non Angelus; sed Angelorum Dominum videre, portare, amplecti & nutrire meruerunt, sed pauperis & abiectissimi infantis specie; vt diuitibus essent documento, in egentissimis & pauperrimis Christum esse recipiendum, fouendum, sustentandum.

comparatio SS. Regum cum Patriarchis.

mira Regũ liberalitas.

Eheu quantum degenerant à progenitorum suorum exemplo fideles plerique? quam parcè, quam inuitè, quam tardè miseris & egenis largiuntur? vbi Christianus amor, vbi misericordia? Sed prò pudor, quid de largiendo moneo? quam multi totì in eo sunt, vt per fas & nefas rem familiarem augeant? quot fraudes & dolos machinantur, vt aliena rapiant? quam multi mercatores, opifices, propolæ, iustum excedunt pretium, & quæ siue crassa ignorantia, siue peruersitas est, duplo triploque carius merces quam emerint, quam ius & leges theologicæ pariuntur, impune distrahunt? quam multi monopolia exercent; dum quibus alios abundare mercibus con-

inuectiua in mores nostros.

& mercatores iniustos.

constat, vili; quas neminem habere norunt, duplo, triplo, quadruplo, carius, & quanto volunt pretio vendunt: hoc nixi fundamento: liberum est tibi vel meas mihi relinquere merces, vel non nisi tam carò quam volo mercari. Quid est, si hoc non est aliena rapere? scilicet aliæ nunc leges mercatoriæ apud nonnullos, aliæ diuinæ, aliæ Theologicæ: quisque nunc sibi ipsi est legislator, non tamen iudex: erit aliquando tempus, cum hæc ad diuinæ iustitiæ libram seueriſſimè exigentur. Nos monet ea sanctorum Regum profusa liberalitas: in quærendo, egentibus quibus darent, incredibilis celeritas, & in dando hilaritas, promtitudo, profusio: iam vt Christo in membris egenis panis frustulo succurramus: cito, libenter, & hilari vultu demus: *hilarem* enim *datorem diligit Deus.* Consilium egregium Vigerius Cardinalis ex Magorum liberalitate suggerit. *Magi*, ait, *thesauros aperiunt: vt quidquid in istis est Rex, cui dandum est, videat, eligat meliora, & si velit, conferat omnia: sed quia ille modestus est, Magi de vniuersis thesauris apertis, & propalam coram Rege expositis offerunt meliora: offerunt aurum, thus, & myrrham. Demus ergo nos illi abundanter: qui enim parcè seminat, parcè & metet. Demus libenter: hilarem enim datorem diligit Deus: demus meliora: quia qui seminat in benedictionibus de benedictionibus & metet. Impossibile est seminantem zizania colligere triticum: cum facimus eleemosynam meminisse debemus Regis à Magis adorati sententiam, quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: cogitare debemus Domino Iesu Christo donari, quod eleemosynæ titulo pauperibus tributum est: & certè ille propter Christum petit.* Vide ibidem plura. Huc respiciunt creberrima sanctorum Patrum hinc perita monita, quibus diuitum auaritiam acuunt ad liberalitatem.

qua ratione largos esse decet.

oratim. 17. S. Gregorius Nazianzenus: *Quocirca si quid mihi auscultandum putatis, serui Christi & coheredes, Christum quam diu licet visitemus, Christum curemus, Christum alamus, Christum colligamus, Christum honoremus, non mensa tantum, vt quidam, nec vnguentis, vt Maria, non sepulchro tantum, vt Ioseph Arimathæus: nec denique auro, thure, & myrrha, vt Magi ante eos omnes, quos diximus: sed quoniam omnium Dominus vult misericordiam & sacrificium; pinguium agnorum myriades commiseratio superat, hanc per pauperes humique prouolutos ipsi conferamus, vt cum hinc excesserimus, in æterna nos tabernacula recipiant.* Exaggerat S. Chrysostomus: per anthiteta Christi fidelium tenacitatem, & in eleëmosyna parsimoniam: ac in alijs misericordiæ muneribus ignauiam.

Christus in pauperibus alendus est.

S. Chrysost. hom. 7.

Igitur adoraturi cuncta proijciamus è manibus: si habuerimus aurum, offeramus illi: non terræ defodiamus: si enim illi tunc barbari in honorem tantummodo Domini libenter obtulerunt, qualis tu eris, si ei non tribuas indigenti? illi tam longo itinere cucurrerunt, vt natum viderent; tu vero qua tandem satisfactione poteris absolui, qui ne breue quidem plateæ spatium transis, vt visites ægritudine afflictum, & vinctum catenis? & certè solemus ægrotantium atque vinctorum, etiamsi inimici sunt, misereri: tu verò nec erga Dominum quidem tuum: & eum, qui tantorum tibi est autor bonorum, hoc permoueris affectu? & illos quidem aurum legimus obtulisse, tu vero panem ipsum vix tribuis illi: viderunt stellam atque lætati sunt, tu vero ipsum adspiciens Christum peregrinum nudumque non flecteris? Monet operis imperfecti autor, vt orationi iungatur eleemosyna. *Tu ergo quando venis ad Ecclesiam, ad adorandum Deum, munera tecum in manibus tuis porta, da non habentibus & pete ab illo, qui habet, vt oratio cum bonis operibus commendetur: sic & in lege scriptum est: ne intres in conspectu Domini Dei tui vacuus, infirma enim est oratio, quæ eleëmosynarum virtute non est munita.* Et Granatensis: *Memento etiam caritatis aurum esse offerendum: sunt enim multi, qui nihil religiosum aut sanctum putant, nisi quod inter altaria Deo libatur: hos autem cœlestis magister velut Pharisæos olim admonet, vt eunles discant, quid illud sit, quod per Oseam dicit Dominus: misericordiam volo, & non sacrificium. Itaque non in templis solum, sed in profanis etiam domibus, in*

Conc. 3. de Epiphan.

plateis

plateis, in carceribus, in iudicum tribunalibus, in quibus pauperes, infirmi, pusilli & orphani ab omnibus destituti iacent piè Dominus colitur, quando videlicet eos opera nostra, consilio, labore, operibusque iuuamus: his enim rebus gratissimum illi munus offerimus qui in Euangelio ait: quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quibus autem hoc Dominus dicturus est, illud etiam adiunget: venite benedicti Patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Ita rectè S. Augustinus ait: *à nobis aurum accipit Christus, si eleëmosynas facimus: accipit Christus aurum, sed ad fœnus? centuplum refusurus in cœlo, vt promisit Marc. 10. v. 29. Miratur adhuc auaritiam hominum.* S. Bernardus: *Quid,* ait, *insaniæ est, quod cunctantur homines relinquere simpla pro centuplis? vbi est cupidus, vbi est ambitiosus, vbi conquisitor huius seculi, quid ad fidele negotium, & nundinas quæstuosissimas auaritia intepuit, & obdormiuit humana? Cui Iudæo negares o homo. qui in vanum accepisti nomen Domini Iesu Christi? cui sacrilego dare quidquid habes pro centuplo cunctareris? sed exsecrabilis tibi est manus Domini, vt non ei in ratione dati vel accepti communicare penitus acquiescas.* Monet igitur auaros Petrus Ravennas: *Da terram, vt accipias cœlum, da nummum, vt accipias regnum, da micam vt accipias totum.*

S. Augustin. ser. 1. lib. 50. hom. S. Bern. declamat de bonis deserendis post modum. centuplum reddit Christus. Petrus Rau. ser. 8.

CAPVT XLVI.

Christus à Magis Rex & monarcha mundi inauguratur, cui vt legati totius orbis aurum velut tributum subditi pendunt.

PARVULUS natus est nobis, & filius datus est nobis, candidus & rubicundus, electus ex millibus, totus desiderabilis; speciosus præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis propterea benedixit te Deus in æternum: accingere gladio super femur tuum potentissime: specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna: propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, Reges & populi sub te cadent: sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Isa. 9. Christi Regis pulchritudo. Cant. 5. Psal. 44. pulchritudo. potentia, iustitia,

Exsurge inquam Regum speciosissime, gratiosissime, potentissime Iesu, armis induere, feliciter impera, virtutes tuæ regiæ, veritas, fides, iustitia hostium & omnium Gentium victorem te facient, dabuntq; thronum & sceptrum sempiternum, quem iustum oforem iniquitatis Deus vnxit diuinitate. Quare iure Reges tres Regum totius orbis legati, tibi monarchæ cœli & terræ hominum & Angelorum potentissimo, inuictissimo, felicissimo sceptra subijciunt, tributum pendunt, Regem suum te profitentur, & se fidei sacramento tibi perpetuum obligant; cui rectè nomen ab Isaia ponitur: *Accelera spolia detrahere, festina prædari: quia antequam scias puer vocare patrem & matrem tuam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ.* Iam tum puer gladio spirituali, & diuinæ gratiæ potentia, dissipato regno diaboli Magos & eorum diuitias tibi subiugasti, dum per stellam vt cœli linguam ijs tuum aduentum, imperium & dominatum gratiæ lumine collustratis indicasti, vt bene S. Augustinus interpretatur: *Tunc puer, priusquam sciret vocare patrem aut matrem, sicut de illo fuerat prophetatum, Isaiæ 8. accepit virtutem Damasci, & spolia Samariæ, id est antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damasci: illius scilicet, vnde Damascus præsumebat; in diuitijs quippe illa ciuitas secundum seculum florens aliquando præsumserat; in diuitijs autem principatus auro defertur, quod Magi Christo suppliciter obtulerunt. Spolia vero Samariæ ijdem ipsi erant, qui eam incolebant: Samaria namque pro idololatria posita est, illic etiam populus Israël auersus à Domino ad idola colenda conuersus est: debellaturus, scilicet Christus gladio spirituali per vniuersum orbem regnum diaboli, hæc prima puer spolia idololatriæ dominationi detraxit, vt ad se adorandum Magos*

Isaiæ cap. 8. Puer diaboli regnũ debellat. S. Augustin. ser. 4.

lingua cœlorum Regibus indicat ortum Regis pueri.

conuersos à peste illius superstitionis auerteret. Et in hac terra nondum loquens per linguam, loqueretur de cœlo per stellam, vt & quis esset, & quo, & propter quos venisset non voce carnis: sed virtute verbi, quod caro factum est demonstraret.

Linguam hanc cœlestem in Oriente positi Reges audierunt, intellexerunt, secuti sunt; ideo continuo spretis regnis accelerant, identidem cum sponsa sibi mutuo concinunt, & ad iteneris celerrimi molestias exemplo sponsi perferendas animant. *Vox dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.* Venit dilectus sponsus noster, Rex noster, Deus noster, venit è cœlo in mundum; è throno in stabulum, vt me redimat, vt me sibi despondeat: transilit omnes ordines quasi quosdam colles Angelorum: vt hinnulus apparet paruulus, qui natus est nobis: hinnulus, quia humillimus, vel vt Isaias ait: *virorum nouissimus*: sed saltus illos multiplices hinnuli audiamus ex S. Ambrosio, vt sponsam sequentem sponsum, & ei loquentem videamus. *Ego*, ait, *suscitari mihi caritatem cupio: ego me vulneratam caritate puto, & ad me plus caritas ipsa festinat: ego dixi veni, ille salit, & transilit; ego rogo cum venire cum gratia, ille gratiarum operatur augmenta: & dum venit, incrementa gratiæ secum vehit: & veniendo acquirit, quia etiam studet ipse placere dilectæ suæ: salit super excelsa, vt adscendat ad sponsam: sponsæ enim thalamus tribunal est Christi: salit super Ecclesiam, transilit super Synagogam; salit super Gentes, transilit super Iudæos. Videamus salientem, salit de cœlo in virginem, de vtero in præsepe de præsepio in Iordanem, de Iordane in crucem, de cruce in tumulum, de sepulchro in cœlum.* Hi sunt suauissime Iesu saltus tui: saltus vtique hinnuli, saltus humilitatis è cœlo in stabulum, è gloria diuinitatis in infantiæ infirmitatem; è throno cœlesti in sinum matris pauperis; à stipatu Angelorum ad conuictum pecudum: dignus profecto sponsus, quem sponsa imitetur, & primo vt Regem subdita veneretur; postea ad castos amplexus admittenda: hunc igitur hinnulum sic vestra ò Reges causa demissum, & abiectum, ipsi humiles vt Regem adorate; ei tributa veiut subditi pendite. Ipse ipse est, qui & dorcas à videndo dicitur, vel caprea: nam cum in antro idololatriæ & cæcis infidelitatis tenebris inter venenatos serpentes mersos videret è stabulo miseratus exilium eorum, ingemuit: eosque hinnuuli instar spiritu suo afflauit, & è cauerna mortis extraxit, venenum scelerum abstulit, serpentes tartareos, quorum spiris erant inuoluti & veneno intoxicati fugauit: vos etiam ô Reges hinnulos, vos capreas effecit, vt in terris positi Patrem in cœlis tonantem videatis: & ab aliorum etiam cordibus venena idololatriæ depellatis. quam capreæ, dorcadis, & hinnuli virtutem S Ambrosius obscurius insinuat. *Salit*, ait paulo inferius, *super Ecclesiam, quæ est domus panis, eo quod fidelium corda confirmet: merito sicut capreola, quia caprea in altis pascitur. Dorcas dicitur à videndo, dorcadum enim visio acutior est: quid hoc aptius Christo, qui patrem vidit, quem vidit nemo, aut si quis vidit in Christo ipse filius reuelauit. Merito sicut hinnulus quasi filium, cui paterna inoleuerit vis naturæ, vt eum occulta non lateant, venena non lædant.* Capreæ videndi vim è longinquo, & per cauernas ipsas: hinnuli verò afflatum habet Christus, educendo è cauernis serpentes & conficiendo, vt clarius explicat de Magis Theodoretus & ex eo Didacus Vega. *Capreæ*, ait, *Theodoretus vir sus est acutissimus; è longinquo obiecta conspicit: ceruus insidiatur venenatis animantibus, & iugi bello infestat ea; recens natus hinnulus serpentes & viperas insequitur, insectatur, & in cuniculos suos se recipientes spiritu suo educit & deglutit.* Piè nunc Vega sic Theodoreti Magis accommodat expositionem. *O Deus infans capreæ & hinnulo cerui per omnia videris similis, horum videris proprietates assecutus, visum vnius & spiritum alterius. Æmulatus es capream: qui visum extendisti vsque in Orientem & lumina defixisti in Reges paganos, quo ad curiam tuam attraheres eos: similis quoque factus hinnulo cerui, educens eos è cauernis Orientalibus, in quibus latebant inuoluti tenebris infidelitatis suæ, spiritu misericordiæ tuæ, non aduertens, neque curans virus idololatriæ, & errorum, in quibus vitam trahebant.* Quis neget lynceos hos capreæ oculos, Reges tres obtinuisse, cum in infantilibus membris Christi viderunt abditam diuinitatis, & sui despicientiæ dignitatem

Cant. 2. v. 8. sequuntur vocem dilecti qui hinnulus est per humilitatem.

S. Ambros. in ps. 118. set 8. v. 1.

transilit Iudæos.

salit super Gentes.

idem capreæ similis.

flatu educit ex antro serpentes & aecat.

Theodoretus Didacus Vega Cant. 1.

capreæ visum habet.

& hinnuli halitum.

Reges ipsi capreæ per fidem diuinitatis.

sic

ficque ad infima quæque Regis sui exemplo se dimiserunt, vt & à famulis suis, & omni comitatu velut hinnuli, halitu venenum superbiæ difflarent: ergo supplices huic puero & virorum nouissimo libentes colla submiserunt, ei velut subiecti tributum auri dependerunt regni illius primi præcones & buccinatores: ideo magno assensu sancti Patres in auro tributi solutionem agnoscunt. Origenes, *venerunt in Iudæam* (Magi) *ferentes dona composito ex mortali & Deo: aurum in signum potestatis, vt Regi.* S. Fulgentius: *per tria ista munera in vno eodemque Christo & diuina maiestas, & regia potestas, & humana mortalitas interpretatur: aurum pertinet ad tributum.* Theophylactus: *Aurum obtulerunt ei vt Regi: aurum enim subditi regibus pendunt.* Euthymius: *Aurum siquidem regiæ dignitatis erat symbolum: subditi enim auro tributa regibus pendunt.*

hinnulus per animi demissionem.

Christo Regi tributum pendunt.

S. Fulgent.
Theophylact.
Euthymius.
Glossa.

Glossa ordinaria & cum ea S. Thomas & alij: *Aurum ad tributum pertinet* Christianus Druthmarus: *aurum vt Regi, quia illud est aurum gloria mundi: & Reges à subditis sibi hoc exigunt.*

S. Thomas.
Druthmar.

Quare non Christum tantum, vt Regem cœli ac terræ, hominum simul & Angelorum credíderunt: sed ipsi primi inter homines eum solenni & publica, sicut dum coronantur Reges fieri adsolet, externo ritu vt regem suum & monarcham adorarunt: eidem tiaras diademata & sceptra subiecerunt, eidem auro prolato quidquid haberent eius dominatui subiacere professi sunt: eiusdem fidei & clientelæ se regnaque sua, velut vectigales, tributarios & benificiarios Reges commiserunt: ab eo supplices auxilium & consilium postularunt: illud pariter contestati, nihil deinceps (quasi sacramento militiæ eius autorati) nisi auspicijs Christi molituros: eiusdem se legibus, auitis relictis erroribus, victuros. Sed num suo tantum, vel aliorum etiam orbis totius Regum nomine quasi legati tributum & vectigal persolue-runt? certum est eos suo id nomine fecisse; personam tamen aliorum etiam sustinuisse, sanctorum Patrum complures volunt, quos alibi produxi: paucos adijcio recentiores.

penitus se & sua ei vt Regi subijciunt.

legati sunt orbis.

bo. 1. de Epiphan.

Petrus de Palude. *Consuetudo est autem, quando Rex vadit accipere regnum, tunc veniunt ad eum milites curiæ suæ, vt de eius sublimatione in regnum congaudeant, & gratias Deo referunt: veniunt populares, vt Dominum suum cognoscant; veniunt principes & barones, vt munera offerant & homagium præstent & fidelitatem faciant: spiritualiter sic Christus habuit duplex regnum, scilicet terrestre & cœleste: regnum cœleste pacificè obtinebat, regnum autem terrestre diabolus vsurpabat. Ideo Christus Iesus venit in hunc mundum, vt diabolum de regno ejceret, & regnum suum recuperaret: de ipso dixit Io. cap. 12. Nunc princeps huius mundi ejcietur foras. venerunt ergo primo visitatum milites curiæ cœlestes de sua sublimatione gaudentes, & gratias referentes: gloria in excelsis Deo. 2. venerunt populares id est pastores, & ipsum in recognitionem dominij visitarunt, & gratias referebant. Lucæ 2. reuersi sunt pastores laudantes & glorificantes Deum. 3. venerunt Principes vt Magi hodie adorantes & munera offerentes. Ecce Magi.* Carthagena: *Contigit tunc quod in ingressu principis in regnum suum: veniunt enim proceres & ciuitatum capita, vt fidem principi se seruaturos polliceantur: ab initio Pater æternus filio suo Angelos proposuerat, qui adorarent eum: & adorarunt eum omnes Angeli. Ps. 16. sed supererat vt omnis Gentium caterua demissionem ei polliceretur: & propterea apparuit hodie Regibus, vt tanquam vniuersæ Gentilitatis capita verum Regem adorent & venerentur.*

Carthagena.

Giron. ho. 1.

Ildephonsus Giron. *Magi fuerunt quasi legati & procuratores totius Gentilitatis, qui venerunt nomine Regum omnium & subditorum, vt in Bethlehem, vbi Dauid per Samuelem in Regem vnctus fuerat, Iesum Regem regum & Dominum dominantium adorarent.* Stephanus de Salazar: *confestim quippe veluti celebratis publicis, atque communibus generis humani comitys Iudæorumque Pastoribus, ac Gentium Magis totius orbis legatione functis: vtrumque populum sibi fide & amore deuinxit.* Quid die illo faustissimo inaugurationis noui Regis legati petierint nomine Gentilitatis, supra ex Garcia recitaui: nonnulla quæ huc faciunt repeto. *Legati sumus à Gentilitate deprecandi causa missi: cessent iam odia antiqua, iræ restinguantur: in his igitur comitijs, quæ ad honorem patris inter mortales cogere,*

Stephanus de Salazar. lib. de genealogia Christi.

oratio eorũ & humilis petitio.

discursu 23.

& celebrare voluisti, postulant nostra tria regna, vt nobis in tenebris longè à veritatis lumine natis, & in remotissimis mundi regnis positis lumen, quod mortis tenebras propellit, affulgeat: & tanta merita gratis nobis impertiantur: impleantur promissa; compleantur prophetiæ: neque enim à te, nec a puluere isto & fœno capita leuabimus nostra, nisi prius à te vocem salutis plenam & gaudij excipiamus. Maximè prensabant positis odijs, cum Iudæis inire societatem & fœdus, communem adorare Regem, legibus & ritibus ijsdem viuere, quod vt capite sequenti ostendam, obtinuerunt.

beneficiarios & vectigales se offerunt.

Sed quibus se verbis velut beneficiarios & clientes nouo Regi muneribus oblatis obstrinxerint, ita Besseus concepit. *Credibile verò est hæc eos verba muneribus adiunxisse. Cœlorum terræque rector & dominator amplissime: cuius natiuitatem stella magistra didicimus, Regum omnium summe ac prime, benigno quæso oculo munuscula, quæ vasalli principi suo clementissimo offerunt, intuere: ac grata sint ea & accepta: thus tibi velut Deo, aurum vt Regi, myrrham vt Messiæ offerunt.* Ita sancti Reges non se tantum, & regna, sed & orbem terrarum Christo, vt Regi subiectum indicarent iam quidem iure, seculis etiam posterioribus reipsa cum Regibus & Imperatoribus conuersis ad Christi fidem eidem vt Regi submiserunt: &

Cap. 9. quasi ab alijs Regibus missi functi sunt, non sua solum, sed aliorum legatione, vt rectè monet P. Inchofer. *Legatione*, ait, *omnium Gentium functos ea ratione dixerimus, quatenus in primitijs Gentium omnes Gentes quascumque Deus fecit ad eum venturas, & eorum Domino adoraturas cum Ecclesia decantamus. Quæ vt de futuro prædicta videantur, quando exeunte per orbem vniuersum Euangelij sono paulatim ad agnitionem Christi adducendi erant populi: omnino tamen Isaias ad primos adoratores Christi respiciens, cum dixit: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes, non nisi aliorum decreto legationem obiuisse insinuat. Neque enim aut omnes Sabæi aliquando aduenerunt, aut singuli ea munera obtulerunt; sed venturi omnes ea ratione dicuntur, quod per alios, id est, suos oratores accessuri erant. Sic enim & regni totius potestas in Rege, & reipublicæ totius autoritas in legatis ad Principem missis, decernitur. Huc accedunt opinantes non nisi Persarum Regis consensu atque iussu venisse Magos ad Christum adorandum: quibus illa Chrysostomi verba suffragantur. Oportuerat namque eos continuo sentire, quantum sibi esset additum dignitatis, de tanti scilicet natiuitate Regis, qui Persarum ad se Regem ortu suo triumphante traxisset. Sed enim vt multorum fortasse, quos inusitati sideris spectaculum excierat animus fuerit vel eundum ad inquirendum, vel mittendos, qui demonstrandum eo signo natum Regem aduiserent sua tamen autoritate Magos iam illuminatos huic muneri se deuouisse longe similius est vero: quando nec Arabes, nec Persæ, nec quæ horum conditione continentur aut finitimæ sunt regiones fidei lumen adspexerunt prius quam ab horum in patriam reditu, qui primi suis Euangelium attulerunt. Quod aliquanto serius, hoc est secundum Christi in cœlos discessum ad eosdem penetrans Thomas Apostolus latius propagauit ac firmauit: quare non alitunde; sed à se ipsis impetrarunt, vt affulgentis stellæ directum periclitarentur, sua quidem voluntate, sed cœlestibus sacramentis auctorati. Nam quod Reges Tharsis & insulæ munera oblaturi in scriptura, dicantur, rectè quidem ex parte huc accommodatur, verum nec isti recens nato Christo adfuerunt, neq; alios tum miserunt: sed consecutis temporibus Euangelio manus dederunt: non illi quidem Reges vnius prouinciæ singulares, sed omnium, quot mare vniuersum ambit, quotue insulas sinu complectitur.* Nimirum quemadmodum vicarijs Deiparæ manibus mundus totus recens natum saluatorem, quem non agnoscebat: & vt Iudæa incredula per tres Pastores prima die Christum salutauit: sic per tres hos legatos: sua licet autoritate & auspicijs proprijs profectos, tota Gentilitas per tres Noë filios orbe toto propagata Christum Regem suum oblatis muneribus adorauit in typo: tunc enim ostendebatur, quomodo ex vaticinio Dauidis omnes essent orbis Reges Christum adoraturi. Vnum nos isti Reges monent & docent, ne deinceps dæmonis, mundi carnis vel cuiuslibet vitij tyrannidi nos subijciamus: asseruit nos in filiorum Dei libertatem Christus; non decet vile carnis & vitiorum mancipium esse: nec vni tantum; sed tot subijci dominatibus

Iudæi venerunt per Pastores vt legatos. Gentiles per Reges.

Christianũ decet soli Christo Regi seruire non mundum.

natibus, quot animi cæcis perturbationibus obtemperamus. Oremus cum Magis verbis S. Bernardi, & supplices eius vnius regimen & gubernationem animæ flagitemus. *Veni Domine Iesu, aufer scandala de regno tuo, quod est anima mea: vt reges tu in ea: venit enim auaritia: & vindicat in me sibi sedem; iactantia cupit dominari mihi, superbia vult mihi esse Rex; luxuria dicit: ego regnabo: ambitio, detractio, inuidia, & iracundia certant in me ipso, cuius potissimum esse videar, & dico: non habeo Regem, nisi Dominum Iesum: veni ergo Domine, disperge illos in veritate tua, regnabis in me, quia tu ipse es Rex meus & deus meus, qui mandas salutes Iacob.* Huic scilicet *seruire Domino regnare est*, sibi inquam, & suis cupiditatibus imperare, & cum Regibus istis de se ipso triumphare: hoc nimirum regnum est humilitatis & mansuetudinis, ad quod hinnulus ille saliens halitu odoris attraxit ex Oriente Reges, & suo subiecit imperio mites & humiles, sublato veneno superbiæ, & sic fortitudinem Damasci & spolia superba Samariæ puer paruulus obtinuit gloriosè; tales decet esse Christi & istorum Regum imitatores: sui osores & victores, mites, & humiles: adeoque Reges, de quibus S. Gregorius. *Bene sancti viri scripturæ sacræ testimonio Reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis, modo luxuriæ appetitum frenant, modo æstum auaritiæ temperant, modo gloriam elationis inclinant, modo suggestionem liuoris obruunt, modo ignem furoris extinguunt; Reges ergo sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed præesse nouerunt. Dicatur rectè Reges in solio: collocat in perpetuum: semetipsos enim regendo ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectionis internæ solio in perpetuum collocantur.* Eosdem sanctus Bernardus Reges facit. *Nobile regnum possidet, qui cor suum possidet, non regnat, qui in corde suo deditus seruitutibus vitiorum præsidet vrbibus & turbis populorum; solus regnat, qui disposito coram imperio ad leges rationis ordinat totam familiam motuum interiorum, & exteriorum.*

ne dominentur nobis vitia. *S. Bernard. hom. 4. super missus.*

Reges sunt, qui sibi imperant & Deo seruiunt.

Illustrat à nobis dicta Wilhelmus Episcopus Parisiensis, qui ante 440. annos floruit, vnctione fidelium in baptismate, quomodo Reges initientur, & se regere debeant. *Christus*, ait, *voluit Reges esse illos, qui primi de Gentibus ad fidem eius venerunt, ad designandum, quod Deo seruire est regnare, & quia seruientes ei regnum cœlorum sunt acceptur. Ideo Christiani in Baptismo inunguntur, & hoc tripliciter: in vertice, vt in superiori parte animæ dignitatem regiam conseruent, nec seruituti vitiorum eam subijciant. In pectore, vt viscera misericordiæ in proximos habeant. In scapulis, vt onus Christi mansuetè portent, fideles qui bene se gerunt, vitam regiam ducunt; in eis enim debito modo consulitur, imperatur, obeditur.* Seneca. *Multos reges, si ratio te rexerit:* Lucæ 17. *Regnum Dei intra vos est.* Seneca: *vis magnum imperium? dabo tibi, impera tibi.* Tullius: *omnis sapiens liber, omnis stultus seruus. Nec putatur hoc nomine Imperator dignus, quomodo vel cui liberè imperabit, qui suis cupiditatibus imperare non potest.* Descendit deinde ad tria regna, quæ Christianus quilibet tenetur aptè gubernare duobus modis, vt mala coërceat & bona cumulet: sic autem ait, *Hoc quod tres Reges fuerunt, referri potest ad fidem Trinitatis; vel ad hoc, quod fideles tria habent regere, manum, linguam, cor. Primum regnum latum, secundum latius, tertium latissimum, Regenda sunt hæc tria, vt à malis cohibeantur, & bonis actibus seruire cogantur. Regenda est manus, vt à tribus cohibeatur; scilicet à tactu immunditiæ, peccato violentiæ, & auaritiæ. Propter primum Monachi sunt accincti:* Ecclesiastici 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: caro ad modum picis inquinat tangentem. De secundo arguuntur Iudæi Isaiæ 58. Percutitis pugno impie. Ro. 12. non vos defendentes carissimi, sed date locum iræ. De tertio habetur Eccl siastici 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta. Isaiæ 33 Qui excutit manus suas ad omni munere, ipse in excelsis habitat. Regenda est lingua, vt cohibeatur à detractione, adulatione, & alijs vanis. Ierem. 5. Disperdite sororem de Babylonia, & tenentem falcem in tempore messis. Sator Babyloniæ est detractio, qui seminat inter fratres discordias: lingua verò adulatoris falci comparatur, quæ amplectendo necat; lingua etiam detractoris est quasi arbus occultè feriens. Ier. 9. Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij. Regendum est cor ab inanibus cogitationibus, vt à prauis desiderijs cohibeatur: locus enim est sacrificij. Psal.*

S. Greg. l. 26. Mor. c. 21.

verius quã qui regnis præsident. *S. Bern. c. 13. de nt. do no.*

Ser. 1. de Epiphan.

fideles in Baptismo vnguntur Reges.

vt triplex regnum regani duplici modo.

manus à tribus malis cohibenda.

lingua.

50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus cor contritum.* Legitur Gen. 15. de sacrificio Abrahæ, quod descenderunt volucres super cadauera & abigebat eas Abraham, sic cogitationes malæ abigendæ sunt à corde. *muscæ morientes perdunt suauitatem odoris, siue vnguenti.* Eccl. 10.

secundo modo hæ tria occupanda in bonis.

Occupanda sunt etiam tria prædicta bonis actibus. *Benedicta manus, quæ à bono opere non cessat.* Psal. 117. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es. Benedicta lingua, quæ solum benedicit.* Iacobi 3. Ephes. 4. *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat. Benedictum cor, quod est quasi auis cadauera & stercora fugiens & floribus virtutum insidens, & aromata diligens.* Pro. 27. *vnguento & varijs odoribus delectatur cor.* Huc vsque Episcopus Parisiensis. Tales Reges erant Magi, ideo merito Christum Regem inaugurarunt: hæc symbola sunt subditorum eius, verè Regum, ob quos ipse vocatur Rex regum & Dominus dominantium & ipsi regale sacerdotium.

CAPVT XLVII.

Christus lapis angularis Angelis homines coniungit vna coalescente ex omnibus Ecclesia.

dies pacis per Christũ firmatæ. *Isa.* 9.

HOc illud optatissimum est, quo postea, quam Reges isti Christi se regno & dominatui subiecerunt, pax cœlites inter & terrigenas, Deum & homines firmari cœpit, Patre patrato Christo: qui ideo nomen à pace sancita traxit. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius admirabilis consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi princeps pacis*: Felix & admirabilis *consiliarius*, qui post quater millenos annos sua prudentia & suasu Patri cœlesti homines reconciliauit, Angelos cum mortalibus; Iudæos cum Gentilibus fœderauit: *Pater* verè *futuri seculi* & Rex cœlestis & æternæ gloriæ, qui cum hominibus Angelos beabit: primus & felicissimus *princeps pacis*, vt vno sub capite tam Physico, vt multi volunt, communicante cum omnibus gratiam & gloriam, quam morali & Rege paruulo licet, & infantulo cœlites & terrigenæ pacificè gubernentur: ideo voluit Deus Pater Angelos adesse & accinere nascenti, pacisque tempus hominibus annunciare. *Luc.* 2. *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: Hunc diem quater millenis annis Angeli videre desiderarunt, vt possent Regem quem Angeli desiderarunt. suum, & caput coram intueri; cui secundum multos Theologos gratiæ dona referebant in acceptis, eique iam hominem induto sua deferre seruitia: per illum vt lapidem angularem cum hominibus nexu firmissimo caritatis, velut membra eiusdem corporis mystici capiti copulari: ideo nato saluatore sic exsultarunt modulatis lætitia eorum nato Rege. vocibus, vt Iudæos, per se ipsos; Gentiles per stellam conuocarent, vt omnes vna mente, vno deinceps sub Rege & capite viuerent, in via per gratiam, postea regnaturi simul æternum in cœlis gloria verè regia decorati. Hac de causa Apostolus de Christo ait: *In quem desiderant Angeli prospicere*, & multi sanctorum Patrum Christum delicias Angelorum nominarunt, vt enim Cherubini bini sic erant efformati, vt perpetuo arcam, quæ propitiatorium dicebatur, intuerentur: nam ea generis humani seruator Christus designabatur; ita & Angeli diem illum anhelabant, quo Iudæis & Gentibus placatus, vnum ex eis & cœlitibus populum constitueret: quem ipse Rex idem cœli & terræ, tam eorum, qui in via militant, quàm qui triumphant in patria, hominum & Angelorum, gubernaret. Quapropter non Gentilium tantùm & hominum: sed pariter & Angelorum fuit festiuitas in cœlis, & terra magno plausu & tripudio celebrata: vt docent sancti Patres, & ob hanc sanctus Gregorius Nazianz. nos ad communem cum Angelis lætitiam exhortatur: *Cum stella*, ait, *cane, cum Magis dona offer aurum, thus & myrrham: vt Regi, vt Deo, vt tua causa mortuo: cum pastoribus Deum laudibus celebra, cum Angelis tripudia, cum Archangelis hymnos cane: sit cœlestium & terrenarum virtutum communis celebritas: nam eos quoque hodierno die festum celebrare cum lætitia gestire confido: siquidem hominum Deique amore præditæ sunt, quemadmodum illæ, quas Dauid*

& festiuitas.

S Gregorius Naz. orat. 38.

ac iubilus.

in-

ducit post passionem cum Christo simul adscendentes, ac simul occurrentes, seque inuicem ad portas attollendas adhortantes. Accommodatè ad propositum: nam tunc possessionem cœlestis regni victor & triumphator adibat: ergo non Patriarcharum tantum & Prophetarum stipatus cuneis, sed & exercitu circumuallatus Angelorum, vt Rex gloriæ adscendebat ad cœlos: hic vero vt terræ dominator à Regibus orbis tributo diuitiarum mundi accepto Rex regum constituebatur, & monarcha totius vniuersi: non decebat ergo cœlestes abesse genios, præcipuos regis huius stipatores, satellites, & legatos. Et S. Cyprianus *Nato*, ait, *saluatore audita in Ephrata eius præsentia, & vsque ad siluas camposque Gentium noua est huius natiuitatis fama porrecta, in Iudæa à Pastoribus & Angelis primo sunt hæc gaudia celebrata: nec multo post Arabum fines huius rei notitia penetrauit.* Consentit S. Leo: *ab exsultantibus Angelis nascente Domino gloria in excelsis Deo canitur: & pax in terra bonæ voluntatis hominibus nunciatur; vident enim cœlestem Ierusalem ex omnibus Gentibus mundo fabricari, de quo inenarrabili diuinæ pietatis opere, quantum debet lætari humilitas hominum, cum tantum gaudet sublimitas Angelorum?* Facit huc Sophronius Episcopus Hierosolymitanus. 1. *Pet.* 1. *dicitur: in quem desiderant Angeli prospicere: si ergo iusti, & Prophetæ, & Angeli Christi natiuitatem & locum, in quo exoptatissimus eius exortus contigit desiderant conspicere: quid mirum est si nos minimi, abiectique qui eiusdem religionis & pietatis participes, orthodoxæque fidei coheredes effecti sumus ardenter illud desiderabamus?* Gentiles præsertim: quos hoc ipso die cœpit Iudæis anteferre: & translato ad eos quasi nouæ legis sacerdotio, eos in sponsos admittere, stabili & perpetuo se eis coniugij fœdere copulando. Ideo die hoc nuptiali paranymphos Angelos facit S. Bernardus tripudiantes. *Egredimini*, ait, *virtutes Angelicæ, incolæ ciuitatis supernæ, Ecce Rex vester; sed in corona nostra: in diademate, quo coronauit eum mater sua: sed his delicijs vsque modo caruistis: hanc hactenus dulcedinem non gustastis: habuistis sublimitatem eius: sed humilitatem eius non vidistis: egredimini, egredimini & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua: veruntamen non est opus illis nostra exhortatione, quoniam ipsi sunt, qui desiderant in ipsum prospicere: illis enim quantum sublimitas notior, tanto humilitas pretiosior & amabilior est; vnde licet nobis sit maior causa lætitiæ (nobis enim natus est, & nobis datus est) tamen ipsi nos præueniunt, ipsi nos exhortantur: probat hoc Angelus, qui gaudium Pastoribus euangelizat, & quæ cum illo facta est multitudo cœlestis exercitus.* Quid ni & illi, qui Magos ab Oriente stella duce vocatos stiterunt sponsas Christo, velut sponso hodie procedenti de thalamo suo à matre antea coronato: nam in nuptijs corona sponsis à parentibus tribuebatur. In hac igitur die lætitiæ & coronationis & desponsationis filij Dei sine modo tripudiant Angeli, vocibus modulatis concinunt: homines ad pacem & lætitiam hymnis & exemplo cohortantur, vt tandem vna coëat ex Angelis & hominibus, ex Iudæis pariter & Gentilibus Ecclesia, capite & Rege Christo: quem in finem Angeli solicitè & Pastores è Iudæa, & Reges ex Oriente acciuerunt, vt tres isti populi cœlitum, Iudæorum, & Gentilium vnanimi consensu Regem agnoscerent, eique fidem iurarent: Hanc lætitiam Angelorum: & solicitudinem, vt Gentiles æque & Iudæi Christo iurarent Regi, graphicè delineat Ludouicus de Ponte. *Cum*, inquit, *Christus esset caput hominum & Angelorum, sui nominis fragrantiam vsque ad Angelos extendit: effundens in illos ingens oleum lætitiæ & exsultationis, quo vncta cœlestis militia ad terram descendit, vt Christi natiuitatem eiusque fructus hominibus manifestaret, vt pro tanto dono Deo laudes caneret. Venit ergo Angelus ad Pastores, qui in Bethlehemitica regione greges suos custodiebant, dicens illis: ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid, Ecce nomen Christi prædicatur, & oleum lætitiæ & salutis tribuendum omni populo, non solum Hebræo; sed etiam Gentili. Confirmat nuncium cœlestis militia hoc canticum laudis intonans: gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Non inquiunt hominibus Hebræis tantum sed cunctis hominibus etiam ex Gentilibus, qui si bonam velint habere voluntatem Deus ex bona & gratuita sua voluntate pacem illis per Christum conferet & reconciliationem. Hoc audito nuncio ten-*

S. Cyprian.

S. Leo ser. 8. de nat.

vnde sit ortа eorum lætitia in Natalitijs.

Gentibus præcipue gaudendū.

ob matrimonium cum Christo initū.

Angelis paranymphis.

ij solicitī vt Christo Regi Iudæi & Gentiles iurent.

Lud. de Ponte lib. 1. Cant. exhort. 25. §. 3.

qui caput Angelorū eos primo lætitia affecit.

per eos adduxit Pastores.

præcinunt hominibus laudes nati Regis.

tendunt Pastores ad diuersorium, inueniunt infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio: reperiunt fontem olei in taberna meritoria ebullientem, qui statim in eos effudit vtrumque oleum, replens eos gaudio magno, qui reconcilians eos Deo largiens ijs bonam voluntatem, vt copiosiorem reciperent pacem, & fruerentur regno Dei, quod est iustitia, pax & gaudium in Spiritu Sancto. Sed vnde hoc constat? ex eo quod Euangelista subdit. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ videbant, sicut dictum est ad illos: viderunt cuncta, quæ annunciauerat Angelus, nec solùm viderunt oculis corporeis; sed multo magis oculis fidei valde illustratæ, & magnitudine luminis, quod ab infantis splendore procedebat, vt illum crederent verum Messiam, & Christum filium Dei hominem factum: propter pueri immensam maiestatem glorificabant Deum. Nunc solicitudinem eorundē videamus, quomodo stellæ luce præuia & per trecentas ferè tracta leucas & Bethlehemum vsque directa ijdem Angeli Reges Gentilium adduxerint. *Intrauit in Ecclesiæ diuersorium populus Hebræorum, vt etiam Gentes intrarent, gaudiumque diffunderetur in omnem populum, mittitur nuncius in Orientem, nempe stella ibi orta, quæ non verbis; sed signis instar Angeli diceret: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, etiam Gentilibus: quia natus est etiam vobis hodie Saluator mundi, & Rex desideratus cunctis Gentibus: videntes autem Magi stellam, & nuncium eius fide percipientes, gauisi sunt gaudio magno valde: triplici voce magnitudinem gaudij amplificat Euangelista, dicens: quod gauisi sunt gaudio, & magno, & valde; quia maxima erat ratio gaudendi, sicut maxima præcesserat causa quærendi. Iacebant Gentes in tenebris infaelitatis, non videbant lumen cœli, nec agnoscebant solem iustitiæ, ideo non poterant verum gaudium capere. Quale inquit Tobias cæcus gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? forti animo esto, respondet Angelus: in proximo est vt cureris à Deo: gaudete, ait, stella, forti animo estote ad quærendum saluatorem. Ecce iam iam in Iudæa populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in vmbra mortis lux orta est eis: vobis etiam orta est, quærite, & inuenitis* (hi sunt occulti Angelorum monitus & affiatus, quibus Reges in molestijs itineris, fatigationibus corporis, vitæque periculis animabant) *quærite*, inquiunt, *& inuenietis: quia omnis qui quærit, inuenit. Audiunt Magi nuncium* (Michaëlem) *obediunt, quærunt; perueniunt ad Bethlehem, intrauerunt domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius: ad præsentiam autem Christi vncti sunt oleo lætitiæ, præ omnibus consortibus populi sui: si enim visa stella gauisi sunt gaudio magno valde, quanto maiori gauisi sunt gaudio videntes eum, qui per stellam representabatur, qui est stella splendida & matutina, expellens ignorantiæ tenebras, & veram lucem annuncians & efficiens. En vterque populus ingressus est in Ecclesiæ diuersorium, vt vtriusque esset confœderatio per Christum: qui vt inquit Paulus est pax nostra, & fecit vtraque vnum: id est vtrumque populum Hebræorum & Gentium in vnum redegit:*

adducunt Reges per stellam.

miseria & cæcitas Gentilium: quam Tobiæ. *Tob. 5.* educti ex ea lætantur. *Isa. 9.*

cōfœderātur Iudæis.

& Angelis.

Ergone deseruit Angelos, nec eos admisit in corporis vnius mystici societatem, per quos velut Legatos Rex ille & caput vniuersi cunctos sibi copulauit? imo nec illos deseruit: pacem etiam eos inter & homines stabiliuit: quia tamen gloria iam donati viam emensi, patriam obtinebant glorioſam, se ijs in cœlo, vt gloriæ Regem offerebat, qui Pastoribus & Regibus humilis & abiectus inter pecudes apparebat, vt eos sibi & Angelis pariter fœderaret. Audi S. Augustinum: *Hoc etiam verbum, quod in principio erat Deus apud Deum, iam etiam carofactum, vt habitaret in nobis: & ad nos venerat, & apud Patrem manebat, sursum Angelos non deserens, sed deorsum ad se homines per Angelos colligens: & cœlestibus habitatoribus secundum verbum incommutabili veritate fulgebat, & propter angustum diuersorium in præsepi iacebat.* Quibus igitur Legatis, & satellitibus vtebatur, ijs licet in præsepio positus, etiam quo ad humanitatem, vt caput præsidebat; vt Rex, ad imperata procul amandabat, vt & alij Rege eodem stipendia facerent eius vltro se militiæ sacramento vocatu Angelorum auctorantes, & ita vnum esset cœlestium & terrenarum ouium ouile & pastor. Vnus & idem cœli & terræ Rex: hominum caput & Angelorum. Vnde tres illi quasi diuersi populi singuli diuerso tempore fidem iurarunt: Angeli primi momento natiuitatis: secuti eadem nocte Iudæi, decimo tertio demum die

quorum pariter Rex gloriæ Christus. *S. Augustin. ser. 4. de Epiph.*

quid iis præstiterit. in cœlis. iisdem in terra interpunciis vt Rex vtebatur.

Angeli fidē iurant Regi momento natiuitatis.

Gen-

Gentiles: ita Carthagena. *Mysticum*, ait, *fidelitatis iuramentum Principi Christo Magi adoratione exhibuerunt nouo electo Regi vel succedenti ab omnibus regni primatibus initio regni obedientiæ iuramentum præstatur. Ita in orbem terrarum Principe æternitatis adueniente vult Pater æternus in eius verba & obsequium cœlum terramque iurare: ideoque cœlitus missi sunt Angeli, tanquam curiæ cœlestis procuratores: & à populo Hebræo pastores, & à Gentibus sancti hi Reges legati properarunt; & ipse Pater æternus medio iuramento sceptrum & coronam regni, summique sacerdotij tiaram filio suo imponit: Secundo Pater ordinat filio famulos, & reditus: dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ: pro pignore mittit Reges Orientis.* Completa in Regum aduentu, munerum donatione & supplici veneratione, solennis in auguratio noui Regis: tunc etiam præcipue corona regni & tiara sacerdotij spectante Deo Patre, gratulantibus Angelis, applaudente matre & Iosepho fuit imposita cum à Regibus vt Rex mortalis; à sacerdotibus oblato thure vt sacerdos, & Deus; fuit solenniter adoratus, Deo Patre per hos triumuiros contestante, quod postea suomet ore confirmauit eadem die, decursis aliquot annorum spatijs. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: Sed cum eundem triplicis populi Christi triumphum Vega præclarè nobiscum describat & Patris cœlestis desiderium, vt à cœlo terra & vniuerso filius coleretur, verba eiusdem adnumerabo. *Notandum opus hoc fuisse super omnia opera, & mirabile mirabilium, quæ fecit Deus, quod nimirum homo passibilis & mortalis dignatus sit fieri, vt in arenam descenderet in morte, eamque imperio suo exueret, quo opere satisfactum plenè sibi rati sunt cœli, & Pater æternus, vt mox filio suo duxerint gratias reddendas, ac rependendas vices. Qua propter extemplo constituit, vt in remunerationem facti orbis vniuersus, cœlum, terra, superiora, inferiora, Angeli, homines, pastores, Reges honoribus exciperent eum, natiuitatem eius, & cunabula celebrarent, ac incredibili cum gaudio exsultarent. Primi omnium comparuerunt Angeli vigilia natiuitatis eius, atque porticum Bethlehemiticam collustrantes, emodulationis suæ dulcedine replebant vniuersa: pro vt mandatum cœlitus acceperant: inquiente S. Paulo: & cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, adorent eum Angeli Dei: cum iterum introducit eum, inquit, in orbem, ad distinctionem alterius introductionis, vti dicit Lactantius, quæ sursum in cœlo accidit, quando præsentatus est conspectibus Angelicis cum mandato de adorando eo, ibi primum gloria in excelsis Deo occinuerunt, alterum in Bethlehem. Hos subsecuti sunt pastores ex nomine Iudæorum, quibus principaliter nascebatur Rex. Post pastores sequuntur nunc Reges seu primitiæ Gentium & Patres fidei Ecclesiæ.* Tres igitur ordines Deus Pater ad filium recens natum ablegauit, vt eum velut Regem & caput omnes etiam cœlites agnoscerent cum terrigenis: & consensu vno Deum ac Regem suum testarentur, adeoque vna coagmentaretur Rege Christo cœlestium & hominum Ecclesia, partim triumphans in patria: partim in via militans. Sed alteram iam coniunctionem factam Iudæorum, & Gentium ipso angulari lapide Christo Iesu penitius inspiciamus.

legati cœli & terræ.

Inauguratio præcipua Regis publicâ facta die Epiphan.

Vega de Epiph.

Angelorũ secunda adoratio Christi.

Hebr. 1.

CAPVT XLVIII.

Idem lapis angularis Christus Iudæis Gentiles copulauit.

SOCIATIS inter se fœdere iam Angelis cum hominibus, & his dato iure ruinas cœlestes perpetuis colonis nouis instaurandi: restabant inimicitiæ veteres & odia plus quam capitalia Iudæos inter & Gentes componenda: iudicium partis vtriusque arbitro Christo in stadulo exercitum fusè sum alibi persecutus, iuribus vtriusque partis allegatis: nunc quæ restant ex SS. Patribus loca de lapide angulari alibi prætermissa, suo hic loco recensebo, è quibus pacis inter vtrumque populum, per Christum firmatæ conditiones appareant, vt liquidum & planum fiat, plus aliquanto Reges Gentiles ad Christum Regem recipiendum contuliſſe, quam Iudæos, adeoque merito prælatos ipsis sponsum ad se nouas sponsas rapuisse veteri synagoga vel

velut Agar ancilla sed peruicace penitus eliminata. Fuit scilicet lapis angularis Christus, vt alias dixi paribus incrementis & ornamentis gentis vtriusque murum adaucturus: sed obsequijs, muneribus & ipso quærendi tam indefesso, laborioso & periculoso studio primas obtinuit Gentilitas, sponsum in vno oculorum amoris sui, & crine fidei tam stupendæ sic sauciauit, vt totum se amoribus nouis daret, repudiataque Synagoga exardesceret in Gentilium specie: & tenerum etiam se iam nexu perpetuo coniugij pararet copulare: antea tamen ijs in societatem fœderis cum Iudæis admissis. Plurimus est præ alijs S. Augustinus in singulis ferè sermonibus huius festiuitatis, vt lapidem hunc angularem aptè describat.

Christus lapis angularis.

S. August. ser. de Epip.

Natus, ait, *fuerat lapis ille angularis, pax duorum parietum ex circumcisione, non ex parua diuersitate venientium: vt ibi illis vniretur, qui factus est pax nostra, & fecit vtraque vnum: hoc in pastoribus Iudæorum & Magis Gentium præsignatum est: inde cæpit, quod in vniuerso mundo fructificaret & cresceret. Nos igitur duos dies natiuitatis & manifestationis Domini nostri spirituali lætitia gratissimos habeamus, Iudæi pastores ad eum Angelo nunciante, Gentiles Magi stella demonstrante perducti sunt.* & ser. 4. *suscipite ergo deuotissimè istum diem celebrandum vniuersæ Ecclesiæ Gentium: quia & illi Magi quinam fuerunt nisi primitiæ Gentium: Israëlitæ pastores: Magi Gentiles: illi prope, isti longe: vtrique tamen ad angularem lapidem cucurrerunt: veniens quippe, sicut Apostolus dicit Ephes. 2. Euangelizauit pacem nobis, qui eramus longe, & his qui erant prope: ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & duos condidit in se in vnum nouum hominem, faciens pacem, & commutauit vtrosque in vno corpore Deo interficiens inimicitias in se ipso.* Idem in ser. 62. de diuersis. *Primitiæ quippe Iudæorum ad fidem, reuelationemque Christi in illis pastoribus exstiterunt, qui ipso die, quo natus est, eum de proximo veniendo viderunt; illis Angeli, istis stella nunciauit: illis dictum, gloria in excelsis; in istis impletum est, cæli enarrant gloriam Dei: vtrique sanè tanquam initium duorum parietum de diuerso venientium circumcisionis & præputij ad angularem lapidem cucurrerunt: vt esset pax eorum, faciens vtraque vnum: veniunt pastores de proximo videre: Magi de longinquo adorare: in illis gratia prior: in istis humilitas amplior.*

duo dies Ecclesiæ festiuissimi natiuitatis & Epiphaniæ.

Haymo: *Et illi per Angelum & isti per stellam admoniti cucurrerunt ad lapidem angularem, vt ex vtroque populo vnum parietem facerent, ab illo coniuncti de quo ait Apostolus: ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem copulauit, dissoluens inimicitias in carne sua, & veniens euangelizauit pacem his, qui longè, & his qui prope sunt. Ephes.* 1.

Haymo.

Innoc. III. Innocentius III. *Hic est lapis angularis, ad quem duo parietes conuenerunt, vnus ex Iudæis, id est pastores, ad verbum Angeli: alter ex Gentibus, id est, Magi ad signum stellæ: vt sint vnum ouile, & vnus pastor: vtrique tamen in terra à cælo admoniti, quia Rex cælorum natus erat in terris: stella cucurrit ad stellam, quia stella descendit in stellam: ego sum, inquit, Apoc. 22. stella splendida & matutina.*

Vna domus orbis est, quam Iudæi simul cum Gentibus incolebant, moribus scilicet & ritibus ipsaque religione dissimiles; vnde maceria quadam, vel medio pariete à se inuicem dissidebant, odijs & inimicitijs capitalibus à se disiuncti: Christus tandem aduenit, vtrisque desideratus, vel vtrisque exspectatus: is inimicitias sustulit, odia reconciliauit, medium parietem seu varietatem rituum ac religionis diruit; vnam inuexit fidem Christianam, vt vno iam in ouili & domo, sub vno pastore Gentiles & Iudæi stabulentur, antiquatis auitis ceremonijs, nouis iam inter se conformes moribus, ritibus, institutis.

quomodo Christus mediam maceriam diruerit.

CAPVT XLIX.

Sanctorum Regum prærogatiua præ pastoribus & Iudæis.

NOLO sanctitatem eorum inter se comparare, sed officij dignitatem & muneris commissi executionem, qua sibi præ pastoribus ita Christum Gentiles Reges officijs & obsequijs deuinxerunt, vt occasio fuerit oblata Christo, prærogatiuis quibusdam specialibus Regum pietatem remunerandi. Licet enim pastores illi Iudææ gentis à Deo dilectæ præ ceteris orbis nationibus, & electæ personam gesserint, è quorum stirpe & Christus Messias descendebat, & quibus tot oraculis Prophetarum fuerat repromissus: quia tamen senescentis Synagogæ repræsentabant imaginem, & ancillæ non electæ sponsæ, quam sibi de Gentibus Æthiopissam nigram, sed formosam per gratiam Rex gloriæ despondere mirificè cupiebat; ideo nec pastores illi tanta lætitiæ, pietatis & religionis signa, quanta Reges trecentis confectis leucis ad Christum adorandum ostenderunt. Obstare videtur illa pastorum per Angelum vocatio longè nobilior, vt apparet prima fronte, quam illa per stellam mutam & rationis ac sensus expertem: quo spectant illa S. Gregorij verba: *Iudæis tanquam ratione vtentibus rationale animal, id est Angelus prædicare debuit; Gentiles vero, quia vti ratione nesciebant, ad cognoscendum Dominum non per vocem, sed per signa peruentum: vnde per Paulum dicitur, prophetiæ fidelibus datæ sunt, non infidelibus: signa autem infidelibus, non fidelibus: quia & illis prophetiæ tanquam fidelibus & non infidelibus; & istis signa tanquam infidelibus, non fidelibus data sunt.*

prærogatiua pastorũ

Regũ obsequia & gratia apud Ipsum. vtra vocatio nobilior Gentiũ an Iudæorum? S. Greg. hom. 10. in Euangelia. Haymo.

Haymo: *Dignum erat vt pastoribus, quia Israëlitæ erant, & Deum cæli cognoscebant, rationalis creatura, id est Angelus appareret, qui eos de natiuitate Domini instrueret: Magis vero tanquam Gentilibus & ratione carentibus irrationalis creatura stella appareret, quæ insolito fulgore coruscans in cœlo regem cæli in terris natum ostenderet: & ita fieret, vt & illi per Angelum, & isti per stellam admoniti ad angularem lapidem currerent.* Sequuntur hos alij, nobis tamen nil officiunt: nam per familiaria signa populum vtrumque vocauit: Iudæis Deus, vt legem per Angelos dederat: vt Patriarchis per eosdem diuinam suam aperuerat voluntatem, ita consueto modo internuncio cœlite mysterium nati Messiæ declarauit: Gentiles qui oraculis tamen Propheticis, præsertim Balaamitico fidem tribuebant, per stellam hoc etiam opportunius euocauit, quo magis illi stellarum conspectu & contemplatione velut Astronomi tenebantur: forte quas & ipsi solebant in Dijs, vt alibi dixi numerare: interim nobiliori modo per se ipsos Deus instruebat: non tantum intellectum prophetico lumine collustrando, sed voluntatem etiam efficaciter ad heroica facinora permouendo, quorum nulla de pastoribus similia referuntur. Poterat Reges distantia loci natalitij, viarum pericula, Regis Herodis insidiæ, stabuli vilitas ab instituto, non pastores deterrere, nec tamen deterruit: imo sic ardens quærendi per tot molestias desiderium adeum supplices prostratis in terram corporibus adorarint, & fidei interioris sensa mysticis muneribus indicarint: maior igitur in his humilitas, pietas, religio & amor inuenti pueri, quam in pastoribus elucescit: & iure: nam pastores Synagogæ veteris & antiquandæ formam, vmbras & figuras venturi Messiæ tantum intuentis sustinebant, è qua non nisi pauci & rudes, idiotæ & plebei Christo se erant coniuncturi, principibus sacerdotum, Scribis & Pharisæis in necem eius coniurantibus: Reges vero isti Gentilium Imperatores, Principes, Reges, & doctissimos quosque Græcos, & Latinos figurabant, qui insigni pietate, fide, & religione, animique demissione Christum erant cum subiectis adoraturi, templa ei augustissima regia magnificentia constructuri, adeoque donis Christi & cleri egestatem subleuaturi: insinuat ea paucis S. Augustinus: *Veniunt*, ait, *pastores de proximo videre: Magi de longinquo adorare: verum-*

cur vocati Iudæi per Angelum.

Gentiles per stellã.

Deus per se ipsum docet Reges.

inde in Magis virtutes clariores.

ob futurorum figuram.

ideo præferunt SS. Patres Magos pastoribus. S. August. ser. 65. de diuersis.

ueruntamen illi Deum ex eo, quod Christum viderunt, laudauerunt: in illis gratia prior, in istis humilitas amplior. Hæc est ista humilitas, quam plus in illis, qui ex Gentilibus erant, quam in Iudæis diuina scriptura commendat: ex Gentibus erat ille centurio: denique Dominus, non inueni, inquit, tantam fidem in Israël: hæc est illa humilitas, qua inseri meruit oleaster in oliuam, & oliuam contra naturam dare per gratiam. Præfert hic non tantum Regum humilitatem pastorum pietati: sed & meruisse vult, vt ideo Iudæis adnumerati, oliuæ suæ veræ Ecclesiæ Christi adscriberentur: cui insitioni tribuit S. Paulus alibi, quod ruptis ramis Iudæi sint reproba-

Rupertus. lib. 4. de offi. cap. 24.

ti. Rupertus etiam longè præfert vocationē hanc Regum isti, qua pastores vocatos esse constat. *Dona*, ait, *illa fuerunt fide fecunda, cœlesti magisterio disposita, per Spiritum Sanctum intellecta: quid enim cœlesti magisterio dignius, quam auro Regem, thure Deum, myrrha confiteri mortalem? nihil tale ille paries de proximo contulit, qui de Iudæis veniens in pastoribus angulari lapidi primus se coniunxit: nec mirum: illos scilicet Iudæos pastores Angelicum instruxit magisterium: hos autem videlicet Gentiles, nouam stellam suscipientes, solum diuini spiritus inuisibiliter perdocuit oraculum: benè ergo Regum munera sanctæ Ecclesiæ fidem integerrimam testantia totum huius diei officium laudibus personat.* Fusius & exactius Regum horum perfectiorem

Instructio Magorum nobilior quam pastorum.

instructionem, scientiam & adorationem, comparatione cum pastoribus instituta, sic alibi exsequitur, vt etiam superius dixi. *vide quanta sit distantia in modo discendi: quantum distet inter auditionem illius, qui per Angelum, siue per hominem, & illum qui per solam Spiritus S. reuelationem meretur erudiri. Pastores itaque Iudæi quippe, qui in regione eadem erant vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum, non per hominem, sed quod maius est, per Angelum natum sibi esse saluatorem Christum Dominum didicerunt, & tamen non adeo docti siue eruditi fuerunt, vt procidentes adorarent, aut munera offerrent: sed tantummodo venerunt & cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc, & reuersi sunt glorificantes & laudantes Deum: isti primitiæ Gentium, neque per hominem docti, neque per Angelum; sed per Spiritum S. modo, de quo iam dictum est; laudem perfecerunt; & tres homines tribus partibus orbis Asiæ, Europæ & Africæ fidei vel confessionis, atque adorationis exemplar existere meruerunt.*

Reges exēplar sunt Christianæ fidei confessionis, adorationis.

Fidei exemplar exstiterunt, cum per stellam vocati à Deo, sine remora intellectu in obsequium fidei inclinato, statim paruerunt, & muneribus ad offerendum præparatis iter susceperunt: confessionis exemplar esse meruerunt Hierosolymis coram Herode: cum nihil eius blanditias minasque reueriti, Christum natum Regem Iudæorū & Deū verum profiterentur. Denique adorationis in stabulo: quod eo mirandum magis: nam idiotas pastores verbis Angeli credidisse tunc, cum infantem pannis inuolutum oculis vsurparunt, perfacilè: at Reges istos omnibus scientijs instructissimos, solius impulsu Spiritus S. interiore, & sideris adspectu puerum egenum vt Deum adorasse, &

Lud. de Ponte lib. 1. Cant. exh. 25. cur vocati à Iudæis viles Pastores. *Io. 7. v. 48. Io. 9 v. 39. Matt. v. 35.* at Reges ex Gentibus. *Isa. 60.* Pastores erant aptiores ad Christi demissionem addiscendam. *Matt. 11.* & Reges Gentium præ pastoribus moderatiores.

Gentiles quidem, magis demirandum, præsertim cum Iudæorū doctissimi quique Pharisæi & principes sacerdotum, quibus toties in lege promissus erat, adduci nō potuerint, vt eum velut Messiam agnoscerent, reciperent, adorarent. Recte Lud. de Ponte: *Ex Heb. venerunt pastores ignobiles & plebei: ex Gentibus vero Reges & sapientes, eo quod futurum erat quod Pharisæi sacerdotes & Iudæorū magnates Christū non reciperēt; sed solum humiles & indocti iuxta illud quod ipsi fassi sunt dicentes: nunquid ex principibus aliquis credidit in illum aut ex Pharisæis? sed turba hæc, quæ non nouit legem: & Christus hoc significans dixit: in iudicium in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant:* & clarius alibi *abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis. At ex Gentibus non minores tantum; sed etiam Reges, principes, nobiles & sapientes conuertendi erant, iuxta illud. Ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Ita nimium sibi & doctrinæ suæ præfidentes scribas & Pharisæos abiecit pastores, & turbam elegit, capaciorem istius lectionis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*: imò pastoribus Reges magis scilicet Gentes humiles, quam Iudæos, prætulit; ijs fidei mysteria recondita cum affatu Prophetico manifestauit: hoc aptiores ad Euangelica fata recipienda: quo remotiores se mouerant à cognitione Dei, qui etiam tanto maiore studio, cura & labore in quærendo Deo desudarunt, tanto religiosius & demissius inuentum adorarunt, quanto

no-

nouerant se ob commissa conspectu eius & gratia indigniores: ab hac virtute cum remotissimi essent Pharisæi, adduci non potuerunt; nec filij Dei eloquentia, vt ipsum reciperent, quem vt se inferiorem & fabri filium despiciebant, solos elegit summissos: & de se non superbè & arroganter præsumentes, vt rectè S. Augustin. docet. *Manifestatus est in ipsis cunabulis infantiæ suæ his qui prope, & his qui longe erant: Iudæis in Pastorum propinquitate, Gentibus in Magorum longinquitate: illi ipso die, quo natus est, isti ad eum hodie venisse creduntur: manifestatus ergo est, nec illis doctis, nec istis iustis: præualet namque imperitia in rusticitate pastorum, & impietas in sacrilegijs Magorum: vtrosque sibi ille lapis angularis applicuit, quippe qui venit stulta mundi eligere, vt confunderet sapientes, & non vocare iustos, sed peccatores, vt nullus magnus superbiat, & nullus infirmus desperet: vnde scribæ & Pharisæi, dum nimis docti, & nimis iusti sibi videntur, eius nascentis ciuitatem ostenderunt, eloquia recitantes; hunc reprobauerunt ædificantes. Sed quod factus est in caput anguli, quod natus ostendit, passio impleuit. Huic nos inhæreamus cum alio pariete habente reliquias Israël, quæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt: eos etiam peccatores illi præsignabant de proximo coniungendos, vt & nos quos ex longinqua vocatione Magorum significabat aduentus, iam non peregrini, sed ciues Sanctorum & domestici Dei maneamus coædificati.* Humilitas in Deipara fecit, vt præ omnibus mulieribus eligeretur: *Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna qui potens est.* Humilitas in pastoribus, & Apostolis meruit, vt præ Pharisæis abiectis & repudiatis ad tale munus euocherentur: eadem in Magis supplicibus hoc euicit, vt illi longè Iudæis & pastoribus præferrentur: nec vt oleastri tantum oliuæ insererentur: sed omnem ferme ad se succum traherent, oliua vetere arescente excisa magnam partem, & in ignem abiecta: hæc est illa humilitas, qua sic sponsi teneri oculos & cor vulnerauit, vt maturarit nuptias, & adhuc infans iam isti nigræ & deformi Æthiopissæ voluerit se copulare.

S. Aug. ser. 2. de Epiph.

Scribæ & Pharisæi ob arrogantiam incapaces moderatini Euangelicæ.

Luc. 1.

ob demissionem Christus præmulit Gentes Iudæis.

CAPVT L.

Christi infantis desiderium coniungendi se gentilitati paranymphis Deipara, Iosepho & Angelis.

VENERAT è cœlo filius Dei ad matrem suam veterem Synagogam in Bethlehem; nulli de cognatione, nulli de affinitate suscipere vel agnoscere voluerunt; imo cum omni familia Betlehemo eiectum inter pecudes ad stabulum detruserunt: luxit dies tredecim matrem suam Synagogam: vt Isaac Saram: luxit omnem sanguine iunctorum crudelitatem: tredecim ipsos exspectauit dies legatis ad eos Angelis è cœlo, missis pastoribus è Iudæis Bethlehemo: rogans, vt venirent, & se Messiam promissum reciperent: magis illi magisque ad voces eorum obsurduerunt: ita Dei filius *in propria venit, & sui eum non receperunt*: lugebat interim; & quod Prophetarum, oraculis Angelorum & pastorum nuncijs non obtinebat, noua Regum exterorum adornata legatione sperabat impetrare, qui venerat omnibus salutem allaturus. *Quia enim* (ait S. Chrysostomus) *Christus aduenies veteri testamento erat finem daturus, vniuersum vero mundum ad se conuocaturus adorandum, qui vtique mari terràque erat colendus, ab ipsis statim initijs natiuitatis ostium Gentibus reserat, & sic quoque domesticos cultores suos erudit, dum inuitat alienos: quia enim audientes Prophetas, qui aduentum eius sæpe promiserant, parum attentè eorum verba pensabant, è longinquis regionibus venire fecit & barbaros, qui apud illos natum inquirerent Regem, & Persico primum sermone discerent, quæ Prophetis nunciantibus discere noluerunt, vt si bonæ fuerint voluntatis maximè inuentur occasione credendi: si vero contra manifesto contenderent omni prorsus excusatione priuentur.* Tantum abest, vt Reges illos secuti Messiam, cuius natalem locum eis indicabant, inuiserent; vt etiam consilia tractarint cum Herode de nece recens nato machinanda: Dum luget in agro suburbano verus Isaac matrem mortuam caritate, & fide etiam in optimatibus destitutam: *ecce Rebecca* (Gentilitas) *veniens in Camelo conspecto eminus vero Isaaco descendit,*

luget Christus infans Synagogã matrem suam.

vocat per Angelos & pastores. Io. 1.

vocat etiã per Gentiles Reges. S. Chrysost. ho. 6. in 2. Matt.

obsurdescunt Iudæi.

Gentilitas se offert Christo Gen. 24.

placet. recipiuntur in sponsam.

dit, & ad pedes eius procubuit: *Qui* (ait scriptura) *introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem, & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Nam ea Gentilis populi pietas, animi demissio, cum tam incenso quærendi Christi studio desiderioque nullo tam vilis in agro hospitij, sordium loci, vel egestatis externæ adspectu diminuta, sic animum pueri sibi devinxit, vt oblitus veteris Synagogæ, cum Gentibus connubium ambierit nullo tempore finiendum: quod antequam describamus paranymphos eius Deiparam, Iosephum, & Angelos libet considerare.

Parentes conciliabant filijs sponsas. vt Abrahã filio Isaac. *Gen.* 24. Rebecca Iacobo. præsertim pacis firmandæ gratia. tunc sponsalia contrahuntur inter impuberes. Paranympha hic Deipara. hanc Reges sibi obsequijs conciliãt. coadorant. *Salmeron. trac.* 40. *f.* 367. *Io.* 5.

Ac parentes quidem filijs vxores conciliasse, tum legatio Abrahæ in Mesopotamiam Gen. 24. docet; tum Rebeccæ amandatio Iacobi ad Laban, & verba, quibus Isaaco eam suadebat. *Tædet*, ait, *me vitæ meæ propter filias Heth, si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere*: præsertim cum ad pacem inter regna stabiliendam etiam teneros inter sponsalia sunt contrahenda: ita cum cœlestis Pater ad pacem Iudæos inter & Gentiles firmandam statuisset, filium Gentilitati desponsare, quo facilius veteres inimicitiæ tollerentur, paranympham quis dubitet accessisse Dei genitricem, quæ multo tunc magis filij rebus consulebat, quam sponsis illis in Cana Galilææ, quibus deficiente vino id statim à filio suis precibus impetrauit, sciebat iam tum his nuptijs æterno Dei consilio decretis, Gentium fidem constantissimam ad mortem vsque Christo sponso adhærentium velut in typo præmonstratam: & suam gentem ob scelera, & perfidiam iusta Dei vltione exigente abijciendam: vnde suam voluit cum diuina voluntatem conformare: & sane merebantur de Dei matre totaque familia Reges optimè, quam tantis donis ad profectionem longinquam facile sustinendam necessarijs cumulabant: & summa veneratione prosequebantur: nam qui filium adorabant, matrem etiam cum filio coadorarunt, vt autores multi docent.

primi eius cultores.

Salmeron: *In quo quidem honore Christo deferendo matrem quoque suo modo venerati sunt: nam latria, quæ soli Deo debetur, ab hyperdulia, quæ B. Virgini non tam signis externis, quam ipso animo distinguitur. Qui ergo adorat filium, adorat & matrem, quoniam filius a matre proficiscitur secundum carnem, quemadmodum mater ex filio secundum spiritum. Verè enim Christus & Maria fuerunt duo in carne vna: & sicut, qui non honorificat filium, non honorificat Patrem; ita qui non honorat matrem filio detrahit.*

primi viuæ templũ construxerunt. bene merentur de tota familia.

Vt primi videantur sancti Reges adoratores Deiparæ exstitisse, cui etiam triennio post (vt suo dicetur loco) primi in vita templum, erectâ eius puerum gestantis imagine, construxerunt: hi igitur tam bene de Deipara, imo & de filio & Iosepho educatore meriti, cum eam totam familiam opibus suis sustentarent, & omnem vellent deinceps curam à Iosepho, non parando victui, sed protegendo puero & matri conferri, vel ipsi parati, si Christus voluisset, eidem semper obsequio se consecrare: de his inquam optimè meriti tunc, cum Iudæi nec hospitio ipsos dignarentur, quin & absenti necem pararent; quid mirum si talibus dixerimus paranymphis Maria & Iosepho Gentilitatem inter & Messiam connubium fuisse conciliatum: nec, ideo reprehendenda Deipara, quod alienigenis potius, quam genti electæ suæ adhæserit, cum Dei in hoc nutum peccatis Iudæorum exigentibus sequeretur.

Rupertus lib. 1. *c.* 1. *Cant.* interim Maria à Iudæis affligitur. contemnitur. abijcitur.

Pulchrè rem totam probat Rupertus ex Cantico Canticorum, cur vinea Iudææ relicta Beatissima Virgo Maria sumserit curam alienæ. *Filij*, ait, *matris meæ Iudæi sunt, filij Synagogæ, imo qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt; sed sunt Synagoga Sathanæ: isti pugnauerunt, id est certissimè pugnabant contra me, considerantes & considerare volentes, quod fusca sim, quod non verè decolorauerit me sol; sed nigra sim nigredine omnimoda, sicut tabernacula Cedar: Hinc ab illis passa sum, vel patior pugnas verborum, pugnas linguarum blasphemantium, prædicatum est eis, quod non nigra, imo formosa sim, sicut pellis Salomonis: sed è contra pugnauerunt repleti zelo, & contradixerunt propugnatoribus meis blasphemantes. Diximus ergo: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus: posui te in lucem Gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Hoc modo posuerunt me custodem in vineis, id est in Gentibus, quæ non quidem erant, sed ex*

ex mea custodia factæ sunt vineæ Domini: Posuerunt inquam id est, vt ego ponerer, effecerunt per incredulitatem suam: non enim ego prior illos, sed ipsi priores me repulerunt: & custodia mea se indignos iudicauerunt: igitur iusto iudicio tales matris meæ filios reliqui, & vineam meam non custodiui: gentem meam non audiui, non defendi, quin venirent, locumque & gentem tollerent Romani. Putauerunt quod si me repulissent, errare deberem in solitudine sicut Cedar, vel sicut Agar: verum ita non est: pro vna vinea, quæ debuit esse mea, vt pote gens mea, sanguis meus, & caro mea, multas vineas acquisiui, multas ecclesias in Gentibus dilataui; quæ omnes custodiam meam habent, & habere desiderant de meritis meis præsumentes, de intercessionibus meis confidentes: & pro huiusmodi custodia clamantes ad me iugiter: ita facit Deiparam loquentem Rupertus: quæ primam Indorum vineam seu ecclesiam à Melchiore constitutam cœpit iam tum ab ipsa infantia Saluatoris precibus conseruare: vt & postea in Hispania cum ei viuenti adhuc Cæsaraugustæ S. Iacobus alteram ecclesiam excitasset. Quocirca rectè tam Deipara, quam sponsus Ioseph parentes CHristi, altera vera, alter putatus opinione vulgi huius casti matrimonij paranymphi sunt existimandi.

pro vna multas accipit vineas. primam ecclesiam Indorum. alteram in Hispania.

Angeli etiam paranymphi.

De Angelis idem est iudicandum, quos ipse Christus legauit ad Reges Gentium, vt venirent stella duce in Palæstinam ad Regem recens natum muneribus honorandum, & eidem se casto coniugio fide, spe & caritate maritandos, dote regia secum allata, quo facilius tanti sibi sponsi nuptias conciliarent: nec solum regnorum ipsorum tribus, quibus dominabantur præsides: sed & omnium nationum totius orbis extra Palæstinam, imo & veteris Synagogæ custodem & propugnatorem Michaëlem antesignanum arbitror exstitisse, cuius proprium officium erat, nouellæ iam nascituræ ecclesiæ progenitores saluos & incolumes sponso sistere: è cuius casto complexu tot millia populorum deinceps erant proseminanda: vt licet antiquus Synagogæ paries vetustate fatisceret, nouus exurgeret ilico, priore solidior, firmior, & diuturnior; qui posset in æuum omne sine vitio perennare. Fuerit itaque dissidium aliquod apud Danielem Angelorum, inter Græcorum, Iudæorum Præsides, & Persarum, cum à Gentium conuictu Iudæi in fœdos eorum cultus, & mores flagitiosissimos degenerarent; hic vtrosque putem conspirasse, vt cum ignaui Israëlitæ, nec maiorum exemplo, nec Prophetarum oraculis, nec ipso Messiæ nati vocatu permouerentur, Gentilium exemplum ipsos officij commoneret, vt quem illi spretis idolis ei cultum & honorem adhiberent, eundem ipsi, vt Dei filio & Messiæ promisso toties tribuerent. Sed nunc vestem & ornatum sponsi nuptias anhelantis inspiciamus. *Egredimini* nunc Sancti Reges Orientis, *egredimini & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua* Maria, vt eum vobis despondeat. Solebant parentes olim filijs die nuptiali caput coronâ, vt Tertullianus vult floridâ, roseâ, vel herbidâ, vel mixta è vario florum & herbarum genere redimire: sicut Deipara filium rosis sanguineis seu humanitate è purissimo suo sanguine coagmentata decorauit: vt de ea Beda, Richardus & alij hæc verba S. Ioannis interpretentur: *Vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius erat vt sol.* Est ille *magni consilij Angelus* de cœlo lapsus, dum hominem induit, *amictus nube* corporis, cuius humanitas (velut iris fœderis & pacis, inter Deum & homines constituendæ) caput diuinitatis coronat: ita, vt cum vtrumque cornu iridis humeris insistit, faciem ipsam solis instar radiantem exhibeat. Nam diuinitatis splendores per roridam humanitatis nubem effulgebant, vt iris appareret. Hic ille *sol Oriens ex alto* quater millenis annis optabat è thalamo prodire, & Gentilitatis tenebras toto terrarum orbe diffusas luce sua depellere: sed quo diutius & ardentius tot seculis ortum & nuptias desiderarat: hoc concitatius cum tempus à Patre cælesti præstitutum aduenisset, velut gigas properauit. Eum in finem *in sole posuit tabernaculum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo exsultauit vt gigas ad currendum viam suam, à summo cœlo egressio eius*: Soli nimirum diuinitatis carnis tabernaculum sociauit: & velut sol cum oritur, si nubem obiectam vniformem in raritate incurrat, halonem efficit, vt quasi coronatus iride videatur: sic ille *speciosus præ filijs hominum, vir Oriens nomen eius*, nubem humanitatis virtutum radijs adeò collustrauit, vt amictu nuptiali vestitus diceretur. *Induit me vestimentis salutis,*

nec hic eorum dissensio

Parentes filios sponsos coronabant.

Apoc. 10.

Christi caput iride cingitur, facies solis instar radiat.

psal. 18.

in sole posuit tabernaculum.

vestis nuptialis eius humanitas.

Isa. 61.

S. Auguſt. lib. 3. de doct. Chriſti. c. 31.

& indumento iuſtitiæ circumdedit me, & quaſi ſponſum decoratum corona: quæ de Chriſti humanitate exponit S. Auguſtinus, qui coronæ mitram ſubſtituit. Eſt enim humanitas illa diuiniſſima veſtis nuptialis, quæ ſalutem hominibus attulit, & regia ſimul ac ſacerdotali mitra redimenda: per quam licet amictus ita ſuam occultauit diuinitatem, dum ita ſe fortunis omnibus & gloria ſpoliauit, vt infantuli egentiſſimi ſpeciem adſumſerit: hac tamen demiſſione velut corona regia gloriatur: quia per eam egeſtatem nobis gloriam & felicitatem æternam comparauit: hoc enim vile veſtimenti genus ſponſæ cauſa voluit induere, vt ei ſpecie & habitu ſimilis, eam viciſſim ad morum imitationem induceret, qua mereretur cum ſponſo perpetuo in cœleſti gloria coronari. Hunc diem ſponſus vocat *diem lætitiæ cordis ſui*: quia iam à quater millenis annis eum expectauit, & deſiderauit medullitus, vt ita non cum Angelis neque Iudæis: ſed ſpeciali modo cum Gentilibus, nigra illa Æthiopiſſa copularetur. Hinc veſtibus ſe nuptialibus induit; hinc gaudij magnitudinem, vt explicet vix verba reperit idonea: *gaudens*, ait, *gaudebo in Domino, & exſultabit anima mea in Deo meo*. Omnibus ſcilicet lætitijs incedebat ſponſæ cauſa, quæ fecit eum *tanquam ſponſum decorari corona*: ideo *è cœlo egreſſio eius* in thalamum & *de vtero tanquam ſponſus procedens de thalamo, exſultauit vt gigas ad curendam viam*, ad inchoanda ſponſalia, & ipſum matrimonium de præſenti contrahendum.

paupertas corona & mitra.

dies Epiphaniæ dies lætitiæ Chriſti.

Iſa. 61.

Pſal. 18.

S. Bernard. ſer. 2. de Epiph. euocatio Regum è vita ſeculari.

Egredimini nunc Reges Orientis, *egredimini & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis illius vobiſcum, & in die lætitiæ cordis illius*. Vos ita alloquitur cum mellifluo Bernardo: *Egredimini, vobis dicimus filiæ Sion, animæ ſeculares, debiles, delicatæ filiæ non filij, in quibus nihil* (ante ſtellæ vobis exortum) *fortitudinis, nihil virilis animi, egredimini de ſenſu carnis ad intellectum mentis, de ſeruitute carnalis concupiſcentiæ, ad libertatem ſpiritualis intelligentiæ: egredimini de terra veſtra, & de cognitione veſtra, & de domo patris veſtri: & videte Regem Salomonem: nam vbique Rex eſt: licet enim regnum eius non ſit de hoc mundo, tamen Rex etiam eſt in hoc mundo, ſed ſi Rex eſt, vbi Regis purpura, vbi eius diadema? egredimini & videte Regem Salomonem in diademate paupertatis, & miſeriæ, quo coronauit eum mater ſua, qui cum eſſet diues, propter vos factus eſt egenus: vt vos gloria, honore & diuitijs cœleſtibus æternum decoraret. Lauda* ergo ſponſum tuum *filia Sion, iubila Iſraël, lætare & exſulta in omni corde filia Ieruſalem: concupiuit Rex gloriæ ſpeciem tuam: Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipſe ſaluabit, gaudebit ſuper te ſponſa ſua in lætitia: ſilebit in dilectione ſua* (quieſcendo ab ira, quam ob ſcelera merebaris) *& exſultabit ſuper te in laude*. Laudabit enim ſponſam Patri ſuo cœleſti ob dona gratiæ, quæ tibi repudiata iam Synagoga vt nouæ nuptæ largietur.

Sopho. 3. 14.

CAPVT LI.

Sponſalia Chriſti cum Regibus, & Eccleſia Gentilium.

Gentiles Iudæis ſpõſum humili fide eripuerunt.

Garcia 1. c.

DIES profecto auſpicatiſſimus Gentilium, quo Iudæis electo populo ſponſum Chriſtum tenerum nec inuitum, ſed volentem; ſed ardentiſſimis votis anhelantem eripuerunt: eripuerunt inquam humili, vera & ſincera fide, qua Iudæa gens incredula ſponſum recipere, vt Deũ noluit; ſed vt hominem abiecit, & ad pecudes in ſtabulum detruſit; diuidere voluit malè Chriſtum, quem vnum, & vna in perſona Deumhominem & Regem ſancti Reges adorarunt, & myſticis muneribus non tantum orbi fidem ſuam ſunt profeſſi, ſed & hæreſin Iudæorum iam orientem poſtea in Arianis, & alijs ſectis auctam, ſua fide ſincera confutarunt: pulcre itaque Garcia noſter tam Gentilitatem, quam Iudæam ſponſi Chriſti nuptias ambientes introducit: ſed Iudæam incredulam, & malè Chriſtum diuidentem ait repudiatam: electam in Regibus Gentilitatem: quam ſimili adumbrat feminarum proſtitutarum, quæ arbitro Salomone de filio ſano & viuo diſceptabant, eum diuidere mendax femina; ſed totũ ſeruari germana mater orauit & exorauit. *Vix natus*, ait, *eſt ſponſus, cum primum pedem in terras intulit noſtra mortali carne tectus: dum ecce inter ſe ſuper ſponſo puc-*

Iudæi volunt Chriſtum diuidere, Gẽtiles ſeruare integrum.

ro

ro certant duæ feminæ. Prima Gentilitas elatiori voce clamat. Paruulus natus est nobis: contendit vocem Synagoga: filius datus est nobis: conciliant Angeli pacem, pacem canentes, & in terra pax hominibus; adest pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & duos in vnum iunget populos: frustra tamen pacem constituunt; nam hæc fauorem Regis postulat, Herodem concitat: illa ad Reges confugit, & tres ab Oriente ducit: certè alio opus est Salomone ad lites iraſque ſedandas: quod ita verum est, vt in illo Salomonico iudicio hodierna lis fuerit adumbrata: nota est historia mulierum altercantium: vtra earum verum superstitem filium ablatura esset, quæ enim minimè mater erat viuentis, diuidatur, clamabat; nulla miseratione tangebatur. Altera verò, quæ vera mater erat, puerum diuidi prohibet, quia potius integrum dari postulat, ne filius pereat. Pro ista sententiam dixit Salomon, vt integer daretur filius. Ait igitur Synagoga: Soror Gentilitas tu assueta es puros colere homines; ego vero purum vnumque Deum: Deum vero hominem factum, nec adduci potero, vt credam, ne dum adorem: quod si dirimenda lis est; vel homines cole vel purum Deum: at hominem Deum absit; nec mihi nec tibi; sed diuidatur. Contrarium respondet credentium Ecclesia; vel tu suscipe integrum, vel mihi adorandum concede, at diuidi nunquam patiar. Pronunciat sententiam diuinus Salomon. Date illi nempe Gentilitati infantem viuum: qua faustissima & optatissima sententia gestiens lætitia, & insultans clamat Gentilitas. Nobis nobis filius, nobis paruulus, nobis natus, nobis datus, & vocabitur admirabilis consiliarius, Deus, fortis.

Altercatio vtriusque gentis de sponso.

Infausta icta sententia, furiosa, & inflammata mulieris Synagogæ ira, duce dæmone contra Christum meditatur. Herodis primum animum solicitat, & ad vindictam concitat, qui vt quærat infantem, incredibili feritate omnes pueros in Bethlehem necari iubet. Secundò instat adhuc per se, & hæreticos in diuidendo puero: diuidatur: alij enim esse Deum negant; alij verum esse hominem non credunt; vt omnino veri Regis in duabus naturis nati ius & coronam auferre, si minus, & obscurare valeant & infra. *Omnis spiritus, qui soluit Dominum Iesum, ex Deo non est: vox enim ista diuidatur, vel Iudaica est, vel hæretica: contra quam Ephesina synodus diuina instructa sapientia & autoritate hostes huius veritatis prostrauit, vnusque omnium nomine Cyrillus veritatem vnionis adstruit, atque confirmat: quamobrem vti putarunt malè doctas gentes & Iudæos Christum diuidere atque destruere, veritatem vnionis illustrarunt: & hoc nobis Epiphaniæ nomen manifestat: est namque festum manifestationis Christi, quem quasi funiculum aureum Gentilitati tradit, vt publicam, & si nolint Iudæi, fidei professionem agat Christi Dei, & hominis. Edite edite pia animalia* (ait Chrysologus) *æternæ vitæ cibaria, non diuidentes in frusta: non potest enim cædi Christus, & diuidi integer à credentibus sumitur. Et dum ipsi non tam verbis quam muneribus & sacrificijs fatentur, Dauid mysterium & gratulationes concinit: magnus enim est dies Iezrael, fundamenta eius in montibus sanctis, &c. vbi agit de natiuitate Christi, vt notat Scholiastes Græcus. Memor ero Raab, & Babylonis scientium me: ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic*: hactenus Garcia doctè & subtiliter Regum fidem celebrat, qua velut dote sponsum Iudæis Christum eripuerunt: vt enim Christus se Ecclesiæ per humanitatem adsumtam maritauit, sic ipsa vicissim Ecclesia in membris se Christo despondet fide, spe, caritate: quibus mystico eius corpori velut viuum membrum inseritur, vt à Christo capite non tantum gubernetur; sed etiam gratiæ fluenta capiat quasi spiritus animales, qui homini vt ea, quæ diuina sunt, & naturæ vires excedunt, sentiat & percipiat, & ad ea moueatur. ideo S. Augustin. ait, *virginitas mentis est integra fides, solida spes, & sincera caritas*, & alibi: *virginitas carnis corpus intactum, & virginitas animæ fides incorrupta*. Notat Theophylactus ex Chrysostomo: *in mundo sponsæ post nuptias non manent virgines: Christi autem sponsæ quasi prius virgines non fuerint, post nuptias cum Christo: purissimæ* scilicet *in fide, ac moribus integræ & incorruptæ*: sic vt tota Eccl. virgo permaneat, licet prole simul copiosa fecundetur, dum per caritatem multos suorum operum fœtus sponso progenerat: de quibus alias.

à similiferminarum prostitutarum.

Synagoga respuit cultum hominis Dei.

Gentilitas agnoscit & Christum Deum hominem defendit.

Christus pronunciat pro Gentilitate.

Insania Synagogæ. quærit diuisionem & necem Christi. per hæreticos.

1. *Io.* 4. Hæresis illa die Epiphaniæ damnata.

Alienigenæ tuentur Messiam contra ciues.

Gentilitas fide, spe, & caritate Christo copulatur

S. Augst. to. 10. *tract.* 13. *in Io.*

Nam caritate nuptiæ tales perfectissimè conciliantur: S. Bernardus: *Anima, quæ diligit Deum sponsa vocatur; itaque quod mater etiam sit*, & dotem habeat, ita S. Augustinus docet: *Ecclesia mater est spiritualis*, Ecclesia sponsa Christi est, *gra-*

fide inchoatur matrimonium cum Christo.

caritate perficitur.

ser. 7. *in Cantica.*

tia eius dealbata: pretioso sanguine dotata: totum possidet, quod à viro suo possedit in dote: tabulas lego eius matrimoniales; recitabo. Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum in omnes Gentes: omnes Gentes totus mundus est: Ecclesia totum possidet, quod à viro accepit in dote. Dos sponsæ Ecclesiæ data in Epiphania. Dos ei collata in Epiphania; velut in semine cum impleri inciperet illud oraculum. *Dabo Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ.* Licet igitur in cruce matrimonium videatur fuisse consummatum, cum è latere Christi dicatur ædificata, & quasi *os de osse Christi*, & appensione ossium Christi facta: in cruce emta: iam tamen in Epiphania contractum de præsenti cum Ecclesia, quæ tum canit: *Hodie Christo sponso iuncta est Ecclesia*: ita sentiunt Patres: vnus sufficiat S. Eucherius. *Tanquam sponsus de thalamo suo, descendit* (Christus) *ad terras, Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ, susceptâ incarnatione, iungendus: arrhas & dotem dedit: arrhas, quando Deus homini iunctus est: dotem quando pro salute hominis immolatus est: arrhas præsentem redemtionem, dotem vero intelligimus vitam æternam.* Et ho. 3. *miracula nuptiarum, mysteria sunt gaudiorum cœlestium: dies ergo erat nuptialis, & festa, quâ adueniente sponso redempta iungebatur Ecclesia; illi inquam sponso, quem omnia sub initio mundi secula sponsonderant: qui descendit ad terras, vt dilectam suam ad celsitudinis suæ thalamos inuitaret, dans ei in præsenti arrham sanguinis sui, daturus postmodum dotem regni sui.* in cruce consummatum Christi matrimonium cum Ecclesia. *ho. 2. de Epiphania.*

Sed an credibile videatur Christum tam tenerum iam nuptias præmaturas appetijsse? cur viriles non expectauit annos? Causam reddit Garcia: vt lis orta repente per coniugium componeretur: ita enim ait, *At illi* (Reges) *oculis fidei sponsum contemplantur* (inquit S. Leo) *quantitate paruum, alienæ opis indigum, fandi impotentem, quasi diceret, ne miremini Regem ita parvulum videri; accelerauit enim nuptias, vt pacem firmaret in cœlo, & in terra; sicut cum inter ciues rixantes, & maximo odio dissidentes, qui pacem mittunt id maxime curant, vt concordia stabilis sit, statim ex vna & alia parte pueri matrimonio iunguntur, si de præsenti nequeunt defectu ætatis, at saltem verbis de futuro: eodem modo transacta res est inter Deum offensum & humanum genus: pacis enim amator Deus filiam gentilem sponsam duxit, & quia parvulus est sponsus opus fuit monere sponsam, ne illum despiceret, quod media fide factum est.* S. Bernardus: *ingrediuntur stabulum, inueniunt inuolutum pannis infantulum, non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia; procidunt; venerantur vt Regem; adorant vt Deum; sed profecto qui illos adduxit, ille & instruxit, & qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis docuit.* cur Christus infans iunctus matrimonio. *Garcia.* 1. ad sedandas discordias.

Aliam propterea festinationis causam adfert Besseus ex parte Dei Patris, qui cum vehementi imo infinito amore Gentilitatem futuram sponsam adamaret, ne ea displiceret ob nigredinem, adolescere cum ea, & amorem ætate & conuictu mutuo corroborari voluit: prius tamen celebritatem earundem nuptiarum sic describit. *Hodie*, ait (die Epiphaniæ) *celebres nuptiæ, quibus Christus Ecclesiam sibi copulat in coniugem, peraguntur; quando nimirum per omnes mundi angulos legati diriguntur, qui vniuersos mundi incolas ad hasce nuptias inuitent, ne dicam compellant: Stella noua legationem obit in Oriente: ad conuocandos Reges: Angeli in Iudæa ad pastores, Principes in ciuitate Hierosolyma ad admonendum Herodem, quo sese ad hasce nuptias præpararent.* Scilicet velut Assuero quærebantur ex orbe toto virgines lectissimæ, è quibus sibi consortem thori, & regni deligeret: interim Æthiopissa Gentilitas placuit: pergit Besseus, *Dixi hodie celebres & regales nuptias celebrari, & iterum dico, & verum dico: adsunt Legati à parte sponsæ, qui ex Oriente venerunt, qui conuenta & conditiones matrimonij confirment: ps. 67 venient Legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo. Solent enim parentes cum nuptias filijs aut filiabus, quæ tamen vsque adeo non sunt æquales parare, & conciliare conantur, eos adhuc iuniores matrimonij vinculo sociare: tum vt crescente corpore crescat & amor; tum vero ne sponsus futuræ sponsæ suæ deformitatem & næues agnoscens eam auersetur: Imitatus hoc Pater æternus filium suum Ecclesiæ pauperculæ & desertæ copulare cupiens, quæ nullum eum cosimilitudinem habet, è primis eam cunabulis ei despondet, vt cresceret cum* ser. de Epp 2. ex amore Dei patris in homines.

æta-

ætate affectus ad eam: nam cum infans sit ipsa sapientia, nec possit defectus sponsæ ignorare, amore ebrius & intellectus, quasi obnubulante eos agnoscere quasi non vult, & dissimulat: vnde ostendit se his legatis tanquam sponsus procedens de thalamo.

Carthagena causam omnem tribuit amoris magnitudini & impotentiæ in Christo. *Hodie*, ait, *cœlesti sponso iuncta est Ecclesia, dicitur in officio: inuitat sponsam suam Christus, Cant. 4. veni sponsa mea de cubilibus leonum, de montibus Pardorum: veni coronaberis: vaticinatus id Oseæ secundo: sponsabo te mihi in iustitia & iudicio: inibo tecum cœleste connubium, iustificabo te in iudicio, pro te sententiam feram, ex misericordia tibi gratiam gratis conferam: in fide, non dando libellum repudij: & caritate: fecit vt Samson Iudic. 13. cum Philistæam amaret, & patri diceret: hanc accipe mihi, quia placuit oculis meis: certè sagittæ amoris Christi acutæ, populi sub te cadent. ps. 44. & Iob. 39. nunquid rhinoceros volet seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? solus Christus tres illos barbaros alligauit præsepi Bethlehemitico, funibus diuinæ legis in brachio potenti.* *Epiph.*

tertia causa ex parte amoris infiniti Christi erga sponsam.

Atque hi quidem sentiunt omnes inter Christum & Gentilitatem hodie fœderatum connubium: quo etiam die voluit Christus ideo & nuptias in Cana: & Baptismum celebrari: per hunc enim gentilis anima per gratiam Christo despondetur: & ea eidem dona, quæ sponsæ solet, elargitur, ea sic explicat etiam Ludouicus de Ponte: *Promiserat Deus olim adsumturum se Ecclesiam in sponsam, eo scilicet tempore, quo ipse carnem adsumeret: sic enim inquit per Oseam Prophetam: sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio & in misericordia, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide: tot enim & tam ingentia dona per hanc sponsationem conferam: vt per illa optimè dignoscas, me esse sponsum omnipotentem, infinitè diuitem & munificum, qui talibus donis meas locupleto sponsas. Sed quid est sponsabo te mihi in fide? in qua fide sponsandam pollicetur? in fide nimirum Christi, qui venturus erat in mundum, vt illam Deo Patri reconciliaret, ex mundo sibi sponsam Ecclesiam assumeret: mundans prius illam ab omnibus immunditijs eius per aquam mundissimam gratiæ à fonte Spiritus Sancti promanante, prout promiserat per Ezechielem dicens: effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis, mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestrum. Necesse enim erat, vt noui sponsi, qui homo erat, noua esset sponsa, munda & pulcra, vt tanto esset sponso digna: hæc autem nobis præstitit sacrament Baptismium, quod D. Paulus vocat lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem Deus abundè effudit in nos, per Iesum Christum Saluatorem nostrum: sublato enim circumcisionis signaculo, quod solis Iudæis institutum erat, ordinauit lauacrum Baptismi Iudæis & Gentibus impertiendum, & præcipuè Gentibus, ex quibus ferè Ecclesia sponsa Christi colligenda erat, & per Baptismum eam sibi copulauit, vt vnum corpus mysticum cum ipso capite illius constitueret, mundans eam, vt idem S. Paulus ait, ab omni labe culpæ originalis vel actualis, vt sit coram ipso pulcra & glorioſa, non habens maculam aut rugam, aut aliam similem maculæ imperfectionem: vnde tandem eam sibi adsumit in sponsam spiritualem, cum ea celebrans nuptias per vnionem gratiæ, & caritatis. Quæ tria bona singulis fidelibus præbet Baptismus: nam simul est ianua, per quam intratur in Ecclesiam, & anima aggregatur ouili Christi; & lauacrum, per quod mundatur ab omni peccato; est denique thalamus, in quo per fidem & caritatem Deo tanquam sponso coniungitur. Vnde non sine mysterio eundem diem Epiphaniæ tribus præclaris miraculis ornatum fuisse testatur Ecclesia. Hodie cœlesti sponso iuncta est Ecclesia, quoniam in Iordane Christus eius lauit crimina: currerunt cum muneribus Magi ad cœlestes nuptias, & ex aqua facto vino conuiuæ lætantur. Magi enim qui primitiæ erant Gentium duce stella venerunt ad Christum in Bethlehem natum, & collocatum in præsepio, eiusque Ecclesiæ sunt adscripti, eodemque die institutum est Baptisma, quo peccata in profundum maris demerguntur, & sponsa dealbatur: ipso etiam die reuoluente anno in nuptijs Cana Galilææ, aqua in vinum conuertitur, vt designentur spirituales nuptiæ ipso Baptismatis die celebratæ, non per carnis, sed spiritus coniunctionem, quia aqua in vinum & caro in spiritum per Christi potentiam est commutata.* *Lud. de Ponte. lib. 1. cant. ho. 10. 11. 2.*

ob hoc connubium, simul Baptismus Christi & nuptiæ in Cana factæ recolũtur.

anima in Baptismo Christo sponso copulatur.

tria mysteria diei Epiphaniæ.

At-

Atque hæc est ratio, cur Christi nuptiæ dicantur hodie conciliatæ cum Gentilitate; vt enim homo per lauacrum Baptismatis à peccato genitali purgatur, & viuum corpori Christi membrum inseritur, adeoque eidem copulatur: sic cum hodie tres Reges & Baptismate flaminis initiati, seu dolore de commissis peccatis concepto veniam culparum omnium obtinuissent, & animi demissione Gentilibus, vt S. Augustinus vult, vel fidei excellentia, vt S. Chrysologus censet ostium Ecclesiæ reserassent, Iudæis ob maleuolentiam & perfidiam obcæcatis, ideo primæ quasi sponsæ Christo dicuntur hodie copulatæ: quarum cum fidei interioris externam & sinceram professionem Gentilium Ecclesia conuersa semper imitetur, progenitores etiam Ecclesiæ iure nominantur: *Quando* (ait Chrysologus) *Christum Iudæus Herodi*

S. Chrysologus ho. 100.

telere prodebat, tunc Magus Deum Christum muneribus fatebatur: hinc est quod Gentilis, qui erat nouissimus factus est primus, quia tunc ex Magorum fide est Gentium credulitas dedicata, & Iudæorum est notata crudelitas. Sed nunquid ritum & solennitatem huius sancti connubij licet augurari? an alias legimus paranympha Deipara Christum sibi fideles despondisse? de vtraque S. Catharina refertur: ego fide autorum commemoro Episcopus Esquilinus, & ex eo Ribadeneira noster in flore Sanctorum refert S. Catharinam Alexandrinam priusquam baptismate sacro tingeretur, nocturno visu conspexisse Sanctissimam virginem Mariam vlnis diuinum filiolum speciosum præ filijs hominum complexum, quæ cum Christo Catharinam offerret, illum facie auersa hanc aspernatam negasse pulcram esse, quæ sacro baptismate nondum esset regenerata: mox experrecta Catharina, cum quid sibi deesset, intellexisset, didicisseque indignam se speciosissimo Christi conspectu, Christianus imbuta mysterijs sacramento genitali voluit expiari. Apparuit ei denuo Christus eadem specie qua prius, eamque coram sanctissima matre numerosaque cœlitum corona comiter habitam sibi despondit, desponsamque tanquam legitimam sponsam annulo sibi mariauit. Euigilauit ad hæc S. Virgo, digitumque annulo insignem vidit; certior est de Senensi S. Catharina narratio à sancto Raymundo literis consignata. Cum enim Christus in reliquis sponsalium cautis hanc attulisset, quod spretis mundi vanitatibus crucem Christi amplexa per pœnitentiam solum summum & æternum bonum quæsiuisset: subdit *Beata virgo accipiens dexteram B. Catharinæ extendendo eius digitum annularem petebat à filio, vt eam sibi desponderet: matri annuit Christus, & accipiens dexteram, digito eius annullum sponsalitium inseruit, dicens: ecce ego, qui sum creator & saluator tuus, te mihi despondeo in fide, quæ perdurabit in te ex hac hora semper immutabilis, donec nuptijs æternis in cœlo tibi coniungar: vbi videbis me facie ad faciem, meque perfrueris: supereſt igitur, vt viriliter certes & in robore fidei, quam cordi tuo infixi superes omnes illecebras mundi, stimulos carnis, & omnem tentationem inimici*: Ego sic existimo SS. nostros Reges singulos accepto è Deiparæ manibus infantulo brachijs eum gestasse, & pedes, manus & caput esse pijsmè diffluauiatos, puerulum etiam insigni gestientis animi monstrata lætitia, & protensis in facies eorum manibus, eos sacerrimo suo attrectatu sibi consecrasse. Probat Inclofer vulgi hic licet incertam opinationem: *Et sunt*, ait, *qui ipsos hosce viros post pedum, & manuum diuini Infantis oscula eum in vlnas etiam accepisse, & suauissimè amplexatos gaudio exsultasse putent. In cuius rei signum inter alios Erhardus Winheimius de ijsdem loquens, parte, inquit, superna quæ procul dubio infantulum Iesum in vlnas accipientes amplexati sunt & osculati adhuc cute obducta vna cum capillis in capite suo supersunt carni: nempe vt in loco dicimus angustissimæ tactu manicularum creduntur eæ partes à carioſa corruptionis vetustate præseruari*, sed de hoc ego alias.

Ritus quo Deipara filium desponsat animæ. *Esquilin. 23. Nouem.*

vt Christus desponsit soli annulo S. Cathar.

Deipara paranympha. verba Christi sponsi.

traditio & acceptio mutua Regum & Christi. *cap. 28.* amplexantur eum.

Hic iam affectus sponsi cum sponsa, piaque colloquia supereſſent recensenda: quæ cum ingenij mei captum longè superent, neque verborum satis reperiam quibus eloquar: ego tacitè lectori considerandæ potius relinquam, quam impari dictione magnitudinem & præstantiam eorum obscurem, inuoluam, deprimam. Hoc quod ante me Garcia noster scripsit clausulæ loco adijcio. *Et procedentes*, ait, *adorauerunt eum: ecce supremum Regem, ecce sponsum desideratum: tenui eum, nec dimittam: quæ verba, quas lacrymas, quas extases noster Beniamin in mentis excessu persensit? dulcissime sponse, vidi coram te sponsam concupitam: & tu apprehende*

pende virum tuum : venitur ad amplexus : vbi non possumus affectus perscrutari : sed omnia cedunt amori ; tiaras proijcit , coronam ponit , maiestatem proiuoluit , pandit thesauros , reserat thecas , effundit munera. Tenui eum , nec dimittam. Quid agis sponsa ? quare thesauros aperis ? imo tu ab illo arrham exspectare debuisses : ita euenire solet , respondet illa : sed cum virgo nobilis ducit Principem aliquem primogenitum , qui paruulus est , & nondum hereditatem adijt , sponsa tunc autem adfert copiosissimam , ille vero spem , & ius ad regnum & principatum : nupsit Ecclesiæ , Verbum Dei caro factum est adhuc paruulus , infans , pannis inuolutus. Ecclesia verò prudentissimè præmittit munera: diuitias & do em , ab illo vero spem accipit regni : attendite mortales & diuites videte , vt impenditis pecunias , serui Domino credite opera vestra nec inania nec infructuosa fore : adferte Domino filij Dei , adferte , adferte : ne dotes temporariæ consumantur : manducet Christus , paruulus enim est , & nondum heres : statim enim atque hereditatem adibit , tu erit sponsa , tu dilecta , tu Regina & tu Gentilitas mater nostra eris , sponsa constituetis , exsulta super sponso tuo : sta in throno à dexteris eius in vestitu deaurato : sic enim æstimatur fides tanta , vt cumulatissima gratia donetur & coronetur gloria.

Profusa eius in sponsum munificentia.

CAPVT LII

Christus gratum se præbet Sanctis Regibus.

REGINA Saba venerat in Ierusalem *cum multo comitatu & diuitijs & camelis portantibus aromata & aurum infinitum nimis & gemmas pretiosas : venit ad Regem Salomonem : & dedit Regi centum viginti talenta auri , & aromata multa nimis & gemmas pretiosas : Rex autem Salomon dedit Reginæ Sabæ omnia , quæ voluit , & petiuit ab eo.* Quid ni Rex gloriæ die tam inaugurationis regni , quam nuptiali , suis illis sponsis tam liberalibus , tam desideratis plura donarit munera cœlestia , diuina & æterna, quam sperare vel petere potuissent? Nam si nondum natus saluatoris obiuit munus , vltro Iohannem conuenit & suam gratiam tam copiosè eidem impertiuit ; hos à trecentis ferè leucis aduolantes & tam solenni ritu totos se eius seruitio mancipantes , non potuit non ingentibus gratiæ donis cumulare. Principio voluit Christus huius beneficij in se puerum tam opportunè collati memoriam exstare sempiternam : adeoque cum S. Magdalenæ munificentia moriturо præstita & sepulto, in toto vulgari orbe, sacrisque voluminibus prædicari. Hoc Salmeron remunerationis genus attingit : cum negat in puero Iesu diuerbij locum fuisse : *beneficium puero collatum peraitum esse ; nam accepti beneficij obliuisci haud quaquam potest : & qui etiam calicem aquæ frigidæ discipulo suo donatum se remuneraturum est pollicitus. Hinc accepta ab eis munera commemorari voluit in Euangelico & per vniuersum orbem eorum apud omnes Gentes credentes honorificam fieri mentionem ; sicut & beneficium vnctionis acceptum à Maria voluit vniuerso orbi prædicari in eius gloriam & commendationem.* Sed parua hæc , vel nulla si cum diuinis collatis ipsis donis contendantur ; nam iam pridem, forte initio itineris, donatos gratia : decursu tantæ peregrinationis virtutibus auctos , confirmatos & roboratos ; Hic absolutam numeris suis cumulatamque virtutum perfectionem cum egregio contemplationis habitu , imo perseuerantiæ dono putem obtinuisse , ne gratiam receptam deinceps vllo peccato grauiore perderent : quæ tria dona contrue per munera fuerunt adumbrata : auro quidem sapientia vera & virtutum perfectio : thure contemplatio : ac myrrha incorruptio : hæc enim singula tam officio eorum progenitorum Ecclesiæ , quam protoapostolorum Euangelicorum , cum Iudæorum , tum Gentilium quam maximè congruebant

3. *Reg.* 10. 2 *v.* 10. *v.* 13. Salomonis in Reginā Saba liberalitas.

& Christi in Regos. qui memoriam eius exstare voluit sempiternam. *Salmeron.*

confirmati in gratia sunt.

Luduicus de Ponte med. 23.

bant. Ita mecum facit Luduicus de Ponte : *Hinc*, ait, *æstimare licebit, quam fuerint paruulo Iesu grata hæc istorum virorum munera, quibus tanta pietas, fides, amorque coniuncta fuerant : qui enim duo minuta : quæ paupercula vidua misit in gazophylacium propter affectum offerentis tanti fecit, vt eam omnibus alijs anteferret, quanti par est credere cum fecisse munera ab his Regibus tanto sibi affectu, sicut ab illo olim Abel ex pretiosissimis, quæ habebant oblata ? Quam vero benignum ac liberalem se ipse Iesus eis ostenderit, non verbis externis, quæ ipse nondum proferebat, sed inspirationibus internis, cœlestia dona gratiasque referendo, non facile est consequi. Fas tamen est considerare loco trium, quæ ipsi obtulerunt munerum, tria alia excellentia dona recepisse ; augmentum videlicet insigne auri sapientiæ & caritatis, thus orationis & deuotionis : myrrham, quæ illos à lapsu in graniores culpas præseruans, in ipsius etiam amore conseruaret.* Erant iam sponsæ Christi : sed regiæ, sed cœlestes : ita dedit ijsdem regios vere animos, vt non tam alijs, quam sibi possent imperare ; dedit sapientiam bonorum æternorum, vt sponsas se nossent sapientiæ diuinæ ; cui sic deceat adhærere, vt vnus cum eo spiritus efficerentur & id S. Basilij monitum scirent sibi obseruandum. *Quocirca anima, quæ Christo copulata est, tanquam sapientiæ verbi Dei sponsa, sapiens & prudens sit necesse est, vt omni stultitiæ & insipientiæ nota iugi rerum diuinarum meditatione exposa, sapientiæ, cui coniuncta est, ornetur pulcritudine, donec æternam sapientiam sibi penitus iungat vnumque cum eo, cui inhæsit effecta, ex corruptibili fiat incorruptibilis ; ex imperita prudens & sapientissima, tanquam verbi, cui adhæsit casta, atque vt breuiter dicam ex homine mortali immortalis Deus*, scilicet Deo copulata sponsa, & cœli terræque regina constituta, mentem à vilibus & fluxis debet bonis, & rebus abstrahere, quæ sordes cum sint, dedecorant nuptam Christi : maior & potentior est, quam vt luto terræ venustetur, quod deturpat, & contaminat, non ornat : vnde iam hominibus potentior facta. Nec est quod formidet, tanti sponsi nixa præsidio : tot Angelorum velut satellitum stipatu circumdata : innuit hæc de Ponte in Canticis. *Peculiariter*, ais, *hic dies fuit Christi desponsationis & lætitiæ. Quoniam aduentus Magorum dies primus fuit mutui conspectus, inter sponsum Christum recenter natum & nouam sponsam ex Gentibus aggregatam. Hæc magna cum lætitia sponso suo offert munera & dona mystica, quibus eius magnitudinem testatur : illa vicissim largitur sine dubio sponsæ noua, & multo maiora dona, quibus suum erga eum amorem manifestet : nam si multa dedit Regina Saba, Regi Salomoni, tamen vt scriptura testatur Rex Salomon dedit illi multo plura, quam attulerat ad eum, ita etiam Rex noster Christus centies & millies plura dedit Magis, quam ei obtulerant, cœlestibus bonis ita replens corda eorum, vt nunquam ita Reges, nunquam ita sapientes, nunquam ita diuites & potentes, quam tunc extiterint. Dies enim lætitiæ cordis Christi est, animas sibi per amorem vnitas sui visione satiare. Satiabor, ait Dauid, cum aparuerit gloria tua. Gloria Dei est Rex Salomon, carnis deinde corona redimitus, qui tunc apparuit nobis, cum apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri Dei, & tunc visus fuit à filiabus Sion, cum Deus in terris visus est, & cum hominibus conuersatus* : Præterea cum insigni incremento fidei, spei, & caritatis non dubium, quin vt sponsus sponsæ se totum tradiderit, vt ipso dilecto quoties & quam diu vellent, dulci sopitæ contemplationis sommo fruerentur, & ita cœlestis regni prægustarent suauitatem : hancque velut arrham tenerent futurorum bonorum & deliciarum, quæ sponsus in cœlis ipsis reseruabat. Ita Cartagena cum ex Aristotele fusè docuisset subditi esse ferre tributa Regi, & Regem suum agnoscere Dominum : Regem vicissim, ait, obligari conseruare iura inuiolatæ iustitiæ, & liberalem ac magnificum se ijs præbere : *Sic Christus libertatis eorum iura minimè violans Reges hos ad se trahit, vt tributa penderent sibi, aurum, thus & myrrham : illi festinanter ad præsepe currebant, &*

facti sunt Reges & sui victores.

vnus cum Christo spiritus.

Ib. 6. ex Isai. 35.

donum contemplationis eis datur.

bo. 1. de Epiph.

tria

tria munera reportant, fidei, spei, caritatis, tandem se ipsum Christus eis dedit fontem omnis boni: Christus enim, ait sanctus Augustinus, est dilectus noster, requies nostra, sanitas nostra, gaudium nostrum, felicitas nostra, refrigerium nostrum, amœnitas nostra, & quidquid sanctè potest desiderare anima nostra, hoc totum nobis Christus. Beatus Apostolus dicit: erit Deus omnia in omnibus: auare quid tibi sufficiet, si Deus tibi non sufficit?

CAPVT LIII.

Primi renunciantur à Christo sacerdotes & Apostoli nouæ legis.

SANCTVS Chrysostomus primos eos nouæ legis sacerdotes facit: *post-* *S. Chrysost.*
quam verò adorarunt, securitas & tranquillitas subsecuta est: nec sacerdotes
iam stella illos: sed Angelus suscipit, quia scilicet adorando facti fue- primi fuũt.
runt sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis. De sacrificio eorum incruento sæpius actum est.

Ludouicus de Ponte eosdem facit sacerdotes à Deo constitutos. *Quapropter*, ait, *peracta adoratione surgentes Magi multo excellentius, quam antea nomine Trismegisti decorati sunt, dum illos constituit spirituales Reges sacerdotes ac sapientes, vt munia hæc diuino quodam modo deinceps obirent. Primi illi, quibus propriè conuenit: Fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri nostro: & illud S. Petri: vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, & infra: offerte illi spirituales hostias acceptabiles Deo per Christum.* Quod si hæc omnibus iure congruunt Christi fidelibus, certè præcipuo quodam modo fidei nostræ quasi progenitoribus istis Regibus, in quorum officijs & excercitationibus virtutum Ecclesia tota Gentilium figurabatur. De Christianis omnibus ita loquitur S. Cyprianus ad dictum Apostoli locum. *Non solum Regibus & sacerdotibus vnctionis honor permansit, sed in omnem populum Catholicum effusa est huius gratiæ plenitudo: & sicut Christus à chrismate est dictus, eo quod singularis excellentiæ oleo vnxit eum Dominus, ita & participes eius quotquot sunt, consortes sunt tam vnctionis, quam nominis, vt dicantur à Christo Christiani, vt sint sui, duce Christo, rectores & duces, & offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati à Deo sanctimoniæ sacerdotes.* *Lud de Ponte.* *Apoc. 1.* *1. Petri 2.* non tantũ vt omnes Christiani. *S. Cyprian.*

Aliud tamen in his fuit sacerdotium, quod ad Christi mortem vsque retinuerunt, vt enim soli mithræ, vel stellis Reges licet sacerdotes tamen immolabant: sic exinde Christo thus quotidie & eius statuæ videntur adoleuisse, & alijs ritibus ipsius diuinitatem conditis ei adhuc viuenti templis fuisse contestari, donec post anastasin Christi à S. Thoma sunt consecrati sacerdotes Episcopi: ac more à Christo instituto hostiam Deo Patri immaculatam incruento sacrificio deinceps litauerunt. Sed quo chrismate dicemus Magos à Christo hodie consecratos sacerdotes? an myrrheo quod obtulerunt? ita, S. Chrysologus & rectè asseuerat: *Indeuotus*, ait, *satis est vacuus adorator: probat hoc Magus, qui onustus auro, succensus thure, sacratus myrrhâ, Christi cunabulis inclinatur*: odoratum sane myrrheum vnguentum, quo pariter dies tredecim varijs calamitatum, molestiarum, laborum & defatigationum myrrheis & amarissimis succis corpus defessum inunxerunt: pulcre Baëza. *Tribulatio carnem pungit, sed animum vngit, id est vt explicat sacro chrismate reddit consecratum: alioquin non auderet sanctissimus Dauid etsi fame pene enectus propositionis panes comedere, quibus vesci solos sacerdotes consecratos decebat. Sed Dauid laicus profugus, ad mortem petitus, peruenit aliquando in sanctos hos panes, quos accipit deuorandos. vnde pissimus Dauid in tale facinus audet? cur se tali constringit piaculo, quod panes deuoret solis sacerdotibus reseruatos? pulchre D. Hieronymus c. 2. in Sophon.* sed thuris quotidiano incenso. postea facti Episcopi. quo chrismate fiunt consecrati sacerdotes. myrrha. *Baëza.* myrrha perunctus David ausus est vesci panibus sacerdotũ.

§. Hæron. in 2. Stephan. Factus sacerdos ante tribulationes.

Dauid non erat de sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes propositionis: sed quia persecutio Saul virtutum illius profectus erat, propterea in fuga sua dum nescit, subito antistes efficitur, & accipit panes propositionis, & non violat mandatum Dei. Qui laicus erat, & profanus, à persecutione Saul, à tolerantia persecutionum & tribulationum myrrheo chrismate inungitur, & antistes consecratur. Sic mater illa Machabæorum cum primum carissimos sibi filios immanissimè cernit excrucciari, cum carnificum manibus decerpi videt, cum ardenti torreri sartagine, cum à crudeli rota conspicit volutari apud Nazianz. fatur: Euge filij mei, euge legis canæque senectutis meæ atque ciuitatis antistites. Ab vna quidem laborum & tormentorum consecrati tolerantia; adeo labores, tribulationes, amaritudines inungunt, & consecrant humanos animos. Probat deinde idem ex Gentilium sacerdotibus mithræ, quales multi credunt hos Reges antea fuisse. *Nescio*, ait, *an hæc tribulationum virtus suboleverit etiam Paganismo. Etenim audio Mithræ sacerdotes non nisi conuitijs & iniurijs initiatos: sic Georgius Girald. syntagmate 7. Neque quisquam Mithræ sacris initiari potest, nisi per quosdam gradus conuitij, quibus ostendat se factu:* quem consecrationis ritum obijcit Apostatæ Iuliano Nazianz dicens: *mithras, id est, sol, cui celebritates fiunt, & imprimis à Chaldæis, cui Deo, qui volunt initiari, duodecim contumelijs afficiuntur, & per verbera, calorem, frigus & alia huiusmodi: tam verum est à myrrheis tribulationum succis homines consecrari, vt id pateret ignorantijs Gentilium. Sic Magi vero iustitiæ soli ministraturi, myrrha accedunt consecrati, nimirum per longi itineris incommoda & labores nascentis numinis initiati antistites.*

Nat. orat. 1.

vt & filii 7. Machabæi Mithræ sacerdotes olim conuitijs initiabantur.

Euangelistæ, & doctores Gentilium constituũtur.

Hactenus Baëza: sed alio quoque nomine velut Euangelistis, Apostolis, doctoribus Gentium tunc à Christo designatis, nouo opus erat perungi maiorum calamitatum chrismate, quod longè illo sacerdotio fuit illustrius: sic S. Chrysostomus de ijs ait. *Magos celeriter emittit Christus, simul & Persarum regioni mittens Magistros, & inefficacem reddens furorem tyranni.* & alibi: *ipse aduentu suo Magos ab Oriente vocauit, & Euangelistas eos ad sua remisisti.* & Euthymius. *Reversi vero sunt citius credentes tanquam fideles in regionem suam, futuri Doctores eorum, quæ facta sunt.* Hoc eis officium à Christo fuit demandatum, vt primi testes, Apostoli, Doctores, Euangelistæ fierent Christi natalis; sicut duodecim lecti Apostoli, qui testes essent anastasis Saluatoris. Iam verò quos ad id muneris obeundum legauit Christus, semper voluit grauissimis initiari molestijs, laboribus, calamitatibus & persecutionibus: quas ijs longe ante denunciauit, dum eos velut *oues in medio luporum* mittere se dicit: tradendos à cognatis fratribus, ipsis adeo pareutibus: Egregiè notam hanc & velut insigne Apostolorum Christi depingit Apostolus: *In omnibus*, ait, *exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia: per arma iustitiæ, à dexteris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Ijsdem Christus eundem Apostolum initiauit tum, cum ei deferret Gentium Apostolatum. Rogabat Paulus supplex Dominum: *Domine qui me vis facere?* audijt: *surge & ingredere ciuitatem: & dicetur tibi, qui te oporteat facere.* Interim Ananiam Christus instruit de grauissimo munere, cui eum pararet applicare, & ipsa patiendi tessera: *Ego* ait, *ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*: Patiendo Christus suos consecrat, non agendo Doctores, Apostolos, Euangelistas: ita quidem, vt is debeat maior Dei minister, Doctor & Apostolus existimari: qui pro Dei gloria plura tolerauit: quod exemplo S. Pauli sic euincit S. Chrysostomus: *Se ipsum enim cum alijs comparans, & per comparationem nobis excellentiam demonstrans: si inquit, ministri Christi sint, vt minuus sapiens loquor, plus ego: Et excessum demonstrare volens, non quod mortuos resuscitauerit, dæmonesq; expulerit, neque quod mundauerit leprosos, aliudue quid huiusmodi fecerit, dixit: sed quid? quod innumeras sit passus molestias: cum enim dixisset plus ego, intulit tentationum multitudinem sic dicens; in plagis supra modum, in mortibus frequenter, in carceribus abundantius; à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi: ter virgis cæsus sum, semel lapidatus, ter naufragium feci, & reliqua*

Hom. 8. in 2. Matt. hom 16. ex varijs in Matt.

ideo opus maior patientia.

2. cor. 9. insignia doctorum Christi S. Paulus.

eidem initiatur.

& præ omnibus Apostolis paritur.

hqua omnia. Hæc myrrha nimirum est, qua Christus hodie Reges nostros, vt primos legis nouæ sacerdotes, Episcopos & Apostolos consecrauit, gratum se ijs exhibendo, à quibus tantis fuerat muneribus cumulatus: quos enim diligit, & in filiorum album recipit, eos aduersis solet exercere, vt S. Augustinus docet: *Quem enim*, ait, *diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit, si Deus flagellat omnem filium, quem recipit, procul dubio, quem non flagellat, non recipit: hinc timere debemus, si aut nullas aut paruas tribulationes in hoc seculo patimur.* S. Aug. ser. 105. de tẽp.

CAPVT LIV.

Fiunt progenitores Ecclesiæ, & coram ipsis nouum incipit condi testamentum.

VT myrrha & aduersorum tolerantiâ sacerdotium acceperunt: sic tam promta susceptа peregrinatione, vt Dei filium exciperent, eum muneribus honorarent, & familiam eius sustentarent, præsertim vero tam illustri fide & animi demissione videntur id obtinuisse, vt Patres Ecclesiæ vel Patriarchæ dicerentur, in quibus velut typo augusta facies futura Christianæ Ecclesiæ refulgeret: & re ipsa caperet initium nouum testamentum, veteri paulatim antiquato. Non opus hic iterare, à quibus SS. Reges duce S. Chrysostomo Patres & progenitores Ecclesiæ nominentur: de quo libro primo disputatum est. Ac iure videntur id propter fidei suæ excellentiam obtinuisse, vt dum Iudæorum impietas Christum neci parabat Herodi tradere, fides verò Magorum eum susciperet, coleret, adoraret, eiusque familiam auro donato sustentaret, ipsi Reges primi Gentilium fidem initiarent, & se per eam cum posteris Christi cultui consecrarent: sicque meruerunt, vt Iudæi primi fierent nouissimi, & Gentiles primas in Dei filijs obtinerent: *Hinc est*, ait Chrysologus: *quod Gentilis, qui erat nouissimus, factus est primus, quia tunc ex Magorum fide, est Gentilium credulitas dedicata, & Iudæorum est notata crudelitas*: & alibi eosdem vocat *fidei nostræ duces, credulitatisque principes.* Consentit Origenes, qui vult ob infidelitatem Iudæis repudiatis Gentes fide sua primatum obtinuisse. *Nos*, ait, *proselyti per fidem* (Magorum) *facti sumus sursum & primi, Israëlitæ autem, qui fuerant priores, sunt facti nouissimi, propter infidelitatem.*

1. fidei præstantia meretur Patriarchatũ.

Chrysologus ser. 165.

Origenes tract. 9. in Matt.

Alteram huius tantæ eminentiæ causam sanctus Augustinus eorum tribuit humilitati, vt oleaster Gentilium per Magos oliuæ insereretur. *Hæc* (ait de Magis loquens) *est illa humilitas, quam plus in illis qui ex Gentibus erant, quam in Iudæis diuina scriptura commendat: hæc est humilitas, quæ inseri meruit oleaster in oliuam, & oliuam dare contra naturam.* Alibi adorationi eorum hoc adsignat. *Magi*, ait, *primitiæ Gentium ad Christum videndum adorandumque venerunt, & non tantum accipere propriam, sed etiam omnium Gentium salutem significare meruerunt.*

humilitas.

S. August. ser. 66. de diuersis 30. ser. 64. de diuersis

3. adoratatio.

S. Hieronymus id munerum donationi videtur aliquo modo adscripsisse in ps. 71. *Reges Tharsis. quod, ait, ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum: ipsi enim Gentium Regumque typum obtinuisse* (alij legunt tenuisse) *monstrantur.* Vult igitur eos primos nutritios Ecclesiæ Christi exstitisse, dum familiam eius suis opibus sustentarunt; & significasse, imo meruisse significare Regum Gentilium secuturam in Dei Ecclesiam munificentiam, quam Iudæi euertere conabantur. His igitur & similibus titulis fidei & Ecclesiæ patres dici Reges nostri meruerunt: qui primi fidei, humilitatis, pietatis & liberalitatis Gentibus exemplar & calcar exstiterunt; vt promtè & hilariter ipsorum se moribus conformarent, Patrum suorum constanter insisterent vestigijs, & lineamenta virtutum in se exprimerent. Quocirca cum Iudæi malè Patriarcharum fidem, obedientiam, & patientiam imitarentur, ac degeneres Messiam à maioribus desideratum, & exspectatum ipsi repudiarent, contra fidem Abrahæ, obedientiam Isaaci, peregrinationes & patientiam Iacobi: tunc

4. oblatio munerum. *S. Hieron. in ps. 71.*

Gentiles substituũtur Iudæis

dæis veteri testamento rescisso. *Ser. de Epip.*

hereditatē eorum accipiunt.

vetus testamentum fuit sub conditione institutū. *psal. 131.*

eam Iudæi non seruarunt.

prædicitur antiquatio eius. *Hebr. 8.*

& promulgatio noui. Quale illud sit.

inchoatur die Epiphaniæ.

differentia veteris & noui.

Mal. 3.

Isaias c. 55.

c. 57. 59.

sempiternum hoc est testamentum. Fructus eius. *Ezech. 34.*

sancti Reges in his etiam eos superarent: ideo Deus rescisso veteri testamento cum Patriarchis istis firmato, pro semine corporeo; semen ipsis nouum spiritale Gentium excitauit, nouum delegit populum Gentilium, nouos eiusdem populi Patriarchas, qui cum sera posteritate cœlestem hereditatem cernerent, exclusis legitimis Abrahæ filijs, qui degeneres & improbi se ipsos à Dei iugo exemerunt. Audi S. Leonem. *Vnde quod illi tres viri vniuersarum Gentium personam gerentes adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quæ iustificat impios, totus mundus assequitur, & hereditatem Domini ante secula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt, qui videbantur legitimi.* Iterum ser. 2. *agnoscamus in Magis adoratoribus Christi vocationis nostræ fideique primitias, & exsultantibus animis beatæ spei initia celebremus, exinde nobis Christum loquentium scripturarum arcana patuerunt, & veritas, quam Iudæorum occæcatio non recepit, omnibus nationibus fidem suam inuexit.* Erat testamentum vetus à Deo non æternum, sed temporarium; non absolutum sed ea conditione sancitum: *si custodierunt filij tui testamentum & testimonia hæc, quæ docebo eos*: sed perfidi Iudæi cum lege diuina contenta suis cupiditatibus seruirent: legis & testamenti veteris finem & scopum, quem omnes eorum ceremoniæ sacrificia & promissa spectabant, contumaciter abiecerunt: quocirca apud Apostolum per Ieremiam Deus antiquationem veteris, & noui publicationem his verbis pollicetur. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël & super domum Iudæ testamentum nouum: non secundum testamentum, quod feci Patribus eorum, in die, quo apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi illos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disposui domui Israël post dies illos dicit Dominus. dabo leges meas in mente eorum, & corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum; & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum dicens: cognosce Dominum, quia omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem nouum veterauit priùs quod autem antiquatur & senescit prope interitum est.* Hoc vltimum Christi conuenit aduentui, in quo iam Pontificium annuum erat, & venale; vitia quæuis dominabantur, vt parum à Gentibus si vnam exceperis idololatriam, abesse viderentur: cœpit igitur primorum istorum trium Regum cordibus Epiphaniæ die legem & testamentum nouum Euangelicum inscribere; secum, quacumque irent, vt Doctorem suum & legislatorem nouum circumferrent Spiritum Sanctum, qui eos de omni doctrina & perfectione Euangelica erudiret. Ingens hoc veterem inter & nouam legem discrimen: illam à Moyse, hanc à Spiritu S. latam, Christo non Moyse legislatore acceperunt; quam non vestibus inscriptam, sed cordibus circumferrent, operibus eam exhibendo: ideo Christus iam tum die Purificationis vocatur. *Angelus testamenti: statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Hoc ipsum nunquam variandum promittit per Isaiam: *inclinate aurem vestram, & venite ad me, audite & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dei fideles*: scilicet quale promissum est Dauidi plenum misericordia *Ecce testem populis dedi eum* (quasi fecialem testantem hominibus Dei Patris promissionem) *ducem ac præceptorem Gentibus: ecce Gentem quam nesciebas, vocabo, & Gentes quæ te non cognouerunt ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israël, quia glorificabit te.* Et cap. 57. *creabo fructum labiorum pacem* (id est creabo in mercedem orationis ad me à Regibus factæ) *pacem ei qui longè est* (Gentili) *& qui prope est dixit Dominus: & sanaui eum.* Iterum cap. 59. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus: spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui dicit Dominus amodo & in sempiternum*: quibus verbis promittit huius testamenti Gentilibus consignandi perennitatem: per Spiritum S. quem sicut ipsis dederat, eundem posteris conseruaturum se repollicetur, iam vero & à quibus malis sit posteros eorum liberaturus; & quibus bonis cumulaturus apud Ezechielem describit cap. 43. *& suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid ipse pascet eos, & ipse erit eis in pastorem, & feriam*

cum

cum eis pactum pacis, & cessare faciam bestias pessimas de terra: & qui habitauit in deserto (Reges isti inter Gentiles) *securi dormient in saltibus, & ponam eos in circuitu colli* (ecclesiæ vel templi) *benedictionem* (vt sint felices & benedicti) *& deducam imbrem in tempore suo; pluuiæ benedictionis erunt, & dabit lignum agri fructum suum, & terra dabit germen suum, & erunt in terra absque timore, & scient, quia ego Dominus, cum contriuero catenas iugi ipsorum & eruero eos de manu imperantium tibi*: id est de potestate mundi: carnis & dæmonis sic: & cap. 36. *effundam super vos aquam munda, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab idolis vestris, & mundabo vos & dabo vobis cor nouum & spiritum nouum ponam in medio vestri*: nouum igitur testamentum coram Regibus hodie inchoatum, nouam legem attulit interiorem & exteriorem: scriptam non in tabulis, sed corde; non ab Angelo, sed Spiritu S. legem non timoris, sed caritatis; sed doctrinæ & iustitiæ Christianæ: hanc Spiritus S. inscripsit intellectui Regum, fidem, prudentiam & mentis illustrationes infundendo: inscripsit memoriæ sapius eam refricando: denique voluntati & cordibus; ad eam amplectendam & opere perficiendam continuis stimulis & sacris inspirationibus excitando. Quæ cum sint coepta fieri tunc cum Reges Christum adorarent: primi Gentilium & veri Christi *adoratores in spiritu & veritate*: ideo iam tum cœpit Christus die Epiphaniæ Angelum agere noui testamenti & sempiterni, prius iam senescens paulatim antiquando, cuius testamenti noui cum Gentilibus pacisci Reges nostri fuere primi & principes post Christum autores, qui suum ante omnes assensum omnibus in rebus præbuerunt & primi totiusque Gentilitatis nomine subscripsere, eam libenter Euangelicam legem recepturam dummodo Christus sanguine suo consignasset, & morte confirmasset, missis ad omnes mundi nationes legatis & Apostolis, qui id ratum iam & fixum promulgarent. Hæc igitur prima Christi cum Gentibus inita fœdera, cum Reges illi triumuiri primis suis suffragijs tota comprobarint (quæ posteri Gentiles omnes etiam, Reges & Imperatores & receperunt & in ea iurarunt) iure progenitores Ecclesiæ, Patres, & Patriarchæ nominantur, & hoc ipso die Christo dicatis muneribus hanc dignitatem tua animi demissione profundissima, fide illustrissima, adoratione religiosissima meruerunt. Vt tam eorum aurum, quam thus oblatum largissimis donis & priuilegio præcipuo Christus munerarit. Vnde profecto cum & hæc sibi collata dona diuinitus cognouissent; & quasi spiritus inhabitantis continuas audirent voces: *Caritate perpetua dilexi te: desponsaui te mihi in sempiternum: vocabis me maritus meus: aux virginitatis meæ, non vocabis me vltra Baali, & dicam nō populo meo: populus meus es tu, & ipse dicet: Deus meus es tu.* Ipsi viciissim obsecuti sacris & diuinis impulsibus idolis in regnis, vt dicetur, contractis, populos subiectos cœlestibus præceptis erudierunt: nullis recusatis amore Christi periculis, laboribus, tormentis: nam & constanti multorum opinione vt martyribus etiam exemplar fortitudinis exhiberent, pro Christi fide dicuntur iugulati. Tantus est amor diuinus, tam potens, tam efficax; vt cuius cor semel occupauit, iam sui & corporis oblitus proprij: tormenta non sentiat, totus in amati desiderio sic absorptus, vt mortem per quos suis etiam cruciatus in votis habeat, vt dilecto copuletur. *Amat*, ait S. Augustinus: *homo corpus suum, sed cum se hoc amore totus in Deum conuerterit, his cognitis mortem non modo contemnet, verum etiam desiderabit. Sed restat cum dolore magna conflictatio, nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinā libera & admiranda volabit pennis pulcerrimis & integerrimis; quibus ad Dei complexum amor castus imititur. Nisi vero amatores auri, amatores laudis, amatores feminarum amatoribus suis sinat Deus esse fortiores, cum ille non amor, sed congruentius cupiditas vel libido nominetur, in quā tamen apparet, quantus sit impetus animi ad ea, quæ diliguntur indefesso cursu per immania quæque tendentis, argumentoque nobis esse quam sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi, vt deserant, perferunt* Tales scilicet decebat esse in lege noua Euangelica Gentilium Patriarchas, Reges, Episcopos, confessores, Martyres, qui forma & norma gregis facti, simul viuendi congruenter Euangelicis institutis, & ea Gentibus publicandi, ac pro ijsdem moriendi præberent exempla.

c. 36.

in quo pectulum consistat.

Ex parte Gentilium hi Reges subscripserint primi.

ideo Progenitores sunt Ecclesiæ.

Ier. 31.

Dei exlequi statim id cœperunt in regnis suis. mortui pro eo.

Amor facit sine sensu & inuictos

CAPVT LV.

Colloquium Deiparæ cum ſanctis Regibus.

Hæretici negãt. ratio eorum cõfutatur.

RIGIDIORES hic nouatores colloquium id omnino reijciunt, quia nulla illius apud Euangeliſtas mentio: quaſi ijs, qui capita ſumſerant ſcribendæ hiſtoriæ Euangelicæ (innumeris prætermiſſis vel prodigijs Chriſti, quorum multitudinem nec mundus caperet) non alia leuioris momenti conſideranda lectori pio reliquerint. Fruſtra igitur Hieronymo Xauerio in hiſtoria Chriſti ſic oggannit prædicans Lugdunenſis. *Vnde innotuit, quos ſermones miſcuerint cum Maria?* Quia ratio perſuadet, non inſalutatos, vel ſine gratiarum actione dimiſiſſe prudentiſſimam virginem Reges illos; qui filij & ipſius etiam cauſa tantum iter ſuſceperant. ſanè cum & prudentia pluſquam humana, & linguarum peritâ Deipara eſſet, ac virtutibus omnibus moralibus inſtructiſſima, quomodo ſine ingrati animi vitio Reges quaſi nec alloquio dignata dimiſiſſet? nec potius tam cœlitis internuncij educta, quam virgineam & verbi corporis adſumti rationem, & natiuitatem; paſtorum, euocatu Angelorum nuperum acceſſum retuliſſet? Quam impolitam moribus & inurbanam formant Dei genitricem ſapientia, vel Cherubinos omnes ſuperantem?

congruebat moribus Deiparæ.

Interim pulcrum attexam S. Bernardini colloquium moratum, prudens, ſententioſum. Is inter mirabilia ponit, quod ab Euangeliſta non commemoretur, virginem Mariam non fuiſſe aliquid locutam. *Cum*, enim ait, *B. virgo omnem linguam intelligeret, & loqui ſciret eo, quod omni ſcientia poſt filij Dei conceptum plena eſſet; mirum videtur, quod tam pia mater tam fidelibus & deuotis filijs, qui tanto feruore & fide, tantis periculis & labore atque expenſis venerunt adorare tanquam Dei filium ſuum, in aliquo non condeſcenderit, per aliquem conſolatorium actum, vel certè per aliquod dulce verbum: ſed profecto deuotè penſandum eſt, quod Magi tanquam peritiſſimi viri veréque in fide illuminati, & in Dei magnalijs irradiati cum deuotiſſima Chriſti matre aliqua colloquia ſingularia habuerint, de altiſſimis myſterijs incarnationis, & incarnati verbi, de altiſſimis contemplationibus paradiſi: de admirandis gratijs & beneficijs Dei, de moribus & nobilitate virtutum, atque de his, per quæ poſſent eſſe perfectiſſima Chriſti membra: qui multas inſtructiones, & magnas conſolationes ab ipſa pijſſima Chriſti matre ſuſceperunt: hæc & his ſimilia Euangeliſta Matt. in præſenti hiſtoria credo, quod ſcienter omiſit, atque ſummam huius myſterij ſecundum externum corticem enarrando, reliqua intellectibus & deuotis mentibus perſcrutanda, & deuotè contemplanda dimiſit; contemplemur igitur & nos tanquam huic adorationi præſentes horum SS. Magorum magnalium Chriſti ſenſum, ac experimentalem intellectum & guſtum: quis enim deuotus dubitare queat, quod mater pijſſima ita deuotis filijs, de vnigenito ſuo in multis conſolationibus condeſcendit? quis inſuper ambigere poteſt, quid hoc quilibet Magorum ardentiſſimo animo concupierit: qui tanto feruore atque labore à terræ finibus ad hoc quodammodo volauerunt? credo quod quilibet horum à dulciſſima matre dilectum filium poſt eius adorationem ſuſceperit in manibus ſuis, atque in vlnis amplexatus ſit eum, & ſuauiſſimè oſculatus: nec non quod Simeonis more aliquid melliſluum iubilando cantauerint, quaſi primus Magus cum Ieſum in brachijs ſuis dulciſſime poſſideret, cantando iubilarit, & quaſi tripudiando dixerit iſta dulciſſima verba.* Congruunt ea quæ de cantico & colloquio dicit vir ſanctus cum oraculo S. Franciſcæ, piè vero ſimiliter S. Bernardinus colloquij materiam contemplatur, quæ tam admirabili Regum iſtorum pietati & feruori rectè conueniunt & ab Euangeliſta maioribus ſcribendis intento myſterijs inſinuantur: qui enim & Herodi & Solymæ conſtanter & audacter ingerebant de nato recens puero: *venimus adorare eum*: cum eum, quem per tot pericula quæſitum tot centenis leucis tandem reperiſſent, non leuiter tantum, ſed ſat diu videntur & adoraſſe & eius animi demiſſionem, in homines caritatem, & aduerſorum ſpontaneam tolerantiam animo contemplati: tum cum Deipara & Ioſepho, ſiue per interpretem, ſiue quod probabilius per ſe

materia colloquij.

cur ſiluerit Euangeliſta.

SS. Regum actiones, & affectus.

ipſos

ipſos vt linguarum peritiſſimi de myſterijs incarnationis, natiuitatis & circumciſionis multum diuque contuliſſe: cum non ignorarent nunquam oblatum iri deinceps opportunitatem in vita coram de his agendi, & adſpectu dulciſſimo Ieſu matriſque perfruendi. Quod ad linguarum dona attinet, cum ſub initium Eccleſiæ non fuerit fidelibus vulgaribus etiam à Spiritu S. denegatum, & S. Irenæus exeunte iam ſeculo ſecundo fateatur à ſe auditos multos vniuerſis linguis loquentes: cum etiam Patrum memoria S. Xauerius idem ſit donum inter paganos conſecutus, non debuit eo doctrix Apoſtolorum & ſapientiæ æternæ mater ſpoliari. Suaretz cum Alberto M. in mariali D. Antonino p. 4. tr. 15. § 8 probat eam donum id habuiſſe, etiam ad publicas functiones, & conciones: & in die Pentecoſtes ſimul cum Apoſtolis accepiſſe, vt nihil ſpiritualis gratiæ illi deeſſet. *Nam ſi initio naſcentis Eccleſiæ frequenter dabatur hoc donum fidelibus, non ſolum illis, qui futuri erant prædicatores Euangelij: ſed etiam alijs fere communiter, vt conſtat Act. 8. & 19. Quid ergo mirum quod fuerit B. V. conceſſum? eo vel maximè, quod licet B. V. non eſſet ad varias nationes & Gentes migratura, vt eas doceret, veriſimile tamen eſt, & ex Patribus atque hiſtorijs colligitur, fideles ex varijs nationibus ad illam confluxiſſe, tum pietatis cauſa, tum vt ab ipſa magis inſtruerentur, ac in fide confirmarentur: oportuit ergo, vt & illos intelligeret, & ab illis intelligi poſſet: quæ duo ſunt huius gratiæ munera. Denique probabile eſt etiam ante illa tempora habuiſſe vſum huius gratiæ, ſi forta ſſe neceſſitas vel occaſio illum poſtulaſſet: vt verbi gratia, quando Chriſtus adoratus fuit à Magis, credibile eſt illos intellexiſſe: vel cum peregrinata eſt in Ægyptum, Ægyptiorum linguâ vti potuiſſe.*

de dono linguarum innaſcente Eccleſia. *S. Irenæus. lib. 5. c. 6.* *Suaretz. to. 2. in 3. p. diſp. 20.* cur Deiparæ id datũ. etiam coram Magis & Ægyptijs.

Sequuntur hunc Morales 1. Matt. Lapide & Beſſeus: huius ſunt hæc verba *Hinc etiam colligere poſſumus, Deiparam dono linguarum à Spiritu S. donatam fuiſſe, quis enim Dos Reges excepiſſet, quis ijs locutus fuiſſet, quis intelligere, niſi illa omnium linguarum cognitione illuſtrata, earum idioma intellexiſſet?* S. Anthemius meminit eiuſdem colloquij & gratiarum actionis *Erat*, ait, *etiam quædam fruitio videre iuuenculam ſpecioſiſſimam, honeſtiſſimam, ſapientiſſimam cum paruulo filio ſuo, & piè credi poteſt, etſi Euangeliſta non dicat, verbis meliſſuis ſapientia plenis illis Magis gratias egiſſe.* Materiam huius colloquij poſt S. Bernardinum rectè perpendit Ludouicus de Ponte: *conſiderandum eſt dulciſſimum, quod Magi cum B. V. tolloquium habuerunt ei: narrantes tam de ſtella, quam in Oriente viderunt, cuius ductu Hieroſolymam vſque perueniſſent, tum quæ illic ſibi cum Herode acciderint, ſimul vero ſanctitatem, quæ in ipſa virgine emicabat, lociique in quo manebat vilitatem vehementer ſuſpicientes, ad omne obſequiorum genus ſe promptiſſimos obtulerunt: & quamuis ad primum ipſorum ingreſſum S. Ioſeph non adfuerit: quo Magi illi intelligerent infantem illum in terris patrem non habere: paulo tamen poſt accedenti, eadem ipſos retuliſſe par eſt credere. O quam læta B. Virgo fuerit talia cum audiſſet! quomodo cordi ſuo omnia impreſſerit, vt ſecum ipſa poſtea pro more conferret, quam gratum ſibi eſſe Magorum ſtudium laboremque veniendi, adorandi filij ſui cauſa confirmauit: quam altis diuiniſque vrbis eos in fide corroborauerit! O Regina Saba, quæ in his Regibus filijs tuis iterum accedis cum muneribus videre verum Salomonem, quam obſtupuiſti, quam defecit ſpiritus tuus videre infinitam ſapientiam, quæ in paupere eius cauſa, paupere & exiguo eius comitatu reſplendebat! Quanto affectu virginem ipſam & Ioſephum intuens diceres: beati ſunt ſerui tui iſti qui ſtant cõram te ſemper & audiunt diſcuntque ſapientiam tuam! O virgo excellentiſſima, ſapientior illa fuerit Regina Saba, quæ hodie tanquam Magiſtra illos ſapientes cæleſtem docebat ſapientiam, quam mundus non aſſequitur: me quoque illa doce, quo filio tuo ſeruire diſcam, ſicut noui illi diſcipuli didicerunt, & reipſa ſeruirunt.* Nec filio tantum ſed & matri parati erant Reges ad nutum parere, eius ſeruitijs ſe mancipare, quam iam vt Dominam mundi & Reginam cæli ſupplices & cum tremore venerabantur, vt docet Thomas à Vilanoua cuni ante Regum cum Deipara colloquium retuliſſet *Iacent*, ait, *purpurati Principes ad virginis pedes & pannoſum infantem regia celſitudo pauefcit. Quid ſentis o virgo tuam, quid nunc contristat mentem? quid eſt quod vides? qualis potens aquila tremulos circumuolat turdos, talis virgo regia barbaros circumſpicit Reges: dicite nunc Principes, quænam*

Morales cor. n. de Lapide. Beſſeus. An. en. interuenit S. Ioſeph. Maria doctrix Regũ. *Thomas à Vilanoua.* Reges adorant virginem.

vos

vos potentia tenet? quid vidistis in matre, quid vidistis in filio? magnum profecto aliquid latebat in puero, quod Principes oculis lynceis inspexerunt: leo in agno, gigas in paruulo. Deus in puero, maiestas immensa sub teneri corpusculi cortina latebat & radiantissimus sol sub leui carnis nubecula latitabat: qui eos suæ claritatis affectus. *radio perculit & prostrauit: postquam igitur aliquamdiu prostrati timorem digesserunt, recepta fandi fiducia diuinum infantem adorant, acceptumque manibus suis puerum vicissim delatum summo cum gaudio & reuerentia colunt. Lacrimantur omnes præ lætitia, & veluti carbones igne spiritus accenduntur. Quis horum Principum deuotionem & mentis feruorem explicare queat? quis eorum lætitiam exsultationemque recenseat? quibus autem verbis quibusque gaudiorum lacrymis puerum & matrem honorauerunt dicere quis sufficiat? instant, orant supplices, totaque deuotione virginem precantur, vt eorum suscipiat fidem, & gratum habeat famulatum, diuitias quoque seruos & regna offerunt in obsequium: grandem sibi felicitatem accidisse putantes, si tantam Dominam Reges habere contingat, cui se totos & sua impendant: neque tamen meritis paret virgo, sed placidè dimissos ad hospitia mittit.* offerũt Deo obsequia. patiant discessum. Aliquot iam horis dulci protracto colloquio & pijs ad infantulum excitatis affectibus: Reges & sanctissimam virginem & Iosephum de discedendi modo & via credo consuluisse: quorum suasu filio vt rem omnem commendarent iussi videntur, non dubij, qui tanto eos prodigio saluos adduxerat fore, vt incolumes reduceret in patriam. Itaque extremum videntur osculum Christo dedisse discessuri. Quod ita describit Brunus noster. *Aduerte qua maturitate & senili quasi grauitate sapientissimus infantulus non loquendo, sed ac si omnia intelligeret auscultando hilarique ac benigno vultu illos adspiciendo; ac denique dum illi postulata discedendi facultate magna deuotione manus & pedes eius exosculari conantur; diuinas suas manus ad osculum vt eos in suo amore confirmaret porrigendo, data benedictione incredibili consolatione plenos dimiserit.* puer impertit illis benedictionem.

CAPVT LVI.

Tentorijs erectis pernoctant in agro Bethlehemitico Reges.

TEstivvs ille Gentilibus & felicissimus, qui vnquam illuxerat dies erat, nec dubium quin genialibus epulis fuerit celebratus, quem morem cum Iudæis Gentiles communem habuere. Nec oppidum ingressos existimo, sed fixis in campis suburbanis & erectis subito tentorijs sub pellibus quieuisse: quia vt supra ex Suarez dixi, *Oportebat Magorum adorationem sine manifestatione publica & vulgi admiratione peragi* quod commodius eueniebat, cum extra ciuitatem pernoctarent, curatis tamen forte ex Bethlehem alimentis quasi eadem nocte discessuri, ne qua de causa eo loci venissent passim vulgaretur. Itaque si non in stabulo pernoctarint, cum hilaritate diem præcipitantem in vesperum exegisse videntur, & ad stabulum epulas pauperi Christi familiæ submisisse: interim sacris colloquijs conuiuium illud condiuisse magno animi solatio secum expendentes diuinam erga genus humanum in verbi corporis adsumtione bonitatem, & Christi in Gentiles præ Iudæis electis clementiam. Bellè quadrat in hos dictum Esdræ: *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, comedite pinguia, & bibite mulsum & mittite partes, qui non præparauerunt sibi; quia sanctus dies Domini est: gaudium enim Domini est fortitudo nostra.* Gratijs subinde Deo ritè peractis precibus videntur pariter reditum suum diuinæ prouidentiæ commendasse: & ab ea cæleste responsum ac gubernationem exspectasse. Iam enim pati diuina cœperant, & altissimo contemplationis dono impertiti mysteria reconditissima nouis rationi speciebus impressis penetrare: nec soli tantum cum erant: sed cum inter se tractantes receptui quandoque canerent se ipsos recolligerent, ac velut ad sponsum breuiculos affectus eiacularentur, nihil sine eius consilio, & iniussu aggressuri: Sapientes ij, qui sic Deum in negotijs, & inter homines consulunt, nunquam ab eius patet-

cur extra oppidum pernoctarint. mittunt ad stabulum epulas.

2. *Esaiæ* 8.

adspirationes eorum ad Deum inter negotia.

Paterna defensione deserendi. Depingit horum mores S. Bernardus: *O sancta anima sola esto, vt soli omnium seruas te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti: fuge publicum, fuge & ipsos domesticos, secede ab amicis & intimis, etiam ab illo, qui tibi ministrat: secede ergo, sed mente, non corpore: sed intentione, sed deuotione, sed spiritu: solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia: alioquin neque si solus corpore es, solus es, videsne posse esse te & solum inter multos & inter multos cum solus es? interdum etiam corpore te separa, præsertim tempore orationis, iuxta mandatum sponsi & formam, Matt. 6. tu cum oraueris intra cubiculum tuum & clauso ostio ora, & quod dixit, fecit, solus in oratione pernoctabat.* S. Bernard. ser. 40. in cant. Luc. 6.

Concludo librum hunc cum S. Franciscæ Romanæ visione, qua, narrat singulorum Regum actiones, gestus, cantica & multa ex dictis supra à S. Bernardino, Bruno & alijs confirmat. Dixerat SS. Reges audita cœlesti symphonia pariter ingressos stabulum prostratis in terram corporibus Christi diuinitatem adorasse, mox singulorum exsequitur iubilum & actiones, & de seniore Gaspare hæc memorat. *Hic Gaspar ætate grandior ceteris, ac prope centenarius, interiore quodam cordis gaudio delibutus in iubilum resoluit vocem & cantu dulcissimo salutata prius virgine præconia eiusdem celebrat, & prærogatiuam prorsus singularem, quæ vni soli-que mortalium contigisset: tum versis ad saluatorem oculis & animo adorat eum, vt verum Dei filium, & exspectatum orbis Messiam: gratias eidem medullitus agit pro infinita mortalibus misericordia clementiaque præstita, qua permotus in terras descendit, hominem induit, pro hominum expiandis peccatis mortem crudelissimam oppetiturus. Gaspari successit ætate propior Balthasar, quasi sexagenarius simili mentis impulsu in similes erupit voces & affectus. Vti & tertius ætate iunior Melchior quadragenarius ferme completo coram vtraque maiestate Christo & virgine laudis cantico: primus protulit aurum* (intellige maiori quantitate) *alter thus, myrram tertius consecrauit. Quæ cum vterque beneuole suscepisset virgo mater gratias Regibus egit, pro illâ filio sua munificentia exhibita: vicissim Reges responderunt offerre se præterea simul ipsos cum Regnis & omnibus, quæ possiderent vni Deo cuncta dedicando, & eius cultui mancipando, quibus Sanctissima virgo: sit vobis salus & saluator Deus meus.* Multa videas hic sparsim toto hoc libro dicta confirmari, de adoratione & cultu virginis, cultu latreutico puero exhibito, colloquio cum Deipara habito: pergit deinde specialia quædam circa Reges singulos gesta cum Iesulo recensere. *Nam cœlitus ei significatum Gasparem in signum profundissimæ reuerentiæ canum venticem pedi dextero pueri supposuisse, Balthasar vero cum ingeniculatus adreperet pedem pueruli prensaturus, & osculaturus, reduxisse Iesulum paulisper eundem oculis blandissimis Regem intuitus, post paulo tamen gestu humanissimo pedem obtulisse vltro exosculandum. Denique Melchior sacra quadam reuerentia tantæ maiestatis deterritus, nec ausus quidem est Christo propinquare. Peracta tali festiuitate puerulus sanctissima sua leuata dextera tribus Magis impertijt benedictionem: ipsi vero cum diuinam percepissent voluntatem, è terra surgentes consederunt pariter & attentissimis auribus harmoniæ cœlesti auscultarunt.* Hæc ex vita S. Franciscæ. Pastoribus nocte natalis Domini euocatis symphonia geniorum cœlestium intonuit: quid ni Regibus etiam tribus huc commeantibus & apparatu fastiuo Regem cœli terræque hominum & Angelorum solenniter inaugurantibus? quo pax Iudæos inter & Gentes vno sub capite Christo feliciter coaluit: sed dum quieti Reges se dant, oraculum diuinum de reditu præmissis precibus consulentes, diem Epiphaniæ mysterijs pleniſſimum concludamus, Deo gratias pro beneficijs hoc tomo scribendo collatis concinentes: Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

vita S. Franciscæ lib. 3. cap. 19.

Gasparis senioris adoratio.

Balthasaris & Melchioris.

singulorū cum Iesu affectus.

TOMVS

H

C

Cum

T

R.

Apud

PRIMITIARUM GENTIUM

SEV

HISTORIAE SS. TRIUM REGUM MAGORUM EVANGELICORUM

TOMUS III. HISTORICUS,

QUO

REDITUS EORUM, GESTA, MARTYRIUM, TRANSLATIONES ET NOVISSIMA

COLONIAM AGRIPPINAM,

DENIQUE CULTUS EORUNDEM:

Cum EFFIGIE *Augustissimi Coloniensis* METROPOLITANI TEMPLI *comprehensa, ex Antiquis Monumentis & probatis Scriptoribus eruuntur.*

AUTORE

R. P. HERMANNO CROMBACH
Societatis IESV *Sacerdote.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud IOANNEM KINCHIVM, sub Monocerote Vet.
Anno M. DC. LIV.
Permissu Superiorum & Privilegio S. C. M. generali & speciali.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

HISTORIAE
SS. TRIUM REGUM
MAGORUM EVANGE-
LICORUM
TOMUS III. HISTORICUS.
EX
REGESTIS, CESTA, SYNAXI
TYPIS, TRADITIONESQUE NOVISSIMA
COLONIAM AGRIPPINAM
Deinde Cuncta Eorundem:
Cum Effigie Coloniae Metropolitani
Templi complectens, ex Chirographis Manuscriptis
Probatis Scriptoribus eruuntur.
AUCTORE
R. P. HERMANNO CROMBACH
Societatis Jesu Sacerdote.

COLONIAE AGRIPPINAE
MDCLIV.
Typis & Impensis Joannem Kinchium, Sub Monocerote Viet.
Anno M. DC. LIV.
Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Vrbis Agrippinæ Regum aspice mausolium, integra cum cranijs corpora prona iacent.



PRIMITIARVM GENTIVM,

SEV

HISTORIÆ TRIVM REGVM MAGORVM

TOMVS TERTIVS HISTORICVS

Quo Reditus eorum, gesta, martyrium, translationes, et novissima

COLONIAM AGRIPPINAM;

Denique cultus eorundem, ex antiquis Monumentis, et probatis scriptoribus eruuntur.

AVCTORE R.P. HERMANNO CROMBACH Societatis IESV Sacerdote.

Coloniæ Apud IOANNEM KINCHIVM sub Monocerote anno MDCLIIII.

Permissu Superiorum et Privilegio S.C.ae M.

Corpora te Regum fecere Colonia primam Imperij sedem gloria, honore, fide.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SERENISSIMO

FRANCISCO

DUCI LOTHARINGIÆ,

EPISCOPO ET COMITI VIRDVNENSI &c. DECANO,

ILLVSTRISSIMIS, REVERENDISSIMIS, Amplissimis, Eximiis & Clarissimis Dominis

DD. CAPITULARIBUS METROPOLITANAE COLONIENSIS ECCLESIAE.

DIvina bonitas Serenissime Princeps Decane, Illustrissimi, Reverendissimi, Amplissimi & Eximii Domini, Domini Capitulares præaliis plerisque Cathedralibus Ecclesiis, ornavit donis, cumulavit beneficiis & membris ac reliquiis nobilissimis decoravit vestrum METROPOLITANUM Collegium Colonienſe, quod licet jam inde ab ortu suo viros sanctitate doctrinaque præcipua conspicuos produxerit, qui Germaniam mirificè illustrarint: decimo tamen seculo Brunone Ottonis Magni fratre sanctè feliciterq; gubernante METROPOLIM, ita solis instar radios admirabilis splendoris ubique diffudit, ut Germani, Belgæ, Lotharingi ex ejus fecundo gremio laudatissimos Præsules postularint: qui omnes Brunone Colonienſi antistite Magistro gloriabantur. Proximo seculo duodecimo Heriberto, Piligrimo & Hermanno nobili METROPOLITIS, cõtinuatus vigor disciplinæ, studium literarum, & cultus divinus, ut Gregorius septimus Pontifex Maximus literis ad Annonem datis gloriaretur, Coloniæ se Cleri METROPOLITANI institutis & disciplina formatum, multumq; laborarit, ne à Leone nono decerneretur, ut Trevirensis Colonienſem Præsulem anteiret dignitate. Leo verò nonus & ipse Coloniæ cum degeret, captus eiusdem Collegii morum integritate & cultus divini maiestate viginti & unum

Capitulũ Metropolitanũ Colonienſe floruit viris Clarissimis.

Rogerius in vita Brunonis.

Cardinales habet.

unum ex eo creavit Cardinales: septem horum sacerdotes, qui sandaliis & Dalmaticis ornati in altari Mariano & Sancti Petri facerent, quibus septem Diaconi totidemque subdiaconi sandaliis pariter induti Romano ritu ministrarent. Duodecimo seculo Eugenius tertius auxit Sacerdotum insignia, quos mitris additis reddidit illustriores. Vndecim post annis illatus est in civitatem hanc & vestram METROPOLITANAM Basilicam thesaurus longè pretiosissimus corporum Sanctorum Regum: & vobis ejus custodia demandata: non minore vestro emolumento, quã Obededom Gethæi cũ in domum suam arcam recepisset, de quo scriptura ait: *Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius*: Sic adventu SS. Regum ingens cœpit Coloniam Principum virorum è Germania, peregrinorum etiam ex Europa tota, & transmarinis Asiæ locis & Africa confluere multitudo, qui donis Sanctos Reges honestarent, ut civitatis angustiis excluderentur & fuerit quadruplis spatiis amplianda: donationes verò factæ tam Reinoldi, quã successoris ejus Philippi Heinsbergensis liberalitate Collegio METROPOLITANO (cujus custodiæ curæque tantæ reliquiæ fuerunt commendatæ) cesserunt; crevit inde opulentia Cleri, ut Regum, Ducum & Principum virorum filii magis, quã antea cooptari in Collegium vestrum desiderarent: sed ne dum nobilitatis fieret accessio cultus divinus minueretur, salutariter provisum est, ut etiam octo genere licet inferiores adlegerentur, qui sacerdotio initiati sacris operarentur, ac sicut in Ecclesiam Romanam Cardinales tam è regio & illustri sanguine, quam loco licet non summo nati doctrina tamé spectabiles admittuntur, sic in Collegium Colonienſe vel sanguinis claritate vel eruditionis fama celebres adsciscerentur: illi potentiâ hostium conatus eliderent: hi doctrinâ sua jura collegii tuerentur. Custodes etiam Sanctorum Regum duo sunt, alter ex illustribus, & sacerdotibus alter cõstitutus, qui ferratos obices quotidie reserarent, cereos novos tres incenderent, bracteolas aureas vel laminas argenteas, vel quid aliud ex donis pretiosis casu delapsum vel refixum suis adfigerent locis, & ostia seris & ferreis vectibus indies curarent diligenter munienda: iidem etiam peregrinis sacra pignora visentibus testimoniales literas trium Regum imagine signatas impertiuntur, ac rosaria vel nomina scripta tactis REGUM craniis sacrant, ad medelam infirmorum.

Novum accessit Collegio decus, quando Romani Pontifices vestro adscribi cœtui voluerunt: Exstat in Choro statua S. Sylvestri, cui sedes vicina in subselliis prima Pontifici Maximo relinquitur: is duos sacellanos habet, qui ejus vicario funguntur munere.

Quin & ipsi Reges Romanorum Aquisgrani coronati cũ Coloniam intrarint in vestrum Collegiũ cooptantur: & more aliorũ Canonicorũ jurejurando se obstringunt Ecclesiæ: uti Sigismundum, Fridericum, Maximilianum, Carolum & Ferdinandum idem dixisse Sacramentum constat: ideo in opposito latere sub Imperatoria statua sedes

prima

ditatus corporibus SS. Regum. 2. Reg 6. v. 11.

& opibus.

Clero nobilissimo sanguine vel doctrinâ.

Custodes SS Regũ duo constituti.

Pontifex Romanus

& Rex Romanorum eidẽ Collegio adscribitur.

prima Cæsari reseruatur : & ipse duos habet Sacellanos vel Vicarios, qui ejus partes expleant. In his sæpius Coloniam venerunt, præsertim circa Epiphaniæ festum, Fridericus ac Maximilianus Augusti diutius etiam hic aliquoties commorati ut Chorum præsentia sua & sanctos Reges donis honorarent.

Templi summi elegantia dedicandi *SS.* Regibus.

Quo magis majores vestri studium omne posuerunt, ut Basilicæ vestræ structura S. Petro Principi Apostolorum & sanctis Regibus consecranda operis majestate, politura & arte præcelleret; nec ullis, (annis serè trecentis ædificatione continuata) pepercerunt sumtibus, ut dignum Primitiis Gentium & nascentis Ecclesiæ structoribus, mausolæũ excitarent. Nec immerito: nam præsentem sæpius istorum Divorum tutelarium vestrorum & olim & recens opem desperatis serè in rebus experti estis. Decennium nondum est evolutum, quando Novesio ab Hassis & fœderatis intercepto, vicinis oppidis & arcibus expugnatis Soncensi oppido, castro & telonio (quod inter Novesium & Coloniam ad Rhenum situm ab hac tertio lapide distat) imminebant & inhiabant. Serenissimus Decanus Dux Lotharingiæ non ignarus eo portorio niti Collegii METROPOLITANI sustentationem & alimenta, nec amisso castro divina deinceps, nisi ægrè peragi posse: tentatis etiam humanis subsidiis, cum ea deficere sensit, ad cœlestem conversus opem magna concepta animi fiducia ad mausolæum sanctorum Regum supplex accessit, iis templi, & Collegii gravem necessitatem aperuit, claves officii repræsentavit; obtestatus ut unicum serè reliquum Basilicæ suæ granarium & portoriũ Soncium tuerentur, & afflictis perditisque rebus subvenirent, ne cultus divinus, Marianus, S. Petri & ipsorum, Regum, alimentorum defectu, cum gravi populi offendiculo intermitti cogeretur : adhibitæ multorum aliorum preces: quæ nec irritæ fuere: accessit enim aliquod militum supplementum, immissi sunt in arcem quadringenti duce & gubernatore fortissimo & vigilantissimo tribuno Scrotzio, cui postea pari animi magnitudine Holsteinius suffectus est:

invocãsut pro defensione Soncii.

quinquies oppugnati

Quinquies ni fallor diverso tempore tam oppidum quam arcem nunc Galli, nunc fœderati Germani, nunc Hassi, & hi frequentius Ravenhauptio ductore, vel adsultibus pressérunt, vel astu irrumpere tentarunt, vel corona cinxerunt diebus multis irrito semper conatu: Fuit quando Rhenanam S. Petri portam subjecto pyrio pulvere noctu è cardinibus violenter excussam, jam patentem intrabant sed feliciter dimissis catarractis ferreis clade non modica accepta repulsi sunt. Campestres arcis & oppidi muros Deipara virgo tuebatur : ejus venustum simulacrum in edito muri loco collocatum undique cernitur globis majoribus appetitum, muro non parum dextra lævaque verberato, qui adhuc excussorum lapidum ostentat vulnera, inter quæ signum illud virgineum illæsum mansit, & ita quidem etiam ab avium & columbarum illic frequentium sordibus (quæ istiusmodi loca contaminare consueverunt)

strenuè propugnati.

piorum ut nulla resideat in statua macula, nulla in risco muri immundicia: crederes non sub dio, sed in templo custoditam: ut merito jam ad rei memoriam nocturno lumine collustretur. Maximum illatum damnum è pratis inter Rhenum & arcis frontem orientalem interceptis; in quibus obsidentes erecto quadrato aggere tormentisque maioribus ibi collocatis noctes diesque maximis ferreis globis ita murum & turrim unam oppositam percusserunt, perfoderunt, lacerarunt, ut turre deiecta fossam & aggerem pene solo æquarint; sed superis pro castro pugnantibus, turpiter cedere coacti sunt; nam anno 1646. 7. Octobris, licet septimanam & amplius præter moenium continuam verberationem pyrobolis & bombis, ut vocant maioribus, ignem in turres, equilia, & aream sparsissent, absque tamen graviore militum læsione vel damno sopitis & extinctis missilibus ignibus: adventu Cæsareanorum territi, solverunt obsidionem, & abiecta potiundi spe, castrum, oppidum & teloniũ salva Collegio METROPOLITANO reliquerunt, obcæcati divino beneficio, quod semper neglectis infirmioribus oppidi locis, ubi firmior erat munitio, roburque præsidii pro muro stabat, castrum aggrederentur nam cum hiatum moenium aggere clausissent milites, & impressionibus eorum loricam obiecissent, impetum & incursiones muros adscendentium cum clade semper feliciter repulerunt, sanctis Regibus & aliis Divis pro clientibus suis decertantibus. Vidi postea cum locum inspicerem, laceros alibi muros, & hiantes, alibi inhærentes iis globos ferreos, vel excussos vi tormentorum lapides, deiectam turrim, tecta pyrobolis perforata: signum Marianum in editiore muro pulcherrimum nullis immundiciæ notis sordidatum, quod eminus viatores Angelica salutatione solent honorare. Atque ita triumphi Soncensis partem sibi Deipara virgo, partem S. Petrus, partem etiam Sancti Reges videntur vindicare, METROPOLITANAE Basilicæ simul omnes Divi tutelares, ut cultus eorum in æde principe cursum suum in tantis bellorum tempestatibus tenuerit, & Deipara musico quotidiano sacro fuerit honorata. Imo augeri coepit eo tempore cultus SS. Regum, & vetus increbrescere consuetudo, nomina SS. Regum tactu craniorum consecrata spargendi in vulgus, antiquis statim prodigiis instauratis: nam epileptica mulier Coloniæ, Tabernis in Alsatia Sacerdos, & alii eo correpti morbo iussu Serenissimi Decani applicitis eis amuletis sacris ilico revaluerunt: unde iam per Germaniam passim vehementer expetuntur, & complu-ribus fertur sanitas impetrata.

propitiis cœlitibus.

SS. Reges etiam epilepticis opitulantur

Septennium est, quando Serenissimo Decano Vindicatam S. Vrsulam obtuli, & ille amica cum reprehensione Reges à me flagitare, principes Archidioecesis & civitatis Tutelares; obtuli promtè exilem licet meam operam ad eorum quam primum perficiendam historiam: vicissim Serenissimus Princeps non destitit è membranis pervetustis, & aliis monumentis primigeniam eorum translationis narrationẽ, res gestas, prodigia, bullasque suppeditare: mihi quoque ideam METROPOLITA-

vrgetur eorũ historiæ scriptio.

NAE

NAE vestræ Basilicæ pro historiæ ornamento flagitanti Humanissimè commodastis exemplar primigenium turrium duarum in membrana sedecim fermè pedes longa ante quadringentos circiter annos, cum tẽpli fundamenta jacerentur, exquisitè, diligenterque delineatum quod septuplo contractius, servatis lineis ferè omnibus, & dimensionum, singularum æqua proportione, ac omni architecturæ artificio ipsarum turrium & fronte occidentalis ædificii, velut operis totius regii gemmam nobilissimam cum eadẽ historia Serenissimo Decano & Capitulo universo humillimè repræsento & offero: adjeci templi totius, turrium, sacellorum & portarum vestigium, formamque totam testudinis & concamerationis tam navis templi, quam brachiorum trãsversæ crucis: unum vovens & optans, ut sua Serenitas & Illust.^mæ ac RRev.^mæ DD.^es VV.^æ resumtis prius post tot bellorum turbines viribus ad ejusdem augustissimi templi fabricam instaurandam & testudinem toti templo imponendam animos & curas convertant.

indira ei idea sumi templi, & vestigium ejus.

Nam à turribus ædificandis initio merito deterrere potest operis magnitudo, sumtuum immensitas & temporis diuturnitas: vix enim sesquimillionem auri, & annorum ferè centum tempus suffecturum prudentes ad eas conficiendas arbitrantur, nisi operæ vehementer multiplicentur: at templi tota concameratio speratur sesqui vase auri partibus omnibus ad turres usque à rerum peritis & ferè decennio perfici posse, ut Sanctorum Regum corpora ad suam stationem & locum quietis deducantur. Id ut ætate nostra fiat, boni omnes vehementer optant, Serenissimus Archiepiscopus & Princeps Elector: qui locum eundem ante biennium primo suo Archiepiscopali sacro plurimum honoravit, ardenter desiderat, mihique exeunte anno superiore decimo quarto Decembris ut, cum nonnihil Archidiœcesis respirarit, resummendam Deo propitio structuram & templi fornicationem in hoc opere publicarem, Clementissimè mandavit. Ideo totum hoc opus regium, quo encomium & historiam omnem Sanctorum Regum sum prosecutus, mecum præconem aget ubique terrarum continuum, quocunque pervenerit, ut illos Ecclesiæ Christianæ nascentis è Gentibus primos Patriarchas, Evangelistas & Apostolos, quibus omnes è Gentibus proseminati plurimum obligantur ob hereditatem & adoptionem cœlestem ab eis cunctis aliqua ratione impetratam, vicissim eos honore congruo venerentur & ad tumulos & custodem corporum eorundem Ecclesiam perficiendam consilium, sumtus vel operam conferant.

optatur illius concameratio

Habuit Serenissimus Princeps Decanus idem pridem in votis, ut ætate nostra structura instauraretur: ac totius orbis Christiani Monarchæ & Reges, ac primariæ familiæ præsertim istæ, quarum propinqui vel fratres & filii in Collegium METROPOLITANUM adscripti sunt, ad arcum unum è tredecim majoribus, construendum permoverentur, quibus tota concameratio sublimior templi, quæ Chori celsitatem æquabit, ad turres usque absolvetur. In Collegis vestris veneramini Sanctissimũ

imploranda subsidiũ Regũ.

D.N.

D. N. Romanum & Ecclesiæ totius Catholicæ Pontificem Maximum, ac Augustissimum Imperatorem ac Regem Romanorum, utinam ab iis, conjunctis impendiis, arcus maximus & cor Ecclesiæ, locus quietis Sanctorum Regum insigni aliqua turricula vel cupula decorandus, perficeretur. Proximos tres arcus sacello regio ad austrum, aquilonem & occidentem tres Reges Hispaniæ, Franciæ & Poloniæ jure sibi vindicabunt. Forte & S. R. E. Cardinales aliquot, & Principes Electores Sacri Romani Imperii deposcent locum aliquem mausolæo post Regum arcus propinquiorem, ubi eorum insignia in fenestris & testudine splendeant. Nec negligendi Archiduces duo Austriaci Canonici vestri totidemque Magni Heoruriæ Duces, ac inclytæ domus, Bavarica, & Neoburgica aliæque principes familiæ vobis quam mihi notiores. Quin & Suffraganeæ Sedes Monasterienſis, Leodiensis & Mindensis implorandæ.

à Capitulo inchoandum opus.

Facem tamen exteris præferre jure domestici debent: ab his ducendum initium, comparanda ad fabricam necessaria, mons Drachenfeltzius expurgandus, latomi conducendi, navis & apparatus omnis fabrilis, normæ, regulæque ac id genus alia procuranda, ut fama resumendæ structuræ METROPOLITANAE beneficos provocet, cum viderint pecuniam non in rem aliam, sed solam regiam ædificationem templique fornices impendendam corrogari: quæstores idoneos constitutos, qui summa fide in operas & res necessarias oblata partiantur: nisi forte Reges aut viri Principes benefici malint per suos clientes & fidos quos norint institores suam pro concamerando intercolumnio suo dispensare pecuniam, id si benefactorum arbitrio relinquatur, plures alliciet ad ædificationem promovendam.

Nam si nondum evoluto biennio, Madriti in Hispania, & in Melitensi Insula reperti sunt, qui ultro missis donis sanctos Reges honorarunt: multo magis ad hanc memphiticam constructionem adjuvandam, cum ejus instauratæ primordia feliciter esse capta percrebuerit, privati etiam accendentur, & Principes exteri.

Quibus libenter optio danda in arcubus etiam, quos construere suis impendiis voluerint eligendis: cum multi exstare desiderent in talibus orbis miraculis familiæ suæ tesseras gentilitias.

Cedent inquam libenter his domestici gloriam illam: ut si externorum solorum impendiis absolvi concameratio possit, horum locorum sumtus in turrim alteram perficiendam impendantur. Neque hujus absolutio, opere semel inchoato, desperanda videtur: cum celsitudo turris, ut ex idea perspicere licet, sensim tenuetur, sumtusque vehementer in fastigii gracilitate minuantur.

Reuschenbergici

Ferunt, ætate nostra Henricum Reuschenbergicum Commendatorem

torem Teutonicum Bieſſenſem annis amplius 50. doluiſſe ſibi facultatem & occaſionem deſuiſſe ſummi templi Colonienſis ædificationem inſtaurandi & Deo propitio perficiendi; tantos ei animos addiderat veſtigal domeſticum parſimoniæ & ex uno beneficio collectæ opes, quibus pleraſque fere provinciæ ſuæ domus Teutonicas curæ ſuæ creditas novis proventibus, agris vel fundis auxit: arces plures fatiſcentes vel inſtauravit, vel à fundamentis ædificavit, novam ordini domum Teutonicam ad Carmelitas, ubi tumulum elegit, excitavit & maximis ditavit opibus: quas omnes ſi in ſolam ſtructuram METROPOLITANI templi inſumſiſſet, magnam ſe fabricæ partem perfecturum fuiſſe, auxilio præſertim aliorum etiam fultum, exiſtimabat. Nec deſunt hodie Capituli veſtri collegæ, qui de oeconomiæ laude, fama prudentiæ, vel architecturæ peritia nihil concedant Reuſchenbergio: opes etiam archidioeceſis & ejus beneficiorum majores ſunt, unde ſumtus colligantur, animus non deſit, induſtria, cura, labor: Nam ſi fidi præficiantur quæſturæ, vigilantes operis, ſolertes tractandis cum fabricæ directoribus & architectis negotiis: prudentes ineundis conſiliis, conſtantes & alacres in ſuperandis moleſtiis, tolerandis laboribus, rebus ad exitum perducendis, impenſæ non deerunt & plures ad ſumtus offerendos animabuntur: erunt etiam qui gratis operam ſuam commodent, præſertim cum Petrina ſodalitas à quadringentis ferè annis in ſubſidium fabricæ inſtituta, magniſque diœceſis, Archiepiſcoporum, & ſummorum Pontificum privilegiis & indulgentiis ornata, inſtaurabitur, cujus ſodales vel annuum cenſum pro facultatum ſuarum viribus pendant, vel aliquoties gratis operam ſuam offerant: vel quoties res difficilis & periculoſa urget vocati conſilio iuvent.

Commendatoris ædificandi ſtudium.

imitandū.

electis idoneis adminiſtris.

Sodalitate *S. Petri* inſtaurata.

Plurimum verò conferent idonei concionatores & locorum omnium Parochi ad inflammandos divitum animos ut opitulentur vivi, vel legatis ægri: quibus ne deſit materies encomiorum Sanctorum Regum, ea copioſius primis duobus tomi ſum proſecutus, addito indice concionatoribus accommodato, ut per totum anni curriculum in eorum excurrere laudes & geſta poſsint, & Hæreticorum calumnias ac æmulorum obtrectationes, qui tantum theſaurū Eccleſiæ veſtræ ereptum eunt, convellant, ſtabilita non ſummorum tantū Pontificum bullis & coævorum teſtimoniis, ſed divinis etiam miraculis variis in locis tempore translationis editis, & tot populorum traditionibus, veſtigiis & inſcriptionibus teſtata corporum tranſvectione Coloniam, ut nequeat amplius vocari in diſceptationem: adeoque magis omnes, ipſa tantorum pignorum veritas certa commovere debeat ad mauſolæum eis dignum in ſtatione & loco quietis eis deſtinato erigendū. Veſtrū jam erit Sereniſsime Princeps Decane & Ill.^mi RR.^mi; DD. Capitulares, providere, ut maturo conſilio, re omni deliberata & conſtituta ſuo tempore facillimis & efficaciſsimis viis operis licet arduū

Concionatorum & Parochorum auxilio adhibito.

felix

felix à Capitulo ducatur initium. Aderit Sereniſsimus Elector, Archidiœceſis & Civitas: momentum magnum erit ad SS.mo D. N. Romano Pontifici, Cæſari, Regibus Cardinalibus, Electoribus & primariis familiis perſuadendum, ut ſubſidiariam præſtent opem, cum à domeſticis capta primordia fabricæ cognoverint, pace his locis firmiter Vobis autoribus ſtabilitâ, & reductâ commerciorum libertate: ut liceat ætate noſtra Sanctos Reges ſolenni pompa ad deſtinatum eis quietis locum deducere. Optant hoc pii mortales in terris, & ipſi Reges in cœlis immortales: communis voti ſi utroſque compotes effeceritis, vobis ipſis in coeleſti beatorum domicilio æternæ quietis ſolium Regium gemmis & margaritis variegatum erigetis. Coloniæ 25. Martii ipſo Annunciationis Deiparæ feſto die Anno 1654.

Serenitatis Juæ & Illuſt.rum Reverend.rum

Dominationum Veſtrarum

Humillimus in Chriſto ſervus

HERMANNUS CROMBACH
è Societate Ieſu.

TOMVS III.

PRIMITIARVM GENTIVM HISTORICVS,

QVO

SANCTORVM TRIVM REGVM MAGORVM REDITVS, GESTA, MARTYRIVM, TRANSLATIONES

ET CVLTVS CVM EFFIGIE AVGVSTISSIMI COLONIENSIS METROPOLITANI TEMPLI CONTINENTVR.

LIBER I.

REDITVS MAGORVM, GESTA ET MARTYRIVM.

CAPVT I.

Cur responsum Reges dicantur accepisse: & de Regum fiducia in Deum, pioque somno.

BEZA veterem reprehendit interpretationem: nec enim propriè satis dici acceptum responsum putat, quod nulla præcesserit interrogatio: ipse vertit, *diuinitus admoniti*: at quis dubitet solicitos fuisse viros sapientissimos de reditu, viso & adorato paruulo, sic abiecto, & casibus quibusuis exposito: cum vt redirent eadem via facta Regi promissio vrgeret; vt alio deflecterent iam satis perspectum paruuli periculum impelleret? Demus tamen id periculum pueri ne cogitasse quidem: nonne iam à stella deserti, ducem iterum viæ non tam in terra, quam è cœlo exspectabant, qui tam admirabilem Dei prouidentiam dies tredecim experti fuerant: & cuncta geri non humana sciebant prudentia: sed æterno Dei consilio? Iam fontes ipsos infinitæ bonitatis reseratos degustarant, ideo totos se in sinum clementissimi Patris abiecerunt, quem norant & capillos capitis habere in numerato; huic calidissimis vesperi precibus reditum commiserunt, è diuina penduli prouidentia, ex qua fidentiâ animi tranquillitatem & tum experiebantur, & de felicissimo rerum euentu non poterant dubitare. Tenebant illud ratum, quod postea S. Augustinus nos monuit. *Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes; noli esse velle quasi proprius, & in tua potestate: sed eius clementissimi & vtilissimi Domini te seruum esse profitere: ita enim te ad se subleuare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias*; Nec illud ignorabant, quod S. Chrysostomus consulit, simili ex humana societate repetito. *Si quis sua despicit, & nostrorum curam assumit, quieti eius solemus prouidere, quanto magis Deus, qui etiamsi ad eum non conuertamur, non parua tamen erga nos & prouidentia vtitur: noli ergo de rebus tuis curare, ne Deus minus de illis prouideat: vt igitur magna cura tuas res complectatur, ipsi vniuersa committe: nam si tu spiritualibus omissis ea tractabis, immorem Deus de ipsis curam habebit, vt igitur res tuæ feliciter gubernentur, & tu solicitudinis expers sis, sequere spiritualia, contemne secularia.* Currus quidam prouidentiæ supernæ tutissimus, tranquillissimus, iucundissimus est, quem infinita sapientia velut auriga moderatur, solus ille semper pacatus, hilaris, & felix æstimandus, qui hoc vectus finit se quibuscunque in euentis secundis & aduersis à Patre sui amantissimo & sapientissimo

Beza obiectio.

confutatur.

Fiducia Regum in Deo.

Oratio vespertina.

S. Augustin. in 1. l. 1. soliloqu.

omnia nostra Deo sunt committenda.

S. Chrysost. ho. 69. sua-pere. 21. Matt.

ipsi cura de nobis.

tales curru diuinæ prouidentiæ securè vehuntur.

auriga Deo

tissimo gubernari: non poterit tali rectore exitus rerum non esse fortunatissimus, vt præclarè dixerit Theodoretus: *Gubernatorem habeas Deum & aurigam, & res tuæ ab illa prouidentia pendeant; nam hoc modo inconcussus manebis & immutabilis*: Itaque SS. Reges cum sub noctem Christo sponso se & reditum precibus commendassent: sanctis de Deo cogitatibus occupati, quieti membra composuerunt, vt alacriores, paululum refectis de itinere viribus, iterum se ad reditum compararent. Qua in re altero nobis exemplo præluxere cum incumbendum est, sanctis mentem cogitationibus esse præmuniendam: vt ipsis indormiat, & diuina potius quam fœda & vana somnia patiatur, sed dum corpus dormit, cor vigilet, mens diurnis etiam in negotijs circa cœlestia occupata de ijsdem noctu speculetur. Appositè S. Bernardus *Iturus in somnum aliquid tecum defer in memoria & cogitatione, in quo placidè obdormias, quod etiam somniare iuuet, sic tibi nox, vt dies illuminatur: & nox illuminatio tua in delicijs tuis: placidè obdormies, in pace quiesces; facile vigilabis, & surgens facilis eris ad redeundum in id, vnde non totus discessisti.* Faciebat hoc sponsa Cant. 3. *in lectulo meo quæsiui, per noctes, quem diligit anima*: Quæsiuit eundem noua Gentilitatis sponsa, velut sponsum ardua in re sponsi non honorem, sed vitam etiam concernente, parata sequi dilecti consilium: dicebat igitur, *ego dormio & cor meum vigilat*. Vigilat inquam ad Dominum cum Samuele paruulo, & Domino inclamante: *loquere Domine, quoniam audit seruus tuus*. Vel cum Psalte regio: *Audiam, quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam*. Huic igitur tam ardenti & piæ interrogationi respondit nocte in somnis Dominus, vt non otiosè videatur Euangelista potius *responsi*, quam *admonitionis* vocem vsurpasse. Hoc asserit S. Thomas, cum ita quærit. *Sed quomodo responsum acceperunt Magi, cum non interrogauerunt? Sed dicendum quod Dominus respondet aliquando interrogationi mentali; & isti intus quærebant, quid placeret Deo de reuersione, Exodi 14. Quid clamas ad me? & Glossa interlinearis sic respondet. Quia intus quærebant, quid vellet diuina voluntas de reuersione ad Herodem, Dei meruerunt responsionem, qua cognita veritate, non licet retroire.* Consentit Albertus Magnus. *Oraculum per modum responsionis datum est, non enim dubium est, quin semper à Deo corde quærerent, vt viam eorum in pace dirigeret, & huic desiderio respondet oraculum, & in Deut. Dominus Deus adest cunctis obsecrationibus nostris: simile est Exodi 14. Vbi non ore, sed corde clamanti Moysi, respondit Deus, quid clamas ad me. Ps. in via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Ita nunquam deserit sperantes in se Dominus; firmat super eos oculos suæ misericordiæ, continuis & fixis eos oculis vbique intuetur, matris instar solicitæ, dum primos filiolum docet formare gressus, nunquam auertit alio obtutum, ne titubet pede vel deerret.

de Deo somniandum.

Cant. 5.

1. Reg. 9.

responsum accipiunt.

pulcra S. Thomæ expositio.

Glossa.

Albertus Magnus. in 2. Matth.

CAPVT II.

In somnis cautè discernenda diuina ab alijs somnijs per spirituum discretionem.

DIFFICILE prorsus & periculosum diuina quandoque ab humanis imo diabolicis secernere somnijs: sæpe enim spiritu ducimur vano, & cœlestem ex arrogantia nobis fingimus, ob fraudes veteratorias inimici, sic pijs interdum desiderijs obsecundante, vt incautum præsertim iuniorem decipiat. Varietatem spirituum sanctus Ioannes insinuat, & cautos nos esse cupit. *Charissimi nolite omni spiritui credere; sed probate, vtrum ex Deo sint.* Ita multum & sæpe Spiritus Sanctus nobis exorandus, vt dono consilij nobis adsit, & quæ iusta ac sequenda sint nobis proponat, vt ipsa nobis rerum veritas demonstretur, monitum id sancti Bonauenturæ est, *In omnibus igitur, inquit, reuelationum & visionum generibus magna cautela adhibenda est, ne fal-*

necessitas discretionis spirituum.

1. *Io. 4.*

à Deo petenda. est,

S. Bonauen.

falsa pro veris; noxia pro salutaribus; exigua pro eximijs; & incerta pro certis recipiantur: solus enim Spiritus S. per donum consilij, & per gratiam discretionis spirituum, scit hominem expedire, & certum reddere, quid in illis recipiendum sit, vel respuendum, & quando eis vtendum: sicut & Prophetas & sanctos docuit, quibus non solum vera ostendit, sed etiam per veritatis testimonium, quia vera essent interius demonstrauit. Certe Prophetæ diuinitus inspirati, non tantum cognoscebant veritatem eorum, quæ videbant, sed Deum etiam esse, per quem ea daretur cognitio: vt ideo toties vulgatum in scripturis initium: dicit Dominus, vsurpetur.

obtinetur à Spiritu S.

Quamuis vel ex subiecta materia, vel causa seu fine quo vergit, vel effectis relictis potest nonnunquam ipsius impulsus autor intelligi, vt bene sit obseruanda S. Bernardi varietas spirituum enucleata cum ijs, quæ cuique propria & peculiaria sunt. *Quatuor*, ait, *spiritus loquuntur assidue: spiritus mundi, spiritus carnis, spiritus diaboli, & spiritus Dei: spiritus mundi loquitur vana, spiritus carnis loquitur mollia carni, spiritus diaboli loquitur, quando amara cogitamus, & aspera proferimus: spiritus Dei loquitur, quando dulcia meditamur, & loquimur; diabolus clamat; ego decipiam: mundus clamat; ego deficiam; caro clamat; ego inficiam: Christus vero clamat, ego reficiam*: Hic lydius lapis est, quo possit illa diuersitas & cognosci, & afflatus vnius ab alterius secerni.

è tribus diiudicari potest. *S. Bernard. lib. de conscientia. c. 4.*

varietas 4. spirituum & proprietates eorũ. spiritus mundi. carnis. diaboli. Dei.

Iam in ipsis diuinis impulsibus, licet dum vigilanti accidunt minus periculi sit, maior videtur cum dormienti contingunt circumspectio adhibenda; quod tunc etiam sæpius dæmon Angelum lucis mentiatur, vt hominem incautum spe cie recti decipiat: nam vt fallant imprudentes sæpe solent præmittere visa nonnulla, quorum veritatem euentus confirmarit, quo cum experientia fascinauerit incautum, submittit, vana & veteratoria, quibus ludificet: vt omnis sit adhibenda solertia, consiliumque seniorum, ne fascino quodam suo sic paulatim mentem eripiat, & sui vana præfidentia teneat obligatum, vt in errorum deuia seducatur, ita curiosis maximè cauendum ingenijs, ne decipiantur; & illa S. Isidori monitio memoriæ diligenter commendanda. *Quædam*, ait, *reuelationes supernæ diuinitus fiunt in somnijs, sicut in Euangelio de Ioseph sponso Mariæ, qui vt fugeret cum puero in Ægyptum, somnio admonetur: & quamuis nonnulla vera sint somnia, facile tamen ys credi non opus est, ne forsan Satanas in Angelum lucis se transformans, quemlibet incautum fallat, & aliqua erroris fraude decipiat: quia nonnunquam dæmones quosdam curiosos obseruant, vt interdum aliqua vera pronuncient, vt in multis fallant.* Sed nota cœlestis oraculi videtur esse certa, cum Deus ipse (vt ante dixi) non tantum veritatem rei confirmat: sed etiam ipse attestatur à se cognitionem proficisci: quam attestationem clarius norunt, qui eam in se experiuntur, vt obseruauit in mysticis exercitatissimus Henricus Suson. *Cum plerumque fallant somnia, & interdum citra ambiguitatem verum significent, aduertendum est, quod S. Augustinus fertur de sua dixisse matre: ex illa audisse eo diuinitus munere præditam, si quid vel omnino dormiens, vel dormitans vidisset, simul illi à Deo præstitum discretionis donum, quo facile innotesceret, num vulgare esset somnium, ac eo ipso nihil prodendum; an imaginaria visio non negligenda. Quotquot idem donum à Deo consecuti sunt, possunt huiusmodi certius & facilius facere discrimen, quod nemo alteri potest commodè verbis tradere, solus is animaduertit, qui accipit*: Idem Barradius noster sentit, qui cum de visione Angeli, quæ dormienti S. Iosepho fuit oblata differit, ita loquitur: *visus est ergo & locutus Angelus cum Iosepho dormiente per species phantasiæ impressas, quæ Angelum & præsentem, & loquentem repræsentabant; huiusmodi autem visio dormientium est, & dormienti Iosepho conueniebat; certissimè vero cognouit tum Dei istam esse reuelationem; tum quid significaret: etenim cum Deus, vt alicuius rei cognitionem tribuat, somnium immittit: id ita agit, vt in certissimam homo reuelationis reique cognitionem adducatur.* Quorum sententia siue in vigilia, sine in somnis accidat diuina visio, sua non caret certitudine; ita vt cui per quietem etiam res ea declaratur, omnino certus sit haustam cœlitus esse

curiosis cauenda. *S. Isidorus lib. 3. sent. c. 6.*

attendatur ad Dei attestationem. *Henricus Suson in appendice c. 19. p. 339.*

quæ experientia sola habetur. *Barradius to. 1. lib. 8. c. 8.*

Deus reuelat rem & reuelationem.

an perfectior sit, quæ vigilanti vel quæ dormienti fit.

cognitionem; sed vtra perfectior sit exquiri potest; in Vrsulanis alibi probaui eam, quæ vigilanti sit esse nobiliorem; hoc tamen addo, quandoque quæ dormienti offertur, virtutem & fidem videntis indicare singularem. *Hoc sensu*, S. Chrysostomus ait, *& cur in somnis & non potius apertè sicut Pastoribus Ecclesiæ apparuerat Angelus & virgini? Quia scilicet erat vir prorsus fidelis, & manifestiori reuelatione non indigebat.* Quamuis & illa fuerit huius visionis perfectio, quod plane voluntatem Dei ex ea cognouerit, crediderit & ei fuerit obsecutus: de quo ita Druthmarus, *Tria ponuntur genera visionum, vnum per corporeos oculos, sicut Abraham & Loth Angelos viderunt & locuti sunt cum eis; aliud in corde: sicut Danieli locutus est in corde, quæ Balthasar oculis corporalibus viderat, & non intellexerat: tertium in somnis, & in corde: sicut ad Isaiam, & omnes prophetas, & ad Iosephum Virginis sponsum, quæ visio excellentior est alijs, nihil enim prodest oculis videre corporalibus, sicut vidit Balthasar, nisi quis & mente videat, sicut vidit Daniel visionem: similiter nihil prodest videre in somnis, vt vidit Pharao, & Nabuchodonosor, nisi adsit quis, & videat, vt vidit Daniel & Ioseph; hoc ergo modo, quo perfectis ab initio locutus est Deus, eo etiam modo locutus est Iosepho sponso Virginis: quia quæ vidit in somnis, intellexit & credidit.*

Io. 4.

Druthmar. hic.

diuersi oraculorum gradus.

perfectio huius responsi.

Ad hoc ergo genus spectat sanctis Regibus per quietem oblatum visum: quo itineris ineundi rationem clarè perspexerunt, perspicueque cognouerunt diuinitus id lumen aduenire: vt nullæ potuerint præstigiæ mentem ipsorum deludere.

CAPVT III.

An per Angelum sit ea facta reuelatio, vel per Deum proximè.

PEr Angelos velut administros solet Deus plerumque admiranda perpetrare, quæ tamen in scripturis Deo tribuuntur, per eosdem solet suam voluntatem hominibus aperire, varijs tamen & multiplicibus modis, quos S. Gregorius pulchrè persequitur: ego sententiam eius in pauca contraham. 1. verbis tantum sine imagine: oranti enim Christo Pater *clarifica filium tuum*, vox cœlestis insonuit, *& clarificaui, & iterum clarificabo. Deinde* non verbis: sed solis signis: vt Ezechieli monstratum in igne electrum, indicabat Deum corporatum, *Tertio* verbis & signis: vt cum Deus in paradiso increpuit Adam, *Quatenus*, ait S. Gregorius: *peccator homo & per verba, quod fecerat, audiret, & per deambulationem amisso æternitatis statu mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret. Quarto* speciebus phantasiæ nouis impressis. Vt Iacob scalam cœlo subnixam per quietem vidit Gen. 28. & Act. 16. vir Macedo Paulum rogauit, transiret in Macedoniam. *Quinto* adsumtis corporibus, vt oculis ipsis adspectabiles videantur, sic Abraham tres viros vidit, hospitio recepit, pauit, *Sexto, Angeli non videntur per imaginationem: præsentiam tamen suam spiritualem cum Dei voluntate manifestant*: quo passim modo Iosepho & alijs in somnis apparuerunt, & SS. Regibus fecisse complures autores tenent. Origenes. *Sed quoniam Deus erat is, qui potentior Angelis, homines adiuuantibus seruator humani generis aduenerat, confestim Angelus pietati Magorum, qui Iesum adorauerant, retulit præmium oraculoque monuit, ne irent ad Herodem.*

S. Greg. lib. 28. c. 2.

modi varij quibus Deus nobis per angelos loquitur.

Gen. 18.

qui velint per Angelum datum Magis responsum.

Origines lib. 1. contra Celsum.

S. Chrysostomus: *postquam igitur duxit, & manu duxit, non iam per stellam sed per Angelum eis loquitur, ita paulatim meliores fiebant.*

S. Chrysost. ho. 6. 2. Matt.

S. Thomas: *sed nunquid sunt reuelationes immediatè à Deo? S. Dionysius probat quod non nisi mediantibus Angelis, quare ergo non nominat Angelum? sed dicendum quod quandocunque scriptura facit mentionem de Deo, & non de Angelo, hoc fit per quandam excellentiam illius manifestationis: vnde quod dicit Glossa, quod immediatè fiat per Deum, refertur ad modum loquendi scripturæ.*

in 2. Matt. S. Thomas. S. Dionys. Abulensis. Lyranus. Barradius. Euthymius.

Idem sentiunt Abulensis, Lyranus, Barradius, sic Euthimius ait, *antequam puerum vidissent, stella ducatum eis præstitit, postquam autem viderunt, Angelus deinceps quasi iam sanctificatos alloquitur.*

Theo-

Teophylactus : *Primum eos Deus per stellam ad fidem adduxit, deinde cum venerunt Hierosolymam, docuit eos per Prophetam, & tandem per Angelum.* Pro hac sententia facit reuelatio S. Franciscæ Romanæ, quæ sic narrat accidisse. *Mox lætitia gestientes incredibili, diuino quodam somno sopiuntur : tunc quamuis innumera geniorum hymnidicorum multitudo emodulatis vocibus concineret, Magi tamen non nisi tres eorum videre sibi visi sunt monitores per quietem, ne relegerent iter in patriam per Hierosolymitanam vrbem : sed alia redirent via.* Theophylactus vita S. Francisc. cæ l. 3. c. 16.

Contra sentiunt alij duce S. Hieronymo fuisse, à Deo proximè, non vero per Angelos & institutos, & de reditu informatos. Contraria sententia verior.

S. Hieronymus : *Responsum Magi accipiunt, responsum autem, quod Græcè dicitur* χρηματισθέντες, *non per Angelum fit, sed per ipsum Deum, vt meritorum priuilegium demonstraretur.* S. Hieronymus.

Conformie hoc doctrinæ S. Augustini : *Cælum*, inquit, *cæli Domino, qui quorundam sanctorum mentes in tantum erexit & sublimauit, vt nulli hominum, sed vni Deo dociles fierent.* S. Augustinus in ps. 113.

Ratbertus : *Et notandum est, quod non per Angelum, vti ad Ioseph hæc prèonsio facta dicitur ; sed sanctorum Patrum traditio est, ab ipso Domino diuinitus imbutos fuisse, quia neminem alium constat viam regressionis ad patriam vsquam: instituisse, præter eum, qui se viam præbuit imitabilem ; vt per ipsum, ad ipsum tendentes, quandoque patriam repetamus : hinc ait ipse de se : ego sum via, veritas, & vita Ioan. 14. per quam viam gradiendo quisque incedit sine errore ; ad vitam sequendo veritatem ingredietur.* Ratbertus.

Glossa ordinaria : *Hæc responsio non fit per Angelum, sed per ipsum Deum.* Glossa Haymo.

Haymo : *Non vt quidam putant ab Angelo sunt moniti Magi in somnis ; sed ab ipso Domino, ne redirent ad Herodem ; quia indignum erat, vt fierent Christi proditores, qui eius fuerant adoratores.*

Druthmarus : *Sicut solent Reges terreni legationibus responsa reddere, similiter facit Dominus Regibus, qui ad se adorandum venerant, ipse per se reddidit responsum etiam in somnis.* Druthmarus.

Zacharias Chrysopolitanus : *Pro affectu desiderantes quod diuina iuberet voluntas, accipiunt responsum, non per Angelum ; sed à Deo diuinitus edocentur.* Zacharias Chrysopolitanus. in c. Matt.

Iansenius : χρηματισθέντες *dicuntur oracula, quæ redduntur à quodam numine, sed petentibus, & consulentibus : Itaque & eodem verbo Euangelista & postea vtitur, cum Iosephum Ægypto redeuntem, & dubitantem, num in Iudæam secedendum esset, admonitum dicit, vt in Galilæam iret, non vtitur autem hoc verbo, cum admonitum dicit, vt vel in Ægyptum fugeret, vel inde rediret : eodem vtitur & Lucas cum Simeonem dicit responsum accepisse à Spiritu Sancto. Porrò Hieronymus putat* χρηματισθεν *dici cum Deus non per Angelum, sed per se respondet.* Iansenius.

Franciscus Lucas : χρηματισθεν *inter cetera est, responsa dare legationibus, dum ad magistratus refertur ; ad Deum relatum consulentibus aut petentibus oracula reddere : agitauerunt secum Magi, an ad Herodem redeundum esset, etiam forte stellæ ductu destituti desiderauerunt signum diuinæ voluntatis, itaque oraculum eis in somnis reddidit Deus per Angelum* (quod existimant Græci) *per se Hieronymi est sententia ecce autem dispensationis ordinem, quem seruauit Deus : sensim illos ad sublimiora prouehens. Primum enim quoniam spectandis sideribus vacabant, noui sideris ortu ad sui cognitionem quasi manu duxit, progressos vaticinijs Prophetarum docuit : ad se adductos per se erudiuit.* Franciscus Lucas. gradus reuelationũ Magis factarum.

Consentit Salmeron, qui χρηματισθέντες explicat *Deum aliquem suo alloquio & sermone dignari*, sed corrigit hoc modo Hieronymum quem prius recitat. *Adnotat Hieronymus responsum, quod Græce dicitur* χρηματισθέντες, *non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum, vt meritorum Ioseph priuilegium demonstraretur : quis non videt in his verbis paucis lapsum esse S. Hieronymum? dicendum erat, vt constat ex præcedentibus, vt meritorum Magorum priuilegium demonstraretur.* Salmeron & S. Hieronymi correctio.

Defendit S. Hieronymi verba Morales c. 1. Matth. *Verba*, ait S. Hieronymi : *debitè in fauorem sanctissimi Iosephi intelligi possunt, & interpretari, quod scilicet cum S. Ioseph. ita excellenter fuisset dispositus, vt in sanctitate omnes veteris testamenti* eiusdem defensio. Morales.

Patres, imo in gratijs gratum facientibus, ipsos etiam Apostolos superauerit; ad credendum, & in omnibus Deo parendum, non eguit apparitione, nec reuelatione à Deo immediatè facta, sed per eius Angelum tantum; Magi vero quasi modò geniti infantes, lactandi fuerunt ex D. Hieronymi sensu responso à Deo immediatè exhibito.

S. Iosepho & Magis similè per Deum est datum responsum.

Ego sic saluo meliori iudicio statuo: oraculo per Deum proximè facto, & fortè speciebus intellectui nouis infusis, ipsius responsi summam indicari dignitatem, & ideo rectè multi hinc Magorum, & ipse Salmeron priuilegium colligit: imo & S. Hieronymus inde non exclusis Magis, etiam deducit: S. Iosephi excellentiam, qui simili oraculo (sicut ex Iansenio docui) iussus est in Galilæam recedere; vt ea vocatio sit ei, quæ per Angelum Pastoribus accidit, præferenda.

Deus per se Magos sæpe docuit

Ideo verisimilius mihi videtur, sicut antea non Angelica, sed diuina institutione (iuxta concordem SS. Patrum sententiam) mysteria nati Christi didicerunt, (quod fusè probaui alias) sic & modo simili ratione, nouis forsan intellectui impressis speciebus, fuisse ad iter aliud capessendum inflammatos.

S. Augusti. lib. 11. C. D. c. 2. to. 5.

Ne vero talis Dei locutio noua prorsus & inusitata videatur, eam ex sanctis Patribus confirmabo. S. Augustinus: *Deus cum homine non per aliquam creaturam corporalem loquitur, corporalibus instrepens auribus, vt inter sonantem & audientem aëria spatia verberentur; neque per eiusmodi spiritualem, quæ corporum similitudinibus figuratur, sicut in somnis; vel aliquo alio tali modo: nam & sic velut corporeis auribus loquitur; quia velut per corpus loquitur, & velut interposito corporalium locorum interuallo, multùm enim similia sunt talia visa corporibus; sed loquitur ipsa veritate, siquis sit idoneus ad audiendum mente non corpore, ad illud enim hominis ita Deus loquitur, quod in homine ceteris, quibus homo constat est melius: & quo ipse Deus solus est melior, quia ea sua est propinquior superiori Deo, qua superat inferiores:* mentem intelligit & intellectum: cuius ex tali alloquio stuporem ita describit: *Quis comprehendet? quis enarrabit? quid illud est, quod interlucet mihi, & percutit cor meum sine læsione, & inhorresco & inardesco: inhorresco in quantum dissimilis ei sum, inardesco in quantum similis ei sum, sapientia ipsa est, qua interlucet mihi discindens nubilum meum, audiat te Dominus intus sermocinantem, qui potest.*

loquitur homini per solum intellectum.

Lib. 11. confes. c. 11. t. 1.

modus loquentis Dei.

S. Gregorius lib. 10. mor. c. 2.

Clarius eundem loquendi modum & efficacitatem S. Gregorius aperit, *cum per se metipsum, ait, loquitur Deus de verbo eius sine verbis & syllabis cor docetur: quia virtus eius intima quadam sublcuatione cognoscitur; ad quam mens si plena suspenditur, vacua grauatur; pondus enim quoddam est, quod omnem animam, quam replet, leuet; incorporeum lumen est, quod & interioria repleat, & repleta exterius circumscribat: sine strepitu sermo est, qui & auditum aperit & habere sonitum nescit.* Probat id subiectis exemplis, *Et cum Reginæ Candacis currui præsidens iter caperet, atque Isaiam iam intelligens in omnibus haberet, in corde nimirum spiritus Philippo dixerat & adiunge te ad currum Act. 8. Et cum ad vocandum Petrum timentes Deum milites Cornelius dimisisset, in mente procul dubio à spiritu Petrus audiuit: Ecce tres viri quærunt te, surge itaque descende, & vade cum eis; spiritum enim Dei quasi quædam verba dicere, est occulta vi ea, quæ agenda sunt, intimare; & cor hominis ignarum non adhibito strepitu & taraditate sermonis peritum repente de absconditis reddere.* Facit eas æpe Deus noua specierum spiritualium in intellectum infusione, quod nec Angeli potest opus esse: vt etiam aduertit Rusbrochius: *Interdum vero quidam supra se ipsos & spiritum suum, non tamen extra se ipsos in quoddam incomprehensibile rapiuntur bonum, quod eo modo quo ipsum vel viderunt vel audierunt, nullis vnquam verbis exprimere aut indicare valent; etenim in hac operatione & visione simplici audire & videre vnum sunt; nec potest hoc agere quisquam in homine, nisi solus Deus: qui etiam citra mediam vel cuiuslibet creaturæ operationem id efficit.* Quod si igitur S. Thomas (qui in catena refert, & sequi videtur sanctum Hieronymum) in expositione S. Matthæi neget ex S. Dionysio, Deum nisi per Angelos nobis loqui, de via communi est accipiendus, non de priuilegio, quo quandoque S. Iosephum & SS. Reges decorauit: vt rectè Suaretz dixerit. *Hoc genus reuelationis esse valde extraordinarium, quate-*

per mentis elenationem.

lib. 2. sponsalium nuptiarum c. 25. pag. 332.

probatur exemplis 1. 2. *Act. 8. Act. 10.*

Quod nec Angelus potest facere in homine. obiectioni ex S. Thoma. respondetur. *Suaretz. 3.*

do scilicet eleuatur intellectus ad cognoscendum sine operatione phantasiæ, quia hic modus non est accommodatus animæ vnitæ corpori passibili, & ideo raro & tantum ex singulari priuilegio conceditur. Quod priuilegium minimè videtur sanctis Regibus denegandum esse, qui iam antea dono prophetiæ colluſtrati, ad interiores Dei loquentis voces cœperant, & animum aduertere, & iussa diuina sine remora perruptis innumeris obstaculis perficere. Fuerit igitur ratio reditus à Deo per species intellectui impressas indicata : phantasiæ interim tres Angeli adstare videbantur, singulorum fortè regnorum præsides, qui Reges incolumes in patriam reducerent, vt vidit S. Francisca : cum prius Euangelista significet.

CAPVT IV.

Simplicitas SS. Regum in promtâ & cæcâ obedientiâ.

SAPIENS monet simplicitas iustorum diriget eos, & supplantatio (seu fraus) *peruersorum vastabit eos*, velut pisces dum minoribus inhiant, vt incautos deuorent, ipsi in balænarum ora rapiuntur, & absorbentur. *Opiscis*, ait S. Augustinus : *prædari vis de paruo, præda efficieris maiori*, vt simplicitas, innocentia, & integritas iustorum mereatur à Deo, cœlestem omnibus in rebus tutelam, ne cassibus dolosis abditis irretiantur. S. Macarius: *Anguis*, ait, *quidem lubricus inter ipsas elabitur manus, columba supernè volans retia despicit; simplex verò fraudes & dolos facile defugit* : verè : quas non machinas, & dolos voluebat Herodes de puero : quas non de perdendis Regibus ? illi facilius, quam anguis lubricus è manibus ; quam columba supernè volans humi defixa retia effugerunt ; cœlesti monitu conseruati : *Simplices*, ait S. Hieronymus : *tuti sunt inter aculeos* : licet igitur lignea fronte conditum gladium mentiantur, diuinæ defensionis beneficio liberabuntur: *Quia iustitia simplicis, diriget viam eius, & impietate sua corruet impius, iustitia rectorum liberabit eos, & in insidijs suis capientur iniqui.* Recti & simplices cum essent Reges, & suo cunctos pede metirentur, nec de Herode dolosissimo fraudium quidpiam ante suspicabantur : redissent ad eundem, nisi Deus eos oraculo suo liberasset, & eius veteratorias artes detexisset. *Sed Magi*, ait S. Chrysostomus, *præ multa pietate nihil mali suspicantur : non enim opinabantur, quod in tantum ille malignitatis erumperet, vt tam admirabili dispensatione nato moliri auderet insidias : proficiscuntur itaque nihil horum penitus suspicantes ; sed ex propriæ simplicitate mentis etiam ceteros æstimantes*, Pari simplicitate redijssent, & in retia eius se induissent, nisi reditum eorum Deus direxisset. Bene S. Ambrosius simplicitatis opes describit. *Diues pax, diues fides : fideli enim, totus mundus possessio est : diues simplicitas ; sunt enim & diuitiæ simplicitatis, quæ nihil discutit ; nihil contractum ; nihil suspectum aut fraudulentum putat ; sed puro se fundit affectu* : hinc pax animi & tranquielitas, & mira mentis fiducia Deo nixa, cui simplicitas hominem proximum facit, vt Deus verè sibi maximè similes & velut Deos quosdam ardenter diligat, solicitè protegat, paternè foueat. *Qui tribuit*, ait S. Bernardus : *in simplicitate diligitur à Deo : & simplicitas candor est: nam næuus duplicitas : quid duplicitas nisi dolus? Certe inter entia simplicissimum omni prorsus concretione destitutum Deus est, cui simillimus affectu, & moribus simplex, sine vlla compositione doli vel alterius mixturæ concretus: est itaque*, ait S. Augustinus : *bonum solum simplex & ob hoc solum incommutabile, quod est Deus: ab hoc bono creata sunt omnia: sed non simplicia: & ab hoc mutabilia creata, sanè inquam, id est facta, non genita : quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est, Pater qui genuit, simplex est ; & filius qui genitus est, pariter simplex est ; sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est*; Itaque filij Dei simplices, & ex nulla compositione rerum coalescunt ; liberi sunt à contagione rerum creatarum, soli Deo conglutinantur, & eidem coniuncti ad perfectam veniunt simplicitatem, dum per nullarum aliarum rerum amorem diuiduntur ; sed in vnius Dei voluntate & amore conquiescunt. Varias vno in loco S. Bernardus :

laqueo suo dolosus capitur. *S. Aug. in ps. 46.*

euadit simplex & iustus. *S. Macarius ho. 40.*

S. Hieronymus epist. ad Pammachium. v. 5. v. 6.

S. Chrysost.

S. Ambros. securitas simplicitatis.

S. Bernar. ser. 81. Can. reddit hominem Deo similimum.

S. Augusti. 11. D. & 10.

S. Bernard. tract. de vita solit.

congerit simplicitatis descriptiones, quæ huc faciunt: *Animalitas*, ait, *ad Deum conuersa sit sancta simplictas: hoc est eadem semper circa idem voluntas, sicut fuit in Tob, qui dictus est simplex, & rectus, ac timens Deum, propriè enim simplicitas est perfecta ad Deum conuersa voluntas, vnam petens à Domino, hanc requirens, non ambigens multiplicari in seculo.* Amor & voluntas pondus quoddam est, eo fertur, quod amat, ei se coniungit, adhæret, conglutinat: igitur quot diligit diuersas creatas res, tot varijs entibus copulatur, amissa simplicitate; at cum se ab his diuellit, & in Dei solius amorem subuolat, redit ad primam suam simplicitatem & integritatem. *Pergit*, S. Bernardus: *vel simplicitas est in conuersatione vera humilitas, scilicet virtutis magis conscientiam amplectens, quam famam, cum non repugnet vir simplex videri stultus in seculo, vt sit sapiens in Deo.* Bellè hæc quadrant in sanctos Reges: famæ poterant suæ metuere, dum promissam Regi fidem negligunt: sed famam illi malebant deserere, quam conscientiam; obedire Deo, quam Regi; stulti videri non erubescunt, dum infantem pauperem adorant: Regem Herodem despiciunt, & non salutatum transeunt, subdit: *simplicitas ergo initium aliquod creaturæ Dei, id est voluntatem simplicem, & bonam quasi futuri boni hominis informem materiam in primordio conuersionis suæ offert autori suo eam formandam iam timore Dei operantis incipiente in eo omnem virtutum plenitudinem, dum per iustitiam defert maiori; per prudentiam non credit se sibi; per temperantiam refugit discernere: per fortitudinem totum se obedientiæ subijcit, non discernendæ sed adimplendæ.* Hæc illa nunquam satis Regum laudata simplicitas, qua in nouum hominem formati diuino quasi fatu de nouo nati sunt, *quasi modo geniti infantes*, totos se fingendos & regendos diuinæ prouidentiæ commiserunt: rudis instar materiæ, vel ligni: Deo igitur vt maiori omnia deferebant: non sibi, & suæ nitendo prudentiæ, sed voluntatem omnem diuinæ subijciendo, & confirmando: illud tenendo, rationibus etiam quæsitis defendendo, quod Dominus imperasset: non tamen discutiendo, cur id potius non aliud demandasset: est illa serpentis tartarei duplicitas. *Cur præcepit vobis Deus*, non cadit in Ecclesiæ sanctæ progenitores, qui cœlesti iam fatu editi, non nisi simplices & castas sine fuco, fallacijs & subtilitatibus proles amant. Quam argutè cœcam hanc obedientiam & columbinam simplicitatem excutit S. Chrysostomus: *Considera*, ait, *hoc loco Magorum fidem, qui in nullum hinc scandalum commouentur; sed ad cuncta tractabiles sunt, & æquanimes; nihilque omnino turbantur, neque ipsi secum disputant dicentes, si magnum quoddam esset hic puer, & potentiæ aliquid obtineret, quid opus esset fuga occultoque regressu? Cur enim non qui palam ac liberè venimus nec tanti populi fragorem, nec tyranni furorem pauentes, quasi exules quosdam & fugitiuos, Angelus ciuitate propellit? verum nihil omnino tale vel ore proferunt, vel mente concipiunt: hoc enim est fidei insigne, ne inquirat rationem eorum, quæ imperantur; sed tantum vt iussa capessant.*

vñàm cum Deo tribuit voluntatẽ.

non curat talis stultus pro Deo reputari.

mater est omnium virtutum.

non discutit neque causas quærit.

cum protoplastis qui sic perierunt.

cæcam obedientiã imitatur. & fidem.

Habet cum fide quiddam commune cæca simplexque obedientia: vt enim quidquid nouimus diuinitus reuelatum, sine cunctatione nulla quæsita ratione vel euidentia credimus, & firmiter assentimur: sic verus obedientiæ studiosus, vt primum superioris cognouerit voluntatem, eam velut cœlitus acceptum nuncium recipit, amplectitur exosculatur: sola rationum omnium summa, & maxima, Dei per hominem internuncium mandatum est, non licet nec reluctari, nec disputare: effatum Christi est: *Qui vos audit, me audit.* Concludo cum operis imperfecti autore. *O fides Magorum: non contradixerunt Angelo admonenti, dicentes; tantam viam venimus venientes ante multitudinem ciuitatem non timuimus: Regem terribilem apud illas non expauimus; sed stetimus, & fiducialiter, qui natus fuerat Regem prædicauimus & quasi Deo munera digna obtulimus, & quasi seruos iubes latenter nunc fugere vt alia via venientes, alia redeamus; sed fideles constituti nec tunc timuerunt cognosci, nec modo erubuerunt occultè recedere.*

Aut. operis imperfecti.

CAPVT

CAPVT V.

Statuunt non redire ad Herodem & puero valedicunt.

MANE primo diluculo, vel citius etiam accepto ſtatim oraculo conueniunt, diuinam pariter ſibi inuicem ſignificant voluntatem: concordibus igitur animis ſtatuunt Herodem & Solymam declinare, qua Deus duxerit recta ſequi: non enim ignorabant, *in malè promiſſis reſcindendam fidem*, quin & in ijs, quæ tum licitè vel à iurato promittuntur, ſi mutatis rerum adiunctis ſine peccato perfici nequeant, imo quoties à ſuperiore poteſtate legitimè, rebus ſic exigentibus, contrarium imperatur, vnde Ianſenius hic ait, *Non peccarunt Magi reſcindentes promiſſionem Herodi factam (promiſerant enim veriſimiliter ſe reuerſuros) tum quod à Deo iubente id fecerunt à quo tanquam à ſuperiori Domino fuerant à promiſſionis vinculo abſoluti: tum quod etiam ſine ſpeciali Dei iuſſione promiſſio ſeruanda non ſit, quam intelligimus in fraudem, aut perniciem alicuius extortam.*

quando reſcindenda fides promiſſa.

1.

2.

3.

Monemur hac Herodis declinatione, vt diaboli fraudes & peccatorum quaſuis occaſiones cane peius & angue fugiamus, ſi Chriſto velimus adorato ſemper adhærere, vt enim infantulum necare parabat Herodes, ſic peccatum nititur gratiam illius, per quam Deus in animis naſcitur, extinguere: fieri enim nullo modo poteſt, vt quis Chriſto adhærens, peccati ſimul ſordes & venenum amplectatur. *Nec erat poſſibile* (ait operis imperfecti autor) *vt qui ab Herode ad Chriſtum veniſſent, ad Herodem redirent, qui enim relicto diabolo venit ad Chriſtum, difficile redit ad diabolum, nam qui in malis fuit, & conuerſus eſt ad bonum, dum gaudet de bonis, quæ inuenit, & recordatur mala, quæ euaſit, difficile redit ad malum.* Lauerant ipſi pedes, quomodo coinquinarent? ab interitu norant ſe Chriſti virtute liberatos, quomodo ſe rurſum in perniciem conijcerent ſempiternam? *Qui Chriſtum viderant*, ait S. Ambroſius: *Chriſtum intellexerant, meliores vtique quam venerant, reuertuntur: duæ quippe ſunt viæ, alia, quæ ducit ad interitum, alia quæ ducit ad regnum: illa peccatorum eſt, quæ ducit ad Herodem: hæc Chriſtus eſt, qua redditur ad patriam, hic enim temporalis eſt incolatus, ſicut ſcriptum eſt, multum incola fuit anima mea. Caueamus igitur Herodem, mundanæ ad tempus præſulem poteſtatis, vt patriæ cœleſtis æternum conſequantur habitaculum.* S. Cyprianus hinc monet declinanda prauorum conſortia, *Non eſt tutus ad Herodem regreſſus; nec expedit cum his, qui oderunt Deum, fœdera iungere, nec de religione cum malignantibus inire conſilia, quorum familiaritas infantiam Chriſti ſtudiosè perſequitur, & antequam formetur Chriſtus in nobis, in ipſo piæ conuerſationis initio; vt extinguatur ſpiritus, & ſuffocetur vita iuſtitiæ penitus elaborat: deluſum ſe Herodes conqueritur, cum Magos alio comperit diuertiſſe, quia moleſtiſſimum eſt principi tenebrarum, cum excogitatis laqueis tentatos quoſlibet nouerit euaſiſſe, & acriore inflammatus rabie in neces innocentum debacchabatur.* S. Bruno: peccati fugam hic conſulit, *vna via prohibetur, ceteræ viæ bonæ ſunt. Redire ad Herodem malum eſt, hanc viam fugiamus; hæc via non ducit nos ad patriam, Herodes iſte diabolus eſt, Herodes iſte peccatum eſt, omnis via, quæ ad illum ducit, mala eſt, alias ergo vias teneamus, quæ nos ſine errore in patriam perducant: vniuerſæ viæ Domini veritas, & miſericordia: hæ duæ ſufficiunt nobis; ſed duæ vna ſunt: Dominus hoc dicit: ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem niſi per me, Ioan. 14. omnes igitur viæ in iſtam conueniunt, nulla niſi per iſtam ad patrem vel ad patriam perducit: hanc ergo teneamus, vt læti tandem & incolumes in antiquam patriam noſtram redire valeamus.*

Moralis ſenſus peccata vitanda.

Autor operis imperfecti.

S. Ambroſ. in 2. Luc.

pſ. 119.

S. Cyprianus de ſtella & Magis.

Cauenda familiaritas impiorum.

S. Bruno ho. in Epiph.

Chriſtus vt vna & ſola via cœliſequendus.

Sed Reges accepto cœlitus & inter ſe communicato reſponſo rediſſe ad ſtabulum, vt vltimum Chriſto ac benedictæ matri valedicerent exiſtimo: quibus iterum ſe ſuaque omnia regna ſubdidere: gratiam poſtulantes, vt ſubiectos populos fide poſſent eadem imbuere. Vidit hoc ante me Hieronymus Natalis. *Cum autem*, ait, *ſciret Deus ex ſimplicitate cordis de reditu ad Herodem cogitare, in ſomnis miſſo Angelo ad-*

valedicunt Reges Chriſto & Deiparæ.

Hier. Natalis in medul. lib. 3. c. 19.

admonuit, ne id facerent, sed per aliam viam in suam regionem reuerterentur. Intellecta Dei voluntate, salutato cum summa deuotione puero ac matre, pleni suauitate & gaudio, pleni fide reuersi sunt per aliam viam in suam regionem singuli, Et ante hunc reuelatio S. Franciscæ hæc habet; *Qui manè cum experrecti è somno tam à Saluatore, quam virgine Deipara quam demississimè abeundi licentiam obtinuissent, redieruut.* Vide infra Melchiorem Inchofer.

CAPVT VI.

Mari an terrâ discesserint, & de vestigijs quæ superant in speluncis ex transitu illorum.

qui velint mari discessisse.

MAri sanctos Reges in patriam redisse veterum Patrum quam plurimi docuerunt, & ex eo, *ps.* 47. confirmarunt. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis*: de qua sententia, S. *Anselmus* ait, *Legitur, quod Magi intrauerunt mare, & nauibus conductis peruenerunt ad patriam: quæ naues cum redissent, Herodes putans eas asequi, audito transitu illorum, naues, quæ eos adsportarant, ex furore combussit.* Primus huius autor opinionis videtur fuisse Arnobius, quem secutus Cassiodorus, sed cum autores omnes huius sententiæ more suo Lorinus noster exoluerit accuratè, & in ordinem redegerit, adnotatis quos plerique secuti sint autoribus, & si quid in re variarint; eum non pigebit attexere: licet alibi fecerim huius opinionis etiam mentionem.

Arnobius.

Cassiodorus ait, *refert opinionem: quod cum ad Herodem non reuertissent Magi adorato Christo, is vehementi spiritu iræ commotus, naues contriuit Tharso Ciliciæ, quæ illos occultè in suam prouinciam transposuisse credebantur, Arnobius vetustior idem prodidit, sicut & per dolores parturientis interpretatus est matrum dolores de suorum nece, iussu eiusdem tyranni: sed Tharsum Ciliciæ non exprimit.* S. Thomas. *Idem cum nomine Tharsi Ciliciæ refert Thomas; & admirationem, de qua prius dictum est, infidelibus Iudæis adscribit, commotionem ijs, qui tunc crediderunt. Meminit etiam Hugo Glossa ordinaria (quæ transcribit Cassiodorum) Lyranus, Æguanus, qui citant historiam Ecclesiasticam, in qua traditur combustas naues illas ab Herode, Ludolphus, Dionysius Carthusianus (qui admirationem, commotionem, tremorem tribuit etiam Magis videntibus stellam, nunc apparere, nunc disparere, ac demum summa reuerentia Christum adorantibus) Haymo, Franciscus de Buteo, Petrus de Harentalo, Bartholomæus Botta & alij; Antoninus præterea retulit idem, in historiam suam, ex autoritate Comestoris, quod fecerat prior Antonino Vincentius Bellouacensis, quem ille sæpe transcribit. Sententiam eandem de loci præsentis interpretatione, Ludolphus iterum in opere de vita Christi, Ioannes quoque Maior in Matthæum, & Christophorus Sanctolisius, Petrus de Natalibus in Catalogo sanctorum, & Nauclerus. Sed & Anselmus meminit, exponens Matthæum, nauium combustarum Tharso Ciliciæ.* Refutationem eiusdem sententiæ lege apud eundem, & Abulensem: videri & ea possunt quæ l. 3. c. 17, à nobis sunt ea de re fusè disputata, vt non sit huic diluendæ opinioni diutius immorandum, quam confutat præcipuè vestigium & traditio loci, quæ superat in Monasterio S. Theodosij à mille annis & amplius idoneis testibus confirmata, & à recentioribus passim Baronio duce defensa.

Hugo. Glossa. Lyranus. Æguanus. Historia Ecclesiastica. Haymo. Francis. de Buteo. Harentalo. Botta. S. Antonin. Vin. Bellua. Maior. Christ. ph. Sanctolisius. Petrus de Natalibus. Nauclerus.

confutantur.

Fuit S. Theodosius cœnobiarcha maxima coniunctus familiaritate famosissimo illi lauræ conditori & millium multorum archimandritæ Sabæ, nec multum, vt insinuant historiæ, loco & habitatione ab eo separatus: qui eum delegerat sibi locum asceterio nobili decorandum, in quo sancti Reges è Bethlehem reduces nocte prima, dum Herodis insidias declinant, delituerunt: traditionem hanc S. Cyrillus, Metaphrastes, Baronius & Surius ita referunt. *Quædam autem fama ab alto à patribus tradita ad nos vsque peruenit, quæ dicit fideles illos Magos, qui Bethlehem venerunt ab Oriente, cum Deo, qui ex superna specula in Occidentem huius mundi venerat, aurum, thus, & myrrham piè admodum obtulissent, deinde ab Angelo respon-*

ad 11. Ian.

Locus in quo prima nocte reduces delituerunt.

responsum accepissent, ne eandem viam rursus inirent, sed per aliam potius rediret in suam regionem; hos inquam dicit Magos in hac spelunca in reditu fuisse diuersatos: cumque hic nocte dormijssent, mane ingressos esse viam, quæ ducebat in patriam: & tale quidem id est quod dicitur, & fortasse eam nulla labefactat improbabilitas. Nam primum quidem cum statuissent ingredi iter per Hierosolymam, non est facilè admodum, vt ij alia ex Bethlehem domum reuerterentur: sicut etiam nunc videmus eos, qui à Bethlehem, vel ab ea, quæ est circumcirca regione transeunt, per hanc proficisci. Præterea autem multa ex ijs, quæ olim quidem facta sunt, sita autem non sunt in diuina scriptura, sola scriptis non mandata traditio efficit, vt in hodiernum vsque diem pro certis habeantur. traditio nobis, Hactenus Cyrillus locorum istorum, arbitror quidem inquilinus. Idem in elogijs Ioannis Moschi, qui paulo post S. Theodosium eodem in loco vixit, his in vetustissimis M. SS. narratur verbis. *Principio quidem seculo renuntiauit in monasterio S. P. N. Theodosij Abbatis & Archimandritæ omnium, quæ sunt Hierosolymis cœnobiorum. Est autem locus cœmiterij spelunca, in qua cum à Magis illusus esset Herodes iuxta Euangelij oraculum, illi inde soluentes cum in patriam redirent, manserunt. In hac spelunca S. P. N. Theodosius cum religiosæ vitæ certamina confecisset, gratia donatus est dæmones ejciendi; neque tantum in hac temporaria breuique vita; sed etiam post obitum ejcit.* Speluncæ huius gradus fuisse 18. tradit Ioan. Moschus c. 105. Nunc disquirendum, vbinam locus ille situs videatur: Ego sic existimo non procul ascenterio, quod S. Sabas condidit, abfuisse: id satis indicat idem Cyrillus in vita S. Sabæ: *primo* enim facit eum ad Theodosium vicinum omnes imberbes, vt minus ad solitudinem habiles in cœnobium destinasse. *Sabas*, ait, *si quem ex ijs, qui mundo renunciabant videret huiusmodi, cui scilicet facies nondum esset tecta pilis, eum mittebat ad Theodosium, qui in parte Lauræ quæ vergit ad Occidentem, constituerat monasterium, distans à Laura 35. stadijs: erant enim magno inter se amore coniuncti diuinus Sabas & hic B. Theodosius, & vterque voluntatem alterius præferebat voluntati suæ.* propè Laurā S. Sabæ. Secundo vtrique horum Salustius Patriarcha Constantinopolitanus præfecturam omnium Monachorum circa Solymam commendauit: *Statuit*, ait Cyrillus, *monasterijs, quæ erant circa sanctam ciuitatem præesse Sabas & Theodosius, ab illo autem tempore Theodosius quidem eis qui communiter viuebant, Sabas autem ijs qui cum nemine congrediebantur, & erant omnino separati præerat.* Tertio solebant duo illi sanctissimi quotidie secum diuinis de rebus conferre, vt idem subdit. *Erat vero (Sabas) valde affectus in Theodosium, adeo vt quotidie ad se invicem ventitarent: & inter se de virtute conferrent; & essent ambo instar luminariũ omnibus, qui vitam amplectebantur monasticam.* Quibus è verbis liquido constat non multum vtriusque viri ascenterium abfuisse, nisi quod Sabas interiora deserti coleret Anachoretis præpositus: alter cœnobium vicinum gubernaret. Hinc videndum, vbinam S. Sabæ laura fuerit excitata.

Eam describit nouissimus oculatus testis & scriptor, quem reperi Franciscus Quaresmius Minorita. *In Orientali plaga tam, Ierusalem quam etiam Bethlehem est insigne & memorabile monasterium Græcorum Monachorum S. Basilij regulam profitentium, & templum S. Sabæ dicatum; Laura dicitur ob multitudinem religiosorum, qui eo confluebant, tota structura sita est super alta & prærupta rupe, ad cuius pedem in imo vallis est, per quam fluit torrens Cedron, qui incipiens à valle Iosaphat ad radices montis Oliueti hac transit, in mare mortuum, & tum à Ierusalem eo tendimus, semper iuxta hunc torrentem inceditur vsque ad monasterium. In rupe vallis, quæ à monasterio vsque ad mare mortuum protenditur, spatio 14. milliarium, erant olim cellulæ, quarum aliquæ & in præsentia cernuntur, in quibus decem millia Monachorum solitariam, & in pœnitentia magna vitam degebant, sicut alia quatuor millia in congregatione & monasterio, quorum omnium S. Sabas Pater & Patriarcha inclytus fuit: distat sanctus locus ab Ierusalem 12. à Bethlehem 8. circiter milliaribus, claruit ibidem Cyrillus & S. Euthymius:* Franc. Quaresm. l. 6. elucidat terræ S. c. 9. descriptio monasterij S. Sabæ. Quare si Bethlehem à monasterio S. Sabæ absit octo miliaribus, & huic ad Occidentem ad 35. stadia collocatum sit Theodosianum ascenterium: medium ferè erit spatium Bethlehem inter & monasterium S. Sabæ. Bollandus noster ex Radriuilio probat medio ferè spatio inter id & Bethlehem iacet spelunca Regum.

S.

Bollandus 11. Ian. prolegom. 4. vitæ S. Theodosij f. 683.

S. Sabæ monasterium Solyma tribus maioribus milliaribus abfuisse: at S. Theodosij sesquimilliari Belgico seu 4. passuum millibus versus occidentem Hierosolymæ propinquius: ex his apparet S. Theodosij monasterium forte vna sui parte laurę coniunctum quæ ad milliaria multa protendebatur, & apte locatur Bethlehemo ad Orientem: sed miror eum à P. Inchofer vocari sacrum montem, qui & Michææ Moraſtiti sepulcrum præbuit: quod Adrichomius locat ad Occidentem Bethlehemi. Quomodo ergo dixerunt, *vidimus stellam eius in Oriente*: an ob ambages & anfractus quæsitos itinerum factum existimamus? Cornelius à Lapide ex eodem Cyrillo colligit Magos fugientes Herodem publicas vias & hospitia declinasse, ac in montibus & speluncis hospitatos esse, atque in ijsdem vitam egisse: sed præter illam Theodosianam latebram alteram nusquam reperi certis testibus confirmatam.

Cornelius à Lapide.

CAPVT VII.

Per aliam viam quid mysticè significetur.

moralis sēsus ab erroribus prioribus abstinendum.

DIsertissimi sunt hic sancti Patres: nosq; exemplo SS. Regum monent, vt prioris vitæ errores, maculas & vitia declinemus & per fidei & virtutum semitam arctiorem ad patriam cœlestem recto itinere properemus.

S. Leo ser. 3.

Quidam monent ab erroribus vitæ veteris, & commercio infidelium abstinendum esse. S. Leo: *Adorato Domino Magi, & omni deuotione completa, secundum admonitionem somnij, non eodem, quo venerant itinere reuertuntur: oportebat enim, vt iam in Christum credentes, non per antiquas conuersationis semitas ambularent; sed nouam ingressi viam, à relictis erroribus abstinerent.* S. Hieronymus. *Reuertuntur autem per aliam viam, quia infidelitati miscendi non erant Iudæorum.*

S. Hieron. in 2. Matt.

Hinc Salmeron facit Reges fidei & cultus diuini tutores & defensores. *Sancti ergò Reges sunt, qui stella duce, id est præueniente fide Christi, quæ cœlitus donatur, & vim habet indicandi Christum, Regem Iudæorum, quærunt, illumque tales adoratione & muneribus prosequuntur: discentesque ab eo sanctè sapienterque gubernandi rationem ac normam, per aliam viam reuertuntur in regionem suam, quatenus omnibus abusibus & corruptelis, quibus vt ambitiosè regnarent, & populum expilarent, vel degluberent, vel deuorarent, velut escam panis (vt Prophetæ verbis ps. 13. vtar) nuntium mittentes, iustis tantum legibus sanctè & religiosè obseruatis, regna administrant sua: atque his quidem illud inprimis curæ esse debet, vt fidei puritas & integritas, diuinusque cultus vigeant, atque floreſcant, donisque pretiosis templa Dei atque Sanctorum exornent basilicas, quemadmodum feciſſe legimus Constantinum illum Magnum, cuius ampla & pretiosa in Dei Ecclesiam munera exstiterunt, & Deo placuerunt.*

Reges esse decet fidei & cultus diuini defensores.

Alij vitæ nobis suadent correctionem, vt vitia contrarijs virtutum actibus cum inolitis prauis affectibus, perturbationibus, & consuetudinibus eradicemus.

S. Fulgent. de Epiphan.

S. Fulgentius: *Nec teneamus viam veteris vitæ, sed diuinis mandatis humiliter obsequentes vitam mutemus, & in qua præcepit Dominus ambulemus, vt ad patriam peruenire valeamus: vbi sine fine cum ipso Christo gaudeamus; via enim hominis est vita eius, qui malè viuit, viam tenet erroris, qui bene viuit, per viam graditur veritatis: quapropter qui tenebant viam fornicationis, viam teneat castitatis, qui viam tenebat auaritiæ, teneat viam misericordiæ; qui ambulabat per viam fictionis, viam teneat nunc puritatis.*

via virtutū calcanda.

Eucherius.

S. Eucherius: *Illud quoque per aliam viam regressi sunt intelligamus vtilitati peculiariter conuenire; viæ enim immutatio vitæ intelligitur emendatio: nos quoque per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem, quando superbiam susceptą humilitate deponimus, quando ad patientiam ab iracundia mentem deflectimus, quando veteres voluptates & consuetudines pristinas & desideria antiqua damnamus; ad viam quoque aliam de errore transimus, quando vniuersas concupiscentias honestatis ac paupertatis amore calcamus, quando castitate luxu-*

riam

tiâ ſubiugamus, ſiniſtras ſemitas relinquentes, dextero tramite iter ſpirituale cõficimus.

Copioſus hic Baradius eſt, & aptis ſimilibus deterret à flagitioſa priore viuendi ratione. *Bruta animalia*, ait S. Hieronymus ad Furiam, *& vagæ aues in eaſdem pedicas retiaque non incidunt, homo ratione præditus in eoſdem Satanæ laqueos, quos ſemel effugit iterum incidet? qui è carcere elabitur in carcerem ſponte ſua nunquam redit, carcere peius peccatum eſt, è carcere igitur peccati fœtidiſſimo atque obſcuriſſimo creptus, ex ipſo orco liberatus, caue diligenter, ne in illum quamdiu vita ſuppetet reuertaris: carcerem autem animæque orcum eſſe impij hominis conſcientiam* Bernardus docet ſer. 4. de aſſumtione Deiparæ. *Infernus*, inquit, *quidam, carcer animæ rea conſcientia eſt. Peccauit Petrus: ſed ad peccatum non redijt: egreſſus eſt foras, & fleuit amarè. Peccauit Magdalena, at poſtquam verbum Chriſti audiuit, vade in pace, perpetuam ſeruauit pacem, bellum nunquam renouauit.* Hæc Baradius.

vetera peccata cauenda. S. Hieron. ep. ad Furiã. probatur ſimilibus.

Alij Chriſtum vt viam nobis proponunt, cuius veſtigijs inſiſtamus. Origenes: *Hi ergo beati Magi per ſomnium admoniti Herode relicto ad propria per aliam profecti ſunt viam, per illam viam, per quam & diſcedentes venerant videre Chriſtum: ipſe eis via fuit Chriſtus, qui & deſiderantibus viſus eſt, & remeantibus inhærere vel comitari dignatus eſt.*

ſequendus Chriſtus. Origenes ho. 3. de diuer.

S. Chryſoſtomus: *Exemplum nobis pudicitiæ ac fidei præferentes, vt cognito ſemel adoratoque Chriſto Rege, viam prioris itineris, id eſt, erroris veteris relinquentes, & per aliam viam, in qua nobis dux Chriſtus, incedentes, ad regionem noſtram, id eſt, paradiſum, de quo Adam pulſus eſt, redeamus.*

S. Chryſoſt. ho. 1. ex varijs in Matt.

Vnde ſic Chriſto duce ſemper ad anteriora per virtutum iter eſt progrediendum, ne vnquam cum vxore Loth reſpiciamus ad relictas vitiorum occaſiones & Sodamam: ne cum ea pereamus, de qua rectè Philo Iudæus ita ratiocinatur. *Lothi vxorem poſtquam reſpexit, ſcriptura narrat, verſam in ſtatuam ſalis: & merito: quia ſi quis in anteriora viſu auditúque digna non proſpicit, hoc eſt in virtutes, & earum opera, malens à tergo relicta reſpicere, vanam gloriam, cæcas diuitias, inſenſatam corpulentiam, dementem formoſitatem & id genus alia conſectando, ſtabit in anima ſtatua, tabeſcetque paulatim, ſal enim res eſt parum ſolida.*

nec retro reſpiciendum. vt vxor Loth. lib. de ſom circa finem.

CAPVT VIII.

In regionem ſuam, vbi de patria paradiſi agitur.

HIVS myſtica communis eſt ſanctorum Patrum ſententia de paradiſo, velut patria noſtra: ad quam (declinato Herode) per arctam victoriæ noſtri ipſorum ſemitam, ad patriam quaſi iam quidam proſelyti, & circumciſi debemus Magorum exemplo contendere: hoc itidem ruminando, in exilio nos, & continua verſari peregrinatione, non hic ſubſiſtendum diutius, & quietem ſectandam: quam in patria perfectam & ſempiternam obtinebimus. S. Cyprianus: *Adorato Domino Magi hilares alio tramite in ſuam patriam reuertuntur: quia neceſſe eſt, vt qui credunt ad iuſtitiam, ore etiam confeſſi ſint ad ſalutem: deinde vias eligant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent, quoniam per vias latas, deſcenſuſque præcipites itur ad inferos, per arctas verò & difficiles, reditur ad ſuperos: propter verba labiorum Dei religioſus quiſque vias duras ingreditur, & iugulator voluptatum ſtantem ex diuerſo hoſtem ſecurus aggreditur, arcta via eſt caſtitas, trames ſtrictus humilitas, ieiunio affligi, & carnem in ſeruitutem redigere: ſcopuloſæ ſunt ſemitæ: ſed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites reuertuntur. Militia vita eſt hominis Chriſtiani, ſemper in procinctu ſit, nunquam ſecurus periculi cum inter hoſtes vbique procedendum, qui dexteram læuaque cuncta inſident: cautè igitur per ardua, & confragoſa moliendum nobis ad cœlum iter eſt.*

per regionẽ ſuam patria paradiſi accipitur. S. Cyprian. Ro. 10. ad eam per arctas & difficiles vias itur. in militia continua ſumus.

Adde quod in exilio ſimus è quo nobis ad patriam eſt eluctandũ: non igitur hic deſidendum in ærumnis, qui nati ſumus ad cœleſtem & æternam hereditatem adeundã. & exilio.

S. Ambroſ. *Vita iſta*, ait, *peregrinatio eſt, patria verò veſtra paradiſus eſt: & quia nimis ſtulti ſunt, qui exilium præ patria diligunt, vos deſpicite hanc miſeram & incertam vitam, vt peruenire valeatis ad patriæ cœleſtis felicitatem certiſſimam.* S. Ambroſi. ſer. de Epiſ.

Protoplasti nostri, vitio gulæ, superbiæ & inobedientiæ patria paradisi exturbati, nos exsules, vagos & errones genuerunt, ea tamen lege, vt si possessionum in patria desertarum iure nobis relicto frui desideremus, & ad easdem adspirare, contraria via tendamus eo, confragosa loca inobedientiæ, præcipitia superbiæ & latas gulæ & incontinentiæ vias declinando. S. Gregorius, ait, *Magnum vobis aliqui a Magi innuunt, quod in regionem suam per aliam viam reuertuntur, in eo namque quod admoniti faciunt, nobis profecto insinuant, quid faciamus, Regio quippe nostra paradisus est, ad quam Iesu cognito redire per viam, qua venimus, prohibemur, a regione enim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando defleximus; sed ad eam necesse est, vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atq; appetitum carnis refrenando redeamus: per aliam ergo viam in regionem nostram regredimur: quoniam qui à paradisi gaudijs per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta reuocamur.* Similia Glossa habet & S. Thomas qui sic ait, *In hoc ostenditur, quod ad regionem nostram paradisum, à qua per peccatum expulsi sumus, per obedientiam peruenimus. Pro. 4. vias quæ à dexteris sunt nouit Dominus, peruersæ verò sunt, quæ sunt à sinistris.* Mirum sanè est cum naturalis amor hominem sic ad amorem patriæ rapiat, vt Curtius, Decius, & Codrus pro ea mortem libenter elegerint. Et de Vlysse dicat Cicero. *Patriæ tanta vis, vt Ithacam illam asperrimis saxis affixam Vlysses immortalitati anteposuerit, quam Calypso ei promiserat, & post decem annorum errores vix attigit*: Nos tamen ad cœlestem natos patriam & regnum æternum tam parum eius teneri desiderio: vt iam non cœli; sed terræ filij dicamus: *cœlum cœli Domino; terram autem dedit filijs hominum*: parati semper hic viuere, si per Deum & naturam concederetur. *O curuæ interras animæ & cœlestium inanes!* vtinam verba singula subiectæ S. Cypriani sententiæ sæpius animo voluerémus, sorderent paulatim terrena, cœlestis patriæ dulcedinem gustaremus. *Considerandum*, ait, *est Fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renunciasse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos hic interim degere: amplectamur diem, qui adsignat singulos domicilio suo, qui nos istinc eruptos, & laqueis secularibus exsolutos paradiso restituit, & regno cœlesti. Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi? quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidius optaret, vt velociter caros liceret amplecti? patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus? magnus illic nos carorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita; ad horum conspectum & complexum venire quantum & illis nobis in commune lætitia est? Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quam summa & perpetua felicitas?* Hæc est illa patriæ nostræ beatitudo, cuius pulchritudinis & dulcedinis immenso desiderio tenebatur indies mens S. Augustini, cum sic ad ciuitatis eius ingressum anhelus suspiraret. *Quando videbo ciuitatem illam? ô ciuitas sancta, ciuitas speciosa, de longinquo saluto te, ad te clamo, te requiro, desidero enim videre te, & requiescere in te. O ciuitas desiderabilis!* & alibi. *Puta sine videbo diem illam? ô dies præclara, in qua audiam: intra in gaudium Domini tui! ô gaudium super gaudium! gaudium vincens omne gaudium! extra quod non est gaudium! quando intrabo in te, vt videam Dominum meum, qui habitat in te? ibo & videbo visionem hanc magnam. Quid est quod me detinet? Heu me! quando dicetur mihi vbi est Deus tuus? Quamdiu dicetur mihi reexspecta? & nunc quæ est exspectatio mea? nonne tu Domine Deus meus?* O si cum S. Augustino guttulam tanti gaudij labris extremis libassemus, omnia mundi tormenta parati essemus amore & desiderio tanti boni tolerare: libenter facultates omnes in pauperes erogaremus, vt tantarum opum participes efficeremur, vltro carnis voluptates castitatis freno, & voluntarijs afflictationibus corporis vinceremus, vt ijs liceret æternum frui delicijs: omnis mundi huius despectus, opprobria, contumeliæ volupæ nobis essent, vt diuino frui possemus honore, quo beati omnes potiuntur. Ita si nos delectet patriæ dulcedo, non retrahat itineris labor: Magos sequamur duces viæ, per asperam & arctam semitam virtutum enitamur. Hoc suauius in cœlesti patria delicijs affluemus, quo fuerimus in exilio vitæ huius molestius cruciati.

S. Gregorius. ad patriam tendendũ.

Glossa & S. Thomas.

amor patriæ quam potens in Gentilibus.

Cicero l. 1. de orat.

S. Cyprian. lib. de mortalitate.

mors cum gaudio excipienda.

pro patria paradisis.

perentes nostri & amici cœlites sunt.

S. Augustin. l. de spiritu & anima.

in soliloquijs.

ingens cœli desiderium.

generat mundi cõtemtum.

CAPVT IX.

Iterumne ſtella duce vel Angelo comite?

REs incerta eſt, ſunt qui ſtellam velint eos reduxiſſe: nec minus enim forte & plus erat in reditu, quam itu periculi, quod vt declinarent opportune ſtella certum ijs, ſecurum & breuiſſimum iter debuit præmonſtrare, ne quid eis nocerent Herodis inſidiæ. Hanc ſententiam copiosè ſic confutat Salmeron: *Neque eſt veriſimile ſtellam reduxiſſe Magos redeuntes, ſicut duxerat venientes: tum quia id ab Euangeliſta expreſſum fuiſſet. Deinde quia Magi nouerant non eſſe reducendos per ſtellam, ac proinde volebant redire per viam, qua venerant: quoniam Angelus ſecundum quietem eos admonuit, ne ad Herodem redirent. Quod ſi ſtella redeuntes præcederet, cum eſſent ituri per viam, qua ab ea ducerentur, non oportebat admoneri, vti ad Herodem ne redirent. Deinde Deus non edit miracula, niſi ob vrgentem aliquam neceſſitatem; quæ ſi eſſet in redeundo, ſicut in veniendo, idem fuiſſet miraculum ſtellæ: quo pacto Angelus Tobiæ ſeniori dixit: ego ducam, & reducam eum ad te: cum autem ea neceſſitas minimè vrgeret, non redierunt ſtella duce: nam in aduentu illorum fuit neceſſaria propter locum, viam & perſonam. Ignorabant enim Magi, quo in loco puer foret adorandus, ideo nec viam ſcire poterant, etſi maximè ſcirent locum nominata ciuitate, ignorabant tamen, qua illuc eſſet perueniendum via. Atque hæc duo monſtrauit ſtella cum per viam illos ad Bethlehem vſque perduxit. Perſonam vero haud cognoſcerent, in quo maior erat difficultas, niſi ſtella ſtetiſſet ſuper domum, vbi erat puer. Porro in reditu nullus erat inquirendus, terra etiam ad quam ibant nota erat, quod propria erat patria, ad quam peruenire poterant interrogando.*

quidã per ſtellam eos reductos putant Salmeron. eos confutat.

1.

2.

3.

Tob. 5.

Rectè probat Salmeron non eam in reditu fuiſſe neceſſitatem, quæ in itu, vt ſine ſcripturæ teſtimonio non aſſeri facile debeat tam prodigioſo ſtellæ ductu in patriam reuertiſſe: ſed an ijſdem Deus Angelum reditus æque periculoſi & difficilis vt ante (licet itineris non ita ignoti) adiunxerit, poteſt dubitari, nec enim minus, quam Tobiæ reduci neceſſarius: ignotior erat via, diuturnior, periculoſior talibus præſertim Regibus, cum illo ſtipatu, eo anni tempore, machinante iam ijs inſidias Herode: erant primitiæ Gentium, primi doctores & Apoſtoli Gentilium, quibus non minus volebat prodigijs adeſſe Chriſtus, cum opus, quam ſuis diſcipulis, vt lactati tanta numinis præſentia, fauore, præſidio, & auxilio, quaſi teneræ adhuc plantæ firmarentur altius; hinc quidem putant comitatum Angeli, & Gabrielis quidem, non defuiſſe, licet eius Euangeliſta non meminerit: qui præcipuis intentus myſterijs conſignandis, minora præterijt. Vnum huius rei teſtem inſtar omnium laudo Melchiorem: qui more ſuo, politeque ſic reditum eorum commemorat. *Exſpectabat Herodes Magos Hieroſolymam reuerſuros, qui tamen ipſi nihil receperant: quanquam ſi id feciſſent, Deo aliter diſponente mutare animos oportebat, imo cognita fraude & dolo, quibus inducti fuiſſent ad prodendum Chriſtum, reſcindenda ſponſio fuit, plena ſceleris & immanitatis: quæ improbi Regis mentem implicarant: vtpote verſuta calliditate quærentis puerum ad perdendum eum. Quare Dei reſponſo in ſomnis accepto, ne redirent ad Herodem, per aliam viam iuſſi ſunt repetere regionem ſuam. Non vtiq; iam ſtella duce, quæ officio perfuncta ſuo in oculis luminis interni radijs locum reliquit in animis: neque tamen dubitem Angelo, qui nocte monuerat viam ignotam edocente; vel certè etiam comitante illos diſceſſiſſe, benedictione Ieſu pueri, & matris virginis imperita. Quidni enim piè ſentiam, quemadmodum Tobiæ olim iuniori comes iuit Raphael Angelus, eundo & redeundo; ita hic quoque pijs reducibus adfuiſſe, qui vt nuper cum ſtella præcedebat: ita modo per calles nondum tentatos iter facientes, comitaretur. Gabrielem hunc fuiſſe quidam meditantur, quaſi qui myſterio incarnationis annunciando paranymphus interceſſit, natiuitatis quoque tum paſtoribus cum Magis peruulgandæ, & omnium quæ huc ſpectant euoluendorum præſes ſit conſtitutus. Principem alij Perſarum putant, aut certè vnum aliquem ex præſidibus regnorum, cui per hoſce Eccleſiæ progenitores, vt Chryſoſtomus loquitur, ſalus Gentium in ſuis regionibus procuranda*

an Angelus eis ſit comes datus. cauſa cur id probabile videatur.

S. Melchior Inchofer. c. 16.

cur ſtella non ſint reducti.

Chriſtus benedixit diſceſſuris.

Gabriel comitatus videtur.

incumbebat. Verum hæc ſuæ cuiuſque deuotioni relinquenda. Illud conſtat poſt, exhibitum Deo infanti debitæ religionis obſequium admonitos in ſomnis properè atque etiam per auia receſſiſſe, ne ſi quis rumor Herodi reditum eorum intentè præſtolanti, de inopino ac veluti clanculario diſceſſu obnunciaret, ilico mitteret, qui militari via pergentes inſequerentur ac comprehenderent. Hactenus Inchofer. Quod ſi cui dicti diſplicearit Angeli, poterit etiam cenſeri S Michaelis vt alibi dixi functio talis fuiſſe commendata, qui primis adeſſet Apoſtolis in fundanda Gentilium noua Eccleſia: nam ſicut is præceſſit caſtra Iudæorum, & Pharaonis exercitum aquis merſit, ne Iſraëli noceretur, ita modo contra Herodis inſidias nouellam Chriſti tutabatur Eccleſiam, & eius initia fouebat, niſi malis tres ſingulorum regnorum præſides, vt vita S. Franciſcæ indicat, ſe duces itineris & comites præbuiſſe.

forte S. Michael comes ijt.

Quamuis eadem geri occulto Dei inſtinctu continuo potuerint, vt conformis itineris inchoatio, progreſſus & termino fieret: dixeram enim ſupra probabilius videri non Angelo internuncio, ſed oraculo dato monitos de alia capeſſenda via: eodem igitur in compitis & auijs conſulto, ſic videntur admoniti, vt Ioſephus iuſſus in Galilæam deflectere, cum audiſſet Herodi Archelaum ſucceſſiſſe. Quo trahi verba Origenis poſſunt. *Ipſe eis via fuit Chriſtus, qui & deſiderantibus viſus eſt & remeantibus adhærere, vel comitari dignatus eſt.* Hærebat in animis ſingulorum æternis impreſſa lineamentis Chriſti ſponſi imago, compertus erat eis amor, fauor, & deſiderium, quo ſitiebat per hanc nouam ſponſam proles Gentilium fideles ſuſcipere, pro quarum ſalute mortem erat oppeturus: itaque dubijs in rebus ipſum velut præſentem ſibi conſulebant, nec ſine reſponſo certo.

Deus eos continuo direxit.

vt S. Ioſephum in Galilæam diſceſſurũ. *ho. 3. de diverſis.*

Chriſtum quaſi præſentem cõſulebant.

Atque hoc exemplo Magorum Herodem declinantium, dubijſque in rebus Deum conſulentium, monemur, nunquam aperto diſcrimini ſine neceſſitate, vel Dei expreſſa iuſſione caput obijcere; ſed modeſtè eum licet, exemplo etiam Chriſti declinare, ne Deum tentare videamur: vt rectè quærat Salmeron. *Cur Dominus, qui poterat Magos ſeruare illæſos etiam inuito Herode, qui olim Iſraëlem in medio mari ſaluauit, Danielem in lacu Leonum, pueros tres in fornace ignis, Dauid in perſecutione Saulis, Suſannam à falſo crimine, cur inquam Dominus iubet eos clam abire? poterat planè ſeruare Magos, ſed noluit margaritam dari porco Herodi: tum vt doceat nos, dum non adeſt reuelatio aliud detegens, vti pericula prudenter declinemus, ne Deum tentare velle videamur. Vnde aliquando ipſe fugit, ſeque proripuit, cum tamen potuiſſet inuitis hoſtibus ſe ſeruare: & verbo & exemplo docuit fugere, ſeque ſubtrahere, cum non adſit nobis facultas miraculo nos tuendi & ſaluandi. Quod ſi caſus emergat talis, in quo nullam amplius à creatura ulla ſperare ſubſidium & auxilium poſſis, ne à te ipſo quidem: tunc Deo te totum committe, & preces funde: quia vel liberabit te, ſi ipſi videbitur expedire, vel certè dabit virtutem fortiter ſuſtinendi, pro gloria eius. Inuoca me*, inquit, *in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Pergit deinde varios tentandi Dei modos recenſere. *Tentaret*, ait, *profecto Deum, qui panem habens nollet eo veſci, ſed exſpectaret panem de cœlo: vel qui nollet laborare dicens, confidam Deo, bene creſcent frumenta ſine labore meo & ſuaore: tentaret, qui ei vires, tempus, locum ac modum tribuit, quo ſe laborando aleret & laborare nollet, ſicut Iudæi tempore Holofernis. Deinde qui Dei verbum habet, plus tamen credit rationi, quam ſcripturæ. Tentas, qui gratiam Dei habet & dona naturalia, ſentitque diuinos afflatus internos non tamen ſequitur, exſpectatque vt violenter trahatur ad bonum per Deum.*

Salmeron. tract 40. p. 368.

fugiendum quandoq; periculum.

exemplo Chriſti.

ſpeciesten tandi Deũ.

Iudith. 8.

Non ita ſancti Reges: qui in itu viſæ ſtellæ ſtatim ſunt obſecuti; ea ſubducta ſacerdotes conſuluerunt: quorum ſuaſu ſe ex oraculis ſcripturæ direxerunt: in reditu recepto diuino oraculo paruerunt; Angelo comite caruerunt, cum opus ad diuinam opem ſupplices confugerunt, vt humanam ſemper prudentiam diligentiam & ſolicitudinem diuinis afflatibus & gratiæ coniungerent; nec præter naturæ ordinem miranda deſiderarunt, quæ Deus non offerret. Diſcamus & nos cum gratiæ diuinæ, quoad eius fieri poteſt operari: non deerit ſuis in neceſſitate Deus: modum quo nos iuuet, & tempus non præfiniamus: demus hoc infinitæ ſapientiæ, & bonitati, cui maior de nobis cura & ſolicitudo, quam nec aſſequi poteſt homo cogitando, multo minus, vel mater vlli vnigenito voluit vel potuit exhibere.

CA-

CAPVT X.

In Repræsentatione sua Christus firmata pace Iudæos & Gentiles inter, inchoat testamentum nouum homines Patri conciliando.

DVRES in reditum dies impensos, quam in aduentum ex Oriente suspicor: tunc enim cum è patria discederent obedientiæ promtitudo, desiderium videndi & adorandi Christi, amor gratiæ cœlestis vberioris consequendæ, cum impetratione veniæ stimulos ad sequendum stellæ tam prodigiosum ductum, & regnum eius publicandum excitabat, vt somni pene & ciborum obliti totos se itineri maturando impenderent: quare nunc functi legatione tam celebri, iuxta prudentiæ dictamen, corpus ob nimiam defatigationem debilitatum, licet diuinæ gratiæ robore sustentatum, iam cum properandi abesset necessitas, moderato labore refecerunt, quieti nonnihil, cum locus permisit, indulserunt, vt vires fractas recuperarent: ideo traditio refert Indorum Regem triennio tantum post in patriam remeasse. Interim Christus infantulus *princeps pacis*, auditis tam Iudæorum Pastoribus, quam Gentilium Regibus, cum vtriusque fidem aduentus Saluatoris coram persuasissets & ambæ populi vtriusque primitiæ concordibus animis, vnum solum caput, Regem & Messiam Christum agnouissent, piè eundem venerati, parati ad nutum ipsius vitam, mores & ritus omnes componere, ipse conciliatis iam inter se mortalibus, ad templum die quadragesimo properat, *Angelus noui testamenti*: *Angelus* dico, nuncius & sequester: nam qui iam hominibus Dei patris in stabulo mentem & voluntatem aperuerat; & horum parendi promtitudinem præsens inspexerat, Patrem inter & homines sequester & mediator, sistere se Deo voluit hostiam sanctam, immaculatam, & diuinam, cuius oblatio modo incruenta, postea cruenta Patris & hominum inimicitias erat extincturà, & proscriptos exulesque mortales Deo conciliatura: Hoc igitur repræsentationis die in templo Patri pro peccatis hominum obtulit se, post 33. annos victimandum, omnia mundi peccata suo sanguine per immanissimos cruciatus expiaturus, ideo rectè S. Bernardus hodie Christum vocat hostiam & sacrificium matutinum. *Hodie*, ait, *sistitur creatori terræ fructus sublimis, hodie placabilis & Deo placens hostia virgineis manibus offertur, in templo portatur à parentibus, à senibus exspectatur: offerunt Ioseph & Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum.* Et ser. 3. hortatur Deiparam mellifluis verbis ad hostiam illam Deo consecrandam. *Offer filium tuum virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta: offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam Deo placentem: omnino acceptabit Deus Pater oblationem nouam, & pretiosissimam hostiam, de qua ipse ait: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ac iure vocat hoc *sacrificium matutinum*, quo filius stitit Deo Patri se velut peccatorem: qui enim purus ab omni labe, nec capax esse culpæ poterat, vt nos in peccatis natos, iræ filios, & diris ac æternis obnoxios tormentis ab inferis vindicaret, vltro se Patri pro culpis omnium eluendis deuouit, ad omnia tormenta libenter toleranda, quæcunque Pater imperasset, vt altero & vespertino quidem holocausto totum humanum genus liberaretur: de quo ita pergit differere mellifluus doctor. *Sed oblatio ista Fratres satis delicata videtur, vbi tantum sistitur Domino, redimitur auibus, & ilico reportatur: veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra ciuitatem inter brachia crucis: veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia redemtionem eum misit Deus Pater populo suo illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum: istud quidem iucundius; sed istud plenius; istud enim tempore natiuitatis; istud iam in plenitudine ætatis, de vtroque tamen potes accipere, oblatus est, quia ipse voluit. Nam & modo oblatus est: non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit, & in cruce nihilominus oblatus est; non quia meruit: non quia Iudæus prævaluit; sed quia ipse voluit: voluntariè sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro salute mea, non pro tua necessitate.*

cur plus temporis impensum in reditum quam aduentum.

Christus cur dicatur Angelus.

offert se Patri victimã pro peccatis hominum.

& sacrificium matutinum. *S. Bernard. ser. 2. de purific.*

in cruce offert se holocaustum vespertinum.

præmisit tres prodromos.

Hic igitur dies merito festiuis gaudijs Iudæis æque ac Gentibus est celebrandus, quo noui testamenti Angelus pacem Deum & homines inter in templo stabiliuit: præmiserat nuper triumuiros Reges, velut Angelos prodromos, qui aduentum suum in ciuitate sancta præpararent, & prænunciarent, vt qui fideles in ea reperirentur, Simeon & Anna occurrerent venienti, & suis oraculis salutem Gentibus & Iudæis præsentem prædicarent. Hinc istæ S. Simeonis voces dulcissimæ, *viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.* Pro vtroque se stitit hodie populo Deo Patri victimam: eundem Anna simul *exspectationem Israël* appellauit: cuius aduentum, non Israël tantum vetus ex Iudæa, sed nouus etiam ex omnibus nationibus conflatus exspectarat: hoc ipso Aggæo præcinente, *adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus.* Mouit profecto Gentes omnes, quando signo Messiæ stellæ in cœlis obseruato, ad eum diuersis è locis conuolarunt: eum vt Regem suum & Deum coluerunt paulo ante, quam vt Aggæus præcinebat ipse venit in templum Solymæum, & id sua præsentia magis decorauit, quam Salomon omni suo regio cultu & apparatu. Recte de hoc ingressu cecinit Malachias: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.* Venit inquam hodie, & tabulas scribere cœpit noui testamenti, & fœderis Patrem inter & homines feriendi, pacti scilicet sempiterni & morte eiusdem post 33. annos confirmandi, cuius heredes omnes fideles, tam Iudæorum, quam Gentilium esse voluit, qui fidem Regum trium imitati, constanter ad finem vsque vitæ doctrinam Euangelicam moribus & doctrina profiterentur: voluit etiam testes illius eosdem esse tres Reges Orientis eum in finem ab extremis ferè terræ finibus euocatos, qui doctrinæ subscriberent Euangelicæ, & eius se primogenitos profiterentur, infinitam post se sobolem Christo de Gentibus genituri. Hinc olim in Iudæa dies ille velut fidei Christianæ initium præcipua solennitate, pari cum natali dominico accensis cereis est celebratus: quo de more ita Ambrosius Ausbertus loquitur. *Si subtiliter*, inquit, *à fidelibus, quæ sit huius diei festiuitas perpendatur, eo deuotionis affectu hanc celebrandam suscipient, quo dominicæ natiuitatis, circumcisionis, atque apparitionis solennia sunt prosecuti. Illius est ista solemnitas, cuius & illa, sed nec minor ista, quam illa: Huius quippe diei festiuitas, sicut à quibusdam Christianis ignoratur, sic à multis præ ceteris anni solennitatibus honoratior habetur: maximè autem eo loco, quo primatum Ecclesia Catholica in primo Pastore sortita est: in tanta enim reuerentia ab illis habetur, vt ea die cunctu ciuitatis turba in vnum collecta, immensis cerorum luminibus coruscans missarum solennia deuotissimè concelebrent, nullusque aditum publicæ stationis intrat, qui lumen manu non tenuerit, tanquam scilicit donum in templo oblaturi, imo etiam susceptur fidei lumen, quo interius fulgent, exterius oblationis suæ religione demonstrent.* Habent hoc ipso die, sexus, ætas, conditio & status omnium, quod exsultent, quasi singulis in hominibus per fidem hodie natus Christus ortus sit: sed paruulus, qui crescentibus paulatim ex hoc tempore diebus crescere & roborari cupit in nobis virtutum quotidianis incrementis: ita vt semper vigeat & floreat, nunquam consenescat. Ideò cunctos ad lætitiam feruenti & diserta hac oratione. S. Augustinus exhortatur. *Exsultent virgines, virgo peperit Christum; nihil in ea quod vouerunt, putent exterminatum: mansit virgo post partum: exsultent viduæ; infantem Christum Anna vidua cognoscit: Exsultent coniugatæ nasciturum Dominum Iesum Christum Elisabeth maritata prophetauit: Nullus gradus prætermissus est, de quo non haberet testimonium salus omnium: Habetis ergo pueri puerum, sancti senes senem Simeonem. si autem quæritis, vt coniugatus aliquis vir testimonium Domino præbeat, Zachariam considerate. Exsultemus ergò carissimi: ab hodierno die crescunt dies: crede in Christum, & crescat in te Deus; credidisti inchoatus est Deus; credidisti natus est Christus in corde tuo. Sed nunquid Christus natus sic remansit? creuit: ad iuuentutem peruenit: sed in senectutem non declinauit, crescat ergò fides tua, robur inueniat, vetustatem nesciat, sic pertinebis ad Christum filium Dei.* Sed licet Iudæis videatur-

Malach. 3.

Lucæ 2.

Aggæi. 2.

tabulas testamenti voluit hodie in templo Patri repræsentare.

testes & heredes eius præcipuos tres Reges constituit.

Dieri illius solemnitas. *Ambrosius Ausbertus. ser. de purific.*

par natalis dominici.

lumen ab omnibus offertur.

Festum omnis sexus ætatis & status hominum.

S. Augustin. ser. de purificat & ser. 20. de tempore.

tur ea potissimum lux exorta gaudium peperisse, Simeon tamen senex in cantico suo satis innuit, Gentium salutem præsignari: licet enim *gloriam* tribuat *Israëli* & fidei quoddam initium, ipsam tamen perfectam *reuelationem* eiusdem & perfectionem Gentibus prænunciat. Vt etiam hoc festo id explicat S. Chrysostomus: dum canticum Simeonis sic interpretatur. *Quod*, ait, *cor ante exspectabat, id nunc conspicati sunt oculi, nihil ergò mihi deest amplius. Ecquidnam illi viderunt? salutare tuum: qualenam illud? quod paratti ante faciem non vnius populi, aut solius Israëlis, sed ante faciem omnium populorum: Qui enim natus est, communis omnium doctor & magister est: Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël: Hic gloria, illic reuelatio: hic doctrinæ initium: illic disciplinæ persecutio.*

S. Chrysost. prædicitus Gentibus fides, & ruina Iudæorum.

Iam tum obcæcatio Iudæorum significabatur: & electio Gentilium, vnde puer idem dicitur *positus in ruinam*, multorum Iudæorum: *& in resurrectionem* Gentilium: vt licet festiuitas illa propria videatur & prima ciuitati Solimeæ, quam tunc ingressu suo Christus sibi dedicauit: communis tamen lætitia Gentibus imperatur, quibus, obcæcatis paulatim Iudæis, potissimum lux illa reuelatur; vnde Cyrillus Hierosolymorum Archiepiscopus, cum Solyma Gentes pariter inuitat ad commune gaudium, *Lætare*, ait, *ex animo filia Sion, gaudium annuncia filiæ Ierusalem. Exsultate portæ & muri Sion, totiusque adeo terræ montes, & colles inclamate, magnaque gaudij significatione exsultate. Hodie glorioſa dicta sunt de te ciuitas Dei Hierusalem, magna Dei ciuitas: Hodie portas illi pandat, qui omnibus cœli portas patefecit. Hodie cœlestis sponsus, qui ex Deipara velut ex thalamo procedit ad templum adscendit: Filiæ Hierusalem lætabundæ sponso obuiam prodite. Agedum festiuas omnes vero illi lumini lampades accendamus, animarumque nostrarum tunicas Christo sponso exornemus.* Hortatur deinde Gentes ad commune gaudium: *omnes proinde Gentes plaudite manibus, omnes fines terræ venite & videte opera Dei: omnis spiritus laudet Dominum, omnis terra adoret, omnis lingua canat & psallat, & gloriosè prædicet puerum, ante dies quidem quadraginta natum, Deum autem æternum. Idem templum ingressus sacrificium secundum legem offert in terris, & piorum omnium sacrificia excipit in cœlis. Idem offertur & offert, sanctificatur & sanctificat omnia, simul ergo cum illo templum ingrediamur.*

S. Cyrillus de purific. Gentiles hortatur ad lætitiam communem.

Ita die hoc Christus seipsum hostiam viuam Patri deuouendo pro humano genere tam Iudæos & Gentes inter se, quam cum Patre cœlesti voluit conciliatos, promisso hanc in rem sanguinis sui pretio post annos 33. persoluendo: sed vti nuper, *in propria cum venisset, sui eum non receperunt*: Sic neque tunc quidem Iudæi, si Simeonem, Annam, & paucos alos exceperis, eum agnoscere voluerunt, satis superque nuper à Regibus de eius aduentu & regno præmoniti, & nunc domesticis duobus Prophetis cum populo velut Messiam exspectatum demonstrante. Quæri posset, num hodierna Christi manifestatio sit illustrior: quam Epiphaniæ, facio cum Petro Simonis sic decidente: *quæ autem 40. à natiuitate ipsius die contigit apparitio, cum in templo tanquam primogenitus Domino offerretur, etsi hæc prima clarior & pulcrior fuerit, attamen non tam præclara & illustris, quam ista quam hoc die (Epiphaniæ) recolimus. ibi enim Christus iustis tantummodo sanctisque manifestatus fuit, primum quidem Simeoni & Annæ, deinde per illos omnibus, qui exspectabant redemptionem Israël. illis certe ac talibus apparitio ista multum profuit, facile apud eos fidem inuenit, sed non sufficit ad permouendos animos scribarum & Phariſæorum, Herodis & Principum sacerdotum: quibus etiam oportebat aduentum natiuitatemque Christi non leui testimonio innotescere, non vanis signis & argumentis testatum fieri: dixissent illi, quæ in Purificatione fiebant deliri senis esse figmenta, ac vetularum fabulas, nihilque minus, quam istarum sermonibus & testimonio credidissent: ob hanc rem Christus eximia ac plane illustria aduentus & præsentiæ suæ hodie argumenta exhibuit, dum cœlesti signo viros sapientia multa, ac nobilitate famaque conspicuos, magno cum comitatu ad se ex Oriente vocauit, seque ab ijs cum præclaris muneribus ac honorarijs adorari debere ostendit, isti demum ac tales Herodem Regem turbarunt; isti Principes sacerdotum ac scribas in vnum coëgere concilium; isti denique totam Hierosolymæ ciuitatem commouerunt, omnesque in noui Regis ortum ac præsentiam intentos fecerunt. Hoc est Epiphania seu manifestatio illa orbium celeberrima.*

Petrus Simonis 1. *tract. de Epphan.* Epiphaniæ festum multo solenius quam purificationis.

CAPVT XI.

Iudæorum obcæcatio Christum respuentium, vt lapidem offensionis.

Iudæi inuitantur ad Messiam recipiendũ.

VENERANT nuper Triumuiri Reges ex Oriente duce stella, & cum vate Euangelico concinebant, *Surge & illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Inuitarunt, vt *gloriam* ortam *Domini* secum intuerentur : ipsa venit hodie *Lux mundi & gloria Domini* in Ierusalem, quam præsentem Simeon & salutauit, & verbis istis tribulibus suis demonstrauit : *lumen ad reuelationem Gentium : & gloriam plebis tuæ Israël :* nec adhuc recipere venientem, vel adspicere voluerunt ; Christo conquerente : *venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem* : vt ideo dicantur Magi Gentiles venisse *ab Oriente*, quasi ad occasum Solymorum : *merito sane*, ait S. Bernardus : *ab Oriente veniunt, qui solis iustitiæ nouum nobis ortum annunciant, qui lætis rumoribus totum mundum illuminant : nisi quod infelix Iudæa, quia lucem oderat, ad fulgorem nouæ claritatis obtenebratur, & caligantes oculi eius coruscante radio solis æterni multo magis excæcantur* : vt enim noctuæ, & vespertiliones ob debilem oculorum aciem minimo solis radio cæcutiunt, nec prodire, dum lucet meridie, audent, cum aquilæ directis obtutibus solem intueantur, sic Iudæi iam in occasu constituti, ob vitiorum omnium sentinam, ad solis iustitiæ exortum, cum luceret Hierosolymæ, sese occultarunt : nec fuit, qui prodiret in publicum, & eum auderet in foro, vel coram Herode natum & exspectatum Messiam, vti Reges Gentiles, confiteri : iam enim noctilucam Herodis flagitiorum omnium Patroni & tutoris cynthiam præ sole Christo palam adorabant. Hanc publicam Gentilium præ Iudæis Christi agnitionem, & Balaami oraculum, & asinæ ipsius proni in terras animalis articulatus sermo figurauit : quod propensa Gentilitas in cultum idolorum de terra vel lapide fabricatorum ; ad stellæ exortum Deum præ Iudæis esset cognitura, ipsa in ortu ; Iudæa in occasu constituta vt S. Maximus ratiocinatur.

Ioan. 3.
S. Bernard. ser. 3. de Epiphan.

sed obtenebrantur vt noctuæ.

Gentilium fides figurata in asinæ locutione.

S. Maxim. ho. 3. in Epphan.

Fuit, ait, *hoc quantum æstimari licet, supernæ dispositionis arbitrium, vt inter sacratissimas Prophetarum voces, etiam ab infideli homine eius prædiceretur aduentus, qui pro fidelium infideliumque erat redemtione venturus ; & ea nimirum ratione prophetat idolorum sacerdos, vt si Iudæis prædicatoribus de aduentu Christi credere forte Gentilitas renuisset, suorum saltem testimonium sequeretur autorum ; nec dubitemus omnipotentem ac benignissimum Deum Balaam illi alienigenæ præsentiæ dare potuisse sermonem, qui asinæ ipsius linguam in verba potuit humana laxare : loquebatur igitur asina sessoris arioli, pronum quippe animal, & naturaliter inspiciens terram, vt manifesto signaret indicio, quod vniuersa Gentilitas, quæ aris dedita & in terram semper perfidiæ suæ pondere pressa despiciens omnipotentis Dei cultum tacita erat & muta, aduentante stella ex Iacob & homine ex Israële, erectis ad cœlum oculis æterni Dei gloriam quotidianis esset confessionibus locutura. Venit ergo ab Oriente illuminata Gentilitas : Iudæa verò durissimi sui cordis infidelitate cæcata remanet in occasu, quomodo autem non verè in occasu, & in tenebris tabescit omnis contumacia Iudæorum, qui indefessi solis præsentiam respuebant ; diem perpetuum perdiderunt.* Quod eo magis est demirandum, cum enim in Iudæa, parentibus Iudæis, tempore Iudæis tot oraculis indicato ; in loco, quem ipsi Principes sacerdotum eo ipso tempore Gentilibus demonstrabant, ille promissus eisdem, & tanto Patrum desiderio exspectatus, nasceretur : is à solis alienigenis, monstrantibus tamen Iudæis, agnosci meruit, recipi, & adorari : idem cum Solymam veniret ipse suos vt ciues illuminaret, & se offerret Messiam omnibus ; nec agnosci, nisi à Simeone, vel Anna potuit, populo sensim in necem eius cum Herode conspirante. Recte S. Chrysostomus : *Iudæa Christum peperit : at orbis terrarum excepit : Synagoga ipsum aluit, Ecclesia ipsum tenuit : idcoque posita est apud illam palmes vitis, & apud me racemus veritatis ; illa racemum vinaeniauit, & Gen-*

Iudæa in occasu erat.

cæcitas eius.

S. Chrysost. in natiuit. Domin.

tes

es mysticam potionem bibunt: illa granum frumenti in Iudæa seminauit, & Gentes fidei falce segetem messuerunt: Gentes rosam piè decerpserunt; & apud Iudæos spina incredulitatis remansit: pullus auolauit, & assident modo stulti folia literæ interpretantur Iudæi, & fructum spiritus Gentes decerpunt.

O quantis se bonis cæci Iudæi sua infidelitate spoliarunt, & quantis donis cœlestibus Gentiles fide Christi sunt cumulati? Cæci Iudæi in Christum veram petram incurrerunt, offenderunt, & contriti sunt: quam piè & religiosè Gentes oculatæ fide receperunt: *& facta in caput anguli est*, basis simul & fundamentum Ecclesiæ, quo solo *lapide angulari* fulcitur, & sustentatur. Ideo S. Augustinus: *Væ*, ait, *Iudæis: quia cum iaceret humiliter Christus* (& pauperis matris portaretur manibus pariturum redimendus) *offenderunt in eum, non est, dicunt, homo iste à Deo. Insane iacet lapis, & ideo rides, sed cum rides, cæcus es, cum cæcus es, offendis, cum offendis conquassaris, cum conquassatus fueris, illo modò iacente, postea veniente desuper contereris, sicut prædictum erat Mat. 21. qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum.*

damna ex citatis huius.

S. Augustin. ser. 40. de verbis Domini.

Hoc sensu gemit Simeon de Iudæis, & ait: *Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël*: in ruinam multorum & optimatum Iudæorum, qui abusi proprij arbitrij libertate, Christi fidem admittere noluerunt: vt enim idem cibus sumtus stomachis sanis conducit ad vigorem corporis conseruandum, vires augendas, morbos profligandos: ægris vero proficit ad morborum incrementa, noxios & pernicioſos humores generandos: sic idem Christus, cuius aduentus Gentilibus profuit ad anastasin & gloriam sempiternam: idem Iudæis cœcis nocuit, vt perfidia sua fuerint condemnati. Quam rem aptis similibus illustrat Procopius Gazæus in Exodum. *Christus*, ait. *positus est in ruinam: non quod bene stantem gradu deijciat, & prosternat, absit: verum secundum liberum arbitrium: qui ipsum non suscipiunt* (Iudæi) *autor est ruinæ, qua non corruissent, si ipse non aduenisset: Quemadmodum nisi venisset, nec qui ciderant* (Reges tres Gentiles) *surrexissent. Pari ratione sermo eius vnus idemque cum sit, auditoribus non videntibus causa est, vt videant: quibusdam* (Iudæis) *qui ante aduentum eius erant oculati* (credentes Messiam venturum) *causa est, vt nunc cæcutiant* (non recipientes præsentem) *Exempli causa, Iudæ attulit ruinam, Paulo attulit resurrectionem. Et cum quidem Iudas foret in numero videntium, quando misit duodecim Apostolos, vt Apostolico munere fungerentur, tandem in numerum cæcorum relatus est, cum Diaboli instinctu pergeret prodere Saluatorem mundi. At Paulus cæcitate laborabat, expertus auxilium Dei, cæcitas mentis fugata est. Habebat enim Dei Zelum, bona facere instituens, licet non secundum scientiam. Sic sol calidus existens vnâ operâ ceram dissolvit, & liquat, lutum verò indurat. Atque adeo istos producit effectus, vt cera signum, quod exprimitur, recipiat, lutum verò induratum illud repudiet. Non aliter nos comparati sumus, vt vel recipiamus vel respuamus signum siue characterem diuinum.*

prædicta à Simeone *Luc. 2.* simile de cibo.

Procopius Gazæus in Exodum.

Quam beneficus in humanum genus est sol? Quis mortalium eius caloris & luminis expers est? *Quis abscondet se à calore eius?* inuenti tamen Æthiopes quidam vel alij barbari sunt, qui non more Gentium Mithram, vt Deum adorarent, sed sagittis confixuri, in eum, vt scopum, iacularentur: non solis vitio, sed propriâ maleuolentia: sic dum Gentiles Reges Messiam natum Iudæorum, vt solem iustitiæ venirent adoratum, ipsi sacerdotum principes eundem Herodi produnt occidendum: non prodidissent, nisi veniſſet: venerat, vt ipsis salutem & regnum cœleste deferret, ipsi suâ perfidiâ, improbitate & malitia perire maluerunt: quàm tam pauperis matris filio, quem Simeon demonstrabat, suam tribuerent salutem & beatitatem. De hoc Theodoretus, *Non quod per hoc declaretur, talem fuisse Domini scopum: neque enim huius rei gratia venit, vt reddat eos, qui vident, cæcos, sed quod factum est, indicauit: ipse enim vult omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis peruenire. Cum igitur humana natura arbitrij libertatem habeat, qui crediderint, saluabuntur, qui verò non crediderint, gehennæ fiunt sibi autores. Sic & Iudas, qui Apostolus erat, cum antea cæcus esset, postea visum recepit. Sic per aduentum saluatoris plurimi excæcati sunt, Gentes autem visum receperunt: Nam tamen*

Ps. 18. solem alij adorant, alij, sagittis petunt.

superbia Iudæorum.

lib. qq. in Exodum q. 12.

Christus venit vt omnes saluifierent.

secundum liberi arbitrij vsum omnes saluantur vel damnantur.

men obiid, quod quidam aduersarij non erant credituri, dicendum est, dispensatio-
nem saluatoris nostri non secundum carnem extitisse: hoc enim priuaret orbem sa-
lute: sic & perdiuinus Simeon dixit. Ecce hic positus est in ruinam & resurrectio-
in stadio omnes currunt. *nem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur. Verum tamen hoc ignorare*
non oportet, quod Deus omnium præsentem vitam stadium hominibus esse declara-
uit; vt qui certant in eo propriam scopum declarent, in futuro vero seculo iustè iu-
dicans, illos vt victores athletas coronabit, hos vero puniet tanquam autores nequi-
tiæ. Et quia non omnes credunt esse aliquam futuram vitam aliam, Deus omnium
etiam in hac vita quosdam palam punit flagitiosè viuentes, & vicissim alios religio-
nis studiosos, non mediocriter collaudat. Quapropter diuinus Apostolus Ro. 9. quos-
dam iræ vasa, nonnullos vasa misericordiæ nominauit, quia per illos declaratur
Exemplo. *Deus nempe dum iustè punit tanquam Dominus, per hos autem, dum virtutis stu-*
diosos omnimodo cura & prouidentia prosequitur. Montis ardui difficilis adscensus
in debili & infirmo corpore, morbos non tam facit nouos, quam ostendit veteres
& latentes: sic & Christus dum pauper Solymam portatur, offertur, & egenorum
more redimitur, licet à Simeone *Salutare* vel *Salus omnium populorum* nomine-
tur, ab Anna *redemtionem Israëlis exspectantibus* vt Messias demonstretur, non
excipitur cum plausu velut diu desideratus; sed proditur ad necem Herodi parri-
cidæ, *petra* fiebat *scandali* superbis & diuitibus Pharisæis, quem Reges pauperem
Cyrill. Alex. l. 6. in Lc. c. 21. inter pecudes abiectum vt Deum adorarant. Christus quidem, ait Cyrillus Alex.
in ruinam eorum est, qui impegerunt in lapidem offensionis, & petram scandali,
& incredulitate mentis suæ, & obstinati animi duritia, credere in ipsum renue-
runt: in resurrectionem vero illorum qui doctrinam eius amplexi sunt, & mandata
Reges petrã adscenderunt. *seruarunt, per quæ ab imo barathro damnationis ad virtutis culmen &*
cæli celsitudinem perducti sunt: Sano vegeto & robusto erant pectore & animo
Reges Orientis, petram arduam animosè conscenderunt, & ad apicem Christianæ
perfectionis eluctati ipsum Apostolicum fastigium in cœlis fide & constantia obti-
Simeon ad petram allidit rostrum vetulum vt renouetur iuuentus eius. nuerunt. Ipse etiam senio decrepitus Simeon fide tamen & animi virtute vegetus,
quasi rostro adunco ad petram allisso, & deposito recrescentibus nouis plumis cœpit
reflorere, & valere, primæuo quasi flore iuuentutis aquila, dum suis vsurpat oculis,
& tremulis portat brachijs hoc mundi salutare: & vt sibi & quibusdam fidelibus ad
vitam & gloriam sempiternam, sic cœcis & obduratis cecinit venisse Christum in
ruinam, vt testatur S. Fulgentius, *Certum est*, ait, *omnes penè hæreticæ prauitatis*
S. Fulgent. lib. 1. ad Trasimundũ Regem c. 4. Hæreticis Christus petra scandali. *errores hinc quibusdam multipliciter subrepsisse, dum magnum pietatis Sacramen-*
tum, quod manifestum in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, præ-
dicatum est Gentibus, creditum est in hoc mundo, adsumtum est in gloria, nonnulli
aut non sicut est, credunt, aut omnino non credunt. Et ille lapis, qui ab ædificanti-
bus reprobatus, in caput factus est anguli, quibusdam prauæ credulitatis cæcitate
possessis lapis offensionis, & petra scandali efficitur. Vnde non immerito, dum Simeon
infantem Christum, templi Dominum ad templum suum præcepto suæ legis allatum
gaudens vlnis meruisset gestare senilibus, & figuram gerens præsentis æui carnali
senio iam defessi, nouum vetulus hominem sumeret, eum scilicet, qui solus posset ex
peccatoribus iustos facere, sed & longæuo dicenti, Tu es Deus Saluator meus, & te
exspectaui toto die, non solum inolitam vetustatem tollere, quin etiam iuuentutem si-
cut aquilæ renouare: vtpote qui etiam Apostolica tuba foret veraciter cantura, sicut
est veritas in Iesu, deponere nos secundum pristinam conuersationem veterem homi-
nem, qui corrumpitur secundum desiderin erroris, vt renouemini spiritu mentis ve-
stræ, & induatis nouum hominem eum, qui secundum Deum creatus est, in iustitia
& sanctitate veritatis. Ille igitur Simeon, mundanæ cernens adesse saluationis ac
renouationis effectum (non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum: sed
vt saluetur mundus per ipsum) cum primum se vitæ præsentis angoribus precare-
tur absolui, dicens, nunc dimitte seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in
pace, & paulo post, hoc de ipso testatur, ecce positus est hic in ruinam & resurrectio-
Ad Gentiles hodie Christus se conuertit. *nem multorum. Ibi ergo malè credentibus ruinam perfidia generat, vbi recta cre-*
dulitas fideles exaltat. Ita dum in Solyma ciuitate sua Christus ab optimatibus ho-
die nec agnoscitur nec recipitur, sed velut *fabri filius* despicitur, & Herodi proditur

occi-

occidendus; egreditur *ad ruinam Iudææ* significandam: in Ægyptum breui secedit legatus Dei patris futurus ipse ad Gentes, vt ijs fidem & regnum ab Israëlitis contemtum offerat: *Lumen ad reuelationem Gentium* & confusionem *plebis suæ Israël* quæ dum *salutare* respuit & resurrectionem: ruinam subit sempiternam. Rectè Mussus Episcopus Bitontinus ideo Gentilitatem sterili comparat Annæ, cui hodie conferri cœpit aut promitti saltem fecunditas præ ea, qua Phænenna claruit. *Lætare*, ait, *Anna; æmula tua Phænenna, quæ vsque huc tot peperit soboles, quot gramina vestiunt terram, & superbiens tuam tibi ausa est exprobare sterilitatem, hodie à suo marito velut adultera repudiata est; & tu ex mera Dei gratia ad eius confusionem fecundaris: dilata tentoria tua, amplientur ædes tuæ, ab Oriente enim vsque ad Occidentem, & à mari ad mare terra electo semine tuo implebitur, filius qui natus est, tibi natus est: nasci debebat Synagogæ, sed illa per incredulitatem suam se eo reddidit indignam. Illius ruina tua resurrectio, illius peccatum tua est gratia, eius diminutio, tua est plenitudo, eius damnum tua est salus*, Gal. 4. *Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis, quam eius quæ habebat filios.* Mussus Epiſc. Bitontinus. ho. de Epiph.

CAPVT XII.

Herodes occasione Christi oblati delusum se deprehendit à Magis.

REDIBAT Solyma Nazarethum versus Deipara cum infantulo & Ioseph, cum dæmon per suos administros & satellites Iudæos & Herodem necem puero machinatur. Illi illi Principes sacerdotum, qui publicantibus nuper ortum Messiæ Regibus, qui monstrante præsentem Simeone & Anna, suscipere vt exspectatum Messiam; vereri vt Regem; adorare vt Deum debuissent, iam in memoriam Herodi redigunt Magorum discessum, & fugam clanculariam, pueri in templo factam repræsentationem, Simeonis senis oracului. Iam diabolus sibi & regno suo in Iudæa stabilito metuebat: quid enim adultus & vir non faceret in gente sua, qui puer in cunis tria iam regna Orientis tartariæ eripuerat potestati? Ita per Iudæos plus Herodis, quam Messiæ studiosos, Magorum perfidiam apud Herodem accusat, si vt contra promissa deprehenderit in regna sua redijsse, aliâ viâ puero mortem machinetus. *Herodes*, ait S. Chrysologus: *quærebat, sed quærebat diabolus per Herodem, qui videbat sibi Magos, quos habebat in erroribus suis principes aufugisse, Christus si vinctus pannis, si sub matris vberibus occupatus, si tacens lingua, si latens opere, si gressu nullus, diaboli signiferos, hoc est Magos in duces fidelissimos commutavit, perfectæ ætatis Christus quid posset facere, diabolus iam videbat, & ideo mouebat Iudæos, instigabat Herodem, vt Christi suspectam sibi præueniret infantiam, vt futura virtutis eius anticiparet insignia, vt peremtorium sibi, nobis victoriosissimum vexillum Crucis callidus machinator auferret.* Ita principem necis struendæ Christo facit architectum dæmonem, ministros & proditores Iudæos, carnificem Herodem; quod tunc agitatum videtur præcipuè, cum puer ipse visus in vrbe regia diceretur: Nam & Magorum dicta & visa confirmabantur, & quod non redierant iuxta fidem datam, tunc primum mouit suspicionem: Poterant Iudæi, poterat Herodes antea credere deceptos errore fuisse nec inuento, quem quærebant puero, redisse clanculum, ne tanti principes decepti vanæ & temerariæ credulitatis ergò riderentur: Iam verò cum more præscripto Iudæorum oblatus in templo diceretur, cum senis Simeonis & Annæ oracula diuina passim in compitis personarent; cum ipsi principes sacerdotum, quæ in templo gesta ferebantur circa fabri (vt dicebatur) filium, ægris accepissent auribus & animis, qui potius Herodi studerent, quam sperarent per hunc pauperem & egenum emergere; non potuit ea res diu Regem in vrbe commorantem latere, vt exinde nata sit cupiditas perueſtigandi de Magis, an & quâ viâ in Orientem redijssent: Hæc est expressa S. Augustini & Bedæ; Recentiorum verò communis sententia, quod occasione repræsentationis Christi cœperit notare tyran-

optimates Iudæorum armant Herodem in puerum.

diabolus metuit regno suo.

S. Chrysol. ser. 150.

ob ereptos sibi tres Reges.

concitat Iudæos & Herodem.

occasione repræsentationis.

principes sacerdotũ indignati dici ea de fabri filio.

adhærent Herodi.

tyrannus à Magis se esse delusum & circumuentum. *Omitto* (ait S. Augustinus) *dicere quot, & quantis occupationibus regia cura distendi potuerit, & per plurimos dies ab illa intentione vel auerti omnino vel impediri: illud dico posteaquam Herodi Magi nihil renunciauerunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquam non inuenerunt, quem natum putauerant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo & persequendo puero quieuisse. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ dictæque fuerunt, Herodes à Magis sensit se illusum, & infantes occidit.*

S. Augustin. l. 2. de consensu Euan. c. 11.

Beda: *Verisimile est, quod postquam Magi nihil renunciauerunt Herodi, eum putasse, eos fallaci stellæ visione deceptos, ad se non inuento rege nato erubuisse reuertere, & ita timore depulso aliquod temporis quieuisse de persequendo puero: sed post rebus diuulgatis, quæ in templo factæ dictæque fuerunt à Simeone & Anna sensisse se à Magis illusum, ac deinde ad necem Christi cupiens peruenire.*

Beda in 2. Matt.

Iansenius: *Tunc*, inquit, *hoc est cum iam Ioseph cum puero & matre fugisset in Ægyptum; nam quamuis ab aduentu Magorum vsque ad fugam in Ægyptum multi dies intercesserunt, tamen antea Herodes vel non aduertit se deceptum à Magis, implicitus scilicet & distractus alijs negotijs, vel quod est verisimilius, cum non statim ad ipsum secundum promissionem redirent Magi, credidit illos spe sua frustratos præ pudore noluisse reuerti, sed cum ex his, quæ quadragesimo die in templo dicta fa-ctaque erant, rumorem nouum nati Messiæ sparsum audiret, intellexit à Magis sibi illusum*: Salmeron tract. 44. *Exponendum est quod tunc, id est, post 40. dies, & Christi fugam viderit Herodes se delusum, & tunc iratus sit valde, ante purificationem enim virginis, & præsentationem Christi in templo, non se vidit illusum, nec iratus est Deo illum obcæcante, ne infans cum vitæ periculo maneret in Bethlehem, illa autem obcæcatio contingere potuit, vel quod esset alijs negotijs, & curis grauioribus, quæ non sinerent cogitare de Magis præpeditus, vel quod putauit Magos multis diebus eguisse ad inquirendum, humanaque inuestigandum Messiam industria & diligentia. Nec enim credebat stellam illis orituram fore, & indicaturam domum vt orta est & indicauit, vel existimabat Magos illusos fuisse, & nullum talem infantem inuenisse, & præ pudore vt illusos nihil sibi renunciantes recessisse. Quemadmodum enim audita historia stellæ, quæ illis apparuit in Oriente, & duxit illos in Ierusalem, cuius in ingressu delituit, rebatur fortassis Herodes illusionem fuisse, & non veram stellam, ita putare poterat Magos Messiam Regem in Bethlehem non inuenientes in regionem suam redijsse, & erubuisse deceptos reuerti ad eum, vt docte & argutè coniectat* S. Augustinus.

Iansenius l. 11. concordia.

Salmeron tract. 44.

Franciscus Lucas: *Tunc*, ait, *cum in Ægyptum Christus subductus esset, prius enim Herodes Magos ipsos delusos fuisse credebat, ac proinde erubuisse reuerti, nullum vbi audiret ipse rumorem de inuento recens nato Rege Messia. Cum vero ex his, quæ 40. à natiuitate Christi die Hierosolymis in templo acciderant, nouus nati, & in templo exhibiti rumor sparsus esset, audissetque referri, quæ illic prophetata erant, videret etiam tempus purificationis consonum tempori exortus stellæ, quod à Magis exquisierat, tunc demum sibi à Magis impositum fuisse sensit. Sed priusquam id sentiret Angeli, monitu opportunè in Ægyptum à Iosepho fuga inita est.*

Fran. Luc.

Cornelius à Lapide: *Herodes videns Magos non redire, cogitabat eos forte delusos, nec inuenisse Christum, ideoque ex pudore non ausos ad se reuerti: at vbi audiuit ea, quæ in præsentatione Christi in templo die secunda Februarij contigerant, quomodo scilicet S. Simeon & Anna palam professi fuissent, illum esse Messiam, hoc est lumen ad reuelationem Gentium, vidit se à Magis delusum.*

Corn. à Lap.

Non est quod addam horum & in primis doctissimi & linguarum peritissimi interpretis Francisci Lucæ tam congruæ rationi: vt non nisi peracta Solymis Christi repræsentatione suspicio fugæ clandestinæ SS. Regum mota fuerit: Quamuis antequam missis quaquauersum exploratoribus de discessu Magorum inuestigando: & abmenstruũ elapsum spatium ante infanticidium.

legatis in Bethlehem de puero nato perquirendo nuncijs, ac comperto discessu Regũ & pueri: cum aliud pueri necandi consilium iam non suppeteret, nisi pueri omnes recens nati necarentur; dum communicat ante, vt multi volunt cum Cæsare, vel cum Præfectis eius consilium, menstruum facile potuerit elabi spatium, interim Christo cum matre & Iosepho in Ægypto, vt iam dicetur, delitescente.

C a-

CAPVT XIII.

Fuga Christi in Ægyptum prima eius ad Gentes Legatio & expeditio fuit : & è quo loco sit adornata.

PRincipes sacerdotum & scribæ Solymis vel visis vel auditis gestis rebus circa pauperem & rerum omnium egentissimum puerum Christum, necem illi per Herodem machinabantur : & Iudæi fratres & cognati Domini, quem eiectum ex vrbe inter pecudes Bethlehemi detruserant, iam mortis ipsius fiebant architecti, vt conqueratur de ipsis S. Augustinus : *Ecce Magi primitiæ Gentium offerunt munera, non solum aurum, thus & myrrham, verum etiam animas suas : & vos repudiat inimquitas propria : vt illum, qui vos venit obligatos liberare, dementes effecti quæratis occidere.* Interim vero dum repudiato mundi Saluatore sanguinem eius sitiunt Iudæi, ecce tibi ad Gentes vocantes & exspectantes Legatus à Patre mittitur, vt quorum in Magis salutis desiderium viderat, ijs ipse sua præsentia salutem adferret, quam Iudæi cæci respuebant. Hinc illæ Abdiæ vatis voces. *Auditum audiuimus à Domino : Legatum ad Gentes misit : surgite & consurgamus aduersus eum in prælium.* Ceperat iam puer fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ Regibus tribus Orientis sibi subiugatis, primam ipse parat expeditionem in Ægyptum contra dœmonem, qui potissimum ibi dominabatur, ipse deiectis idolis prælium contra tartarum moliturus, & Gentes fidei suæ luce ad idem inuitaturus : vnde hortatur exemplo suo ipse, *surgite & consurgamus aduersus eum* (dœmonem) in prælium. Quocirca locum hunc, vt alibi dixi, S. Hieron. Remigius, Rupertus & alij de Gentium vocatione solent interpretari.

Iudæi necẽ parãt Christo.

S. Augustin. lib 4. ad Catech. c. 5.

Iesus legatus ad gentes destinatur.

Abdiæ 1.

excitat eas in prælium contra dœmonem.

Quam prudenter nouit ille puer de malis magnis maiora bona elicere, vt dum necem ipsi cum Herode Iudæi moliuntur, fuga tunc quidem se subducat, Gentilibus Ægypti, idolis ipsorum fractis, euersis, dissipatis fidei Christianæ sementem sparsurus, è qua tot myriades Religiosorum, vt alios taceam, & Martyrum chiliades in Thebaide & vicinis locis successu temporis pullularent : exemplo futurus Apostolis, præstare furorem hostium quandoq; declinare, quam prodigijs magnis non necessarijs impedire : & latendum nonnunquam vtilius, vt pluribus Christo aggregatis, cum Deus, fides & ratio postulat; vita in propatulo pro Dei gloria, non clam in insidijs, ponatur generosè. Hanc rationem disertissimè pertractat auriſluo sermonis flumine S. Chrysologus : Qui cum multis miratus illud fugæ genus esset, à populo Dei ad Ægyptum sacrilegam & quidem in Christo, cuius erat fortitudinis & constantiæ exemplis nobis præluceret : subdit emolumenta & bona mortalibus conseruata, quæ nisi per fugam nobis perijssent. *Fuge*, ait, *in Ægyptum, reuerentiùs diceret, vade in Ægyptum, vt esset profectio, non fuga; voluntas, non necessitas; iudicium, non metus : humanum saltem, si non diuinum : at nunc mandatur fuga, mandatur cælitus, mandatur per Angelum : vt videatur cælum ante timor tenuisse, quam terram. Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum. In Ægyptum fuge, à tuis ad extraneos, ad sacrilegos à sanctis, à templo tuo ad dæmonum fana; ad idolorum patriam à regione Sanctorum. Sic Iudææ non sufficit latitudo; sic angustatur seculi diffusa possessio; non capit secretum templi, sacerdotum turba non suscipit, non abscondit numerositas inuestigabilis cognatorum, vt ad Deitatis latebras profana Ægyptus conducatur? Sic res vrget, si non vacat intueri verecundiam virginis, laborem matris, sexus pudorem, periculum in Ioseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus, & quod his durius, Iudæos peregrinaturos in Gentibus &c. Et vbi est illud Domine refugium factus es nobis? & Deus noster refugium & virtus, si refugium fugit? si timet virtus, si præsidium migrat? quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen? Eliæ contra insidias liberi Regis vidua vna sufficit, Christo contra Herodis captiui minas Iudæa tota non sufficit? Elias missos ad se cœlesti igne consumit, Christus sola fuga sit saluus?* Causa deinde fugæ Chri-

sapientia & bonitas Dei.

Ægyptum adeuntis.

cessit furori.

S. Chrysolog. ser. 151.

fuga ei mandata cælitus.

ad exteros.

difficili & molesto labore Deiparæ.

Ps. 80. Ps. 45. 3. Reg. 17. 4. Reg. 8.

Christi has adducit. *Fratres quod fugit Christus fuit mysterij, non timoris,*

causæ fugæ. 1. *fuit liberatio non periculum creatoris, diuinæ virtutis fuit, non fragilitatis humanæ: non fugit propter autoris mortem, sed fugit propter seculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se parumlum permisisset occidi. Christus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis, & ipse faceret, quæ facienda mandauerat, & visu probaret possibilia, quæ impossibilia putabantur auditu. Venerat diabolum publico superare conflictu, vt ab omnibus & diuino superaretur iussu, & humano prosterneretur exemplo. Venerat introducere ad fidem Gentes, venerat eligere Apostolos doctores orbis, eosque cœlestibus implere doctrinis, venerat mortem perdere moriendo: omnia vtique hæc perijssent nobis, si Christus cum esset in cunabulis non fugisset.*

frustra natus fuisset si tunc perijsset. 2. causa. *Hinc est quod Christus fugit, vt nostras fugas in persecutionibus temperaret. Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persequentem, vt & persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi: Orate*, inquit, *pro persequentibus vos.* Et sermone

3. causa. præcedenti fugæ causam illam etiam prætexit, quod palam vellet de hoste triumphare. *Bellicosus*, ait, *quod in bello fugit, artis est, non timoris: Deus quando fugit hominem, Sacramenti est, non pauoris: potens quando se subducit infirmo insequentem, non pauet, sed foris producit: vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam. Occultum se non patitur inire conflictum, qui*

vt apertè in cruce vinceret diabolum. *mandare suum seculis vult triumphum, secreta victoria, virtusque latens exemplum posteris non relinquunt.* Sed quando credimus Angelum Ioseph no-

vnde discesserit Ioseph in Ægyptum. Nazaretho. ctu fugam in Ægyptum imperasse? an Ierosolymis, an verò Nazarathi, vel dum Nazarethum contenderent? hic enim inter se grauissimi dissident Doctores. Ac S. Lucas quidem statim peracta purificatione Nazarethum abijsse vult. *Vt perfecerunt*, ait, *omnia, secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth*: Et ex hoc loco fugam Iosephum adornasse post

Luc. 2. *S. Augustinus. Anselmus. Theophyl. Euthymius. S. Chrysost. hom. 9. in Matt.* Anselmum & Theophylactum ita docet Euthymius: *Completis 40. diebus purificationis, sicut dicit Lucas, adduxerunt Iesum Ierosolymam, vt sisterent illum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, & vt perfecerunt reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth: & exinde statim Angelus apparet Ioseph in somnis iubens eos in Ægyptum fugere.* Et ante hos S. Chrysostomus,

Abulensis Corn. à Lap. Maldonat. *Distulit*, ait, *donec purificaretur, & veniret in Nazareth: ac tum demum in Ægyptum descenderunt.* Hanc sententiam sequitur Abulensis, Cornelius à Lapide, & Maldonatus, his verbis moræ causam attexit. *Inter discessum Magorum & puerorum cædem aliquantum intercessisse temporis necesse est, & quia vicesimo septimo post adorationem die Christus est in templo Ierosolymæ repræsentatus Luc. 2. & quia aliquandiu post mansit in Nazareth Lucæ 2. & quia credibile est Herodem, quamuis cruentum & crudelem tyrannum, prius tentasse, an Christum in-*

cur distulerit Herodes infanticidium. *venire posset, vt solum occideret, quam omnes infantes trucidaret, quod se sine magno totius populi in se odio facere non posse non ignorabat, cum ex Ioseph o intelligamus, eum omnibus modis gratiam populi venari solitum, ne tanquam peregrinus de regno deturbaretur: quæsito igitur prius Christo, nec inuento, ne vnus euaderet, omnes inuadit, quod sine aliquanto tempore fieri non potuit.*

Et hæc communior sententia pro ijs facit, qui dilatum infanticidium aliquot menses volunt. Quamuis mensis vnus, & descensus in Nazareth & habitationis in Ægypto posset sufficere. S. Augustinus lib. 2. de consensu Euangelistarum

ante reditū in Nazareth facti docet. *S. Augustin. & Beda in Luc. 2.* cap. 5. vult S. Iosephum ab Angelo monitum ante, quam rediret Nazarethum: vt è Iudæa statim in Ægyptum se reciperet, quem sequitur V. Beda & ita conciliat S. Lucæ Mathæum Euangelistam. *Prætermisit hoc loco Lucas, quæ à Matthæo satis exposita nouerat, Dominum videlicet post hæc, ne ab Herode necandus inueniretur, in Ægyptum esse à parentibus delatum, defuncto que Herode sic demum in Galilæam reuersum Nazareth ciuitatem suam inhabitare cœpisse. Solent enim Euangelistæ singuli, sic omittere quædam, quæ vel ab alijs commemorata viderint, vel ab alijs commemoranda in spiritu præuiderint, vt continuata suæ narra-*

narrationis serie quasi nulla prætermittere videantur. Quæ tamen alterius Euangelistæ considerata scriptura, quo loco translita fuerint, diligens lector inueniat.

Euangelistæ considerata scriptura

Quasi diceret: Lucas narrata purificatione, & omissa fuga in Ægyptum (quam S. Matthæus exposuerat) reditum in Nazareth subiunxit purificationi, cum longè post euenerit: Sensus enim S. Lucæ est, *Postquam perfecerunt omnia secundum legem, & postquam in Ægyptum confugerunt* (de quo S. Matthæus narrat) *reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam*, ex Ægypto reduces. S. Bonauentura vult Deiparam post purificationem Elisabetham inuisisse & infantem Ioannem: & cum tenderet Nazarethum, nec intrasset, Angelo monente fugam in Ægyptum suscepisse. Ad quam sententiam his verbis trahit Barradius noster eiusdem etiam assertor Ammonium Alexandrum. *In qua*, ait, *sententia videtur fuisse Ammonius, si rectè ab interprete Latinitati donatus est: sic enim scribit in Harmonia Euangelica. Ioseph rediens Nazareth oraculo admonitus est, vt fugam in Ægyptum infantis vitæ consulat. Rediens*, inquit, *quasi dicat, in ipso itinere, cum rediret domum. Neque vero à verbis Lucæ dissentit hæc sententia: sic enim exponi possunt, vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth. reuersi quidem sunt, sed ab ipso itinere ad fugam reuocati.* Consentit Caietanus & alij. Franciscus Lucas putat eos Bethlehemum versus rediisse & in via admonitos. Statim, ait, *à purificatione verisimile est contigisse hanc Angeli apparitionem: à purificatione enim videtur sensisse Herodes sibi à Magis esse impositum. Quidam putant Ierosolymis adhuc existente Iosepho cum matre & puero accidisse. Sed quid est quod noctu fugeret? verisimilius est Bethlehemum reuertenti, aut certè reuerso Angelum mox apparuisse, ac fugam mandasse.* Et infra. *Ierosolymis*, ait, *non sunt reuersi Bethlehemum; sed ex itinere Dei monitu fugam inierunt, aut si reuersi fuerint, mox fugerunt, priusquam Herodis adessent ministri.* Salianus probat Barradij explicationem sententiæ Ammonij & S. Lucæ, quamuis communiori & primæ subscribat, & nocte velit adornatam fugam, *possumus*, ait, *tamen communem sequi sententiam de reditu in Galilæam, nocturnaque inde profectione Ægyptum versus in signum promptissimæ diligentiæ in re tanti momenti, vtque discessus esset occultior, vitatis vicinorum ac propinquorum interrogationibus, quibus si nil responderetur, aut dissimularetur, suspecta res fieret, sin responderetur, quod res erat, res diffunderetur latius, & per quosdam ad Herodem ipsum perueniret.* Mihi sane posterior S. Augustini & aliorum sententia placet, ante, quam in Galilæam perueniret, monitum esse, & in Ægyptum deflexisse: forte enim vel vnum diem processerant, cum iussi eadem nocte sunt. Aut certe diuino concilio eadem die nec Hierosolymis substiterunt; sed ad vicinum diuertere oppidum aut vicum: vt recte Bonauentura putat domum Zachariæ, quæ parum aberat, è qua monitu cœlesti ipsa statim nocte iter Ægyptum versus adornarunt, vt Adrichomius in chronico post purificationem ponit. *Nocte sequenti Ioseph ab Angelo in somnis admonitus, fugit à facie Herodis.* Quid enim vel tanto itu 27. leucarum & reditu superuacaneo fuit opus? & Herode solicitè iam tum eius commorationem explorante? nec magno opus commeatu: Nam vt Iansenius ait, *Deus iam pulchrè donarijs Magorum ad hoc exilium filium suum cum matre & nutritio communierat*, vt Franciscus Lucas: consentit, *Deus opportune è Magorum donarijs fugitiuis prouiderat*: vt enim pleraque Regum munera vel templo consecrarint, vel in pauperes erogarint, aliquid profecto tunc, cum labore manuum victitare non liceret, ad vsus itineris reseruarint. Quod si ergò dicamus vel prope Solymam iter auspicatos, 20. dierum spatio vel citius Alexandriam contigissent: Nam Seuerus Sulpitius autor est, eam ciuitatem Bethlehemo 16. mansionibus, seu dierum itinere distare.

Sensus Augustini & Bedæ.

S. Bonauen. Deipara adit Elisab.

Barradius.

Ammonius Alexand.

Caietanus.

Fran. Luc.

in reditu Bethlehemũ versus.

Salianus.

desflectunt in Ægyptũ.

nocte sequente purificationẽ.

in 1. dialog. c. 4.

CAPVT XIV.

Quanto Gentilium emolumento Christus Ægyptum habitarit.

Christus infans è duabus orbis præcipuis partibus dæmonem expellit.

S. Chrysost. ho. 8. in Matt.

NOn otiosa Christi fuga est; sed negotiosa, & victrix: fugit non latere, sed lucere Gentibus, & alterum de Oriente triumphum reportare puer; omen facturus, breui totius orbis idola, dissipatis iam præcipuis, euertenda. Hoc S. Chrysostomus feliciter auguratur. *Sic in illa quoque regione spei ponuntur exordia: quia enim Babylon, atque Ægyptus præ omnibus terris flamma impietatis ardebant, ideo ab ipsis statim principijs, vtramque se emendaturam esse docet Christus, & persuadet de alijs mundi partibus quoque speranda esse meliora; nam Persidi quidem Magos remittit, ipse vero cum matre in Ægyptum descendit.*

signum erat Idololatriæ interituræ.

S. Leo ser. 2. de Epiph.

Hanc vicinam Gentibus Euangelij publicandi gratiam significatam etiam S. Leo testatur. *Tunc*, ait, *etiam Ægypto saluator illatus est, vt gens antiquis erroribus dedita, iam ad vicinam salutem per occultam gratiam signaretur, & quæ nondum ejecerat animo superstitionem, iam hospitio reciperet veritatem.* Medicus erat Christus, venerat mundi vulnera sanaturus: medelam Iudæa respuebat: decem plagis vindice Dei dextera percussam Ægyptum adit, vt sanitati restituat: quam causam adducit S. Thomas. *Recordatus est*, inquit, *Dominus, qui non in finem irascitur, quanta mala fecerit super Ægyptum; ideo mittit filium suum in illam, & dat illi magnæ reconciliationis signum, vt decem plagas Ægypti vna medicina sanaret, vt populus, qui ante fuerat persecutor populi primogeniti, custos fieret filij vnigeniti; vt quia illi violenter dominati sunt, isti cum deuotione seruirent: vt iam non irent ad mare rubrum demergendi; sed vocarentur ad aquas baptismatis viuificandi.* S. Augustinus: *Audi etiam magni mysterij Sacramentum, Moyses aliquando in Ægypto persidis clauserat diem, illuc Christus aduenies sedentibus in tenebris reddidit lucem, fugit, vt illuminaret; non fugit, vt lateret. Sic populus, qui sedebat in tenebris (quæ palpari manibus poterant) vidit lucem magnam, lumen ad reuelationem gentium, & habitantibus in vmbra mortis, lux orta est eis.* Palpabiles profecto infidelitatis tenebræ præ cunctis orbis nationibus inuoluebant Ægyptum, vix enim gens vlla tam fœdos & detestandos Deos, vt Ægyptus, adorabat, de qua recte Cyrillus dixit. *Ægyptij præ alijs superstitiosissimi delubra passim & infinita simulacra habebant, adorarunt volatilia & pisces, & capram & ouem, & vitulus ab illis in honore habitus est. Non hominis; sed Dei opus erat gentem ad idola tam proiectam acquirere.* Fames olim attritura cũ esset Ægyptios & terrarum orbem; ei prouidit Deus Ioseph um, cuius diuina sapientia in ea totius mundi inedia Ægyptus fieret orbis horreum: maior iam egestas Ægyptũ exhauserat; panis de cœlo voluit inferri Ægypto, vt inde mundum omnem satiaret: quo simili S. Leo vtitur. *Ægypto se*, ait, *Christus intulerat repetens scilicet Hebrææ gentis cunabula, & principatum veri Ioseph maioris prouidentiæ potestate disponens, vt illam diriorem omni inedia famem, quâ Ægyptiorum mentes veritatis inopia laborabant, veniens de cœlo panis vitæ & cibus rationis auferret.* Sed multo luculentius quam Ioseph, ipse Moyses, in Ægypto Christo paratas insidias, velut in typo expressit, teste Eucherio homilia de Innocentibus. Vt Christum Herodes, sic Moysen Pharäo persequebatur: ob Christum Herodes infantes in Iudæa trucidauit: ob Moysen Pharäo iussit infantes in Ægypto mergi fluctibus. Nam cum autore Iosepho sacerdos & Magus Ægyptius Pharaoni prænunciasset, fore vt de Hebræorum gente quidam procreatus Ægyptum totam perderet, Rex masculos præcepit omnes internecione deleri, vt vnus, cuius inter ceteros caput petebatur, certius necaretur & eodem ipso tempore natus Moyses vaticinij probauit euentum, cuius altorem & nutritorem tamen Deus voluit esse Pharäonem. Nunquid eadem immanitate quærebat Herodes Christi mortem, quem Deus volebat in Ægyptum interea demigrare, vt inde deijceret idola, & aduentu suo testaretur infans, quem postea ex ea gente per

Isa. 9.

in Isa. 11.

Ægyptus præ omni natione superstitiosa à Deo curari debuit.

Christus panis de cœlo venit famem Ægypti depulsurus.

S. Leo. ser. 4. de Epip.

ob Moysen infantes necati in Ægypto.

lib. 2. antiq. c. 9.

oriã propter Christũ.

Apostolus triumphum esset de idolis relaturus: qui septem alueis seu donis Spiritus Sancti multo felicius cœlesti satu totam Ægyptum, quam Nilus ostio septemplici decurrens fecundarunt. Præluſit igitur infans Christus ingressu suo, cum dicitur Ægypti simulacra deiecisse. Scio Iansenium rem hanc in fabulis narrare: sed ea tot Sanctorum Patrum attestationibus roboratur, vt ægrè possit amplius vocari in disceptationem. Origenes: *Fuge in Ægyptum propterea, vt destruantur manufacta eorum: vt confringantur & pereant idola eorum: vt dæmones turbentur, vt adimpleas, quæ dicta sunt ab Isaia c. 19. Fuge in Ægyptum, vt fugiant ex Ægypto, qui ibi sunt dæmones, vt pro multitudine templorum, atque abominationum multitudo exuberet Ecclesiarum, pro idolorum turbis, turbæ fidelium abundent: pro vitijs & erroribus castitas, sanctitas, virginitas &c.*

Christi aduentu idola Ægypti corruerunt contra Iansenium. c. 11. Origenes ho. 3. in diuers.

Eusebius scribit dæmones, qui Ægyptum incolebant, & in simulacris Ægyptiacis latitabant Christi præsentia commotos, ac fugatos. Eusebius lib. 6. de demonst. Euang. c. 20.

S. Athanasius: *Quis iustorum aut Regum in Ægyptum descendit, & eius descensu idola corruerunt? Abraham descendit, nihilominus idololatria viguit; natus est ibi Moyses, æque ibi hæsit religionis error &c. Item Ægyptiorum superstitio non quieuisset, nisi Deus in corpore quasi nube vectus eo descendisset & idolorum errores compescuisset.* S. Greg. Naz. *In Ægyptum quidem pulsus est; verum impura Ægyptiorum sacra depulit ac profligauit, vnum infirmitatis, alterum maiestatis est.* S. Hier. *Adscendit Dominus super nubem leuem, corpus S. Virginis Mariæ, quod nullo humano semine prægrauatum est, vel certe corpus suum, quod de Spiritu S. conceptum est, & ingressus est in Ægyptum huius mundi, statimque omnia Ægypti simulacra commota sunt, ita vt diuinationes, & vniuersa idololatria, quæ deceptum possidebat orbem, fracta esse sentiret.* S. Athan. de incarnatione verbi. S. Gregor. Naz. orat. 4. de Theolog. Euther. lib. de Innoc.

Eucherius: *Hoc*, inquit, *Propheta prædixerat Isa. 19. Ecce Dominus adscendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum: nubes leuis & nullius corruptionis ponderis grauis est virgo Maria, quæ in Ægyptum Christum portauit.* Procopius. in Isa. 19.

Procopius: *Cum puer in Ægypto versatus est, ineffabili quadam præsentia virtutis eius dæmones erepta sibi potestate superatos, fugisse dicamus &c.* S. Cyrillus Cateches. 10.

S. Cyrillus Ierosol. *Cum in Ægyptum Christus ire debebat, vt manufacta Ægypti dissolueret, rursus Angelus apparuit Ioseph.* Palladius c. 52. in vita S. Apollonij.

In vitis Patrum hæc habentur. *Vidimus & alium Sanctum virum nomine Apollonium apud Thebaidem, in finibus Hermopolis, ad quam ciuitatem saluatorem & Mariam & Ioseph de Iudææ finibus venisse tradunt, secundum Prophetiam Isaiæ dicentis, Dominus adscendet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum, & commouebuntur manufacta Ægyptiorum, à facie eius, & cadent in terram: vidimus ergò ibi etiam templum ipsum, in quo ingresso saluatore, corruisse omnia idola in terram & comminuta esse memorabant.* Druthmar. 2. Matth.

Druthmarus: *Cum Christus peruenisset in Ægyptum, vt compleretur, quod dixerat Isaias, cum transijt ante templum, corruerunt omnia idola &c.* S. Anselm.

S. Anselmus: *De fuga in Ægyptum prædixit Isaias c. 19. Ecce Dominus adscendet, quod factum est, quia Domino intrante Ægyptum idola templorum corruerunt.* Hist. Schol.

Historia Scholastica eadem habet & subdit: *Tradunt quoque quod sicut in exitu filiorum Israël de Ægypto, non fuit domus Ægypti, in qua non iaceret mortuus primogenitus: ita in ingressu Christi in Ægyptum non fuit templum, in quo non corruerit idolum. Eadem sentiunt* S. Bonauen. Hugo Card. Abul. & Lyran. quidem factum ait in signum destructionis idololatriæ per prædicationem Euangelicam. S. Bonauen. Hugo. Abulensis. Lyranus. sensus literalis & allegoricus. Ægyptus fons idololatriæ.

Quamuis igitur si litteram Isaiæ spectes, prædicet per nubem leuem celeritatem vindicis Dei, per exercitum Assyriorum Ægyptum vastaturi: allegoricè tamen Christum designat vlnis Deiparæ delatum in Ægyptum statuas idolorum deturbantem, & quod ipse peperit Ægypto pluuiam spiritalis doctrinæ, è qua tot chiliades Martyrum, Virginum & Religiosorum prodierunt; vt quæ antea mater erat omnis Idololatriæ, quæ Herodoto teste ex ea velut fonte in Græciam dimanauit, adeoque Tertuliano autore Ægypti nomine totus orbis intelligatur superstitionis, & maledictionis elogio: eadem hospitalitatis Christo Deiparæ & Iosepho exhibitæ eam retulerit mercedem, vt vix vlla orbis natio tot examinibus floruerit Re- Herodotus in Euterpe. Tertullian. l. contra Iudæos c. 9. postea mater Religiosorum.

Religiosorum, quod Thebäis. Audi S. Ioannem Chrysostomum, *si quis nunc ad Ægypti solitudines veniat, paradiso quouis ommem illam videbit eremum digniorem factam esse, & innumerabiles Angelorum cœtus in humana specie, & populos martyrum, & choros virginum; & omnem quidem diaboli tyrannidem dissolutam, Christi autem regnum coruscans, & illam Poëtarum, Magorum ac Philosophorum parentem, quæque reperit totum istud incantationis genus, ceteriseque tradidit, videbit modo piscatorem magisterio gloriantem, & contemtis omnibus iam illis: ac publicanum, ac sutorem pellium vbique circumferentem, & crucem obtendentem tanquam propugnaculum; & hæc bona non in vrbibus solum: sed etiam in desertis plusquam in oppidis florent. Etenim cernere tota illa regione diffusum exercitum Christi, & illum regium gregem, virtutumque cœlestium politiam. Non ita variis astrorum choris cœlum refulget, vt Ægypti eremus; scenas vbique ostendit Monachorum. Si quis illam Ægyptum veterem nouit rebellem Deo, ac parentem illam, felium seruam, cepas pauitantem ac trementem, hic optimè Christi cognoscet virtutem.*

S. Chrysost. hom. 8.

fidei propugnaculū.

Hanc tulit hospitij breuis mercedem Ægyptus, quam felix illa Christi persecutio, quæ Deiparæ virgini, & Iosepho accidit permolesta & laboriosa, si corporis spectes defatigationem: vtilis certè & adeo iucunda, cum & præsentem viderent ruinam idolorum, & quam Deo manifestante prænoscebant Ægypti futuram morum & vitæ mutationem animo suo considerarent.

Christus in persecutione arcem idololatriæ destruit.

Felix illa Christi prima ad Gentes legatio simul & expeditio, qua puer tam nobile erexit de tartaro trophæum victoriæ: tunc idolomaniam infans debellando in orbis totius velut arce: cum eum ad necem Iudæi quærerent: Hi sunt fructus vberes, quos calamitates, miseriæ & persecutiones pariunt, ad quas vix natus suo nos exemplo puer hic animat fortiter superandas. *Ab istis*, ait S. Chrysostomus: *vitæ initijs tentationes debemus & insidias exspectare. Cerne igitur ab ipsis cunabulis Christi illud effectum: nam statim vt ortus est, contra eum tyrannus furit, & ipse in Ægyptum fugit, & extra solum natale deportatur, & mater innoxia in regionem barbarorum fugatur, vt tu hæc audiens, cum dignus fueris habitus spiritualis alicuius negocij minister effici, & videris te immania & incredibilia & mille sustinere discrimina, nihil omnino turberis. Perspicè igitur illud non tantum in matre pueri, verum etiã in illis barbaris fuisse completum: nam & illi exsulum more clam fugiũt, & ista quæ nunquam domum suam fuerat egressa, tam ærumnosum conficere iubetur iter.* Hæc via ad cœlum est arcta, spinis obsita: hac itur ad veram & æternam gloriam & delicias nunquam finiendas: *Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.*

S. Chrysost. hom. 8.

suos exercet calamitatibus.

CAPVT XV.

Quam diu dilatum sit infanticidium.

furor Regũ mari comparatur.

Is. 38. v. 8. Io. 41.

MAris instar furor Regis in deuictos vel subiectos populos cædibus & sanguine redundat: eius tamen & exundationis initium, & termini solent à Deo definiri, ne vltra desæuiat quam omnipotentis vindex dextera patiatur. *Quis conclusit* (ait apud Iobum Deus) *ostijs mare, & quando erumpebat quasi de vulua procedens? circundedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

non erumpit Herodis ira antequã Christus. esset in tuto.

Puniendi Bethlehemitæ & confines Iudææ erant, qui vel Christum inter pecudes abiecerant; vel cum Herode in necem coniurarant in filijs, quos tamen Deus flores & primitias martyrum sibi deligebat in cœlis laureandos: non ante potuit tyranni furor erumpere, quam Dei filius in Ægypto tuta in statione esset collocatus: *Tunc Herodes videns, quoniam delusus esset a Magis, iratus est valde*: Cum scilicet monitus iam Ioseph cum puero secessisset in Ægyptum, *nec enim consilium est contra Dominum*: frustraque totus contra iustum desæuit cum tartaro mundus, quem Deus suscepit defendendum Patuit in Dauide, Iosepho, Daniele, quas non insidias,

quam

quam certas, quam periculosas tetenderant inimici? quam glorioſe Deus eos ex hoſtium manibus non tantum liberauit; ſed & tanto reddidit clariores, & æmulis fortiores, quanto vehementius ab ijs oppreſſi videbantur. *Pone me iuxta te Domine, & cuiuſuis manus pugnet contra me.* Sed quanto dicemus tempore ab Herode dilatum tam crudele facinus? tres hic autorum inter ſe pugnant ſententiæ.

I. Biennio poſt natum Chriſtum patratam eſſe cædem tenet Euſebius in Chronico. *A Chriſti tertio Herodes, cum Chriſti natiuitatem Magorum in iudicio agnouiſſet, vniuerſos in Bethlehem paruulos iuſſit interfici.* Flauius Dexter: *Anno tertio Herodes vniuerſos in Bethlehemitica regione pueros necat.* Hippolytus Thebanus in Chronico. *A Chriſti natiuitate vſque ad Magorum præſentiam anni duo ſunt.* Eadem opinio S. Epiphanij, Lyrani, Abulenſis, Onuphrij in faſtis. Melchior Inchofer laudat pro hac ſententia Eucherium, Baſilium Seleucienſem, Cedrenum, Alexandrum Monachum, Hermannum contractum, Nicephorum, S. Thomam, Marianum Scotum, S. Antoninum, Reginonem, Vincentium Beluacenſem, & multos alios.

1. ſententia ponit infæticidiū poſt biennium. *Euſebius. Dexter. Hippolytus to. 3. antiq. Caniſij. Epiphanius. Lyranus. Abulenſis.*

II. Sententia eorum q ui putant anno & quatriduo poſt natalem Domini contigiſſe, Beda. *Vnum poſt annum natiuitatis Domini an duos hanc necem Herodes confecerit, non apparet, niſi forte dicamus, quod poſt annum euolutum, & 4. dies ſequentis anni, infantes iuſſerit occidi; vbi dies paſſionis eorum Catholica veneratur Eccleſia.*

2. anno & 4. diebus poſt. *Beda in 2. Matt.*

Haymo: *Completo à natiuitate filij Dei anno, & quarta die ſequentis anni adueniente, fuit interfectio peracta.* *Haymo.*

Rabanus & Gloſſa. *Veriſimile eſt poſt annum & 4. dies à natiuitate Chriſti Herodem in pueros deſæuiſſe.* *Rabanus.*

S. Anſelmus: *Eſt magis veriſimile, poſt annum & 4. dies Herodem in pueros deſæuiſſe.* *Anſelmus.*

Barradius: *Mihi veriſimilius videtur Innocentes eo die occiſos, quo Eccleſia eorum feſtum agit poſt annum à Chriſto nato.* His proximè accedunt, qui anno & trimeſtri poſt putant euenisſe. *Barradius*

Cornelius à Lapide: *Herodes occidit pueros anno ſecundo ab ortu ſtellæ & Chriſti circa Paſcha, cum ſcilicet Chriſtus eſſet anni vnius, & trium menſium.*

Tirinus: *Ampliat tyrannus tempus ad bimatum vſque cum Chriſtus tunc non ageret, niſi 15. ab ortu ſuo menſes.*

Rationes vtriuſque opinionis

Pro vtraque hac ſententia duæ rationes adferuntur. Prima quod à bimatu curarit Herodes pueros interficiendos: altera, quod paucis peragi menſibus nequiuerit repræſentatio in templo, Nazarethica habitatio, & fuga in Ægyptum.

III. Sententia furori Herodiano, & narrationi Euangelicæ conformior, meliores æui noſtri Chronologos habet ſuffragatores, trimeſtri ferè poſt natalitia contigiſſe: nec deſunt autores veteres laudati à Saliano, qui ait. *Exiſtimo communiſſimam antiquorum, & recentiorum Doctorum ſententiam in eo conſentire, vt tam Magorum aduentus, quam Innocentium cædes ab Herode perpetrata, intra tres circiter menſes à Chriſti Domini natiuitate contigerit.*

3. ſententia. trimeſtri poſt Epip. *Salianus.*

Iuſtinus: ait, *Herodem non reuertentibus ad ſe Magis, omnes prorſus pueros in Bethlehem iugulari præcepiſſe.* *Iuſtinus.*

Oroſius: *Namque eum Rex Herodes ſimul vt natum comperit, necare decreuit, plurimoſque tunc paruulos, dum vnum inſectatur, occidit.* Citat pro eadem Gordonum, Temporarium, Scaligerum, Conſtantinum Phrygionem, Caluiſium, Functium. Probat deinde è ſcriptura. *Peracta,* inquit, *purificatione cum rumor ex verbis Simeonis & Annæ ſpargeretur de nato Meſſia, qui foret lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël, res quoque ad Herodis aures peruenit, & tum primum ſenſit ſe illuſum eſſe à Magis, & mittens occidit pueros. Hæc verba Matthæi poſtrema non paucos in eam adduxere ſententiam, vt crederent poſt biennium, aut vnum poſt annum cædem Innocentium contigiſſe, eamque vt probabilem faciant, varias comminiſcuntur cauſas, dilatæ cædis huius, quæ ferè frigidæ ſunt, & contra temporum ac hiſtoriæ ſeriem. Nec eſt, quod ad expoſitionem verborum Euangeliſtæ aliud excogitemus, quam quod plerique fatentur interpretes, D. Chryſoſtomum*

Oroſius.

Gordonus. Temporarius. Scaliger. Conſtantin. Phrygio. Caluiſius. Functius.

cur bimulos occiderit Herodes.

Ioſtomum in ho. 7. in Matt. ſecuti Herodem, ſicut non contentum in Bethlehem infantes occidiſſe, etiam lanienam in oppidi eius finibus exercuiſſe: ita non contentum tempore à Magis aſſignato, pro abundantia cautionis maius tempus incluſiſſe, ne nouus ille Rex, ſi forte proximæ eſſet ætatis, effugeret. Ergò cenſent Magos ab Herode conſultos reſpondiſſe, exortam ſtellam natiuitatis Chriſti nunciam, exempli cauſa 8. Cal. Ianuarias, Herodem autem mandaſſe infantes occidi à bimatu vſque ad tempus illud octa. Cal. quod exquiſierat à Magis: vt ſcilicet qui ab eo die vſque in diem cædis nati eſſent non occiderentur, reliqui autem incipiendo à bimatu tollerentur: & reſponſio Magorum non ad bimatum; ſed ad illud infra referatur: & ita locum interpretatur Ianſenius, Baronius, Euthymius, Sa. Aſſentit Baronius: *Cum primum autem,* inquit *ex his, quæ accidiſſent in templo certior Herodes factus eſſet, tunc ſe à Magis, qui ſe redituros Hieroſolymam ad ipſum ſpoſpondiſſent, illuſum fuiſſe cognouit, magnoque furore percitus, quoslibet mox infantes, qui Bethlehem eſſent ac in finibus eius, necandos eſſe mandauit, eos videlicet, qui eſſent bimuli, ac inferioris ætatis,* deinde cum Herodis profectionem & commorationem Romanam commentum falſum appellaſſet, concludit. *Itaque tum Euſebij, tum etiam aliorum, aſſerentium infanticidium perpetratum poſt biennium à Chriſto nato, prorſus irrita redditur.*

Baronius. tc. 1. initio.

Suaretz. 3. p. to. 2. d. 24. ſ. 4.

Accedit proximè Suaretz. *Non exiſtimo,* ait, *neceſſarium concedere Herodem per biennium diſtuliſſe Innocentium cædem, habemus quidem ex Luca non occidiſſe illos intra primum, vel fortaſſe etiam ſecundum menſem: nam prius virgo præſentauit filium in templo, & deſcendit cum Ioſeph Nazareth, & veriſimile eſt ibi aliquo tempore habitaſſe, priuſquam moniti ab Angelo in Ægyptum deſcenderent: poſt quem diſceſſum teſte Matthæo mors Innocentium ſecuta eſt: interceſſit ergò aliquod tempus à reditu Magorum vſque ad mortem Innocentium: fortaſſe non fuit tantum duorum menſium ſed plurium: quia veriſimile: priuſquam tam immane facinus Herodes aggrederetur, omnem adhibuiſſe diligentiam, vt conquiſitos Magos ad ſe reuocaret: Quamquam autem ſtatim intra paucos menſes occiſi inſſerit, fecit tamen, vt occiderentur omnes à bimatu & infra præ nimio timore, & ob maiorem certitudinem, & ſecuritatem. Quod rectè docuit S. Chryſoſtomus ho. 7. his verbis, quod à biennio & infra interfecit ne miremur &c. Addi etiam poteſt; quod hic D. Thomas ex Auguſtino refert timuiſſe Herodem, ne cui ſidera famularentur, ſpeciem paulo ſupra, vel infra ætatem transformaret. Addo denique quamquam Herodes à Magis didiciſſet, tempus apparitionis ſtellæ, non tamen ab eis potuiſſe diſcere, an eodem die, quo ſtella apparuit, natus fuerit puer, nec ne: & ideo vt quod intendebat certius aſſequeretur, interficiendos curauiſſe infantes etiam natos aliquo tempore ante apparitionem ſtellæ, cuius ſignum eſt, quia etiam alios necandos iuſſit, quos poſt ortum ſtellæ natos eſſe certo comperiebat: Et hoc modo interpretor illud verbum Euangeliſtæ à bimatu, & infra, quia conſiderato tempore ortus ſtellæ, humana quadam aſtutia arbitratus eſt intra tempus illud natiuitatem contigiſſe.*

Ianſenius.

Ianſenius adſtipulatur. *Sed cum ex his, quæ 40. die in templo dicta aque eſſent rumorem nouum nati Meſſiæ ſparſum audiret; intellexit à Magis ſibi illuſum; iratus eſt, & valde iratus: vt qui prius ſæuitiam & iram in puerum conceptum ſimulata pietate texerat, iam non vereretur inaudito facinore eam palam teſtari:*

Maldonat.

Accedit Maldonatus: *Alij non ſtatim poſt diſceſſum Magorum; ſed duobus annis. poſt infantes occidiſſe dixerunt: eo enim tempore vocatum fuiſſe Romam, vt de morte filiorum cauſam diceret: ſed ij etiam ex contextu verborum Euangeliſtæ, quæ non tam longum patiuntur ſpatium, & hiſtoria refelluntur: apparet enim ex Chronico Euſebij, cum ante 5. annos filios occidiſſe. Valde mihi Strabi & Euſebij placet expoſitio, Herodem ad illud tempus, quod exquiſierat à Magis, non ſignificat occiſos eſſe omnes pueros, qui nati eſſent duobus annis poſtquam Magis apparuiſſet ſtella; ſed eos, qui nati eſſent duobus annis antequam appareret ſtella. Dices cur duobus annis ante: non duobus annis poſt. Reſp. Quia non erant duo anni poſt: ſed panci admodum dies: voluit ergò cautionis & ſecuritatis cauſa omnes occidere.*

Franc. Luc.

Franciſcus Lucas: *Dilatauit tempus crudelitas, ne qua elabi poſſet, quem vnicum capiebat extinctum nouerat iuxta ea, quæ ex Magis didicerat, ſtellam à paucis die-*

diebus citra duos menses ortam: nec causa fuberat, cur non crederet cum Magis Christi natiuitatem cum ortu stellæ coniunctam fuisse; tamen vt suspiciosa est tyrannis, nec quantumuis adhibita cautela potest esse secura, iam inde à duobus annis natos pueruios interfici iussit: ne forte vel ante stellæ exortum Christus natus, aut per miraculum statura maior, aut corpore solidior, quam pro ætate manus effugeret.

Pro his Petauius facit: *Herodes aliquanto post spatio, cum de ijs, quæ in purgatione B. V. atque in templo contigerunt fama percrebuisset, immanem illam carnificinam indixit, secundum quam altero mense obijt ex Iosephi & Dionis rationibus.* Petau. l. 6. c. 1. in addit.

Salianus ex horum rationibus euincit Herodem circa Pascha obijsse: & eo quidem anno, quo à Magis adoratus est Christus: nam Iosepho quidem autore, *quinta die postquam filium Antipatrum occidit, vita defunctus est*, occidit verò Antipatrum cum bimulis, dicente Macrobio: *Cum audisset Augustus inter eos, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum inter bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum ait, melius est Herodis porcum esse, quam filium.* Sunt igitur si Dionis & Iosephi rationibus nitendum sit, vt Petauius cum Saliano persuadet, Innocentes trimestri post Epiphaniam circa Pascha trucidati. Id à furore & ambitione Herodis Salianus confirmat: *Quando obsecro illud: tunc Herodes videns &c. Num post annum vnum aut etiam biennium? Quis tam fatuum dicat Herodem hominem callidum, atque ambitiosum: præsertim cum ad tumultum insonuisset illud classicum: vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? quomodo non saltem euigilauit post 40. diem? vbi Simeon sacerdos amplexus infantem publicè exclamauit, illud: viderunt oculi mei salutare tuum: & Anna loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemtionem Israël: quomodo nemo fuit, qui aurem Herodi vellicaret, & in memoriam reuocaret recens natum, & à Magis quæsitum Regem Iudæorum? Idem tenet Henricus Philippi c. 6. cum multis alijs.* Ratio. Saliani. Ioseph. l. 17. c. 10. Macro. l. 2. Saturn. c. 4.

Citat pro eo S. Chrysost. Euthymium, Strabum Iansenium Torniellum Gordonum, alios. Nec obstat temporis breuitas: nam trimestri commodè geri cuncta potuerunt vt c. 13. docui & iam extremo Februario in Ægyptum peruenisse. De festiuitate Innocentum manet difficultas, quam Ecclesia circa natalitia celebrat trimestri ante Pascha. Respondeo cum Barradio (licet sententiæ contrariæ assertore) debilem à festo sumi tantum coniecturam, cum S. Bernardus & alij varias adferant festorum 4. natalitiorum causas coniunctionis, quas inter Cornelius à Lapide primariam, *quia propter Christi natiuitatem publicatam fuere occisi, ideo Christi natales Ecclesia eorundem festo condecorat, & exornat.* occurritur obiectionibus.

Vna difficultas mouetur aduersarijs, è qua se ægrè expediunt: quid Herodem tanto tempore à concepto flagitio retardarit: nam Romana profectio pridem ante peracta erat Rupertus ait, *tot pueros Herodes non potuisset impunè occidere, nisi Romanæ potentiæ consensum vel licentiam Augusti Cæsaris habuisset.* Sed qui moriens non requisito Cæsare nobilitatis florem post obitum imperauit trucidari, idem in bimulis necandis audere potuit: nec ideo fuit opus Romam siue excurrere, siue scribere, qui Quintilij Vari successoris Saturnini Solymæ degentis assensum facilè potuit obtinere, quo conscio Iosephus ex fama publica narrat Herodem omnia perpetrasse. Cornelius à Lapide dilatum putat infanticidium, vt bimuli vnum in locum cogerentur: fauet Iosippi Gorionis dictum. *Cum necatus*, ait est, *Antipater, nobiles patriæ & filios ac paruulos eorum absque delectu circo conclusos, atque omnes ab Herode iussos esse trucidari.* Et Gregorius Nyssenus tradit Herodem omnes infantes vnum in locum coegisse, quo simul eos traderet internecioni. Festum puerorū S. Antonius narrat ab Herode institutum, edicto publicato matres vt omnes bimulos ad se ferrent, mactandæ præmio: sed ea facilè bimestri fieri potuerunt. *Non enim*, ait Barradius, *fuit difficilè à vicinis inuestigare in Bethlehem eiusque finibus, quænam feminæ filios à bimatu & infra haberent, eosque illis extorquere.* Ita posterior hæc sententia recentiorum & accuratiorum æui nostri Chronologorum calculis approbata, tam furori Herodiano, quam Euangelicæ narrationi conformior: & Dionis Iosephiique rationibus consentanea, verosimilior apparet & forte inde, vt monet Henriquetz, biennij manauit opinio, quod extremo superioris anni natus sit Christus & infanticidium sequenti contigerit. Nunc Herodis scelus anhelantis processum fuerit ne Cæsar consultus. an pueri in vnum collecti. Iosipp. Gor. Greg. Nyss. S. Anton. Barradius. conciliatur sententiæ. processum laniena.

ad

ad tam immanem lanienam inſpiciamus. Chriſtus ſecunda Februarij cum ſe Deo Patri ſtitiſſet in templo victimam pro mortalibus; ſed matutinam: & eo ipſo die forte digreſſus Solyma deflexiſſet, vt S. Bonauentura putat, ad domum Zachariæ, Deipara virgine & Ioſepho non ignaris Herodianarum inſidiarum; quas è Magorum nocturna viſione collegerant: ob quas etiam nec noctem illam auſi fuerant Hierosolymorum ſe mœnibus credere, ne fama geſtorum in templo citius aures Herodis vulneraret: ſiue igitur eadem nocte (vt exiſtimat Adricomius) ſiue inſequenti, cum Nazarethum verſus contenderent (vt ſenſit Bonauentura) per quietem moniti ſtatim Ægyptum verſus iter ipſo quarto Februarij die videntur inchoaſſe, cum Herodes eodem tempore Hieroſolymis curis domeſticis, & parricidalibus quæſtionibus exerceretur; ſed dum in templo geſta percipit, exquirit de Magis, ac Antipatri filij cauſam ſimul agitat, Februarius euoluitur, & Chriſtus in Ægyptum peruenit: comperto deinde deluſum ſe à Magis eſſe, coquit lanienam tam immanem: primo quidem pueri Chriſti ſolius, cuius perſonam, maiores, habitationem ſcrutatur inſidijs vaferrimè: at eo neque Bethlehemi; neque Nazarethi reperto, necem adornat infantium, etiam confiniũ locorum, Chriſto cum matre & Ioſepho ſecurè in Ægypto delitescente: ſiue Heliopoli, vt SS. Anſelmus. Thomas, Bonauentura docent, ſiue Matharęæ loco Heliopolim inter & Cairum ſeu Babyloniam ſito, vt Borchardus mauult: vbi balſami hortus paruo fonte ſed vbere irrigatur, quo creditur Deipara puerum Ieſum lauiſſe ſæpius, mundaſſe panniculos, & ſitim ſuam, ſponſique reſtinxiſſe. Hic igitur velut è ſpecula Dei filius Herodis furorem adſpiciebat: quem tunc erumpere permiſit, cum matrem ſuam noſſet & Ioſephum educatorem diſcrimẽ euaſiſſe: & tantum quidem erumpere paſſus eſt, quantum ad puniendos Iudæos: flores Martyrum ſibi decerpendos, adeoque famam de nato Meſſiâ toto terrarum orbe diffipandam, opus videbatur. Nam dum tyrannus extinguere puerum nomenque Meſſiæ nati furore incredibili niteretur, ſic illud fecit toto terrarum orbe celebrari, vt ad aures Auguſti Romam euolarit, & huius cædis teſtes fierent Iudæi pariter & Gentiles. Cum enim Macrobius (vt ſupra vidimus) bimuſorum cædem narret cum reſponſo Auguſti ſaſſo (cuius etiam Dio, Suetonius & alij Gentiles meminerunt) non potuit non etiam nati recens Regis nomen pariter inclaruiſſe, quem diſertè ex famâ & rumore iam natum cum cædes filij patraretur vulgauit Philo: *Tum*, ait, *& Salomen ſororem ſuam & virum eius de tribu Iuda, itemque proprium filium, quem ex vxore eiuſdem ſuſceperat, interfecit, quod diceretur iam in lege promiſſus Chriſtus natus*: Ita profuit Herodis furor multum ad nomen nati Meſſiæ toto terrarum orbe diſſeminandum. Quam verè S. Chryſoſtomus de ira pronunciat: *Inextinguibilis eſt ira, quam regni zelus accendit, ac vt fera vulnerata, quidquid oculis occurrit tanquam autorem vulneris dilaniat.* Quando tyrannum ira concepta in Chriſtum ſic efferauit: vt forte mentis impos etiam filij necem maturarit, qui tamen iuſtas parricidij luit pœnas.

Fuga in Ægyptum.

Herodis ſolicitudo.

habitatio Chriſti Ægyptiaca.

ex infanticidio nomẽ nati Meſſiæ apud Iudæos & Gẽtes peruulgatur.

Macrobius.

Dio.

Philo.

S. Chryſoſt.

CAPVT XVI.

Pœna Infanticidij & SS. Innocentium gloria.

DIVINA ſapientia licet iudicium aliquod vniuerſale decreuerit poſt anaſtaſin, in quo tam Angelorum quam hominum merita cum peccatis ad libellam infinitæ iuſtitiæ coram omnibus exigentur, vt Chriſtus iudex bonos æterna gloria, malos & ſingula eorum commiſſa pœnis æternis muneretur, ne tamen res humanæ fortuito & caſu ſine prouidentia Dei geri videantur, ſolet & in hac vita atrociora ſcelera publicaſque cædes iniuſtas dignis etiam ſupplicijs hic plectere, vt metu præſentis infamiæ, & cruciatus formidine mortales à flagitioſa vita deterreantur. Iam ſæpius inſinuaui reos etiam motæ in Chriſtum perſecutionis exſtitiſſe Iudæorum quoſdam optimates, quo reſpicere videntur illa verba Angeli monentis Ioſephum. *Defuncti ſunt, qui quærebant animam pueri*, quem locum ſic S. Hieron. cum interlineari Gloſſa interpretatur. *Ex hoc intelligimus non ſolum Herodem; ſed & ſacerdotes*

cur Deus & quæ flagitia tam hic quam in futuro puniat.

Iudæi conſiurarunt in necẽ Chriſti.

S. Hieron. Gloſſa.

dotes & scribas eodem tempore necem Domini fuisse meditatos, & Haymo *ex his verbis intelligimus, multos Principes Iudæorum cum Herode in necem Domini consensisse.* Euthymius: *quærentes animam pueri dicit Angelus eos, qui Herodem contingebant: vnde quidam eorum videntur & principes quidem pessimi consilij breui cum vel post Herodem demortui: qui tunc etiam eos vltus videtur, cum,* vt ait Iosephus, *è totâ ditione nobiliores Iudæorum ad eum conuenissent euocati minaci edicto pœnam capitis intentante, non parentibus infensus ex æquo sine sontibus, siue insontibus vniuersos concluſit in circo, & mandauit, vt se mortuo protinus omnes iaculis configerentur*: Quod licet fuerit sororis Salomæ clementia impeditum, satis tamen afflixit florem nobilitatis Iudaicæ, cum res suas in tam arcto sitas arbitrarentur, vt iam mercedem caperent fauoris Herodiani, cui per Christi necem inhiabant. Sed atrocior calamitas cum tot cognatorum & affinium sanguine Bethlehemum, & ei loca contermina cruentauit: quando vt Genebrardus ex Menologio Græcorum, Salmeron, Franciscus Lucas & Cornelius à Lapide ex canone missæ Abyssinorum docent ad 14. millia trucidauit. Ite nunc scribæ cum principibus sacerdotum, & Herodem in Messiam vobis promissum armate, quem dum reperire furiosus non potest, vestros ei filios immolat, vt rectè vobis exprobet S. Augustinus: *O Iudæorum terra, non congruis cœlo: cœlum demonstrat, vt adoratur: tu quæris, vt infans necetur: illud tibi annunciat Deum hominem suscepisse pro te, & tu vis perdere eum, qui venit redimere te: nunciastis Herodi, vbi occidendus inueniri potest filius Dei; sed ille vestros filios occidens pro filio Dei; & vos orbitatis pœna nescios punit tanquam proditores, & filios vestros Dei fecit heredes: Sic vos irridebat ille, qui habitans in cœlo, iacebat in terra, sic furias vestras vestrique Regis subsannabat, quando mala vestra in vos retorquebat, & de malis vestris multa bona faciebat*, & lib. 4. cap. 4. *Quid vobis profuit, quod prodidistis Herodi, vbi Christus nasceretur: nonne vos læsistis, quam Christo aliquid nocuistis? audiens enim ille à vobis, vbi Christus natus posset inueniri, vestræ gentis infantes continuo præcepit occidi*: Enimvero licet ea vindicta sceleribus Iudæorum deberetur: ex ijsdem tantis malis ingentia Deus bona pueris istis & magnum cœlo gaudium excitauit. *Nascente,* ait S. Augustinus, *Christo luctus cœpit, non cœlo, sed mundo: indicitur matribus lamentatio; Angelis exsultatio; & infantibus transmigratio. Deus est, qui natus est, innocentes illi debentur victimæ, qui venit damnare mundi malitiam: agnelli debent immolari: quia agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata mundi: sed oues vlulant matres, quia agnos perdunt sine voce balantes. Martyres illi paruuli in Ecclesiæ quasi infantiæ coronati præludebant palmis & victorijs, quibus adulta iam & confirmata totoque terrarum orbe dissipata mater Ecclesia in omni sexu, ætate, statu, & conditione de innumeris orbis tyrannis, & satellitibus erat triumphatura*: Rectè Beda. *Quod in Bethlehem, & in omnibus finibus eius occisi sunt* (Innocentes) *ostendit non solum in Iudæa; sed & in omnibus Ecclesiæ eiusdem finibus quacunque per orbem diffusa est persecutionem sæuituram perfectorum, & piorum patientiam esse coronandam, qui à bimatu occisi sunt doctrina & operatione perfectos indicant: qui vero infra simplices & idiotas, fidei tamen non fictæ constantia fortes æque denunciant; sed vt potuerit Herodes nocere corporibus, animo certè profuit; quos vix natos ad vitæ mortalis innumeras miserias, in isto statim ortu cœlo transcripsit laureandos. Quam feliciter,* ait S. Augustinus, *nati, quibus in ipso nascendi limine æterna vita obuiauit? felices, qui per ætatis teneritudinem mortis apprehendere nequibant atrocitatem & tam subita nece infinita gaudia promerentur.* Et S. Chrysostomus. *Infantia,* inquit, *passionis ignara palmas martyrij rapuit, & coronas: veri isti sunt gratiæ martyres, confitentur tacentes; nescientes pugnant; vincunt inscij; moriuntur inconscij: ignari tollunt palmas, coronas rapiunt ignorantes.* Hoc est beneficium ingens, quod ab inimico, licet affectu maligno retulerunt innocentes: quo nisi tunc ab hoste fuissent cumulati: multi eorum salutis æternæ discrimen ætate robustiore adijssent: sic & per inimicos, quos Deus vobis permittit coronas gemmeas in cœlis fabricatur: pergant illi pergant furere, & in Dei filios insanire auro gemmisque continuis appetunt eos, quas eis colligunt & adseruant in cœlis Angeli; quibus eorum

pœna cor. 1. Iosephus. lib. 17. antiq. 18. 2.

14. millia Innocentū. necata.

S. Augustin. lib. 2. ad Catech. c. 4.

Iudæi in necē Christi iurarūt.

cœlo natū est gaudiū ex martyrio. ser. 8. de sanctis. cur innocentes Christus permiseri occidit. 1. 2. Beda serm. de Nativit. SS. Innoc.

S. August. ser. 2. de Inn.

S. Chrysost. ser. 4.

hostis quātum profuerit Innocētibus. & omnibus iustis.

S. Fulgent. ser. 5.

rum thronus gloriæ decoretur: liceat igitur cum S. Fulgentio sic Herodem alloqui Per sæuitiam tuam facti sunt Martyres, *qui per infantiam suam fuerant innocentes: quando per gratiam huius pueri pro eo meruerunt mori, priusquam eum possent coram hominibus confiteri: iste itaque puer, qui mundum creauit; qui mundum regit, qui omnia quæcunque vult, facit, qui cuncta mirabili & insuperabili ordine disponit, hoc ordinauit, hoc egit, vt per tuam inuidiam furiosam illi pueri mortem susciperent pretiosam, & quod eis ad salutem præstare non posses amicus, hoc ad damnationem tuam faceres inimicus. Ad hoc ergo te permisit infantes occidere; vt illos de te faceret triumphare: te ergò permisit ad nequitiam; illos perduxit ad palmam.* Quis est, qui iam de hoste suo conqueratur? fortunis me euertit, vitæ struxit insidias, corpus vulneribus sauciauit? sustulerit caduca; donauit æterna: vitam appetijt mortalem; obtulit sempiternam: quot vulneribus tot gemmis opulentauit: patere cũ innocentibus innocens, & culpæ expers; quod si cares inimico, qui infestet: ipse corporis tui hostis efficiare, domita vitiorum omnium scaturigine philautiâ. S. Bernardus nouum te hic docet martyrium: *Est martyrij*, ait, *quoddam genus & effusio quædam sanguinis, in quotidiana sui corporis afflictione; diuturnitate quidem molestius; sed horrore mitius, quam in illis martyribus: quorum membra ferro secantur, & sanguis apertè profunditur.*

Herodes amicus non id præstare ijs potuit, quod præstitit inimicus.

vtilitas ex inimicis.

S. Bernard. ser. in octa: Paschatis.

quotidianum Martyrium.

Sed quomodo dicemus Martyres, qui nec fidem in Christum habuerunt, nec aquis piacularibus baptismatis fuerunt initiati? *Fidem*, ait S. Augstinus: *non loquendo, sed moriendo confessi coronas meruerunt.* Tincti baptismate sunt non fluminis, sed sanguinis: quanta huius præ illo dignitas, excellentia, gloria? *Hoc baptisma*, ait S. Cyprianus: *gratiâ est maius, in potestate sublimius, in honore pretiosius: Baptisma in quo Angeli baptizant, in quo Deus & Christus eius exsultant: Baptisma, post quod nemo iam peccat: Baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat: Baptisma, quod nos de mundo recedentes statim Deo copulat: in aquæ baptismo percipitur peccatorum remissio: in sanguinis corona virtutum.* Quod si ad tam exaggeratam virtutem fortitudinis & Martyrij non audeamus adspirare, saltem quod obuium est, & in hisce flosculis odoratissimum diuinæ maiestati, quæ nobis eos proponit imitandos, illum saltem candorem innocentiæ, puritatem mentis, verecundiam & comitatem morum in nobis exprimamus, *vt quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscamus.* Cum ijs animi demissionem velut fastigium Christianæ perfectionis diligamus: humilem infantiam, in senibus licet, præ ceteris amat magister humilitatis. S. Leo: *Tota Christianæ sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutiâ disputandi, neque in appetitu laudis, & gloriæ; sed in vera voluntaria humilitate consistit: quam Dominus Iesus Christus ab vtero matris vsque ad supplicium crucis pro omni fortitudine elegit, & docuit &c. amat infantiam, quam primam suscepit, & animo & corpore: amat Christus infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam: amat Christus infantiam, qua maiorum dirigit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum.* Hoc scilicet maior erit in cœlis, quo humilior & infantibus similior in terris: *nam quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, maior est in regno cœlorum.*

obiectio.

S. Augustin. hom. 4. de Innocentibus.

Sanguinis baptismus præstãtior altero fluminis.

S. Cyprian.

Imitandi SS. Innocentes.

1. *Petri.* 2. in humilitate,

ser. 7 in Ep. in ea consistit perfectio.

Matt. 18. Vindicta Dei.

Venio ad vindictam, quam Deus de tam immani tot innocentum laniena, imo de cogitato Deicidio sumsit atrocissimam. Constat Herodem breui post quinque dierum spatio vix euoluto vt à Lapide & Iosephus volunt extrema morborum acutissimorum diritate cruciatum sceleratam animam euomuisse.

quinque diebus post moritur Herodes.

Eusebius l. 1. hist. c. 8.

Huius vltionis ita meminit Eusebius: *Crudele Herodis facinus contra Christum & pueros eius æquales admissum, quæ merces deinde subsecuta sit, ex quo pacto statim post nulla vel minima quidem dilatione interposita diuina vltio illum, dum adhuc viueret, exagitauerit & quasi proœmia rerum ei post discessum è vitâ euenturarum euidenter ostenderit operæ pretium est intelligere.* Ibidem subdit. *Ceterum quomodo statim post insidias seruatori nostro & alijs infantibus factas cælitus inuecta plaga illum ad extremum vsque spiritum afflixerit, non erit alienũ auscultare:* Sed ipsum Iosephum narrantem expresse pœnam impietatis libet recitare. *Regi vero morbus factus est grauior, pœnam impietatis exigente numine, lento enim calore torrebatur-*

Teste Iosepho ob impietatẽ in Deum.

batur, qui non externo tactu deprehenderetur, quam intus popularetur viscera. Aderat & vehemens voracitas, cui necesse esset continuo cibos suggerere, simulque vexabatur intestinorum exulceratione, & colicis passionibus, pedes tumebant phlegmate humido, & pellucido: similiterque inguina: ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœtore, nec minus molesta tentigine, non sine fœtore grauissimo. Super hæc omnia neruorum contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamoberem constans erat inter viros diuinos & fatidicos opinio, Regem læsæ tot modis pietatis DEO *pœnas expendere.* Hic nimirum sensus omnium, DEVM à flagitiosissimo tyranno pœnas scelerum exigere: pergit deinde morituri crudelitatem describere: qua florem nobilitatis neci destinabat, & morbi continua incrementa: vt dolori ferendo non esset: sed arrepto cultro sibi ipsi violentas adferre manus niteretur. Sic *omne sub regno grauiore regnum est.* quod regibus & monarchis orbis impijs, & hic, & post fata pro meritis certa & horrenda decernit supplicia: vt omnibus explicatum fiat, Dei prouidentia mundum gubernari. Fuit sanè Herodes Regum si quis alius impietate in Deum & crudelitate in homines maximus: scelera eius hæc enumerat Salianus: *Qui regno per vim & cædem legitimi principis Antigoni potitus, Messiam filium Dei infidus quæsiuit ad mortem, & vt cum statim perderet, horribilem carnificinam in Bethlehem & omnibus finibus eius à bimatu & infra exercuit: profana templa & aras impia adulatione Romanis principibus erexit. Pontifices duos regij sanguinis alterum calumnijs, alterum insidijs circumuentum sustulit; quatuor alios in ordinem redegit pontificatu deiectos: Scribas, Pharisæos sacerdotes plurimos interfecit: in queis Zachariam Ioannis Baptistæ patrem: Dauidis sepulcrum suffodit: duas vxores expulit; tertiam cum matre & duobus eius ex ea susceptis filijs interfecit: parique pœna patruum & progenitum filium magnamque domesticorum partem mulctauit: denique multis sceleribus perpetratis & morte lectissimæ totius regni nobilitatis imperata, plurimorum morborum supplicijs excruciatus victusque, cum sibi etiam manus adferre conatus esset, sub Paschales ferias sceleratam animam euomuit.* Hæc est idea conscleratissimi, dolosissimi, crudelissimique regis dignis tamen supplicijs iusti Dei vindicis dextera hac in vita mulctati: quam omnes detestentur. Aliam vidimus ideam SS. Regum Orientis absolutissimam Christianorum principum, exemplar virtutum omnium: quos Deus & hic superstites, & post vitam prodigiorum immortali fama & gloria sempiterna decorauit: hanc imitemur: illam exsecremur: & hoc persuasissimum nobis sit: si nonnunquam ab hostibus calumnijs, iniurijs molestijsque appetamur, Deum ex tantis malis æterna nobis præmia præparare: nec vllum amicorum tantum nobis prodesse obsequio, quantum hostes illi odio: vt dixerit de Herode S. Augustinus: *Ecce profanus hostis nunquam beatis paruulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio: siquidem ante vitæ perpetuæ adepti sunt dignitatem, quam vsuram præsentis acceperint: incipientis vitæ primordijs ipse ijs occasus initium gloriæ dedit, qui præsentis terminum imposuit.*

morborum eius diritas

Ipse sibi necem parat.

flagitia eius.

Idea scelerati ssimi Regis.

plus hostes prosunt quam obsunt.

ser. 3. de Innoc.

CAPVT XVII.

Sancti Reges in regionem suam reuertuntur non sine molestia & difficultate.

INTERIM dum Iudæa discessu Regum & cognita eorum clancularia fuga varijs motibus, cædibus, & miserijs conflictatur, sancti Reges siue angelico ductu, siue diuino eos oraculo Christi gubernante, feliciter in Arabiam vel Persiam deferuntur. Quantum temporis impenderint in reditum, incertũ est: multo plus vt ante dicebam, quam in profectionem primam existimo: tunc stella dux præibat:

videndi Regis recens nati & adorandi desiderium stimulabat, nec somnum oculis capere amoris magnitudo patiebatur, donec præsentem congruis muneribus honorassent. Iam reditus ad consanguineos idololatras & omni scelerum colluuie contaminatissimos tormentum videbatur: consultabant tamen, quibus vijs idolomania proscripta regnis suis inuecherent religionem orthodoxam: ita bimestre ferè spacium minimum existimo tributum itineri, nec ante Martium, quo Iudæa sanguine Innocentium redundabat, videntur ad regnum proximum redijsse. Quamuis complures biennium velint in reditum exegisse: & iter idem, quod Holofernes olim cum peteret Palæstinam, confeciisse, id cum accuratè describat Inchofer: non erit abs re eum auscultare. *Sunt*, ait, *qui velint omne id itineris biennij spatio magno cum labore eos confeciisse, quod olim Holofernes Assyriorum militiæ Princeps militari expeditione est emensus, cum ex Chaldæa in Iudæam penetraret, id inter alios Erardus Winbenius se reperisse testatur in antiquo incerti autoris codice, qui primo superioris seculi anno Coloniæ impressus vulgabatur. Porro de Holofernis in Iudæam aduentu ita legimus: Cum pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt à sinistro Ciliciæ: mox: Transiuit Euphratem; & venit in Mesopotamiam: post hæc descendit in campos Damasci: vno verbo pertransiens Syriam Sobal, & omnem Apameam, omnemque Mesopotamiam venit ad Idumæos in terram Gabaa montanam videlicet & asperam. Quæ quidem de itinere duntaxat perstingimus: neque enim attinet de castellorum vrbiumque expugnationibus & regionem latè vastantibus aliquid memorare. Eandem vero viam à Græcis ita possumus describere. Vt dicamus Holofernem à Niniue progressum in campestre solum, inde ad montes nempe, Taurum & Antitaurum, quibus à Septentrione posita est à meridie Ciliciæ, ac demum post transita spacia veniisse in Arabiam Petream, quæ Adrichomio eadem est cum Syria Sobal: hinc in Apameam prouinciam Cælosyriæ, cui conterminа est Mesopotamia, siue Syria duorum fluminum: denique per Idumæos veniisse in conspectum Esdrelon: quæ est contra faciem campi magni (hoc est Mageddo) iuxta Dothaim, ad quem è Galilæa venitur in Iudæam inter montes Hermon & Carmelum: de quibus videtur intelligendum, quod dicitur, Sacerdos Eliachim scripsisse ad vniuersos, qui erant contra Esdrelon, & vniuersos, per quos viæ transitus esse poterat, vt obtinerent adscensus montium, per quos via esse poterat ad Ieruſalem: & illic custodirent, ibi angustum iter esse poterat ad montes, illis videlicet in locis, qui montium rupibus & quasi dentibus asperati difficilem reddebant transitum: vt hinc conijcere liceat, quam nihil laboriosum esse duxerint viri isti sancti, quidquid ardui & molesti semel agnitum Christo sese obiecisset: eoque vt monitis Angeli parerent & Tyranni laqueos cuitarent difficillima quæque & asperrima viarum postposito quouis dispendio fuere consectati. Quocirca & ea, quæ solent esse in vijs publicis hospitia declinasse & plerumque in montibus & speluncis vtcunque hospitatos esse.* Hactenus Inchofer. Ego licet non existimem eos Holofernis itinera persecutos: quos ex alijs eduxi regionibus, paribus tamen ærumnis afflictos esse arbitror. Nec mirum duris & asperis rebus à DEO Reges illos nouellos Christi milites exercitos: quos iam gratiæ diuinæ panoplia contra calamitates, miserias & aduersa mundi sic communierat, vt nullis concuti perturbationibus intolerantiæ, vel superbiæ possent: quos amor & studium imitandi Christi totos possidebat. Dulces erant illis cum puero IESV brumales aeris iniuriæ, præ verna quauis amœnitate: iucundi labores & defatigationes corporis, præ delicijs: contemtus & despicientia rerum humanarum, honorum & opum exoptabilis, præ titulis regijs, & fama nominis immortali: vnum exemplar vitæ morumque Christum proponebant, cuius vestigijs inhærerent, qui quas in cælis non repererant, in terra voluit amore nostri

cur tardius redierint Reges.

biennium voluntquidam eos insumsisse. *Inchofer. c. 30.*

in Holofernis itinere.

Regibus optabiliores calamitates & aduersæ res quam secundæ.

quæ-

quærere contumelias, egeſtatem, corporis afflictationes, vno verbo crucem, viam vt nobis regiam panderet & præiret ad æternam gloriam: hanc ſciremus ſemitam compendioſam ad vitam immortalem, cupiditates omnes refrenare, impetus animi frangere, niti per ardua, & aſpera cum continua & generoſa noſtra ipſorum victoria: hoc eſt circumciſos non corpore; ſed animo redire â Domino in regionem ſuam: & tamen ad ipſum non interruptis deſiderijs remeare. De qua circumciſione præclarè admodum S. Hieronymus diſſerit, & nos ad reditum ſimilem, ac SS. Magorum imitationem prouocat. Compendiaria. hæc via cœli.

Magi, inquit, *adorato Domino: ne cui genti præputium corporale fraudi eſſet ad gloriam, ſuis ſe affectibus circumciderunt: cum theſauris ſuis, id eſt, ſecreto mentium patefacto animorum motus mactauere pro munere: eoſque morbos, per quos aliquid aut cupimus, aut metuimus, aut dolemus, velut anteputatis aram & miſericordiæ altare foderunt: vt vel in auro auaritia, in thure idololatria; vel in myhrra fieret Domino ſubiecta mortalitas: à quo eius vtique captiua ducenda erat captiuitas. Et in hanc petram & ſacræ pecuniæ cupiditas, & profana deorum ſuperſtitio, & amara mortalitatis conditio velut illiſæ morerentur: iam pridem Babyloni Pſalmiſta præcinente: Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ad petram, pſ. 128. ſub his ergo Magorum & nominibus & oblationibus commodè ille diuinorum operum interpellator exuitur, quoniam Deus erat in Chriſto mundum ſibi reconcilians. 2. Corinth. 1. quis enim iam aut aurum ſibi audeat poſſidere, ſi Domini eſt; aut idolis thura concremare, ſi Chriſti ſit: aut mortuum niſi mortuus ſepelire, ſi myrrha iam viui eſt? Magi tantum ex eo veteris vitæ relinquere veſtigia, nouumque iter ingreſſi, ſarcinis non vacui benedictione cantauerunt: Reuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi, pſ. 114.* ita circumciſi affectibus redierunt. qnorum refrenatio ſuadetur.

Reges itaque veri Chriſti rigentis, flentis, & egentis imitatores, eius amore facilè viarum ſemotiſſimarum moleſtias & pericula ſuperarunt: quamuis via Holofernis redijſſe, vt dixi, non putem: res tota pendet ex patrijs ſingulorum, quas nemo hactenus perfectè demonſtrauit: inde & temporis decurſus in itinere colligendus: quamuis biennium imo annuum tempus nimium mihi videatur: cum pro extremis Arabiæ finibus bimeſtre aut trimeſtre ſufficiat, in quam Arabiam vnius fortè aut duorum patriam, tres ſimul arbitror conceſſiſſe, capturi inuicem conſilium, vt eliminata idolomania regiones ſuas Chriſto ſuauiter ſubiugarent. an biennio in reditu conſumatum?

CAPVT XVIII.

Docent regna ſua fidem Chriſtianam.

LEGATI venerant Reges Orientis ad Chriſtum nomine totius orbis nationum, vt eum velut Regem Deum & Redemtorem ſuum reciperent, & adorarent: ac de præſenti cum eo Gentilitatis nomine ſempiternum contraherent connubium: redierunt noua iam obtenta legatione ad Gentiles omnes: quibus non æquale tantum ius hereditatis cernendæ cum Iudæis offerebatur: ſed principatus: vt quoniam in adorando & muneribus congruis honorando Iudæos præueniſſent, coniugium fortunatiſſimum cum Dei filio, reiecta ancilla Synagoga, meruiſſent, ipſis Legatis facta poteſtas eſt omnes nouæ, quotquot vellent, auctorari militiæ, Chriſtoque duce merere ſtipendia, adlegerent in album fidelium. Vnde vel in ipſa, qua pergebant via non neglexiſſe videntur, ſi qua fortuito commoditas oblata Chriſti natalitia publicandi, vt bonum illud ad plures dimanaret: eſt enim hic eius naturæ theſaurus, vt condi non debeat, ſed vulgari: nam quo plures eius participes efficiuntur, Reges legati ad Gentiles à Chriſto miſſi. in reditu & via paſſim Chriſtum publicarunt.

hoc

hoc augetur copiosius : prudentiam tamen adhibebant : ne quod puero periculum crearetur. De his Origenes ipse quoque, ait, *annunciauerunt cunctis, nomenque sanctum vnigeniti prædicantes ad suam regionem perrexerunt.* Vix Andreæ Christus agnitus fuit, protinus stitit ei fratrem Petrum; vix Christus Samaritanæ se manifestarat : & illa relicta hydria rem vulgat ciuibus, adducit ad Dominum; aptat rectè huic rei Bäeza noster S. ex Augustino latronis pij curam solicitam pro salute latronis socij: vix inquit, *Latroni Dominus innotuerat, & sui oblitus relinquens Deum, socio latroni accurrit, vt resipiscat. Neque tu times Deum inquit Luc. 23. Cur ô latro ea hora socium latronem alloqueris, qua de tua salute debebas esse solicitus? cur pretiosissimum vitæ tempus consumis cum socio peccatore & rebelli? prope te habes Deum tuum, Saluatorem tuum, alloquere illum : cur vicinum Deum pertransiens festinas ad remotum socium latrocinij? eleganter S. Augustinus. Quis non admiretur & compungatur? non solum enim, quod in ipso erat : sed & ea, quæ circa illum erant, relinquens, de altero curam gerebat, in cruce Doctor effectus, & corripiens, dicens : Non times Dominum tuum. Hoc est inuenientium Deum ingenium, vt etiam à Christo anathema fiant pro fratribus suis : vt à Deo ipso abstineant, vt proximos efferant ad salutem, aiebat Sponsa Cant. 2. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos : & dilectus meus loquitur mihi : Surge propera amica mea : apparuit Deus carne mea vestitus, me ad suum attraxit adspectum, & vix sub illius veni oculos, & loquitur mihi, vt surgam & properem. Bernardus sermone 27. Cant. Post hunc tantæ dignationis & miserationis respectum : sequitur vox blandè & leniter insinuans voluntatem, quæ non est aliud, quam ipse amor, qui otiosus esse non potest, de ijs, quæ Dei sunt solicitans & suadens : & audit sponsa : Surge & propera, haud dubiè, quin ad animarum salutem : nil à Deo reuelato & agnito citius discitur, quàm ad proximorum euolare salutem, ea videtur statim diligenti animo cura, vt accurrat, imo pungit stimulo, vt thesaurum alijs communicet. Isaias vidit Dominum, & illum anxium audiuit : quem mittam; & quis ibit nobis? offert se Propheta. Ecce ego, mitte me. Nil magis in optatis habent Saluatoris amatores, quam omnium languoribus mederi.* Hactenus Bäeza ingenium diligentis IESVM explicauit. Nostros verò Reges præter amoris sponsi continuos ignes ipsum commissæ legationis officium inflammabat : qui sicut Apostoli Christi anastasij, sic hi Natiuitatis eius testes à Deo erant præfiniti, vt quaquauersum Iudæis & Gentibus natum Messiam publicarent, suoque cunctos exemplo ad eius fidem inuitarent. Primi erant Euangelistæ constituti, qui Gentilibus nuncios optatissimos adferrent nati mundi totius Saluatoris, qui salutem omnibus esset certam allaturus : quem ipsi præsentem oculis vsurpassent, & donis honorassent. Hoc eos honoris titulo Sanctus Chrysostomus decorat : *Ipse*, inquit, *aduentu tuo Magos ab Oriente vocasti, & Euangelistas eos ad sua remisisti* : quo videntur officio gnauiter & diligenter functi, ijs locis, vt dixi, omnibus extra Iudææ fines, qua fuit transeundum : nam si tam audacter coram Herode natum puerum Regem Iudæorum nominarunt, quid non feciſſe apud Gentes existimamus, quibus non poterat à Regibus ipsis prolata noui Regis nominatio non iucunda videri, quod Gentilium omnium bono natus diceretur, & aureum seculum toti mundo reportaturus. Erant hi, vt aliàs etiam dixi, maximè hanc ad rem testes idonei Gentilibus, & nuncij talis Euangelij certè grauissimi, religiosissimi, sapientissimi, quos nec transuersos agere leuitas ingenij, vanæ vel peruersæ cupiditates, vel imprudentia potuit : qui non tantum se & sua regna nouo Regi recens nato sponte subdidissent, licet infantulo; sed tam feliciter secum agi discerent experimento, vt omnes optarent ad eius confugere fidem, in eius clientelam se tradere, qui solus posset orbem totum & Reges sapientissimis imperijs gubernare, & hic præsenti vita, & suis etiam clientibus regnum & vitam daturus esset sempiternam.

Origenes hom. 3. in diuersos. zelus S. Andreæ, Samaritanæ, *Baeza c. 8. § v. de Epipha.* & pij latronis.

S. Augustino.

S. Bernardus. sponsæ zelus.

& Isaiæ.

Erant Reges testes & Apostoli natiuitatis.

primi Euangelistæ.

S. Chrysost.

idonei testes.

Iam

Iam verò qui alijs tam cupidè populis inuentum Messiam aurei seculi restitutorem publicarunt, quid fecisse arbitramur, cum ditiones suas tandem attigerunt: vt subiectos omnes populos quamprimum ad veri Dei notitiam perducerent? Ego sic existimo. Tres Reges pariter primi vicinius ingressos regnum, statim monumentum perpetuum nati & visi Saluatoris constituxisse, vel templum aliquod Christo recens nato condidisse, statuâ eidem & virgini Matri erectâ (qualem dicam Melchiorem in India triennio post posuisse) vt ipsa nouitate rei tam operis, quàm qui ad inusitatum spectandum opus vndique confluebant, ipsi doctores populorum erudirent, testes tot oculati, cum comitibus stellæ tam prodigiosæ, & quæ à Deipara matre didicerant; vt sensim ijs veri Dei cognitionem instillarent, & in Deorum delubra diruenda armarent: confirmant id lectiones Colonienses & Leodinæ de ipsis: *Beati igitur Magi populum vita, moribus, doctrina ac conuersatione informantes, templum quoddam in monte, quo stella eis apparuit, exstruunt, & signum cucis prout cum paruulo in stella videbatur, solenniter imponunt.* Assentit Petrus Paludanus. *Et vix in duobus annis domum venerunt Angelo duce & ad montem peruenerunt: ibique in honorem noui Regis capellam construxerunt: in qua arma sua depingi fecerunt cum puero, matre & stella.* Inde in proximi pariter Regis regnum concesserunt, pari modo templo condito: vt paulatim concordi testimonio: mentisque ardore singulari illos etiam inquilinos ad fidē Christi recipiendam animarent, nam suos quisque Regum subditos tantorum etiam Regum exterorum accedente monitu facilius, quò volebat, inclinabat: iam enim ipsa regni gubernatione maius (vt verè erat officium nobilius & diuinius) arbitrabantur, non tantum pacem politicam & ciuilem ad breuis vitæ spatium regni inquilinis conciliare: sed salutem & veram immortalitatem ijsdem procurare gestiebant. Nouerant Reges illi non tantum id muneris sibi diuinitus imperatum, sed & regulam & normam principum & Regum Christianorum se constituros, ad quam se posteri conformarent, si subditos nacti essent infideles: nam lacte seu doctrinâ Regum illos ipsos alendos & erudiendos Propheta prædixerat: itaque suos quamprimum populos, vt curæ & fidei suæ commissos sategerunt communi consilio & auxilio suauiter & autoritate potius ac exemplo Regum exterorum, quàm imperio & potentia ad Christi cultum permouere: ita eos Iobus Rex ille Regum Arabiæ sapientissimus, olim exemplo suo docuerat, quæ fidelium principum partes, essent, vt fama huius non facti finibus regni vnius contineretur, sed ad exteras etiam regiones & aures Regum aliorum dimanarit. Vnde laudes hæ ab Elipha cap. 4. Iobo tribuuntur. *Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti: vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti*: Vbi Pineda noster rectè aduertit proprium id esse principum fidelium munus, subiectos veram fidem edocere. Cuius licet prolixam probationem allato etiam SS. Magorum exemplo non molestum erit attexere. *Quod*, ait, *manifestè pertinet ad veræ fidei & doctrinæ suæ institutionem: tum etiam ad pietatis officia, quibus subiectum sibi populum informabat, vt eo loco dicemus. Id porrò sancti Regis principisque munus proprium est, eiusmodique futuros in Christiana Ecclesia pijssimos principes, qui vitâ, consilijs, verbo suorum fidem pietatemque promoueant, Isaias pollicetur: Mammilla Regum lactaberis. Quis porrò nesciat lac, ad doctrinam referri, qua teneræ fidelium mentes in fide & pietate nutriuntur, & crescunt, dicente Paulo: tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi: & Petro: rationabile, & sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem. Consequens verò ex hac Regum doctrina subiungit vates: & scies, qui a ego Dominus saluans te, & redemtor tuus fortis Iacob, sic videlicet proficies in me cognoscendo atque timendo. Neque modo fideles ex Regum pietate & fide exsugunt fidei & pietatis incitamenta, sed in semel concepta sanctitate confirmantur, eriguntur, manuducuntur, brachijs etiam gestantur, ne cadant, neue offendant in viarum discrimina, eodem vate dicente. Erunt Reges nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ. Porro nutritij nomen ab illius fide seu fidelitate dicitur, cui puer educandus atque instituendus committitur; aut ab eo, qui officium aliqod munusue aliud, quale est*

modusque inuexerint in regna sua primā fidem.

erecto tē plo Christo & Deiparæ.

exemplo Iobi Arabis docent Arabes.

Pineda.

in c. 5. v. 5. Iobi n. 75.

id Regum Christianorum officium.

Isa 60. 16.

lac doctrinam significat.

1. Cor. 4. 1. Petri 2.

sunt nutritij subditorum.

œconomi fideliter administrat: idem verò nutritij officium tunc Paulus explicat per ministrum & œconomum fidelem, cum refert administrationem mysteriorum Dei, & puræ lucteæque doctrinæ prædicationem: sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei: hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Ergò Reges nutritij sunt, atque dispensant fidelibus mysteria Dei: non quod vsurpare vlla ratione debeant sacerdotum ministerium, quorum est pascere verbo & verbi interpretatione gregem, qui in illis est; sed quod illorum etiam pietati & fidei committatur regnum instituendum in fide, & ad pietatem excitandum. Pergit deinde Pineda demonstrare: quàm exactè tam Iobus, quàm sancti tres Reges hoc munus verè regium impleuerint. *Quam igitur fideliter & solicitè existimare oportet Iobum Regem sanctissimum nutritij & dispensatoris mysteriorum Dei munus apud suos præstitisse, vis etiam magis priuatum magisque domesticum officium verissimè in Regibus agnoscere? certè simile est regnum cælorum, atque Reges Ecclesiæ simules fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum: namque Regum & principum pietate, quasi in subditorum animis abscondita, fermentatur totum regnum, & diuino spiritus igni præparatur. Tres profectò Orientis Reges in recens nati Christi fide instructi atque edocti, velut tria fermenti frusta ad regna sua redierunt, quod singuli non satis farinæ singulis, sed singulis regnis fermentandis, & ad vnam fidem & religionem adducendis satis essent.* Accedebat quod Reges illi sicut antea sacrorum antistites suis in regnis religionibus omnibus præsederant: sic Neomystæ & Christi primi sacerdotes (si Chrysostomo credimus) initiati, iam nouo ex munere curabant solicite rituum sacrorum nouam ad Christi leges & doctrinam Euangelicam institutionem, quo in munere non videntur Iobo & Abrahamo simul Hierarchis concessisse, quorum cum efficacitate fructuque conatum sic Pineda commendat, præmisso Regis sacerdotis officio. *Nam cum proprium sacerdotis munus docere, certè Regis etiam est prælucere subditis obseruatione legis, cum de illo scriptum sit: Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, vt discat timere Dominum. Quorsum enim Rex sit ciuitas supra montem posita, nisi vt suos muros suosque mores contineat? Quorsum idem Rex & populi princeps lux mundi & sol quidam sit, nisi vt ipso exoriente atque affulgente dispareant tenebræ & expergefactus homo excitatusque exeat ad opus suum & ad operationem suam vsque ad vesperam? Iam ergò Iob Rex pariterque sacerdos suis ita præluxit, vt ignorantiæ & infidelitatis tenebras verissimæ doctrinæ splendore ex suo regno dispelleret: certè propter sacerdotium & publicum ministerium Abraham quoque in id incumbebat, vt non solum numerosam vernaculorum turbam, sed alios quoque pro temporis & loci occasione nata, verbo & prædicatione ad veram fidem & religionem adduceret, adductos verò, ne deficerent, secum etiam duceret; nam egrediens de terra sua tulit Sarai vxorem suam, & Loth filium fratris sui vniuersamque substantiam quam possederant, & animas, quas fecerant in Haran, & egressi sunt, vt irent in terram Chanaam: quem locum sic legit Onkelus, & animas quas subiecerant legi in Haran. Hebræi docent Abrahamum viros, Saram verò feminas instituisse in vera Dei religione. Quare illorum animas fecisse, id est illos Deo & eius præceptis procreasse & genuisse dicuntur: tum etiam fecisse quasi sacrificasse & Deo obtulisse per conuersionem ad veram religionem dici possunt: aut fecisse dicit, acquisiuisse & comparasse Deo & eius cultui: aut congregasse & redegisse ad fidelium Ecclesiam: hæc enim omnia cadere possunt in propriam significationem verbi faciendi, quod in fonte est chasam.* Hactenus Pineda de Iobi & Abrahami studio Gentiles ab infidelitate conuertendi. Vterque typum expressit Regum Orientalium, vt alibi dixi. Iobus quia Rex idem sacerdos, & Propheta verusque Trismegistus, quem S. Chrysostomus virum Euangelicum nominat, quod tantam curam & solicitudinem de internis cogitationibus susciperet, quantam Euangelicæ leges præcipiunt: quem idem Apostolis in martyrio censet comparandum. *De Iob, ait, date mihi pace, oportet dicere; quoniam etsi non maior Apostolis, minor tamen beatus ille non fuit: illos enim eadem pro Christo pati solabatur: ille autem hoc solatio acci-*

tutus

1. Cor. 4.

in quo differat Regũ & sacerdotũ officiũ.

Luc. 13.

Tres Magis fermẽto similes absconditi in farinæ satis tribus. Hierarchæ regnorum

Deut. 17.

Rex ciuitas & sol.

Psal. 103.

Iob & Abraham sacerdotes. instruunt populos. etiam alienigenas.

ques conuerterat Abraham & Sara.

S. Chrysost. hom. de Iob & Abraham

Iob comparatur cũ Apostolis.

tutus non piscator, nec tenuiter viuens, passus est omnia: tunc obstructum est turpe os diaboli, nec habuit, quod diceret. Nec minor sanè fides in Euangelicis nostris Regibus quàm Iobo, vel Apostolis, vt multi SS. Patrum attestantur: par etiam fidem eandem veram publicè profitendi studium: par pro ea se ad mortem oppetendam offerendi desiderium: par eam infidelibus publicandi cura & solicitudo: quam etiam: vt operibus magis, quàm ore persuaderent, vitam suam omnem ad doctrinæ Euangelicæ præscriptum dirigebant: vt sicut Abraham synagogæ veteris Patriarcha plurimum in hoc desudauit, vt suis virtutum exemplis Dei Ecclesiam, cui ferè præsidebat, amplificaret: sic hi progenitores Ecclesiæ toti in hoc fuerunt, vt quamplurimos Christo exemplo & doctrina aggregarent. Multum hanc in rem conferebat trium Regum & tanti stipatus conformis narratio, tam de stellæ ductu quam occultatione, reditu, & pueri nati demonstratione, de nati Regis maiestate, prodigiosa eius in corporis adsumtione & natiuitate; vt faciles fuerint nacti duorum regnorum aures, & breui se omnes eorum doctrinæ, moribus, ritibusque aggregarint: nam si multum facit ad regni mores in melius conuertendos vnius Regis exemplum: quid trium istorum non valuit? Pergit hoc ipsum sic in Iobo Pineda pertractare argumentum. *Tandem quod incredibilis sit in vtramque partem, quæ à Regibus sumuntur exemplorum vis, vt non modò facilè verum etiam efficacitate quadam & necessitate ad religionis morumque principis imitationem animi subditorum agantur: non aliter atque vmbra corpus sequitur, & illud refert à quo expressa & effecta est, si corpus rectum, si curuum sit, si stet, si moueatur, in vmbra ipsa expressum videbis, mouetur videlicet cum principe mobile vulgus. Frustra tentabis vmbram commouere immoto corpore: frustra inflectere, si illud stet rectum, frustra ad rectitudinem adducere, reflexo & incuruo illo. Non aliter mare quamuis tranquillum sit, ventorum vi agitatur, quam commouetur vulgus vitâ, exemplo, verbo & spiritu potestatem habentis: aquæ videlicet multæ populi sunt, spiritus verò aut ventus Magistratus, spiritus est apud Ecclesiastẽ, & ventus apud Danielẽ. Non aliter gubernator clauo nauim in vtramque partẽ reducit, quàm vitæ exemplo, qui Reipublicæ clauũ tenet. Neque aliter primum mobile inferiores omnes orbes rapit contra proprias peculiaresque in partem aduersam inclinationes diurnum motum quasi à superiori imperatum & impressum incitatissimè breuissimeque conficientes, in proprio & peculiari cursu segnes, quasi vix audeat suo Regi & gubernatori repugnare, quàm facilè principes secum adducit, trahit, rapit quoquo pergat subditorum animos.* Confirmat id Pineda exemplo Regis Heor & principis Sichem nullo negotio suadentis populo circumcisionem, grauissimumque dolorem & religionem ceremoniasque ignotas apud illas gentes, tum ad Iobum reuertitur. *Et hac tanta vitæ Regum efficacitate in subditorum animis permouendis facilè colligi potest Iobi sanctitatem & religionem permanasse in vniuersum regnum, vt ad illius exemplum se composuerit: præsertim cum Regem pijssimum singulari pietate coluerint, & vnicè dilexerint: quippe os suum aperiebant (ad eum audiendum) velut ad imbrem serotinum: ex hoc verò imbre quantum fuerit bonarum fecunda frugum effecta terra Hus (& Arabia) quàm floruerit religione & pietate, quantum profuderit optimorum fructuum, diuinare opus non fuerit: neque verò dubitare amplius ad Ecclesiæ & fidei ouile vnum adductum esse à Rege eodemque pastore vigilantissimo Hussitarum populum: conueniunt enim in vnum populi & timent Deum: cum Reges timent Deum psallente rege alio: in conueniendo populos in vnum, & reges, vt seruiant Domino, & rursus: timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.* Parem Iobo si non maiorem arbitror Reges singulos in subiectis populis Christi fidem edocendis diligentiam, curam & formam adhibuisse: cum sicut in Iudæa palam eius natiuitatem & regnum ausi sunt publicare, & quasi gentem illam ad Regis & Dei sui cultum contra Cæsaris & Herodis Regis autoritatem exemplo suo prouocare, non dubitandum sit; qui vel Herodem ipsum etiam conabantur adorationis comitem adscisceere, quin populis suis quàm optimè consultum voluerint, quos constabat non posse sine Christi fide salutem obtinere: itaque non singuli tantum Reges suis in regnis: sed tres pariter videntur primum & alterum regnum adijsse, erecto duobus in locis templo, & suo simul exemplo & cohor-

Reges nõ stre cum &q A brahã

principis exempla efficaciss. ma. probatur multis similitudinibus. 1. corporis & vmbræ 2. venti &. maris. *Eccl.* 14. *Dan.* 7. 3. gubernatoris & nauis. 4. primi mobilis & cœlorum inferiorũ.

Gen. 34. Heor princeps facilè subditis persuasit religionis mutationẽ. sic Iobum subditi sequebantur. reuerebantur doctrinam eius sitiebant.

Ps. 101. 23. & 16. Regũ trium par vel maior zelus. pasuit in Iudæa.

hortatione cunctos ad eundem Christo cultum adhibendum inflammasse: hoc vtique maiore fructu, quam Iobus: quod & ipsi primitias spiritus à fonte ipso Christo coram hauserint,& Apostolatus officium singuli à Christo imperatum susceperint, cui solebat Deus, vt postea in alijs patuit, prodigiosis etiam & mirandis operibus, adsistere, quo facilius Gentiles ad fidem Christi pellicerent: ipsa verò tot ostentorum cœlestium visorum narratio tantis & tot testibus oculatis stabilita facile fidem apud subiectos reperiebat, qui Reges, eosdem sacerdotes, & sapientia omni humana & diuina cumulatos, velut Deos cælo lapsos suspiciebant. Sed ne diuinare potius, quam testata loqui videar, quosdam è veteribus Patribus & recentioribus laudabo, qui à sanctis Regibus nostris primam sementem fidei Christianæ apud Gentiles sparsam esse voluerunt.

ob Apostolatus officium miracula. & visa tam mira.

testantur veteres SS Patres.

S. Chrysost. hom. 8. in 2. Mat. S. Chrysostomus. *Vnde mihi videntur isti etiam in regione propria facti esse posthea ciuium suorum Magistri: qui enim hæc nequaquam dicere timuerunt: multò hæc ipsa liberius patriæ suæ hominibus prædicarunt, quippe præter stellæ indicium habebant & angeli responsum & prophetiæ testimonium*, & infra, *Magos celeriter emittit Christus: simul & Persarum regioni mittens magistros: & inefficacem reddens furorem tyranni.* alia eiusdem testimonia protuli superius.

Theophylactus in 2. Mat. Theophylactus: *Videntur hi Magi magna virtute præditi: nam qui in aliena regione adorare voluerunt: quomodo non in Perside ipsa magna libertate prædicauerunt.*

autor operis imperfecti hom. 2. in 2. Mat. Operis imperfecti autor, cuius verba S. Thomas recitat & sequitur. *Tamen cum reuersi fuissent, manserunt colentes & magnificantes Dominum, studiosius magis quam primum, & prædicauerunt omnibus in genere suo & multos erudierunt.*

in 2. Mat. Albertus Magnus: *Isti etiam Magi in terram suam reuertentes multos conuerterunt?*

hom. 5. Eckius: *Adorato eo reuersi sunt, fidem, quam semel acceperunt à Deo vtique disseminarunt pro viribus suis*

lib. 5. Cant. Applicat ijsdem, Ludoicus de Ponte, verba Canticorum. *Tenui & non dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ: fidem enim induxerunt in suam patriam, & ciuitatem, in qua nati erant, quæ erat mater eorum: si enim tam liberè Christum natum Iudæis coram Tyranno pronunciarunt: quid ni ciuibus suis magno feruore prædicarint? probat id S. Chrysostomi allatis testimonijs.*

Inchofer. Denique Inchofer hæc ex multorum sententijs refert. *De Magis in regionem suam reuersis, qua ratione postea vitam suam instituerint varia narrantur, eos nempe reportata religione Christum vbique magna Gentium admiratione annunciasse, multa de eius mysterijs & regno instaurando, prout à Spiritu Sancto edocti erant, palam fecisse, & quæ præsertim vel suis oculis vidissent, vel ex ore Deiparæ virginis suscepissent, diuulgasse. Quò factum vt permulti eorum prædicatione nomen Christo dederint, visendique eius & Deiparæ studio accensi, religioni totos se deuouerint.*

Quocirca cum non minori feruore mentis sancti Reges pariter fidem, quam Iob & Abraham infidelibus passim promulgarint: non minori successu fructuque factum videtur: quos Christus primos ad id munus ablegauit.

CAPVT XIX

Mithræ & idolorum templa subuertunt, cultumque stellarum abrogant, Christi sacris subrogatis.

Orientales cultores solis & Mithræ vti tres Reges iuxta S. Chrysol.

SOLEM non Persæ tantum mithræ nomine; sed & Ægyptij Heliopolitæ cum pluribus Orientalibus Gentibus coluerunt: adiecta Lunæ & siderum adoratione: quarum in numerum vt sæpe dixi S. Chrysologus sanctos reges retulit. Inchofer ex operis imperfecti autore facit eos multò antè sideris noui solicitos obseruatores & cultores stellarum. *Nec absimile*, ait, *vero putatur inter varios sacerdotum ordinis mithræ potissimum hoc est Soli, quem præ ceteris colebant, ac deinde Lunæ; cui secun-*

das

das honorum deferebant, Magos hosce religionem exhibuisse, eaque de causa in excelso loco sacra & ceremonias obire solitos, de die quidem Soli, noctu verò Lunæ factitasse, vnde ea prodijt narratio, quæ in monte victoriæ perennes excubias egisse eos tradit, uiter sua sacra stellæ quoque ex Iacob orituræ, quam Balaam prædixerat, inuigilantes. Scilicit ignorantes initio, quid agerent piæ vigiliæ religiosos fecerunt, vt verisimile sit illustratione diuina præsensisse non diu differendam apparitionem stellæ, cuius ductu ad eum solem, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, accessuri essent, vt idcirco pridem antè, quam apparuisset, deserto solis errantis honore omnem cogitationem & studium huc intenderent, quò exorituro mox solis & lucis omnis autori dignè occurrerent. hactenus Inchofer.

deserto eō cultu stellam Messiæ exspectarunt.

Itaque cum ipsi sacrorum prius antistites subiectos sibi populos certorum Deorum cultu, vanisque superstitionibus dementassent, vt illud omne rudes & imperitæ mentes religiosum & pium ducerent, quod Reges sapientissimi summo prosequendum honore censuissent: ita cum Reges iam melius cœlestibus oraculis & diuinis eloquijs instituti: & vsu iam comperissent astra nec anima quidem prædita, hominum causa procreata esse eo fine, vt ipsorum commodis subseruirent, non difficile fuit, sideris illius recens orti famulatu commemorato, conditoris naturæ cœlorumque maiestatem, potentiam, & bonitatem persuadere: qui ad trium Regum obsequium, id astrum nouum condiderat, & ita ipsorum obsequijs manciparat, vt ad nutum & voluntatem ipsorum consisteret, vel moueretur. *Non enim Christus, vel Reges agebantur cursu stellæ; sed ipse stellæ agebat cursum, cuius per cœlum cursum sic Christus dirigebat, sic moderabatur incessum, sic viam temperabat, vt Magorum seruiret & mitteretur ad gressum: nam ambulantibus Regibus stella ambulabat, sedentibus illis stella stabat, dormientibus Regibus stella excubabat, vt inde verè cognoscerent Reges, quibus viandi par conditio esset, par sit necessitas seruiendi & stellam iam non Deum crederent, sed iudicarent esse conseruam, quam cernerent taliter suis obsequijs mancipatam.*

Persuadent reduces ex stellæ obsequio eius creationem. & Christi diuinitatem. S. Chrysologus ser. 156.

Quæ cum populis pariter Reges indicarent, & itineris successum, inuentionem pueri, templi recens ad eius honorem conditi mysteria; ritus colendi Christi declarassent, facilè animarunt ciuium animos ad idola comminuenda, statuas confringendas, delubra subruenda.

diruunt idola & delubra.

Ita vt hinc factum esse videatur, quod Ezechia dominante, Qui cum Pascha celeberrimum Israëli indixisset, sic ardore cultus vnius Dei Iudæi pariter sunt inflammati, vt confestim consurrexerint ad idola deturbanda, confringenda, dissipanda: nec suæ tantum; sed & vicinarum tribuum. *Egressus* (ait scriptura) *est omnis Israel, qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt simulacra, succiderunt que lucos, demoliti sunt excelsa, & altaria destruxerunt: non solum de vniuersa Iuda & Beniamin, sed & de Ephraim quoque & Manasse, donec penitus euerterent.*

vt Iudæi. 2. Par. 31. 1.

Atque hoc quidem eo facilius fuit illis Gentibus persuadere, quo magis Oriente toto non solum stellæ Balaamitiæ breui orituræ fama fuerat dissipata: sed & Sybillinis versibus Rex aliquis orbis totius monarcha nasciturus dicebatur, cui Reges & Magi Orientis essent munera oblaturi: quæ cum iam facta mirarentur, facile in Regum suorum voluntates, mores & religionem vno velut impetu se conuerterunt, vt magnus illi dies Iezrael potuerit appellari, quo regna duo Christi fidem amplexa cultum omnem idolorum abrogarunt. Prodijt ipso translationis tempore historia SS. Trium Regum vt autor Affligimensis auctarij tunc viuens asserit: eam multum diuque frustra requisiui, tandem Francofurti reperi ante trecentos ferè descriptam annos conformem veterrimis lectionibus Colonienſibus, sed ijs auctiorem, vt existimem eandem esse, quam Reinoldus curauit concinnandam: eam deinceps Francofurtensis historiæ nomine laudabo sæpius, & quia fusè narrat reditum & in reditu fidei propagationem eam adscribere visum est. *Cum autem reuersi fuissent in regionem suam, manserunt colentes, & glorificantes Deum magis quam primum, & prædicauerunt omnibus in suo genere Christi adsumtæ humanitatis, & æternæ diuinitatis mysterium. Locum verò montis quo primum stella cum forma pueri parvuli & crucis similitudine lucens ipsis est ostensa honore digno colebant, & ad salutem hominum & fidem confirmandam cœlestis signi similitudinem, sicuti in stella*

conſpexerant, fieri faciebant, & ciuitatem egregiam ibi ædificantes, montem victo-rialem vocabant. Notis verò & amicis ſuiſque Gentibus ac ceteris Orientalibus cœleſtis, quem viderant Regis nati in terris gloriam narrauerunt, & multos ab errore perfidiæ ad viam vitæ & iuſtitiæ reuocantes ſigno gratiæ edocti, doctrinis ſalutaribus erudierunt: plurimi autem verbum ſalutis ab eis attentius audientes, ritus gentilium relinquebant, & ijſdem flagranti ſtudio adhærentes, ad veram Chriſti fidei lucem pertingere cupiebant. Aſcendentes verò Magi ſingulis annis cum ſuis commagis, & cum multis fidei diſciplinis imbutis montem, ob paruuli pueri formæ, & crucis ſimilitudinis venerationem, oratorium ibi, ſumto artificum collegio, inſigni opere ad Regis Chriſti conſtruxerunt honorem: in hoc autem oratorio coram imagine Chriſti cum crucis ſimilitudine diuinitus decorata, Chriſtiani & omnes ſui, diuiſique credentes vota ſua & preces frequentes Domino perſoluebant, & Deum creatorem & ſaluatorem hominum ſcientes, licet nondum baptiſmo renati, laudantes Dominum deuotiſſimè coluerunt in ſilentio & ieiunio Dei, ob amorem & honorem ſæpius perſiſtebant, & terreni regni dignitatem, quamuis reges eſſent, cum vanitate & pompa ſeculi poſtponentes, ſoli Domino ſeruire & placere mente & corpore ſatagebant: & viduis & orphanis ceteriſque indigentibus, larga caritatis beneficia impendebant. Prouinciæ autem orientalis populus ſanctos viros & Reges magnos in bona intentione, & vita ſancta perſeuerare cognoſcens, mundi factum contemnens, fidem cum eis & humilitatem conſtantiſſimè ſectabatur, & vera Dei veri cultura ab ipſis Magis accepta & mentibus humanis diuinitatis gratia impreſſa, & iuſtorum aſſidua adhortatione firmata in oriente fidelibus oriebatur. Sic igitur omnem mundum vreus oriens Chriſtus illuminaturus per fidei Magorum inſtantiam lumine ſuæ agnitionis primitus viſitabat, & fide poſtmodum toto orbe creſcente, ab ortu ſolis vſque ad occaſum omnis gens & natio nomen Domini collaudabat. Magi itaque in bona voluntate ſemper viuebant, & profectum virtutum, & perfectionem bonorum operum conſequi deſiderabant, & omnia diuinæ pietati accepta inceſſanter agebant.

CAPVT XX.

Melchior Indorum Rex triennio poſt adoratum Chriſtum redit in Indiam, templum condit Deiparæ, cuius veſtigia ſuperant.

BIENNIO & quod excurrit Melchior videtur in Arabia, cum duobus alijs Regibus primis Chriſti adoratoribus commoratus, in templorum conſtructione, idolorum euerſione, & plantanda fide orthodoxa ſuam locaſſe operam: quo facilius Arabici populi iam etiam exterorum Regum monitu & ſuaſione Chriſti fidem amplecterentur: Inde cum gratias rite ſocijs Regibus habuiſſet ob pacatam mentis turbatæ conſcientiam, ex conſortio tam beato, & ſanum conſilium de ſtellæ ductu ſequendo, ex quo ſibi credebat bona omnia felicitatemque perpetuam obueniſſe: videtur & id recepiſſe (quod poſtea factum annales Indici memorant) cum primum erecto Deiparæ templo, compoſitis regni rebus; populo fidei Chriſtianæ conciliato: ditionem etiam ſuam fidis & Chriſtianis ſacris rite eruditis commiſerit gubernandam; rediturum ſe protinus in Arabiam, & vna vitam piè deinceps & religioſè traducturum Itaque cum digreſſus inde fines extremos Arabiæ dromedarijs vectus attigiſſet, nauibus conſcenſis triennio iam pene exacto regni ſui fines ingreſſus, ſubiectos ſibi populos aduentu ſuo mirificè recreauit. Cuius & primus videtur exſtitiſſe labor, vt templum Indiæ celeberrimum Cranganore (quæ regni metropolis erat) conſtrueret: quò fama tanti fani diffipata per Indiam complures operis ipſius nouitate & magnificentia populos eliceret, ad agnitionem veri Dei, virgineſque matris cultum curioſius perueſtigandum, faciliùs amplectendum & religioſiùs obſeruandum. Intra templi penetralia ſacrarium quoddam auguſtius excitauit: intra quod faberrimè pictam iconem Deiparæ virginis puerum gremio fouentis collocauit: loco ſa-

Melchior valedicit duobus regibus.

reditum promittit.

Cranganore templum Deiparæ excitat.

cum ſtatua eiuſdem.

sacro certos præfixit & addixit ædituos, à quibus Deiparæ cultus ab ingressuris templum exigendus hac ceremonia præscribebatur: ipsi contenta voce piè nomen MARIÆ semel & iterum inclamarent: tum ad voces singulas omnes in terram toto prostrati corpore, puerum matris vlnis sustentatum cum MARIA supplices adorarent, vt & exteri quique spectatores ipsius reuerentiæ, ad similem cultum tam filio quàm virgini matri exhibendum pellicerentur. Ritum eludi eam præscribit.

Hunc ritum suis voluit subiectis populis solùm sacrosanctum: exinde eos prodigiosæ stellæ narratione ad fidem Christi nati Dei hominis, in quo solo salutis mortalium spes esset collocata paulatim perduxit, ac idolorum delubris dissipatis, subuersis aris, succensisque lucis orthodoxam Christi fidem stabiliuit, tum rebus humanis nuncium remisit: & ex assectatoribus itineris Bethlehemitici: vel quos inter proceres ceteris in Deum fide, pietate & religione præstare iam vsu compererat, ijs regni sui prouincias distribuit: & hoc reliquit vnicum in mandatis, vt fidem Christi Regis contra idolorum superstitiones vanas tuerentur, cuius pauperis & rerum omnium egentissimi amore sponte regni dominatum cum voluntaria paupertate commutaret. Permouit ea res vnum reliquorum, quem Calecutanis oris præfecerat similem vt ædem sacram suo in regno (quod conditor ipse primus eo nomine insigniuit) excitaret, & in penitiori loco sacellum conderet imagine simili Deiparæ in eius meditullio constituta; quam eodem prorsus cultu & religione loci custodes quotidie supplices adorarent, cuius templi structura stetit adhuc seculo superiore, quando Vascus Gama (sicut libro tertio retuli) templum ingressus, & icone parthenica notata ad nomen MARIÆ cum reliquis corpore in terram abiecto virginem Dei matrem ex prisco gentis more piè fuit veneratus. Multum ego censeo narrationi huic fidei tribuendum: nititur enim veteri patrum iam inde à Christo nato profecta traditione: certis loci vestigijs, ritu tot seculis conseruato, & fida annalium Indiæ narratione, cui iam autores grauissimi Nauarrus, Osorius, Maphæus, Fornerus, Carthagena, Spinellus, Cornelius à Lapide cum alijs suffragantur: non possum quin Inchofer eiusdem rei attexam narrationem. Itola destruit.

regnum distribuit Christianis.

vnus suorum simile Calecuti templum contriuit.

vestigia eius superant.

Testimonia huius rei.

Quod autem vnus ex ijsdem Indiam Orientalem patriam habuerit, hactenus historica tantum narratione à quibusdam creditum est. Fuisse hunc Cranganoris Regem tradunt, virum summum & Brachmanarum literis eruditum: sed qui incæstus cum sorore germana perpetrati vehementer pœnitens, neque tamen post multas pœnas à se exactas animo leuatus religionis causa peregrinationem longinquam susceperit: ac tandem in Persidem & Carmaniam, vbi ea tempestate vetus adhuc Magorum disciplina vigebat delatus sit. Hic cum duos principes iam antea sibi per literas notos ad quærendum Christum indice stella itineri se se parare offendisset, tertium se comitem illis adiunxit: vnde & Cheriperimale nomen tulerit, quod est vnus ex tribus. Post Christum adoratum lætior & tranquillior effectus cum primum domum reuertit, tertio ab ortu Christi anno templum Deiparæ fertur dicasse, ac imaginem affabrè pictam, quæ speciem virginis exhiberet natum vlnis complexæ in eodem collocasse: legemque tulisse pietati suæ parem, quoties MARIÆ *nomen ab ædituis fuisset inclamatum, toties vniuersi qui præsentes accepissent humi sese plus quàm cernui demitterent. Denique missis mundi impedimentis totum se diuinis mancipasse, distributis opibus inter eos, qui religione & prudentia probati essent. Vnus ex his vt aiunt Calecutum fundauit, & patroni exemplo ædem virgini pro dignitate sacrans, eo honore adorationis cultum Deiparæ auxit, quem à patrono susceperat, cuius hodieque memoriam tametsi incolæ pagani religiosa traditione seruant. Hunc porro existimant esse illum ex Magis, quem pictores fuscum proponunt, alij Æthiopem seu Maurum vocant &c. Quæ si vera sunt nedum ijs, quæ hactenus in Ecclesia tradita sunt officiunt, verum etiam multis lucem adferunt, in quibus non pauci laborarunt. Hinc verò vlterius coniectare licet, non eam fuisse primam Deiparæ virginis imaginem, quemadmodum plerique putant, quam Theodorus lector à Luca Euangelista ad vivum expressam tradit, & cui ipsa virgo suo intuitu gratiam formæ vt refert Nicephorus immisit: sed longè antè à Magis primis Christi & virginis ex Gentilitate adoratoribus exceptum fuisse vtriusque vultum & formam, & deportatam in patriam imaginem publicæ religioni fecisse locum.* Hæc Inchofer. Ex quibus videas eos Reges iure sibi primitias sodalita- *p. Inchofr. c. 12.* Narratio de Melchioris Regis Conuersione.

Primi adoratores & cultores Deiparæ tres Reges.

dalitatis Marianæ vindicare: primos Magnæ matris cultores, adoratores & seruos exstitisse, quam velut Dominam vnà cum filio supplices adorarunt: & ei templo dicato, erecta imagine, cultu hyperduliæ constituto mirificè viuentem etiam per se & subiectam gentem piè sunt deuenerati. Sic isti primi imaginum Deiparæ, cultusque publici conditores, ipsius venerationem Oriente toto propagarunt. Melchior constitutis Indiæ rebus in Arabiam ad socios Reges reuertit, vt vnà cum ijs totum se rerum diuinarum contemplationi, pijs colloquijs ex locorum istorum ad fidem Christi conuersione dederet: apud quos tamdiu videtur commoratus, donec primò à S. Paulo, deinde à S. Thoma conuenti, plenius sunt fidei Christianæ mysterijs instituti: sed hinc ex Oriente Christi fide effloreſcente ad Christum in Iudæam redeamus: & ea quæ ad Gentilium institutionem, & sui erga eos amoris testificationem gessit, Iudæis paulatim repudiatis, contideremus, dum Reges pergunt in eius fidem propagandam incumbere.

CAPVT XXI.

De Baptismo Christi, & nuptijs in Cana Galileæ: ãcciderintne eodem die 6. Ianuarij diuersis licet annis.

TRIVM iam Regum, nouorum & primorum Euangelistarum ac Gentium Doctorum opera & solicita cura tam Arabia quàm India veri Dei & fidei cognitione effloreſcebat, nec pœnitendis fructibus, quos præguſtauit futurorum præscius Isaias, dum eos tantò antè præcinuit. *Isai. 35.* Fructus ex Gentilitate conuersa in Oriente. *Lætabatur iam deserta & inuia, & exsultabat solitudo, & florebat quasi lilium: germinans germinabat & exsultabat lætabunda & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi videbant gloriam Domini & decorem Dei nostri:* cum Iudæi sæpius quidem digito monstratum à Ioanne nec agnoscerent. Interim *aperiebantur oculi cæcorum* (Gentilium) *& aures surdorum patebant. saliebat* iam *sicut cervus claudus & aperta erat lingua mutorum*: quia *sciendebantur in deserto aquæ & torrentes in solitudine: & quæ erat arida, fiebat in stagnum, & sitiens in fontes aquarum: in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, oriebatur viror calami & iunci. Et erat ibi semita & via, & via sancta vocabatur: non transibat per illam pollutus* (idololatria) *& hæc erat directa via, & ita vt stulti non errarent per eam. Non erat ibi leo & mala bestia non adscendebat per eam, nec inueniebatur ibi: & ambulabant, qui liberati fuerant: & redemti à Domino conuertebantur: & veniebant in Sion* ad templum Christo & Deiparæ à Regibus excitatum *cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebant, & fugiebat dolor & gemitus.* Quibus fructibus nouellæ sponsæ mirificè Christus sponsus recreatus: eo ipso die post annos 30. euolutos, statuit Baptismatis sacramentum suo Baptismo consecrare, & fontem ipsum designare, quo sponsa Gentilitatis abluta nigro posito colore posset dealbari: Eodem voluit tempore contractum cum ea matrimonium cœlestis patris oraculo confirmari, quo simul Dei filius & cœli heres, Doctor & Magister humani generis cœlitus publicaretur: scimus hæc omnia in Christi Baptismo contigisse, cum vox cœlestis insonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hoc pacto confirmata sunt & instaurata ea, quæ 30. annis ante in Epiphania Christus gesserat, consecrato latice, qui mentes fidelium à peccatis ablueret. Succesſit Baptismo secessus in solitudinem, cum quadragenario ieiunio, quo Gentilium iam inchoatum, & per Apostolos perficiendam conuersionem precibus, inedia, corporisque afflictatione Patri commendabat: vt dum conutmax Iudæa violentas Dei filio parabat manus, *decor Libani, Carmeli & Saron* solitudini Gentilium donaretur. Post ieiunium redijt Christus in Galilæam, inde non-

Amor Christi in sponsam.

Acta cum ea in Epiphania confirmantur in Baptismo.

nonnunquam excurrit in Iudæam, hac opportunitate monstratur à Ioanne Baptista discipulis suis, donec anno sequente sub initium Ianuarij Christus ipse collegit discipulos, & coram ipsis sexto Ianuarij in Cana aquam in vinum commutauit, & nuptias initas cum Gentilitate tanto prodigio declarauit, spiritales illas, & immortales, non per corporis, sed animi coniunctionem: vt sicut in vinum aqua, sic caro in spiritum, Gentilitas nigra & deformis in sponsam Christi, noua & diuina metamorphosi conuerteretur. Sed quia recentiorum quidam in dubium vocarunt, num die sexta Ianuarij tam Christi Baptismus, quam nuptiæ Canæ fuerint celebratæ, sententiarum varietatem cum autoribus & rationum momentis subijciam; vt veritas liquidius cognoscatur.

varietas sententiarum de die Baptismi.

Prima S. Epiphanij sententia tenet Christum sexto idus Nouembris esse baptizatum: sed hæc cum omni careat ratione & fundamento passim iam exploditur. *I.S. Epiph. hæresi 51.*

Altera, nesciri quo die, vel quo mense Christus fuerit baptizatus: quamuis eo die festum baptismi celebret Ecclesia. Ita Iansenius negat inter baptismum & nuptias in Cana sexto Ianuarij factas fluxisse annum. Pererius putat eodem die conuersam in vinum aquam, paucis elapsis à baptismate mensibus. Toletus arbitratur illa tria mysteria non eodem die contigisse: quod verò eorum sexta Ianuarij peractum sit, relinquit indecisum. His accedit Baronius, negatque simul vna die facta esse. Horum ratio duplex est: prima petitur ex SS. Patrum quorundam modo loquendi disiunctiuo, cum dubitatione, non copulatiuo. S. Augustinus: *Quanquam nonnulli hodie Dominum à Magis æstiment adoratum, alij aquam in vinum mutasse, quidam verò baptizatum illum à Ioanne confirment, in omnibus est vera festiuitas*: & alibi. *In hac dies, siue quod stellæ ortus sui nuncium præbuit, siue quod aquam in vinum conuertit, siue quod in Iordanis vndis, aquas ad reparationem humani generis suo baptismo consecrauit: in quolibet horum salutis nostræ mysteria continentur.* *II. Iansenij c. 14. concordiæ. Pererij l. 11. in Dan. p. 1. q. 7. Toleti in 2. Io. adnot. 15. Baronij A. Christi 31. Ratio 1. à disiunctiuo loquendi modo SS. Patrum. S. Aug. ser. 37. de tempore.*

S. Maximus: *In hac dilectissimi celebritate, sicut relatione paternæ traditionis instruimur, multiplici nobis est festiuitate lætandum: ferunt enim hodie Christum Dominum vel stella duce à Gentibus adoratum, vel inuitatum ad nuptias aquam in vina vertisse, vel suscepto à Ioanne Baptismo consecrasse fluenta Iordanis.* Eodem ferè modo loquuntur Origenes & S. Ambrosius. *ser. 29. S. Maxim. ser. de Epipha. Origenes ho. 8. in diuersos. S. Ambros. ser. 18. 21. & 22.*

Altera ratio si Christus sexto Ianuarij fuit baptizatus, & anno sequente cœpit in nuptijs Canæ miraculo primo claréscere: oportuit annum solidum à docendo & miraculis abstinuisse, contra Euangelistam Lucam act. 1. vbi dicit S. Petrus Christum: *cœpisse docere & congregare discipulos à baptismate Ioannis.* Deinde Christus in baptismo est doctor hominum à Deo Patre renunciatus, statim ergò cœpit eo fungi munere, nec sine miraculis: denique S. Augustinus vult tam baptismum Christi, quam nuptiarum miraculum die dominico contigisse, quod fieri nequijt, si post annum eodem die mensis vtrumque euenisset. 2. ratio.

Tertia sententia communis est Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ consensu firmata, hæc tria mysteria diuersis quidem annis: eodem tamen mense dieque patrata esse. Tertia sententia Ecclesiæ.

Ecclesia sæpius canit eo die, vt in primo responsorio: *Hodie in Iordane baptizato Domino aperti sunt cœli*: & in antiphona: *Hodie cœlesti sponso iuncta est Ecclesia quoniam in Iordane Christus lauit eius crimina*: iterum in alia. *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus, hodie in Iordane Christus baptizari voluit.* Demum in hymno: *Lauacra puri gurgitis cœlestis agnus attigit, peccata, quæ non detulit, nos abluendo sustulit.* Responsio aduersariorum.

Eludunt recentiores Ecclesiæ dicendi modum: nam & in die Pentecostes aiunt orat, *Deus qui hodierna die*, & in festo Innocentum idem asseritur: cum memoria eorum peragitur: licet eorum martyrium & Spiritus Sancti aduentus alio die peracta sint. At longè diuersa ratio festorum mobilium, quale est Pentecostale, ac martyrij Innocentum quod patratum quadragenarij ieiunii die ad natalitia translatum est gaudia: quorum occasione contigerat: nulla similis occurrit causa, cur ea tria simul alias recoleret Ecclesia: quæ tamen diebus alijs accuratius celebrat: vt Baptismum octaua Epiphaniæ, & nuptias Canæ Dominica post Epiphaniam: ita cum mysteria singula diuersis pensiculatius recolat diebus: solo tamen festo Theophaniæ repetit aliquoties hodie gesta esse: venio ad sanctos Patres præmitto eos, qui supra ambiguè locuti videbantur. Cõfutatur.

S. Aug ser. 1. S. Augustinus: ser. 1. de Epiph. disertè asserit eodem die Christum esse baptizatum: dubitasse quidem alibi quosdam de hoc ait, neminem tamen negasse.

S. Ambros. ser. 1. S. Ambros. *Quia in ea Christus stella duce Gentibus est manifestatus, & à Io. hodie dicitur baptizatus, & aquam in vinum potestate diuina eum conuertisse narratur.*

S. Maximus ho. 6. de Epi. S. Maximus: *Et quam rectè nobis tria hæc mysteria vno acta die prædicantur, qui ineffabile Trinitatis arcanum vno Dei sub nomine confitemur.*

S. Chrysolog. ser. 157. Polemius Silvius. S. Chrysol. *Christus diuerso tempore, vno eodemque die Magorum munera aquæ mutatione, atque Patris voce Deus trino testimonio noscitur, sitque de trina ostensione Christi Epiphania vna, & sacrata solemnitas.* Polemius Siluius circa annũ, 448. sic in laterculo festum Epiphaniæ adnotauit. *Octauo idus Epiphaniæ: quo die interpositis temporibus & stella Magis Dominum natum nunciabat, & aqua vinum facta, vel in amne Iordanis Saluator baptizatus est.*

S. Paulinus in natal. S. Felicis. S. Paulinus, *vtque deinde.*

Qua puerum stella duce mystica dona ferentes
Suppliciter videre Magi: seu qua magis illum,
Sacrantem cunctas recreandis Gentibus vndas,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine merso,
Iordanis trepidans lauit tingente Ioanne,
Siue dies eadem magis illo sit sacra signo,
Permutauit aquas præaulcis nectare vini.

Dubitat hic non vtrum hæc eodem die contigerint: sed ex quonam horum dies magis sanctificetur.

S. Isidorus lib. 1. de offic. Eccl. c. de Epiphan. S. Isidorus: *Siquidem eodem die idem Iesus etiam Iordanis lauacro tingitur, diuisoque cælo spiritus S. descendentis testimonio Dei filius esse declaratur; cuius dici nomen ex eo, quod apparuit Gentibus Epiphania nuncupatur.*

Albinus l. de offi. Eccl. c. de bapt. smo. Albinus: *Hæc secunda natiuitas Christi tot illustrata mysterijs honoratior est quã prima: tunc tantummodo natus est, & Angelus pastores affatus: hodie verò à Magis cum muneribus adoratus est, hodie cum in Iordanicis aquis tingeretur, filius dilectus à Patre vocatus est de cælo: hodie ex aqua vinum factum est: eidemque sponso cæleſti iuncta est Ecclesia.*

Rupertus l. 4. de offic. c. 24. Rupertus: *Sanctus dies Epiphaniæ cum tribus ex causis sit celebris: eo namq; die à Chaldæis Dominus est adoratus, itemque annorum 30. cum iam esset incipiens à Ioanne est baptizatus: atque redeunte anno ex aqua vinum fecit ad nuptias.*

Item: *Tria hæc vna die celebrata esse secundum sanctæ Ecclesiæ autoritatem negare non possumus.*

S. Bern. ser. 1. de Epiph. S. Bernardus: *Nec sola hæc apparitio: sed altera quædam sicut à Patribus accepimus, hodie celebratur: quæ etsi longo post tempore; facta creditur hoc ipso die.*

ser. 2. Et alibi: *Tres apparitiones Domini legimus vna quidem die; sed non vno tempore: id est non eodem anno factas.*

Innocent. 3. Innocentius III. *Sanctissimum coniugium, quod inter Christum & Ecclesiam fuerat Abrahæ promissum & hodie consummatum in adoratione Magorum dicitur: vti & à Patre confirmatum, cum eadem die anno reuoluto in baptismo audita est vox: hic est filius meus: & declaratum anno sequenti eodem die in nuptijs.*

Wilhelmus ſ. 1. de Epip. Wilhelmus Epis. Parisiensis. *Triplex hodie memoratur saluatoris apparitio: prima facta fuit tredecima die ab eius natiuitate. Secunda fuit tredecima die & tricesimi anni eius, quando scilicet baptizatus fuit à Ioanne. Tertia fuit, sicut creditur eadem die anno reuoluto, cum in nuptijs aquam mutauit in vinum.*

S. Thomas. S. Thomas Aquinas Doctor verè Angelicus. *Quidem dicunt, quod à baptismate Christi vsque ad passionem eius fuerint duo anni, & dimidius: & secundum hos: quod hic legitur de nuptijs eodem anno factum est: sed his contrariatur sententia & consuetudo Ecclesiæ: nam in festo Epiphaniæ trium miraculorum commemoratio fit, scilicet adorationis Magorum, quæ fuit primo anno natiuitatis dominicæ, & baptismi Christi: quo baptizatus est eodem die reuolutis 30. annis, & de nuptijs, quæ sunt factæ eodem die reuoluto anno: ex quo sequitur ad minus vnus elapsus fuit annus à baptismo vsque ad nuptias.*

S. Bernard. ser. 24. de Epph. S. Bernardus: *Fatetur Ecclesia decima tertia die anni primi puerum Iesum adoratum à Magis, 13. die anni 30. Iesum iam virum effectum, à Ioanne baptizatum: insuper*

13. die anni 31. ab ipso Christo primum miraculum factum in nuptijs Io. 2. hæc ab vniuersali Ecclesia per solennem celebrationem tradita sunt: vnde dies tria habet nomina, Epiphania, Theophania, & Bethphania.

Simon de Cassia: *Christus à die Baptismatis sui, vsque ad eundem diem reuoluto anno nullum miraculum fecit: Nemo autem in hoc, quod dico se fallat: quoniam autoritas S. Matris Ecclesiæ longa consuetudine roborata, hoc asserere me compellit: quæ illud solum, quamuis non per scripturam declaratum in consuetudinem inuariabilem suscepit, quod à gestis & moribus Apostolorum, atque discipulorum ipsa in suo ortu & inchoatione cognouit. Eo igitur die, quo Saluator baptizatus est, anno reuoluto, Ecclesia infallibiliter hoc nobis tradente, fecit miraculum initium miraculorum.* Simon de Cassia.

Durantes: *Secunda apparitio fuit eadem die in baptismo 29. annis reuolutis, sc. tredecima die anni tricesimi. Tertia apparitio fuit postea similiter eodem die anno reuoluto cum esset 30. annorum completorum & 13. dierum: quando manifestauit se esse Deum per mutationem aquæ in vinum: ideo autem fuit institutum hac die festum de tribus miraculis: quod hic dies antiquitus fuit celebris, in honorem Augusti Cæsaris propter triplicem eius triumphum, quo suo tempore Romano imperio tres regiones subiugauit sc. Parthiam, Ægyptum & Mediam.* Durantes l. 6. rationalis.

E recentioribus 5. solum adducam, qui acrius Ecclesiæ traditionem propugnarunt.

Baradius: *Hanc sententiam perspicuè Ecclesiæ verba significant ei, qui tergiuersari nolit: Quorsum enim Ecclesia vno eodemque die illa celebraret, quæ eodem die acta esse non putaret? nunquid deerant dies diuersi, qui his miraculis celebrandis destinarentur? imo illo eodem die esse peracta asserit. Celebrat verò diuersis diebus, scilicet ipso Epiphaniæ sacro die Magorum aduentum: in octaua Epiphaniæ Baptismam, Dominicâ sequente aquæ in vinum transmutationem. Quid igitur opus erat affirmare eodem die esse peracta, si diuersis contigerant? Ecclesiam sequor, quæ manifestè loquitur, nec indiget expositione, hanc opinionem illa eligit, eandem ego eligo.* Baradius to. 2. lib. 10. c. 12.

Azor: *Communis est veterum Patrum sententia: hæc tria eodem die scilicet sexto Ianuarij, licet diuersis annis fuisse facta. S. Ambrosius, Augustinus, Maximus, ordo Romanus &c. existimo non esse ab hac sententia recedendum, quæ est communi omnium Patrum consensu recepta.* Azor p. 2. l. 1. c. 11. q. 2.

Ludouicus de Ponte: *Non sine mysterio eundem diem Epiphaniæ tribus miraculis ornatum fuisse testatur Ecclesia, dicens. Hodie cœlesti sponso iuncta est Ecclesia, currunt cum muneribus Magi, &c. Magi enim, qui primitiæ erant Gentium duce stella venerunt ad Christum in Bethlehem natum, & collocatum in præsepio, eiusque Ecclesiæ sunt adscripti: eodemque die institutum est Baptisma, quo peccata in profundum maris demerguntur, & sponsa dealbatur: ipso die reuoluente anno in nuptijs Canæ Galilææ aqua conuertitur in vinum, vt designentur spirituales nuptiæ, in ipso baptismatis die celebratæ non per carnis; sed spiritus coniunctionem; quia aqua in vinum, & caro in spiritum Christi potentia commutata. est.* Lud. de Ponte lib. 1. Cant. ex hort. 10. §. 20.

Suaretz inter se committit aduersarios & Ecclesiæ tuetur traditionem. *Existimo alterutrum è duobus dicendum esse, scilicet vel omnia illa tria mysteria esse eodem die facta; vel de nullo eorum definitè constare, an illo die fuerit factum, nec ne: vnde miror Iansenium, Pererium & Baronium, quomodo, cum illud primum negent, potuerint de aliquo eorum determinatè tam constanter affirmare, illo die factum esse, vt dicant, esse vetustissimam traditionem, vsum, & obseruationem Ecclesiæ, communemque Doctorum sententiam, cum nullum sit maius fundamentum ad hoc asserendum de vno, quam de alio: neq; ipsi vllum adferant: sed vnusquisq; id eligat, quod alijs opinionibus vnicuiq; proprijs videtur esse magis consentaneum. Vnde fit, vt inter se etiam non conueniant: dum alius de baptismo, alius de nuptiarum miraculo id affirmet. Quocirca sentiendum existimo, baptismum Christi, & alia etiam duo mysteria, sexto die Ianuarij facta esse. Primo quia id negare de festo Epiphaniæ, videtur communi consensui fidelium reluctari: non est autem maior ratio certitudinis de hoc mysterio, quam de reliquis. Secundo, quia reuera Ecclesia in officio Epiphaniæ multum fauet huic sententiæ. Quod verò quidam dicunt elegisse Ecclesiam illam opinionem vt probabilem, ad suam instituendam festiuitatem, nos omnino iuuat: Non enim contendimus nostram sententiam esse certam: sed vt probabiliorem esse eligendam: quandoquidem illam Ecclesia elegit.* Suaretz to. 3. in 3. p. disp. 26. s. 1. confutat aduersarios. 1. ratio. Secunda.

Tertio probat eandem ex SS. Patribus, August. Hiero.

Hieronymo, Leone, alijs: idem docet Vincentius l. 7. c. 7. Comestor c. 37. Rabanus, Hugo Cardinalis, S. Antoninus 3. p. t. 5. c. 1. Ludolphus, Sigonius, Canus, Genebrardus, Mariana & alij apud Henricum Philippi c. 14.

tertia autores alij huius sententiæ.

Ad locum S. Augustini ab aduersarijs obiectum tam Baptismum, quam miraculum nuptiale die dominico contigisse, Suaretz respondet, sermonem eum nec stylum eius redolere, nec quidquam Augustino dignum in eo contineri. Profecto si Baptismus in dominicum: nuptiæ in diem lunæ incidissent. Nouum mouet & allatis difficiliorem nodum Salianus, egregius assertor Ecclesiasticæ traditionis de quinque propterea Paschatis post Baptismum concedendis. *Concedit ipse quinque perliberter, primum est, quod proximè secutum est Baptisma eius receptum 6. Ianuarij, vt habet communissima Ecclesiæ traditio; alterum secutum est nuptias in Cana Galilææ celebratas, quas eadem Ecclesia prædicat eodem sexto Ianuarij contigisse. Tertiũ memoratur à Ioanne initio capitis 5. quando Christus relicta Iudæa abijt iterum in Galilæam, transiens per Samariam: vbi conuertit Samaritanam. Quartum perspicuè ponitur à Ioanne c. 6. deque eo nulla est controuersia: sed neque de quinto, in quo passus est Christus. Et hanc temporis Christi Domini distributionem, plerique doctissimi, Theologi, & Euangeliorum interpretes secuti sunt*: Alij negant opus esse 5. Paschatis: & 4. sufficere, quod etiam fatetur Henricus Philippi c. 14.

Salianus concedit 5. Paschata post Baptismum.

Vna restat allata supra aduersariorum ratio diluenda, non concedendum videri Christũ per annum à Baptismate ad primum vsq; nuptiale miraculum quieuisse. at id negat Rupertus his verbis: *Nunquid*, ait, *annum suæ ætatis trigesimum, cuius initio baptizatus est, totum sine discipulis exegit? & ita redeunte anno eadem die illud signũ coram discipulis fecit? ita sane credendum est.* Consentit S. Thomas: *In primo anno à Baptismo ad nuptias, nihil aliud legitur Dominus fecisse, nisi quod dicitur Matt. 4. de ieiunio in deserto, & de tentatione, & ea quæ c. 1 refert Ioañes de testimonio Baptistæ, & conuersione discipulorum. A nuptijs autem cœpit publicè prædicare, & miracula facere vsque ad passionem.* suffragatur Caietanus: *Rationi consentaneum est, vt annũ, qui inter Baptismum & nuptias intercessit, & exegerit Christus docendo priuatim & conuersando sæpe cum Ioanne, vt frequens de ipso testimonium redderet, & ipse Christus inchoaret docendo priuatim monstrare, qui erat.* Ioannes Molchus confirmat sæpius Ioannem Baptistam à Christo fuisse eodem loci visitatum, hinc illa triplicata de Christo testimonia, diuerso prolata tempore, vt prius tali teste, cui Iudæorum Principes multum tribuebant, fama Messiæ celebrior euaderet, donec completis annis 30. publicam ordiretur prædicationem, à qua hactenus abstinuerat. Vnde Rupertus ait, Christum primo anno seorsim aliquos docuisse, publica autem prædicatione non adeo turbis innotescere voluisse. Nec officiunt illa verba S. Petri *Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Iudæam, incipiens enim à Galilæa post Baptismum, quod prædicauit Ioannes &c.* Sensus est post Baptismum, quem Ioannes prædicarat, cœpit Iesus in Galilæa publicitus concionari. Quocirca talis videtur ordo temporis statuendus. Anno 29. ætatis completo, prout multi volunt, & 31. diebus 13. inchoato, Christum Ioannes baptizauit: postea 40. dies ieiunauit: inde Nazarethum redijt, interdum Ioannem interuisit, cuius attestatione publica posteaquam inclaruisset, non ita multo ante, quam nuptialis dies in Cana celebraretur, publicum Doctorem egit, discipulos euocando Io. 2. nam ibi Magister salutatur: *Magister vbi habitas.* A miraculis tamen abstinuit: ad nuptias vsque: prius enim, aduertit recte S. Chrysostomus, debuerunt congregari discipuli, qui deuotè attenderent miraculis, quæ fieri incipiebant, ijsque confirmarentur. Ex dictis claret, postremam hanc sententiam tria scilicet miracula eodem sexto Ianuarij die fuisse perpetrata, longè reliquis firmiorem autoritate Ecclesiæ, SS. Patrum, Theologorum, & interpretum scripturæ, rationibusque niti solidioribus: cum enim decreuisset, vt in Natiuitate humanitas Messiæ præcipuè vulgaretur; in Epiphania diuinitatem eiusdem triplici voluit Deus testificatione mundo declarare. *Qui enim*, ait S. Chrysol. *nascendo ante humano se corpore velauit, postea operando ipse se cœlesti reuelauit arcano: post Deus ipse apparuit trino modo: qui homo in partu apparuit singularis: meritò ergo solennitas præsens Epiphaniæ nomine nuncupatur, in qua illuxit Deitas, quæ nostra nobis obscurabatur in carne. Per Epiphaniam Magi Christum Dominum muneribus mysticis confitẽtur: per Epiphaniam Christus aquas saporauit in vinum, vt Christum nuptijs interfuisse*

Responsio ad vltimam rationem. *Rupert. l. 4. de offic. c. 24. S. Thomas.*

Caietanus.

Christus sæpius inuisit Ioannem. docuit priuatim.

quid egerit anno inter Baptismum & nuptias.

cur tria hæc miracula & mysteria facta vna die. *S. Chrysol.*

fuisse virtutis fuerit, non voluptatis: ebrietatis non fuerit apparatus, fuerit deitatis ostensio. Per Epiphaniam Christus Iordanis alueum Baptisma nostrum consecraturus intrauit, vt quos nascendo in terra susceperat, hos renascendo releuaret in cælum. Hinc est, quod Spiritus S. tunc toto se fudit illapsu, quando Pater de cœlestibus clamat: Hic est filius meus dilectus (sic Christus diuerso tempore, vno eodémque die Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce Deus trino testimonio nosceretur, fieretque de trina ostensione Christi vna & sacrata solennitas.

CAPVT XXII.

Christus sponsus Gentilitatis in Cruce consummat matrimonium, obcæcatis ob perfidiam Iudæis.

COEPIT subindè Christus Patris cœlestis ante testimonio, & Ioannis multiplici demonstratione designatus agere pastorem Iudæorum: oblitus iniuriarum veterum, quandò ab ipsis recens natus hospitio non receptus, abiectus inter pecudes est: quandò per proditionem locus natalis Herodi fuit indicatus, & palam cum tyranno in Christi necem coniuratum: omnium oblitus cœpit factis & doctrinâ viam cœli pandere, suam innumeris prodigijs diuinitatem manifestare, quam & dæmones eiecti publicè confiteri cogebantur Imò & Gentes quodammodò repellere venientes, vt ouis illa perdita domus Israël quæreretur. *Non*, enim ait Gentili feminæ, *sum missus, nisi ad oues, quæ perierant domus Israël.* Nam Pater æternus filium suum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, & posteris eorum Israëlitis promiserat, quod ex eorum stirpe Messias esset nasciturus: in Palæstina tàm oriturus, quàm educandus: Iudæos tantum ore suo docturus, & legem Euangelicam coram ipsis operibus mirandis probaturus: vnde Roman. 15. 8. vocatur *Minister circumcisionis*, quasi Doctor tantum futurus esset circumcisorum Iudæorum, quibus *propter veritatem*, id est, veracitatem, & promissa sæpius facta Patriarchis Christus debebatur: *Gentes autem super misericordia honorare Deum* debent: est enim, quod Gentiles laudent Deum ei se gratos exhibendo, quod gratis sola ductus misericordia eos receperit, & velut catellos non iam micis; sed ipso pane filiorum pauerit: ita, vt dum Iudæi tempore perpessionis dominicæ facti sunt canes, de quibus Psaltes Christi nomine conqueritur *Circumdederunt me canes multi*, Gentiles iam filij Dei vocarentur: nam cum Christus *tota die*, seu prædicationis tempore in quartum annum *expandisset* ad eos *manus*, credere tamen noluerunt: Gentilis vero Centurio, Chananæa, & pauculi alij fide Iudæos superarunt. Quam mutationem præclarè describit Origenes: *Propterea perstitit Domino in clamore dicens: Adiuua me Domine: ad hoc tamen ipse respondet: non licet tollere panem filiorum, & mittere canibus. Qui sunt filij? Iudæi, quos confundit dicens: quia fuerunt filij, & facti sunt canes: de quibus Paulus dicit: videte canes, videte malos operarios, videte interfectores. Nos verò, qui velut canes eramus de Gentibus, facti sumus filij in eorum radice, quos ita exhortatur Paulus Gal. 3. Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Sed fidei tribui hanc gloriam, & Christus hic indicat: mulier magna est fides tua.* & Matt. 8. cum Centurionis Gentilis fidem sic celebrat: *non inueni tantam fidem in Israël.* de quo sic idem Origenes *Nunquid*, ait, *penitus relinquentur ij, qui ex Gentibus veniunt ad Christum: an & ipsis Iudæis habeant aliquit amplius? audi Dominum dicentem ad Centurionem ex Gentibus credentem, Matt. 8. amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israël: vide ergo vbi venitur ad fidem, quantum amplius habeant Gentes, de quibus alio loco Dominus dicit: ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Jacob in regno cælorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores. Vbi ergò venitur ad leges, & ad literas habent Iudæi aliquid amplius, multum & per omnem modum: vbi venitur ad fidem, habent Gentes multum per omnem modum: sed & Dominus Iudæis loquens, eum dicit:* Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum eius: *puto quod sensu legis dixerit: qui ablatus*

Christus primò Iudæos docet repulsis Gentilibus

Rom. 15. 8. hinc dicitur minister circũcisionis. Gentes vocauit canes.

Psal. 21.

Origenes Hom. 7. in diuersis. Iudæi postea. *Matt. 15.* tacti sunt canes. *Philip. 2.* Gentiles autem filij. ob fidem. *Origenes l. 3. c. 2. in ep. ad Rom.*

latus

latus est à Iudæis manentibus apud illos solis literis, & datus est Gentibus, qui possunt per fidem fructum spiritus facere. Rectè quidem eo loci Christus conqueritur de vinea sua electa Iudæorum, quod tantum abest, vt fructus faceret fidei, & bonorum operum, vt etiam necem & insidias pararet filio Dei. Ficus habebat; sed ramis robustas, folijs comtas, fructuum egenas, tribus iam annis prædicando fructum sperabat, nec reperiebat: non apud vulgus, non apud scribas, nec apud sacerdotes. Erat interim synagoga, vt eam graphicè depingit S. Ambrosius: *Arbor folijs redundans fluentibus spem possessoris sui cassa speratorum prouentuum exspectatione destituit; ita etiam synagoga, dum Doctores eius operibus infecundi, verbis tantum velut folijs redundantibus gloriantur, inanis vmbra legis exuberat, spes autem falsi exspectata prouentus populi vota credentis illudit.* Corticem scilicet & folia legis sibi reseruabat Iudæa; nucleum & sensum fidei Gentibus relinquebat: ideo cum quartum iam annum ab ipso prædicationis exordio fructum nullum à se funderet, ei quatriduo ante mortem Christus, vt sterili maledixit; nouam plantarat pridie Gentilium arborem fructuosissimam die palmarum: ideo tunc petijt montem oliuarum: nouas ibi Gentilium oleas saturus, insedit pullo, qui Gentium populum nullo iugo legis pressum significauit: iuit ad templum suum verus Rex Israël, quod ipse per fidem & caritatem in animis Gentilium fidelium erat constructurus, deserto populo Iudæorum: *Pulchrè*, ait S. Ambrosius, *relictis Iudæis habitaturus in affectibus Gentium, templum Dominus adscendit; hoc enim templum est verum, in quo non in litera, sed in spiritu Dominus adoratur. Hoc Dei templum est, quod fidei series, non lapidum structura fundauit. Deseruntur ergo, qui oderant; eliguntur, qui amaturi erant. Et ideo ad montem venit Olineti, vt nouellas oleas in sublimi virtute plantaret, quarum mater est illa, quæ sursum est Hierusalem. In hoc monte est ille cælestis agricola, vt plantati omnes in domo Dei possint viritim dicere. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Domini. Et fortasse ipse mons Christus est, quis enim alius tales fructus ferret olearum, non curuescentium vbertate baccarum, sed spiritus plenitudine Gentium fecundarum, ipse est, per quem adscendimus, & ad quem adscendimus. Ipse est ianua, ipse est via, qui aperitur, & qui aperit, pulsatur ab ingredientibus, & ab emeritis adoratur.* Confert deinde pullum cum Gentili populo. *Ergo in castello erat, & ligatus erat pullus cum asina: non poterat solui, nisi iussu Domini. Soluit eum manu Apostolica, talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis & tu, vt possis ligatos soluere. Nunc consideremus, qui fuerint illi, qui errore detecto de paradiso eiecti in castellum sint relegati: & vides quemadmodum quos mors expulerat, vita reuocaverit. Et ideo secundum Matthæum & asinam & pullum legimus, vt quia in duobus hominibus vterque fuerat sexus expulsus, in duobus animalibus sexus vterque reuocetur. Ergo illic in asina matre, quasi Euam figurauit erroris; hic autem in pullo generalitatem populi Gentilis expressit; & ideo pullo sedetur asinæ, & bene in quo nemo sedit, quia nullus antequam Christus, nationum populos vocauit ad Ecclesiam. Denique secundum Marcum sic habes; quem nemo adhuc sedit hominum. Alligatus autem perfidiæ vinculis tenebatur, iniquo addictus domino, errori famulatus, & dominatum sibi vindicare non poterat, quem reum fecerat non natura, sed culpa.*

ob Iudæorum peruicaciam trium annorum. in 23. Luc.

quarto anno sterili synagogæ Christus maledixit.

die palmarum plantauit oliuetum Gentium. *initio lib. 9. in Lucam.*

in monte qui Christus ipse est *Psal. 91.*

pullus designat gentiles. *Marci 2.*

Hactenus S. Ambrosius. Ita cœpit die Palmarum Christus Gentes ad se trahere. Sed necesse erat, vt *granum* antè *cadens in terram moreretur.* Hoc ipsum eodem die Christus venientibus Gentilibus, & desperatâ iam Iudæorum conuersione & commutatione significabat: *Erant autem*, ait S. Ioannes, *quidam ex his, qui adscenderant, vt adorarent in die festo*: hi ergò accesserunt ad Philippum (fortè reliquis faciliorem, benigniorem, notiorem) *qui erat à Bethsaidâ Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine volumus Iesum videre, venit Philippus & dicit Andreæ* (vt primo Christi discipulo: mox cummunicato inter se consilio) *Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu.* Hic commota sunt sponsi viscera, dum legati à sponsa Gentilitate veniunt, & pacti triginta tribus annis ante Regibus Orientis promissi, faciunt meminisse: quid interim exsultans gaudio Sponsus? *Iesus autem respondit eis dicens, venit hora, vt clarificetur filius hominis.* (per vestram post meam anastasin, ô Apostoli prædicationem Gentilibus breui

Ioan. 12. v. 21. accedunt Christum.

Exultat gaudio.

prædicit mortem suam.

post

post faciendam) *Amen dico vobis nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* hoc erat necesse, vt Christus velut granum, tortoribus Iudæis morereturet, vt indè oliua Gentilium vberrima efflorescceret, cuius rami ad orbis quatuor angulos protensi fructuum infinitam multitudinem orbi & cælo germinarent: ita & Christus, quem Iudæa sterilis noluit agnoscere, à Gentilibus reciperetur, coleretur, adoraretur. *Se ipsum*, ait S. Augustinus, *dicebat Iesus; ipse erat granum mortificandum, & multiplicandum in fide omnium populorum.* Et S. Bernardus: *moriatur granum & surgat Gentilium seges: oportet pati Christum, & surgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum: non solum in Iudæam; sed etiam in omnes Gentes, quatenus ab vno nomine, quod est Christus, millia millium credentium Christiani dicantur: & dicant oleum effusum nomen tuum.* Sed dum Iesus coram omnibus Baptismo vt sanguinis baptizaretur, coarctaretur, & Patrem invocasset, *Pater saluifica me ex hac hora: transeat à me calix iste* (mox se corrigens orat) *sed propterea veni in horam hanc: Pater clarifica nomen tuum* (*clarifica*, ait Augustinus, *me passione & resurrectione*) *venit ergò vox de cælo: & clarificaui, & iterum clarificabo.* (clarificarat in Epiphania stellæ exortu, in Baptismo & transfiguratione vocibus istis Iudæorũ Doctorem constituerat: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*, iterum in morte solis obscuratione, postea reuiuiscendo, & Gentilium conuersione clarificaturus. Hic Iesus iterum exsultans, & ad mortem pro Gentium salute libenter oppetendam his se vocibus offert: *nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eijcietur foras* (conuersis Gentilibus, & excisa idolomania) *& ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*: iam Doctor etiam Gentium renunciatus per mortem se promittit orbis totius nationes attracturum obcæcatis & repudiatis Iudæis, vt patheticè ostendit S. Leo. *O admirabilis potentia crucis, ô ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi: & potestas est Crucifixi: Traxisti enim Domine omnia ad te: & cum expandisses totà die manus tuas, ad populum non credentem, & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti Domine omnia; cum in exsecrationem Iudaici sceleris vnam protulerunt elementa omnia sententiam; cum obscuratis luminaribus cæli, & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis: vniuersaque creatura impiorum se vsui negaret.* Sed quomodo creatæ res omnes Iudaici populi perfidiam, & repudiationem, Gentilis verò Ecclesiæ lucem & splendorem præmonstrarint, subdit: *Traxisti Domine omnia ad te, quoniam scisso templi velo sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, vt figura in veritatem; prophetia in manifestationem; & lex in Euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento, vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum; & sacratior est vnctio sacerdotum: quia crux tua omnium fons benedictionum; omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate; gloria de opprobrio; vita de morte.*

S. Augustinus tract. 51. & Gentilium conuersionem.

S. Bernardus ser. 15. Cantic. Christus petit mortem sua & resurrectione clarificari.

offert se ad eam pro gentium conuersione.

S. Leo ser. 8. de passione. Iudæos repudiat vt rebelles.

effectus passionis Christi.

Sed ante, quàm extremo remedio Christus vteretur, & synagogam dilectam matrem suam abijcere cogeretur: quid non tentauit, & experiri voluit? Frustra iam erant admonitiones; cassæ reprehensiones; occaluerat malitia, & improbitate sic animus, vt nihil amplius diuinorum persentisceret: *Quid debuit facere* benignissimus Pater familias *vineæ suæ, & non fecit?* videns ergo eminus paucis antè crucem diebus dilectam Ierusalem Romanorum armis annis 40. post iusto Dei vindicis decreto penitus exscindendam, & incinerandam, *fleuit super eam, dicens: quia si cognouisses & tu: & quidẽ in hac die tua* (qua in te ingredior pacificus Rex & Messias tuus: tibi, si recipere velis, salutem allaturus) *quæ ad pacem tibi* (abrumpit fletus & affectus vehementia dicentis vocẽ, tanta emphasi enunciabat illud *& tu* illa dilecta mater mea synagoga: electa vinea mea: à me honorata & edocta filia Sion: *& tu* me reijcis, contemnis, cædis, crucifigis?) *nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis* (abscondita tibi mea diuinitas, passio, resurrectio: & heu illa incredibilia mala, quæ

Dolor eius de Iudæorum peruicacia. *Luc. 19. 42.* lacrymæ. suspiria.

prædicit interitum Solymæ. *S. Greger. hom. 39. Matt. 23.*

à Tito patieris, *si mala*, ait S. Gregorius, *imminentia videres: læta in præsentibus proſperis non esſes*) *Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo*, & reliqua, quæ ventura; ſed cæcis & ſurdis præcinit. Similes ſunt eæ voces monentis & ingemiſcentis Chriſti, *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.*

nec ſic reſipiſcit.

Sed fruſtra ſunt gemitus, ſuperuacaneæ preces, *noluit Iudæa intelligere, vt benè ageret.*

Repudium Iudææ.

Hæc eſt illa ſuperba, & tumida Vaſthi, quæ Aſſueri detrectat imperium: *quæratur Regi puella* clarior: vocetur Gentilitas illa dilecta ſponſa, quam ſtellæ fulgentis radijs per trecentas leucas ex Oriente Solymam, & in antrum Bethlehemiticum euocarat: è qua Gentiles nuper legati miſſi, cum Iudæi nec videre Ieſum oculis æquis ſuſtinuerunt, tam ſolicitè Philippo nunciarunt: *Volumus Ieſum videre*: quorum iam fidem in Chananæa & Centurione perſpectam ſic Chriſtus celebrauit, vt ei parem neget in Iſraël ſe reperiſſe. Sponſus thalamum conſcendat nuptialem, vt de latere morientis ædificetur Eccleſia: cuius filij ſic ſanguine Chriſti irrigati germinent, vt orbis vniuerſus ex Gentibus ijs repleatur. Hæc ſit tandem matrimonij die Epiphaniæ cum Gentilitate de præſenti contracti; in Baptiſmo confirmati; & in nuptijs declarati conſummatio: quod ita S. Auguſtinus epithalamica celebrat oratione *Quid reſtat iuueni* (Chriſto) *niſi vt procedat velut ſponſus de thalamo ſuo: accipiat ſponſus ſponſam: quæratur, inueniatur, quæ ei coniungatur, qualis eſt, de qua natus eſt, talis ei inueniatur: quæ & matrem reddat fecundam & virginitatem ſeruet intactam: Agite Iudæi neſcientes nuptias agni: agite, vt ille, qui natus eſt de virgine, ſuſpendatur in cruce: adſcendat ſponſus inter thalami ſui lectum: dormiat moriendo, aperiatur eius latus, & Eccleſia prodeat.*

Gentilium electio & conſummatio matrimonij in cruce.

S. Auguſtinus lib. 2 ad Catech. c. 6.

Exſulta, exſulta Sponſa Eccleſia: quæ niſi Chriſtus ſuum pro te fudiſſet ſanguinem, tu ab illo formata non fuiſſes. *Quis eſt iſte* ſponſus? vultis noſſe, *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.*

Sed quia tam multa ſunt crucis myſteria, quæ fidem ad Gentes relictis Iudæis tranſlatam portenderunt: enucleatius capite ſequenti perſequar.

CAPVT XXIII.

Quam multa portenderint in morte Chriſti Gentilium futuram conuerſionem, & Iudæorum obcæcationem.

teſtimonium Gentilis feminæ. Claudiæ Proculæ vxoris Pilati Chriſtianæ. *S. Origenes. Chryſoſtomus. Theophylactus. S. Hilarius in 27. Matth. can. 33. S. Ambroſius lib. 10. in c. 23. Luc. S. Auguſtinus ſerm. 121.*

PAVCA quædam delibabo de multis, & mirum quidem tunc, cum principes ſacerdotum, ſcribæ, populuſque Iudæorum toto ex orbe congregatus ad paſchales ferias Chriſtum reum agerent, nec eſſet, qui patrocinium eius ſuſciperet, Gentilem feminam cum viro publicũ eius innocentiæ teſtimoniũ tribuiſſe. *Enim primo* Claudia Procula Pilati coniunx cæleſti monitu cum Chriſtum vt mundi Saluatorem agnoſceret teſte Origene, S. Chryſoſtomo, Theophylacto: iuſti elogio eum decorauit. *nihil tibi & iuſto huic.* de quo S. Hilarius: *ſpecies in ea Gentium plebis eſt. Quæ iam fidelis cum, cum quo conuerſabatur, populum ad Chriſti fidem aduocat. Quia ipſa multum ſit paſſa pro Chriſto, in eandem gloriam futuræ ſpes illum inuitat.* Agnoſcit eandem cœleſtem gratiam S. Ambroſius. *Monebat vxor, lucebat in nocte gratia, diuinitas eminebat; nec ſic à ſacrilegâ ſententia temperauit.* S. Auguſtinus: *in natiuitate mundi vxor ducit virum ad mortem; in paſſione Chriſti, vxor prouocat ad ſalutem.*

Hanc Menologium Græcorum ſanctis adſcripſit. *Alter* teſtimonium innocentiæ Chriſto Gentilis Pilatus & ipſe Iudex ſæpius dedit: cum ijs facio, qui eum peccaſſe faciunt grauiſſimè, dum iuſtum pronunciat, & condemnat innocentem: hoc dico eum Gentilium nomine Chriſtum innocentem coram Iudæis ſæpius proclamaſſe: *Obtuliſtis*, ait, *mihi hunc hominem, quaſi auertentem populum: & eccè ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inueni in homine iſto: ſed neque Herodes.* Poſtea ſubdit: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius*

2. Pilati de Chriſti innocentia. *Luc. 23.*

S. Hie

S. Hieronymus in 27. Matth. *nota quod Gentilibus somnia sæpè à Deo reuelantur, & quod iam Pilato & vxore eius iustum Dominum confitentibus, Gentilis populi testimonium sit.* & S. Augustinus: *Magi ab Oriente; Pilatus ab Occidente venerat: vndè illi Orienti, hoc est, nascenti: ille autem Occidenti, hoc est, morienti attestabantur Regi Iudæorum: vt cum Abraham, & Isaac, & Iacob recumberent in regno Cœlorum, non ex eis propagati per carnem; sed eis inserti per fidem.*

S. Hier. in 27. Matth. Iudæi contemnunt Christum. Gentiles prædicant innocentem. S. Augustin. serm. 3. de Epiph.

Deindè cum factâ comparatione Barrabbæ cum Christo Iudæi Christum repudiarent, iam satis cum autore vitæ vitam ipsam & fidem abdicabant: interim Gentilis Pilatus id vnum agebat, & tantis conatibus moliebatur, vt innocens dimitteretur teste S. Petro: *Iesum negastis antè faciem Pilati: iudicante illo dimitti.* meritò vita iam cum fide Gentilibus credentibus accessit: & perfidia cum autore mortis diabolo Iudæis adhæsit, nunquam ab ijs separanda. *Staret* ait Beda, *Iudæis vsque hodie sua petitio, quam tanto labore impetrarunt: quod enim data sibi optione pro Iesu latronem, pro saluatore interfectorem; pro datore vitæ elegerunt ademtorem, meritò salutem perdiderunt & vitam, & latrocinijs sese ac seditionibus in tantum subdiderunt, vt & patriam regnumque suum, quod plus Christo amauere, perdiderint; & hactenus eam, quam vendidere siue corporis siue animæ libertatem recipere non meruerint.* Subdidere Iudæi sibi posterisque suis omnibus dirâ & terribilem maledictionem: *sanguis eius super nos & super filios nostros*: vt illa scilicet medicina salutis, ad scelerum vulnera, & purulentiam abluendam diuinitus instituta, in venenum & exitium posteritati toti conuerteretur. *perseuerat*, ait S. Hieronymus, *vsque in præsentem diem hæc imprecatio super Iudæos, & sanguis Domini non aufertur ab eis, quia vt prædixit Daniel c. 9. vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* interim Gentiles eo sibi pretioso balsamo curant animæ languores: extergunt maculas, & vt medela morborum omnium perfruuntur, ideò conscindi flagris toto corpore: spinis caput redimiri, veste coccineâ voluit amiciri, vt Gentilis populi peccata, sed Iudæorum scelere & malitia suo in corpore expiaret *in chlamide coccineâ*, ait S. Hieronymus, *Dominus opera Gentium cruenta ostentat.* & S. Athanasius *gestabat in coccineâ chlamide speciem sanguinis, quo terra per Diabolum funestata, & multis cruoris vndis imbuta erat* Infelix & incredula Iudæa, quæ sic respuis tuum saluatorem, perge in crucem, in arborem mali leuare Dominum tuum, vbi corrupta fueras, & olim vitiata, vt si non tibi, Gentilibus saltem in illo mortis suæ lectulo salutem adferat morituris Hæc illa arbor mali, de qua sponsus canit: *sub arbore mali suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* In hanc dum arborem velut thalamum sponsum deijcit synagoga, matrimonium cum Gentilitate contractum feliciter consummatur: ibi gignitur Ecclesia fidelium & Gentiles mortui per idolomaniam per fidem ad vitam reuocantur. *Quid per arborem* (ait S. Gregorius) *malum, nisi sancta crux designatur: quæ malum illud sustinuit; de quo eadem sponsa in superioribus dixit: sicut malus inter ligna siluarum: sic dilectus meus inter filios. Sed sponsam suam Christus sub arbore suscitauit: quia in Cruce positus subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocauit, vt à somno mortis resurgeret & cum illo se crucifigens, ad nouam resurrectionem properaret: vnde Apostolus cuiuis animæ mortuæ dixit, surge qui dormis, & exsurge à mortuis, & illuminabit te Christus*: sed quia infidelitas synagogæ Christum crucifixit, ideò sequitur: *ibi corrupta est mater tua, sub arbore malo corrupta dicitur mater Ecclesiæ, quia quando saluatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit; cuius sceleris magnitudinem inculcat, cum ibidem replicat dicens: ibi violata est genitrix tua.* Huic S. Gregorij sententiæ consentiunt Cassiodorus, Beda, Ans: Rupertus, quorum mentem sic de suo repræsentat Ludouicus de Ponte: *Per nomen matris tuæ plures Patres intelligunt synagogam Iudæorum, quæ mater fuit Ecclesiæ: sensus igitur est: sub arbore malo suscitaui te: quia in Cruce, & per Crucem te, quæ mortua eras per peccatum originis, & sub potestate Diaboli constituta, redemi, liberaui, suscitaui, & vitam gratiæ tibi impertiui: te etiam (Gentilitatem) ibi suscitaui, & erexi in Ecclesiam meam, & in sponsam mihi assumsi, & meam erga te ardentissimam dilectionem demonstrando manifestaui, at ibi corrupta est mater tua, & violata genitrix tua per grauissimum peccatum, quod in mei crucifixione commisit, induens maledictionem, quam sibi imprecata est: Sanguis eius super nos & super filios*

Iudæi Barrabbam Christo præponunt. Pilatus defendit. *actor. 3. 13. Beda in c. 15. Marc. v. 9.* ideo illi reprobantur. 3. signum sibi sanguinem Christi pro veneno postulant. *Mat. 27. S. Hieron. in c. 27. Matt.* quem Gentiles pro medicina accipiunt. *S. Hieron. S. Athanas.* 4. signum. Crux sponsi lectulus. *Cant. 8. v. 5. S. Gregor. in Cant. 8.* in eo genuit Ecclesiam Gentium.

ibi perdita est synagoga mater Ecclesiæ.

Cassiodor. Beda. Anselmus. Rupertus. Luc. de Pons l. 10. Cant. exhort. 5. 2. Matt. 27.

filios nostros. Quid dicis ô dilecta; Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me: non abnuo ita esse: sed memento, quod ad hanc te euexi dignitatem,
Rom. 10. v. 21. *cum totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi. Qui tandem manus meas extenderunt in cruce, & duris affixerunt clauis, & ipsi quidem propter hoc corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, miserèque perierunt in peccatis suis,: at te (Gentilium Ecclesiam) suscitaui, vt digna esses, quam mea læua sustineret, & complexaretur dextera mea. Tu adscendis de deserto delicijs affluens, innixa super me dilectum tuum: ego vt ita tu adscenderes, adscendi in*
Oseæ 13. *crucem, doloribus affluens, innixus super hoc brachium meum: conferto ergò te ipsam matri tuæ, & considera te viuam, illam mortuam, te suscitatam, illam corruptam! te sanam & integram, illam violatam. Non tu te suscitasti, sed ego suscitaui te; sicut nec ego corrupi matrem; sed illa corrupit te quia peruatio tua o Israël ex te: tantummodò ex me auxilium tuum: iustum ergò est, vt me ardenter diligas: siquidem ita ardenter ego dilexi te.*

5. Iudæi Christi faciem versus occidentem statuerunt. implentes vaticinia. *Ier. cap. ib. 17.* Auertit oculos à Iudæa Christus versus Gentiles. *Ps. 65.*

Sed vt Iudæi suum in Christum odium ostenderent, quem nec adspectu suo dignari cupiebant, auersis ab Ierusalem oculis suspenderunt, vt Christi dorsum Solymæ & Iudæis obuerteretur; facies verò Christi morientis Occidentem adspiceret. ô stulti & vecordes, Christum nec dignum iudicatis, qui vos & Solymam adspiciat; interim implete vatum vestrorum oracula, quibus vobis æternum exitium; Gentilibus verò salus & vita immortalis nunciatur: quod tot ante secula vobis Deus per Ieremiam est minitatus: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Vos diem illam perditionis Christi stolidi reputatis: hæc illa dies, qua vobis solis lumen in tenebras. Dei fauor in odium sempiternum conuertitur: *Oculi eius* ait Dauid, *super Gentes respiciunt*, Italiam scilicet, & Occidentem versus, quia iam matrix Ecclesia Roma caput Gentium designabatur, è quâ velut fonte fides per Petrum in totum orbem facillimè dimanaret; ideò sanctorum Apostolorum instituto Christi fideles orant, & templa construunt Orientem versus, vt Christum motentem ad se conuersum supplices deprecentur, ita Damascenus lib. 4. de orthod. fide c. 13. Cardinalis Alphonsus Paleottus de Christi stigmatibus cap. 20. p. 278. ait *Saluatorem nostrum ad Occidentis plagam, in qua Gentilis populus habitabat, caput conuertisse, perinde ac si eundem ad se vocaret, & vt saluberrimæ suæ passionis*

Paleottus de Christi stigmatis c. 20. p. 278.

Clichtoueus. *fructu perfrueretur: quem Iudæorum illa gens obstinatis in suam perniciem animis refutarat, illectum imitaret* Et Iudocus Clichtoueus, *Illud hoc loco non perfunctiorie præteundum est, quod Christus crucifixus ad Occidentem respiciebat, quod ideo fortè fecerit, vt conuerso in nos obtutu, tanquam in populos sibi carissimos his in partibus & fidem & ecclesiam suam collocaret: & saluberrimi sanguinis sui fructum nobis impertiretur, ita quod Romanis suggesserunt in pœnam, & dedecus Saluatoris, diuina sapientia conuertit in bonum fidelium, & pœnam Iudæorum; quos iam euersa Solyma per totum orbem ad æternam ignominiam dissipauit.*

6. signum solis obtenebratio.

S. Chrysost. hom. de Cruce & latrone.

Itaque Deus vt iam auersos oculos à Iudæa satis indicaret, solem voluit meridie, cum plenilunij tempus esset, maximo prodigio, oppositu lunæ lumen amittere, & tenebras Iudææ Ægyptijs grauiores infidelitatis indicare. Quam bellè Gentilibus & nobis collatum tunc beneficium, & Iudæorum cæcitatem describit S. Chrysostomus: *Hodie*, ait, *apud Iudæos tenebræ sunt: apud nos autem nox in diem conuersa est: etenim pietati hoc proprium est, vt in tenebris fulgeat: impietas autem etsi in lumine fuerit, tenebrescit. Fidelibus* (Gentilibus) *nox in diem mutatur: infidelibus autem etiam ipsa lux tenebrescit. Et de fidelibus quidem scriptura dicit: quia tenebræ non obscurabuntur, & nox sicut dies illuminabitur: infideli autem & dies in noctem mutatur: dicente scriptura: palpabunt sicut cæci parietem, & ambulabunt in meridie sicut in medio noctis. Iob. 5.* Hoc nimirum Christus ipso natiuitatis momento satis per exortum noui sideris in Oriente significauit, quandò Gentilibus medià nocte lux orta fidei est, cum Iudæis meridie tenebræ crassissimæ, & caligo noctis offunderetur: dum enim magis perfidiæ tenebras, quam fidei & solis Iustitiæ lumen cum Gentibus amant, illis rectè meridies obscuratur, his in nocte lumen noui sideris emicat. Quod igitur Epiphaniæ die futurum significabatur, hoc in Cruce suffixo Domino factum & completum solis caligine fuit demonstratum. Hæc illuminatio

ideò nato in nocte Christo lux oritur Gentibus. Iudæis in morte Christi meridie sol obscuratur.

Mago

Magorum ait, S. Augustinus. *magnum testimonium exstitit cæcitati Iudæorum: in terra eorum illi requirebant, quod illi in sua non agnoscebant: apud eos isti infantem inuenerunt, quem illi apud se negauerunt: in his terris de longinquo isti peregrini puerum Christum nondum verba promentem adorauerunt, vbi ciues illi iuuenem miracula facientem, crucifixerunt: isti in membris parui Deum adorauerunt: illi in magnis factis nec tanquam homini pepercerunt: quasi plus fuerit videre nouam stellam in eius natiuitate fulgentem, quam solem eius in morte lugentem.* S. Augustin. ser. 2. de Epiphan.

Quis est, qui ponderans ea sancti Doctoris verba, non totis artibus contremiscat, & *si stat, videat ne cadat*? Quam multis oraculis, promissis, figuris, & typis omnia Messiæ gesta fuerant prænunciata Iudæis, quàm multis Diuinitatem suam miraculis, testimonijs, & rationibus ipse Christus demonstrarat? nec agnoscunt eam Iudæi: Gentiles vno adspectu sideris ducti, quam constanter fidei cum suis adhæsere? Audi eundum sermone tertio. *Hæc stella stellarum adoratoribus Creatorem cæli & terræ adorandum demonstrauit: nam ipse nouam stellam declarauit natus, qui antiquum solem obscurauit occisus, illa luce inchoata est fides Gentium, illis tenebris accusata est perfidia Iudæorum: quid erat illa stella, quæ nec vnquam antea inter sidera apparuit, nec demonstrata permansit, quid erat, nisi mirifica lingua cæli, quæ enarret gloriam Dei, quæ inusitatum partum inusitato fulgore clamaret: cui non postea apparenti Euangelium toto orbe succederet?* Horrenda obcæcatio Iudæorum.

Successerat stellæ Christi vitæ fulgor doctrina & miracula, quæ cum minus apud Iudæos in domandâ perfidiâ, quàm stella apud Gentiles effecisset, obscurato moriente Christo meridie sole, cæpit Gentibus Euangelium annunciari, & statim vt dicetur Centurio Gentilis Christum Deum prædicare, quem impij Iudæi conuitijs, opprobrijs & omnibus maledictis appetebant: cui & moribundo sitienti nequissimi derisores acetum spongia propinabant. Nouum contumeliæ genus *Date*, clamat S. Augustinus, *date quod estis: Iudæi, quippe erant acetum, degenerantes à vino Patriarcharum & Prophetarum, & tanquam vas plenum accto habentes, scilicet cor plenum iniquitate, & velut spongiam cauernosis & tortuosis latibulis fraudulentum.* vel vt Remigius *Acetum Iudæi à Patribus degenerantes: spongia fraudulenta corda; arundo scriptura sacra, quæ hoc facto implebatur.* Sed Christus dum libauit acetum, id Gentilibus in vinum commutauit. *Vinum* ait S. Hilarius *quod in Adam coacuit, immortalitatis ea, quæ in nobis erant vitiata transfundens.* Hoc vinum gratiæ & immortalitatis tibi Christus inclinato propinat capite, vt Italiam & Occidentem totum Gentilium populum auerso à Solyma vertice salutaret: Gentiles populum electum suum designaret, pro quo moreretur; cui expansis brachijs obuiam prodiret, paratus excipere quem in finem etiam voluit statim Centurionem Gentilem ex clamore post mortem suam cognoscere & profiteri Diuinitatem: *videns*, ait Marcus, *Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait: verè hic homo filius Dei erat.* Mirabilis sanè Solymæ facies, dum collecti cum Caipha Iudæi necem pararent Christo post Lazari anastasin, venerunt Gentiles ad Philippum dicentes: *volumus videre Iesum*: dum Iudæi negant se habere Regem præter Cæsarem, Christum malefactorem nominant, vt perduellem homicidæ postponunt, Pilatus scribit *Regem Iudæorum*: dum insultant morienti Iudæi, Centurio Gentilis clarâ voce Filium Dei confitetur. Sed de hoc statim iterum. Agnosce Gentilis spretis Iudæis Christi in te profusam liberalitatem. *Inspice* ait S. Augustinus, *vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis, cicatrices resurgentes, caput habet inclinatum ad osculandum; cor apertum ad diligendum; brachia extensa ad amplexandum: totum corpus expositum ad redimendum: Hæc quanta sint cogitate, hoc in statera cordis vestri appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui pro vobis totus fixus est in Cruce.* Obtulit ergò Christus inclinato capite moriturus pretium totum pro Gentibus, ad quas se toto corpore conuertebat: obtulit, vt à patre promissam his verbis hereditatem nanciscereturt: *postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Postulauit: & vt Pater æternus voti continuo faceret compotem. *Et eccè velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt.* Ergone nunc venit, venit inquam desideratus Gentibus? hoccinè modicum tandem præterijt, de quo Aggæus, *adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cæ-*

7. signum aceti porrectio. *in Ioan. c. 19. v. 29.* nequitia Iudæorum. *Remigius.* Fructus Gentilium. *S. Hilarius.* *Marci. 15.* *S. Augustin. tract. de virg.* Amandus Iesus Crucifixus à Gentilibus. Obtinuit moriens hereditatem ijs. *Ps. 2.* *Matth. 27.* 8. signum veliciſſio. *Aggæi. 2.*

cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes Gentes, & veniet desideratus cunctis Gentibus. Veniat *desiderium collium æternorum*, veniat Iesus, *quis* vt ait S. Ambrosius, *moritur viuificaturus; sepelitur resurrecturus; tremulo pendet in ligno confirmaturus trementes; cælum caligine obducit, vt illuminet; terras tremefacit, vt solidet; maria conturbat, vt mitiget*: veniat Iesus, sol Iustitiæ Gentibus oriatur, vt velo templi antiqui scisso veritas ipsa arcanorum pateat fidelibus.

S. Ambros. lib. 5. de fide c. 2.

Velum templi, ait S. Hieronymus, *scissum est, & omnia legis Sacramenta, quæ prius tegebantur, prodita sunt, atque ad Gentium populum transierunt.* Iosephus quoque refert, *virtutes Angelicas præsides quondam templi, tunc pariter conclamasse, transeamus ex his sedibus.* Ita Hier. Cuncta Deus in veteri lege typis, figuris, & ænigmatis inuoluebat Israëlitis, quæ Gentilibus conuersis, sunt euoluta, & in luce collocata: librum signatum agnus Gentilibus resignauit, tot ceremonias, ritus, obseruationes, sacrificia, & tot sacrificiorum varietates velo designabantur, quo futura fidelium vita fuit adumbrata: *venit hora, & iam est, quando veri adoratores* (Gentiles) *adorabunt Patrem in spiritu & veritate*: Patet iam arca velo scisso, quæ continebat manna; cœna Christi nunc omnibus exposita est; patent oracula Prophetarum de Christo prolata: *Adeo* ait S. Leo, *tunc à Lege ad Euangelium, à synagoga ad Ecclesiam, à multis Sacrificijs, ad vnam hostiam, quæ Deus est, euidens est facta translatio, vt emittente Domino Spiritum, velum vi subitâ scinderetur. Scissum est velum*, ait Theophyl. *per hoc manifestante Deo, quod gratia Spiritus è templo euolet, & quod sancta Sanctorum omnibus conspicua & manifesta fiant.* S. Cyrillus: *opportunitas*, inquit, *tum maximè pulcerrima fuerat, vt templi velum scinderetur, & lex aperiretur, quando animam suam pro nobis Saluator tradidit: hinc enim à gratia Dei penitus Israël decidit, resiliitque longè ab eâ, cum tanto furore Saluatorem suum impiè occidit.*

S. Leo. ser. 17. de passione.

Theophyl. in Marci 15.

S. Cyrillus lib. 12. in Io. c. 37.

Gentilium conuersionem significat.

Iudæis omnia velata figuris proponebantur.

Gentilibus aperta

Ioan. 4.

9. conuersio Centurionis Gentilis.

in morte Christi.

Flo. Dexter.

Primus post velum hoc scissum, qui credidit in Christum centurio Gentilis, vt dixi, fuit: qui dum saxa fragore magno discissa rumperentur, saxeum cor suum Christo morienti patefecit: licet saxo quouis duriora Iudæorum corda nihil ad ista mouerentur. Id Flauius Dexter his testatur: *Floret per id tempus in Hispania Opius Centurio F. Cornelij pariter Centurionis, qui morientem Christum prædicat Hierosolymis esse filium Dei, inter fragores saxorum mutuò sese collidentium obducto tenebris die, ex Gentilibusque Christi morte primus hic Christianus Centurio credidit: qui fuit ciuis Romanus, baptizatusque à B. Barnaba, factus est tertius Mediolanensis Episcopus, vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem & Eclipsim admirabilem primus omnium Hispanis Genti suæ cum audientium stupore refert.* Hic Gentilis dum inter ea prodigia Christum Deum confitetur, redarguit Iudæorum cæcitatem, qui talia casu vel fortuitò facta suspicantur, vt præludat Gentilium fidei, qua de re ita S. Hilarius: *vt ergò infidelitatis crimen Israëli accumularetur, Centurio & custodes hanc naturæ perturbationem contuentes Dei filium confitentur.*

Illud magis mirandum, dum Iudæi nec vigentem & florentem, speciosum præ filijs hominum, Lazarum à mortuis excitantem, & cæcum natum illuminantem credere Dei filium voluerunt; hic Gentilis abiectum & despectum: *virum dolorum & nouissimum virorum*: in cruce morientẽ agnoscit, credit, puplicè confitetur. S. Hieronymus, *Ex hoc considerandum, quod Centurio in ipso scandalo passionis verè Dei filium confiteatur, & Arius in Ecclesia prædicat creaturam: nouissimi autem nunc primi efficiuntur, Gentilis confitetur populus, Iudæa obcæcata negat, vt fiat vltimus error peior priore.* Et Theophyl. *Sic ordo conuertitur, dum Iudæi occidunt, discipuli fugiunt, Gentilis confitetur. Nunc videtur effectum sortiri quod Dominus dixerat: cum exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipsum: exaltatus namque in Cruce, attraxit Latronem & Centurionem.* Sed licet ex turba Iudæorum quidam etiam pectora dicantur percussisse, nulli tamen ausi publicè cum Gentili confiteri, vt rectè collegerit indè Beda Gentilium electionem: *Gentiles*, ait, *Deum timentes apertæ confessionis voce glorificant, Iudæi percutientes solum pectora silentes domum redeunt. Vnde meritò per Centurionem fides Ecclesiæ designatur, qui Dei Filium tacente Synagogâ confirmat.*

Iudæorum obcæcatio.

S. Hieron.

Theophyl.

Beda.

10. Petrarũ scissio.

Atque hic quidem Gentilis, dum strepitus & fragor scissarum petrarum intonaret &

at mortuo sepulcrum parauit ac receptaculum; cordis sui penetralia per fidem Christo reserando: Iudæorum verò saxis duriora corda magis induruerunt, vt illæ sciſſæ petræ verbis similibus obstinationem exprobarent: Nos creatoris nostri necem sentimus, & scindimur hianti vulnere, vos in peruicacia paterna perduratis? Prô decus gentis vestræ immortale, plus inuenisse Messiam vobis missum commiserationis in saxis & rupibus, quàm in ciuibus & cognato sanguine! Vobis Phariſæis nuper ob puerorum concentum, & populi gratulationem frendentibus Christus pronunciarat: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Luc. 19. v. 40. cum ergò vobiscum pueri cum plebe taceant: imò maledictis lacerent morientem, diserti fiunt & loquaces lapides: istius in crucem acti diuinitatem contestantur, vt Gentilium saltem fidei professionem exprimant.

carumque apostrophe ad Iudæos.

Quàm verè de Iudæis cecinit Zacharias: *Cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem: & facta est indignatio magna à Domino exercituum: & factum est, sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabant, & non exaudiam dicit Dominus exercituum, & dispersi eos per omnia regna, quæ nesciunt.*

horrì maledictio. *Zach. 7. v. 12.*

Hæc est maledictio Iudæorum, quam vtinam & nos non incurramus, qui toties Dei monentis vocem contemnimus: non ita maiores nostri, qui corda tunc sua maximè Christo reserarunt: *Petræ*, ait S. Hieron. *sciſſæ sunt, id est, dura Gentilium corda, siue petræ vniuersa vaticinia Prophetarum, qui & ipsi à Petra Christo cum Apostolis Petræ vocabulum acceperunt: vt quicquid in eis duro legis velamine claudebatur, sciſſum pateret Gentibus: monumenta quoque, de quibus scriptum est: Vos estis sepulcra extrinsecus dealbata, quæ intus sunt plena ossibus mortuorum, ideo sunt aperta, vt egrederentur de ijs, qui prius in infidelitate mortui erant, & cum resurgente Christo atque viuente viuerent, & ingrederentur cœlestem Ierusalem, & haberent municipatum nequaquam in terrâ; sed in cœlo.*

Petris sciſſis Gentiles cõuerſi designantur.

Vltimum restabat in cruce mortuo iam Christo signum amoris, quo sibi volebat Gentilem populum relicta matre sua synagoga copulatum indicare: lateris percussio, qua vita Gentilibus per sanguinis & aquæ dimanationem, seu Sacramenta communicaretur, Iudæis in perfidia desertis. *Vnus militum*, ait, S. Ioannes: *latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.* Plurimũ sanguinis ex viuo profluxit latice: nec tamen suffecit amoris magnitudini: paucas, quæ supererant in mortuo corpore guttulas extrudi violenter voluit, vt totus alueus amoris in sponsam redundaret, & nihil retineret, quod in lytrum non cederet: *& continuo exiuit sanguis & aqua*: aqua volebat sponsam Gentilem è sordibus vitiorum per baptismum expurgari; sanguinem etiam mortuus profudit prodigiosè, tanquam sanguinem Abelis iustam vindictam reprobis & perfidis Iudæis expoſcentem. Ita Ruffinus in expositione symboli: *Produxit aquam, quæ credentes* (Gentiles) *diluat; produxit & sanguinem, qui condemnet incredulos.* Propter hanc sponsam Gentilitatem Christus & Patrem reliquit cœlestem, & matrem synagogam, vt vxori adhæreret Gentilitati: vidit hoc primus propheta Adam, de quo S. Hieronymus: *Primus*, ait, *vates Adam de Christo hoc prophetauit: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori: & erunt duo in carne vnâ. Quod scilicet Christus reliquerit Patrem suum Deum, & matrem suam cœlestem* (& terrestrem) *Ierusalem, & venerit ad terras, propter suum corpus* (Ecclesiæ) *& de suo eam latere fabricatus sit, & propter illam verbum caro factum sit. Et S. Augustinus dormit Adam, vt fiat Eua, moritur Christus, vt fiat Ecclesia; dormiente Adam fit Eua de latere: mortuo Christo lancea perforatur latus, vt fluant Sacramenta, quibus fouetur Ecclesia.* Rectè foueri dixit Ecclesiam Sacramentis: nam Baptismo nascitur; Confirmatione roboratur; Eucharistiâ pascitur, & perficitur; Pœnitentiâ sanatur, Extremâ vnctione munitur; Ordine gubernatur; Matrimonio propagatur. Hinc vita gratiæ dicitur ab eâ dimanere S. Ambrosius: *Ex illo corpore defuncto vita manabat: aqua enim & sanguis exiuit: illa quæ diluat, iste qui redimat.* Et S. Augustinus: *non dixit percussit aut vulnerauit; sed aperuit, vt illic quodammodò vitæ ostium panderetur, vndè Sacramenta Ecclesiæ manarunt, sine quibus ad veram vitam non intratur.*

ſ. ſignum, lateris apertio. *Ioan. 19.*

Ruffinus.

Christus reliquit matrem synagogam, vt adhærere vxori Gentilitati. *S. Hieron. Epheſ. 5. S. Auguſtin. in ſent. ſent. 328.*

Ecclesia fit & fouetur per Sacramenta manantia è latere Christi. *S. Ambroſ. in c. 23. Lucæ. S. Auguſtin. tract. 120 S. Chryſoſt. Theophylact.*

Quare cum vt rectè S. Chrysost. & Theophyl. afferant Ecclesiam fieri & consistere

stere per Sacramenta: & hæc è latere Christi ideò & Ecclesiæ vita indè dimanauit: propterea dixi superius ex Canticis sponsam sub arbore mali à sponso suscitatam & vitæ restitutam, quod pulchrè sic etiam explicat Philo Episcopus Carpathius: *Hæc malus salutifera, si ad arborem respicias, crux est, humanæ salutis autrix, in quâ salus mundi autor que pependit; si verò ad pomum eius & fructum, corpus est Christi salubriter nobis datum in escam scilicet & potum sub mystico pane ac vino, ex quo Christianos omnes pascit sanctissimè & beat. In hac castissimam sibi sponsam & quamque fidelem animam ad amorem excitat, vallat, & firmat: ex hac enim sacratissima arbore fructuosissimaque dilectam sibi sponsam comparauit atque desponsit: id quod sequens oratio aptissimè explicat, cum dicit: illic in dolore te peperit, quæ concepit: in cruce cum dolore cordis & corporis parta est Ecclesia: Caro enim Christi in tormento Crucis posita sponsam sibi peperit sanguine redemtam, & aqu à quæ de latere eius largissimè fluxerat, regeneratam & lotam.* Hic tandem felix dies parturitionis & nuptialis Ecclesiæ Gentilium, qua Christus relicta matre Synagoga sic adhæsit Gentilitati, vt vnum cum ea corpus constitueret, & eam os de ossibus suis nominaret, quod ossibus suis cruce suspensis, & fuso sanguine velut lytro redemisset, dotasset, & sibi copulasset. Minitatus id sæpe futurum Christus Iudæis erat. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius: ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*: Quandoquidem ergò Messiam vestrum non tantum abijcitis, sed eum insuper crucifigitis, *auferetur à vobis etiam Messiæ regnum*, cœlum perdetis & terram non retinebitis. Irruet Romanus exercitus, & templo sacrificijsque subuersis innumeros ferro trucidabit: ceteros in omnes orbis partes disperget (vt Zacharias supra prædixerat) satis diu Christus inuitauit vos ad pœnitudinem vitiorum: sed quia bonitati diuinæ contumaciter resistitis, en transitum ad Gentes struimus. Hoc idem illis S. Paulus exprobrauit. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus.* Nos tanto Iudæorum malo sapiamus; vocantis Dei nutibus obsequamur: ne qui oliuam electam repulit carentem fructibus, oleastrum præter naturam insertum in oliuam reperiat minus fructuosam, & ei quoque maledicat: *nunquam ex te nascatur fructus in sempiternum.*

suscitata in morte Chr. st.

Philo Carpathius Episc. in 8. Cant. ex tom. 1. Bibl. Patrum.

Matt. 23.

Act. 13.

CAPVT XXIV.

Christus Apostolos mittit ad Gentiles & S. Apostolum Paulum Gentium Doctorem in Arabiam, vbi videtur sanctos tres Reges conuenisse.

DESPERATA Iudææ salus cum esset, quam nec parricidæ vel potius Deicidæ crudeles merebantur. Christus rediuiuus Apostolis, cum se videndum ijs sæpius obtulisset, & alias superstes vetuisset, *in viam Gentium ne irent*, tam Apostolos, quam discipulos Angelico monitu in Galilææ montem conuocauit, in quo cum magno splendore & maiestate spectabilis apparuisset, amplissimam ijs fecit Gentibus legem euangelicam publicandi potestatem his verbis: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergò docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti.* Hic monet S. Leo: *Sanctos Apostolos à Christo prædicandi officium, & tubam euangelicam accepisse.* Et recte quidem tradidit hanc eis tubam in Galilæa, quæ transitus vel transmigratio nominatur: volebat enim Christus à Iudæis occisus ad Gentes demigrare, ijs suam gloriam & maiestatem aperire, ideo Iudæâ relictâ non Apostoli tantum, sed & quingenti fideles in Galilæam concesserunt, vt promissam Christi gloriam intuerentur, & verbis nouissimis auscultarent. Ita videtur vndecim Apostolorum partitio per orbis omnes nationes: & anno sequenti secuta fidelium ad 15. millium transmigratio fuisse indicata, per quam multi fuerunt Christo postea aggregati.

Christus edicit Euangeliũ Gentibus esse prædicandum. *Matt. 28.*

S. Leo.

ideo in Galilæa fit ea potestas quæ significat transmigrationem.

Quamquam iam ipso die Paschatis quod etiam transitum significat sub vespe-

veſperam abſenteS. Thoma hoc ipſum commendarat, ita quidem, vt Solymæ nonnihil ſubſiſterent, & legem euangelicam prius pariter promulgarent teſtes anaſtaſis, & deinde ſe per orbis regiones diffunderent, ait enim, *Quoniam ſic ſcriptum eſt; & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes Gentes, incipientibus ab Ieroſolyma*, Iuxta Iſaiæ vaticinium: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* idem indicatum die & voce Paſchatis. *Luc. 24.*

Denique cum iam ad Patrem in cœlos eſſet diebus quadraginta iam euolutis abiturus, iterum eis hoc officij demandauit. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*: ſeu omnibus Gentibus per ſynecdochen: nam genus appropriatur eius ſpeciei nobiliſſimæ, naturæ humanæ, quæ creatoris imaginem pulcherrimè repræſentat, & ſubijcit. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Vbi Gentiles cum Iudæis accipit: omnes enim cupiebat fidei aggregari. renouatum die adſcenſionis.

Sed & ante perpeſſionem Chriſtus cum Gentiles videndi ipſius tenerentur deſiderio, ſuis idipſum indicauit diſcipulis. Vnde S. Auguſtinus: *Videbat Gentiles poſt paſſionem ſuam & reſurrectionem in omnibus Gentibus credituros: ex occaſione igitur iſtorum Gentilium, qui eum videre cupiebant, annunciat futuram plenitudinem Gentium, & promittit iam adeſſe horam ſuæ glorificationis.* & S. Chryſoſt. *Quia igitur de reliquo debebat mittere diſcipulos ad Gentes: videt autem Gentiles præſilientes ad fidem, oſtendit, quod tempus erat, vt ad crucem veniret.* promiſſum die palmarum. *S. Chryſoſt.* Hinc deſiderabat Chriſtus & vltimo veſci cum ſuis agno Paſchali, nouo hinc inſtituto ſacrificio Euchariſtico, & pro Gentibus etiam mortem oppetere, vt eas iam paratas ad nuptias ſibi copularet, cum fidem Iudæi reſpuerent. Ita locus Matthæi 10. cum citatis alijs hoc capite facile conciliatur à S. Hieronymo: *in viam Gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis. Non eſt autem locus iſte contrarius ei præcepto, quo poſtea dicitur euntes docete omnes Gentes: quia hoc ante reſurrectionem, illua poſt reſurrectionem præceptum eſt.* Et Beda: *Qui enim antepaſſionem ſuam dixerat in viam Gentium ne abieritis, ſurgens à mortuis dicit. Ite docete omnes Gentes.* Rectè: nam qui Gentibus vetuerat prædicari, vetuit & Samaritanis, quos tamen anno nondum ab anaſtaſi Chriſti reuoluto iam Philippus Chriſto conciliarat. obiectio ſoluitur. S. *Hieron.* vetuerat ante paſſionem Gentibus prædicare. *Beda in hc.* poſt eam iuſſit fieri.

Cum audiſſent, ait S. Lucas, *Apoſtoli qui erant Hieroſolimis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.* Mandarat quidem Chriſtus commorationem Solymæam, ad Spiritus S. vſque aduentum, qui tamen ſubſtitere diutius ad perſecutionem vſque necis S. Stephani, & furoris Pauli cauſa motam, eodem, ſed extremo anno & præcipitante Decembri. Ex qua coacti fideles in varia ſe totius orbis loca receperunt; Apoſtoli tamen, quibus iterum Iudææ habitatio fuit commendata, ſe in Samariam & finitima loca diffuderunt. Tuetur hæc geſta Theodoretus ex oraculo Danielis. *Confirmabit pactum multis hebdomada vna, & in medio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium. In hac vna inquit hebdomade nouum teſtamentum dabitur credentibus, atq; omni eos virtute imbuet, & in dimidio eius hebdomadis auferetur ſacrificium, & libamen; hoc eſt ſacrificium ſecundum legem deficiet, oblatio agni immaculati, qui tollit peccata mundi vero ſacrificio. Quod ſi quis etiam percipere cupiat, ex Euangelio Ioannis cognoſcetur. Cum enim annos circiter tres cum dimidio prædicaſſet Dominus, ſanctoſque ſuos diſcipulos doctrina & miraculis confirmaſſet, tunc paſſus eſt, ac poſt mortem, & reſurrectionem & ad cœlos adſcenſum & Sanctiſſimi Spiritus aduentum, reliquum hebdomadis tempus SS. Apoſtoli breue tempus Hieroſolymis commorati, Samariam, Lyddam, & Ioppen abeuntes, omnibus hominibus offerre ſalutaria decreta feſtinabant. Quamobrem Dei Archangelus B. Danieli confirmabit inquit teſtamentum multis hebdomada vna; tempore ſcilicet ante crucem, & ex quo SS. Apoſtoli poſt Saluatoris reſurrectionem Ieroſolymis docuerunt ſimul collecti.* Hacten. Theod. Quocirca ſicut Deus eodem mortis ſuæ anno Samaritis, ita ſequenti, cum iam Iudæorum corda nimium lapideſcerent. Gentibus & Arabibus quidem fidei voluit oſtium aperire, quibus nouum Doctorem excitauit, & legauit, dum Apoſtoli ceteri Solymis adhuc commorantur, idque occaſione perſecutionis, & cæcitatis Iudæorum, quam ſic ijs exprobrauit S. Stephanus moriturus. *Dura*, inquit, *ceruice & incircumciſis cordibus & auribus: vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis, ſicut Patres veſtri: ita & vos. Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres* Apoſtolis Solymæ commorantibus ad tempus. *Theodoret. in Daniel. c. 9.* ſequenti anno à Chriſti morte Arabes fide imbuuntur. duritia & obcæcatio Iudæorum. *Act. 7.*

tres vestri? & occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti, cuius vos proditores & homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis. Tonitrua sunt hæc non verba, quibus fulminauit perfidiam Iudæorum: licet enim ad 15. millia fidelium numerarentur, quid hoc erat in tot centenorũ milliũ multitudine solius Solymææ ciuitatis? Sed hoc Protomartyre coronato, cum classicum persecutionis eodem anno Saulus cecinisset, & quos nanciscì fideles poterat, potestate Pontificia vinculis manciparet, dum furore percitus Damascum contendit

S. Paulus conuertitur.

mense Ianuario, subito sideratus, cœpit tandem Christi militiæ, nouus miles auctorari, & statim sic gratiæ donis à Deo cumulari, vt nouus Euangelij præco Iudæis primum, recepto Apostolis more, fidem Euangelicam annunciaret: *Et continuo*, ait Lu-

Act. 9. v. 20.

cas, *in Synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei. Statim*, ait, S. Chrysostomus: *Doctor factus est in Synagogis: neque erubescebat mutationem: neque formidabat ea destruere, in quibus antea clarescebat.*

primũ Iudæis prædicat.

Sed cum manifestis oraculis Prophetarum Christi diuinitatem demonstrasset: vitã eius, miracula, mortem & anastasin ex diuinis eloquijs clarè docuisset, & ita legisperitos conuinceret argumentis, vt nemo posset eius sapientiæ repugnare: consilium de eo necando inierunt. Mirari libet hic diuinam sapientiam, & prouidentiam venerari ex simili: Rex quidam relicta in regia ciuitate valido cum præsidio Regina, contra hostium ducem maximis stipatus copijs vadit: eoque prælio superato, cum Tribunorum quilibet ad Reginæ renunciandam victoriam, & hostium reliquias ex vicinis regiæ præsidijs deijciendas se offerrent, ipse eorum adhuc in persequendis fugitiuis & munitione validissimã expugnanda, vtitur opera magis necessaria; sed interceptum hostium aliquem Ducem, & sibi militiæ sacramento autoratum, cum parte

stratagema militare.

copiarum mittit improuiso, qui hostilibus vsus symbolis, vexillis, armis, ingreditur alias regiæ propinquas munitiones nullo resistente: clauesque earum, cum laureatis Regis victoris literis tradit Reginæ, nunciatque captis iam ciuitatibus, castellis, & propugnaculis hostem maximam partem debellatum esse: pauca quæ superant, à Rege vi redigi in potestatem loca. Sic Christus in cruce moriens cum mundi principem diabolum triumphasset, & Iudæorum arcem Solymam 15. millibus superatis, expugnare niteretur: noluit duodecimviros inde digredi; sed ad omnes hostis conatus infringendos, eundem de arce Solymæa deijciendum totis conniti viribus, interim Paulum spirantem minarum, & Damascum contendentem ad fidem exscindendam, in via interceptum, & sibi fidei sacramento obligatum mittit primo Damascum in Synagogas, vt notis Iudæorum armis, è scripturis expugnet perfidiam Iudæorum, dum eum vt à principe sacerdotum legatum ad exstirpandos Christi fideles auribus auidissimis auscultant. Sed cum eius vitæ parantur à Iudæis insidiæ, creat ilico Gentilium Apostolum, mittit ad sanctos tres Reges Orientis, ad sponsam suam dilectissimam in Arabiam, vt renunciet ei Christi de morte & diabolo partam victoriam, & anastasin: quam muneribus ipsi suis olim figurarant, & vna cum ipsis ditiones ipsorum plenius Christi fidem edoceat, vt Regis supremi dominatui illæ subijciantur primæ regiones Gentilium, quæ suos nascenti miserant Reges adoratum. Iam tum Christus Saulum dum vrbem fulminatus ingreditur, Ananiam consulturus, huic legationem Gentium destinabat verbis istis. *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israël;* Imo cum ipse furentem equo deijceret, vultuque minaci adspectabilis appareret, ideo tantum adstare cadenti voluit, vt

S. Paulus mittitur in Arabiam.

Act. 26. v. 16.

testis eorum, quæ viderat Gentibus esset: *Ad hoc*, ait, *ei Christus apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum, quæ vidisti, eripiens te de populo, & Gentibus, in quas nunc mitto te.* Græcus habet ἐξαποστέλλω: *Quasi diceret*: Ex hac hora te, Apostolum constituo Gentilium, idem postea Deus Solymis oranti Paulo in templo confirmauit. *Exi velociter de Ierusalem: quia non recipient testimonium tuum de me, & vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.*

Fit Gentium Doctor.

Act. 22. v. 21.

Erat Paulus naturæ præferuidæ, acer ingenio, legis peritissimus: qui pro suo in Christum amore Iudæos vbique scripturis allatis manifestè conuincebat & confundebat: vt qui S. Petro, Iacobo, & alijs satis familiariter vterentur, ob insignem animi mansuetudinem, Paulum nec oculis ferre sustinerent. Ideo potius ad Gentes à Christo legatus est, vbi diuina ei secundante gratia, sic laborauit,

vt

vt de eo canat Ecclesia, quod Deus eius prædicatione mundum docuerit vniuersum. Itinera eius breuiter colligit encomiastes eius præcipuus S. Chrysostomus. *In tantum*, ait, *progressus est, vt vix triginta annorum spatio Romanos, & Persas, & Parthos & Medos, & Indos & Scythas, & Æthiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorsus humanum genus sub iugum mitteret veritatis. Ita de se ipse fatetur positus sum ego prædicator & Apostolus Doctor: Gentium in fide, & veritate.* Ne tamen Fratres suos Iudæos deseruisse videretur, Damasci cœpit ipsis Christum promulgare, qui cum eius vitæ per Aretæ Regis Arabum præfectum ponerent insidias, fecit, quod postea verbis istis coram est contestatus. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam illud repellitis, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* Ergò per sportam dimissus, abijt in Arabiam. Scio plurimos arbitrari, eum tunc Hierosolymam contendisse; quibus hæc ipsius Apostoli verba refragantur. *Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam vt reuelaret filium suum in me, vt Euangelizarem eum in Gentibus, continuo non acquieui carni & sanguini* (amicis dissuadentibus) *neque veni Hierosolymam ad antecessores meos, Apostolos, sed abij in Arabiam & iterum reuersus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.*

S. Chrysost. ho. 4. de laudibus S. Paulo. Gal. 1.

Statim igitur sequenti post Christi mortem anno profectus est in Arabiam, nullo hactenus Apostolorum (nisi forte Iacobo) digresso Solyma, sed ibi dum in Iudæorum conuersionem omnibus machinis, & coniunctis viribus simul incumbentibus hoc solo Paulo speciatim eum in finem electo, vt protinus Gentibus, ac Arabibus primis fidem nunciaret: nec dubium est, quin ei Deus Genti quam primum, & quam optimè consultum vellet, ac sponsæ suæ dilectæ Gentilium Ecclesiæ nuncium felicem de anastasi sua vestoriaque mittere, quæ tam auidè salutem & fidei pleniorem cognitionem (quam rudem à Regibus acceperat) sitiens exspectabat. Inde forte eorum Gentilium quidam venerant Solymam, vt Christum intuerentur: qua re sic motum vidimus: ad mortem maturandam, vt granum frumenti anno priore seminatum, & iam mortuum anno vertente fœnore centuplici germinaret inter Gentes tam subactas, & paratas ad sementem cœlestem excipiendam, vt fusè supra demonstraui. Sed quid egerit ibi triennio Paulus, quomodo tres Reges conuenerit, quæ ab ipsis Apostolus didicerit mysteria nati saluatoris: & quæ vicissim eos docuerit, copiosè narrat Thomas Massutius, in eruditissima S. Pauli historia, vbi eundem quasi quoddam tirocinium vitæ perfectoris, ac contemplatiuæ, mixtæque vult posuisse. *Inprimis*, ait, *credibile est, non eo tantum consilio Paulum ire in Arabiam voluisse, vt Iudæorum insidias, & vitæ pericula declinaret: verum etiam, vt per eius regiones latam eremum amplas illas solitudines, & vastissima deserta liberius sibi vacaret, ac Deo, commissa ætatis superioris nocturno diurnoque fletu expiaret, varijs modis castigans corpus suum, & in seruitutem redigens, vt ea ratione in obsequio Christi secundum primitias spiritus perageret tirocinium suum. Deinde experiri etiam fortasse voluit, an inter Gentiles illo initio commodius sementem faceret Euangelij, quando cum Iudæis adeo tunc exasperatis non bene prædicatio succedebat: vt vel sic Dei consilium per Ieremiam, vel Oseam euangelizantibus traditum exsequeretur. Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas, sed & Christus Dominus ei prædixerat, ad Gentes se esse eum statim missurum. Vnde non paucos per ipsum in Arabia fuisse ad Christi fidem inductos testatur in cap. 1. epistolæ ad Galatas S. Chrysostomus: idque de zelo tanti Apostoli, & prædicatoris Gentium facilè credi potest. Præterea vt esset à Damascenorum aliorumq; Iudæorum persecutione remotior, relicta ad septentionem Damasco, & Hierosolyma ad Occasum, peregrinando versus Orientem, intrare primum debuit Arabiam Petræam, à Petra vrbe primaria, & illius Moabitidis regionis metropoli, vt ait Strabo, sic appellatam: inde vlterius progressus, & Arabiam desertam prætergressus ad felicem, quæ etiam Saba dicitur, forte peruenit. Vnde Regina Saba, sicut Regum narrat historia, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit, tentare eum in ænigmatibus. In eo tamen Reginæ hæc fuit decepta; quia cum ex illa Dauidis prophetia Reges Arabum, & Sa-*

Massutius in vita S. Pauli lib. 3. c. 3. S. Paulus ponit in Arabia tirocinium vitæ sanctioris.

Ierem. 4. v. 3. Oseæ 10. v. 12. Act. 26. v. 17.

Strabo l. 16.

ba dona adducent, & altera Isaiæ: omnes de Saba venient. &c. venturi essent ab illa regione Magi tres Reges, ad incunabula Saluatoris adoranda; esset quoque vulgatum & celebre oraculum Prophetæ Balaam per Arabiam orientalem de supremo omnium Rege in Iudæa nascituro, cui etiam stellæ famularentur. Regina Saba sapientissimi Regis Salomonis putauit eum esse Messiam, tot oraculis à Deo promissum &c. Sed nec procul aberant tres Reges Magi, qui ante annos triginta quatuor, non ancipitem famam secuti, sed lucidissimam stellam, ad Christum infantem in præsepio adorandum, cum muneribus auri, myrrhæ & thuris, quibus abundat ea regio, aduenerant. Et forte adhuc aliqui eorum aut etiam omnes tres erant superstites, præsertim, si verum est, quod in quadam homilia S. Chrysostomo adscripta, tradit autor operis imperfecti, S. Thomam tres illos Magos baptismo initiasse, ac socios secum prædicationis suæ duxisse. Cum enim hoc Pauli anno iuxta multorum opinionem Apostoli nondum essent, in varias mundi partes ad prædicandum Euangelium distributi, adhuc poterat S. Thomas per illas regiones abducendo secum illos Reges eo tempore transiuisse: sed & esse ipsos in Arabiam felicem reuersos, ibique martyrium subijsse legimus, in Chronico Flauij Dextri anno Domini 70. venisse autem eos ex Arabia Felice, sententia est Patrum probabilior; vt Cardinalis Baronius obseruauit. Quos etiam sicut Reginam Sabam originem duxisse à filijs Cethuræ vxoris Abrahæ incolis illius regionis confirmat idem autor optimis argumentis: cosque Reges quidem fuisse, tamen vsitato diuinæ scripturæ loquendi modo, quæ cuiusque oppidi Dominum Regem appellare consueuit. Ex quibus valde redditur verosimile, quod aliqui conijciunt, Paulum in hac sua peregrinatione vsque ad Arabiam Felicem peruenire voluisse: non tam vt ab insidijs, & Iudæorum persecutione longius abesset, quam vt sanctos hosce Dynastas inuiseret: à quibus cognoscere multa poterat de infantia Saluatoris, tanquam à testibus oculatis: & ipse vicissim de triumphali Christi resurrectione præclarissimum reddere testimonium, referens, quomodo illi apparuerit in via Damasci sole meridiano splendidior: dum illum cæco furore persequeretur. Atque ita demum desiderata illa spirituali consolatione perfrui, quam in re simili tantopere se optare, & instanter in suis orationibus à Deo postulare ad Romanos aliquando scripsit his verbis. Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos: id est simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est fidem vestram, atque meam. Concludit deinde S. Paulum prope triennium ibidem exegisse. Hæc coniectura sane probabilis: vt Christus videatur sanctis Regibus viris omni humana scientia politissimis hunc diuinæ legis peritissimum oratorem submisisse, cuius eloquio Propheticorum oraculorum expositionem discerent, & magis in fide suscepta confirmarentur. Iustini certè tempore iam Arabes & Scenitas quidem Arabiæ desertæ incolas in tentorijs habitantes fidem professos Christianam ipse meminit. *Ne vnum quidem est genus mortalium, siue Barbarorum, siue Græcorum, seu etiam aliorum omnium quocunque appellentur nomine, vel Hamaxobiorum, vel Nomadum domo carentium, vel in tentorijs viuentium (Scenitarum) pecoribus vitam tolerantium: inter quos per nomen Crucifixi Iesu supplicationes & gratiarum actiones Patri, & fabricatori Regum omnium non fiant.* Ob barbariem Scenitas solos inter Arabes recenset: nam de Petræa ob vicinitatem, & Felice Arabia ob opulentiam & mercatum frequentissimum dubitari minus poterat. Præterea Euthymius in epistolam ad Galatas, & ex eo Lorinus in Acta Apostolorum, docet primam è Gentibus Arabiam Christo credidisse. Vnde nec mirum ex Bostna vel Philippopoli duos primos Cæsares Christianos prodijsse.

adit tres SS. Reges.

viuebant adhuc omnes.

martyres postea facti.

venerunt ex Arabia

Iustinus in Dial. cum Tryphone.

Euthymius in Epist. ad Gal. Lorin. in Acta Apost.

CAPVT

CAPVT XXV.

S. Thomas Apostolus sanctos Reges adit, & baptizat.

IDEM scio recentiores complures huic rei derogare, qui negant solidis fundamentis, & testibus antiquioribus probari posse Magos Euangelicos superstites mansisse, cum Apostoli diuisis orbis totius regionibus singulas singuli partitas excoluerunt, ideo nec ab ipsis fonte sacro regeneratos esse. Quibus vt satisfiat, catalogus texendus est autorum idoneorum veterum & recentiorum, qui disertis id verbis asseruerunt: Nec coæui videntur testes abesse: cum in eorum tumulo testificatio baptismi à SS. Apostolis Regibus tribus collati sit reperta, autore Neubrigensi: *cum ad fundamentum*, ait, *destrueretur Ecclesia, repertus & reuelatus est* (thesaurus) *cum manifestis indicijs, quibus declarabatur, quod viri (illi quorum memoria in benedictione est) honorato, & adorato puero saluatore in regionem suam reuersi etiam post passionis eius triumphum supprestites fuerint, & percepta à prædicantibus Apostolis baptismi gratia ad ipsum, quem in cunabulis olim honorauerunt, ab eodem in dextera Patris sedente honorandi migrauerint.*

Reges ab Apostolis sunt baptizati. *Prob. 1. ex titulo sepulcrali. Neubrigens. lib. 2. rerum Angl. c. 18. in fine.*

Rectè Apostolis titulus sepulcralis, nemine nominato, tribuit ijs in locis fidei promulgationem, vt tam S. Paulo, quam S. Thomæ possit conuenire: eadem habet Sigonius, Regius, & alij, dequibus infra. Deinde rem eandem demonstrat Indorum traditio, locorum vestigia, cum annalibus.

2. ex Indorum traditione libris & vestigijs.

Cranganorem fuisse Brachmanarum ciuitatem ex Indicis scriptoribus exploratissimum est: Regem eius, & doctrina Brachmanam, & adoratorem Christi cum socijs Regibus fuisse, annales loci, populi traditio, vestigia templorum contestantur: eum locum & primum inter Indorum vrbes à S. Thoma fide & doctrina excultum esse, consentiunt vitæ eius, & Indici scriptores, de quibus infra.

3. ex SS. Patribus. *Dorotheus. Tyrius. Sophronius. S. Hieron. Baronius.*

Tertio Dorotheus Tyrius in synopsi scripta ante I. Nicenum concilium, Sophronius, & ex eo S. Hieronymus volunt Magos à S. Thoma institutos: de eo enim adserunt, quod *Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, Magis & Brachmanis Euangelium prædicarit, ac demum in Indiam peruenerit.* Laudat hos testes Baronius in adnot. ad 22. Decembris.

4. Autor operis imperfecti. *Iacobus de Voragine. Philippus Bergomas. Viola Sanctorum. Canisius. Salmeron. Corn. à Lap. Gretzerus. Guido in Harmonia.*

Quarto operis imperfecti autor antiquissimus addit eos & socios adlectos Euangelij publicandi, *Denique*, inquit, *cum post resurrectionem Domini Thomas Apostolus isset in prouinciam illam, adiuncti sunt illi, & baptizati ab illo facti sunt adiutores prædicationis eius.*

Hunc laudant & sequuntur Iacobus de Voragine, Philippus Bergomas in supplemento, Viola Sanctorum, Canisius in Martyrologio, Salmeron & Cornelius à Lapide in 2. Matthæi. Gretzerus lib. 4. cap. 12. & Guido Heluensis Episc. Ann. 1330. aits *Cum reuersi fuissent, manserunt colentes Deum magis quàm ante, & prædicantes multos erudierunt: & denique cum S. Thomas iuisset per prouinciam illam, adiuncti ei sunt, & baptizati facti sunt adiutores prædicationis eius.* citat S. Chrysostomum.

5. *Albertus M. & sanctus Thomas.*

Quinto cum his præcones fidei vna cum S. Thoma agnoscit eos Albertus M. his verbis. *Isti etiam Magi in terram suam reuertentes multos conuerterunt, & cuidam de discipulis Iesu postea illuc aduenienti fideliter adhæserunt scilicet Thomæ:* Magistro suo consentit S. Thomas Doctor Angelicus.

6. *Lectiones horariæ,*

Sexto sub annum 1162. vel paulo post translationem cœperunt lectiones horariæ de ipsis Coloniæ solenni ritu decantari: in quinta hæc continentur. *Post missionem autem Spiritus Sancti, cum* B. *Thomas Apostolus decreto eiusdem Spiritus S. regionem orientalium in sortem prædicationis accepisset, Beatos Magos adhuc in carne viuentes, fidei Sacramentis imbutos baptizauit.*

Francofurtensis historia.

Et paulo post ea tempora Neubrigensis baptismum ijs ab Apostolis collatum affirmat: verba initio capitis attuli.

Francofurt. hist. descripta ann. 1355. *Completo diuinæ dispensationis mysterio incarnatione, passione, resurrectione, & in cœlos ascensione: cum sancti Apostoli Spiritus S. gra-*

gratia in linguis igneis accepta dispersi essent per diuersa orbis terrarum regna annunciandum Christi verbum à B. Thoma omnem regionem Orientalium ex decreto Spiritus S. in sortem prædicationis accepit, & Parthis Medis, Persis, Hircanis & Bactrianis Euangelium Domini prædicans plagam crientis Doctor egregius visitauit: Beati igitur Magi in carne viuentes, nomen Christi, quod diu desiderauerant, prædicari in suis partibus audientes, & salutem esse hæc omnium intelligentes, adiuncti sunt S. Thomæ Apostolo & instructi in omnibus ab ipso mysticis fidei Sacramentis spiritu & aqua renati sunt & baptizati.

Petrus de Palude. Septimo Petrus de Palude: *Post adscensionem Domini Thomas Apostolus in Indiam veniens perfecta Dei Sacramenta eis annunciauit, illosque de mysterijs vitæ, Passionis & Adscensionis Christi perfectè instruxit & eos baptizauit.* Sic Episcopus *Episc. Esquilinus.* Esquilinus. *Tametsi omni relicta Gentilitate exinde fideles exstitissent, Baptismum tamen non susceperunt, donec dispersis Apostolis ad prædicandum à S. Thoma Apostolo, qui apud Indiam prædicauit baptizati sunt, & in fide Christi confirmati eiusdem in prædicatione coadiutores fuerunt.*

Antoninus Liber in hist. ff. Nec non Antonius liber Susatensis huc facit: *Beati*, inquit, *igitur Magi adhuc in carne viuentes nomen Christi desideranter prædicari in suis partibus audientes, adiuncti sunt S. Thomæ & instructi in omnibus, ab ipso mystica fidei Sacramentis, quæ Dominus in humanitate gessit & docuit, spiritu & aqua renati in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. baptizati, gratias agentes Deo ineffabili repleti sunt gaudio.*

8. Bern. de Busto ser. de Epiphan. VIII. Stant pro hac sententia Bernardus de Busto: *Cum ad patriam*, inquit, *suam reuersi essent prædicantes, multos erudierunt: ac denique cum B. Thomas Apostolus post adscensionem Domini, in illam regionem peruenisset, ab eo baptizati sunt, & facti sunt adiutores prædicationis eius.* Eckius *tantisper dum S. Thomas Apostolus veniens perfecta fidei Sacramenta eis annunciauit, per quem illi sedulo adiuti conati quoque sunt subditos suos ad fidem amplectendam conuertere* & Hector Pintus. *Insuper vetus Calendarium habet hos tres Reges fuisse Episcopos, & à S. Thoma sacro fonte baptismatis tinctos.*

Eckius.

Hector Pintus 2. p. Dial. c. 4. 21.

9 Stapletonus. IX. Thomas Stapletonius multos è laudatis pro hac adfert testes. *Ac primum quidem statim post Domini nostri adscensionem & acceptum spiritum sanctum hic Apostolus in orientem profectus est, & tres illos Magos, qui Christum in præsepio adorauerant baptizauit, eosdemque prædicationis suæ socios & adiutores fecit, scribit hoc antiquum Calendarium, Petrus quoque de natalibus; sed & Eckius: & ante hos omnes S. Chrysostomus. Hoc nempe illud est, quod tum Dorotheus Tyrius scriptor antiquissimus: & ex eo S. Hieron, affirmant B. Thomam Magis Euangelium prædicasse.*

10. Giron. ho. de 10. Epiph. Sigonius. Regius. Idem sentiunt Hildephonsus Giron Dominicanus. *Hi tres ab Apostolo Thoma baptizati sunt.* Carolus Sigonius & ex eo Regius noster in 2. Matth. *Scribit enim, ait Sigonius à Mediolanensibus destruentibus templum S. Eustorgij inuenta in aditu templi cum ossibus, neruis & pelle super inducta inclusa circulo aureo cum inscriptione, quod superuixerint Christo crucifixo, & quod ab Apostolo fuerunt baptizati.* item Ludouicus de Ponte: *Vnde etiam fertur post Christi resurrectionem à B. Thoma Apostolo fuisse baptizatos, eiusque coadiutores fuisse ad Gentium conuersionem* Ac Ribadeneira: *Postquam*, inquit, S. *Apostolus Thomas cum reliquis suis collegis accepto Spiritu Sancto Hierosolymis & in Iudæa cœlestem doctrinam, quam à Magistro suo hauserat, prædicauit, diuisus ab alijs varias prouincias & nationes peragrauit, quo tenebras eorum, quibus caligabant discuteret, cæcutientesque Euangelij lumine collustraret: prius in Orientem profectus sanctos tres Magos Reges, qui stella duce Bethlehem venerant Christum adoratum. Hos ille sacro aptismate abluit: cosque itineris, ac laboris omnis socios adsumsit.*

Lud. de Pon lib. 6. Can. exhort. 11. Ribadeneira in vita. S. Thomæ.

11. Indorum Traditio. Vndecimo denique confirmat hæc omnia vulgaris Indorum traditio supra insinuata: iam testibus solidanda: quam Ribadeneira etiam memorat scilicet S. Thomam ab insula Zocotera (quæ obiacet Arabiæ, & quo videtur Sanctis Regibus baptizatis contendisse) Cranganorem (Regiam Melchioris) profectum, oram Malabaricam peragrasse, collega sibi Rege Melchiore adoptato, qui constructo Deiparæ

Cranga-

Cranganorensi templo redierat in Arabiam: mox regnum fidei mysterijs accuratius imbuisse: inde petisse Narsingam & per vastissimas Orientis totius regiones lucem euangelicam inuexisse. Ita scriptores inter Indicos *Massæus* noster expressè vult à S. Thoma tres Reges baptizatos: Osorius etiam, ac ex eo Nauarrus, Spinellus, Carthagena, Fournerus alijque consentiunt: vnus sit instar omnium Hieronymus Xauerius in vita Christi: qui è Persiæ finibus ita scribit. *Postquam maiestas Iesu Christi cælos adscendit, & Apostoli per omnes orbis regiones se diuisissent, S. Thomas ad terras eorum delatus est, & Euangelium Christi prædicauit, omnesque illos tres baptizauit.* Confirmat testibus. *Massæus.* *Osorius.* *Nauarrus.* *Spinellus.* *Carthagena.* *Fournerus.* *Hiero. Xauerius.*

Atque ita tituli sepulcrales, Indorum traditio, & annales, scriptores veteres & recentiores, tot Sancti Patres, scripturæ interpretes, Theologi scholastici cum historicis & alijs idoneis autoribus consentiunt, à S. Thoma tres Reges initiatos baptismate: quo solidè iacto iam fundamento maiore fide superstruemus.

CAPVT XXVI.

Sancti Reges regnis relictis amplexati voluntariam paupertatem fidem propagant, & à S. Thoma regnorum suorum Episcopi consecrantur.

NVLLVS solus pauperis Iesu nondum visi, stellæ radio monstratus absentibus hoc apud Reges nostros potuit, vt vno quasi momento persuaserit ipsis opes amplissimas, deliciarum affluentiam, corporis voluptates & maiestatem regiam esse deferendam, fastum & supercilium exuendum: vt non erubuerint sceptris abiectis, vilibus se obsequijs egentissimi pueruli impendere: quid ipsum coram adspectum, & præsentiam putamus effecisse, cum oculis vsurparent diuinam maiestatem hominis causa pecudes inter abiectam rerum omnium inopia confictari? cum omne, quod in oculos & sensus incurreret, stabulum, præsepe, panni, bestiæ clamarent paupertatem opibus, contemtum gloriæ, frigus, dolores, lacrymas delicijs, risui, mundique gaudijs esse præferenda? stabant attoniti velut mente sensibusque capti, dum animo reputarent, quomodo, vt loquitur S. Bernardus. *Saluator, cuius est aurum pariter & argentum sacram in corpore suo dedicat paupertatem.* Non ignorabant in hoc, licet infantulo cubitali, diuitias omnes sapientiæ, & scientiæ Dei contineri: eumque cum regiam cuperet, & compendiariam mortalibus viam ad cœlum aperire, factis prius, quam verbis conari paupertatem persuadere: qua calcatis terrenis omnibus recta cœlos penetraimus. Norant iam doctore Spiritu Sancto mundum fallacem, carnem versipellem, mendacem dæmonem noxia suadere mortalibus, vt vitijs omnibus iretiti cæci præcipitent ad inferos. stellæ ortus ingerit Regibus contemtum terrenorum. eundē suasit adspectus egeni pueruli. *S. Bern. ser. 4. de Nat.* paupertas ijs gratior diuitijs.

Erant ergo iam tum illis *pretiosiores*, ait S. Bernardus, *panni Saluatoris omni purpura: & glorioſius hoc præsepe auratis Regum solijs: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris seculi: quid enim humilitate ditius, quid pretiosius inuenitur, qua nimirum regnum cælorum emitur, & diuina gratia acquiritur: sicut scriptum est. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sanè iam tum animum reor adiecisse Reges ad Domini Regisque sui pauperis exemplum imitandum, Deo nihilominus melius aliquid prouidente, vt reduces in exstuendis templis opes regias conuerterent, tandemque à S. Thoma docti legem & paupertatem euangelicam nudi nudum Iesum sequerentur, totosque se cum Apostolo proximis instituendis impenderent, Hoc igitur Thoma præcone cognouerunt feliciorem esse diuitijs egestatem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*: esse expeditissimam ad cœlum viam sarcinis omnibus & impedimentis amotis: *si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Nec sua tamen opulentia destitui, quippe *centuplum accipiet* (in hac etiam mortali vita) *& vitam æternam possidebit.* Abundare securitate, qua fruebatur, qui canebat: *Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus autem* *S. Bern. ser. 4. de vigilia.* pariet vitæ huius felicitatem. *Matt. 5.* *Matt. 19.* *Ps.*

soli-

solicitus est mei. Hanc igitur Apostolicæ paupertatis beatitatem, cum & in Thoma mirarentur regnis omnibus & opibus optabiliorem: cum etiam à Christo Rege consultam omnibus cognoscerent, vltro voluntariam amplexi sunt inopiam: quod de Indorum Rege Melchiore narrant annales loci: de ceteris idonei scriptores opinantur: reliquis omissis alias laudandis, tribus contentus ero recentioribus.

Reges tres omnibus abiectis pauperes sunt facti.

Hieronymus Xauerius: *Ipsi enim regnis suis renunciantes paupertatem elegerunt, vt nudi & rerum omnium egeni melius Regem Regum imitarentur, quem in tanta rerum egestate natum viderant: quam vltro Deus propter homines, & eorum institutionem sponte susceperat.*

Hieron. Xau. in vita Christi.

Melchior Inchofer: *His verò non contenti viri iam Deo pleni; sed indies maiore in Deum caritate flagrantes, sua demum omnia ac seipsos diuino seruitio manciparunt, templis, & aris vbique Deo vero constitutis, eius duntaxat honori & cultui propagando studuerunt. Quod tum maximè fieri oportuit cum multis post annis misso ad Indos Thoma Apostolo, & baptismum susceperunt, & in susceptа fide instructiores.*

Melchior Inchofer c. 35.

Vberius id Ribadeneira persequitur: *Denique Reges non sine singulari ductu numinis, à quo fuerant suis euocati regnis, eodem salui incolumesque reducti cuncta suis, quæcunque viderant audierantque de Dei filio hominem induto mysteria interpretati, spretis honorum, quos tenebant fascibus, calcatis mundi scepiris ac diadematis, omnibus caducorum regnorum insignibus exuti, exemplum Christi pauperis imitati de thronis ad ima vulgi subsellia, de turritis superbisque palatijs ad humiles omnino casas, de mollibus thoris ad hirta planè strata, de nobili purpura ad ignobilem lacernam, de conditionibus attalicis ad ærumnas iri, de fortuna Cæsaris ad spontaneam Codri sortem, de diuitijs ad inopitas, de delicijs ad squalidam mucidi panis & erogatæ stipis manticam se se demisere, diuinarumque rerum præcones effecti, creditos sibi populos, quos olim rexerant imperio, in cœlum dirigere cœperunt virtutis exemplo.* Idem sentiunt vel sentire debent ij, qui magno numero capite superiore dixere tres Reges S. Thomæ participes, socios, & adiutores Euangelij publicandi exstitisse. Vt post autorem operis imperfecti S. Thomas, Albertus M. Episcopus Esquilinus, Canisius, Salmeron, à Lapide, Gretzerus & alij affirmarunt.

Ribadeneira in flore SS. 6. Ian.

Autor operis imperfecti. S. Thomas. Albert. M. Esquilinus. Canisius. Salmeron. à Lapide. Gretzerus.

Quis enim sibi persuadeat passurum fuisse Apostolum, vt camelis vel equis esse disue vecti, cum magno stipatu principum & satellitum fidem Christi minis, terrore, & potentia magis armati quam Spiritus S. gratiæque præsidijs muniti promulgarent: cum id tantopere à lege Christi discipulis suis & fidei buccinatoribus lata, & ab Apostoli Thomæ moribus abhorreret? quocirca pauperum magis ritu Christi exemplo; comite vno vel altero adsumto, munus illud obierunt: quo non ad obsequium sibi, vt Regibus præstandum; sed ad ministerium sacrificij & infirmitatis & senectutis adiutorium vtebantur: iam enim & ipsi Christi more veniebant cum Apostolo *non ministrari; sed ministrare, & animam suam dare pro proximis.*

Matt. 20.

Constat ab initio nascentis Ecclesiæ duodecim viros illos socios & adiutores sibi adoptasse S. Petrus Marcum: Paulus Lucam, Barnabam, Clementem elegit, quos adiutores suos vocat, eosque simul Presbyteros & Episcopos esse consecratos, certum est, vt sacræ docent paginæ cum Ecclesiasticis Scriptoribus: vnde complures idem de sanctis Regibus Thomæ socijs & adiutoribus docuerunt: paucorum testimonijs contentus ero.

consecrati etiam sunt Episcopi

Albertus M. *Hi etiam Magi*, inquit, *in terram suam reuertentes multos conuerterunt & cuidam de discipulis Iesu postea illuc aduenienti fideliter adhæserunt, scilicet Thomæ & Episcopi Martyres effecti sunt, vt dicitur: Ecce qui, quales isti fuerunt.*

Albert. M. in 2. Matth

Eiusdem Dominicanæ familiæ Theologiæ Professor Petrus Paludanus consentit: *Thomas Apostolus in Indiam veniens instruxit, & eos baptizauit, & quemlibet eorum in Archiepiscopum in suo regno ordinauit: quibus illi adiuti, sedulo conati sunt subditos suos ad fidem amplectendam conuertere.* Eadem ferè habet Eckius ho. 5. de Epiphan. & ex vtroque Morales noster in 2. Matth.

Petrus Pal.

Eckius ho. 5.

Huggarius Præstiensis Franciscanus a. 1404. floruit: is in Biga salutis sic idem adstruxit. *Thomas autem Apostolus post adscensionem Domini iuit illuc, & eos baptiza-*

Huggarius ser. de Epiph.

ptizauit, ac Archiepiscopos ordinauit: cum quibus illa regna ad fidem conuertit.

Antonius Liber Sufatensis: *Gloriosus Apostolus Thomas sciens hos beatissimos viros Magos Christum natum in infantia visitasse, ac primos eosdem fidelissimos Christi Confessores in sua prædicatione per orientis prouinciam socios & adiutores adsumsit, & perfectos in fide Catholica, dignos virtute & vita antistites ad salutem populi in opus verbi mysterij ordinauit: & gratia Spiritus Sancti concessa signis & miraculis gentes Orientis de tenebris ad viam lucis conuertere fidelibus in Christo commisit.* Antonius Liber Sufat.

Hector Pintus: *Insuper vetus Calendarium habet hos tres Reges fuisse Episcopos.*

Ildefonsus Giron: *Hi tres ab Apostolo Thoma baptizati sunt, & Episcopi in Oriente instituti.*

Wilhelmus Eisengrein. *sancti Reges tres Episcopi fuisse dicuntur & Missam celebrasse, primitiæ Gentium: baptizatos per S. Thomam, & Episcopos quieuisse.* Canisius in Martyrologio. Eisengrein in cenenario. 1. Canisius.

Hieronymus Xauerius: *Apostolus Thomas ad terras eorum delatus Euangelium Christi promulgauit, omnesque illos tres baptizauit, quemadmodum in Euangelio præceptum est: cumque multi in ea regione fidem Domini nostri Iesu Christi amplecterentur, omnes hos tres Episcopos consecrauit, seu Principes in negotio religionis.* Hieron. Xauerius.

Melchior Inchofer de locis, quibus præfuerint, ita disputat: *Addunt aliqui ex ijsdem, non solum fuisse Apostolo cooperatos, verum etiam ab eodem institutos Episcopos populis illis magna cum laude præfuisse, & Missas frequenter celebrasse. Quibus tamen locis nominatim præfuerint, hactenus ignotum est: nisi nondum constet tutis Ecclesiarum prouincijs & muneribus, omnem eam regionem, quæ magnam Asiæ partem occupat ea cura complexos fuisse existimemus: nondum vt aiebam rite ordinatis extra Iudæam vel Palæstinam puta curarum locis: quod tum præcipuè est factum, quando Petrus post Antiochenam sedem successori traditam, ad orbis caput rediit, & inde vniuersis sacrum ius dicere cœpit. Nam etsi dudum ante sortitiones prouinciarum inter duodenos Apostolos factæ fuissent, singulatim tamen distributa Episcoporum munera ex Apostolorum dispositione Petro in omnibus prima & præcipua cura sat agente aliquanto post suis legibus constiterunt. Quam porro certum sit Magos Euangelicos in partem huiusmodi munerum vocatos, adeoque Episcopos fuisse institutos, Lectoris arbitrio relinquimus.* Melchior Inchofer. Quando singulis Episcopatus ciuitas.

Idem Doctores quidam Colonienses capite sequenti recitandi tradunt, quos laudant & sequuntur Bosquier in ara cœli & Graffius ad 6. Ian. Beierlinck idem tenet in theatro, Canisius in Martyrologio Lectiones antiquæ Colonienses à quadringentis annis. Item Francofurtensis historia A. 1355. eadem habet, quæ Antonius Liber supra recitatus: addit de paupertate eorum voluntaria. *& omnia quæ habebant, vel habere poterant ordinante Apostolo, ad cultus Christi, & ad vsus pauperum conferebant*: Exstat in meridionali muro chori Metropolitani pictura vetus, quæ tres Reges infulatos Episcopos repræsentat, vti & peristromata, chorum vndique vestientia, pontificalibus eos decorant ornamentis: habet tot autorum sententia magnam probabilitatem. Nam cum fusè libro primo & alibi demonstrarim Reges à reditu suo functos Euangelistarum & Apostolorum munere teste Origene, S. Chrysostomo, Theophylacto Euthymio, operis imperfecti autore, Suaretz, & alijs. Cum etiam Apostolis adhæserint, adiutores fidei disseminandæ: vt longè plures docuerunt: licet cum vires adhuc parerentur nonnulla loca remotiora peragrarint, fidemque propagarint: ætate tamen deuexa, defecti viribus, in regnis videntur suis consedisse, velut Metropolitæ: hoc vnum satagentes, vt subiectarum prouinciarum Episcopi quique munere suo graviter fungerentur. Atque ex his patet non fundamento carere, quod quadringentis & plurибus abhinc annis lectiones horariæ de ipsis memorant. D. Tres Colonienses. Bosquier. Graffius. Beierlinck. Probabilitas huius sententiæ. Lectiones horariæ de ipsis.

Beati, inquiunt, Magi adhuc in carne viuentes nomen Christi, quod diu desiderauerunt prædicari in suis partibus, adiuncti B. Thomæ Apostolo & instructi in omnibus ab ipso mysticæ fidei sacramentis, quæ Dominus in humanitate gessit & docuit, spiritu & aqua renati sunt baptizati. Glorioſus autem Apostolus Thomas sciens hos beatissimos viros tres Magos Christum natum in infantia visitasse, & ex omnibus gentibus ipsos primitias fidei Dominum adoratum tribus suorum munerum speciebus

bus mysticis honorasse, dignos virtute & vita antistites ad salutem populi verbi ministros ordinauit, & gratia Spiritus Sancti concessa signis & miraculis Gentes Orientis de tenebris ad viam lucis conuertere fidelibus in Christo commisit. Beati vero Magi gratia Spiritus Sancti repleti, & perfectè edocti, S. Apostoli Thomæ prædicationis coadiutores adsumti per gratiam & effecti, Christum fideliter Gentibus prædicabant, & signis ac virtutibus coruscantes, infideles ad agnitionem fidei conuertebant, & prædicationem Apostoli de Domino nostro Iesu Christo nunciatam veram & factam esse scientes, cum S. Apostolo in tota prouincia confirmabant.

Quare sicut à primo post adoratum Christum reditu, maiestate sua potentiaque regia deiectis idolis, fidei Christianæ magnam autoritatem conciliarunt, ita iam sceptris positis, sumtoque pedo pastorali mirandis prodigijs, & ipsa rerum mortalium despicientia tanto plures Ecclesiæ pepererunt, quanto medijs aptioribus, & fini supernaturali magis accommodatis vtebantur.

CAPVT XXVII.

Zelus animarum sanctorum Regum & ætas.

Ecclesia militans cur dicatur regnum Dei.

VARIIS de causis Ecclesia militans à Christo regnum Dei nominatur: præsidet enim & Rex regum & Dominus Dominantium Dei filius Christus Iesus. Regit is non vniuersè tantum regnum hoc suum politico quodam dominatu, corporibus singulorum, bonis fortunæ, naturæque consulendo; sed animis etiam fidelium, quibus per gratiam, sacras mentis illustrationes ac impulsus voluntatis adest, imperat, & dominatur. Accedit, quod ei Principes, Reges, & Imperatores orbis totius velut serui Domino subijciantur: omnes necesse est mortales Deo cum Psalte regio concinere. *Venite adoremus, & procidamus, ploremus ante Dominum, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.* Nec ei tantum: sed & ipsius in terris Vicario D. Petri successori Romano Pontifici. & Episcopis in diuinis subijciuntur: vnde legimus ab ipsis sæpius Theodosios, Maximos, Henricos, & Fridericos anathemate fulminatos.

psal 94.

ex Regibus facti Episcopi. regale sacerdotium.

Quæ causa fuit: vt in noua lege Principes etiam, Regesque desertis regnis & abiectis sceptris Ecclesiæ susceperint gubernacula, vt eorum animas ad regnum proueherent sempiternum, quorum antea tantum corporibus de pace, politicaque quadam felicitate prospexerant. Vnde rectè tam regnum Dei, quam *Regale sacerdotium* nominatur, cui non tantum ij præsident, qui norunt suis cupiditatibus, velut Reges subiectis populis, imperare: sed etiam quia regia nati prosapia saluti potius mortalium, quam incolumitati corporum consulere maluerunt. Iam sæpius ostendi fuisse hanc Regum curam animarum oraculis prophetarum decantatam: cum Ecclesia dicitur *mammillâ* seu doctrinâ & prædicatione *Regum* lactanda, & nutrienda: horum verò typus tres sancti Reges exstiterunt, qui teneram adhuc, ab ipsis incunabilis cœperunt in Oriente, primi Gentilium velut nntrices doctrina sua pascere, & velut infantulis lac instillare: cum enim sapientia doctissimos inter Philosophos eminerent; Reges potentia superarent, religione etiam & sacrorum vsu sacerdotibus anteirent tunc, cum adhuc idola colerent: quantum putamus eorum autoritati diuinitus adiectum momenti, quando ob contemtum rerum humanarum iam mortalibus superiores, & ob ipsa, quæ patrabant in oculis Gentilium prodigia omnes ipsos, vt Deos in humano corpore venerabantur? præsertim cum beneficentiæ rara conciliatrix animorum accessisset, qua proprijs neglectis commodis proximorum vtilitati totos se consecrabant, vt vbique pauperum subuenirent inopiæ, morbis vexatos consolarentur, adsisterent morituris, & eadem ministeria viliissimis & egentissimis quibusque Reges illi iam Episcopi, velut serui Dominis, imo regum Regi exhiberent? zelum eorum pulchrè describit Francofurtensis historia. *Beati Magi Spiritus S. gratia repleti & perfectè edocti, S. Apostoli Thomæ sanctæ prædicationis coadiutores, adsumti per gratiam Christum Gentibus fideliter prædicabant, & signis & virtu-*

Reges nutritij Ecclesiæ.

virtutibus coruſcantes infideles ad cognitionem veræ fidei conuertebant, & prædicationem Apoſtoli de Dom. Ieſu Chriſto nunciatam veram & ſanctã eſſe ſcientes, cũ S. Apoſtolo in tota provincia confirmabant: ſic ergo omnes, quos habuerunt in genere ſuo, ante aduentum S. Thomæ primo eruditerant cæleſti dogmate, Spiritus S. virtute imbuti plenius inſtruebant. Hi vero, ſicut primo confeſſores Chriſti extiterunt fideliſſimi, ſic etiam in omni natione ſua nouæ prædicatores gratiæ poſt Apoſtolum fieri meruerunt. & infra: *Sancti Magi gratia & poteſtate ſignorũ ipſo donante accepta, populum in bono opere, & fidei conſtantia roborantes, omnibus vitæ ſuæ dieb. exemplum bene viuendi, & forma virtutum facti meruerunt Doctores fidelium, & fundatores Orientis Eccleſiæ permanere: omnis namq; prouincia eos vt patres cariſſimos diligebat, & monitis eorum & doctrina feruentiſſimè obediebat: ſinguli enim eorũ in ſuis gentibus ſingulis virtutum ſignis fulgebant, & omnes, vt filios diligentes, verbis gratiæ & pietatis operibus confouebant* Norant orientalis Eccleſiæ Gentilium ſe progenitores conſtitutos, cunctis vt fidelibus tanquã dilectis in Chriſto filijs expreſſa relinquerent virtutum omnium lineamenta, quæ ſuis exprimerent & imitarentur moribus. Formam igitur & ideam Epiſcopis, velut Eccleſiarum ſortarum Patribus adumbrabant: quomodo filiolos ſuos iterum in Chriſto cũ Paulo primo poſt Reges doctore Arabiæ parturirent, lactarent, fouerent, enutrirent: quomodo deiectis quibuſcunque poſſent in locis idolis, templa conſtruerent: cultum diuinum vbique regia magnificentia promouerent, ſingulis oppidis de idoneis animarum curatorib. prouiderent: eoſdem ſæpius inuiſerent, ad munus gnauiter obeundũ exſtimularent: & hac ratione reipſa declararent, longè maiorem curam ſalutis ſubditorum gerendã eſſe, vt ad æternam felicitatem ſinguli promoueantur, quam Reges habere ſoleant, vt ab hoſtium incurſibus defendantur, & pax ac tranquilla libertas ijſdem conſeruetur. Quam vero meſſem frugum cœleſtium collegerint doctores Colonienſes quidã erudita ſua narratione vitæ SS. Regum paucis complectuntur: *Poſt adſcenſionem Chriſti Dominicam à Diuo Thoma Apoſtolo in fide Chriſtiana plenius inſtructi, ab hoc baptizati, imo paſtores etiam & doctores ſiue Epiſcopi in populo ſuo ordinati ſunt, magnamque gentium turbam ad Chriſtianæ religionis cultum adduxerunt. Atque ita vt primitias frugum copioſa meſſis conſequitur, ſic Magos primitias credentium ex Gentibus innumerabilium fides populorum, tanquam vberrima ſeges, eſt ſubſecuta, impletumque vaticinium Dauidis, qui poſtquam prædixerat Reges Arabum & Saba dona adducent, ſubiungit: & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes Gentes ſeruient ei. Itẽ omnes Gentes quaſcunque feciſti, venient & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuũ.* Solicitudinem verò Regum in cura paſtorali prædicant Lectiones veteres Colonienſes: *Sicq; ſancti Magi gratia & poteſtate ſignorum ipſo donante accepta, populum in bono opere, & fidei conſtantia roborantes, omnibus vitæ ſuæ diebus exemplum bene viuendi, & forma virtutum facti meruerunt doctores fidelium, & fundatores Eccleſiæ orientalis permanere: ſingulis eorum in ſuis gentibus ſinguli virtutum ſignis coruſcantes: omnem autem prouinciam Orientis perluſtrantes, eccleſias ad honorem Domini conſtituebant, ſacerdotes ſacræ ſeruitutis miniſtros ad ſalutem populi ordinabant, infirmos in nomine Chriſti curabant, idolorum cultura deſtruebant, cultum ſanctæ Trinitatis vbique confirmantes.* Fuſius hæc narrat hiſtoria Francofurtenſis: *Præclari virtutibus ſancti Magi populos vndique credentes in Domino baptizabant, & languidos manuum impoſitione & benedictione facta cum oratione ab omni dolore curabant, prædia & poſſeſſiones Dei Eccleſijs adſignabant, pauperes & aduenas cibo potuq; corporis & animæ clementer alebant. Multitudo præterea Gentiũ ex finitimis & longinquis regionibus ad eos cum fiducia properabat, & fidem Chriſti & ſalutem animarum percipere ab ipſis gaudebat. Sancti autem Magi, pietate amabiles, caritate laudabiles, conſolabantur omnes cum miſericordia & ſpe gratiæ ad ſuã præſentiam accedentes, robur quippe erant validis, & lãguidis medicina, ſignis virtutum varijs illuminantes patriã cum fidei diſciplina, omnẽ autem prouinciam Orientis perluſtrantes, eccleſias ad honorem Domini, Sacerdotes & ſacræ ſeruitutis miniſtros ad ſalutem populi ordinabant. Videntes verò populi per eorum merita infirmos ab omni languore curari, etiam ad vitã ſæpius reuocari, idolorũ deſtruentes*

Idea Pontificalis vitæ fuerunt.

Doctores Colonienſes.

Fructus eorum.

pſ. 17.

pſ. 85.

Lectiones Colonienſes

templa Ecclesijs Christo constructis fide suscepta sacro baptismate â peccati maculis emundari, in humilitate autē sancti viuentes superbos ad vitæ misericordiā concitabant, humiles & rectè gradientes quasi domesticos diligebant. Quam ista longè regijs exercitationibus, & militaribus meditationibus nobiliora? Regum est colligere militē, delectum agere, ducere exercitum, hostes debellare, fœdera iungere, firmare pacem, ciuitates condere, munire, amplificare, consulere subiectis, omniū fortunis vitæ mortali & incolumitati prospicere: at hæc quam vilia, si cū istis Regum verè regijs muneribus contendantur? in quibus agitur de salute, & immortali felicitate animorum, de cœlestibus & æternis opibus populo comparandis, de pace inter Deū & homines sancienda, de hostium tartareorū insidijs, adsultibus, & incursib. propulsandis, quæ caducis bonis dignitate præstabiliora, tempore diuturniora, natura diuiniora? Regum Gentiliū erat proprium dijs sacrificare, & licèt Romani suos exegissent Reges, regem tamen sacrificulorum retinuerunt. At quod Deo gratius potest esse animorum cura sacrificium, qui victimis omnibus beneficentiam & misericordiam anteponit? vt vel diuinissimum præstet quandoq; Missæ sacrificium omittere, quam eo tempore salutem negligere proximorum. *Nullū*, ait Gregor. *omnipotenti Deo tale est sacrificiū, quale est salus animarū. Misericordiam, ait Christus volo & non sacrificiū.*

officium Regum cū Episcopi comparatur.

S. Gregor. ho. 12. in Euang.

Nec est, quòd ideo sibi quis blandiatur, quasi bene de Deo mereatur: est enim lōgè præstantissimum beneficium, quo potest homines sibi Deus obligare, quòd ijs dignetur in tam nobili munere velut administris vti. *Nescio* ait Rich. de S. Vict. *an maius à Deo possit beneficium conferri, quam vt per eius obsequium alij salutem consequantur.* Potuitne diuinius officium excogitari quam illud, quod vnicum Pater æternus commendauit filio mortale corpus induenti? *Venit* enim tantum ipse *filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Gaudent illæ mentes Angelicæ, quoties illis Christo licet hoc in munere adsistere: qui *omnes* sunt *administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Hoc enim opere diuinissimo vident illi cœlestes genij se proximè quoad eius fieri potest accedere ad diuinitatem: cum *operum diuinorum diuinissimum sit cooperari Deo in conuersione errantium, & reductione peccatorum ad ipsum.* Nam qui visceribus caritatis ornati, diuinæ bonitatis communicationem imitantur, qui non priuatis ducti commodis, sed amore puro Christi succensi laborant pro salute proximorum, rectè deiformes vel diuinissimi nominantur. Quocirca Reges nostri non tantum Angelis, sed ipsi Christo Deoq; similes quasi saluatores quidā nobilissimo munere saluandi animas diligenter fungebantur, eo nimirum ipso, quo functum esse Christum experti erant, qui ipsos ab Oriente duce stellā vocatos tanto prodigio saluarat, & ab æternis inferorum supplicijs liberarat. Vnde non pigebat omnem subire laborem, vt tot infidelium animas iam Christi sanguine purpuratas adsererent in libertatem, & cœlo Deoq; parturirent, totq; sibi coronas gloriæ necterent, & Christo trophæa victoriæ constituerent sempiterna, quot ab erroribus idolomaniæ reuocassent. *Corona seniorum*, ait Sapiens, *filij eorum*: quidni corona Doctorum & Episcoporum fœtus eorum spirituales? *Quæ est enim* (ait ad conuersos à se fideles Apostolus) *nostra spes, aut gaudiū, aut corona gloriæ, nonne vos ante Dominum nostrū Iesum Christum estis?* vocat eosdem alibi *gaudium & coronam suam.* Ornat corona Regum verticem: coronatis gaudium adfert, & apud intuentes famā, nominis existimationē ac obseruantiam; multo magis in Beatorum curia gaudium parit immortale tot animarum adserta salus: parit & honorem ipsis, ac communem cœlites inter gratulationem: quod tot ciuibus & quasi regibus cœlestem illam regiam auxerint, adeoque Beatos omnes luce gloriaque maiore cumularint. Enimuero solent ipsi conuersi suis doctoribus in cœlis etiam, vt filij parentibus & quasi vestis adhærere: vt de Regibus nostris iam episcopis illud Isaias olim fuerit vaticinatus: *Leua in circuitu oculos tuos: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis eos tibi quasi sponsa.* Vera hæc palmata & triumphalis vestis gloriæ, tot gemmis quot animabus adsertis Christo variegata: eminent in ea carbunculi quidam nobilissimi Principes & Dynastæ conuersi: qui velut montes opprimere fideles potuissent: nisi gratia cœlestis eorū fregisset, & inclinasset superbiā. *His montibus*, ait S. Gregor. (Regibus & Principib.) coronatur *Ecclesia* (& Doctores ac Pastores,) *quia dum regnum prædicat æternū animarum*

idem Christi munus. *Lucæ 19. Hebr. 1. &* & Angelorum.

S. Dionys.

sunt saluatores cum Christo.

Conuersi sunt corona Doctorum. *Pro. 17. 1. Thes. 2. Philip. 2.*

Gaudium cœlitum.

corpori vestis gloriosa. *Isa. 49.*

duim

dum exemplo suo, animo quæ mundi sunt vilia esse demonstrat, ipsos etiam potentes ad pœnitentiam inclinat. De hac sibi corona mirifice licet ætate confecti cum Apostolo gratulabantur. *Bonum certamen certaui, fidē seruaui, de cetero reposita est mihi corona iu stitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex.* Sic A. 1143. Wilhelmus quidam Abbas Cisterciensis apparuit cinctus aurea corona tot gemmis distincta, quot animas Deo genuisset. 2. Tim. 4. *Manrique in annal. lect. eo anno.*

De ætate singulorum Regum tam qua Christum adorarint, quam qua decesserint, incerta omnia: picturæ veteres sumuntur ex antiqua quadam adsertione in Bedæ collectaneis his verbis comprehendas. *Primus dicitur Melchior fuisse senex & canus, barba prolixa & capillis: aurum obtulit Regi Domino: Gaspar iuuenis imberbis rubicundus thure quasi oblatione digna Deum honorauit. Tertius fuscus, integrè barbatus Balthasar nomine, per myrrham filium hominis moriturum professus est.* Posteriores his quosdam annos addidere: vt Episc. Esquilinus: *Fertur*, inquit. *cum ad Christum venerant, Gaspar fuisse annorum* 60. *Balthas.* 40. *& Melch.* 20. Variat hæc nonnulla cum priore sententia, iam tamen pictores eam passim cum alijs sequuntur, vt aduertit Melchior Inchofer: *Plerumque*, inquit, *Gaspar senex, Balthasar mediæ ætatis, Melchior iuuenis fuisse traditur*: ideoque hoc ordine numerantur. Fauet huic ordini S. Franciscæ revelatio: multum tamen annorum addit: Gasparem facit prope centenarium, Balthasarem sexagenarium, Melchiorem quadragenarium, cum Christum adorarent, de quo infra. Ætas Regum in adoratione. *Bedæ collectaneis.*

Nec minor de mortis tempore in annis Christ. dissensio: Canis. apud Melch. Inchof. vult eos post nat. Christi A. 40. obijsse. Ortwin. Graas. A. 39. qui sic etiam ætatem singulorum supputat: *Cùm moreretur Melchior, qui primus est*, 116. *Balthasar autem secundus in ordine Rex* 112. *Gaspar verò tertius* 109 *expleuerant annos.* Vnde cū Christum adorarent eosdem quinquagenario facit maiores. Denique Flauius Dext. in Chronico & commentator eiusdem Binarius eos volunt A. Christi 70. decessisse. Quo anno Christi obierint. 1 *Senten. Canisij.* 2. *Graasij in fine hist. Reg.* 3 *Flauij Dextri.*

Verosimilior mihi videtur Flau. Dextri sententia, mortuos Reges A. salutis 70. testis enim ille reliquis antiquior, qui paulo post S. Helenam vixit, quæ corpora Constantinopolim aduexerat: & ex ijs, quæ consignata literis in loculo reperta sunt, haurire potuit. Scio multos fidem eius chronici eleuare: nescio tamen an hic locus iure suspectus videri debeat; cum nihil in laudem & fauorem Hispaniæ, quam potissimum celebrat, memoretur. Interim dum quis alius hoc autore quid certius probabiliusue dixerit, non pigebit hunc tantisper sequi. Vixere igitur Reges etiam post aduentum S. Thomæ & sacrum receptum baptismatis fontem ad 30. fere annos. Demus iam denos primos fidei prædicationi varijs in locis Gentilium; reliquos autem 20. curæ Pontificali regnorum propriorum, præsertim natu grandiori: ita vt certis annis se interuiserent, & mutua familiaritate, sacrisque colloquijs fruerentur. Fors incredibile videatur seniorem centesimum quinquagesimum, vel etiam septuagesimum annum attigisse, de quo alibi. Reges mortui videntur Anno salutis 70.

CAPVT XXVIII.

De Melchioris in Indiam cum S. Thoma profectione, & reditu ante mortem ad socios.

SVNT qui velint Reges tres à reditu in Arabiam eo loci, vbi stellam viderant, in monte templum communi sumtu labore, & cura construxisse, præfixis eius foribus prægrandi stella, & matre puerū gremio sustinente: quod S. Thomas Christo cruci suffixo dedicauit: sic lectiones vetustiores narrant. *Beatus autem Thomas oratorium, quod in monte Victoriali ante sancti Reges construxerant, similitudine dominicæ passionis ibidem diuinitus apparente templum crucifixo Domino consecrauit.* Sed crucis imago, quomodo visa cum stella supra montem fuerit, ita narrat Alb. Magnus; *Postea de ortu Saluatoris, stella miræ claritatis eis apparuit: quæ in se figuram pueri Iesu prætendit, & super se signum crucis exhibuit: & ad Maguzæos supra montem Victorialem se dimittens ore pueri loquebatur, qui in ea loquebatur & de via instruxit.* Hoc est oratorium crucis, in quo Reges mortui, vel potius pro fide lanceis percussi pariterquè sepulti creduntur esse & habet res ex miraculis quotidianis al- Templum SS Regum in Arabia cum crucis imagine. *inc. 2. Matt.* crux præfixa SS. Regum nominibus claret miraculis.

decorari,(quam idcirco Lutherus arrodere non veretur) ex hoc manasse putarim; quod iam inde ab exortu stellæ cum cruce, vt cum Alberto plures volunt, crucis ipsi fuerint & oratorij crucis cultores eximij. Prope hunc eundem locum videntur dum viuerent, aliquoties, præsertim vero natalis dominici die, quo primum sidus affulserat, conuenisse; vt pijs colloquijs se mutuo ad refricandam eius beneficij memoriam exstimularent. Sunt qui velint ipsis à S. Thoma (cum eos regnorum proprio-
Petrus Pa lude ser. 1. de Epiphan. rum Antistites consecrasset) fuisse imperatum, vt quotannis ibidem pariter Natalitia Domini festiuè peragerent.

Sed de Melchiore, quem Indorum fuisse Regem existimo, constat eum triennio post adoratum Christum redijsse Cranganorem: ibidemquè templo Deiparæ con-
S. Melchior socius S. Thomæ. structo, ac regno Christi cultoribus derelicto, socios Reges inuisisse. Itaque cum duos dixerimus Reges confines exstitisse, ad eos videtur accessisse: prope Crucis oratorium vitam degisse, diuinis intentus; donec aduentu S. Thomæ plenius de fidei mysterijs institutus, eundem Apostolum in Indiam deduxit, & comes ei in conuertendis idololatris adhæsit: nam reliquis putatur fuisse iunior: & prope septuagenarius sub aduentum S. Thomæ, vt diutius quam reliqui videatur Christi fidem Gentibus prædicasse; & sub finem vitæ missione ab Apostolo impetrata redisse in Arabiam ad socios decrepitos diuino consilio: vt quos vita laudabilis, nobilis peregrinatio, mores & amor Christi pridem coniunxerat, eos mors & sepulcrũ non separaret

Quocirca cum ætate iam deuexa Reges reuisisset, Indorum factam ad Christum accessionem, prodigia S. Thomæ, eius per totum Orientem factas expeditiones, adeoque Gentilium tot myriadum conuersionem enarrasset, non potuit non illos primos Ecclesiæ progenitores exhilarare, quos velut primitias ex orbe toto Deus delegerat, quibus sponte & promtissime se Deo dicantibus, tam vberem messem Gentilibus redonarat, Iudæis nimium obcæcatis. Fuse narrat hæc eadem de S. Crucis oratorio Sanctorum Regum prædicatione, & prodigijs ad S. Thomæ ad Indos pro-
Antoninus Liber Susatensis. fectione Antonius Liber his verbis. *Beati vero Magi gratia Spiritus S. repleti & perfectè edocti, S. Thomæ Apostoli prædicationis coadiutores adsumti, per gratiam & effecti, Christum Gentibus fideliter prædicabant, signis & virtutibus coruscantes, infideles ad cognitionem veræ fidei conuertebant & prædicatione Apostoli de Domino nostro Iesu Christo nunciatam veram & sanctam esse scientes, cum S. Apostolo in tota prouincia confirmabant. Sic ergo omnes quos ante aduentum S. Thomæ in genere suo primi erudierant cœlesti dogmate, iam Spiritus S. virtute imbuti plenius confirmabant. & omnia, quæ habebant, vel habere poterant ordinante Apostolo ad cultum Christi & ad vsus pauperum conferbant. Hi sicut primi confessores Christi fidissimi exstiterunt, sic etiam in omni natione sua noui prædicatores Gentium post Apostolum fieri meruerunt. B. autem Thomas oratorium, quod in monte antea construxerant, similitudine Passionis Dominicæ ibidem diuinitus apparente, templum crucifixo Domino consecrauit & circumquaque pertransiens aras Deorum & simulacra destruxit, ceteraque Deo instituens dedicauit. Episcoposq. & Presbyteros & ceteros sacri officij ministros in Sanctorum prouincia ordinatos nouæ legis dogmatibus informauit. Ad prædicationem autem Apostoli Thomæ omnis populus festinabat, videns & audiens signa & prodigia magna, quæ per Dei gratiam faciebat. Nemo enim prædicationem eius contemnere; sed omnia facta seu laudabiliter commendare. Dæmones namque ex obsessis corporibus depellebat, cæcos illuminabat, omnes etiam languores & dolores verbo Dei effugabat, & mortuos suscitabat. Tandem vero ab ipso Apostolo Ecclesijs pluribus in orientali plaga Domino dedicatis, & omnibus ad cultum & honorem Christi dispositis, coper reuelationem Domini ad Indiam superiorem proficiscente, SS. Magi gratia, & potestate signorum Deo donante accepta populum in bono opere & fidei constantia roborantes, omnibus vitæ suæ diebus exemplum bene viuendi & forma virtutum facti meruerunt Doctores fidelium, & fundatores Ecclesiæ permanere. Omnis namque populus eos vt patres diligebat carissimos, & monitis eorum & doctrinis feruentissime obediebat.* Hactenus Antonius Susatensis labores eorum fructuosos persequitur: cui consentit historia Francofurtensis: & addit hæc. *Repletis tandem prouincijs suis Ecclesijs sacratis Catholicis, conuersis Gentibus ab omnibus idololatrijs, confirmauerunt vndique cultum.*

SS.

sanctissimæ Trinitatis omnibus Ecclesiasticis fideliter ordinatis. multi vero qui habebant infirmos varijs languoribus affectos, ducebant illos ad eorum præsentiam, & continuo sanabantur & ipsorum verbo & benedictione omnes dolores & incommoda à fideli populo pellebantur: vixerunt autem omnibus diebus vitæ suæ in timore & amore Dominici cum virtutum reuerentia, seruientes conditori suo sine querela: Nec est dubitandū, quin ætate iam decrepita solui corporis ergastulo desiderarint & esse cum Christo: non tam morte naturali; quam violenta pro Christi confessione obita: quæ merces & gloria fuit primorum fidei præconum & Apostolorum.

CAPVT XXIX.

Mors beata sanctorum Regum anno salutis 70. primo, sexto & vndecimo Ianuarij contigit: vbi expenditur Canisij de ea sententia.

MAGNÆ fateor his in rebus tenebræ sunt, & perdifficile declinatis apocryphis, solido niti fundamento: sequar tamen viæ duces grauiores, quorum legisse vestigia non pœnitebit: quamuis nec mea sed horum fide periculòque narrata velim: quibus si quis probabiliora reperierit, cum primis eidem suffragabor. Certum est quibusdam in diœcesibus iam ante centum annos celebrari festum obitus tertij Regis ritu duplici vndecimo Ianuarij: hoc lectiones horariæ, & Kalendaria, tam Colonensis quam Leodiensis Episcopatus seculo vetustiora tam scripta, quam typis expressa testificantur, & lectiones quidem eius diei etiam à trecentis annis, imo quadringentis vsitatæ, obitum Regum tribus diuersis, eiusdem tamen anni & mensis Ianuarij consignant diebus: hoc quidem discrimine: quod seniorem faciant primo: iuniorem verò postremò decessisse. Exstat elegans hac super re Leodiensium prosa, paucis vitam & obitum SS. Regum his describens verbis.

Thomas Orientis præco Magos dat antistites:
Quorum quiuis suæ Genti dat salutis regulas:
Templum struunt monte sancto, quo sidus apparuit.
Quo sepulti vno busto sunt, vt ipsis placuit
Primus natu in Kalendis obit Ianuarijs,
Hinc octauo Idus alter, trino Idus tertius:
Gentium hi fructus primi Christum colunt munere
Auro Regem, Deum thure designabant mysticè:
Et in myrrha dominicam sepulturam.

Eadem Lectiones cum Antiphonis memorant: sumtæ ex sepulcralibus documentis & perantiqua traditione, quam eruditi quidam viri non improbant. Quis vero trium primus, quis vltimus obierit controuertitur. Sententiam Martyrologij Canisiani Latinis tamen verbis attexam.

Kalendis Ianuarij In Oriente felix obitus S. Gasparis vnius trium Magorum & Regum, qui Christum recens natum in Bethlehem visitarunt, & adorarunt; hunc S. Gasparem S. Thomas Apostolus fidei mysterijs imbutum baptizauit, & Episcopum consecrauit.

Sexto Ianuarij In Oriente natalis S. Melchioris Episcopi vnius trium Magorum & Regum: qui perfecto missæ sacrificio sacra refectus synaxi in templo decessit in pace.

Vndecimo Ianuarij In Oriente S. Regis & Episcopi Balthasaris: tertius is Magorum vel Regum fuit, qui Christum infantulum in Bethlehem adorarunt: qui posteaquam hodierno die diuinissimum sacrificium in templo Deo obtulisset, sacra Eucharistia sumta, obdormiuit in Domino. Discrepant alij, qui Melchiorem prima Ianuarij, Gasparem autem vndecima dicunt decessisse: contra permulti Gasparem primo, deinde Balthasarem, vltimo Melchiorem esse mortuum contendunt: quibus præcipue faueo. Sed ante sanctorum Regum signa prognostica mortis: tum singulorum excessum felicem excutiamus.

CAPVT XXX.

Sancti Reges de morte imminente cœlitus admonentur.

AETATE iam deuexa sancti Reges pariter curis inuigilabant, & cum per fidos Ecclesiarum antistites, gregem dominicum pascerent diligenter, ipsique more suo circa natalitia Domini extremo reparatæ salutis anno 69. conuenirent, vt & se mutuo, populumque commonerent summi beneficij, tam eius, quod mundi per incarnationem filij Dei obtigit, quam alterius, quo se dilectos & electos speciali modo recordabantur spretis etam Iudæis, & primos quidem Gentilium ad cognitionem veræ fidei; & testimonium ortui eius tam prodigioso perhibendum. Ecce mercedem iam ijs laborum diuina clementia præparabat in cœlis. Voluit autem eisdem id antea cœlitus denunciare. Nam sicut Deiparam misso Gabriele ad regnum cœleste inuitauit & sancto Petro Româ discedenti Christus ipse occurrit, monuitque Romam se ire denuo in crucem cum Petro agendum, cui crucis mortem prænunciabat iam imminentem: vt etiam S. Floriano Confluentiæ cum Regina socijsque in sacello trucidando supra ædiculam oblata stellatæ crucis effigie, lauream martyrij præmonstrauit: ita sanctis his Regibus ostento quodam mortē vel martyrium imminens declarauit. Innuunt hoc horariæ lectiones Colonienses his verbis. *S. itaque Magis à Domino inuitatis ad cœlestis vitæ delicias, instabat sacratissima Dominicæ natiuitatis festiuitas.* Fusius id aliquanto referunt Leodienses. *Cum autem placuit Regi altissimo, vt sacratissimi Magi ad cœleste regnum migrarent è mundo, innotuit eis in monte sancto, in quo eis prius apparuerat stella, habens in se formam paruuli pueri, & super se similitudinem crucis, obitus sibi diem imminere in proximo, quo exuti terrestribus, coronandi forent in cœlestibus: gratias igitur Deo agentes, elegerunt locum sepulturæ in monte sancto, ibique cum fidelibus permanentes in sancta Crucifixi saluatoris ecclesia diem sui cursus extremum lætissimè exspectabant: populus autem fidelis eorum monitis ex præsigni marmore, sepulcrum eis pretiosum in sancta ecclesia construxit: & cum ipsis in diuino seruitio ibidem permansit.* Antonius Liber eorum ad mortem comparationem sic describit. *Sanctis itaque Magis à Domino inuitatis ad cœlestis vitæ delicias, instabat sacratissima Dominicæ natiuitatis festiuitas, gaudentes autem sancti in Domino sanctam Christi natiuitatem cum ceteris fidelibus in ecclesia principali deuotissimè celebrabant: & totum illud tempus ad diuinæ maiestatis honorem, & totius plebis salutem & consolationem in sacro officio expendebant; in orationibus peruigiles consistebant, Saluatoris gloriam exspectabant.*

præsentio mortis.

Deiparæ. S. Petri. S. Floriani.

SS. Regum.

comparatio eorum ad mortem.

Si quæras quo signo vocati videantur: Respondeo potuit stellæ fieri stantis indicio: quæ sicut olim ad gratiam & puerum recens mortalem natum, ita nunc ad eiusdem cœlestem gloriā contemplandam cognoscebant interius se inuitari. Et si quod verosimillimum est martyrio sunt laureati, crux stellata qualis S. Floriano visa fuit cœlitus, emicuerit: imo forte iam non vt olim Christi pueruli sed in crucem acti effigies (sic vt constat Imperatori Mauricio contigisse) vt per mortis violentæ perpessionē ad crucis suæ imitationem eos animaret exemplo: sicut & Petrum verbis suis ad eandem appetendam inflammauit. Nolo diuinare, rem lectoris arbitrio relinquo: & ex historia Francofurtensi exspectationem mortis attexam. *Gratias ergo immensas Deo & Patri omnium agentes, quia digni habiti sunt à Domino ad æternæ vitæ gloriam inuitari, monuerunt fideles fidem Christi, quam susceperant cum omni instantia & deuotione custoditam diligentissimè venerari, reuelatione itaque cœlesti diuinitus consolati in Domino exsultabant, & victuri Christo ad æternæ vitæ gaudium festinabant, quia de tristitia ad lætitiam, de labore ad requiem, de morte ad vitam, de occasu ad ortum se transituros præsciebant, cunctos itaque credentes suppliciter postulabant, orationem Domino pro ipsis offerri, vt merercntur cum Angelis cœlesti gloria coronari. Bonum denique certamen certauerunt, fidem inuiolabiliter seruarunt, cursum vitæ glorioſissimè consummauerunt, cœlesti ergo dignos præmio à Chri-*

Quo signo vocati.

sto

sto vocatos iusti venerabantur cum omni affectu & gaudio, qui fidei primitiæ meruerunt esse in populo. Decurso itaque spatio Sacramentis Christi mysticis celebratis deuotissimè, & perceptis omnibus suis ad laudem & honorem Dei compositis, immonte sancto cum fidelibus permanserunt, & in sancta crucifixi Saluatoris Ecclesia diem sui cursus extremum lætissimè exspectarunt.

CAPVT XXXI.

S. Gaspar anno salutis 70. Kalendis Ianuarij sacris rite operatus piè decedit, lancea vt quidam volunt transfossus.

PRIMVM omnium decessisse Melchiorem Ioannes Hildesiensis in historia S S. Regum perquam fabulosa docet: & ex eo nonnullæ postea descriptæ lectiones horariæ: nam vetustiores imo & recentiores tacitis eorum nominibus primum tantum ceteris ætate grandiorem tunc obijsse volunt. Ita Breuiarium M.S.S S. Apostolorum collegiatæ ecclesiæ peruetustum. *Aduenientè verò octaua die Natiuitatis dominicæ primus natu ex his tribus iuxta sacrum altare Sacramento nostræ redemptionis celebrato, & accepto, obdormiens in Domino ad regnum transiuit cæleste: ab ipso enim Domino, quem dilexit in terris, Angelorum obsequijs inæstimabilis claritate splendoris, & in dulcedine diuinitatis adsumtus est in cælis.* Eadem sed explicatius habet Antonius Liber. *Aduenientè verò octaua die Natiuitatis dominicæ, videlicet sacra Domini circumcisione prima primi mensis luce, primus & natu ex his tribus iuxta sacrum altare Sacramento nostræ redemptionis celebrato & accepto obdormiens in Domino ad regnum transiuit cæleste. &c.* senior reliquis primus decessit.

Quis reliquis senior fuerit disceptatur. Bedæ collectanea Melchiorem nominant: ideo hunc primum obijsse vult Ioannes Hildesiensis, Petrus de Palude, & ex eo Morales noster ita narrat. *Demum iniunxit* (S. Thomas) *vt quolibet anno ad sacellum in monte, quod etiam Apostolus consecrauit, conuenirent, & ibi memoriam natalis Christi & Epiphaniæ celebrarent, quod libentissimo ipsi animo adimpleuerunt: cum ergo grandæuæ essent ætatis, & circa natalem Christi in sacello conuenissent, tunc Melchior senior in octaua Natiuitatis Christi ibidem obdormiuit.* Descripsit eadem Raise in Gazophylacio: idem Molanus, Ferrariensis, & M. S. Florarium tenet, quæ sententia mihi quoque diu placuit. *Morales in Matth. l. 5. tract. 4. n. 41.* fuit is Gaspar non Melchior.

Contra Franciscа Romana diuinitus edocta contendit, Gasparem fuisse reliquis ætate grandiorem: cui fauet communis vulgi persuasio, & picturæ peruetustæ, Esquilinus, Canisius, & Francofurtensis historia ita mortem eius describit: *Gaudentes ergo Sancti in Domino sanctam Christi natiuitatem cum ceteris fidelibus in Eccl sia principali deuotissimè celebrabant, & totum illud sacrum tempus ad diuinæ maiestatis honorem, & totius plebis salutem & consolationem in sacro officio expendebant, in orationibus peruigiles consistebant, saluatoris gloriam exspectabant: aduenientè vero octaua die Natiuitatis dominicæ, videlicet sacra Domini circumcisione prima primi mensis luce Gaspar primus natu ex his tribus, iuxta sacrum altare Sacramento nostræ redemptionis celebrato & accepto obdormiens in Domino ad regnũ transiuit cæleste: ab ipso enim Domino, quem dilexit in terris, Angelorum obsequijs inæstimabilis splendoris claritate, & in dulcedine diuinitatis est adsumtus in cælis* Consentit Vsuardi editio Colonienſis edita A. 1490. 1. Ian. In Oriente S. Iasp. Regis, quem B. Thomas Apostolus plenè fidem docuit, & postmodum episcopũ patriæ ipsius, sicut & duos alios ordinauit, qui hac die obdormiuit in Domino. Idem tenet Bollandus & recentiores: ideo iuxta discrimen ætatis & mortis nominantur *Gaspar, Balthasar & Melchior*, quem ordinem obseruauit Flauius Dexter à mille trecentis annis, & vita S. Eustorgij perantiqua cum traditione Mediolanensi, & sic refert: *Illic illa sancta arca composita, sancti Reges simul maior, medius & minor, quorum nomina Gaspar, Balthasar & Melchior Mediolani die noctuque venerati*: quæ de ætate maiorem ideo primus nominatur. *Flauius Dexter. vita Eustorgij.*

iore vel minore sunt accipienda: cùm staturâ pares esse ferè videantur. Eundem obseruat ordinem ordo Romanus in collectis eorum. Accedit quòd medium sepulturæ locum iunior obtinuerit, duobus reliquis in latus se conuertentibus qui hodie Melchioris nomine in tymbo insignitur, & solus capillos capitis fuscos exhibet, reliquis quasi iunior: Gaspar verò lævum, quo se flexit; Balthasar dexterum latus occupat: vt his rationibus coactus sim meam mutare sententiam, & Gaspari primas cedere: qui Magnus Arabiæ felicis Rex & verè Trismegistus, vt ætate reliquos, ita auctoritate, consilio, fortitudine animi anteiuit, & lancea vt piè creditur, dum diuinam immolasset hostiam, traiectus exemplo suo & sanguine fuso socios ad eandem ambiendam lauream excitauit: quid enim ei poterat optatius in vita accidere: quam vti Confessoribus è Gentibus conuersis præluserat coram Herode ista publica Christi regis professione; sic Martyribus etiam vitæ contemtu & profusione sanguinis præiret, tot centurias fidelium grano emortuo Christo pariturus exemplo, quot guttis terram purpurasset. Demus huic generosissimo Martyri hanc etiam prærogatiuam: quod vix de vllo legamus natu grandiore fecisse martyrium, si S. Franciscæ credamus, quod Christum prope centenarius adorauit, & Flauio Dextro quod 70. post annos martyrio sit laureatus. id fieri potuisse certumest: an factum sit, alibi videbo: cui profecto Deus complures alias & hanc forte dare voluit prærogatiuam. nunc sepulturæ ritum ex horarijs lectionibus recitemus, quibus concinit historia Francofurtensis. *Corpus autem huius ceteri tuo superstites cum alijs fidelibus pretiosis aromatibus condientes in sepulcro marmoreo ipsis tribus in sepulturam corporum præparato in ecclesia honorificè condiderunt, et de sua migratione solciti, laudes Deo & gratiarum actiones egerunt.* Nobile sanè funus, & vix aliud simile: cui duo Reges ijdem episcopi & Ecclesiæ progenitores ac Patriarchæ succollarunt. Dignus eo honore Gaspar Arabum magnus Rex & Hierarcha, cuius regiam in Saba metropoli Felicis Arabiæ collocat Adricomius. Ad hunc præcipuè sapientia celebrem, quasi alterum Salomonem & ætate grandæuum Melchior Rex Indiæ contendit, vt perplexitatibus conscientiæ mederetur: in cuius regiam cum peruenit astrum iam cœlo effulserat, vt Gasparis hortatu sit adlectus socius sacræ peregrinationis. Huic vt primario Gentium Patriarchæ, & Regum duorum quasi duci decet & epitaphio singulari parentare.

ordo Romanus.

situs hodiernus corporum.

martyrio coronatur.

prærogatiuæ Gasparis.

sepultura eius.

EPITAPHIVM
S. GASPARIS MARTYRIS EPISCOPI
ET ARABIÆ REGIS, ECCLESIÆ GENTIVM PATRIARCHÆ.

Vnus Gaspar Abrahæ magni Cethuræa proles, Astrologorum Archimedes, Sacerdotum Hierarcha, Regum Arabiæ Rex, adeoque Trismegistus Orientis.

Qui

Balaami doctus vaticinio stellam ex Iacob orituram, annis multis exspectauit; orientem suspexit, & ducem præuiam secutus est, adlectis duobus socijs pariter Trismegistis.

Hic

Ceteris natu grandior, piè, fortiter, & constanter primus ortum, & regnum Messiæ in metropoli Hierosolyma publicauit, Protoeuangelista Iudæorum, Gentilis & alienigena.

Idem

Herodem Regem perterruit, furorem eius sua sapientia molliuit: dolos & insidias Christo paratas elusit: Synædrion legem exlex docuit, monuit, confudit.

Tandem

Post innumeras viarum molestias, pericula, labores, desideratum Gentibus Iesum orbis Saluatorem in Bethlehemitico stabulo vagientem inuenit, adorauit, mysticis muneribus vt Deum, Regem, & hominem ætate licet infantulum ipse grandis natu piè veneratus est.

Pri-

Primus.

Christo in crucem agendo sacellum erexit; à sancto Paulo eruditus, à sancto Thoma baptismo & sacerdotio initiatus, ac Pontifex & Apostolus Arabiæ consecratus Orientem fidei luce centenario maior illustrauit.

Denique

Annum excedens centesimum quinquagesimum, cùm sub annum nati Christi 70. Kalendis Ianuarijs ad aram litasset, sacrâ refectus synaxi, lanceâ transfossus martyrij lauream est consecutus.

Nec improlis obijt, etsi prole caruerit: nam paternam hereditatem orhtodoxæ fidei infinita Gentium progenies adhuc superstes possidet, quam ipse cœlo non cessat gignere.

O felix granum, quod mundo mortuum, immortalem & innumeram messem quotannis superis germinat!

CAPVT XXXII.

S. Baltasar 6. Ianuarij ad aram necatur.

AVXERAT Beatorum numerum S. Gaspar ætate reliquis grandior: cui sodales coniungi & esse cum Christo medullitus desiderabant. Anniuersarius erat Epiphaniæ dies, quem ipsi Reges cum tota Gentilitate iussionibus Apostolicis obsequentes celeberrimum obseruabant: quo S. Balthasar centum & triginta natus annos solenni ceremonia in magna fidelium frequentia Deo agnum immaculatum immolabat: & viatico pie recepto ad excessum, quem animus præsagiebat, diligenter, & ardenter se comparabat. Quando videtur ab idololatris in rem omnem intentis & templum ingressis subito iugulatus: mortem eius tacito martyrio sic referunt antiquæ Lectiones & historia Francofurtensis. *Sexto vero primi mensis die, hoc est in sacra Domini apparitione, secundus scilicet Balthasar peracto sacrosancto sacrificij viui officio, apud altare stans pane pastus viuifico fine laudabili migrans à mundo, sanctam reddidit animam Deo, choro adstante Angelico coronandam à Christo, in regno gaudij cælestis æterno.* Sed cum ij, qui viui se summo caritatis vinculo coniunxerant, nec in morte vellent separari, sibique mutuum honoris obsequium exhibere, vel præuenire gestirent, magno contigit cum prodigio, vt dum ei solennibus exsequijs cum Melchiore superstite, Christi fideles omnes parentarent, & reserato marmore, loculo esset recludendus, vt nuper sepultus Gaspar quasi spirans, & quid rerum ageretur gnarus, alterum se in latus conuerteret, suum vt socio locum cederet, & quidem digniorem. Id lectiones sic narrant contigisse. *Corporis autem illius materiam omnibus aromatum speciebus conditam, tertius adhuc in carne viuens, cum sacri officij ministris prioris baiulant ad tumbam. Cum igitur is in sepulcro foret locandus, primus antea ibidem impositus, vt viuens in vna parte monumenti se collocans, locum dedit socio, vidente & admirante adstantium populo.* Eadem scribit Petrus Palude, Antonius Susatensis, Morales, Raise cum historia Francofurtensi, & Broëlmannus Baltasarem vocat ex lectionibus horarijs.

festo Epiphaniæ.

Balthasar sacrificans necatur.

Gasparis corpus mortuum declinat se in alterum latus.

Ego fide istorum refero: sumtæ videntur eæ lectiones ex documentis sepulcralibus, quæ laudant Neubrigensis, Sigonius, Ripamomtius, Regius, Adamus Contzen, & alij.

Ad latus porro declinauit sinistrum; vt patet hodie ex situ corporum: digniorem socijs locum, ætate licet minoribus concedendo.

Bollandus noster hoc die Melchioris mortem locat ex Colonensi & Canisij Germanico Martyrologio: quod sequitur Gelenius: sed autores & rationes meliores fauent Baltasari.

CAPVT

CAPVT XXXIII.

Martyrium & sepultura prodigiosa Melchioris tertij Regis.

Melchior vndecimo Ianuarij passus.

VNDECIMO die Ianuarij tertius decessit ætate reliquis minor, & iuxta vulgarem calculum nonagenarius: vt diutius reliquis videatur comes Apostolatus, & itinerum S. Thomæ, præsertim per Indiæ vastissimas regiones exstitisse, tandemque impetrata missione tertiâ vice Arabiam petijsse: vt vbi fidei cœleste lumen subnatum viderat, eodem loci corpore depositò lucis æternæ fruitionem & vsuram nanciscerétur. Complures huius festi meminerunt, licet errore vulgari lapsi Gasparem eum nominent vt Molanus. *Obitus S. Gasparis tertij Regis Coloniæ festum duplex.* Ferrarius: *Festum S. Gasparis Magi: vnus est, ex tribus Magis, quorum corpora Mediolano Coloniam à Friderico Imperatore translata sunt.* Petrus de Palude: *Demum in octaua Epiphaniæ Gaspar, qui dum ad sepulcrum priorum duorum esset allatus, ipsi tanquam viui secesserunt in partes, & eorum fratrem in medio locari permiserunt.* Florarium: *commemoratio obitus tertij Regis in Oriente scilicet Iaspar, qui obijt anno ætatis suæ* 109. idem tenet Sausaius. Sed eum Melchiorem fuisse & reliquis iuniorem præter veteres & recentiores picturas, S. Franciscæ reuelationem, Flauij Dextri, & Esquilini Episcopi assertionem, ipse corporum situs cum adiectis nominibus indicat; nam Melchior medius adhuc collocatus iacet & eius solius capilli capitis nec omnino cani, sed castanei coloris non paruo sunt argumento, reliquis eum fuisse iuniorem. Et licet Colonienfis officij lectiones tam vetustiores, quam recentiores correctiores obitum eius, prætermisso nomine describant. Francofurtensis tamen historia nomen Melchioris apponit hoc modo.

festum eius.

Melchior aliis iunior *Franciscæ reuelatio. Esquilinus.*

in medio duorum situs est. capillos adhuc habet.

Tertius Melchior æterni securus spe præmij, sexto die apparitionis Dominicæ, id est tertio idus Ianuarij sumto cœlestis mysterij Sacramento in mensa Domini exercitum celebrato, gratias agens omnium creatori Regi & Domino, in manus sanctorum Angelorum felici exitu tradidit spiritum: & cum socijs à Domino coronandum in gloria cœlesti. Diem ego illum in cœlis percelebrem opinor exstitisse: magno Beatorum plausu, & gratulatione festiuè peractum, quo Gentium primitiæ, Patriarchæ & genitores Ecclesiæ coniuncti in cœlis humanitatem iam Christi super hierarchias omnes Angelorum exaltatam glorioſam, & immortalem maxima reuerentia adorarunt: qui eos post Apostolos insigni gloria & beatitate decorauit velut Ecclesiæ nascentis primos Apostolos, Euangelistas, Confessores, Doctores, & Patriarchas: vnde tam ab Angelis, quam beatis omnibus festiuis plausibus ijs acclamatum, quibus autoribus tot Gentium regiones ad Christi traductæ & traducendæ fidem breui cœlestes ruinas nouis continuo submissis supplementis essent instaurandæ.

festiuitas cœlestis.

Exsequiæ prodigiosæ.

Ad exsequias perquam prodigiosas veniamus; quas ita describunt preces horariæ *Pontifices ergo prouinciæ qui conuenerant ad sacram Domini veneratione cum sacerdotibus & ceteris Ecclesiarum ministris hunc balsamo & omni aromatum genere conditum, ad tumulum detulerunt, & cum reuerentia & honore eius reliquias celebrantes, qua parte sepulcri duobus hunc apponerent intra se pariter tractauerunt: videntibus autem cunctis, & mirantibus, vnus duorum monumento primitus impositorum ad vnam partem monumenti se posuit: & alter alteram partem tenuit, & sicuti viuentes dilectum socium susceperunt in medium.* Fuerit S. Melchior reliquis ætate iunior: voluere certè mortui Reges hunc ei honorem habere: secuti dictum Apostolicum, *honore inuicem prævenientes.* Ideo Gaspar senior hodieque læuam, Baltasar dextram occupat. Eundem honorem Episcopi duo anno 620. S. Ioanni Eleemosynario adhibuerunt, de quo ex Leontio Episcopo & alijs Ribadeneira. *sepultus est ad S. Tychonis, in duorum tumulo Episcoporum, quorum corpora haud aliter, ac si adhuc viuerent secessere inuicem, mediumque S. Ioannes corpus receperunt.* Iam verò Gasparem, & antea Baltasari cessisse dexteram, postea simili prorsus modo à S. Laurentio factum: cum eius tumulo S. Stephani corpus in-

vterque cedit ei medium locum.

Ribadeneira 23. Ian.

vt S. Ioanni duo alii Episcopi.

inferretur, sic commendat S. Ildefonsus. *Cuius corpus* (S. Stephani) *translatum in basilicam S. Laurentij adeo vrbanè à Laurentio ibi iacente exceptum est, vt glorioso Stephano tanquam primo martyri primas dederit Laurentius, loculum suum in sinistram transferens, dexteram Stephano concedens, ob quam causam ab Italis nuncupatur Laurentius vrbanus Hispanus.* S. Ildefons. conc. de S. Stephano. S. Laurentius cedit dexteram S. Stephan.

Hinc Baltasarem vocat Bollandus, & Gelenius, ex editione Colonienſi Vſuardi A. 1490. & Carthusianis additionibus A. 1521. & Canisio: sauet sigilli Regum ordo talis Caspar, Melchior, Balthasar, quamuis dici possit, ex situ corporum ordinem eum obseruatum esse.

CAPVT XXXIV.

Qui veteres & recentiores Scriptores sanctos Reges agnoscant Martyres.

PRIMVS coæuus est sanctorum Hieronymi, Ambrosij, & Augustini Flauius Lucius Dexter: is sic ad annum Christi 70. loquitur. *In Arabia felice ciuitate Sessaniæ Adrumentorum martyrium sanctorum Regum trium Magorum Gasparis, Balthasaris, & Melchioris, qui Christum adorauerunt.* vixit is cum eis, qui interesse potuerunt tam primæ, quam secundæ translationi: & Constantinopoli quidem egit præfectum prætorio. Dexter coæuus S. Hieronymi.

Eadem est Orientalium traditio, antiquissimis etiam Arabicis M.SS. comprehensa: nuper enim à me literis consultus Melchior Inchofer, num quem antiquiorem Dextro testem nosset, qui sanctos tres Magos Euangelicos martyres faceret ita respondit. *De martyrio sanctorum Magorum Latinum autorem antiquiorem Flauio Dextro modo non reperio: id tamen confirmat Orientalium traditio: & sine dubio ausim asserere, vel hoc probabili argumento, quod non alius fuerit exitus primorum fidei Christi prædicatorum per tria ferè & amplius secula, à qua prærogatiua non videntur tres isti Coryphæi eximendi. Habui discipulu in Theologicis, qui ante annos duodecim circiter profecturus ad Æthiopas multo tempore substitit Memphi: vbi adhuc florentissima; sed recondita ab vsu exstat bibliotheca, quam ipse licentia à Præside obtenta lustrauit, & inter alia idipsum in M. S. Arabico se legisse affirmauit:* hæc 13. Aprilis A. 1644. ad me P. Melchior. traditio Orientalium. ex M S. Arabiam.

Crediderim in documentis sepulcralibus simile quid de martyrio repertum: vnde enim alias tam asseueranter hæc ante quadringentos annos Coloniæ scripsisset Albertus Magnus: *Hi etiam Magi in terram suam reuertentes, multos conuerterunt: & cuidam de Discipulis Iesu postea illus aduenientes adhæserunt, scil cet Thomæ, & Episcopi martyres effecti sunt.* Albertus M. in 2. Matth.

Prodijt etiam Coloniæ A. 1516. typis Quentelianis historia SS. Regum, cui talis titulus præfigebatur. *Historia glorioſissimorum Martyrum trium Regum integra.* historia Regum vetus.

Quin & Salmer. noster ante quã vulgatum Flauij Dextri Chronicon lucem adspexit: is luculenter sanè Martyrium SS. Regum, & priuilegia eis collata describit. *Porro*, ait, *isti beati Magi, qui studio caritatis, quo flagrabant maximo, sua omnia, & suos, ac seipsos contemserunt, postquam ad regionem suam redierunt, verbum Dei disseminarunt, eaque quæ proprijs oculis viderant, enarrauerunt, ac post aliquot annos autore operis imperfecti veniente ad eos B. Thoma Apostolo in fide semel suscepta instructiores, atque comparatiores sunt reditti, Messiæque mysteria prædicantes, & in præmium confessionis eius, qua olim Hierosolymis Christum fuerant confessi, martyrij palmam consecuti sunt, & cum pro Christo occubuerunt, & perdiderunt regnum temporale, obtulerunt aurum iterum thus verò facti ipsi Christi victimæ & holocausta in odorem suauitatis: myrrham vero, quia eorum corpora præseruata sunt per tot annorum secula, pro peregrinatione illa ad Christum Dominum suscepta mortua illa corpora Coloniam, id est, ex Oriente in vltimas partes occidentis venerunt, cum magna omnium veneratione.* Salmeron t. act. 40. in 2. Matth. à S. Thoma baptizati sunt. Martyres sunt coronati.

Hos attuli, vt si qui Dextro fidem negant adhibendam, satis in his fidei reperiant. Sequitur hos Ribadeneira, is reditum eorum ita commemorat: *Denique Reges non* Ribadeneira in Flore SS. 6. Ian.

sine

sine singulari ductu numinis, à quo fuerant suis euocati regnis eodem salui incolumesque reducti cuncta suis, quæcunque viderant audierantque de Dei filio hominem induto mysteria interpretati, spretis honorum, quos tenebant fascibus, calcatis mundi sceptris, ac diadematis, omnibus caducorum regnorum insignibus exuti, exemplum Christi pauperis imitati, de thronis ad ima vulgi subsellia se demisere: diuinarumque rerum præcones effecti, creditos sibi populos, quos olim rexerant imperio, in cœlum dirigere cœperunt virtutis exemplo. Quam ob causam ab impijs idolomaniæ pertinacibus crudeliter occisi fortissimum pro Christo fecere martyrium. Adoque semetipsos obtulere Deo in holocaustum multo pretiosius, & Deo gratius donum quam fuerant aurum, thus & myrrha olim ab ijsdem oblata.

Thomas Massutius. l. 3. c. 3. Defendit idem Thomas Massutius in vita S. Pauli: *sed & esse ipsos in Arabiam felicem reuersos, ibique martyrium subijsse legimus in chronico Flauij Dextri A. Domini 70.*

Biuarius. Consentit Biuarius Dextri commentator ad eum annum: *Esquilinus, ait, putat naturali morte sublatos, Dexter verò martyrio: sed in hoc standum Dextro, vtpote antiquiori, & diligentiori.*

Cornelius à Lab. in c. 2. Matth. Nec displicet Cornelio à Lapide: *Denique,* inquit, *Magos hosce Christum prædicantes ab idololatris occisos, & martyrij lauream adeptos: ac seipsos quasi aurum, thus, & mirrham Christo in holocaustum obtulisse tradunt nonnulli: inter quos L. Dexter in Chronico A. Christi 70.*

P. Mal. Michior c. 36. Propugnat eandem sententiam Melchior Inchofer. *Alij martyrio affectos affirmant; cum quibus sensere Alphonsus Salmeron, alijque recentiores antequam nuper inuentum Flauij Dextri Chronicon in lucim venisset; qui si vera narrat, perante qua sanè traditio martyrio huic fidem adstruit. Quamquam non videtur inuerosimile, siue sanctitati debitum cogitemus, siue laboribus dignum præmium, quando par fuit, vt Apostolo Thomæ, sicut prædicationis, ita mortis apud paganos & idololatras socij forent.* Fauet Eckius. S. *Thomas* sait, *veniens perfecta fidei sacramenta eis annunciauit: per quam illi sedulo adiuti conati quoque sunt subditos suos ad fidem amplectendam conuertere. Hi Magi viri sanctissimi feliciter deinde in Christi confessione defuncti sunt.*

Eckius. hoc. de Epipha.

in Harmonia Euang. Fauet & Guido Heluensis Episcopus circa A. 1330. *dum,* ait, *ignoratum locum in ciuitate turbata & commota perquirunt, zelus & feruor dilectionis ac fidei eorum constantia ostenditur, dum prædicando Iudæorum natum Regem furorem Regis Herodis non pauent, ac iam deuoti martyres se præsignant.*

CAPVT XXXV.

Soluuntur rationes oppositæ, cur non videantur esse Martyres.

NOVA videtur allata nec antehac audita opinatio: & euertere.

1. Lectionum antiquarum receptam seculis multis sententiam, quæ adserit eos peracto missæ sacrificio piè decessisse.

2. Ecclesiæ priscam consuetudinem: quæ eos hactenus Confessoribus, nunquam verò Martyribus accensuit.

3. Nulla verosimiliter concipi potest eo tempore in terris eorum sæuijsse persecutio.

4. Et quinam illi persecutores, qui Reges tres in regnis proprijs occiderunt?

5. Ætas eorum, 170. annorum Iasparis non videtur idonea martyrio.

6. Quo deinde genere mortis occubuerunt, cuius nullum exstat in corporibus vestigium?

7. Cur fideles lanceas, tela, sanguinem pro more veteri non indiderunt monumento?

8. Cur non inuenta cum eis vt baptizatio S. Thomæ, sic martyrij ratio?

Hæc capita præcipua: videntur huic martyrio repugnare: quæ paucis expediam.

Ad

Ad primam dico lectiones non negare fuisse Martyres: sed nec id affirmare.

Ad secundam: officium & sacrum quod de ipsis legitur conuenit maximam partem cum festo Epiphaniæ, & tam Martyribus, quam Confessoribus potest applicari: cauendnm tamen videtur, dum res dubia pendet, ne nominibus eorum vox Confessorum præfigatur. Quamuis cum certum sit, eos titulum Protomartyrum non mereri, alibi primi Confessores Christi non malè nominentur, sed neque nouum est in Ecclesia mutari quandoque totum officium & lectiones: vt cum antea de Confessore diceretur: veritate perspecta martyrij de eo celebretur. Fecit hoc Patrum memoria Hispania: quæ cum ritu Confessorum festa 7. discipulorum S. Iacobi coluisset, inuento Dextro, tabulisque Granatensibus cœpit deinceps eosdem vt martyres venerari: verba Biuarij ad annum 57. hæc sunt: *Olim sub titulo & officio Confessorum Pontificum celebrabantur: quandoquidem neque in martyrologio Romano, neque in Vsuardi aut Adonis, seu Bedæ, neque apud D. Isidorum aut Esquilinum quidquam de eorundem martyrio legebamus: postquam verò sacræ nostrorum Apostolorum reliquiæ apud montem Granatensem inuentæ, & summi Pontificis autoritate recognitæ sunt, tota deinceps Hispania velut Martyres veneratur ac celebrat.* officia Confessorũ mutantur quandoq; in officia Martyrum.

Ad tertiam & quartam: persecutio Neroniana, quæ biennio ante, vt multi volunt S.S. Petrum & Paulum sustulerat Romæ, vigebat etiam sublato Nerone per varias orbis regiones edicto nondum antiquato. Quocirca si Romanis ea sit cædes tribuenda, in prima Neroniana persecutione dicendi sunt occubuisse: sed verosimilius putem ab idololatris propriorum regnorum fuisse interemtos: sicut S. Thom. à Brachmana fuit lancinatus. Nec id nouũ subditos in Reges, & Fratres quidẽ ac sanguine iunctos armari religionis causa: Æthiopia conuersa 30. ab hinc annis calet adhuc fraterno & propinquo sanguine: sic S. Barbaram virg. parens idololatra crudeliter interemit.

Ad 5. Resp. non deesse Martyres centum decem, viginti & 30. annorum de S. Eusignio ad 5. Aug. fasti Romani sic loquuntur. *Antiochiæ S. Eusignij militis, qui an. 110. agens cũ Constantini M. fidem, sub quo militauerat, Iuliano Apost. exprobraret, eumque vt patriæ pietatis desertorem redargueret, ab eodem iussus est capite cædi.* longæui martyres. *Eusignius* 110. *annorum.*

De Simeone Cleophæ hæc habet 18. Febr. *Hic Hierosolymorũ Episcopus, post Iacobũ Fratrem Domini ordinatus, in persecutione Traiani multis supplicijs affectus martyrio consummatus est, omnibus, qui aderant, & iudice ipso mirantibus, vt 120. annorũ senex crucis supplicium fortiter, constanterque pertulisset.* Præterea S. Timotheus Pudentis senatoris filius à nonnullis 130. an. fuisse dicitur an. Christi 166. quo teste Baronio martyrium fecit: fuerat is SS. Petri & Pauli discipulus 30. circiter natus annos cum Romæ ob fidem Christi fuso sanguine triumpharent: post eos verò centum ferè superstes mansit annis. Sed aptè respondet huic tationi Inchofer. *Nec obstat impares futuros fuisse ad tolerandum martyrium: nam vt an. Christi 40. obierint, mirum non erit, vel etiam natu maximum exijs centenarium constanter tulisse tormenta: si intueamur exemplum Simonis Cleophæ 20. an. maioris, & aliorum ætate grandiorum, qui varijs & exquisitis suppliciorum generibus nunquam in imbecilli corpore animo fracti occubuerunt. Nec si Flauius Dexter ad an. Christi 70. horum martyriũ designet, continuo iure dubitabit quispiam longè martyrio inferiorem fuisse ætatẽ tricenariã supra centenariam: quam corporeæ caducitati par esse queat.* Sed de longæuis istis Martyribus attexam infra plura, cum S. Franciscæ oraculum excussero. Simon Cleophas 120. *Timoth.* 130. *Baron. ad dictum annum.*

Ad sextam Respondet idẽ: *Genus martyrij nemo expressit, coniectura ex more gentis idolatræ sumi potest: desæuisse potissimum lancea, vel gladio, quo etiam Thomam Apostolum à sacerdote idolorum interemtum fuisse fama est. Idem ferè tempus quod Thomæ certamen, & horum exitum excepit.* genus martyrii Regũ.

Ad septimam: cum plerumque hostes educta è Martyris corpore lancea, vel gladio secumq; sumto discedant: in paucis admodum Martyribus instrumenta necis inueniuntur. Adde quod in triplici vel quadruplici translatione deperdi facile potuerint. instrumenta necis perierunt.

Ad octauam: Neubrigensis narrat, in tumulo Mediolani repertum esse documentum, quod adorato saluatore puero in regionem suam reuersi, etiam post passionis triumphum superstites fuerint, & percepta ab Apostolis prædicantibus Baptismi gratia ad ipsum, quem in cunabulis olim honorauerant, migrauerint. Fueritne factũ id naturali vel violenta morte tacet Neubrigensis. Crediderim documentum sepulcrale

crale martyrij feciſſe mentionem: vnde enim Albertus M. niſi Coloniæ: & ex hac ipſa hauſiſſet inſcriptione, quod Epiſcopi Martyres exſtiterint: quomodo enim Coloniæ primus id auſus eſſet publicare ſine teſte, ratione, autoritate, quomodo titulus ille à 130. typis Quentileanis præcuſus eſſet libro: *Hiſtoria glorioſiſſimorum Martyrum trium Regum*, niſi Coloniæ ſatis de martyrio conſtitiſſet? vt omittam in Oriente & Ægypto iam olim fuiſſe fama & libris Arabicis martyrium SS. Regum conteſtatum. Cur igitur horarijs lectionibus eius nulla inſerta mentio? prudenter ſanè: cum enim Europæis res noua videretur: in medio reliquerunt: nihil de naturali vel violenta morte definiendo.

CAPVT XXXVI.

An, vbi, & quando fuerit eorum feſtum vna die celebratum, & epitaphium eorundem.

MIratur quidam Eccleſiam tam illuſtre fidei teſtimonium ſingulari celebritate immemoratum reliquiſſe, tantoſque viros dubio procul (ſi Martyres fuiſſent) ſicut in Gentibus progenitores agnouit, ita facile Protomartyres, cui reſpondeo: non mirum eſſe celeberrimam corporis Domini feſtiuitatem item, S. Ioſephi, Ioachimi & Annæ ſerius inſtitutas: placet enim diuinæ prouidentiæ militantem Eccleſiam, quæ rectè creſcenti Lunæ comparatur, paulatim in fidei proponendis articulis, decidendis quibuſdam opinionibus, feſtis & cultu religioſo introducendo perfici & adoleſcere ac certos quoſdam cœlites poſterioribus reſeruare temporibus: vbi & quando per eorum ſuffragia deſtinat diuina mortalibus beneficia: vt multi confidant aliquando fore, cum teſtatius plurium autoritate ſcriptorum eorum martyrium erit, vt ſi non Protomartyrum titulo (quē iure ſibi è Iudæis S. Stephanus è Gentibus alij vindicant) ſaltem Archimartyrum die eodem Apoſtolicæ ſedis inſtitutò honorentur.

cur quædā feſta ſolēnia ſerius ſint inſtituta.

Enimuero ſtatim ab ipſo ſepulturæ die cultos eos in locis, vbi conditi fuerunt quam religioſiſſimè perſuadent horariæ lectiones his verbis. *Poſt obitum verò venerabiles ſancti Magi à cunctis Orientalibus honore magno ſunt habiti: & non ſicut mortui: ſed vt dormientes in tumba iacebant regio diademate decorati. Locus autem ſepulturæ eorum in tanta veneratione habebatur ab omnibus, vt nullus infidelis, Iudæus, ſeu cultor idolorum, ſeu etiam criminoſus, vel aliquis pompa ſeculari præditus illuc ingredi eſſet auſus: vniuerſi verò cum fide & deuotionis inſtantia adeorum memoriam accedentes, ex mira boni odoris fragrantia læti ſalui fiunt & ſoſpites.*

feſtum SS. Regum cœpit ſtatim ab obitu eorum.

Vbi cum memoriam nominat, aram vel templum ſignificat eorum honori conſecratam: notatque receptam iam naſcentis Eccleſiæ conſuetudinem, qua Martyribus ſtatim poſt mortem altare, cui exuuiæ Martyris imponebantur, vel Eccleſia ab ipſis nomen ſortita conſtruebatur: id confeſſoribus & morte naturali defunctis (ſi Deiparam excepcris) non niſi aliquanto poſt fuit datum: inde cum eam memoriam dicat ſtatim poſt funerationem accolarum religione frequentatam, martyrium eorū tacitè ſignificat: nam olim memoria vel martyrium pro eodem accipiebantur: enarratis deinde prodigijs ibi perpetrari ſolitis, ad diem ſolennitatis eorum quotannis obeundum fideles ſic cohortatur. *Deſiderent ergo omnes Chriſticolæ ſanctos Magos fidei ſuæ primitias diuinis ſeruitijs honorare, & diem ſolennitatis ipſorum tertio idus Ianuarij ſolenniter obſeruare.*

memoria Regum.

Vndecimo die Ianu. feſtum. *Antonius Liber.*

De eodem die ſic ſcribit Antonius Liber Suſatenſis, & hiſtoria Francofurtenſis: *Fideles poſtmodum Orientis religione diuina creſcente, diem illum videlicet vndecimum initiantis Ianuarij, quo monimento ſancti Magi diuinitus ſunt coniuncti, ſtatuerunt annis ſingulis ad laudem Dei in eorum memoriam à cunctis ſolenniter celebrari, & hoc in poſterum, inuiolabiliter obſeruari.*

Additiones Vſuardi.

Conſentiunt additiones ad Faſtos Vſuardi. *Hodie* (11. Ian.) *vel ſecundum aliquorum ſententiam ſequenti, feſtiua agitur memoria trium inſimul Magorum.* Adſtipulatur Caniſius. *Eodem, vel vt alij malunt ſequenti die celebratur in communi anniuerſaria memoria SS. trium Magorum & Regum Gaſparis Melchioris & Balthaſaris: qui Chriſtū inter Gentiles omnes primi agnouerunt, deuote adorarunt & regijs muneribus oblatis honorarunt.*

Caniſij Martyr. 11. Ian.

Galeſinus in notis 7. Ian. ait, *Hoc ipſo die agitur etiam dies natalis trium SS. Magorum: conſentit Bollandus eodem die.* Vtinam ea

me

memoria pridem intermissa renouetur,& sensim orbe toto propagetur : nullis enim post Deiparam & sanctos Apostolos facile fideles è Gentibus conuersi diuis plus obligantur, vt ita peridoneè laudes & præconia eorum congerat Antonius Susatensis. Encomium. SS. Regum

Verè sancti Magi loco insigni à Domino erant glorificandi : qui ex omnibus, & ante omnes primi Christicolæ sunt inuenti: cum enim fides & deuotio hominis sanctos facit: quis vnquam aliquos sanctos digniores audiuit ? isti enim antequam in mundo Christus nasceretur , in Christum credebant , & forma Christi , & similitudinem crucis eius, priusquam Christus pateretur, in stella videbant, & natum Dominum, & Regem gloriæ constanter & fideliter prædicabant. & videntes in humilitate , adorantes mysticis muneribus honorabant. Isti enim omnium Prophetæ Prophetæ.
Gentium , & Iudæorum erant, qui Dominum, antequam viderant, Iudæis & Gentibus prophetabant. Apostoli totius Orientis hi primi fuerunt , qui ante Apostolo- Apostoli.
rum vocationem multos de Christo prædicantes in suo genere docuerunt : Martyres Martyres.
etiam, quia licet persecutoris gladio non sint corpore interfecti, per obsequium tamen, & Christi desiderium fieri meruerunt : qui ante cruentissimum Herodem & Christum persequentem pati pro Christo parati mortem non timuerunt, sed Christi Confessores coram omnibus inuictissimi exstiterunt. Mente & fide virgines sunt probati, Confessores.
quia nulla de causa potuit in illis Christi caritas violari , Christum & mundo natum , regem Pontificem verum cum muneribus visitantes in cunabulis veneratí, sacro Dominicæ natiuitatis & apparitionis tempore Reges & Pontifices in præsentia Regum & Pontificum Confessores Christi primi in Ecclesia Orientis Sacramentis celebratis, cœlestibus refecti alimentis, ab Angelis Christi ex hoc mundo ad æternæ felicitatis gloriam sunt translati. Sic ergo omnibus circumstantijs , & meritis dignissimi & sancti habentur, & in omni loco & gente venerabiles prædicantur. Pro tantis ergo meritis, & virtutum insignibus, à cunctis honorantur fidelibus. Ita Susatensis. Talibus igitur progenitoribus nati filij, ne à genuiuis eorum sanctitatis lineamentis degeneremus,& minus honorificè parentasse eis videamur,appendamus marmori eorum epitaphium, virtutum natiuam effigiem,cui mores& actiones conformemus.

EPITAPHIVM

SANCTORVM TRIVM REGVM,

SEV MAGORVM EVANGELICORVM.

STA VIATOR ET TVOS PARENTES

INSPICE.

PHILOSOPHOS SAPIENTISSIMOS, SACERDOTES RELIGIOSISSIMOS, REGES FELICISSIMOS, MAGOS EVANGELICOS.

Quos

Viginti quatuor Prophetarum oracula promiserunt; Patriarchæ sanctissimi, Pontifices castissimi, Reges glorioſissimi rerum gestarum figuris & natiuis virtutum lineamentis adumbrarunt.

Hi sunt

Principes populorum , primitiæ Gentium, Duces fidelium, Magistri Iudæorum, terror Herodis, confusio synædrij.

Qui

Fide stabiles , spe animosi , caritate feruidi , stellam secuti præuiam , sancto afflati spiritu Christi Iesu seruatoris mundi natiuitatem, regnum & diuinitatem coram Gentibus, Regibus & filijs Israël, in regni Iudææ metropoli Hierosolyma, in ipsa Regis Herodis curia , fremente licet tyranno :
In necem eius coniurante synædrio , perturbata eius omni Gente Iudaica : exteri & soli constanter publicarunt, viriliter propugnarunt , augustè honorarunt.

Ideo

Proto-Euangelistæ Messiæ recens nati fortissimi: primi Confessores Christi Regis inuictissimi, sponsæ filij Dei dilectissimæ fieri meruerunt.

Quem quæsitum

Per tot labores itinerum, pericula hostium, fatigationes corporis, vnicum mentis solatium, votorum summam, cordis gaudium, electum è millibus, totum desiderabilem, in antro vagientem inuenerunt hilares; adorarunt supplices.

Ac

Fidem in eum conceptam orbi mysticis muneribus contestati, Regem auro, Deum thure, passurum & resurrecturum myrrha firmiter corde crediderunt, piè ore confessi, religiosè stratis humi corporibus adorarunt.

Huic vt monarchæ totius vniuersi

Se totos, coniuges, liberos, subiectos populos, regna & sceptra subiecerunt. Vt vectigales Reges in eius fidem & clientelam vltro confugerunt, eidem vt sponso corpus & animam holocausto consecrarunt.

Felices ô nimium Reges!

Vos

Ista fide vestra constantissima, in tanta Iudæorum perfidia; ista profundissima humilitate, in Principum Sacerdotum incredibili arrogantia, libellum repudij veteri synagogæ meruistis,

Eidem ablatum sponsum filium Dei, Gentilitati maritastis.

Sed vobis se primum sponte casti matrimonij sempiterno fœdere copulauit: tum vos triumuiros ex omnibus mortalibus selectos, Legatos, Euangelistas, Apostolos, & Doctores Gentium primos nominauit:

Ecclesiæ Gentilium abiectis Iudæis progenitores, flores, educatores, defensores, propagatores; adeoque veros Patriarchas designauit:

Postea

Sacerdotio initiatos, & regnorum propriorum Episcopos consecratos, vti Natiuitatis antea: sic voluit & resurrectionis esse testes & Apostolos: ac Orientem doctrinæ Christianæ luce collustrare.

Denique

Ætate graues, meritis locupletes, & sacris ad aram rite operati iterum iam auro caritatis igniti, profuso sanguine proprio, cum odore thuris, & omnis pulueris pigmentarij virtutum omnium vos ipsos velut victimas myrrha conditas, sponso fragrantissimas, sed futuræ Resurrectioni seruandas incorruptas immolastis.

Tunc verè Reges, cum morte triumphastis mundum, & purpuras proprio tinctas sanguine induti, cœleste regnum laureati victores adijstis.

Ita

Filijs vestris, quos moriendo genuistis, & orbe toto cunctis in Gentibus disseminastis absolutam virtutis & omnis Christianæ sanctitatis ideam, expressam moribus imitandam reliquistis.

Nunc è cœlis

Respicite clientes, attendite supplices, audite gemitus & preces nostras: vestris nobis suffragijs placate furorem irati Iudicis, commissorum obtinete dolorem, pœnitudinem, veniam; mentem errorum fugatis tenebris cœlesti irradiatam lumine, voluntatem pulsa malitia, diuinis obsequentem nutibus.

Vt hic

Fidei stella duce, comite gratia, totius vitæ mortalis curriculo Christum solum quæramus solicitè, inueniamus feliciter, teneamus firmiter, amplexemur suauiter, nunquam ab eo summo bono nostro in vita, nunquam post mortem separandi in secula Amen.

CA

CAPVT XXXVII.

De loco sepulturæ, & incolis eius, ac Homeritarum fide.

LOCVM sepulturæ Flauius Dexter indicauit subobscurè: *In Arabia felice ciuitate Sessaniæ Adrumentorum Martyrium SS. trium Regum.* *Dexter in Chronico.* Sessaniæ in Arabia necati sunt pro fide.

Fauent ea verba Æthiopiæ: in qua Sissa Adrumentorum ciuitas collocatur: hanc in Africa statuunt scriptores pene omnes: quos collegit in thesauro suo Ortelius. *Adrumetum*, inquit, *Plinio, Adrumittus Ptolomæo, Adryma Straboni, Adrymes Stephano, Adramyttus Thucididi Africæ propriæ vrbs quam Marius Niger Sissa appellat. Hadrumentum cum adspiratione, & u in penultima enunciat Mela.* Facit pro Africa Safanium, siue Sesanium: quod idem nominat Æthiopiæ, sub Ægypto oppidum; audi Inchofer ex eodem Plinio de eo. *Meminit oppidi Sesanij Plinius in Ægypti & Æthiopiæ confinio, laudatque Iubam dicentem accolas Nili à Syene vsque Meroën non esse Æthiopum sed Arabum populos: inter Syenitas verò collocat Aranium, & Sesanium, quæ alij legunt Aramam, & Sesamon.* *Ortelius in thesauro.* Adrumetum situm in Africa. Sesanium ibidem.

Ita posset quis non improbabiliter existimare, eos alibi natos extremis tamen annis pariter in Africa sementem fidei sparsisse, & à Romanis illic rerum potiuntibus Neronianis edictis adhuc sæuientibus pro fide trucidatos.

Mihi tamen non videtur ex Arabia felice: quam disertè Flauius Dexter exprimit, esse facilè discedendum. Præsertim cum permulti velint Reges eodem loci stellam orientem primo vidisse: ibidemque post reditum templum condidisse, in quo pariter fuerunt tumulati: sin autem in Æthiopia sedem ortus stellæ quæreremus, potius ab Austro & Occidente, quam Oriente venissent Hierosolymam.

Sed vbi Adramentorum sedes in Arabia? ego Atramitarum vel Adramitarum legendum esse suspicor: qui veri sunt Arabiæ felicis populi & Sabææ quidem thuriferæ inquilini: testibus Geographis, quos colligit Ortelius. *Atramitæ Arabiæ felicis gens Stephano; Sabæorum pagus est Plinio & Solino: per D in secunda Adramitæ scribit Ptolomæus.* Quocirca cum Gasparis regiam apud Sabæos constituat Adricomius, ibi videtur stella Regibus affulsisse. Atramitæ in Arabia pagus Sabæorum.

Sed cum durum sit à Saba vel Seba Sebanium vel Sesanium deriuare (quod tamen Arabiæ populis præter Flauium Dextrum *Plinius* attribuit) crediderim olim in Arabia, & Sabæa quidem regione, Sesanium oppidum ad Dextri vsque tempora floruisse: indeque ad Africanum Sesanium coloniam Arabum traductam esse, prioris oppidi, quod colonos emisit nomine paulatim obliterato: sæpius enim alijs sub Dominis ciuitatum nomina variantur. Non abs re tamen erit coniecturam Inchofer aduertere. *Porro Ptolomæus inter ciuitates Arabiæ felicis in regione Adramitarum, siue vt Dexter legit Adrumentorum Sessaniam haud numerat: nisi forte ea sit quam ipse Ebisma, vel Abissama vocabulo ciuitatis indigitat: aut certè vna ex reliquis duabus, quæ inter mediterraneas hanc appellationem merentur, Ægistha nimirum, & Cane regionis extrema & quæ emporij prærogatiuam habet.* Enumerat deinde Arabiæ loca, quæ nomen à Magis sortiuntur. *Ex Plinio*, ait, *Magorum exstare sinum, qui à gentis instituto nomen tulit, id ex Ptolomæo quoque firmamentum sufficere videri potest, qui inter insulas Æthiopiæ Ægypti, Magorum insulæ meminit: habetque nescio quid plausibile, si apud eundem appellatio portus Euangeliorum eo deriuetur: quasi ex agnito in terris Deo nato reportati felicis nuncij seruet memoriam.* Hæc pro felice Arabia adducit Melchior Inchofer; sed fateor ingenuè me in hoc Flauij Dextri loco elucidando non vsquequaque mihi satisfacere, facem præferri desidero clariorem. loca Arabiæ a Magis nominata.

Stetit porro Sabæa in gente fides orthodoxa multis seculis: quam posteriores Homeritarum nomine complectuntur. Ipse Ptolomæus & Plinius Arabiæ felicis Fides Catholica floret diu in ea *Plinius lib. 6. c. 28.*

Homeritæ ijdem fortè cum Sabæis. *Theodoretus in 3. Reg. 9. 32.*

felicis populis accensent Homeritas: & hic quidem cum ipsis Sabæis coniungit. Quocirca ij (quorum permulti sunt) qui ex eadem prorsus Arabica Sabæa regione tam reginam Sabam, quàm trium Regum aliquem educunt Homeritis volunt ipsos esse dominatos. De his ita Theodoretus loquitur: *Quænam*, inquit, *est gens Sabæa? Æthiopica* (intellige Indicam, quæ in Arabia est) *hic autem eos dicit sitos esse in mari Indico: nominant autem eos Homeritas: sunt autem è regione Auxumetarum.*

Regina Saba Homeritis imperauit. *Pineda in Salom. Baronius.*

Horum regina fuit admirabilis illa mulier, cuius studium laudauit Christus in Euangelio. Consentit Pineda in Salomonem, & Baronius his verbis: *Ex Iberis ad Homeritas ducatur oratio, penes quos à temporibus Constantij coalescere cœpit Ecclesia: quorum si quis antiquiora tempora repetat, illos ipsos esse reperiet, ex quibus regina Saba progressa est, audire sapientiam Salomonis, & ex ijs etiam sub primordijs nascentis Ecclesiæ venisse eunuchum Candacis reginæ Æthiopum in Iudæam venerari templum: & redijsse effectum iam ipsum Christi templum per sacrum Baptisma.*

collapsa fides restituitur. *Baronius A. 354. Niceph. l. 9. c. 18.*

Collapsa nonnihil his in locis fides fuerat barbarorum incursibus, & Romanorum sæuiente persecutione: quam Constantij tempore reparatam Baronius ex Nicephoro sic refert Theophilo eo delegato: *qui tribus erectis templis & rebus apud Homeritas ampliter dispositis, templisque ibi consecratis, atque etiam pro rerum copia exornatis, in Adiabenen traiecit: ac deinceps in reliquam quoque Indiam transiuit, multaque apud eos, quæ non rite agebantur correxit: porro ex India & Arabia magna ad Auxumitas Æthiopes progressus est.* Hæc Nicephorus de Constantij tempore, quo disertè asserit reperta locis in Arabicis vestigia fidei orthodoxæ: sed errores ab eo correctos esse: ideo subdit Baronius de illis locis.

ab Apostolis conuersi.

Nam Homeritæ iam antea acceperant Euangelium; nec non alij adiacentes Indorum populi prædicatione primo Apostolorum Bartholomæi, Thomæ, ac Matthæi, qui Æthiopibus prædicauit: deinde Panthæni, ac nouissimè Frumentij & Ædesij.

Perstiterunt autem Arabicæ gentes & vicinæ fidei luce à sanctis Regibus collustratæ diu in auita religione: & quingentesimo quidem post Christum natum anno digni talibus progenitoribus posteri, non viri tantum; sed & feminæ puerique balbutientes generosissimè pro fide decertarunt: quorum certamen nobilissimum appendicis loco huic attexam libro: vt appareat tria frumenti grana pro fide mortua fructum centuplicem Martyrum germinasse.

CAPVT XXXVIII.

Certamen nobilißimum Martyrum post A. 500. in Arabia felice apud Sabæos vel Homeritas Regum posteros.

Surius 24. Octobr.

CVm Sabæorum seu Homeritarum Rex Dunaan à fide ad Iudaicam perfidiam apostata desciuisset, & exquisitissimis tormentis Arabes ad eandem pertrahere niteretur, potius dirissimè laniari maluerunt, quam Christum iurarent, donec Eleesbaan Rex sanctissimus tyrannum Dunaan interemit, & iugo crudeli fideles liberauit: rem ex actis Surius ad 24. Octobris & Baronius ad annum 522. referunt, quæ

quinto Iustini imperatoris ano.

mirificè facit ad SS trium Regum commendationem, quod ea gens, quæ fidei lucem præconibus sanctis Regibus prima accepit, tam constanter ad mortem vsque eam propugnarit.

Sabæa regio tunc Homeritis dicta.

Instabat iam quintus annus, ex quo Iustinus acceperat sceptra Romani imperij, quo quidem tempore imperabat Æthiopibus Elesbaan vir, qui propter pietatem, & iustitiam apud omnes maximum nomen fuit consecutus: in ciuitate autem Auxume regiam construxerat. Ditione tenebat Arabiam felicem (quæ olim quidem Saba) nunc autem vocatur Homeritis) Dunaan Hebræus, vir impius, & Christianorum generi inimicissimus, qui etiam omnes, qui erant in sua potestate habebat circumcisos, partim quidem Iudaicam sequentes, partim autem planè Gentiles Soli & Lunæ sacrificantes & dæmonibus, quos etiam more Gentis honorabant fanis & columnis. (Vides quis cultus siderum viguerit in Arabia, cui diximus Reges

Regem habuit Dunaan apostatam & Hebreum. Arabes cultores solis & lunæ.

ante

ante ortum stellæ fuisse mancipatos) post narratam deinde Regis Elesbaan de Dunaan tyanno victoriam huius furorem in Christianos, vrbe Nagram capta sic describit. *Quædam tamen ciuitas frequens populo sita in Homeritide, quæ vocatur Nagran, cum iam longo abhinc tempore venisset ad cognitionem veritatis, & pietatem suscepisset, nempe ex quo Constantius Constantini filius ad Sabæos, qui nunc vocantur Homeritæ, orti vero sunt ex Cethura Abrahæ, misit legatos, & Rege illius Gentis muneribus sibi conciliato, ædificauit hac in ciuitate ecclesias &c. ab eo autem tempore ciuitas Dominum purè colens, & orthodoxa diuinorum Patrum sequens dogmata perseuerabat.* Et hinc infertur: (vt de SS. Regibus dixi) genus eorum ad Cethuram, & Abraham: ac præter Gentiles, Arabia Iudæis abundabat, à quibus manauit tanta de nascituro Messia, & eius stella cognitio. Enumerat deinde varia barbaræ crudelitatis in Christi fideles exempla exercita: *Et cum collegisset omnes Christianos, qui erant in agris, & suburbijs, alios quidem interemit, alios vero ijs, qui erant in eius ditione vendidit in seruitutem: dum autem pararet se ad eos euertendos, vocat extra ciuitatem. Aderant verò quicunque erant insignes opibus & gloria: præ ceteris autem is, qui & canitie, & sapientia, & morum modestia erat præstantissimus, diuinus inquam Arethas: cui ipsi quoque commissum fuerat regimen ciuitatis. Omnes igitur commendabant, extollebant, laudibusque celebrabant & omnem honorem tribuebant ei, qui videbatur esse Seruator & Rex: ille autem sibi culpæ dandum esse tribuens, quod differret cerni malus, non amplius exspectans aperit, quod intus latebat Dunaan. Et iussit protinus omnes custodiri in vinculis, deinde etiam priuauit facultatibus: & rogauit: vbinam esset Paulus eorum Episcopus: cum autem duobus ante annis intellexisset esse mortuum, non habens, in quem iram immitteret, contendit ad puluerem, & iussit sepulcrum effodere, & illius corpus comburentes in aerem ventilare: aliud quoque excogitat furiosa anima, nec eum capit satietas aliquid moliendi aduersus Christianos; sed iubet accendi rogum, qui multa alceretur materia: & statim ciuitatis, & eius, quæ est circumcirca regionis sacerdotes & monachos, & Deo consecratas virgines, quin etiam feminas, quæ vitam degerant monasticam, omnes simul in eum inijci: ij enim, inquit, sunt planè causa aliorum interitus, persuadentes crucifixum colere, tanquam Deum.* Deinde enarratis tam Tyranni blasphemis, & incestis in Christum vocibus, quam generosis virorum Martyrum anhelantium tormenta responsis, feminas pertentat blanditijs & minis à fide abalienare: *vxoribus* ait, *& liberis eorum ante oculos eorum adductis, prouocabat ad Christi negationem, partim quidem minis, partim vero blandis verbis eas aggrediens, nonnunquam omne supplicij genus in eas intentans, liberorumque & parentum & facultatum, & ipsius quoque patriæ eas terrens amissione. Illæ autem dicebant omnibus ô Rex: quæ à te offeruntur, siue ea sint bona, siue aliter se habeant, lubenter hodie renunciantes, quæ à te maledictis incessitur, Christi crucem extollimus, & qui in ipsa nostram procurauit salutem Christum sequimur. Esset enim à ratione alienum & nimis effeminatum, ex nobis quidem alias, quæ cum talibus viris cohabitarant, qui mortem propter Christum elegerunt, alias autem, quæ virginitatem exercent, vt quæ Christo sint desponsæ, non esse animo masculo, & vestram iram plane inconsideratam non nostro sustinere corpore. Rex autem ô feminæ, inquit, possum vos merito magnæ stultitiæ accusare, quod hominis plani & præstigiatoris, & qui violenta morte perijt gratiam eligitis, & voluptatibus præsentibus spem, cuius incertus est exitus, præferre statuistis: quædam autem ex acrioribus matribus, & monachis, non ferentes Christi contumelias, vsæ sunt in Regem verbis asperioribus, eum ipsum, quem maledictis incesserat Christum ad vltionem vocantes: Quod quidem ægrè ferens Hebræus in eas communiter pronunciat sententiam, vt gladio feriantur: licebat ergo mulieres videre trahi crinibus, & sic duci ad supplicium, vel potius ferri promtis & alacribus pedibus & subire mortem propter Christum.* Sed ô pulcrum Deo cœlitibusque spectaculum! mirare certamen puerorum & feminarum, quæ primo morerentur. *Magna vero*, ait, *erat & præclara inter eas contentio: Monachæ enim virgines nequaquam concedebant primas partes ijs, quæ erant iunctæ matrimonio. Recordamini dicentes, quod prius vobis simus propositæ, vt in templorum ingressu, & in Sacramentorum participatione, & in statione, & in sessione, & ideo*

ex Cethura & Abrahamo descenderant.

Dunaan persequitur fideles.

cadauer Episcopi exurit.

Sacerdotes & religiosos viuos comburit.

Feminarum iniecta constantia.

Gladio feriuntur.

Certamen earum & religiosarum quæ primæ morerentur.

& ideo oportet nunc quoque nos ante vos & vestros maritos consequi martyrium Martyrum autem vxores, quæ iam etiam vocabantur matres, nequaquam ferebant in præsentia habere secundas partes: infantes quoque balbutientes, matres præcurrebant: & ipsi quoque carnificem prouocabant ad mortem: sciebant enim quoque alios pueros fuisse Christo propter ipsum sacras oblatas victimas. Sic beatæ illæ mortem præripientes ijs, qui videbant, magnam adferebant lamentationem. Quam tria frumenti grana Regum mortua fecundam, vberem, & lætam messem Martyrum germinarunt: vt totum Sabææ Gentis regnum cum infantibus & imbelli feminarum turba sic arderet martyrij siti, vt amens tyrannus cum stupore exclamaret. *Qualem omnibus ferè hominibus errorem immisit Galilæus! vt qui vel ipsam mortem contemnere persuaserit, & pro illo perdere suas animas & corpora.* Hæc est improbe & blasphemè certa veritas, vitam ponere mortalem, vt accipias immortalem, corpus obijcere pro Christo morti, qui idem inuitam reuocabit numquam deinceps moriturum, ille, ille Galilæus, vt prodromum tuum Iulianum vita in prælio spoliauit, & te per Eleesbaan breui vita exturbabit nolentem, vt gehennæ flammis manciperis. Pergit autor, & feminæ nobilissimæ ac duarum eius filiarum generosam, lætam, & fortissimam mortem cum egregio de tyranno triumpho parto describere. *Interim*, ait, *quædam quoque femina, quæ duas filias habebat, & primas intra eas, quæ in ciuitate erant obtinebat; longeque præstabat alijs genere, diuitijs, gloria & pulchritudine, atque in iuuenili adhuc ætate vidua relicta erat, inspectatur tyrannum: ille autem statim iubet suis ministris, vt eam ad se adducant cum honore & reuerentia, & ei efficiant commodum aditum: Tertio autem die post inussionem cum honore ad Regem adducitur cum filiabus. Illæ vero placidè illam intuens. Fama, inquit, annunciat esse te modestam, ornatam & prudentem: quin etiam ipse vultus & adspectus ferunt ijs, quæ dicuntur testimonium: præterea autem vulgo fertur, te quoque esse genere claram, & abundare diuitijs, & non deesse splendorem: ne ergo quomodo stultæ, quas ego perdidi, sustineas, ipsa quoque Deum dicere cum, qui crucifixus est,* Pergit deinde sacrilegis Christum vocibus lacerare & ei regiam offerre domũ: *Beata autem illa appositè & eruditè respondens, cum enim, inquit, quæ oportebat honorare, & qui tibi dedit potentiam, & hanc purpuram & hoc diadema: imo vero ipsam quoque essentiam, & vitam tanquam Dei Filius & Deus, ingrato animo contemtum audaci lingua iniuria afficias: non times ne fulmen deiectum te comburat & me honorare velis, vestram ego summam duco ignominiam. Cessa gladium in teipsum impellere. Absit autem, vt ego à tali lauder lingua, quæ se armauit contra Deum, neque eo procedam amentiæ, vt verser cum ijs, qui Deo sunt adeo inimici, & in peccatorum habitem tabernaculis:*

infantium sitis marprij. tirouocant carnificem.

stupor tyranni & blasphema vox.

egregium nobilis feminæ cum duabus filiabus martyrium. laudatur à tyranno.

contemnit laudes eius.

Cum Rex hæc audisset, ira corde accensus, adspexit ad eos, qui aderant, & cum dixisset. Quam impudenter in nos egit hæc exsecranda muliercula; iubet eius capiti adferri tegumentum & eius filiarum, & sic eas nudo capite & promissa coma duci in castra per ignominiam. Magna fuit Arabibus feminis ista hæc ignominia, quarum consuetudo fuit, non caput tantum, sed & faciem sic obnubere, vt vni tantum oculorum pateret intuitus: & hoc ne cuiusquam oculos emissitios formæ pulcritudine impuris amoribus vulnerarent, sed audi cetera. *Egrediens ergo generosa mulier, cum vidisset magnam feminarum multitudinem flentem & eiulantem, quod talis nobilitas afficeretur ignomina, illa eas seuerè & magnifice intuens: scio, inquit, ò amicæ: quod propter nos dolorem accipitis, partim quidem fortasse propter naturæ cognationem, partim autem quod indigna ac pudenda videar pati cum filiabus. Sed ne doleatis. Nos enim non ideo negauerimus creatorem cæli & terræ, neque quæ sunt ad tempus æternis prætulerimus: nam mihi quidem à maioribus per successionem pietas & vera religio & à Christo denominari, & eum nosse Deum tradita fuerunt in hereditatem: non mihi autem soli: sed vniuersæ quoque meæ cognationi: propter quem ego complexa continentiam, viduitatem prætuli matrimonio, & ex facultatibus, quas habebam plurimum distribui pauperibus. Ego iam vobis secundo appareo, nam prius in matrimonio sponsi, qui erat ad tempus, nunc verò in nuptijs immortalis, & alieni ab interitu, ad quem festino, & cui immaculatam seruaui continentiam me videtis: filias quoque ipsi studeo desponsare, vt quæ*

despicit dona.

tollitur ei & filiabus capitis velum. mira castitas feminarum Arabum. compescit lacrymas aliarum.

secundo tantum ait se vitam esse capite nudato.

carum

ærum hucusque integram adhuc virginitatem conseruauerim. Hinc mihi plenus est animus voluptate, & bona spe. Rogo vos igitur, vt mihi potius congratulemini, neque tam abiecto animo lamentemini, & mihi transmutetis festum in tristitiam. An potuit glorioſius & lætius ſponſa ad nuptias properare roſis vel diademate coronata, quam hæc Chriſti improperium ferens ad mortem honeſtiſſimam anhelabat? audi nunc ſui oblitam & inſponſi amoribus & amplexibus exſultantem, ac alias præſentes ad eius fidem excitantem. *Porro*, inquit, *vobis quoque consuluerim, vt vos vndique muniatis, & magnam adhibeatis cautionem, ne vobis non aduertentibus auferat fidei thesaurum, qui est callidus suffurandi artifex, & maximum hoc vobis damnum adferat, quod pertingit vsque ad ipsam animam. Iam vero quæcunque hic estis mulieres Gentiles & Hebrææ (multæ enim vt video hic adestis ad spectaculum) vos quoque depositis Gentiles quidem longis fabulis, & nugis & dijs: qui sunt solo nomine Hebrææ, vmbra tandem & figuris & ænigmatibus discite veritatem, & accedentes ad verbum & Deum, qui est vnus Trinitatis, per eius cultum illuminemini, & diuini baptismatis renouationem: neque hic simul pereatis in vestris impietatibus. Cum martyr hæc & alia plura diceret mulieribus; quidam ex ijs, qui cum Rege sentiebant illi hæc renunciarunt, & quod conuerteret multitudinem: Rex itaque ea rursus accersita, simulans mansuetudinem. Magna*, inquit, *vsus sumin te patientia hoc consulto, & non inconsideratè faciens propter benignitatem, vt fracta lacrymis, quæ propter te funduntur, & propter filias nobis parcas. Illa autem: Quis me*, inquit, *o Rex, si tibi paruerim, liberabit ab igne, qui non potest extingui? sic dixit, & cœlum statim intuens: Absit*, inquit, *ô Rex immortalis, vt te negem, qui es solus vnigenitus Dei filius, & credam viro, qui te habuit contemtui, & nos decepit periurio non ferens itaque Hebræus libertatem loquendi generosæ fœminæ, sed deposita scena & ablata fictione, torueque eam & furiosè intuens: audacissima*, inquit, *mulier, ego tibi iam carnes discerpam & lacerabo, & intestina contrectabo, & si quid ex ijs fuerit reliquum, id apponam deuorandum canibus, videbo autem, quisnam te sit è meis manibus erepturus, etiamsi maximè, exspectas fore, vt det tibi auxilium, Nazarenus.* Audi lector generoſum puellæ facinus, & diſce, quid poſſit vis gratiæ, vel in tenellis & puellis, ſi locum repererit: *Tunc igitur exsecrandi tyranni verba non ferens prima filiarum martyris annum iam agens duodecimũ, tyranni oculos consputauit: qui autem circumsistebant, non zetum, & id quod iure fuerat factum laudantes; sed tempori seruientes ipsam & sororem ense mox consciunt. & cum ex defluente sanguine manibus plane feri homines accepissent, cum matri offerunt: rex enim ita iusserat.* Vide nunc Machabæam Salmonam in morte filiarum exſultantem, & de tyranno gloriosè triumphantem. *Illa vero (ô fortem & generosum animum!) & lubenter eum gustat, & cum ad cœlum sustulisset oculos: Tibi, inquit Christe, Domine hoc meum offero sacrificium, & tibi martyres exhibeo castas virgines, quæ egressæ sunt ex vtero meo, cum quibus me quoque connumeratam introduc in tuum thalamum: & vt dicit diuinus Dauid: ostende matrem propter filias lætantem.* Quam Chriſtus magnificum hac in imbelli ætate & ſexu trophæum ſibi erexit victoriæ? en victas dat prima die manus tyrannus mulieribus. *Rex autem*, pergit, *grauissimo ægritudinis animi stimulo sauciatus, vt qui omnem spem planè abiecisset, in eam fert sententiam. Cum hæc dixisset ijs, qui simul aderant. Eius quidem & filiarum mirati sumus pulcritudinem (verum enim fatebor, multo autem magis victus sum ab earum temperantia & moderatione.*

vult sibi congratulari.

Hortatur Gentiles ad fidem. & Iudæas.

Rex iterum tentat eam

contemnit Regem. minæ Regis.

Audacia puellæ duodecennis Regem cõsputantis. occiditur cum sorore.

mater generosa offert læta sanguinem Christo. *ps.* 112.

Rex ipse confitetur se victum.

Nobilis trias feminea, quam dies prima Chriſto victimam innocentem immolauit: nec defuerunt viri fortes, qui Magorum exemplo tyranno Dunaan animoſe reſtiterunt, & Chriſti diuinitatem acerrimè defenderunt. *Sequenti autem die cum in loco excelso Rex conscendisset, vocauit Aretham cum socijs, qui erant numero trecenti & quadraginta. Qui cum adstitissent magnum intuens Aretham cum socijs, qui erat affabilis, & moderatus, & moribus maximam ostendebat virtutem. Cur tanta es*, inquit, *audacia ô caput exsecrandum, vt in nostram quidem insurgas potentiam, toti autem ciuitati & tantæ persuadeas regioni, vt te solum colant tamquam tyrannum, & verbis tuis vtantur, tanquam legibus, nostrarum vero legum & verborum nullam ducant rationem, & nec tuum patrem es imita-*

virorum certamen.

Arethas duce cum 340. viris.

quem increpat Rex.

imitatus, qui ante te imperauit Nagræ, ijs autem, qui nos præcesserunt Regibus fuit obedientissimus; sed nisi mutatus & ad te rediens hanc vanam repudiaris opinionem, non te profunda senectus, nec simulatus hic habitus iuuabunt; sed tu & omnes tui eadem patiemini, quæ viri & fœminæ prius interfecti, quos quantũ inuerit Mariæ & fabri filius omnes sciunt? Senex autem stans cogitabunaus, & apertè ostendens ægrè se ferre superbiam verborum Regis, cum se sustinuisset, & collegisset spiritum, & ex imo suspirasset. Non es, inquit, *ò Rex causa eorum, quæ dicuntur, aut fiunt; sed nostri ciues, qui contemserunt meam sententiam, quæ tibi non permittebat ingredi ciuitatem: contra autem aduersum te depugnare incitabat, & cum tuis tam multis millibus conserere manus: & cum Madianitis olim Gedeon cum paucis Christo, qui nunc à te contemnitur, vires addente & confirmante te expugnare, demetere, & omnino delere virum impium fœdifragum, & immemorem pactorum conuentorum, quibus te ciuitatem & nos seruaturum pollicebaris. Quidam autem ex ijs, qui cum Rege considebant volens ingeniosè verba sancti reprehendere, & tempori valde seruiens: sed non*, inquit, *sic vos docet lex Moysi, contumelia afficere Christum Domini: dicunt enim: principi populi tui non maledices: porro autem ipsa scripta vestra iubent vobis Regem honorare, seu sit bonus seu secus. Cui sanctus. Tu autem*, inquit, *fortasse non audisti, quod ab Achab dictum est Eliæ, cum dixit eum euertere Israël: cui ille sic respondit. Non ego euerto, sed tu & domus patris tui, non vsque ad Achab solum sistens contumeliam; sed eos etiam comprehendens, qui erant in ea domo. Quomodo ergo se quispiam in Deum piè gerens & Regem arguens, quod se iniquè gerat vnquam offenderit ac violauerit legem, qui non est veritus os in cœlum ponere, & creatorem appetere maledictis? sed vt video, eius patientiam & tolerantiam contemnitis, & nos facere similia procuratis, tu autem Rex cum sis natura tam iniustus, & malefacere paratissimus, & nec sanctus in ijs, quæ ad Deum pertinent, nec in homines benignus, putas fore, vt istum lateas oculum, quem nihil latet? atqui Regem oportet esse veracem & benignum, vt verbis attrahat beneuolentiam eorum, qui sunt in sua ditione, rerum autem fine & euentu fidem facere veritatis, & quod se diuinè gerat gloriam habere; quales ego vidi in Iudæa & Æthiopia & ante te in Homeritide, quos vera dicentes, & se benignè habentes in subditos, non vt tu Rex peierantes, sed alijs promissa implentes, quasi vt Deum honorabat populus, & Deus quidem eorum, quæ à te fiunt odio habens improbitatem, te qui in eum fuisti impius. & infidelis, mox deponet ab imperio: idque tradet viro fideli & probo: roborabit & extollet genus Christianorum, magnamque suam efficiet Ecclesiam, quam tu igne consumsisti, & humi deiecisti: ego autem sum beatus, non ob id præsertim, quod in hac vita in bona fui æstimatione; sed quia in profunda senectute: iam enim ago nonagesimum quintum annum* (vt non mireris ibi dem sanctos Reges centenarios etiam occubuisse) *videns filios filiorum & filias filiarum subeo martyrium, & tam magnam & populorum tam frequentem ciuitatem & totam regionis ipsius gentẽ Deo offero, qui etiam mei perpetuam conseruabunt memoriam, summas illi agentes gratias: ad populum autem conuersus & ad commartyres: erat enim non solum visu iucundissimus, sed in concionibus ad populum facundissimus, sic dixit. Viri ciues & amici, & cognati, & quicumque propter consuetudinem & rerum communionem ad nos attinetis, quæ patriæ quidem & nobis ciuibus euenerunt, cum non pridem considerauerimus, neque scrutati fuerimus id, quod erat futurum; sed fallaci homini, qui nos fraude studebat capere credederimus, ipsa nouimus experientia, vt cum ijs, qui foris erant, molestiarum fuerimus participes. Quæ vero in Deum linguam mouens locutus hic superbus ipsi auribus audistis, quod autem ad Christi Dei prouocet negationem, testantur quidem eorum qui præcesserunt plurimæ, & in omne genus cædes, testantur autẽ hæc quoque vincula, quæ pro pietate nobis sunt imposita, & fuisset quidem sapientium non esse timidos, & vitæ nimis cupidos, neque huic callido & improbo veteratori credere, fidem adhibentes iureiurando, quod est potissimum malorum artificium, sed bellum aduersus ipsum suscipere, & Deo pugnam nobiscum capescente vlcisci hunc impium, cum autem res nostræ ad eam adductæ sint necessitatem, vt vel tyranno parentes & nos impiè gerentes vitam agamus miseram, vel non parentes, & pietatem exer-*

mar-

libera Martyris oratio.

Exod. 22.

1. Petri 2.

3. Reg 18.

Regem periurij arguit.

prædicit ei interitum.

Ætas Arethæ 95. annorum.

optat martyrium.

entes beatum finem adipiscamur, studeamus immortalem gloriam consequi per martyrium: nec me existimet aliquis tamquam iam senem & plenum dierum finem cupere, & ideo alios ad mortem excitare, sed consideret vnusquisque vestrum mortem commune esse debitum & iuueni & seni, & esse ineuitabilem corporis dissolutionem; itaque non expectetur finis communis, qui & sua sponte venit, sed studeat quilibet, & sit quam fieri poterit glorioſus atque beatus. Quidnam autem martyrio glorioſius, aut quæstuoſius aut pijs omnibus beatius? ego enim si fieri posset propter Christum mori sæpe & ipse eligerem, & alijs consulerem: neque esset vel maior gloria vel lucrum copioſius, sed cum hoc haberi non possit à natura: quod & inuitis nobis ipsa ex se facit, præripiamus cum gloria, & id tanquam proprium constituentes astutè fallamus necessitatem. Nullus nostrum ô fratres sit adeo vitæ cupidus, & adeo pusilli & abiecti animi, vt pro breui & misera vita perdat æternitatem, & quæ nunquam soluitur beatitudinem. Communi omnium inimico à nobis haud detur pars aliqua, ne cum vnum fuerit suffuratus, glorietur peruersus, tanquam qui omnes cœperit; sed qui est quidem talis, procul sit a choro Martyrum, neque sit falso nominis particeps. Si quis enim te Christe & verbum Dei negauerit, huius vitæ desiderio, ab ipsa excidat, debiscens cum terra deuoret; si quis autem ex mea cognatione aut familiaritate desiderio bonorum præsentium te relicto creatore sequatur, hunc Regem interitui obnoxium, & impium: ne ei detur ô Rex Christe frui ijs, quæ videntur iucunda & delectabilia, & tradatur illis quæ sunt illic tormentis.

& contemtum mortis omnibus necessariæ.

sæpe optat mori pro Christo.

maledicit defecturis.

Animosa senis oratio: viuit & viget in ea spiritus idem omnino, quo afflati sancti Reges cunctis relictis Christum per mille mortes quæsierunt, tam audacter Herodi & Iudæis inuitis diuinitatem pueri regnumque publicarunt, reduces vero facultates suas vel Ecclesiis erigendis impenderunt, vel fideles licet exteros heredes elegerunt, quod de Melchiore fertur, vt omnia sua seque ipsos vni Christo consecrarent: imitatus hos est Arethas, vt iam dicetur, cui socij tam feruidis accensi dictis generosè responderunt: *Esto bono animo: nemo enim te deseret: nam tui, vt vides desiderio omnes vel ante te mori properamus, & præripere hunc beatum finem, & desiderabilem: ille autem ad hæc. Ego vos omnes præcedam, & ero vobis in Deo certus viæ dux, vt vos mihi primas conceditis in omnibus, ita mihi concedite, vt primus ad Christum accedam, verumenimuero hoc vltimum vobis do mandatum, si qui meorum filiorum, aut eorum qui genere ad me attinent relictus fuerit permanens in hoc puro cultu Christianorum, sit heres mearum facultatum, porro autem tres illas ex eis, quæ mihi restant possessiones pulcherrimas, volo tribui Ecclesiæ Catholicæ, quæ est ædificanda, quas etiam iam consecro. Hæc cum dixisset & populo benedixisset. & sit tibi gloria ô Domine propter omnia, subiunxisset, conuersus dicit Regi, laudo te ô Rex, quod vsus sis patientia, & non confuderis, neque interruperis meam orationem, vt mos fuit olim Regibus: quoniam ergo nosti nostrum scopum, & institutum, nempe quod fieri non potest, vt Christi cultu relicto nos tibi assentiamur, fac quod superest, tempus non terens diutius: cum sciret ergo Rex mentem eorum esse immutabilem, nec fieri posse, vt eos ad suam traducat sententiam, iussit eos duci ad quemdam torrentem, qui vocatur Odias, & ipsis illic amputari capita. Ad quem cum venissent, & promto se & alacri animo ad preces conuertissent. Domine, Domine, dixerunt, virtus salutis nostræ obumbrasti super caput nostrum in die belli: Nunc quoque deduc nos in vitam æternam. Quoniam nihil nobis ex omnibus pluris fuit, quam tui dilectio, non patria, non genus, non diuitiæ, sed omnia propter te perdidimus, etiam ipsam vitam & tamquam oues occisionis sumus reputati, & nunc te supplices rogamus, fiat vltio sanguinis seruorum tuorum, qui fuerit effusus, extolle manus tuas super istorum superbiam, suscipe & defende illorum filios, qui pro te moriuntur. Corrobora ciuitatem, quæ gloriatur tuo pretioso sanguine, & cruce, & passionibus: videns quemadmodum eam tui effecerunt inimici, attunderunt eius ornamentum, profanauerunt sanctuarium tuum, templum sanctum tuum exusserunt, quod tibi placeat vt rursus tollatur, & roboretur, dando sceptra Regibus Christianis.* Iugulatis sacris his tribus centurijs & alijs antesignano Aretha: & pro tribus olim granis regijs mortuis centuplici fœnore Martyres terrâ eadem germinante, nouum pugilatum cum Rege femina iuncto sibi quingenni pusio-

responsa generosa sociorum.

primas petit martyrij. testamentum condit.

Ecclesiam iubet ædificari.

oratio Martyrum

capite plectuntur.

pusione auspicatura, nouo se perunxit ceromate tam generosè de tyranno cum illo puero triumphatura, quam vlla postera vidit ætas, vt vnde fidei & Ecclesiæ Gentilitatis sumsit exordium, ac primi Christi Confessores prodierunt: inde Martyrum etiam velut in idea depicta fortitudo, constantia, & in tormentis Christiana parrhisia vel in segniore sexu & ætate tenera toti mundo imitanda proponeretur. Autoris verbis attendamus. *Quædam autem mulier habens puerum prætercurrentem non plus, quam quinque annos natum, cum videret ea, quæ fiebant, & ad similem accensa esset, æmulationem, citissime accurrens, cum ipsa quoque accepisset martyrum sanguinem, se illo vnxit, & filium. Deinde ipsum Regem ludificabatur, cum vocans tyrannum, & quam maxima poterat voce dicens. Erit Hæbreorum Regi sicut Pharöni, illius verò satellites ijs, quæ dicebantur auditis comprehensam statim mulierem ducunt ad ipsum Regem, & maledicta, quibus ipsum acerbè appetebat, renunciant cum magna accensione; ille autem cum nec ei feciſſet dicendi potestatem, nec eam quidem interrogasset, eam condemnat, vt igne moreretur. Statim ergo fuit congregata materia, & ignis ei subiectus, & flamma se in altum sustulit, pice, sulphure & sarmentis nutrita, deinde etiam fuit alligata mulier, & eam lictorum manus complectebantur, vt cum eis fuisset onus portatu facile, sic in mediam flammam recta conijceretur, puer autem, qui solus remanserat, dolebat, indignabatur, ægrè ferebat non secus, ac recens nati pulli, non ferens matris absentiam: porro autem in gyrum vertens oculos, & amicissima lingua matrem requirens, videt Regem sedentem in excelso, & ad ipsum accurrit oculos habens plenos lacrymis, deinde se prouoluit ad pedes eius, pro matre rogans, vt poterat*: Audi nunc Regis & aliorum blanditias: sed pueri diuinam loquentis prudentiam, sitim martyrij incredibilem, vltionem de tyranno sumtam admirabilem, denique contendentem ad ignem animosius, lætius, constantius, quam vllus vnquam mortalium ad delicias, honores, gaudia: *ille autem* (Rex) *eo accepto & genibus imposito*: (*erat enim puer scitus & elegans, & qui vt puer suauiter balbutiebat*) *rogabat cum quo mallet versari, & quem magis diligeret: ille autem matrem dicebat, matrem & eam deflebat assiduè. Propter eam autem veni, & rogo ô Rex eam solui* (quam ob causam solui expetis, vt te delicatè & splendidè educet? mirandum accipite quinquennis pusionis votum, & quam altè teneris inhæreant mentibus, quæ cum lacte suxerunt discite) *vt me quoque*, inquit, *sumat ad martyrium: illa autem me sæpe ad hoc adhortata est: attendens autem Rex ad verba pueri: quid est autem hoc inquit, quod dicis martyrium? ô quæ etiam infantes sapientes reddit tua Domine gratia? pro Christo inquit mori & rursum viuere, sed quis est hic Christus, rursum dicit Rex: puer autem veni huc inquit ad Ecclesiam, & eum tibi ostendam.* Ideone Christe in stella Magis & ipse puer, sed cum cruce volebas apparere. vt quam abundantem in gentilitate vel pueris gratiam ad crucem tecum perferendam tributurus eras, indicares? ideone S. Thomas primam Ecclesiam in Arabia voluit in crucem acto consecrare, vt matres vel pueri balbutientes eius visa sæpius in crucem acti effigie, seipsos eo spectaculo roborarent ad mortem etiam Christi amore sustinendam? quam imaginem auebat puer ille tyranno demonstrare. *Interim*, autem pergit autor, *cum matrem adspexisset, heus dixit: sine, sine me venire ad matrem: video enim trahi eam & male affici à lictoribus, Rex autem cur inquit, huc venisti matre relicta? sed sis hic nobiscum & dabo tibi quoslibet fructus pulcerrimos, hoc ille quidem dixit, tanquam cum simplici puero se loqui existimans: ille verò longè supra ætatem prudentia præditus plane respu ebat: dicebat non hic manebo: matrem desidero: nam arbitratus te esse Christianum veni pro ea rogaturus, cum Iudæum autem inuenerim tecum nec volo quidem versari, neque sustineo omnino à te aliquid accipere: hæc autem solum concede mihi ô Rex, vt ad matrem reuertar. Regem stupore affecit pueri sapientia. Quidam autem ex ijs, qui circumstabant excogitantes aliquid sapientis, censebant vt infans adduceretur ad Reginam, sic teneram ætatem conantes allicere: nam cum Rege quidem consuetudinem existimabant esse puero insolitam vt virilem & asperiorem: quod si audierit Reginam, & mulierem, promto & alacri animo eam secuturum, vt qui apud matrem blandè educaretur, & molliori delectaretur consuetudine: verum rursum pueri intelligentia superauit illorum calli-*

mulier le & quinquennem filium vngit sanguine Martyrum. insultat tyranno. damnatur ad ignem.

puer flens currit ad Regem.

Rex gentibus eum imponit.

stupendum votum pueri. & sapiens eius cum Rege colloquium.

audax puer respon um.

calliditatem; nec eis quidem omnino dabat ad hæc responsum; sed vehementer solum vocauit matrem, & in eam cum animo totos defigebat obtutus; cum eam autem vidisset injici in ignem, vehementius inflammatus visceribus, audet statim puer aliquid fortius. Macte puer, sequere, qui te impellit, sequere spiritus diuini afflatum & impulsum; constanter & fortiter age, & patere: vindica te de Christi & matris tuæ hostibus: præbe posteris documentum, vel pueris cum opus ea præsto esse diuinæ gratiæ subsidia, vt promtiores sint ad subeunda, & quæuis exoptanda cruciamenta, quam tyranni & carnifices, ad ea viris etiam infligenda. *Cum ergo puer stetisset ad genua tyranni Dunaan, inclinans se acriter ipsum Regem momordit in femore: ille autem simulatque sensisset morsum, & fuisset conturbatus: eum repente abjicit, & eum tradit cuidam ex senatu, vt ab illo aleretur maximè Iudaicè, & abiuraret Christianismum: & ille quidem abibat accepto puero, admirans ea, quæ facta fuerant, & simul etiam narrat alijs: interim autem puer ab nesciente cursu contendit ad matrem, & insilijt ad mediam fornacem; matrem vt ei videbatur amplexus, & pulcherrimum bustum se ei tradens, fit cum ipsa heres martyrij.* Nobile profecto trophæum erectum omnipotentiæ diuinæ de tyrannorum immanissimo Dunaan, à senibus, feminis & pueris. ita, *quæ infirma mundi* sunt, *elegit Deus, vt confundat fortia*: felices, qui sibi diffidunt, & naturæ viribus, fortes & potentes in Domino: cur non possint omnia in eo, qui confortat debiles: qui *deponit potentes de sede, & exaltat humiles.* Merito *ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, vt destruas inimicum & vltorem*: cetera persequamur. *Cum hæc sic fierent, patientium Christianorum moti misericordia ij, qui erant circa Regem, & ipse senatus rogabant, vt ceteros relaxaret, & non penitus perderet tam magnam ciuitatem: & populo tam frequentem, quæ tot annis magna pendebat vectigalia. Postquam autem hac in re annuit dura illa anima, & Pharaonitica, crudelemque vicit auaritiam: quid facit? cum huius ciuitatis, & huius regionis iuuenes tam masculos, quam feminas redegisset in seruitutem, quorum erant multa millia, & alios quidem ipse retinuisset, alios autem tradidisset, quibus voluit, reuersus est in regiam, libera ciuitate effecta serua; quæ dedicata erat soli Trinitati: quam ipse Christus redemit proprio sanguine: & quæ ei obtulit tantam Martyrum multitudinem, eorum victorias & certamina prædicans orbi terræ.*

mordet femur tyranni.

vltro inflit in pyram.

amplectitur matrem. 1. *Cor.* 1. *Lucæ.* 1. *psal.* 8.

ciuitas dicata SS. Trinitati.

Narrat deinde portenta, quæ vindicem Dei manum tyranno minitantem nunciarent: & eius conatus, vt Regem Persarum, & Alamandarum Saracenorum Ducem ad exscindendos Christi fideles inflammaret: sed Iustini imperatoris, & Alexandrini Patriarchæ literis excitatus pientissimus Æthiopum Rex Elesbaan, ingentem centum viginti millium contraxit exercitum, terra marique tentat Homeritas. Is suis tamen diffisus copijs aliam è cœlo manum subsidiariam lacrymis à Deo in æde sacra vili tectus amiculo flagitauit: mox à Religioso de victoria diuinitus obtinenda certior factus est, dum hostes miris dolis & fraudibus eidem, vt sequitur insidias moliuntur. *Sed neque negligens fuit Rex Homeritarum; nam ipse quoque & suis, & auxiliaribus copijs collectis, præsidium tenebat in terra & in mari: verum cum ille exercitum, qui erat in terra ab afflictione, & malorum perpessione audiuit perijsse, non amplius timens hostem à continenti: in sola maris versabatur custodia; itaque considerans angustissimum esse fretum, quod est inter Æthiopes, & Homeritas, neque superare latitudinem duorum stadiorum; & alioquin habere saxa multis in locis latentia, cum grauem ferream construxisset catenam, & quæ posset ferre vim ventorum, & vndarum: & eam vtrimque terræ alligasset, ipse Dunaan; vt Elesbaan prohiberet aditum; vbi quidem erant latentes petræ, plumbum circulis catenæ appendens & ferrum faciens requiescere: vbi autem erat profundum colligans cum lignis leuissimis, & subleuans catenam. Deinde etiam validu inducens exercitum, venit in eum locum, in quem exspectabatur esse venturus Rex Æthiopum: ille autem cum vento vsus esset secundo, accessit ad locum speculandum: & præmisit decem naues: quæ cum dolum nescirent, ex improuiso ingressæ sunt angustissimum fretum. Quo in loco etiam Deus fecit miracula: paruæ ostendens esse potentiæ humanam inuentionē, vbi ipse adiuuare, & opem ferre voluerit: Magnus enim quidā fluxus incuruatus, cum velut quendam refluxum feciſſent aquæ, portans vnū ex nauigijs, super catenā: adeo vt videretur nauis esse cuidam rupi innixa. Deinde exorta quædam procella, cum*

Elesbaan Rex Æthiopum Christianus cogit exercitum contra Dunaan. astus tyranni.

catenam per fretum maris ducit.

ea miraculo stāgitur.

mare repente conturbasset, extollit fluctus montibus pares altitudine; & vndarum aliæ quidem amouebant ligna catenæ alligata: aliæ autem tollentes naues in altum, transmiserunt omnes supra catenam: illa autem & à venti vehementia, & à fluctibus, qui in eam irrumpebant destructa, præbuit ceteris nauibus inoffensum aditum aduersus Homeritas: decem igitur prædictæ appulerunt litori, quod aberat ducenta stadia, vbi Rex erat cum exercitu: reliquæ autem naues vento retroactæ nihil potuerunt efficere. Emissis itaque 30. millibus cataphractorum equitum Dunaan impediebat eorum, qui erant in decem nauibus exitum in terram: viginti autem ex dispersis nauibus vbi erat Elesbaan, haud multo post illuc etiam appulerunt. Tertio quoque die reliquæ apparentes naues appulerunt & ipsæ longè inferius. Opinatus autem Dunaan, inter plures esse Regem; maiore accepto exercitu illuc venit: parua relicta custodia, vbi erat reuera Elesbaan. Cum autem tereretur tempus: nec è nauibus educeretur acies, defecerat quidē aqua & cibus eis, qui erant in nauibus: equitibus autē Hebræis sol erat molestus, totoque die vehementer eos impetebat, ceterum equitibus suis Dunaan, magna machinatus est tabernacula: eorumque vmbra depulit æstum. Porro misit etiam quendam cum 20. millibus equitum ex cognatis suis ad explorandam partem illam, in qua erat Elesbaan. Quidam autem ex eunuchis Regis arbitratus eum exire ad se exercendum, acceptis quinque aureis lanceolis, egressus est cum eo. Cum is autem Elesbaan copias inuenisset vigilantes, quarum pars iam egressa è nauibus locum in litore compararat, accepto eunucho, & tribus ex suis, abijt procul ad venationem. Qui autem ex Elesbaan exercitu oppressi fame, equos nocte conscenderant, vt hostes effugerent, qui cum in eos incidissent, alios quidem occiderunt, Regis autem cognatum capientes, & aureas lanceas portantes ad naues redierunt. Has autem cum accepisset Rex pius, statim dedicauit Deo: ipse autem reliquo armato exercitu in breuiores naues egressus est ad hostes, qui erant in litore, & pugna terra marique commissa, Hebræos qui terga dederunt, iure belli omnes occidit: adeo vt ne vnus quidem relictus sit rei gestæ nuncius. Cum autem haberet cognatum Regis, qui eam ostendebat viam, quæ ducit ad ciuitatem Phare, in qua erat regia Dunaan, ad illam adscendit: qua potitus, vt qui custoditam offendisset ciuitatem, capit omnes diuitias, quæ erant in regia; & ipsam quoque Reginam; verum cum captam regiam, & vrbem occupatam, & suos bello captos audisset Dunaam, timens, ne aliqui ex cognatis deficerent, ad Elesbaan, mente eià Deo ablata, cum aurea catena, & illos, & se alligasset, sedebat nullam rerum curam gerens. Qui autem in pluribus nauibus erant Æthiopes, cum nihil audissent de suo Rege Elesbaan, & his quæ gesserant, & laborarent inopia rerum necessariarum, essentque animo dubij & perplexi, conuersi sunt ad Deum supplicandum: & cum magnas quidem naues inter se colligassent, & super oblonga ligna vela deinde vinxissent, & veluti quandam ciuitatem essent in mari fabricati, extrinsecus autem breuiores naues, quæ quoddam murorum imitabantur propugnaculum ordinassent, omnes simul congregati cum lacrymis obtulerunt Deo longam supplicationem; deinde cum sacra gustassent mysteria, & se armassent, descenderunt in naues breuiores: & stantes ex obliquo, ne acciperent aliquod dammum à telis hostium, eas ipsi maiores post se trahentes, impulerunt ad terram: donec appulsa eorum latera fixa fuerunt in litore, adeo, vt naues essent ipsis pro muro. Hostes verò viuentes cum lanceis confringebant latera breuiorum nauium, & magna molestia afficiebant Æthiope. Qui cum lacrymis rursum inuocabant Domini auxilium, ipse autem illos exaudiuit: & statim de cœlo fuit vox exaudita, quæ dicebat: Gabriel, Gabriel, Gabriel. Et quidam ex illis, qui naues impellebant virgam ferens ferream, quæ desuper quidem habebat crucem, inferne autem lanceam, cum enata asset, & vnius equi caudam apprehendisset, in eius latus figit lanceam, adeo vt mox turbatus equus deiecerit hostem: & alij equites timore affecti ceciderint in terram. Confidentes itaque Æthiopes, cum descendissent è nauibus, & manus conseruissent cum hostibus, cosfuderunt, & omnes interfecerunt: & regium ingressi tabernaculum, inuenerunt aurea catena vinctum cum ijs, qui genere ad eum pertinebant Dunaan Regem Hebræorum: cum autem etiam intellexissent suum Regem præstantissimum, & omni ex parte optimum Elesbaan illic occupasse regiam, properè ad eum accesserunt, & omnia, quæ gesta

naues appellunt ad litus.

prima victoria Christia. norum.

cápitur regia.

tyrannus se cum amicis catena aurea col. ligat.

communicantante pugnam fideles.

altetâ victoriâ potiuntur.

erant, exposuern, illeuautem præsidei relicto in ciuitateuaxima abijt celeritate & cum inuenisset Dunaan, aurea illa vinctum catena, illum interfecit, & cognatos, Deum laudans & insultans Christi hostibus, pœnam dantibus audacium suorum facinorum, quæ admiserant in Christum & Christi Crucem: &c. Reuersus vntem Elesbaan in ciuitatem Phare, omnes interemit, qui erant in regia, & cum vellet ecclesiam in ea ædificare, fuit ipse primus opifex ædificij. Significauit autem omnia Pontifici Alexandriæ, & per illum Iustino Imperatori. Patriarcha autem Alexandriæ ordinatum Episcopum misit ad Homeritas, qui cùm illis consecrasset templum, quod fuerat ædificatum, baptizat quidem omnes, qui erant in ciuitatibus, & pagis Homeritarum, in nomine S. Trinitatis &c. ex eis autem ordinat Diaconos, & Presbyteros; & ecclesijs, quæ erant in regione, reddit statum solitum. Diuinissimus autem Rex ille Elesbaan cum eo venit Nagran Martyrum ciuitatem: & cum illic extruxisset ecclesiam, & quinque possessiones regias ei contulisset, & deinde ex Martyris Arethæ possessionibus tres addidisset; vt ille mandauerat in fine martyrij, & collegisset omnes, qui fuerant redacti in seruitutem, & alios dispersos in tempore persecutionis, & Arethæ Martyris filium Ducem Gentis constituisset, & curam gessisset loci, in quo iacebant ibi consummati martyrij reliquiæ, & ius asyli illic constituisset, vadit iterum in regiam: vbi Homeritis Abrahamium quendam virum pium, & Christi nomine gloriantem Regem elegisset, & sanctissimo Episcopo ad 10. millia Christianorum Æthiopum tradidisset, lætus rediit in suam regiam cum præda & spolijs, dans etiam exercitui non paruam portionem pecuniæ. Deo autem agens gratias pro tanta victoria & gratia, volensque se ipsum dignum reddere maioribus, cum diadema quidem regium misisset Hierosolymam, ipse indutus cilicio, & nocte egressus è regia, & ipsa ciuitate, adscendit ad vnum montem ad monasterium virorum, qui exercebantur, & cum se in exigua clausisset domuncula, & voluisset illinc non egredi toto tempore vitæ suæ, regulam suscepit monasticam ex eis, quæ sunt mundi nihil possidens, nisi solam stoream, & poculum ad aquam bibendam, pauco pane & aqua viuens, & oleribus viridibus, si quis offerret, non ad aliud habens aliquid mentem erectam, nisi ad soli Deo vacandum. Denique cum diu sic se exercuisset, sic etiam è vita excedit in Christo Iesu Domino nostro.

capitur & occiditur Dunaan.

Rex Elesbaan manibus ædificat ecclesiam datur Homatriis Episcopus.

Arethæ filius Dux cõstituitur ciuitatis.

Abrahamius fit Rex Homeritatum.

Elesbaan Rex mittit Solymam diadema & fit religiosus.

Fusius hæc retuli, vt posteros SS. Regum non fuisse degeneres appareat, hi enim Homeritæ seu Sabæi ex Abrahamio & Cethura geniti fuerunt, vti ex multis SS. Patribus asserui: ciuitas Nagran Episcopalis ipsa potuit esse sepulcro SS. Regum decorata mutato sæpius nomine. Et ideo forte à tribus illis Regibus SS. Trinitati consecrata: erecto in Crucem suffixo Christo inibi templo: quod puer quinquennis & Rex Elesbaan insinuat. Quamuis autem pridem inde translata essent Constantino polim SS. Regum corpora: fides tamen auita stetit, & tot vna die tam generosas Martyrum centurias obtulit, & postea durauit in Elesbaan successore & Abrahamio Rege Homeritarum fœderatis imperio Romano: qui etiam tumultuantes Hebræorum copias iterum debellauit: vt autor est Procopius. Videas in Elesbaan Rege, Aretha sene, & puero quinquenni admirabilem sapientiam: incredibilem contemtum rerum terrenarum, amorem Christi tenerrimum, qualis in sanctis Regibus olim adumbratus fuit, vt Homeritis & Æthiopia primos videatur habuisse Reges religiosos, Martyres & Episcopos. De alijs SS. Regum posteris Oriente toto disseminatis supra fusè est pertractatum.

Nagran ciuitas Martyrum forte conditorium fuit SS. Regum.

Procopius. l. 1. belli Persici.

TOMI TERTII

LIBER SECVNDVS

DE TRANSLATIONIBVS SS. TRIVM REGVM CONSTANTINOPOLIM MEDIOLANVM ET DEMVM COLONIAM AGRIPPINAM.

CAPVT I.

Corpora ſanctorum Regum primo ex Arabia in varia loca transferuntur.

Aliquo tempore manſerunt tria Regum corpora ſimul ſepulta.

IN eodem Arabiæ loco temploque ſanctos Reges vndecim intra dies deceſſiſſe, & eodem fuiſſe marmore tumulatos diximus: nec inde mota ad S. Helenæ & Conſtantini tempora vſque quieuiſſe nonnulli putant: illis vt difficulter aſſentiam faciunt complures autores, qui licet fateantur, aliquo fuiſſe tempore ibidem ſacra Regum corpora propter prodigia, quæ cultum eorum comitabantur præcipua peregrinorum & accolarum pietate, magnaque confluentis vndique populi frequentia conſeruata; poſtea tamen armis circumſtrepentibus vndique cum hoſtium copijs & præſertim Gentilium depopulationibus ea loca vaſtarentur. (quod Traiano dominante videtur accidiſſe, qui primus Arabiam putatur Romanis ſubieciſſe) tunc inquilini Chriſtiani diuiſis à ſe corporibus, ea dicuntur in diuerſa regna & regiones diſtraxiſſe: atque quod multi probant, in regna propria reuexiſſe.

Eadem poſtea per tria regna diuiduntur.

Diſertè docent id horariæ Lectiones Colonienſes à quadringentis ferè annis. *Poſt multum tamen temporis barbarorum cogente malitia, quæ Chriſti templa deſtruxit, ſanctorum Magorum corpora ex tumba cum mirabili odoris fragrantia adhuc diuina diſpenſatione coniuncta iacebant, à Pontificibus prouinciæ leuantur, & in loculis inſignibus ſingulariter collocantur, & ad ſua regna ſinguli deportantur.* Fuſius idem perſequitur hoc modo hiſtoria Francofurtenſis & Suſatenſis. *Poſt diſceſſum verò ſanctorum Magorum multo temporis ſpatio, prævaluit nimis in eccleſia barbarorum iniquitas, & deſtructis Dei eccleſijs, & templis idolorum reparatis, credentes & fideles arctauit ſola gentilitas. Multi verò poteſtate perfidorum coacti à cultura Domini diſceſſerunt, & idola ſurda, & muta adorantes, & profana eorum ſectantes, Gentibus adhærebant. Pontifices itaque & Dei miniſtri illius prouinciæ ſcelus nefarium audientes, miſerijs condolebant, & infideles prædicationibus, & monitis ſalutaribus, ad Chriſti cultum reuocare ſtudebant. Tandem cum magnus eſſet error in terris, quas ſancti Magi rexerant, & in quibus Chriſti fidem documentis & virtutibus decenter plantauerant, viſum eſt neceſſarium eſſe fideliũ populo, vt ſanctorum corpora inſtanter reuelata de tumulo ad confirmandam plebem Catholicam, & ad comprimendam gentem barbaricam in regna circumiacentia à fidelibus deferrentur, & meritis ipſorum ad Dominum conuerterentur, qui cultores idolorum exſtiterant, & nomen Chriſtianitatis turbauerant. Cogente itaque hac neceſſitate SS. Magi ex tumba leuantur, & in loculis inſignibus ſingulariter collocantur, & ad ſua regna ſinguli honorificè deportantur, factũ eſt autẽ vt multi ex diuerſis regionibus ad reliquias eorũ confluerent, & omnes languidi diuerſis languoribus vexati ſanitatẽ reciperent. Adductis itaq; SS. corporibus, in ſuis terris populi obuiã*

Antoninus Liber ſuſatenſis de Epiphania.

cur tranſlata ſint.

proce-

procedebant, & cum magna laude & exsultatione honorē eis & reuerentiam impendebant. Confundebatur sic peruersa Gentilitas, extollebatur de nouo Christianitas. Nam tanta per Sanctos Dei claruerunt sanctitatis insignia, vt nemo in eorum prouincia curaret adorare sculptilia. Manasse videntur hæc ex documentis repertis in tumulo; quorum Neubrigensis meminit: nec deest fundamentum antiquissimum in vita S. Eustorgij & Agritij coæuorum S. Helenæ: illa vult per sanctam Helenam è diuersis tribus regnis collecta sacra tria corpora: hæc administrum Helenæ collectoremque designat S. Agritium. honor sacris corporibus habitus.

Mombritius in Eustorgio sic de S. Helena scribit. *Quæ siquidem de diuersis terrarum partibus olim à B. Regina Helena genitrice Constantini imperatoris in vnum studiosè collecta sunt, & in eadem arca cum deuotione recondita.* vita S. Eustorgij.

Collectionem hanc per S. Agritium natione Græcum, postea Treuirensem Archiepiscopum factam esse tradit ex Treuirensibus M. SS. eiusq; gestis Middendorpius his verbis: *sanctorum trium Magorum corpora in diuersis locis sepulta in vnum collegit*, (Agritius) *& secum Constantinopolim deportauit: fueruntque in ea vrbe in maximo honore.* Eandem congregationem corporum probauit ante quadringentos annos Ægidius: *Trium* ait, *Magorum corpora in diuersis quidem locis sepulta in vnum locum congregauit.* Horum autoritate lectionum horariarum narratio confirmatur. S. Agritius collegit in vnum dispersa corpora. Aeg. 45. in Henrico 2. Leod. Episcopo.

CAPVT II.

S. Helena Constantinopolim sacra trium Regum corpora defert.

MELCHIOR Inchofer existimat tria sanctorum Regum corpora tempore Alexandri Seueri imperatoris in vnum collecta tunc esse, cum is Persis deuictis S. Thomam Edessam transtulit: *Porro*, inquit, *non inuerosimile sit, quo tempore Alexandro Seuero imperante circa annum Christi supra ducentos trigesimum corpus Apostoli Indiarum translatum est Edessam Syriæ vrbem, horum quoque corpora pietate Christianorum diuersis ex locis collecta fuisse, ac Sesanij simul honorificè condita: dederit hanc occasionem religioni fidelium imperatoris modestia, qui deuicto præsertim Osrhoëno Rege Persarum, de Christi sacris mitiora sensit, eidemque templum dicare constituens Christi imaginem in suo larario repositam coluit: quo etiam tempore Mammæa mater Origenis fama permota, cum ex Ægypto acciuit, & ab eodem, de fide Christi instructa, Martyrum quoque pro ea fide morientium reliquias studiosè venerata est.* Quando collecta sint.

Facit hæc coniectura pro Flauij Dextri loco sepulturæ Regum Sesanensi defendendo: sed Constantinopolim postea delata per Helenam constans est multorum sententia. Nam cum Nicæno concilio iam absoluto contendisset Solymam, vt crucem Saluatoris & clauos inuestigaret, sub annum circiter 326. vt Baronius supputat; non sine prodigijs voti compos effecta, reperit quod tantopere cum filio desiderabat tropæum salutis nostræ Crucis arborem victricem: inuenit & clauos salutiferos, quibus seruator noster in Crucem actus & salus nostra nitebatur. Præconem inuentionis istius S. Ambrosium audiamus: *Beatus*, inquit, *est Constantinus tali matre, quæ imperanti filio diuini muneris quæsiuit auxilium, quo inter prælia quoque tutus adsisteret, & periculum non timeret. Magna femina, quæ multo amplius inuenit, quod imperatori conferret, quam quod ab illo acciperet: anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinauit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ Passionis: aperit itaque humum, decutit puluerem, tria patibula confusa reperit, &c. Auida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis, & quia iam feminam visitauerat Christus in Maria, vt spiritus in Helena visitaret, docuit eam, quod mulier ignorabat, & deduxit in viā, quam mortalis scire non poterat. Quæsiuit clauos, quibus crucifixus est Christus, & inuenit.* Pia sanè mater vt filio suo certum contra hostes pararet præsidium: magnam *S. Ambr. de obitu Theodosij imperatoris.* S. Helena crucem Christi reperit. & clauos.

sanctissimæ crucis partem eidem misit: vt in quo signo tantum viso Gentilis adhuc exercitus profligarat: eiusdem virtute deinceps tam mortales, quam tartareos hostes superaret: & ne maxima quæque patrantem vana titillaret gloria; sed totum Christo in crucem acto tribueret honorem, clauos eidem mirabiliter aptatos misit, vt his describit verbis idem S. Ambrosius. *De vno clauo fieri frenos præcepit, de altero diadema intertexit, vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Visitata est Maria, vt Euam liberaret, visitata est Helena, vt Imperatores redimerentur.* diademati indit clauorum vnum. alterum aptat frenc. *Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemtionis diuinæ gemma conniteret; misit & frenum, vtroque vsus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros Reges. Principium itaque credentium imperatorum sanctum est, quod super frenum; ex illo fides, vt persecutio cessaret, deuotio succederet. Sapiens Helena, quæ crucem in capite Regum leuauit, vt Crux Christi in Regibus adoretur. Non insolentia ista; sed pietas est, cum defertur sacræ redemtioni. Bonus itaque clauus Romani imperij, qui totum regit orbem, ac vestit principum frontem, vt sint prædicatores, qui persecutores esse consuerunt.* documenta vitæ dat cæsaribus. *Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, vt frena dirigeret, nisi vt omnibus imperatoribus sancto dicere spiritu videretur: nolite fieri sicut equus & mulus: sed in freno & camo maxillas illorum constringeret, qui se non agnoscerent: Reges, vt regerent sibi subditos, prona etiam potestas in vitium ferebatur, & more pecudum vaga se libidine polluebat. Ignorabant Deum: restrinxit illos Crux Domini, & reuocauit à lapsu impietatis, leuauit oculos illorum, Christum in cælo quærerent, exuerunt se camo perfidiæ, susceperunt frena deuotionis & fidei, secuti dicentem: Tollite iugum meum super vos; iugum enim meum suaue est & onus meum leue.* Hactenus S. Ambrosius laudat matris piam & solicitam curam, vt filium & posteros Cæsares quoties imperatorio diademate fulgerent memores redderet clauorum & perpessionis dominicæ: scirent se Christo fidei iugo subiectos, eiusdem militiæ succenturiatos, sub crucis labaro facere stipendia: Crucis & clauorum esse prædicatores, quos fronti appensos cunctis offerrent adorandos. Quid ni solicita fuerit æque mater illa pientissima, vt vivum aliquod exemplar primorum Christianorum Regum, & proto-Euangelistarum Crucis & mortis Christi in Magis Euangelicis Constantino filio repræsentaret? horum igitur incorrupta corpora Oriente toto maximis prodigijs nobilitata sategit inuestigare: vt filium suum horum adspectu ad eorum vitæ sanctitatem, fidei propagationem & Crucis amorem imitandum Regibus talibus quasi continuis monitoribus inflammaret: nam quæ per totum ferè terrarum orbem Martyrum sacros eleuatos cineres magnificentissimis templis ornarat, nolebat inglorios hos proto-basilicos Martyres remanere; sed in orbis theatro Constantinopoli ab imperatoribus supplicibus honorari, cum vitæ morumque imitatione.

cur sanctos tres Reges conquisierit S. Helena.

Solymæ cum esset.

Compererat Helena Solymæ cum esset per varias Orientis plagas Alexandrini Patriarchæ subiectas spiritali potestati sparsa sanctorum Regum esse corpora: huius & Agritij sanctissimi studio conquisita, & vnum in locum congregata, marmorea inclusit sandapila, & per mare regio apparatu direxit Constantinopolim ad filium, qui eadem cum gaudio præcipuaque pietate susceptа transtulit in templum Sophiæ, quod postea subsequentium Imperatorum magnificentia sic auctum & exornatum, est, vt omnes Orientis basilicas longè superarit.

gesta etiam eorum perfestigat.

Ipsa videtur Helena eadem tempestate gesta sanctorum Regum tam Patriarchæ Alexandrini, quam S. Agritij opera, mortem etiam ipsorum, & vitæ cum Apostolis ipsis post anastasin Christi transactæ rationem ab inquilinis locorum, vbi conditi fuerant, peruestigasse, eademque documentis autenticis comprobata sarcophago indidisse: quæ Mediolanum postea cum sacris allata corporibus fuerunt: & cum ijsdem anno salutis 1158. reperta sunt, vt præter Neubrigensem Sigonius, Ripamontius, & alij testificantur, è quibus sumtæ dicuntur lectiones horariæ, in quibus etiam accuratè hæc altera translatio sic memoratur. documenta indit loculo.

horariæ lectiones. *Beata Helena mater Constantini imperatoris, cum esset cunctis virtutibus ornata & circa religionem Christianam deuotissima, & maximè in colligendis sanctorum reliquijs eius animus feruebat. Discurrebat per latitudinem Romani imperij ad Orientem & occidentem, & super corpora sanctorum*

sanctorum martyrum, quæ pro Christi nomine tyrannorum mactauit crudelitas, honorabiles exstruxit memorias. Inter cetera autem suæ deuotionis insignia post inuentionem sanctæ crucis, etiam trium Magorum corpora in diuersis quidem locis condita, ab Indorum Primatibus petijt, & impetrauit (Patriarcham intelligit Alexandrinum, Primatem Indiæ, & Arabiæ Archiepiscopos) *Siquidem nardus bonorum operum religiosissimæ reginæ in exstruendis ecclesijs, & cultu diuino ampliando per vniuersas ferè prouincias, & Gentium regiones diffuderat sanctitatis odorem. Ex tunc autem venerabilis regina trium Regum corpora in loculo ditissimo composita, cum alijs Sanctorum reliquijs in vrbem Constantinopolitanam deportauit, vbi cum exsultatione vniuersæ terræ sanctissima Sanctorum pignora in ecclesia Sophiæ venerabiliter sunt collocata.*

Eadem & ijsdem ferè verbis scripsit ante quadringentos ferè annos Ægidius aureæ vallis cœnobita: vitam S. Eustorgij vetustiorem, & alteram S. Agritij laudaui capite superiori de eadem translatione.

Petrus à Palude, è S. Dominici familia Patriarcha Constantinopolitanus sic narrat: *Helena mater Constantini fide recepta, & cruce sancta inuenta, audiens trium Regum corpora circa montem Victorialem quiescere, collegit solennem comitatum, & cum eo magno honore illuc peruenit. Quod audiens Patriarcha Indiæ cum omnibus nobilibus illi obuiam venit, & eam honorificè suscepit, & tandem precibus & muneribus victus sibi ipsorum corpora pro honore dedit, quæ gratanter accipiens, Constantinopolim, quæ est mater Græciæ, perduxit, & ibi in ecclesia Sophiæ honorificè collocauit.* Historia Francofurtensis & Susatensis more suo fusissimè tribuit etiam Helenæ collectionem sacrorum Regum corporum: *Aliquantis verò annis in regnis singulis suis dignè in magnis ecclesijs Sancti sigillatim pro fide confirmanda fidelium seruabantur: & religione diuina vbique remanente signis & miraculis venerabiles, à circumiacentium regionum habitatoribus venerabiliter colebantur. Post annum denique ab incarnatione Domini 334. cùm fides Catholica floreret per vniuersa orbis terrarum confinia, & B. Helena mater Imperatoris Constantini Christianissima Regina cruce Dominica Hierosolymis inuenta multa Sanctorum loca visitans, & regna, peruenit in Orientem, cum turba Christicolarum honesta videre, & desiderans venerari signa fidei Christianæ, & insignia, quæ Deus in monte Victoriali sanctis Magis suæ ostendit clementiæ. Honorata itaque B. matrona crucis Christi similitudine diuinitus demonstrata, transijt ad regna, in quibus sanctorum Magorum corpora erant singulariter conseruata. Oratione igitur ante venerationem ipsorum facta, signa mirabilia deuotissimè venerata à terræ primatibus, Regibus & ceteris ecclesiarum prælatis, ad cultum diuini nominis ampliandum in partibus mundi remotis rogauit, supplicauitque sibi sanctorum Magorum corpora donari, vt nomen Domini vbique posset per eos incessabiliter exaltari. Gratia verò cooperante diuina, Christo dilecta regina, quod petijt, impetrauit. Deuotione ergo, & cum reuerentia maxima Sanctorum corpora sibi donata suscepit beata Helena, de tribus locis iterum in vnum congregata, & pretioso loculo, auro & gemmis ornato pariter collocauit, regio diademate coronata, & cum iubilo & exsultatione ad sedem filij sui Constantini Imperatoris in Constantinopolim ciuitatem nobilissimam transuexit, cum magna populorum frequentia Dei laudibus adunata. Adductas autem à gloriosa imperatrice in Græciam sanctas sanctorum Magorum reliquias Dominus omnipotens multis & innumerabilibus miraculis honorauit: quas in ecclesia imperiali gens Constantinopolitana cum omni diligentia, & honore dignissimo conseruauit.*

Petrus a Palude conc. 1a. de Epiphan.

Anto. Liber Susatensis.

Breuius ita M.S. codex Cappenpergensis ab Erico Præmonstratensi à trecentis annis scriptus refert: *B. Helena Constantini mater discurrebat personaliter per latitudinem Romani imperij ad Orientem & Occidentem, & in diuersis locis sepulta Magorum corpora congregauit, & secum Constantinopolim deportauit.*

Ericus Cappenpergensis

Episcopus Esquilinus eam translationem ipsi Constantino tribuit, licet per matrem factam: *Donec*, inquit, *dispersis Apostolis ad prædicandum, à S. Thoma Apostolo, qui apud Indiam prædicauit, baptizati sunt, qui & in eadem regione quieuerunt, quorum corpora inde translata Constantinus Magnus imperator Constantinopolim fecit deportari.*

Episcopus Esquilinus.

Ex India confirmat Fasciculus temporum. *Fuerunt namque hæc corpora sacrà primo per Helenam Constantini matrem rapta, & de India Constantinopolim perducta.*

Parthiam Crantzius nominat. *De Parthia*, inquit, *dudum venerant Constantinopolim, & inde Mediolanum.*

Idem tenet Ferrarius. *Is corpora sanctorum Magorum Constantinopoli, quo ex Parthia delata erant Mediolanum mirabiliter transtulit.* Et Catalogus Episcoporum Mediolanensium. *Magorum corpora iam pridem à Parthis Constantinopolim adsportata, inde Mediolanum mirabiliter transtulit.*

Esquilinus lib. 4. c. 45. Biuarius ad A. 70. Chronici Dextri.

Esquilinus & ex eo Biuarius Persidem appellat. *Insuper trium Magorum corpora in arca maxima sepulta dudum de Persida Constantinopolim adducta Eustorgio pro munere concessit.*

concilian-tur auto-res.

Quæ sententiarum varietas facilè conciliabitur, si quis dixerit: vnum ex India, reliquos ex Arabia vel Persida, Parthiaue deductos esse, quamuis vt alibi dixi, Persis pro Arabia: & Parthia pro Persida nominetur.

Ripament.

Ripamontius recens Mediolanensium scriptor sic eandem confirmat translationem. *Tres Magos Helena sanctarum rerum indagatrix magno studio conquisitos, aduectosque Byzantium in æde Sophiæ collocarat, nullo miraculorum fine, quibus ei thesauro fides & autoritas adstrueretur.*

Melchior Inchofer Iacobus Genuensis Joannes Frasquetus Ioannes Picardus.

Præter nominatos, autores complures alios laudat Melchior Inchofer his verbis. *Hanc translationem ab Helena religiosissima Regina factam, tradunt inter alios Iacobus Genuensis, Ioannes Frasquetius, & alij apud Ioannem Picardū. Esquilinus & quidam alij Constantino Magno Helenæ filio tribuunt. Plures etiam vetustiores vtrisque: nec dubium cum religione matris. filij consensisse pietatem. Itaque accepta de Magorum sanctitate fama, quam in Persicis, & in Æthiopiæ regnis cultus Christianorum dudum vulgarat, nihil non sategit Helena, quo vel ex diuersissimis orbis partibus vbi vbi gentium essent, studiosissimè eorum corpora conquireret, ac tam pretioso thesauro nouam vrbem à nomine Constantini filij tunc primum appellatā locupletaret: longè sanè augustius, quam aut Persicis columnis, aut Pario muro, aut ornato statuis foro Augustæo. Facta verò voti compos solenni pompa ea aduehi iussit, atque in æde Sophiæ collocari, vbi ingentia indies miracula, & fidem tanti pignoris fecerunt, & omnium circa populorum religionem auxerunt.*

Obiectio. Eusebius in vita Helenæ cur non meminerit.

Mirantur nonnulli translationis huius Constantinopolim factæ nullam ab Eusebio vel S. Helenæ vitæ scriptoribus fieri mentionem.

At satis erat tam gesta S. Agritij Treuirensis (si Middendorpio credimus) quam Eustorgij Mediolanensis archimystarum & coæuorum S. Helenæ (per quos duplex paucos intra annos translatio contigit, Helenæ & Constantini summa voluntate & imperio) rem vt accidit, posteris testatam reliquisse. Satis superque fuit idem in genere tantum in Helenæ Constantinique vita significari, vtrumque conquisitis unique Sanctorum reliquijs Constantinopolim exornasse.

Vita S. Agritij & Annales Treuirenses Brouweri. Beuck in Aquisgrano c. 9.

Quam multas passim per Europam sparsas reliquias fideles venerantur consignatas imagine sigilloque Constantini, vel Helenæ, quas vnde acceperint & quando Constantinopolim adduxerint, nec Eusebius, neque alij Græci, vel Latini tradidere? Agritio Treuiros discessuro S. Helena corpus S. Matthiæ Apostoli ex Iudæa allatum, cultrum quendam Domini, pectinem & peplum Deiparæ donauit, at quis scriptorum unquam in Constantini vel Helenæ gestis de ijs meminit? seruant Aquisgranenses cingulum Seruatoris Christi appenso ei signo & imagine Constantini: quis vnquam eius Constantinopolim allati fecit mentionem? non solent in Augustorum talium fertilissimis historijs scriptores ista minutiora consectari: & sufficit eorum memoriam in ijs locis, vbi diutius quieuerunt, saluam & integram permansisse. Cū enim vix octennio Constantinopoli resederint, quid attinebat eam translationem operosè recensseri à Græcis; qui forte Latinis etiam eam translatorum Regum gloriam inuidebant: vnde parcius solent aliarum Gentium laudes attingere;

CA;

CAPVT III.

Quamdiu manserint Constantinopoli.

VARIANT hic sententiæ: quidam volunt ibi octingentis, alij trecentis annis: alij sex vel septem tantum permansisse. Multos in errorem induxit Ægidius aureæ Vallis religiosus, vel quis alius ei coæuus, qui ad Manuelis vsque tempora scribit Constantinopoli subsstitisse. *Fueruntque, ait, in eadem vrbe vsque ad tempora Manuelis Imperatoris in maximo honore. Eius tempore Eustorgius Constantinopolitanus natione Legatus dicti Manuelis Mediolanum digressus à populo Mediolanensi Episcopus electus fuit, inde Constanopolim regressus Imperatori gratias egit dicens, Domine Pater & Imperator Manuel.* Hanc sententiam assensu magno Germani scriptores per annos quadringentos arripuerunt. varietas sententiarum.

Hinc Cratepolius in catalogo Electorum Colonienſium dicit. *Corpora fortè trium Regum à S. Helena Constantinopolim ex oriente translata fuisse, inde Mediolanum tempore Emmanuelis Græci Imperatoris: cum Eustorgius Græci Imperatoris legatum ageret, Mediolanensis Episcopus esset designatus.* in vitâ Reinoldi.

Sed hunc errorem ita confutat Gretzerus. *Fridericus Imperator tempore Emmanuelis Imperatoris viuebat, sub eius imperio, euersoiam Mediolano in Palæstinam cum ingenti exercitu abijt: quomodo igitur sub Emmanuele demum corpora hæc Mediolanum transuecta sunt, idque curante Eustorgio Mediolanensi, qualis ea ætate nullus erat huius nominis. Nam Mediolanensis Ecclesia duos Eustorgios Episcopos suos celebrat, alterum quem primum nominat, cuius S. Ambrosius contra Auxentium de traditione basilicæ meminit, de quo Martyrologium Romanum die 18. Septemb. alterum tempore Theodorici Gothi Regis Italiæ, de quo Martyrologium Romanum 6. Iunij. Præter istos duos nullum alium Ecclesia Mediolanensis nouit.* confutatur 1. sententia. 12. de Magis c. 13.

Alij tempore S. Ambrosij translatos putant ita Petrum de Palude laudat Morales noster. *Magorum*, inquit, *corpora ab Indiæ Patriarcha gratanter accepit, Constantinopolim detulit, & in Ecclesia Sophiæ honorificè collocauit, deindeque temporibus S. Ambrosij Mediolanum fuerunt adducta.* Confirmat hanc opinationem traditio Bauarorum, qui volunt opera SS. Arsacij & Eustorgij fratrum à S. Ambrosio ad fidem conuersorum factam esse. Et Eckius hom. 5. de Epiph. *Eorum corpora*, ait, *post multos annos Constantinopolim translata sunt: deinde temporibus S. Ambrosij aducta Mediolanum per S. Arsacium.* 2. *Petrus de Palude & Morales lib. 5. tract 4. in c. 2. Matth.* tempore S. Ambrosii. per S. Arsacium.

Alia reperi eiusdē Petri Paludani exemplaria vetustiora, quæ aliter hoc modo narant: *Mortua Helena post tempus Constantinopolis Mauritio Imperatori rebellauit, qui inter cetera Mediolanenses in auxilium recipiens ipsam deuastauit, & trium Regum corpora Mediolanensibus illud petentibus, pro stipendio condonauit, & sic Mediolanum peruenerunt.*

Nonnulli vt Galesinus & Crantzius arbitrantur Mediolani tantum ea corpora sexcentis & septuaginta circiter annis quieuisse, adeoque A. 492. ferè eo delata fuerint tunc, cum S. Eustorgius secundus iuxta quosdam Mediolanensi præsedit Ecclesiæ, Anastasio Imperatore Græcis dominante: quam sententiam tuetur Azor, dum ait: *Vnde S. Eustorgius eo nomine secundus Episcopus Mediolanensis, natione Græcus ab Imperatore Constantiopolitano, cuius fuerat legatus ad Mediolanenses, ea impetrata Mediolanum transtulit, & in templo, siue basilica Eustorgiana adseruata sunt annis* 670. subscribit his Felix Milesius in Alphabeto V. Bruno fol. 16. verba eius in fine libri recitabo. 3. sententia. *Galesin. in not ad martyr.* per Eustorgium secundum translata. *p. 2. lib. 1. c. 11. q. 18.*

Repugnant his narrationibus annales Mediolanenses, & scriptores loci plerique; vitaq; S. Eustor. primi Mediolanensium eius nominis antistitis, quæ sola translationis huius facit mentionem: quam infra vberius confirmabo. confutatur.

Hic tantum errorum istorum fontes aperiam. prima & reliquis improbabilior, quæ ad Emmanuelis tempora refert, confundit secundam Constantinopoli Mediolanum factam cum tertiâ, quâ Mediolano Coloniam corpora sunt transportata: hæc enim Fontes errorum. vnde nomen Emmanuelis irrepserit.

enim posterior incurrit in Emmanuelis Imperatoris Constantinopolitani domina-tum : sub quo anno salutis 1157. reperta, seculis aliquot terrâ condita lucem denuo adspexerunt, vt tunc famam eorum corporum repertorum Italiâ totâ dissipata suspicionem fecerit quibusdam, eo tempore translata primum eo esse. Deinde successit annus 1162. quo Fridericus Imperator per Reinoldum ea diruto Mediolano misit Coloniã, cùm Græcis adhuc idem Manuel imperaret : hunc igitur vastationis Mediolanensis annum multi scriptores Manuelis annis imperij, quam Friderici (quem Mediolanenses vetuerant etiam nominare) consignare maluerunt : inde natum est, vt posteriores Germani & alij quidam Belgæ scriptores, dum legunt in Italis autotibus ab Eustorgio delata Mediolanum ad tempora Manuelis permansisse, vitio factum crediderint, & à tempore legendum existimarint : substituto Friderici nomine, qui ea Mediolano transtulit.

vt de Mauricij. Similis occasio peperit errorem de Mauritij tempore : nam quæ de postremâ narrantur, ea cum secundâ rursum Constantinopolitanâ miscuerunt : Fridericus enim cum rebelle Mediolanum armis præsertim & industriâ Colonienſis Archepiscopi expugnasset, & ei stipendij loco (si dicere fas est, loquuntur tamen ita multi) sacra Regum corpora contulisset : scriptores quidam id Mauricio, cuius extremæ literæ quandam affinitatem habent, odio Friderici tribuerunt : quasi is opera Mediolanensium rebellem Constantinopolim expugnasset, cuius narrationis nullum vspiam apparet vestigium : & in hanc inclinasse sententiam tenacius putem eos, qui mordicus hactenus defenderunt sacra Regum corpora nusquam fuisse Mediolano Coloniam translata.

& S. Arsacij. Denique quod sub Ambrosio res gesta memoretur à nonnullis inde profluxerit : quod vt infra ex annalibus quibusdam Boicis adferetur, cum quidam S. Arsacius episcopus à S. Ambrosio conuersus ad fidem fratrem habuerit Eustorgium, ei putarunt tempore S. Ambrosij translationem adscribendam : sicut alteri Eustorgio secundo, qui sub annum 490. vixit, idem adsignarunt alij. Ita fieri communiter amat, dum fontes non genuinos & natiuos consulimus, sed riuulos temerè consectamur, in coniecturas & errores frequenter incidimus.

verior sententia. Verior igitur, & apud Mediolanenses certa habet assertio : tempore Constantini Magni, cùm vix septem vel octo annos Constantinopoli quieuissent, fuisse S. Eustorgio primo donatos : non occasione belli feliciter gesti (quod in posteriori contigit) sed cùm eidem episcopatus, vt infra dicam, inuito deferretur : summa cum imperatoris voluntate, Siluestro Pontifice Maximo post annum ferè 330. tunc enim Eustorgij precibus exoratus ea sacra pignora dedit Mediolanum abeunti. vt rectè Lucernenses ad perpetuum monimentum, quod expugnato Mediolano, dum Coloniam deportantur, triduo Lucernæ quieuerint, erecto eo ipso loci sacello sanctorum Regum, hæc verba aureis literis eidem præfixerint : *Sacra Orientalium Regum pignora à Constantino Magno Imperatore Eustorgio Mediolanensi muneri data, Mediolano postmodum à Friderico I. Imperatore deleto, eiusdem concessu Colonienſis Archiepiscopus inde Coloniam Agrippinam transtulit, hoc loco tertium diem commorata sunt, &c.* Itaquè paucis videntur annis Constantinopoli quieuisse.

CAPVT. IV.

Constantino Magno comprobante S. Eustorgius legatus Imperatoris eligitur Episcopus Mediolanensis

ENVCLEATIVS vita nobis & electio S. Eustorgij præsulis est expendenda, quò translationis occasio, probabilitas, & eam comitantia ac subsecuta miracula fiant planiora. Fuit igitur huius & successoris Ambrosij gemina præsulatus electio : vterque politicis & ciuilibus imperatorum negotijs expediendis Mediolanum legatus ; vterque decedenti tunc episcopo communi totius populi consensu, clericique suffragio contra voluntatem antistes designatus, ipsis sibi de talibus legatis vel præfectis

fectis gratulantibus Auguſtis,& ratam habentibus cleri populique conſenſionem: niſi quod S. Ambroſius iuri dicendo præfectus,alter tantum putetur legatuseodem amandatus; vel vt Ripamontius Mediolanenſium recens ſcriptor vult ex fama vulgatiore, cum militari gloria floreret,& ab Imperatore fuiſſet Inſubria eius tutelæ demandata, qui ex milite Auguſtæo & anteſignanus Chriſti non corpora,ſed animas accepit ab hoſtibus tartareis protegendas: ſed iuuat ipſius vitam ſtylo rudi qui vetuſtatem & veritatem ſapiat,conſcriptam recitare, ea legationem eius in Inſubriam ſic deſcribit. *Fuit apud Conſtantinopolim vrbem ante tempus B. Ambroſij vir Chriſtianiſſimus nomine Euſtorgius, natione Græcus, patriâ verò Conſtantinopolitanus, nobili genere; ſed moribus nobilior, ſcientiâ quoque inter omnes eruditiſſimus: qui apud Imperatorem Romanorum clarus,ſiquidem & gratus adeo dicebatur,vt inter primos amicos & fideles conſiliarios vnus eſſet,quemque ſecretorum conſiliorum conſcium habebat, huic nimirum ſe & omnia ſua ſummâ fide committebat, eiuſque audito conſilio plurima faciebat. Erat enim vir multæ prudentiæ, conſilio prouidus, judicio iuſtus, commiſſo fidelis, bonitate conſpicuus, vultu iucundus, ſermone facundus, habitu reuerendus, fidei cuſtos & caſtus, & apprimè morum honeſtate clariſſimus. Factum eſt autem Domino diſponente, vt virum hunc Imperator in Italiam ad partes Liguriæ, quæ nunc Lombardia dicitur legatum tranſmitteret: qui Mediolanum ipſius prouinciæ Metropolim directè veniens, à populo Mediolanenſi honorificè, ſicut dignum fuit, ſuſceptus eſt. Ibi verò dum commiſſæ ſibi legationis officium clementer exſequeretur, poſt aliquandiu moratus in tantam deuenit gratiam, & fauorem cleri & populi, vt mortuo tunc ſancto Chriſti viro Prothaſio* (vel Orofio, vt Ripamontio & Galeſino placet, vel Materno, vt Ferrario & alijs videtur) *octauo ciuitatis illius Epiſcopo, non alium niſi ipſum eligerent: conſiderantes viri probitatem eximiam & Dei gratiam, quæ mira refulgebat in eo: nec non Chriſtianiſſimi Domini ſui Imperatoris debitam reuerentiam: hunc igitur virum præ omnibus ſuadente magni conſilij Angelo elegerunt. Audiens hoc Euſtorgius ſtupefactus vehementer, & vltra quàm crederetur admirans, concurrentibus ad eum turbis cleri & populi ſermonem habuit inter cetera dicens. Quid in hoc friſtra conueniſtis amici? quid fideles viri facere voluiſtis? quid hominem popularem pro publicis imperij cauſis huc deſtinatum, ad tam ſpirituale miniſterium: ad tantæ ſanctitatis officium, ad tam ſanctæ dignitatis apicem, ad tanti honoris culmen, ſic inordinatè, & improuidè elegiſtis? quid denique alienum ſeruum, & tanto domini ſui negotio occupatum, circa propria veſtra implicare, & ad opus tam diſſimile ac diuerſum trahere cogitaſtis? non licet vobis, ſi bene noſtis, ad hoc manus veſtras immittere; nec vos decet in tanto negotio ſic errare. Non oportet in hoc improuidè ambulare; nec mihi conuenit, nec vobis expedit, ita eſſe. Reuertimini itaque inidipſum, & electionem inuocato Dimini ſpiritu more debito facientes virum liberum, virum ſanctum, idoneum vobis & dignum eligite: qui vobis in tanto regimine præeſſe valeat & prodeſſe: Ego autem ſuperintendo legationi commiſſæ.* Dignum infulâ tali caput: quo enim clarius in eo dona ſanctitatis, & naturæ refulgebant, hoc de ſe demiſſius ſentiebat: & cum indignum ſe tanto faſtigio iudicaret, tanto ſudabat opere, vt de ſententia clerum & populum dimoueret: quanto nemo vnus ambitioſiſſimus ſolet honoribus inhiare: videtur & rem forte ad ſedis Apoſtolicæ arbitrium reiecciſſe, tali præſertim in cauſâ, & inde manaſſe quorundam opinionem reor, quod à ſancto Silueſtro Pontifice Maximo fuerit ei Mediolanenſis Cathedra commendata: quam ſic refert Ripamontius: *Fama eſt Euſtorgium cum Imperatoris iuſſu Romam iuiſſet, ita probatum fuiſſe ſummo Pontifici Maximo, vt ipſum habuerit aliquando inter familiares* (quod antea potuit accidiſſe, priusquam hæc ei legatio fuit demandata) *deinde populo Mediolanenſi paſtorem daret.*

Fortè enim iam antea notus Pontifici, cum ad ipſum rem omnem retuliſſet: proniorem eius,quàm ſperabat, aduertit voluntatem. Vt vltimum ad aſylum confugere neceſſum fuerint: non licere pontificatum admittere niſi Imperatori coràm legationis expleto munere ſucceſſum rei ſignificaſſet, eiusque exquiſiſſet voluntatem;

Ripamontius l. 2. Eccl. hiſt. Mediol.

Euſtorgius ex milite Epiſcopus.

patria Conſtantinopolitanus.

Conſtantino magno carus.

legatur in Inſubriam.

poſtulatur Epiſcopus Mediolanenſis.

obnititur vehementer.

diſſuadet rationibus.

animi demiſſio viri.

Reijcit rem ad S. Silueſtrum Romanum Pontificem.

deinde ad imperatoris arbitrium.

Mediolanensium precis.

tem : sed populi lacrymas & preces calidissimas audiamus. *Deuotus*, ait autor vitæ, *clerus & populus humiliter instare, & instanter multis cum precibus & lacrymis supplicare cœperunt, ne ipsos talia dicendo confunderet, ne vt illos licet tanto pastore indignos sperneret, nec electionem inspirante domino tam vnanimiter de se factam repelleret : quin potius voluntati diuinæ & electioni sanctæ consentiens, si domino suo Imperatori non displicuerit, acquiesceret : obsecrantes adhuc, vt ad eundem super hoc consulendum redire dignaretur : assumtis sibi legatis, eorum, quos vtique & suis maioribus & honestioribus cum deuotissimâ supplicatione & gratiarum actione ad hoc transmittere disponebat.*

S. Eustorgius Dei voluntatē orationibus exquirit.

Rem interim tam difficilem & periculosam vir sanctus precibus Deo videtur ardenter commendasse, & fortè petitis inducijs cum sancto Siluestro, vt dixi, communicasse literis, cuius mente perspectâ, & Dei permotus impulsu, consentit, vt res integra ad Cæsaris arbitrium reseruaretur. Ita enim subdit. *Vincitur tandem vir Dei Eustorgius, nec iam omnino restitit vir constantissimus : vincitur autem non honoris amore, vel populari fauore; sed illustrante cor eius sancto Spiritu & vim sibi faciente : supplicantibus aliquantum acquiescens, Constantinopolim regreditur cum legatis secum de Mediolano directis.* Exponit deinde Constantino legationis successum, & electionem pontificalem his verbis. *Serenissimè Domine Imperator semper Auguste : quas possum gratias ago tibi, quod me indignum vsque nunc multipliciter honore dignatus, in Italiam ad fidelem ciuitatem tuam legasti : scias omnia, quæ mandasti, per me fideliter explicata; & tributa tua tibi ad integrum esse parata: adhæc non lateat maiestatem suam ibidem me ipsius ciuitatis electum esse Episcopum, non meis meritis, sed tui gratia & Dei honore ad eius clementiæ decus, me vbique indignè multis precibus multisque lacrymis rogato, vt rediremtibique notificarem, quod propter Dei honorem & tuum domine beneuolus & tibi deuotus fecit populus, his etiam legatis mecum ad te cum supplicatione & gratiarum actione transmissis. Esto igitur memor Dei, & iube quid facturus sim. Auditis his clementissimus Imperator, benedixit Dominum, gauisus gaudio magno, talem se misisse legatum, qui reuelante Domino summo sacerdote dignus tanto populo haberetur : & virum Dei Eustorgium alloquens & confortans ait : proficiscere benedicte Domini, & reuertere ad populum Dei, qui te elegit : estoque ibi vir digne præsul : Dominus tecum.*

Constantino exponit electionem.

eam Cæsar approbat.

Hactenus vitæ autor consensum Imperatoris memorat : eadem breuius narrat Ægidius & ex eo Lectiones Colonienses : nisi quod perperam Constantini nomen in Manuelem commutarit.

Ripamontij talis est narratio. *Eustorgius instituto vitæ homo militaris fuit, is ab armis in hunc modum est traductus. Cum Imperator Constantinus per Italiam perque ceteras prouincias potestatis suæ vicarios mitteret, fortè euenit, vt Insubriæ mandaretur Eustorgio, qui manu & consilio multa præclara iam facinora fecisset. Eam ille prouinciam dum sanctè & innocenter, nec minus prouidè & sapienter administrat; increbuit fama de viro, quæ summos & infimos, quasi delapsi de cælo publici parentis exciret : ita factum est, vt cùm Orosio successor quæreretur, omnium vota in eum consentirent; neque potior eo quisquã vnus inueniretur. Ea fama vulgatior est, quàm quæ tradit Eustorgium, cùm Imperatoris iussu Romam iuisset ita probatum fuisse Pontifici Maximo, vt ipsum haberet aliquandiu inter familiares : deinde populo Mediolanensi pastorem daret. Sed vtro tandem initio destinatus eluserit, certè conuenit inter grauissimos autores, eam dignitatem eum recusasse diu more scilicet inclyto cælestium animorum, qui multùm quæsita & petita ceteris mortalibus aspernantur. At postquam oneri succedere prorsus est coactus, ita se fore paratum ostendit, si Constantinus ipse ei mori hororis autor fieret. non enim posse demandatam ab eo præfecturam deserere ipso inconsulto : simul esse ciuilis animi, de nouo instituto vitæ admonere principem suum. Ideo Byzantium profectus & expostâ summi Pontificis destinatione, siue populorum consensu, quid Principi super eâ re placeret rogauit : annuit Princeps &c.*

Ripamont. lib. 2. Eccls. histor Mediol. in Eustorgio.

Ita hac in relatione conspirant veteres & recentiores. Nunc opportunitatem impetrandorum corporum sanctorum Regum inuestigemus.

CA-

CAPVT V.

Imperator rogatu Euſtorgij Epiſcopi donat Mediolanenſibus corpora Sanctorum trium Regum.

NOn potuit Euſtorgius magis beneuolas eſſe nactus aures Conſtantini, & Mediolanenſibus animum amiciorem : quàm cùm ipſorum in Imperatorem ſtudia, propenſamque voluntatem declarâſſet, quâ moti non tributa tantum, & quæ poſtulauerat vltro detuliſſent, ſed & Auguſti meritis hoc tribuiſſent, vt legatum Imperatoris hominem licet militarem, & exterum ſuis prælatum ciuibus ad Pontificatus honorem euexiſſent : ita dum Euſtorgius demiſſè & prudenter facti gloriam à ſe deriuat in Conſtantini præconium, parat ſibi Mediolanenſibuſque propenſam voluntatem ad reliquias, quibus inhiabat auidè impetrandas : qui enim inuitus, nec niſi principis iuſſu deſertâ patriâ tantum onus ſuſcipere volebat, ſolatium aliquod ſecum habere ſanctarum reliquiarum petijt, quibus ea tempeſtate Conſtantinopolis abundabat, quo tam Helena, quàm Conſtantinus vt æmulam faceret ſuam Romæ ciuitatem, & ſanctitate parem; vndique ex Oriente Syria & Palæſtina Sanctorum cineres collectos tranſuexerat.

Opportunitas petendi tres Reges. ob Mediolanenſium merita. & ſuam perſonam.

Ex hoc theſauro ditiſſimo ſibi nonnihil & ſuis ciuibus flagitauit, & impetrauit ampliſſimam, quæ vellet, poteſtatem : vt vita verbis his teſtatur. *Reſpondit autem Euſtorgius: Ecce ego ſeruus tuus: Domini Dei noſtri voluntas & tua fiat. Sed audi quæſo Chriſtianiſſime Domine ſemper Auguſte: Iube de Dei & tuis ſacris, quæ voluero, mecum annuente clementiâ diuinâ deferri; & ad deuotam vrbem Mediolanenſem, & eius ſanctam Eccleſiam ſacris reliquijs honorandam tranſportari: populumque tibi ſubiectum diuinâ mercede remuneres. Ad quem Imperator. Quæ velis,* inquit, *ſume, accipe, ferto: Eſto ſicuti es, & ſi fieri poteſt, melior efficiaris, populum meum ſaluta, & ab hinc eum ab omni tributo abſolue.*

petit reliquias. obtinet omnes quas deſiderat.

Ampla ſanè poteſtas : quis credat auidiſſimum ſacri theſauri pectus pauca & parua delegiſſe, cum vix in omni vitâ ſperare poſſet ſimilem faciendæ rei ſacræ facultatem? vnde quæ maximè deſiderabat ſacra Regum ſiue Magorum corpora, cum multis alijs, reliquijs, & ſanctorum Machabæorum cineribus, ac capitibus, vt infra probabo, delegit, quæ ſummâ Principis voluntate, fremente licet & ingemiſcente Conſtantinopoli ſecum auexit. vt vitæ autor ſcribit. *Confortatus itaque & diſcedens Euſtorgius præelegit arcam marmoream ſanctam & ſacratiſſimam ſanctorum trium Magorum, & Regum corpora continentem accipere, qui tria munera aurum, thus, & myrrham nato in terris Dei filio Chriſto Domino obtulerunt. Quæ ſiquidem de diuerſis terrarum partibus olim à B. Reginâ Helenâ genitrice Conſtantini Imperatoris in vnum ſtudioſè collecta ſunt, & in eâdem arcâ cum deuotione recondita.*

eligit SS. Regum Magorum corpora.

Videas à Deo electi præſulis religioſum animum, pro grege ſibi commiſſo ſolicitum, is dum quærit ſacra, & cœleſtia pignora, ſimul adijciuntur eidem caduca, tributorum, quam nec petierat obtinet immunitatem : ſolet enim ſæpius diuina bonitas cum cultu diuino & religioſo ſanctorum addere rerum etiam temporalium affluentiam, vt in pio propoſito confirmentur, & primum ſciant cæleſtia : deinde terrena etiam, quantum ſaluti conducunt, eſſe poſtulanda.

cœleſtia petentibus adijciuntur terrena.

Vnde merito ciuium Conſtantinopolitanorum dolorem & gemitum exportationi reliquiarum coniungit Ripamontius : qui non ſolas vult SS. Regum; ſed aliorum etiam cœlitum acceptas, vt ijs SS. videantur Machabæi deſignari. *Annuit*, ait, *princeps, & cum nouum Epiſcopum Mediolanum demitteret, ad ſuum paſtorale munus, non modo muneribus eum; ſed etiam Mediolanenſes ipſos in eius gratiam priuilegijs & immunitatibus honeſtarit : periere immunitates & priuilegia, dona fuere multæ Sanctorum reliquiæ, ac nominatim corpora trium Magorum : qui ad viſitanda Chriſti liberatoris incunabula ſecuti ſtellam indicem, ex Perſica quadam regione venerant. Tres Magos Helena ſanctarum rerum indagatrix magno*

Ripamontij narratio.

studio conquisitos aduectosque Byzantium in æde Sophiæ collocarat, nullo miraculorum fine, quibus ei thesauro fides & autoritas adstrueretur, acceptos Eustorgius quanto maximo potuit apparatu Mediolanum auexit, ingemiscente, sicuti fama est, & multum fremente populo Constantinopolitano, quod tamquam ex irreligiosa terra sacræ reliquiæ procul in alias terras adsportarentur, sed ita placitum Cæsari: vt carissimum sibi caput ornaret eo munere, quod plurimum esse omnes intelligerent, quodque maxime testatum amorem faceret.

Gemitus Constantinopolitanorum.

Sed ne res hæc, multorum aliorum dicendorum basis nutare possit: testes eiusdem translationis per Eustorgium factæ plures laudabo, Ægidius aureæ vallis: *Respondit Eustorgius gratias ago Deo & tibi, & rogo clarissime Domine, iube de Dei & tuis sacris, quæ voluero mecum, si Dei clementia annuerit, ad vrbis Mediolanensis Ecclesiam sacris reliquijs honorandam transportare, vt populum tibi subiectum remuneres. Respondit, quæ velis sumito, populum meum saluta, & ab hinc eum omni tributo absolue: lætus itaque discessit, arcam marmoream trium Magorum in naui posuit.*

Ægidius in Leod. Episc.

Eadem fere habent veteres Lectiones Colonienses: *tunc venerandus vir (S. Eustorgius) pro spirituali remuneratione petijt sibi, & Ecclesiæ suæ Mediolanensi donari sanctorum Magorum corpora, & vt ad vrbem, & ad sedem suam ea secum transferre permitteret. Respondit imperator, quæ velis accipe: populum meum saluta, & ab omni tributo absolue. lætus itaque Eustorgius valedicto principe, discessit, profectusque cum multo labore, arcam marmoream cum corporibus trium Regum, qui Christo munera aurum, thus, & myrrham obtulere cum multis vigilijs veniens Dei ope & misericordia ad vrbem Mediolanensem cunctis applaudentibus detulit.*

Lectiones Colonienses.

Petrus Episcopus Esquilinus adstipulatur: *Eustorgius*, ait, *Episcopus natione Græcus ab imperatore Constantinopolitano legatus ad Mediolanenses missus est. Qui tam gratus exstitit ciuibus, vt ipso inde redeunte, cum sedes vacaret ipsum Archiepiscopum eligerent; sed ille inconsulto principe electioni noluit consentire; sicque Constantinopolim rediit, vt imperatori, quod factum fuerat nunciaret: Imperator verò gratissimum habuit; eum consecrandum Mediolanum remisit, insuper trium Magorum corpora in arca maxima sepulta, dudum de Perside Constantinopolim adducta, Eustorgio pro munere concessit, quæ sanctus in naui vsque ad portum detulit.*

lib. 4. Catalogi c. 95.

Ferrarius: *Eustorgius primus huius nominis natione Græcus, nec obscuro loco natus, sapientia & religione clarus S. Materno in Episcopatu successit Siluestro primo Pontifice, & Constantino magno imperatore. Is inter cetera, quibus Ecclesiam Mediolanensem illustrauit, corpora sanctorum trium Magorum Constantinopoli, quo ex Parthia delata fuerunt Mediolanum mirabiliter transtulit, & in sacra æde illis dicata, quæ postea nomen ab eo accepit, condigno honore collocauit.*

in catal. SS. Italiæ. 28. Septembris.

Testatur idem Claudius Roberti in Eustorgio primo, *is*, ait, *sanctorum Regum, seu Magorum corpora Byzantio Mediolanum aduexit.*

in Gallia Christiana in Med. Archiepiscopis.

Ipsa etiam series Archiepiscoporum Mediolanensium ex decreto Concilij Prouincialis, & in actis Caroli Borromæi edita sic refert post Orosium. S. *Eustorgius primus Græcus in Materni locum Archiepiscopus creatus, cum alijs ad pietatem insignibus monimentis, Ecclesiam Mediolanensem decorauit, tum sanctorum Magorum corpora, iam pridem è Parthis Constantinopolim adsportata inde Mediolanum mirabiliter transtulit: sedit annos* 19. *Siluestro Pontifice.* Sunt Mediolanensium scriptorum nonnulli, qui cum Donato Boscio putant è Perside vel oriente non Constantinopolim, sed Mediolanum ab Eustorgio statim deportata, cuius rei nullum exstat fundamentum; eorum Inchofer meminit, & ominosum vult Constantinopolitanæ ciuitati, fuisse tam sacris pignoribus spoliari, id tamen ipsa etiam viuente & annuente Helena contigisse.

p. Inchofer. c. 37.

Non diu tamen ea felicitate potiti sunt, ita disponente Deo, ne paulo post inualescentibus Arianis, ac templum profanantibus adessent eorum pignora, qui primi Gentibus veriora de filio Dei prædicarant. Quare ad huc viuente Helena vltroque assentiente, ne qua pars orbis vacua eius religione esset, transmissa sunt ex oriente in occidentem, ac Mediolanum delata, non solum ornamento, verum etiam munimento futura ei vrbi, quæ primam dignitate principum sese inter vrbes Europæ

dein

deinde etiam religione extulerat: proinde non ex Perside Mediolanum translata sunt initio, quod cum nonnullis existimauit Donatus Boscius, sed (inde fortasse) primum Constantinopolim, hinc verò postea Mediolanum concesserunt. Id hac ratione 2. inliberen. Mediol. ad A. 1162. *prouenisse produnt. Cum forte Constantino Augustus Eustorgium sibi fidum ad Mediolanenses præfecturæ causa ablegasset: viri virtus probata effecit, vt à populo in Episcopum rogaretur: verum is imperatore inconsulto nequaquam assentiendum ratus Byzantium reuersus, nec annuentem solum offendit principem, sed etiam ea de causa gaudentem plurimum & gratulantem, quod talem destinasset præfectum, qui Ecclesiæ dignè præesse posse iudicaretur. Itaque Eustorgium multis donis, ac præcipue Sanctorum reliquijs, inter quas erant trium Regum sacra corpora honoratum, lætum dimittit, merito ingemiscente ac fremente populo Constantinopolitano, qui id rei ad omen vertit. Et ferunt ab eo tempore sensim sine sensu decreuisse res Constantinopolitanas, ad eumque statum deuenisse, qui postea per ætates consequentium orientis Imperatorum inconstantiam manifestè prodidit. Hoc genus exempla plurima nos in notationibus historicis expendimus præclaro documento, quam caras vrbibus ac populis oporteat esse, cum veneratione Sanctorum reliquias. Hoc tanto munere ornatus Eustorgius, non dubium est, quin Mediolanensibus gratissimus extiterit, insigni apparatu sacra dona excipientibus, & in æde quam post Eustorgianam dixerunt honorifice condentibus. Fuit, autem Eustorgius hic primus hac appellatione: sed decimus à Barnaba Mediolanensium Episcopus, diui Materni, vel vt quibusdam placet, diui Prothasij successor. Quidam secundum id nominis falso existimarunt: hic enim longè post Constantini tempora regnante in Italia Theodorico vixit.* Extremis libri huius capitibus supra 30. testes alij referentur. Illud non caret difficultate, quod in templo Sophiæ dicantur sacra Regum corpora Constantinopoli quieuisse, cum id à Procopio & Socrate putetur primum à Constantio ædificatum, & mirum videri potest, tam pium Cæsarem cum tot alijs Martyribus Ecclesias excitarit, nullam sanctis istis Ecclesiæ progenitoribus construxisse, si corpora eorum vnquam possedisset.

ominosum ciuitatibus exportare reliquias.

deorigine templi Sophiæ. *Procopius lib. de Constan. Socrates lib. 4. bipartit.*

Baronius ad A. 333.

Ego Pacis seu Irenæ templum idem existimo, quod Sophiæ: nec aliter sentire videtur Socrates, & ex eo Baronius dum ait: *quod pertinet ad Ecclesias ab eodem Constantino erectas Constantinopoli autor est Eusebius, ipsum primum omnium aggressum esse templa, quæ illic erigenda erant, meminit de duobus tantum Socrates, nempe de Ecclesia Apostolorum, & altera Pacis,* dicta, *quæ & alio nomine sapientia dicta reperitur.* Fuerit illud sanè pacis ideo nominatum, quod idololatria per orbem euersa & tyrannide persecutorum infidelium sublata, pacem Ecclesia tandem inuenisset, eadem tum sapientiæ corporatæ (cui in pace factus est locus) vel tunc etiam: vel à Constantio cum auctior & magnificentior esset reddita, consecrata fuit, vt inter orbis miracula potuerit numerari. Itaque hoc sapientiæ seu Sophiæ nomine, quo Christi mysteria vniuersa simul Græci complectebantur, etiam Christus à Magis adoratus colebatur, qui tunc pacem Deum inter & homines; Gentiles, inter & Iudæos conciliauit, & de idololatria cœpit triumphare. Sic cum postea SS. Andreæ, Lucæ & Timothei corpora Constantinopolim aduexisset, non ea in templis ab ipsis nominatis; sed in Apostolorum Ecclesiam, quam æmulam Romanæ construxit, in fine vitæ piè collocauit, vbi deinceps Græcorum imperatorum conditorium fuit, non quidem in templi naui; sed in atrio, de quo Chrysostomus. *Et Constantinopoli Reges nostri magnam gratiam putant, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliuntur; fiantque piscatorum ostiarij Reges.* Exstat de hac translatione carmen S. Paulini.

cur idem templum Pacis & Sophiæ dictum.

in Sophiæ templo christus à magis adoratus colebatur.

S. *Chrysostomus tom. 5. aduersus Gentiles quod Christus sit Deus.*

CAPVT VI.

Miracula quæ in hac translatione contigerunt.

Naui deuehuntur reliquiæ. *Ægid. c. 45.*

NAvi deuecta per mare certum est fuisse sacra pignora: carmen de eo recitat hoc Ægidius. *Per mare Sanctorum prece ducitur arca Magorum,* qui terra videtur innuere profectum S. Eustorgium, cum ait, *Lætus itaque discessit, arcam marmoream cum corporibus trium Magorum in naui posuit, profectusque cum multis vigilijs Mediolanum ad ripam fluminis venit, vbi Dei ope & misericordia arcam reperit, & in vrbem intulit.* Indicare videtur cœlesti quadam vi nauem talium sacrorum corporum vectricem sine periculo saluam appulisse. Supererat spatium aliquod ad vrbem vsque, currum expediunt, & quia prægrandis erat marmoreus sarcophagus, multa simul iuga boum applicuerunt: quæ dum nequirent quidquam promouere, & vir sanctus Deum precibus consuluisset, intellexit, par tantum iuuencarum pauperculæ mulieris adhibendum, quæ nullo negotio currum cum sacris exuuijs deuexerunt. sed cum in progressu iuuencarum altera, siue casu aliquo succumberet oneri; siue quod nonnulli volunt à lupo ferociter inuasa concidisset, is vocatu sancti Eustorgij iussus est oneri succedere, & iugum cum altera trahere. stupentibus omnibus diuinam vim in bellua, quam mansuetam & cicurem, effusa ad spectaculum ciuitas cum miraretur, NeoEpiscopi sanctitatem suspicere cœpit, & sanctarum reliquiarum cœlestem virtutem; sibique tam de sacris pignoribus, quam Eustorgio præsule gratulari, cuius in vrbem ingressus tam auspicatus esset, & cœlestibus prodigijs decoratus. Ad memoriam miraculi conseruandam vicus vaccæ nomen obtinuit, & rei gestæ series insculpta columnæ, perennat in æde S. Eustorgij, cuius oculatus testis Ripamontius ita refert, cum vestigijs & monimentis prodigij.

1. miraculum.

2. miraculum lupus trahit currum.

vestigia certa miraculi. *lib. 4. c. 45.*

In quibusdam annalibus reperio cum ea tunc Magorum corpora Mediolanum adueherentur, haud procul ab vrbe quendam mirabilem casum incidisse, de quo referam sicut accepi: cum vnus è bobus, qui trahebant arcam labori forte succubuisset; nec reliquæ deinde belluæ sufficerent oneri, subito pererrans arua lupus obtulit sese, eumque ministri cicurem & quasi volentem adiunxere iugo, atque ita peregrinum illud animal effusæ ad videndum ciuitati noui spectaculum obsequij præbuit: incredibilis dictu res, vel fortassis etiam huiusmodi, quam seueri homines haud satis historia dignam putent: sed ego non adferrem, nisi accessissem ad columnam, quæ in ipsa sancti Eustorgij basilica, totius euenti sculptam effigiem ostendit: & nisi vicus, quem inde vaccam appellauere, miraculi monimentum esset. Alij (cum quibus Petrus Episcopus Equilinus facit) volunt à lupo iuuencam alteram inuasam & iugulatam, in pœnam cœdis onus subire iussam esse: hic ita narrat. *Cum autem arcam cum corporibus currui imposuisset, & iunctis pluribus paribus boum eum trahere non possent, diuina reuelatione duæ solæ iuuencæ pauperculæ mulieris deuotæ plaustro appositæ leuissimè currum trahebant, quarum vnam in itinere lupus occidit, moxque sanctus Episcopus lupo mandauit, vt vicem iuuencæ Mediolanum vsque suppleret, statimque lupus omni deposita feritate mansuetus vehiculo se exhibuit, & iunctus vna cum alia iuuenca Mediolanum currum pertraxit.* Quæ non euertunt; sed explicant priorem narrationem, vt licet à nonnullis omittantur, non sint tamen repudianda, quando plenæ sanctorum vitæ & historia Ecclesiastica miraculis, in quibus narrantur lupi quasi cicures, vel in pœnam illatæ iumentis necis, eorum oneribus deferendis successisse; vel alia premente necessitate iumentorum mansuetorum onera suscepisse; vel ipsis sacris reliquijs custodiendis suam impendisse operam. Vt Westmonasterienſis narrat à lupo S. Edmundi Regis & Martyris caput resectum contra ferocium belluarum rabiem & famem conseruatum: quod demum cum familiares eius diu quæsitum reperissent, lupus sacras pone reliquias ad regiam vsque fuit comitatus.

Addamus & Melchioris Inchofer narrationem. *Ceterum & hoc narrant aliqui, cum non longe Mediolano abessent, & ingressum magno ornatu pararent vectores, tale quippiam miraculi accidisse. Multa nimirum paria böum trahendo cur-*

currui, cui arca imposita erat, cum non sufficissent, reuelatione diuina duas pauperculæ mulieris iuuencas adhibitas fuisse, easque solas sacrum onus loco mouisse, & vexisse: in itinere tamen altera succumbente, factum vt lupus forte ingens per arua oberrans sponte an Eustorgio vocante, & iubente, se adiungeret; ac vicem subiret: hæc alij aliter: mihi diuersitas narrantium fidem non abrogat, si recta constent, nec adeo seuerus sum, vt ne dum vetustiores, sed recentiores etiam scriptores, qui nuper eadem literis sat religiosè tradiderunt, aut notare, aut extra notam arguere velim.

CAPVT VII.

In ædem Eustorgianam sacræ reliquiæ deferuntur.

NOn dubium, quin ædem primariam vrbis tam Episcopus, quam ciues horum sacrorum corporum cultui consecrassent: nisi Deo fuisset aliter visum, qui dum recta lupus cum vacca currum versus vrbem promouent, & ad eum deuenissent locum, quem S. Barnabas vrbis Apostolus habitatione sua & sacrificij quotidiani litatione nobilitauit. olim, immoto vestigio substiterunt, nec adigi plagis potuerunt, vt gressum vnum progrederentur. Nondum Mediolanum ad eam amplitudinem, ædium multitudinem magnificentiamq; peruenerat, quâ modo, caput Insubriæ cum maximis Europæ ciuitatibus contendit: vnde extra Ticinensem portam iacebat sancti Barnabæ prodigiosus fons, quem is cum diuinitus excitasset & eo Paulinum fundi Dominum cum infidelibus multis, sacris & piacularibus aquis abluisset Christo renatos, ex eo tempore cœpit mirandis inclarescere circa ægros operibus, febresque malignas depellere: Eustorgius cum eam sciret sedem à sanctis Regibus electam, vt nullis mœnibus, & portis aduenæ ab eorum arcerentur quouis tempore accessu: Basilicam erexit & sanctis Regibus dedicauit, in qua suum etiam humari corpus voluit, quæ postea nomen ab ipso mutuauit. Sed dum locum nunquam viderim, ne labar errore, Ripamontium inquilinum placet auscultare: *Porro*, ait, *cum ad fontem. Di Barnabæ pompa peruenisset; dicuntur ilico substitisse iumenta, sic vt de repentina illa tarditate dimoueri non possent: tunc Eustorgius haud dubio argumento loci religionem interpretatus, in eo loco cellam ædificauit, ibique corpora trium Magorum condidit. Hæc est illa cella, quam postea ipsimet Eustorgio dicatam religio & opulentia consecuti temporis mirificam in amplitudinem, & laxitatem extulere.* idem libro primo ait, *postea locum auctis domibus receptum mœnibus, & Eustorgia nam ibi templum ædificatum.* Reddamus & ex vita conditorij eorum descriptionem. *Hanc autem* (arcam marmoream) *diuino auxilio tanto proficiscens itinere, terra marique, multisque laborans vigilijs & orationibus fide plenus ad memoratam vrbem vsque deduxit. Itaque in celebri loco, vbi in diebus suis in honore Dei & ipsorum honorabilis est fabricata Ecclesia, eandem arcam, cum sanctorum trium Regum corporibus honestissimè collocauit: vbi videlicet est fons celeber & sanctissimus, in quo baptizabantur sancti ad Christi fidem venientes, cuius aqua salubris, pro meritis in ea baptizatorum, & magna fide credentium tantam fertur olim diuinitus accepisse virtutem, vt nonnulli febricitantes cum ex ea biberent, à suis cito liberarentur febribus, & pristinam reciperent sanitatem, illic vero sancta illa arca composita.*

Diuinitus corpora extra vrbem ad S. Barnabæ sacellum deferuntur.

fons eiusdem sancti prope Mediolanum, prodigijs celebris.

Descriptio conditorij SS. Regum.

Ægidius.

Vult autem Ægidius ibidem loci iam antea S. Petri Ecclesiam fuisse excitatam in qua recondi debuerant. *Porro autem*, ait, *arca illa posita fuit in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis, prope ciuitatem Mediolanensem, quæ postea in honorem S. Eustorgij consecrata est, & in eadem iacuerunt, cum ijsdem sancti Felix & Nabor Martyres: item sancti Eustorgius, Magnus Eugenius, & Victor. Ibi est fons celebris ac sanctissimus ab omnibus Christianis reuerendus, in quo baptizantur venientes ad fidem, quos Deus infundendo lumen suum ineffabiliter illuminet.* Pari modo S. Petrus Coloniæ sanctos hos Reges hospitio recepit Princeps & apex Apostolorum

aptè in ædè D. Petri collocantur.

Proto-Apostolos Christi: ipse Iudæorum primo: tum & Cornelio Centurione baptizato Gentilium Doctor, sicut & Reges nostri Iudæorum primo; postea Gentilium Apostoli & Magistri: ipse è Iudæis hi ex Gentilibus orti vtrique spiritus primitias à Christo receperunt, vt Gentium simul & Iudæorum consensionem futuram in fide Christi propaganda demonstrarent

CAPVT VIII.

Cultus sanctorum Regum Mediolani diu perseuerat.

1. peregrinationes eo factæ.

MVLTI gloriam corporum sanctorum non Germanis & Colonien-
sibus tantum; sed & Italis ac Mediolanensibus inuident. adeoque
nec fuisse quidem vnquam vtroque in loco dicere non dubitarunt:
sed pro Mediolanensibus, quos solos hic defendendos suscipio, mul-
ta faciunt: *primo* cultus eorum perpetuus obseruatis & expressis ibi
singulorum nominibus, accedente peregrinorum frequentia, qui ex
omnibus regionibus eo confluebant, vt fidei primitias ibi debitis laudum præconijs
celebrarent. Quo respicere vita S. Eustorgij videtur, quæ ait, *Illic*, inquit, *illa san-*

vide ordinem ætatis & dignitatis esse obseruatũ.

2. templum ab alijs nominatum.

cta arca composita sancti Reges simul maior, medius, & minor, quorum nomina Gaspar, Balthasar & Melchior. Mediolani die noctuque, & glorificari & dignè laudari solebant. Per totius itaque mundi Christianorum cultum ab omnibus honorandi, quos misericors infundendo lumen splendidum ineffabiliter vt primitias Gentium illustrauit, & ab æterno dilexit. Accessit ab ipsis sanctis Regibus templi nominatio, eiusdemque insignis maiestas & amplitudo paulatim aucta: quam etiam S. Ambrosius collegio Canonicorum decorauit: nam ex eo, quo venerant Mediolanum tempore, non memoriam tantum festiuam eorum coluerunt, sed suspensis

3. ostensio vniuersaria reliquiarum.

semper anathematis votiuis, visitato & osculis libato loco conditorij eorum quasi per manus posteris cultum istum sanctorum Regum tradiderunt, quem hodieque obseruant constanter ciues, licet doleant & ingemiscant, tanto iam patrocinio nudatam Italiam, Cenotaphio solum ibi relicto. Porro diem ipsum Ephiphaniæ solebant insigni & sacra ceremonia peragere: nã è Lipsanotheca vestiti purpura, & coronis redimiti: non vt mortui, sed quasi spirantes in publicum & in pedes erecti producebantur, effusa ad pium spectaculum cum accolis ciuitate, donec iniuria temporum, & bellis sæpius appetito & euerso Mediolano, suasit periculum abdere tantum vrbis thesaurum, ne peruulgatus in manus hostiles veniret, quod sub Friderico Barbarossa contigit. Sed horum traditionem adstruit, contra scriptores quosdam his verbis Ripamontius. *Magos vero quod quidam velut infensiores. Aenobarbæ penitus inuidere nobis, vrbemque Mediolanum tale nactam vnquam fuisse decus negant, id nimirum operas pretium arbitror vindicare, & primum igitur præter antiquissimam originem, & appellationem Eustorgiani templi, quæ titulum & corpora Magorum præfert, satis, constat nunquam dubitasse consensum vrbis, quin anniuersaria celebritate venerarentur eam cellam, idque monumentum haud sine pia indignatione & fremitu in malam illam manum, quæ tanto præsidio & firmamento res Italas nudauit: tradita per manus, & accepta iam inde ab ipsis Eustorgij temporibus consuetudine. Vadunt illuc, imprimunt oscula loco, fundunt preces, vota suspendunt, haud facturi per tantum æui, si frustra semper fieret: ipse porro locus, in quo iacuêre tres Magi visitur ea facie, ac forma: quæ penitus congruat & traditioni ciuium, & literarum testimonio. Stat grande cenotaphium ea capacitate, quæ non supino vt adsolet situ, sed in rectũ composita corpora possit amplecti. sicut quidem sitos fuisse tres ibi Magos accepimus, & opportunè patescit ostiolum, ex quo bracteati Reges festa quotannis luce producebantur in publicum: & ostendebantur vrbi, donec metu temporum occultarentur. Stella quoque illa benigna dux & monstratrix itineris cernitur antiqui operis, luce monstrans idipsum, quod tempora, quod homines obseruauere, ac sunt ista quidem argumenta rei totius & coniecturæ non sanè momenti minoris, apud æstimatores æquos, quam si quis ipsa proferat monimenta literarum & autoritates.* Hactenus Ripamontius. Nouator quidem reliquiarum sanctorum Re-

Ripamontij testimonium.

visitatio Cenotaphij.

magnitudo eius.

stella Regum

obiectio.

Regum insectator, multis euertere conatur frustra Mediolanen sium traditionem vna nixus admiratione. Cur S. Ambrosius tantus crucis & clauorum Christi ab Helena repertorum & Mediolanum translatorum encomiastes siluisset tam nobilem translationem corporum SS. Regum, si ante ipsum ea contigisset? cur S. Ambrosius nusquam meminerit huius trãslationis.

Ego sanè non miror, dum tanti Doctoris res gestas expendo mecum. Martyrum Mediolani nobilissimum fecerant Geruasius, Protasius, Celsus & alij: nomen eorum etiam, & tumulus à ciuibus ignorabatur: bis terue Deus S. Ambrosium cœlestibus per quietem visis ad eorum eleuandos cineres excitauit: ita dum post Eustorgium Auxentij & Arianorum perfidia Cæsarum frequentes expeditiones, suburbana Mediolanensia, vt & Maximi gratiarum breui post necantis furor bellicus infestaret: non mirum est sacras reliquias iam ipso tempore S. Ambrosij condi terra potuisse, vt licet sciretur eo translatas esse, vbi tamen seruarentur, dubitarent. Deinde peruulgatum, & notum fuerit otium S. Ambrosij tempore corporum istorum conditorium Eustorgianum, quid attinebat præsentiæ eorum meminisse, quam nemo ignorabat? sufficiebat, vt vita eius testatur, locum insigni sacerdotum collegio decorare: frequentes & ardentes de eorum virtutibus sermones facere, & ciuium ignauiam ad eorum imitationem exstimulare, quod crebro facit, fortè & sermones quidam eius alij hac super re conscripti interierunt, certè argumentum negatiuum est cuius quæ vis probandi sit nosset Nouator ille, si Dialecticus esset.

CAPVT IX.

Reliquiæ sanctorum Regum Mediolano sæpius euerso terra condiuntur, earum loco ignorato.

SI vlla ciuitas, Mediolanum certè iactatum vtriusque fortunæ ridentis, & aduersæ flatibus: octies ferè excisum, octies refloruit vegetior, quam ceciderat: adhuc post tot acceptas clades si Ferrario credimus, *Insubriæ caput est, toto orbe clarissima, & metropolis amplissima vrbs populi frequentia, nobilium multitudine, mercatorum, & artificiorum numero, mœnium ambitu, arcis firmitate, templi magnitudine, Senatus maiestate, ac rerum omnium copia, quæ ad victum & luxum pertinent nulli neque in Italia, neque extra ciuitati secunda, in magna planitie aquis, quibus necessaria aduehuntur, circum irrigata, cui nihil, quod ad vrbis felicitatem spectet, deesse videtur, multorũ Imperatorum sedes.* Prope hanc in Eustorgiana Basilica seculis aliquot sacræ Magorum reliquiæ seruabantur, & ab inquilinis & exteris ipsoque Ambrosiano sacerdotum collegio piè & religiosè colebantur. sed cum tot belli turbinibus toties ciuitas concuteretur & euerteretur, templi illius clerus sacrosanctos cum ingenti marmoreo sarcophago cineres abdidit terra, vt paulatim locus ipse depositi tam sancti memoriam effugerit Mediolanensium: qui licet apud se crederent eum thesaurum occuli, vbi tamen lateret, omnes ignorabant. Erat illa priscis seculis iam inde à nascentis Ecclesiæ primordijs pia sanctorum Episcoporum cura & solicitudo: vt sæuiente Bellona terra thesauri sacri reliquiarum occultarentur. Mediolanensis vrbis descriptio. *in Topographia Mar. Ro.*

Exstant apud Biuarium acta concilij Bracarensis sub Pancratiano Episcopo celebrati, cuius hæc ad Episcopos verba recitantur. *Nunc autem si placet omnibus vobis statuatur, quid agendum sit de reliquijs sanctorum: surrexit Elipancus Colimbricensis, & ait. Non poterimus omnes vno modo id facere; sed si vobis placuerit pro temporis opportunitate id fiat. Barbari sunt intra nos, & vlixibonam premunt, Emeritam habet, Asturicam similiter: propediem venturi super nos. Proficiscatur vnusquisque in locum suum, & confortet fideles, corporaque sanctorum honestè abscondat: & de locis & spelunci, vbi posita fuerint, relatorium nobis mittat, ne percursum temporis in obliuionem veniant. Responderunt omnes iustum, bonum, & congruum consilium nobis pro temporis necessitate.* Ita quidem fieri solebat, vt certus locus ille notus maneret: sed cum in excidio & hi frequenter necarentur, obliuione reliquiæ sepeliebantur. Non opus abire longè S. Ambrosio Mediolani vt dixi SS. Geruasius & Protasius, & alij per quietem apparuerunt eique corditorium suum om- Ad A: 413 num: b.

nibus ignotum patefecerunt. Quid mirum igitur Eustorgiani templi sacerdotes, quod extra mœnia diu situm erat, latuisse locum, quo sacri Regum cineres occulerentur, cum sedes illa continuis hostium adsultibus diurnis & nocturnis exponeretur?

CAPVT X.

Friderici Barbarossæ prima & secunda in Italiam expeditio, & Mediolanensium clades.

Electio Friderici.

VT difficultates variæ circa vltimam translationem Mediolano Coloniam enucleatius explicentur, res altius erit repetenda ab ipso Friderici Cæsaris imperij exordio; singulis eius Italicis expeditionibus accuratius inspectis, vt inter discrepantes opinationes sanior pars tacitius appareat. Potuisset Fridericus Barbarossa in maximis & laudatissimis Imperatoribus numerari, si schisma, & pauca quædam vitia decinasset: electus defuncto Conrado anno Christi 1152. Francofurti & Aquis coronatus, Pascha Coloniæ celebrauit, mox in Saxoniam profectus, Mersburgi Petrum Regem Daniæ die Pentecostes coronauit, habitis ibidem, & in festo SS. Apostolorum Ratisbonæ comitijs.

Comitia eius & itinera.

A: 1153. Laudensium querelæ de Mediolanensibus.

Anno sequenti Paschalem solennitatem egit Bambergæ, Constantiæ vero cum Principum consessus haberetur, Laudenses fœdo & miserabili habitu, cruce manu prælata venerunt conquestum Cæsari de impotenti dominatu Mediolanensium, quo 40 iam annos Laudem patriam suam iniquè vexarent, promisit supplicibus Fridericus. auxilium, & semina sparsit excidij secuturi: literis igitur Mediolanenses offidij sui monet: at hi secundis elati rebus codicillos allatos conciderunt, & nuncijs cæsareis contra ius Gentium vim intulerunt. Laudenses cognita Cæsaris ira, clauem ei auream indicem aperiendæ venturo ciuitatis miserunt, & Papienses similes de Mediolanensium ambitu Lombardiæ totius Imperatori querelas deposuerunt: hi tamen vt se purgarent, craterem aureum auro etiam plenum & coronam vltro Friderico detulerunt, quæ spes permouit Cæsarem, vt anno consequenti contenderet in Italiam, indicta in mensem eius Octobrem transalpina profectione. At Ratisbonæ quidem, Spiræ, & Goslariæ comitijs celebratis, ineunte Octobri coacto in Boaria toto exercitu, vt Ottoait, *per vallem Tridentinam in campos Veronenses digressus ad locum Gardæ castra posuit: ac mense Nouembri, Roncalias attigit*: sed annales Mediolanenses referunt eum per Taurinos montes transgressum accessisse Mediolanum: ibique extra vrbem per Hubertum Archiepiscopum coronatum, à Laudensibus apertis portis receptum, in Romalijs mense Decembri conuentum Principum habuisse. Ergo querelis ibi de Mediolanensibus auditis, in eorum pergit agrum, Rosatum oppidum expugnat, iecto præsidio: & equitatu mœnibus Vrbis Mediolanensis applicato excire cœpit iuuentutem armatam, quæ tota gladijs concisa pene interijt, furente plebe in consulem Gerardum autorem defectionis à Cæsare. Sic primo Cæsar ciuium puniuit superbiam. Anno insequenti Romam intrauit cum Pontifice Maximo Hadriano Dertona prius capta & deleta, quarto Kal. Iulij Imperatorio redimitus est diademate, sedis apostolicæ perduelles armis compescuit: inde in Germaniam rediens Idibus Octobris Ratisbonæ comitia instituit. Mediolanenses erecti discessu Friderici Dertonam instaurare, Laudem & Papiam sibi subdere, dum Fridericus nuptias cum Beatrice Reinaldi Comitis Burgundiæ filia celebrat. Qui anno proximo Polonos domuit ac cum legatis Pontificijs asperius, quam par erat, egit Vesontione.

Annales Mediolanenses

Mediolanensium perfidia.

A: 1154. Cæsar Italiam intrat

Cognoscit de Mediolanensibus. cedit eorum iuuentutem.

A: 1155. Romæ coronatur.

A. 1156.

Anno 1157.

CAPVT XI.

Status Mediolanensium & de Vice-comitis Gualfagi familia, tumultus autoris ac expugnatione Mediolanensium prima.

NEVNTE anno 1158. Ratisbonæ post Epiphaniam in comitijs Vladislao Bohemorum duce in Regem coronato, Augustam contendit Imperator, decreturus de Mediolanensibus, quod æquum iustumq; videretur: sed ne quid temerè statueretur, nihil sine summa ratione ac consilio suscipiendum, aggrediendumque ratus, matura cum religiosis pijsque viris, ac rerum vsu claris habita deliberatione, de belli quidem æquitate diligentissimè inquisiuit, negotioque liquide discusso numen placare diuinum ante voluit, & maxima donaria passim regia munificentia Diuorum ædibus intulit, vt Deum sibi propitium redderet: qua de re sic temporis sui scriptor narrat Radeuicus. *Instabat iam tempus, quo Reges ad bella proficisci solent, ipseque in proximo ad transalpina exercitum ducturus, primo omnium in Deo spem suam reponens, adscitis religiosis, & probatis in sanctitate viris, tanquam diuinum eos oraculum consultabat, atque illorum persuasionibus Ecclesijs Dei multa donaria imperiali largitate dispergebat, quibus in negotijs specialem habebat præceptorem, & salutis animæ suæ fidum secretarium Hartemannum Brixinorensem Episcopum, virum, qui tunc inter Germaniæ Episcopos singularis sanctitatis opinione & austerioris vitæ conuersatione præeminebat. Hoc ad se adscito, de secretis suis Pij se Pontificis submisit deuotè consilijs religiosi ac Christianissimi Principis officium exercens, quatenus iturus ad bellum, spiritualibus armis antè muniret animum, quam corpus; antè cœlestibus se disciplinis præstrueret, quam ad pugnam iturum militem militaribus instruere præceptis curaret: causas autem belli exponens, dum eas iustas tam Antistites, quam reliqui sacerdotes cognouissent, ne dignitas imperialis ab indignis minueretur, & sic pax & tranquillitas Ecclesiarum turbaretur: salutaribus mandatis præmonitum & præmunitum ad proficiscendū contra rebelles animauit.* Hæc Radeuicus: postea Reinoldum Cancellarium, cum Ottone Palatino præmittit in Italiam; vt sacramenti religione ciuitates obligarent: ipse præcipitante Mense Majo superatis Alpibus descendit eodem, vt Brixiâ statim expugnata, collectis simul cisalpinis, & transalpinis copijs, omnium assensu bellum indicit Mediolano. Ei tunc præerat Gualfagus Dux: cuius parentem Andream Henricus Imperator Vice-comitem seu Burgrauium Vrbi dederat; sed filius non vnius tantum vrbis, verum totius Longobardiæ dominatum ambiebat, vnde Laudenses, Papienses, & alias ciuitates continuis assultibus infestabat. Ad eam gloriam familiæ regiæ sanguis, & maiorum decora stimulabant: qui comites Angleriæ, iam inde ad Ascanium vsque genus referebant. De quibus ait Volaterranus *Angleria castellum prope Mediolanum est, vnde originem Vice-comites se habere dicunt in Mediolanensibus rebus.* Iacet Angleria iuxta Verbanum lacum, cuius crepidini insidet, olim in campis condita, quibus modo munitissima arx, quæ visitur in monte, imminet, a Gothis olim deleta; sed vicino in loco à Saxonibus & Anglis, vt multi putant, instaurata, nomen tulit, vt Angleria diceretur: quamuis Leander ad Anglum Ascanij filium genus stemmatis & nomenclationem oppidi ducat. *Originem*, ait, *Vice-comitum ex hac vrbe tradunt Mediolanensium chronica, quæ vetustissimam eius familiæ Genealogiam à multis Regibus Ducibusque & Comitibus repetunt, autorem primum ponunt Anglum Ascanij filium, ab eo ad annum 383. transeunt, ex quo seculo nominant Vbertum Vice-comitem. Maximinianum Regem, Alionemque Comitem; & postremi tres filios Galuanium, Cosmum, Andream: Galuanio succesisse Perideum, qui Rex creatus fuerit aduersus Theodoricum Gothorum, & ex eo deducunt Bellouesum, qui totam propemodum Italiam suo imperio subiunxerit, Briginum, Brunesedum, Felaranandum, Bridomacum, & Lucium*: in quo regnum Angleriæ, Mediolanique finierit, & infra. *Post hunc Comitum Angleriæ principatum intercidisse perhibent, vsque*

Ratisbonensia comitia.

Examinatur belli iustitia. *Radeuicus lib: 1. cap. 14.*

Imperator consulit confessarium suum.

Pii Ducis pugnaturi officium obit

Gualfagus Dux Mediolanensium

Eius stemmatis origo. *Volaterranus lib 4. Geograph.*

Leander. fol. 693.

Caput familiæ.

Principes Mediolanenses

vsque ad Galuanium, qui potens esse cœperit Mediolani post Friderici Ænobarbæ tempora. Hic ille Gualfagus est autor contra Fridericum Mediolanensis seditionis, cuius parentis Andreæ & filij gesta *Philippus Bergomas recenset. Andreas Angleriæ Comes & Mediolani pirnceps vnicus Othi prædicti principis filius: & ipse hoc anno defuncto patre decimo octauo ætatis suæ anno eidem in principatu succedens regnauit annis 45. Hunc tantæ fuisse æquitatis & iustitiæ ferunt, vt neque pretio neque precibus, aut amicitia aliqua à vero iudicio vllo vnquam tempore flecti potuerit, malos videlicet supplicijs ita afficiens, vt crudelitatis nomen consequeretur, bonis vero bona & donaria ac dignitates munificentissimè præbens: sed in hoc tantum patri fuisse dissimilem tradunt, quod bella tanquam pestem semper fugiebat: & paci & tranquillitati totis viribus incumbebat, hic postquam Henricus quartus patrem in vinculis posuisset, & in Italiam descendens & Modœtiæ, & Mediolani à Gordano Archiepiscopo, & præsente coronatus fuisset, ab ipso Imperatore confirmationem dominij, videlicet Mediolani & aliarum ciuitatum consecutus est. Tanti enim illius fuisse in Imperatore suscipiendo apparatus feruntur; vt Imperator ipse in maximã admirationẽ adductus fuerit.* Pergit deinde bella memorare, quæ non nisi coactus suscepit: feliciter autem semper confecit: dispar filij Gualfagi (quo de agimus) quẽ è Sabaudiensiũ principis filiâ eodẽ autore genuerat indoles erat, auo tamen persimilis, hic ad arma tractanda natus, inquietus animo, pacis hostis, nactus aduersarium Cæsarẽ eiusdem ferè genij Fridericum Barbarossã, eum omnibus viribus bello petijt, hæc enim de eo Philippus idẽ scribit. *Gualfagius autẽ Angleriæ Comes Mediolaniq; Princeps, vnicus Andreæ principis filius hoc anno patri in regnũ succedens regnauit A. 27. vir certe inclytus & celebri laude, qui à parentis sui æquitate minimè exorbitauit; præter hoc quod bellum semper pace habuerit carius, quod bene patre mortuo ostendit, quia de nullo alio, quam de bello gerendo meditabatur, vnde principatu inito primo congressu in Laudenses mouit: quibus superatis & profligatis etiam Papienses sibi infensos plurimum lacerauit, ac Cremenses pari mulcta affecit. Postmodum contra Comenses, qui prædictis ciuitatibus præsidia tulerant properauit, & eorum ciuitatem perturbauit. Deinde maiore exercitu congregato in Guilielmum Montisferrati marchionem duxit, quem Casali obsidione concludens, eo vsque ipsum perduxit, vt præ fame muli & mures ac herbæ, quas pecudes non comeduntoppidanis pro summis delicijs haberentur, tandem ne fame deficerent, deditionem fecit, & eo cum omnibus capto vectigalia ipsi constituit: contra Fridericum Imperatorem demum cum ingenti virtute dimicauit, atque eius legiones sapientissimè profligauit. Et licet pro vrbe conseruanda multa incommoda, & damna, atque vulnera in proprio corpore pertulerit, nunquam tamen animo contristatus fuit. Post denique concertationes, & vastationes Iudæis vrbem prodentibus Imperator vrbem cum exercitu ingreditur.* Hæc Philippus. Hic igitur Gualfagus tunc, cum Cæsar veniret in Italiam, obsessurus Mediolanum, rerum ibi potiebatur: vnus ille senatum, & ciues armabat in Cæsarem, ductabat ordines, erigebat turres, machinas, munitiones: vnus ille reliquis pacis studiosis obsistebat; quam rem ceteris scriptoribus omnibus accuratius Bohemorum Historici propterea persequuntur, quod Regi suo Vladislao nuper coronato deditio prior vrbis debeatur. Collectis igitur omnibus copijs Cæsar septem castris ad totidem portas ciuitatis aptè dispositis, corona validissima cingit: quæ fuerit alea belli parum huc facit, ea diligenter ex Dubracinio Bohemico scriptore sunt adnotanda, quæ circa Gualfagum contigere, semina nimirum capitalis odij Cæsarem inter & ipsum, quæ tandem in flammam (iurata viri nece) eruperunt, quam ægrè potuit tandẽ Reinoldus trium SS. Regũ accepto præmio restinguere. *Ipsi*, ait, *Mediolanenses ad singulas portas dispositos distributosq; habebant defensores, quibus omnibus præfuit Gualfaginus Angleriæ comes, vir tum genere, tũ factis clarus.* Et infra: *Cum desperata salute Reipub. deditio suaderetur, obsistebat*, inquit, *vehementer pacis conditionibus Gualfaginus, metu amittendæ dignitatis, ad quam per tumultum armorum peruenerat. Eum igitur de senatus autoritate Guido Blateranus ætate grauis, venerabilisque senator in curiam aduocat; & cum suaderet pacem ad Gualfaginum, conuersus ait: Nam quod ad te Gualfagine, inquit pertinet, qualiscumque futura sit Resp. vbique dedita melior, quàm capta, præsertim*

Gualfagus rebellis Cæsari. *Bergomas in supplemento A. 1110.*

parentis eius Andreæ. gesta. pacificus. is fuit.

Filii eius Gualfagi indoles contraria.

ad bella natus.

armat se contra Fridericum Cæsarem.

obsidetur Mediolanum prima vice.

Causa odij Cæsarem inter & Gualfagum. *Dubrauius lib: 12.*

tim à crudelissimis, nationique Italicæ infensissimis hostibus, tu in illa perpetuo omnium nostrum consensu dignitatem tuam incolumem obtinebis. Dedenda vero post paulo cum vrbs esset *Gualfagino*, ait, *per tempus mœnibus effugiente, ne quod nolet spectaret, aut ignominiæ alicuius particeps fieret.* Sic ciuitas Mediolanensis 25. Iulij cœpta fortiter oppugnari à centum armatorum millibus, Bohemorum maxime virtute 8. Septembris tradita fuit Cæsaris Friderici potestati, & vt quidam volunt Modoëtiæ tunc primum Cæsar ferreo diademate fuit redimitus. Hæc A. 1158. contigisse tam Radeuicus quam Robertus de monte cõæui tradunt & hic quidem sic refert ad A. 1158. *Fridericus Imperator Alemannorum post Pascha transiens Alpes, obsedit vrbem Mediolanum nobilissimam, & post longam obsidionem reddita vrbe, & obsidibus datis processit vlterius.* Euincit idem sancita Cæsaris apud Roncalias de Scholasticis constitutio anno eodem, quam recitat Crusius in Sueuicis; nam reliquum anni tempus ad Roncalias in conuiuijs, habendis & iure dicundo transactum est & male tunc factam Sanctorum trium Regum translationem putat Dubrauius.

capitur Mediolanum. A. 1158. 8 Sept. *Robert* A.

CAPVT XII.

Mediolanenses anno 1159. *Duce Gualfago legatos Imperatoris, in primis Reinoldum violant, ad arma se parant, & SS. trium Regum corpora inueniunt.*

REDIERAT in vrbem Mediolanensem Gualfagus, vt antea promissum ei fuerat, pristinum resumserat dominatum, tunc, cum Cæsar hibernaret Albæ, qui statim anni insequentis initio ex decreto Roncaliensium comitiorum ad omnes Liguriæ ciuitates legatos destinauit, vt nouos designarent Consules. Ac Mediolanum quidem legarat Reinoldum Cancellarium, Ottonem Palatinum, & Comitem Gozuinum spectatissimæ prudentiæ viros, ne quid turbarum iterum oriretur, quod non maturo consilio componeretur ilicò: ipse statim legatorum ingressus, & Gualfagi præsentia offendit. Rem Dubrauius ita narrat. *Qui Mediolanum*, ait, *diuerterant, vt viderunt Gualfaginum reuocatum, restitutumque in senatu Principis auctoritate præsidere, ad senatum se à Cæsare institutum aiunt, & ad Prætorem vrbis missos, ac præterea ad neminem alium: si senatus ipsis legitimus datus fuerit, mandata se Cæsaris exposituros, sin id minus fiat, reuersuros, vnde venerint. Magnus ex hoc animorum motus factus, non in curia modo, verum etiam in foro, ita vt parum abfuerit, quo minus legati præsertim Reinoldus à promiscua turba lapidarentur, Ligurius Poeta coæuus ita canit:*

Legati mittuntur Mediolanum. *Lib* 13

Gualfago iterum dominante vrbi. queruntur de eius restitutione. Lib: 9.

Ergo vbi cum claro Præsul Reinoldus Othone
Signifer hic prudens, & Cancellarius ille,
Et Comes eximiæ laudis Gozuinus ad vrbem
Magna peracturi venere negotia regni,
Infremuit, cœpitque furens concurrere vulgus,
Quaque receptus erat Præsul famosus in vrbe.
Nam comites ambo muros, suspectaque cauti
Mœnia vitantes, extra prudenter agebant.
Hanc lapidum sæuo Ligures euertere iactu
Atque ipsum magni legatum Cæsaris altâ
Pontificem famâ, mentisque vigore timendum
Certatim sæuo properabant tradere leto
Nec prohibere potest Regi deuotior ipsa
Nobilitas: nec qui socia conciuis in vrbe
Egregium nomen Guido Bladratensis habebat,
Vix tandem rabidas eiusdem Præsule sedis
Subueniente minas effugit Præsul, & vrbis
Pestiferæ muros, infidaque tecta reliquit.

Lapidibus appetitur Reinoldus.

Huius

Huius iterum seditionis fax & incentor cum Gualfagus fuerit, non mirum videri debet, quod vnum illius caput postea Cæsar perierit, eidem tum perspecta Reinoldi fuit prudentia cum mansuetudine, vt auderet tanto deprecatore sacris trium Regum corporibus sibi diuincto salutem & vitam sperare, quorum inuentionis occasionem ipse Reinoldus tam turpiter electus præbuit. Dum enim exturbatis vrbe legatis ad arma conclamant Gualfago duce Mediolanenses, & vrbem munituri suburbana diruunt sacra profanaque, in conditum terrâ thesaurum attoniti inciderunt; non quem seruarent sibi; sed quem electo per ignominiam Colonensi Præsuli consignarent, res hæc materiæ forique nostri diligentius plurium & idoneorum autorum testimonio videtur esse roboranda. Sigonius inprimis accuratissimus Italiæ scriptor ita refert. *Interim Mediolanenses libertatis detrimentum magno dolore ferentes nihil sibi prætermittendum rati, quod ad eam recuperandam pertineret, bellum omnibus viribus non tam propulsandum, quam si fortuna permitteret inferendum, ipso autore Archiepiscopo decreuerunt, & quod Fridericum haud dubie ad oppugnandam aut obsidendam vrbem rediturum putabant, suburbana omnia ædificia sacra æquè ac profana, ne quid adferre aut hostibus vtilitatis, aut sibi incommodi possent, diruerunt. Ea de causa vetustum Monasterium, & Sanctorum multorum reliquijs augustissimum S. Eustorgij euerterunt à fundamentis, & quidquid in eo sacrati erat, transtulerunt in vrbem. Imprimis autem trium Magorum corpora, qui ad Christum infantem adorandum, & mysticis muneribus colendum venerant, sunt inuenta. Hæc olim in adyto templi eius recondita, ipsorum quoque ædituorum notionem fugiebant: verum manifestis tunc indicijs patefacta, quibus declarabatur, viros illos adorato saluatore puero in regionem suam reuersos, illi in crucem acto superuixisse, & ab Apostolis sacro fonte ablutos, inde ad eum quem in cunabulis honorauerant, ad dexteram Patris sedentem vita functos migrasse. Erant autē corpora ossibus & neruis compacta, & cute adhuc arida conuestita, vi vt existimatum est balsami, quo Gentilium more fuerant delibuta, sed circulus aureus ea ambiebat, & inter se constricta tenebat, vt Gulielmus Neubrigensis, eorum temporum æqualis memoriæ prodidit.* Iuuat & plures hac de re scriptores eius vel consequentis seculi audire, & primo laudatum iam Neubrigensem ætate proximū. *Aggressurus*, ait, *ergo* (Fridericus) *Mediolanenses, defectu omnium sociorū remissius iam agentes, Imperator vires imperij contrahebat; illi quoque libidinem dominandi in tuendæ libertatis constantiam conuertentes, totis se opibus aduersus imperatorios impetus muniebant, cumque suburbana demolirentur atque destruerent, ne tam obsessis nociua, quam obsidentibus vsui forent, ea de re Monasterum quoque antiquum & nobile & Sanctorum insigne reliquijs extra mœnia destruentes, quidquid in eo sacrum, reuerendumque inuentum est, in vrbem transtulerunt, trium præcipue Magorum corpora, qui saluatoris infantiam mysticis honorando muneribus facti sunt ex Gentibus primitiæ Deo & Agno. Et quidem thesaurus iste olim in eiusdem Ecclesiæ secreto repositus, ipsos quoque monachos cleri, eosque ibidem ministrantes latebat, sed cum vsque ad fundamentum destrueretur ipsa Ecclesia, repertus est, & reuelatus est cum manifestis indicijs, quibus declarabatur, quod viri illi (quorum memoria in benedictione est) honorato & adorato saluatore puero, in regionem suam reuersi, etiam post passionis eius triumphum superstites fuerint, & percepta à prædicantibus Apostolis Baptismi gratia ad ipsum, quem in cunabulis olim honorauerant, ab eodem in dextera Patris sedente honorandi migrauerint, nec notum est, à quibus personis sacræ illorum reliquiæ illuc delatæ, ibique repositæ fuerint, eædem vero reliquiæ ossibus & neruis compactæ, cutem quoque aridam atque imputribilem superductam habebant, vi vt putatur Balsami, quo post mortem Gentili more corpora eorum delibuta creduntur: sed aureus circulus eadem, vt dicitur, corpora cum reperta sunt, ambiebat, vt sibi mutuo cohærerent.*

Sig. lib. 12. de regno Italiæ.

Mediolanenses armant se contra Cæsarem.

Templum suburbanum diruunt.

cum documentis autenticis incorruptos reperiunt tres Reges.

Neubrigensis lib. 20. rerum Anglica. cap. 80.

Consentit in anno 1159. Robertus de monte, qui tunc florebat in Gallijs: *Eodem* ait, *anno inuenta sunt trium Magorum corpora, qui saluatorem nostrum infantem adorarunt in Bethleem, in quadam veteri capella iuxta vrbem Mediolanum, & præ timore Friderici imperatoris Alemannorum, qui eandem vrbem veniebat obsidere, leuata & in ciuitate posita.*

Robertus de monte qui tunc viuebat.

Et

Et horum duorum synchronus Ægidius aureæ vallis. *Contigit quoque illis diebus, vt dominio reuelante in quadam Ecclesia iuxta Mediolanum corpora trium Magorum, qui vt in Euangelio legitur Domino in cunabulis pretiosa munera obtulerunt, aurum scilicet thus, & myrrham reperta fuerint.* Ripamontius refert eadem ex Neubrigensi, suis tamen verbis: *Mediolanenses*, ait, *ingruente bello templa omnia, quæ extra vrbem erant diruisse vltro & complanasse, ne scilicet hosti castella & arces forent. Id cum Eustorgianæ fieret ædi, totaque illa moles æquaretur solo, tres in subterraneo specu Magos apparuisse, cum caliterarum inscriptione, quæ nullius in re tanta laborare fidem sinerent, antea per multum temporis fuisse in obscuro, postquam innotuerunt summa ciuium veneratione custoditos esse, donec potitus rerum Ænobarbus, auferret. Exsequendo deinde subtiliter omnia Guilielmus idem, corpora ipsa narrat absque vlla mortis imagine ac tabe reperta, similia spirantibus, integra cute, coagmentationeque tota velut inter viuos: auream quoque laminam fuisse pro vinculo, ita vt inuicem cohærerent.* *Ripamontius lib. 20. hist. sed. Mediol. Eustorgio 8.*

Myræus breuius narrat. *Corpora trium Magorum in veteri capella prope Mediolanum inueniuntur: & ob belli tempestatem in vrbem Mediolanensem transferuntur.* Denique P. Inchofer eodem recitato Neubrigensis loco, miratur diuinum consilium, quod cum alijs in locis sanctorum detectæ reliquiæ, felicis ominis sint, & salutem adferre soleant, ac subuenire miseris: secus hic acciderit: vbi & quosdam eiusdem autoris verborum nodos sic enodat. *Quæ si ita sint*, inquit, *mirabitur fortasse quispiam Mediolanenses extra vrbem seruasse tam præclara pignora, nisi errauit Neubrigensis, longe in Anglia positus, nam alij in ædem Eustorgianam illata scribunt, adeoque honorifico loco recondita vt populorum veneration paterent: illud constat, locum vbi tunc seruabantur hodie intra mœnia prope portam Ticinensem esse. At latuisse plerique scribunt, non opinor desciuerat cultus; sed sacræ dumtaxat latebant reliquiæ, siue Hæreticorum furori subductæ, siue magis tot barbarorum diuersa tempestate irruentium vastationi sic ereptæ, vt quo recessu maiores pie condidissent, posteri ignorarent, salua interim celebri in ea vrbe sanctorum memoria; sed enim eorum inuentio haud auspicato cecidit Mediolanensibus, contra quam fieri consueuisse in plerisque sanctorum corporum, quæ aliquando abdita fuerunt inuentionibus, alibi pluribus enotauimus, fuisse nimirum illas populis salutares, ac tum maxime contingere solitas, cum ingentibus malis conflictati, diuinam rebus extremis opem sustinarunt. Hoc tempore secus euenit, quando paulo post vrbe capta Mediolanenses victori paruerunt, & inter alia præclara monimenta, hæc quoque sacra pignora, quæ vrbi præsidio esse poterant, amiserunt.* *Myræus in Annal. Belgicis A. 1159. Inchofer cap. 38.*

Pluribus debui hanc inuentionem A. 1159. factam stabilire testimonijs, ne vacillet huic nixa triennio vel quadriennio post translatio: Et vt plures esse testes constet. qui sentiant in lipsanotheca cum sacris corporibus indicia reperta vitæ & mortis eorum; è quibus tam lectiones officij diuini Colonienſis; quam Ægidij aureæ vallis religiosi narratio videtur profluxisse: præsertim cum Affligimensis Austarij scriptor qui tunc viuebat, dicat Coloniæ in Metropolitana Ecclesia historiam sanctorum Regum adseruari.

CAPVT XIII.

Reinoldus eodem anno 1159. ex cancellario Cæsaris eligitur Archiepiscopus Colonienſis, qui ſtrenuam nauat ei operam in Italia; ſed ſchiſmate vitam laudabilem contaminat.

laus Reinoldi.

FRIDERICO Colonienſis Eccleſiæ Metropolitæ defuncto Papiæ in Italia, Reinoldus Cæſaris cancellarius præpoſitus Hildeſimenſis eidem ſubrogatur: erat Reinoldus ex antiquo comitum Saxonum à Daſſale ſtemmate progenitus, ob prudentiam raram in conſilijs, in rebus gerendis felicitatem in ſuadendo facundiam & morum facilitatem, comitatemque Cæſari mirè carus, quem Otto Friſingenſis à Philoſophiæ ſcientia ſingulari, Radeuicus à morum comitate & manſuetudine cum militiæ detineretur: omnes ab induſtria præcipua totius imperij grauiſſima negotia proſperè & feliciter expediendi celebrant: vt multi fateantur eius præcipue conſilio ſolertiaque Friderici res in Italia nixas effloruiſſe. Electionem eius, quam alij notant vitio ſimoniæ, ſic omni labe liberant coæui Monachi in Graffſchafft datis eodem anno ad Reinoldum literis, quibus aiunt: *auditum quidem pridem fuerat populo ſolo Hildesheimenſi, licet renitentem vos ad præſulatum expetitum: ſed vocante Deo, qui prædeſtinatos ſuos glorificat, & luciferum producit tempore ſuo, aliorſum cecidit ſors electionis ſuæ. Nempe fortuna Coloniæ præponderauit, cui debebatur pius, conſtans, prudens, diſertus, magnanimus, inadulatus, largus, beneficia non fœnerans, ſed ad liberalitatem natura propenſus, ſtudium habens ad omnia vigilans, vim rerum ſcienter examinans, cui nullum, vt breui præcidamus, virtutis deſit genus.* Idem ſic refert Trithemius *A.*1159. *Fridericus ſecundus Archiepiſcopus Colonienſis in Italia obijt, cuius cadauer in patriam relatum, in quodam cœnobio Aldenbergenſi humatum eſt. Quo ſepulto Colonienſes legatos in Italiam ad Imperatorem miſerant, Reinoldum Cancellarium eius, quem elegerant in Archiepiſcopum ab eo poſtulantes. Gauiſus autem Imperator, quod locum honoris ei deferendi inueniſſet, grato animo conſentiens poſtulantibus Reinoldum Archiepiſcopum donauit. Nec multo poſt idem Reinoldus accepta licentia imperatoris, Coloniam venit ad Archiepiſcopatum, & omnia, quæ ad illum pertinebant in poſſeſſionem accepit.* Sed non niſi captâ Cremâ diſceſſit à Cæſare; quam vix tandem poſt innumeros labores Anno 1160. extremo Ianuarij cœpit deditione; iam tum Papiæ conuentu Epiſcoporum indicto, vt cauſa Alexandri & Victoris electorum Pontificum cognoſceretur. Hoc nimirum eſt conciliabulum illud infame, non vnius ſchiſmatis fons & origo, quo ſe Fridericus, & eius cancellarius Reinoldus Colonienſis Archiepiſcopus cum multis alijs Germanis, & Italis fœdiſſimè contaminarunt. Quo ſi Reinoldus abſolui crimine poſſet, cum magnis cenſeri & laudatiſſimis Epiſcopis potuiſſet. Res ita ſe habet.

Electio eius incera.

A.1160. Crema expugnatur.

ſchiſma conflatur.

Mortuo Adriano Kalendis ſeptembris A.1159. Cardinales comitijs habitis adeo iungi ſtudijs & voluntatibus nequiuerunt, vt facta ſeceſſione diuiſis ſuffragijs pars potior & melior Rolandum Senenſem S. Marci presbyterum; pars Octauianum Romanum Pontificem elegerint. Nomen illi Alexandri tertij, huic Victoris quarti datum eſt, ambo pari apud Fridericum ius ſuum ſtudio tuebantur: ſtabant ab Alexandro plures Cardinales, & prior fuerat Pontifex conſecratus; Victor tamen prior inductus fuerat clamyde Pontificia, & omnium ordinum obſequijs cultus & obſeruatus. Fridericus conſilio Epiſcoporum reſpondet rem definiendam: vterque adeſſet: id Papiæ indicitur: at Alexander, non eſſe par arbitrabatur humano iudicio vel inimicis cauſam ſuam committere, negauit ideo ſe adfuturum. Victor autem, vt imperatoris gratiam aucuparetur, oſtendit quibuſcumque in rebus ei ſe pariturum: itaque cum Cæſar *A.*1160. Cremam maximis copijs & viribus expugnaſſet, ipſo Purificationis Deiparæ feſto die cum triumpho Papiam ingreditur, & Epiſcopis, qui conuenerant ex prouincijs, cauſam &

eligitur Alexander verus Pontifex. & Victor Antipapa.

Cæſar indicit Papienſe conciliabulum.

contro-

controuersiam inter vtrumque agitatam Pontificem, serio multumque commendat. Aderat Victor probè munitus Cæsaris gratia, vt vix vllus præsentium liberè quæ vellet, posset edicere, sicque Reinoldus cum reliquis præsentibus, Principis sui abreptus amore & fauore, Victorem damnato Alexandro legitimo recepit, cum Patriarcha Aquilensi & Archiepiscopo Rauennate: missus etiam à Cæsare in Galliam, vt Regem Franciæ in idem schisma pelliceret, qui saniora secutus consilia, constanter adhæsit Alexandro: sed cum postridie Victor Alexandrum & eius studiosos anathemate fulminasset; Alexander tunc Anagniæ commoratus auditis, quæ gesta sunt, Victori & eius assectis pariter sacris interdixit. Ferturque fœdus cum Mediolanensibus iniuisse, qui statim vel ipsis sanctioris hebdomadæ diebus Laudem vrbem excursionibus infestarunt: à ciuibus qui in fide Cæsaris manebant repulsi fortiter, interim Reinoldus Coloniam redijt, ac subscripsit litteris, quæ varijs in archæis adseruantur.

in eo Victor recipitur.

CAPVT XIV.

Quando cœperit, qua de causa, & quamdiu extracta sit Mediolanensis obsidio posterior, ad excidium vsque: deque causa odij Cæsaris in Gualfagum.

SEPTENNIO Mediolanum obsessum fuisse Philippus Bergomas putat. *Mediolanum*, ait, *Metropolis & regia totius Cisalpinæ Galliæ ciuitas, hoc anno post septem annorum obsidionem à Friderico expugnata.* Vincentius: *Fridericus Imperator Mediolanum fere per septem annos obsedit ac destruxit.* Sexennio durasse eam vult vita Henrici Leonis *Postquam*, ait, *ergo transierunt obsidionis quinque vel eo amplius anni, Cæsar obtinuit Mediolanum & eiecit habitatores ex ea, & muros ciuitatis adæquauit solo.*

septennio durasse volunt. *Philippus Berg. in supplemento Vincentius.*; sexennio ferè. *vita Henrici Leonis.*

Idem tenet autor Chronicorum Sclauicorum c. 27. *quo facto Cæsar conuertit ad Mediolanum exercitum suum, & ciuitatem vicit sexto anno obsidionis, & adæquauit eam solo.* *Chronica Sclauica.*

Triennio Robertus à monte qui A. 1163. ait: *Fridericus Imperator Alemannorum vrbem Mediolanum, quam per tres annos obsederat necessitate famis afflictam capit.* Ac primi quidem totum id septennium comprehendunt, quod à coronatione Cæsaris, & prima expeditione Italica consumtum est: (nam ipso 1154. anno Mediolanenses Cæsar infestis armis petijt, ad 1162. vsque, quo destructo Mediolano, & subacta Italia redijt in Germaniam Fridericus: cum enim ad Mediolanensium fastum deprimendum, Laudensium supplicum precibus excitatus, totum id bellum Cæsar in Germania cum Principibus apparasset A. 1154. & anni 1158. magnam partem in domandis ijsdem, postremum vero triennium maximam partem consumsisset, tandemque excisa vrbe reuerteret, ideo creditum id omne tempus in expugnando Mediolano traductum esse.

Triennio Robertus à Monte. conciliatur.

Triennij tamen fluxisse tempus, quod multi contrahunt, credi potest: quod iam anno 1156. sint Mediolanenses velut perduelles & hostes imperij iudicati, & armis Cæsareis appetiti. Satis hoc probat Sigonius, dum de legatis Cæsaris eiectis, suburbijs dirutis ac repertis SS. Magis narrasset, Mediolanensium furorem pertexit. *Deinde delectum quam acerrimum habuerunt (Mediolanenses) ac tertio nonas Aprilis ad Tricium, quod Germanorum tenebatur præsidio processerunt, ac machinis scalisque admotis validè oppugnare instituerunt: triduo varia fortuna pugnatum multis vtrimque cadentibus, verum cum præsidiarij prælijs ac vigilijs assiduis fatigati vltra resistere Mediolanensibus integris in vicem pugnæ succedentibus nequirent, spatium ingrediendi dederunt. Occupato castro, in oppidanos omnes acerbe sæuitum. Ea res mirificè ad alienandos totius Lombardiæ animos valuit, interim Fridericus die tertia Mediolanensibus, vt se in iudicio sisterent præstituta, Iudicibus, & Iurisperitis, qui multi Bononiæ erant adhibitis,*

Sigonius lib. 12. A. 1159.

citari eos apud se iussit, & cum die dicta non adfuissent, neque aliquis eorum absentiam excusaret, legatis adhuc Pontificis præsentibus absentes condemnauit, ac res direptioni, personas seruituti addixit. Narrat deinde belli apparatum, coactas copias, vastatum agrum Mediolanensem; ciues eo vsque miseriarum adactos, vt pro necando Friderico multos sicarios subornarint, irritis semper conatibus, qui tamen non desistebat intendere in omnem occasionem, vt ijs vires cladibus illatis varijs succideret, vnam sic refert Sigonius, *omnia*, ait, *expertus* (Fridericus) *si qua ratione posset Mediolanenses ex vrbe elicere, prælumque conserere; quod res nulla successerat, ad insidias conuersus, Papienses ad mœnia populabundos adequitare, ac commisso prælio certo tramite fugam arripere iussit, seque in eo cum validis cohortibus occultauit. Paruere Papienses edicto, atque idibus Iulijs insultantes ad mœnia processere; ita Mediolanenses cum ignominiam ferre non possent, ex vrbe cum magna manu egressi atque in insidias à Friderico paratas inconsulto delapsi, prope omnes, aut capti, aut interemti, aut grauibus vulneribus sunt confecti. Ea victoria Fridericus Laudem se recepit.* Hactenus Sigonius: qui describit deinde Cremensem obsidionem & expugnationem anno sequente ineunte confectam. Confœderata erat Mediolanensibus Crema: quam dum Fridericus frustra cassam ferentibus socijs opem subigit, mirificè vires accidit Mediolano, quod vnum omnibus castris, & armis petebatur. Iam vero sequenti anno 1160. quo infame conciliabulum Papiense fuit celebratum, eandem ciuitatem armis petitam cæsarijs testatur, qui tunc viuebat, Robertus de monte: *hoc*, ait, *etiam anno, sicut & præcedenti Fridericus Imperator Alemannorum vrbem Mediolanensem obsedit, quia rebellauerant aduersus eum ijdem Mediolanenses: Papiæ, & Placentiæ turres deiecit, & ferè omnem Longobardiam ad nutum sibi subiecit* Sed acrius exarsit Mediolanensium Friderico resistendi animus tunc cum anathemate comperissent fulminatum ab Alexandro, cui Gualfagus Angleriæ Comes Mediolanensium princeps adhærebat, passim enim testantur Itali Scriptores Alexandrum ad Gualfagum confugisse. Volaterranus: *Alexander*, ait, *ad Gualfagum Mediolani tunc principem se recepit. Quare Imperator furibundus in Italiam veniens, Mediolanum aliasque terras, quæ cum eo conspirauerant desolauit.*

A. 1159. contra Mediolanenses.

victoria eiusdem.

Cremam ob eos excindit.

acta A. 11. 60. contra eosdem.

duæ causæ præcipuæ excindendi Mediolani.

Alexander ad Gualfagum confugerat.

Volaterranus.

lib. 22. Anthropologiæ.

Philippus Bergomas.

Nauclerus.

Philippus Bergomas. *Alexander autem Gualfagum Mediolanensium principem & Philippum Franciarum & Henricum Anglorum Reges, ac alios Italiæ principes confugit.* Et Nauclerus: *Alexander ad Gualfagum Angleriæ comitem & Mediolanensium principem se receperat, quamobrem ira percitus Imperator in Italiam veniens post factam & latam in se lententiam exsecrationis, Mediolanum obsedit, ac terras, quæ cum eo conspirauerant desolauit: defecerat enim omnis Transpadana regio ad Alexandrum, & in eius nominis honorem Alexandriam ciuitatem à fundamentis construxerat* (quod tamen postea contigit) *Gualfagus igitur Mediolanensium princeps imperio rebellis, multa in vrbe contra Imperatorem molitus est.*

2. ob lætam graui ignominiâ Augustam.

Chronicon Colonienſe.

Brisacensis traditio.

Felix Fabri l. 1. hist. Sueuorum c. 12.

Crusius in Sueuicis.

Bernardus Wittius.

Spigelius.

Præter hanc altera præcesserat atrocior longe caussa odij: multi enim volunt Augustam orto recens Mediolani tumultu, forte quem Gualfagus electo cum socijs Reinoldo Archigrammateo concitarat, vt eum comprimeret, eo contendisse, sed maximo cum ludibrio & dedecore cum suis vrbe exturbatam. Fide scriptorum laudandorum hoc memoro. Principio traditio Colonienſis in chronico & Brisacensis infra recitanda hoc asserit. Præterea Felix Fabri sic refert: *In eam autem ciuitatem sic crudeliter desæuit: quia aliquoties sibi periurosinuenit, & rebelles. Vnde Guelfi Imperatricem cum suis ignominiosè posuerunt super asinos vultibus caudas pro frenis ad manus dantes: sicque post iuramenta imperatori præstita imperatricem de ciuitate eicerunt.* Subscribit eidem Crusius in Sueuicis. Bernardus Wittius ita narrat. *Imperator Reinoldum cum Conrardo Palatino comite: Mediolanum ad exigendum tributum imperatori promissum misit, quibus quidem principibus non tributum modo negatum est, verum probrosis verbis exasperati, inanes mutato etiam habitu, quo tutius euaderent redierunt, quod ipsum & imperatrici, quæ Mediolanum visendi gratia, & vt ciues cum imperatore concordaret, venerat, irrogauerunt: nam asino ipsam ex transuerso imponentes, caudamque pro freno dantes per ciuitatis medium inhonorifice trahentes illuserunt.* Spigelius in Ligurinum consentit:

cum

cum enim feminea, vt putabat securitate vrbem intrasset, cuius videndæ studio iam pridem ardebat populus malè affectus imperatori, qui iterum rebellionem meditabatur, insolens fœdumque petulantiæ suæ exemplum addidit: quippe oblitus debiti, oblitus feminei decoris, oblitus armorum Cæsaris, quæ sæpius ei cum victoria intentauit, Augustam feminam capite obuerso in caudam, mulæ impositam, traditaque pro freno cauda, non tantum in vrbe circumuectam habuit summo ludibrio, sed etiam eo schemate videndam emisit per portam. Quod hic populo communiter, alij tribuunt Gualfago, vt Brisacensis traditio. *Propter Gualfagum*, ait, *Angleriæ comitem, quod imperatorem cum gynecæo per ludibrium affinis vectam vrbis portis eiecisset.* Hæc si vera, non defuit Friderico causa Mediolanum arctiori premendi obsidione, fuitque cur furor eius vnicum præcipue caput seditionis Gualfagum peteret, eique mortem iuraret.

cur Gualfago iurata mors.

CAPVT XV.

Anno 1161. *redintegratur obsidio Mediolanensis.*

CREMA præcedente iam anno capta, & infelici conciliabulo Papiensi cum summo Catholicæ religionis offendiculo celebrato, Cæsar Principes multos in Germaniam dimiserat, ij nouis collectis copijs anno vertente redierunt in Lombardiam, & Cæsarem in spem victoriæ vocarunt, vt corona totum cingeret vndique Mediolanum, ante pedem inde non moturus, quam solo adæquasset: accensus vindicandi studio ignominiam coniugi nuper irrogatam, quæ etiam cum Bauariæ duce maximisque copijs aduenerat.

claditur obsidione Mediolanum.

Itaque *rebus omnibus* (ait Sigonius) *necessarijs apparatis, quarto Kalendas Iunij cum vniuerso exercitu in agrum Mediolanensem procedit, ac segetes, vineasque toto latè percurso agro corrumpit, inde castris propius vrbem admotis; in multas partes copias diuidit, atque vrbem vndique septam intentiore cura obsidere instituit. Contra Mediolanenses haudquaquam animis defecerunt; veram namque ad acrem obsidionem pertinerent, tanto studio præpararunt, vt ne si hostes quidem quiescerent, ipsi quietem acturi essent, ac partitis inter se laboribus, modo ab hac modo ab illa parte, vt cuique distributa munera erant, egressi certatim præcipuum sibi fortitudinis, ac fidei patriæ præstitæ decus depoposcerunt. Clausa vndique vrbe omnium rerum pretijs auctis, magna ciuitatem caritas primum, deinde impedita cibariorum inuectione inopia cœpit; quæ mala etiam grauiora fecit ingens alieni æris, quo plerique obruti erant magnitudo, quo ne funditus perirent, ciuitas denos & octonos viros ad eam rem inspiciendam legit ex singulis tribubus ternos, qui magna cum cura imminentem multorum perniciem subleuarent.* Totus deinde fuit Cæsar in eo, vt omnem inuehendi commeatus opportunitatem præcluderet: hac de causa Laudem se recepit appetente bruma, vt Brixianis alimentorum in vrbem deportandorum adimeret facultatem: reliquas exercitus partes proximis circumquaque in castris disposuit, atque vt in eandem intenti curam vigilarent, mandauit. Cremonam inde profectus, Decembrem totum exegit, ibique vias militum præsidio firmauit, ne quam annonam Placentini possent importare: sed ne quis id deinceps attentaret seuerè præcepit exercitui: vt in eo conatu deprehensis manus præscinderent, aut oculos eruerent, aut auribus abscissis domum remitterent, vt alios ab incœpto deterrerent, quosdam etiam imbribus noctu diuque obiectos, & frigore obrigescentes ad lytrum ingens pendendum compulit. Ita res ad extremam alimentorum omnium inopiam Mediolani eo anno deuenit.

ciuium inopia rerum necessariarum.

Cæsar commeatus inuectionem prohibet.

CA-

CAPVT XVI.

Henricus ſecundus Epiſcopus Leodienſis petit ab imperatore donari ſibi reliquias ſanctorum trium Regum.

laus Henrici Leodienſis Epiſcopi.

PRÆERAT Leodienſibus ea tempeſtate præſul Henricus delays, percarus imperatori, qui tam in prima expeditione Italica, quam hac altera ſtrenuè rem geſſerat, perfamiliaris S. Bernardo, cuius miracula cœci illuminati, & alia Leodij patrata vidit, inde condidit eiuſdem ſancti viri conſilio cœnobium Alnenſe, domi militiaque clarus: Hunc eundem Victore antipapa demortuo cuncti cum imperatore ſucceſſorem adoptare fruſtra, nimis ipſo detrectante cupiebant, & ipſe Fridericus euerſo Mediolano ciuibus eundem præfecit, cuius prudentia pacificè regerentur.

promittuntur corpora trium Regum ei. Cornelius Zanfliet.

Itaque cum tantum gratia valeret, & autoritate apud Cæſarem, fama pridem vulgata de corporibus SS. Regum triennio ante Mediolani repertis, impetrauit ab imperatore, vt ea capto Mediolano Leodienſi cederent Eccleſiæ, quod ipſum obtinuiſſe Leodienſes hiſtorici volunt. Et in his Cornelius Zanfliet. *Aſſerunt quidam quod eadem ſacra corpora trium Regum Fridericus Imperator promiſerat, & conceſſerat Henrico Leodienſi Epiſcopo, vt ea Leodium transferret ad decus & ornamentum ciuitatis ſuæ.* Quo ſenſu ſcriptores reliquos Leodienſes intelligendos eſſe poſtea demonſtrabo, qui duce Ægidio aureæ vallis religioſo ſentire videntur; non promiſſa tantum eidem; ſed & tradita fuiſſe: ne tamen ea Leodium transferret, mortem in Italia maturatam impediuiſſe, adeoque ceſſiſſe Reinoldo Colonienſi ipſum auſcultemus. *Contigit quoque illis diebus, vt Domino reuelante in quadam Eccleſia iuxta Mediolanum corpora trium Magorum, qui, vt in Euangelio legitur, Domino in cunabulis pretioſa munera obtulerunt, aurum ſcilicet, thus, & myrrham reperta fuerunt. Henricus, qui valde carus erat imperatori, rogauit Regem, vt ad honorem ſuæ Eccleſiæ prædicta corpora ab illo loco, in quo inuenta erant ad vrbem Leodienſem permitteret transferre. Qui cum annuiſſet, & ei tantum theſaurum dediſſet, ſicut à maioribus noſtris audiuimus, in reditu Italiæ apud Papiam defunctus eſt, pridie nonas Octobris, anno Dominicæ incarnationis* 1164. *indictione* 12. *cuius oſſa relata ſunt Leodium, & ſic Leodienſis Eccleſia pretioſa corpora trium Magorum perdidit vſque in hodiernum diem.* Idem cum capite ſequenti narraſſet modum, quo Conſtantinopoli Mediolanum ſacra Regum corpora deueniſſent, ſubdit. *Poſtmodum anno Domini* 1164. *cum Fridericus Romanorum Imperator Mediolanenſes ſibi rebelles ſubiugaſſet, & eſſet ciuitas in eius poteſtate, mortuo in partibus illis, vt ſupra diximus, Henrico Leodienſium Epiſcopo, cui Imperator trium Magorum corpora contulerat, Reinoldus Colonienſium Archiepiſcopus ſæpe dictos Reges ſibi dari petijt, & obtinuit.*

Ægidius c. 47. Leod. Epiſc.

Chronicon M. Belgicū.

Cum Ægidio facit Chronici magni Belgici autor: *cui*, ait, *Imperator Fredericus dedit corpora trium Magorum, cum eſſet cum eo in expeditione Italica; ſed defunctus eſt apud Papiam Henricus Epiſcopus antequam mancipaſſet rem effectui: & ſic Colonienſis Eccleſia ea Coloniam detulit: obyit pridie nonas Octobris.* Accedunt huic ſententiæ geſta Abbatum S. Laurentij: *Fuit cum Imperatore Henricus Leodienſis Epiſcopus, qui in tantum eius gratiam adeptus eſt, vt Mediolano deſtructo trium Magorum corpora, qui Domino Ieſu in cunabulis poſito aurum, thus, & myrrham obtulerunt ei Leodium transferre concederet, ſed prò dolor Epiſcopus morte præuentus, apud Papiam defunctus eſt, & ſic Leodienſis Eccleſia pretioſa Magorum corpora perdidit vſque in hodiernum diem.* M. S. liber ſancti Laurentij de Epiſcopis Leodienſibus vterque idem aſſerit, quorum verba ſequenti libro recitabo. P. Ægidius Bucherius, ait, *corpora trium Magorum primum Henrico Epiſcopo Leodienſi data, ſed per mortem eius Reinoldo adſcripta*, & Ioannes Roberti, *corpora trium Magorum pro Eccleſia ſua Leodienſi obtinuit, ſed Epiſcopo apud Papiam defuncto delata non ſunt.* Sed niſi vt dixi cum Zanfliet accipiantur iſta de promiſſione tantum facta, contra ſeipſos & idoneos autores dicunt ſententiam. Cum enim

Geſta Abbatum S. Laurentij.

M. SS. libri S. Laurentij de Epiſc. Leod.

Bucherius in Chronologia Epiſc. Leod.

Ioannes Roberti.

enim sit exploratissimum, anno 1162 Mediolanum euersum esse, & eodem ipso anno, vt infra probabitur : vel saltem anno 1164. vt aduersarij concedere debent, mense Iulio Coloniam venerint ac trimestri post tantum, vt Ægidius habet pridie nonas Octobris Papiæ sit mortuus Henricus, vt alij mense Decembri, quomodo post mortem eius Reinoldus, qui iam in Germaniam redierat. eadem est consecutus? nisi dixerimus non nisi anno 1165. Coloniam peruenisse, contra omnem veterum historiam & Reinoldi commorationem Germanicam à Pentecoste ad finem vsque anni. Scilicet vt dicetur infra. Reinoldus astu tam decepto Henrico Leodiensi Episcopo, quam ipso Friderico Imperatore ante deditionem Mediolanensem iam ea Coloniam versus destinarat, vel extra castra tutum in locum deportarat, Imperator verò ne Henricus Episcopus Leodiensis tristitia commoueretur anno 1162. diruto & exciso Mediolano ciues eius curæ commisit, vt alibi sedibus locatis eius arbitrio regerentur; ideo eum Æneam nouum Ægidius appellauit, *is ait* (Henricus) *in prima expeditione Italica, qua Fridericus Imperator Mediolanum obsedit strenuè se gessit, in omni negotio & consilio Imperatori adsistens, in tantum autem familiaritate & amicitia ei complacuit, vt Mediolano destructo omnes reditus Episcopatus ciuitatis dirutæ ei committeret, vt in restitutione (vt ita dicam Troiæ) in relocandis alijs mœnibus, agrisque indigenis terræ ad placitum suum secundum statum nouæ villæ distribuendis iam fieret alter Æneas*, Idem Sigonius ad annum 1162 euerso Mediolano sic recenset. *Mediolanensium autem, qui per agrum dissipati erant præfecturam in sex diuisit, & cum singulis præfectum Germanum proponeret, sextæ, quæ vrbem complexa est, Episcopum Leodiensem præposuit, cumque maiore quam ceteros autoritate ornatum, summæ rerum Mediolanensium præesse voluit, capitaneos, valuasores, scribasque omnes veteres abrogauit, ac nouos instituit, atque apud se sacramentum dicere iussit.*

quæ nunquam ei sunt tradita. sed ante mortem Henrici Reinoldus ea Coloniam detulit. donatus iis ante deditionem vrbis. compensatione factâ Henrico. *Ægidius c. 41.* Præfectus cinibus Mediolanensibus. *Sigonius lib. 13.*

CAPVT XVII.

Anno 1162. Mediolanensis vrbs Bohemorum & Reinoldi Colonensis Archiepiscopi constantia ad extrema redigitur.

IAM vndique corona militum cinctum Mediolanum vigilantia Cæsaris ita custodiebatur, vt nihil annonæ posset vlla humana solertia importari, ac rerum necessariarum defectu ciuitas ad extrema deuenerat: iam canes & equi in delicijs præ famis tormento habebantur. Vnum succurrit desperatis in rebus consilium, cum Henrici Leonis tum Saxoniæ quam Bauariæ Ducis potentia virtuteque Cæsar plurimũ niteretur, qui sex militum millia alebat in castris, pecunia corrumpendum Ducem censuerunt, vt missionem ab Imperatore flagitaret, sperabant enim eius discessu reliquos etiam Germaniæ Principes desperata victoria tantis auxlijs submotis reditum maturaturos. Sed licet ingenti nummorum vi Henrici mentem expugnassent, & is cum suis in Germaniam redijsset, Bohemorum tamen virtute & Reinoldi Cancellarij constantia factum est, vt de ciuitate dedenda consilium inierint. Vt enim Bohemiæ Regis præcipue potentia circa annum 1158. Mediolanum fuit compulsum, vt se dederet Imperatori, sic cum anno præcedente filium is suum cum validis copijs ad Cæsarem in Lombardiam amandasset, & recens Reinoldus Cancellarius cum nouo militum supplemento Cæsaris exercitum auxisset, horum industria perfecit, vt nihil commeatus in vrbem inueheretur, itaque cum humani desperata spes esset auxilij anno 1162. de tradenda quibuscunque etiam conditionibus vrbe fuit deliberatum, sed de Henrici discessu à Mediolano præter Chronicum Saxoniæ, Colonienſe Vitrium Leisbornensem & Irenicum lib. 9. exegesios cap. 40. idem insinuat Anonymi vetus historia Landgrauiorum Thuringiæ, his verbis *Fridericus Imperator Mediolanum capit & funditus destruxit, vbi Henricus Dux Brunsuicensis dictus Leo propter animositatem contemnens, & eius mandata, ab eo recessit in necessitate posito in partibus Lombardiæ, propter quod Imperator ipsum Ducem feudo priuauit.* Scio rursus eum ab Alexandria obsidenda recessisse, sed & id hoc tempore factum esse cum velint horum fide & periculo refero.

extrema Mediolanensium fames.

corrumpunt pecunia Henricum Leonis,

Chronicon Saxoniæ & Colonienſe. Vitius. Irenicus lib. 9.

CAPVT XVIII

Eodem anno traditum & euersum esse Mediolanum, non autem serius.

1. sententia A.1198. *Crantzius*

ANNVS excisi & euersi Mediolani controuersus apud scriptores est Crantzius in sequenti citandus putat anno 1168. captum & dirutũ: anno 1165. factũ scribit Ioannes à Leidis: enarratis enim gestis eius anni subdit, *Fridericus autem Imperator adscendit posthæc & obsedit ciuitatem Mediolanensem, capta autem ciuitate.* & Volaterranus: *sub Imperatoribus quasi liberum floruit* (Mediolanum) *donec Fridericus Ænobarbus anno* 1165. *dirutum, colonis per vicina loca reddidit.*

2. sententia A.1165. *lib.18. Chronici Belg.*

Anno vero 1164. Ægidius aureæ vallis: *Postmodum anno Domini* 1164. *cum Fridericus Romanorum Imperator Mediolanenses sibi rebelles subiugasset.* Consentiunt lectiones Colonienſium vetuſtioris, Chronicon Colonienſe. Ciacconius *A.* 1164. *vrbs Mediolanum à Friderico capta, magnum in eo crudelitatis virus exercuit, dum non solum diruerit, ita vt nec lapis super lapidem superfuerit.* Crantzius in metropoli lib. 6. c. 46. *Mediolanum quoque deiecit tum Reinaldus corpora trium Regum inde extulit & Coloniam deportauit erat annus* 1164. *at in Saxonia sentit aliter.*

3. sententia A 1164. *Ægidius. Lect. Coloniensis & Chronicon Ciacconius Crantzius.*

Ad annum 1163 reuocat Robertus à monte. *A.* 1163. *Fridericus Imperator Alemannorum, vrbem Mediolanum, quam per tres annos obsederat, necessitate famis ad actam capit & destruit*: sic appendix ad Radericuum. *Anno* 1163. *Mediolanum captum & funditus euersum est.*

4. sententia A.1163. *Robertus à monte.*

Ad annum 1161. Ægidius de Roya: *Anno Domini* 1161. *Fridericus Imperator ciuitatem Mediolanensem diu obsessam capit.*

5. senter. A. 1161. *Ægidius de Roya.*

Mihi certa videtur eorum sententia, qui A. 1162. ponunt excidium: ita scribit qui interfuit Burchardus Notarius ad Abbatem Sibergensem: narrato enim fusè excidio subdit. *Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis* 1162. *anno regni Friderici vndecimo: electione vero Episcopatus D. Reinoldi* 4. Dodechinus coæuus A. 1162 *Imperator in Lombardia res publicas agens Mediolanum rursum à Cæsare obsessa, insimul etiam in breui capta, populus expulsus, murus in circuitu deiectus.* Siphidus Presbyter *A.* 1126. *Imperator Fridericus primus Mediolanum capit & expugnauit*, Godefridus Pantaleonita. *A. Dominicæ Incarnationis* 1192. *Mediolanenses longa obsidione totis iam viribus fracti interuentu quorundam Principum adiuti. Imperatoriæ potestati se & ciuitatem tradiderunt Kalendis Martij.* Otto de S. Blasio. *Anno Dominicæ Incarnationis* 1162. *Mediolanum denuo cingitur: tandem miseri ciues dextras dederunt.*

6. & certa sententia A.1162. *Burchardus Dodechinus* *Siphidus Godfridus.* *Otto à S. Blasio.*

Compilatio Chronologica: *eodem tempore* (1162.) *Fridericus Dux Sueuorum imperium adeptus: iste Imperator A.* 1162. *Mediolanum cepit & expugnaut muros eius, & subuertit omnia ibi & vastauit.*

Compilatio Chronologica

Chronicon magnum Belgij. *Anno sequenti, qui fuit* 1162. *Mediolanenses obsidione, fame, inopia: & quod grauius est seditione coarctati per internuncios petunt ab Imperatore misericordiam.*

Chronico'n M. Belgij.

Chronica Auguſtenſis. *A.* 1162. *Imperator Mediolanum destruit.*

Chronica Augustensis

Appendix ad Scafnaburgenſem. *Anno Domini* 1162. *Mediolanum destruitur à Friderico Imperatore, & anno* 1167. *demum reædificatur.*

Phillippus Bergomas: *Mediolanum autem hoc anno post septem annorum obsidionem à Friderico Imperatore expugnata & capta.*

Philippus Bergomas.

Ad eundem annum reuocat Sigonius lib 13. de regno Italiæ: Briſacenſis tranſlatio SS. Geruaſij & Prothaſij.

Colonienſes Lectiones recentiores, Trithemius, Browerus & alij. Vt iam de eo non poſſit anno controuerti, cum coæui & viciniores ſcriptores id conteſtentur; Friderici reditus in Germaniam, geſta & diplomata conſentiant, nam & Fridericus ipſe

capto

capto iam & exciſo Mediolano ad diuerſos dedit litteras, eodem anno ſubſignato: vt infra recitabo.

CAPVT XVIIII.

Gualfagus Angleriæ Comes, cui mortem iurarat Cæſar: offert Reinoldo corpora SS. Regum, vt vitam ſibi impetret.

GVALFAGVS Angleriæ Comes ſeditionis autor: comperto ſibi iuratam à Cæſare necem, cum anno 1162. Menſe Februario rem ad extrema veniſſe cerneret, nec tradenda tantum, ſed & ad victoris Cæſaris arbitrium tradenda ciuitas videretur, Reinoldum erò Cancellarium plurimum poſſe gratia apud Fridericum non ignoraret (iam antea ſibi notum, quippe qui ſæpius miſſu Cæſaris legatione functus fuiſſet Mediolani: & quem ipſe triennio ante ciuitate exegerat) eum tamen adhibere deprecatorem voluit: vtque facilius quod petebat, impetraret, cum ſciret fama vulgatum Leodienſi Præſuli iam à Cæſare corpora SS. Regum promiſſa, nihilominus Mediolano eſſe exportanda, potius Reinoldo cupidiſſimo talium pignorum obtulit, vt eius conſilio vitam ſeruaret. Erant diruto templo Euſtorgiano ſacra lipſana in vrbem deportata, & ſiue apud Gualfagum (quem Colonienſes Lectiones veteres etiam Aſſonem vocant) in palatio depoſita, ſiue ad ſororem eius antiſtitam Parthenonis ſeruabantur; acceſſit opportunitas ſecreti cum Reinoldo colloquij inſtituendi, cum Reinoldus Palatium principis huius, armis expugnaſſet, cœperunt, inter ſe conſilia communicare: quod horariæ preces emendatiores ita narrant contigiſſe. *Anno Domini* 1162. *cum Fridericus Romanorum Imperator huius nominis primus ciuitatem Mediolanenſem ſibi ſubiugaſſet, Reinoldus S. Colonienſis Archiepiſcopus ibidem exiſtens, cum ſuo exercitu palatium Aſſonis, qui in eadē vrbe primatum tenebat, occupauit: Qui habito ſecreto conſilio cum dicto Epiſcopo vt ſibi vitam & gratiam apud Auguſtum, cui valde infenſus erat impetraret: ſanctorū Magorum corpora, quæ in ipſo palatio à primoribus dictæ vrbis ſub depoſito collocata erant eidem obtulit.* Alij malunt internuncia ſorore pro fratre ſollicita rem tranſactam eſſe, cui Chronicon Colonienſe fidem facit: & res à Crantzio geſta breuiter ſic narratur: *Annus erat 68. poſt centum atque mille cum Cæſar Fridericus, grauiſſima obſidione vrgeret Mediolanum viues ad extremam famem perducti deditionis fecere mentionem, promiſſa incolumitate ciuium, Cæſar vnum excepit primarium ex vrbe virum, qui rebellionis autor diceretur quem etiam poſcebat ad ſupplicium: & vbi comperit Abbatiſſa loci: in quo manebant corpora trium Regum, Germana ſoror eius viri, pacta eſt cum Archiepiſcopo Colonienſi vitam fratri: ſciebat enim ciues: etſi non libenter dederent hominem ad ſupplicium, extrema tamen fame preſſos neceſſitati ceſſuros, & pro munere pollicetur ſanctas illas reliquias*

Gualfagus tranſigit cum Reinoldo.

per ſororem.

Chronicon Colonienſe.

Crantzius.

Autentica narratio Briſacenſis.

Eandem rem fuſius narrat tranſlatio autentica Briſacenſis tempore eodem facta SS. Geruaſij & Prothaſij ex Archiuio ciuitatis & Lipſanotheca petita, ſic autem, ait, *Cum Imperator Fridericus Barbaroſſa Dux Sueuorum Mediolanum obſediſſet, propter Gualfagum Angleriæ Comitem, quod cum Dominus & princeps Mediolanenſium eſſet, Alexandrum à quo Cæsar anathemate fulminatus erat, in fidem & tutelam recepiſſet, & Imperatricem ipſam cum gynecæo per ludibrium aſinis vectam: vrbis portis eieciſſet: ideo Anno* 1162. *vt idonei ſcriptores cum fide narrant tertia vice cingit obſidione, iurauitque capta ciuitate mortem Gualfago, & excidium Mediolano, vt Auguſtæ factam ignominiam vindicaret. Inaudierat illud animi ſui magno cum dolore ſoror Gualfagi: & ſolicita deliberat, qua poſſet arte viaque fratris ſeruare vitam, & offenſum Cæſaris animum delinire. Maturo tandem conſilio non ſine vitæ periculo clam è ciuitate ſe proripit & in caſtra Cæſaris ad Reinoldum Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem, qui degebat apud Cæſarem ſe confert, cui dolorem animi de fratris periculo comminationem Cæſaris*

saris, & extremam ciuitatis Mediolanensis rerum omnium inopiam aperit, nec diffitetur eo ventum, vt non possint amplius ciues obsidium tolerare: offert igitur eidem præstantissimas quasque reliquias, primo translatas eo Anno 311. *Constantinopoli* sanctos tres Reges *Gasparem, Balthasarem, & Melchiorem.* Enumerat & alias, de quibus infra. *Quod si speraret Archiepiscopus vitam posse fratris conciliato Cæsare conseruari: spondet dicta sacra pignora se daturum, de modo etiam quo res perfici possit consulunt in medium.* Hactenus Brisacensis autentica narratio.

Perantiquam hanc esse confirmat Bernardinus Corius scriptor Mediolanensis, qui ante ducentos ferè vixit annos Mediolani: nam autenticum sibi è Germania transmissum ait testimonium hoc exemplo. *Imperator destruxit Mediolanum, in qua destructione soror vnius vice-comitis, qui erat in potestate, propter liberationem fratris iuit ad R. D. nomine Rodulphum & Archiepiscopum. Colonienſem, & ostendit tria corpora Magorum.* Ripamontius eadem narrat & alij. Wittius idem fusè refert cum Chronico Saxonico, fides penes autores sit.

CAPVT XX.

Reinoldus clam accipit corpora Regum ante deditionem vrbis.

Curante corpora sint trædita quam vita seruata.

VIDERI possent non ante sacra lipsana data, quam seruata Gualfagi vita meruisset: sed ego Reinoldum vrsisse sanctorum corporum traditionem prius existimem, & sua etiam causa Gualfagum, quo magis sibi antistitem obligaret in idem libenter consensisse, increbuerat ciuitatem prædæ militibus: sacras reliquias Episcopis diuidendas, nec ignotum iam Leodiensi, vt dixi, Præsuli promissas sanctorum esse Magorum exuuias, in quorum possessionem nisi maturasset Reinoldus venire, dedita iam vrbe ijs caruisset, non enim potuisset Cæsaris factam promissionem rebus adhuc integris infirmare.

consilium Reinoldi.

Gualfago vtile.

Maluit igitur (vt complures docent) inscio Cæsare via clancularia Coloniam versus destinare vel in tuto locare, ac tunc primum cum reuocari abitinere vix posse viderentur, facilius extorquere ab Imperatore donationem.

ad vitandas suspiciones aliorum.

Magis autem Gualfagus extra ciuium inuidiam erat: nam (sicut quidam scribunt) capto Gualfagi palatio, Reinoldus congressus amicè cum ipso, cœpit de vita eidem seruanda deliberare tunc, cum in ipso palatio depositа corpora seruarentur, ideo facile spargi in vulgus potuit, intercepta ab Episcopo corpora fuisse, & belli iure capta: vt & ciuium declinaret odium, & Germanorum aliorum offensam, qui ijsdem sacris exuuijs inhiabant. Certe cum Imperator ipse, & Conradus frater eius, vt dicetur infra magnopere sacra pignora desiderarint: si donatâ vitâ seditionis autori Gualfago, iam vinculis mancipato, caninoque more seruato compertum, tunc primum esset, quod eo lytro sibi vitam redemisset, multo peius sibi suisque consuluisset, quam si iure belli capto palatio peruenisse nuper ad Reinoldum affirmaret: siue igitur per fidos internuncios vltro citroque communicatis colloquijs ea specie, quasi iam de tradenda Cæsari ciuitate ageretur, siue per seipsum in arce rem transegerit, siue denique per sororem; statim videtur in possessionem immissus, Reinoldus corporum, saltem SS. trium Regum: nam alia simul promissa postea commodius capta ciuitate putem obtinuisse. Atque ita intellige verba veterum lectionum: *Reinoldus cum suo exercitu palatium Assonis* (vel Gualfagi) *occupauit: qui habito colloquio secreto cum dicto Episcopo, & sibi vitam & gratiam apud Augustum, cui valde infensus erat, impetraret, sanctorum Magorum corpora, quæ in ipso palatio à primoribus dictæ vrbis sub depositо collocata erant, eidem obtulit: qui nimium exsultans, & libentissimè annuens, mox tam Reges, quam sanctorum Felicis & Naboris Martyrum corpora, quia timebat Imperatorem, clam per honestas personas Coloniam transmittit. De hinc accedens Imperatorem.*

Lectiones horariæ.

Sed hæc è dicendis clarius ostendentur.

CA

CAPVT XXI.

Miro æstu corporibus acceptis ea transfert extra castra Coloniam versus, vel in locum tutiorem.

PROVIDEBAT animo Reinoldus pericula, ne tantus thesaurus Ecclesiæ Colonienſi donatus eriperetur. Totus igitur in eo fuit, vt quamprimum clam omnibus, Cæsare in primis, Conrado fratre eius comite Palatino, & Leodienſi Episcopo extra castra tutum in locum transferrentur: & quia quæuis onera elata castris tot vix poterant Argorum oculos effugere, quin opimi cuiusdam spolij mouerent suspicionem, & irritarent curiosam multorum cupiditatem. Hoc inijt consilium. Spargit in vulgus tres amiciſſimos suorum peste infectos decessisse, tribus igitur diuersis paratis loculis eos in Germaniam breuiore via remittit, patrijs vt tumulis inferantur: sic arcuit curiosorum inspiciendi cupiditatem. Rem ita gestam narrat Ioannes à Leidis Carmelita. *Fridericus Imperator adscendit post hæc, & obsedit ciuitatem Mediolanenſem cum multis Episcopis, ducibus, comitibus, & alijs principibus. Capta autem ciuitate, quidam ditissimus ciuis Reinoldum Archiepiscopum Colonienſem conuenit, vt vita sibi incolumis, & res suæ hoc pacto conseruarentur, vt idem ciuis eidem Episcopo tres Magos sanctos Reges in manus suas resignaret, & quomodo adducerentur nullo ciuium, vel extraneorum sciente consilium daret: promisit Episcopus, & suscepit Magos tres, qui quia integri erant, nec facile abdi vel abscondi poterant, à datore eorum hoc accepit consilium; vt factis tribus feretris, simularet tres amiciſſimos suos cognatos pestilentia mortuos, & se coniuratum ab eis, vt per seipsum adducerentur ad patriam suam. Dispersa igitur est hæc fama de mortuis cognatis Episcopi in populo, qui accepta imperatoris licentia, & equis velocibus lecticas trahentibus, & aromatibus myrrhæ & thuris aërem circum circa permulcentibus Coloniam peruenit.* Sed cum è castris eduxisset elusis in speciem principibus, mulos singulis sacris corporibus onerauit: ea compositione qua merces ab ijs institorum deuehuntur: vt locorum per quæ transiit traditiones consentiunt: ita Chronicon Colonienſe vult æstu etiam nouo tunc vsum fuisse, nam mulis & equis fideliſſimorum de familia soleas auersas applicuit, vt insequentes fallerent notis vestigiorum, donec in tuto sacras exuuias collocassent. Cum enim Reinoldus abesse non posset ab exercitu: & ab ipso transigenda nomine Cæsaris esset deditio ciuitatis, vt omnia rectè & prudenter, ac sine offensa Cæsaris cum eiusdem etiam gloria nominis sempiterna gererentur, prouidendum sibi putauit; & talibus obsequijs heroicis animum deuincire Friderici, quo facilius annueret eius votis, & Reges tres Coloniæ donaret.

primus æstus Reinoldi.

arcet curiositatem inspiciēdi. *lib. 18. chron. Belg. cap. 4.*

alter æstus eiusdem.

CAPVT XXII.

Ciuitas Mediolanensis exhausta fame, missis ad imperatorem tribus legatis, offert deditionem, seque tradit victoris arbitrio.

REINOLDVS securus iam, sacris exuuijs in tuto collocatis (prope Comum vt quidam volunt) huc omnes industriæ neruos intendebat, vt staret promissis, Gualfagi vitæ consuleret, & quam honestissimis conditionibus, Cæsari victori glorioſissimis ciuitas dederetur. Iam eo ventum erat miseriarum, vt nisi breue intra tempus alimentis succurreretur, certa cunctis mors immineret & quibuscumque etiam legibus à victore dicendis eius se gratiæ dedere victi cogerentur: volebat tamen Reinoldus ciuium, & in primis Gualfagi vitæ consultum esse. Itaque cum Laude resideret Imperator, eo destinari tres legatos Mediolanenses fecit, quo & ipse properauit, vt omnia rite peragerentur.

Hanc

Sigonius A.1162. extrema inopia Mediolanensium.

Hanc legationem ita describit Sigonius ex necessitate suprema natam. *Ineunte inde Ianuario cum nulla exparte res ad victum necessariæ acri diligentia hostium supportari possunt Mediolanum, eo inopiæ necessitatisque redacti sunt, vt canes eosque comederent, qua de re graues in vrbe tumultus, atque acerba passim turgia audiebantur, cum alter alterum, omnes vero Archiepiscopum increparent, quasi ille aut bello temerè tanto caussam dedisset, aut paci moram, atque impedimentum adferret, qua re audita permotus Archiepiscopus, ad Alexandrum Gennam se recipit.* adigit per legatos vt offerent deditionẽ. *Ciuitas vt legati iterum de pace ad Fridericum mitterentur, decreuit: missi tres cum liberis mandatis Ossa ossius, Albertus filius; ac Anselmus Ortus, ipsum Laude, quo recesserat, conuenerunt; potestate dicendi impetrata, pacem petierunt: pollicentes se in honorem ipsius muros vrbis sex locis deiecturos, fossas completuros, ipsique demum dicto audientes futuros. Fridericus Germanis principibus sociarumque ciuitatum consulibus in consilium aduocatis, fuisse, non eorum arbitrij deditionem velle respondit, quam conditionem etsi grauissimam legati receperunt.*

consilium principum cogitur.

Hactenus Sigonius, sed cum comitijs istis Reinoldus qua vellet moderandis, & qua vellet inflectendis, plurimum valeret autoritate, licet grauius deceanendum in eos multi putarent, cunctis tamen vt vita donaretur, & quidquid suis efferrent humeris, euicit: aderat Buchardus Cæsaris Scriba, qui comitiorum acta fideliter refert, præsertim quid in ipsis Reinoldus præstiterit. *Tandem*, inquit, *post multos terminos, & machinationes plurimas suprema necessitate famis & inediæ coactis in capite ieunij termino constituto duo proponebant: videlicet vt vel sine omni terrore se dederent, vel per conuentionem gratiam inuenirent. Conuentio talis erat, totum fossatum planare, muros & omnes turres destruere, trecentos obsides dare, quoscumque eligeret Imperator: & vt hi per tres annos in captiuitate tenerentur: potestatem, quam vellet Imperator, siue Teutonicam siue Lombardicam recipere, & super his igitur agitato consilio, magna pars principum, quorum caput Dominus noster Coloniensis conditionem recipiendam consuluit, quia tunc plena esset victoria & Imperator vindictam & misericordiam pro velle posset exercere. Quidam etiam vtrumque esse decebant honestũ imperio: maior etiam pars, cuius caput Comes Blandiarensis comitem recipiendam consuluit, tum quia ad hanc Mediolanenses propentiores viderentur, & tandem omnes licet inuiti in hanc consenserunt.* vides hic Reinoldi sententiam obtinuisse; quem etiam puto legatis conditionis puncta suggessisse, quo facilius vitam ciuibus impetraret, sed cum res protraheretur diutius, nec extrema ciborum penuria moram pateretur, vltro legati deditionem sine conditionibus obtulerunt, sola freti victorum clementia subdit enim: *protractis igitur aliquot diebus pro remissione sacramenti, quo Mediolanenses Brixiensibus, & Placentinis tenebantur, cum difficultatem conuentionis attenderent, & rerum exitus longius metirentur, stupefacti, & amissa conuentione, ipsi deditionem elegerunt, & ad socius misericordiæ propitiatorium se contulerunt. In Kalendis igitur Martij id est prima die mensis Consules Mediolanensium cum alijs nobilibus numero quasi viginti se cum ciuitate, cum rebus & personis, remota omni simulatione fraudis, qua in prima deditione nos circumuenerant, sine omni tenore & conditione prostrati cum nudis gladijs in cernicibus palam in plena Curia Domino Imperatori reddiderunt: præstantes sacramenta quæcunque iudebantur pro se, & pro ceteris omnibus Mediolanensibus.* Hæc prima scena luctuosæ tragœdiæ: sequitur altera. *Rursum sequenti die Dominica, qua conuenienter cantabatur Reminiscere miserationum tuarum Domine, plusquam trecenti electissimi milites Mediolanenses cum præfatis Consulibus venientes item præsidente Domino Imperatore prociderunt, & tam pulcre, quam miserabiliter properantes solam misericordiam inuocabant, claues ciuitatis obtulerunt omnium portarum, atque arcium resignantes vexilla principalia, quæ erant numero triginta sex, & ipsi sacramenta eadem quæ Consules præstiterunt*: Hæc dolorum & tragœdiæ præludia. Tertia Scena populi miserabilem, & depressam omnem Mediolanensium superbiam & fastum, & in imagine curuli, reapse Cæsari hoc modo repræsentat. *Postea*, ait, *tertia feria venit populus cum carrocio: quod apud nos standart dicitur, & cum reliqua militum multitudine, offerens omnium viciniarum vexilla numero centum & paulo plura: per ordinem ergò nouam Laudam ingressi populus triumporta-*

conditiones oblatæ à Mediolanensibus.

crescente verò fame sine conditionibus se tradunt Mediolanenses. Kalendis Martiis vrbs deditur à consulibus 1. scena.

altera.

claues offeruntur cum vexillis. 3. scena populi deditio.

portarum currum p ræcedebat, reliqua vero multitudo sequebatur vsque ad imperatoris palatium. Qui in solio excelsior residens, quam cito ab illis videbatur, tubicines stantes in curru tubis æreis fortius intonabant. Et superbiæ suæ tunc morienti ibidemque sepeliendæ quasi supremas exsequias repulsabant, & finito clangore, statim imperatoriæ receptioni sunt oblatæ. Denique singuli viciniarum maiores procedebant, profitentes & vexilla sua per ordinem à primo vsque ad vltimum resignantes. Vide nunc Mediolanum in imagine sua supplex, cum antea velut currus triumphalis & bellicus terrorem quaqua versum Italiæ toti incussisset: nunc depressum, euersum, abiectum, & humi stratum suum in effigie luctum ruinam & excidium deplorare & lamentari, vt Cæsaris extorqueat clementiam: *stabat* (ait spectator omnium trepidanti tunc similis Burchardus) *currus multiplici robore conceptus, ad pugnandum desuper satis aptatus, ferro fortissimè ligatus, de cuius medio processit arbor procera, ab imo vsque ad summum ferro, neruis, & funibus tenacissimè circumtecta, in huius summitate eminebat crucis effigies, in cuius anteriori parte B. depingebatur Ambrosius, ante prospiciens, & benedictionem intendens quocumque currus verteretur. Is post omnis Mediolanensium honoris resignationem vltimus accessit, & ipse caput suum declinaturus, cui, qui præerant arte totam machinam, & arborem ipsam vsque ad terram declinabant: adeo vt nos, qui intra solium Domini imperatoris eramus, ruinam machinæ veriti excuteremur: sed arbor deflexa nec cecidit, nec readscendit: donec Imperator fimbrias vexilli collegit, currumque readscendere fecit, & stare subiugatum.* Attende nouas verborum & actionum machinas, & vehementes arietes, quibus pectus Cæsaris emolliant. *Tunc milites & populus vnanimiter in facies suas ceciderunt, plorantes & misericordiam inuocantes. Post hæc quodam consule miserabiliter perorante, finita oratione omnis multitudo rursus procidit, & cruces, quas tenebat extendens, cum eiulatu magno in virtute crucis misericordiam inuocauit. Vnde vehementer moti sunt ad lacrymas quicumque audierunt, sed imperatoris facies non est immutata. Tertio Comes Blandratensis pro illis olim amicis suis perorans miserabiliter vim fecit omnibus, vt possent lacrimari, ipso* crucem præferente, & tota multitudine item cum ipso *suppliciter procidente: sed solus Imperator faciem suam firmauit vt petram Deo*: at quia tam in comitijs primas ferè, quam in imperatoris priuato consilio tenebat cancellarius Reinoldus: per quem vt dextram Fridericus cuncta perficiebat, ipse nomine Cæsaris, & deditionem accepit & misericordiam impetrauit: pergit enim. *Debinc à D. Reinoldo Colonienſi facta est deditionis eorum tam pura distinctio, & ab ipsis responsa est tam mera confessio, vt deinceps locum habere non debeat alicuius ingenij vel pacti, vel conuentionis obiectio; & sciatis quod ipse est principium, medium & finis honoris imperatoris: orandum est igitur, vt dominus conseruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum eius. Porro Imperator implorantibus illis respondit, quæcumque decebat, & opportuno tempore misericordiam se facturum ex consilio promisit, & sic dimittens vniuersos, sequenti die iterum omnes præsentari fecit. Illi autem spe misericordiæ cruces, quas in manibus ferebant per cancellos in cameram imperatricis proijciebant, cum ante conspectum eius introitum non haberent.*

carrocij Mediolanensis descriptio.

plebis ploratus.

Comitis Blandratensis deprecatio.

Imperatoris constantia & seueritas.

Reinoldus eius nomine accipit deditionē.

laus eius.

Imperatoris responsum.

luctuosum spectaculum.

Læserant præcipuè Augustam & Reinoldum; Augustam, crucis obiecta specie placare per Christum cupiebant: Reinoldum Gualfagus deuinctum habebat, & vrbi fauentem, donatis iam tribus Regibus. Sed cum hactenus species miserationis fuisset, & danda postea dies esset iustitiæ, vigilauit in omnem occasionem Reinoldus, vt Gualfagi vitam conseruaret.

CAPVT XXIII.

Gualfagi soror humeris deportat fratrem, vt per Reinoldum vitam ei ab imperatore impetret.

indulgetur vt efferant quæ vno gestatu possunt.

ERAT vetus recepta consuetudo, cum honestè ciues vrbe capta, sed excidenda dimitterentur, vt singuli quidquid vna possent efferre gestatione liberè secum auferrent, ita biennio ante cum Cremenses post acerrimam obsidionem victos emitteret Fridericus, statuit: *vt* ait Sigonius, *incolumes exirent, cum ijs rebus, quas vno gestatu efferre singuli possent.* Datum id etiam Mediolanensibus ciuibus vt coæui, & vicini scriptores volunt, Autor affligimensis auctarij, ait, *Imperator, qui proposuerat eos ad terrorem aliorum diuersis supplicijs interimere, vita donatos, rebusque necessarijs quantum secum efferre poterant concessis per regionem dispersit*, & Otto à lancto Blasio *miseri ciues dexteras petunt ac multis modis iram Cæsaris sedare tentantes, nullo modo nisi hac sola conditione proficiunt, scilicet vt traditis armis vrbem relinquentes egrediantur, vita tantum rebusque necessarijs licet exiguis sibi indultis?*

Reinoldus id quibusdam impetrat vt citius fiat.

Par hac in re videtur fuisse summorum & infimorum conditio: & licet postea: cunctis sit imperatum vt hac lege excederent, citius permissum quibusdam existimo, ex quo tradita iam vrbs cum clauibus & vexillis imperatori fuit, vel cum Reinoldus tam in concilio Principum, quam apud Cæsarem eo cuncta flexisset, vt omnibus vita donaretur, potuit cum postridie sciret consules & optimates ab imperatore capiendos id apud ipsum occultis cuniculis obtinere, vt earum vxores vel affines, vel certi quidam, quibus ipse studebat, tunc mutare solum possent, & adsumere, quod vno gestatu efferrent: nec vlla facile mouebatur suspicio Cæsari fraudis, cum quod Cremensibus dedisset, & dare Mediolanensibus statuerat Principum omnium suffragijs conspirantibus, id cancellarij sui interposita autoritate citius quibusdam indulgeretur.

Gualfagi soror effert fratrem.

Ausa fuit igitur soror Gualfagi nobile facinus, amoris germani perenne monumentum, quod posteritas miretur, licet paucorum litteris sit commendatum, ego fide certorum Autorum, quos laudabo, non mea refero in humeros enim fratrem sustulit, & coram imperatore detulit: fidem promissi & Reinoldi: præsentis preces interponens. Hic Imperator ira exandescere, tantum non in præsentem ipse manibus inuolare, vnicum hunc perduellem imperij, hostem pacis & fœderum ruptorem iurisque gentium violatorem appellare, suæ maiestatis & Augustæ derisorem cuius vnius caput iuramenti deuinctus religione tot prælijs petierat, sed Reinoldi deprecatio; sororis antistitæ lachrymæ, & amor; præsentium Principum fauor: forsitan & Augustæ voluntas placatior, tot hesterni flentis populi lacrymis & crucibus in cameram iectis emollita, euicit, præsertim cum ipsa soror cum Gualfago supplices pedibus Augustæ prouoluti Reinoldo idem obtestante veniam exorarent, ipso perpessionis Dominicæ tempore; quam tunc Ecclesia recolebat.

prægnantes causæ veniæ dandæ.

Datum hoc fuit Reinoldi meritis, & amori antistitæ, vt vinculis mancipatus, vita donatus, canum ritu triduo ossibus obiectis sub mensa pasceretur. Res hæc, quia vix audita, testibus est fulcienda.

Crantz. in Sax lib. 6. c. 24.

Crantzius eam sic narrat. *Et vbi comperit Abbatissa loci in quo manebant corpora trium Magorum germana soror eius viri, pacta est cum Archiepiscopo Coloniensi vitam fratri: sciebat enim ciues, etsi non leuiter dederent hominem ad supplicium, extrema tamen fame pressos necessitati cessuros, & pro munere pollicetur sanctas illas reliquias. Sciens Archiepiscopus indignationem, & implacabilem iram Cæsaris in hominem, honesta fraude circumueniendum putauit imperatorem, pro munere deposcens, quod Abbatissa exportaret. Cæsar non cogitans, quid moliretur, indulsit, illa fratrem humeris, vt potuit, euexit, Cæsar non hoc permisisse, clamitat, Archiepiscopus fidem promissionis efflagitat, nec facile illum Cæsar contristauit, ita saluatur ad mortem destinatus, & ille sanctas ex pacto reliquias accepit. Quas Coloniam præmisit.* Bernardus Wittius Leisbornensis cum Crantzio

Bernardus Wittius in Chronico Leisbornensi.

facit

facit. *Vrbis enim*, ait, *portis crepusculo apertis ab imperatore Episcopus onus Abbatissæ obtinuit, quæ fratrem suum dorso imponens, trium Magorum pretio, fœtidum germani cadauer, femina astuta obtinuit.* Ante hos Saxoniæ Chronicon ita refert: *Post discessum Henrici Leonis è castris* (corrupti pecunia Mediolanensium) *Cæsar cum Reinoldo continuauit obsidionem, non ante discessurus, quam vrbem expugnasset: obtulit etiam Mediolanensibus omnibus vitam, & immunitatem, si se dederent excepto consule, quem suspendio addicebat: ciues abnuerunt, donec famis necessitate coacti sunt dedere ciuitatem. Iacebat prope mœnia Partheno, conditorium tunc sanctorum trium Regum, qui ex Persia Constantinopolim, inde Mediolanum translati fuerant à 671. annis præerat ei Antistita soror consulis, cui Cæsar iurarat mortem: hæc prudenti consilio Reinoldum Archiepiscopum Colonien sem accersit ad mœnia ciuitatis, aperit postridie tradendam à ciuibus vrbem: sororem se consulis esse, quem destinarat neci Cæsar, quod si eo quem indicabat modo fratrem vellet eripere morti, tres Reges eidem promittebat. Postridie mane patentibus ciues portis Cæsari iurare cupiebant: hic Reinoldus à Cæsare postulare id, quod Abbatissa suis efferret humeris, qui nil mali suspicatus, appromisit, sed cum egressi ciues vrbe clerici cum laicis supplices fierent imperatori, Abbatissa consulem fratrem humeris suis detulit. Hoc viso Cæsar, ait, non hoc spopondi: instabat Archiepiscopus, staret promissis; tandem acquieuit ob merita Reinoldi ingentia: ita consul lytro thesauri Ecclesiastici redimitur: quod tamen latebat imperatorem.* Saxoniæ Chronicon. Eadem & vberius narrat Chronicon Colonien se. Chronicon Colonien se. Accuratius tamen reliquis Brisacenses in autentico suo documento translationis S S. Geruasij & Prothasij sic memorant post ea, quæ supra ex eodem recitaui. *Persuasit etiam eidem Archiepiscopo hoc prudenti suggesto consilio, peteret & impetraret ab imperatore, vt quod prima Cæsari quæ occurreret in ingressu ciuitatis Mediolanensis mulier, humeris deportaret, ipsi liberè donaretur. Cum igitur postridie mane, dum ciuitas traderetur, soror Gualfagum consulem humeris deferret ante Cæsaris & Reinoldi ingressum, Cæsar licet inuitus promissi tamen memor, vitam ei donauit, triduo tamen eundem, vt multi scribunt, canis instar sub mensa ossibus aluit, & varijs afflixit modis; quem etiam cum multis comitibus & Dominis captum abduxit in Germaniam, qui post multos annos vinculis solutus Mediolanum instaurauit.* Brisacen sium narratio. Gualfagus captus detinetur. Posteriora Brisacen sium verba scriptores alij confirmant, vt Philippus Bergomas. *His verbis Gualfagus cum Ioanne Episcopo, ac multis ex vicecomitum familia captus, & in Germaniam ad perpetuos carceres relegatur, hunc ita Gualfagum captum Fridericus vt aiunt triduo sub mensa sua ad modum canis tenuit, & multis flagellis eum cædi præcepit: Perductus autem in Germaniam Gualfagus, & in compedibus constrictus multis annis afflictus fuit, post complures autem annos Gualfagus compedibus fractis custodibusque interfectis in Italiam in habitu rustico venit: vbi Mediolanensium ciuibus conuocatis, & in vnum collectis, adiuuantibus socijs ciuitatibus ac Græcorum imperatore, ab integro ciuitatem reposuit, ac mœnibus communiuit, & pro virili omnia restituit. Tandem Gualfagus hic vir inuictissimus cunctis filijs priuatus, animi dolore & senio grauatus ægritudinem contraxit, atque die quinto quo ægrotare cœpit vitam cum morte mutauit A. 1182.* Philip. Bergomas in supplemento. euadit è vinculis. Iterum de eodem subdit. *Quinto vero anno post vrbis excidium Gualfagus Mediolanensium pater & Princeps in Germania compeditus è compedibus & carceribus imperatoris aufugiens, in Italiam venit; & ciuibus suis in vnum collectis vrbem ab integro adiuuantibus vicinis ciuitatibus atque Emanuele Græcorum imperatore cum maxima gloria reposuit atque muniuit.* Nauclerus eiusdem meminit: *Tunc quoque Gualfagus, & multis ex vicecomitum familia captis in Germaniam relegati sunt, hunc etiam Gualfagum, vt quidam scribunt, Fridericus triduo sub mensa ad modum canis tenuit, & multis flagellis cædi fecit, qui & in Germania multis annis in compedibus mansit,* & postea Generatione 40. A. 1170. circa eius initium. *Gualfagus Angleriæ comes nuper Mediolano vastato captus, & in Germaniam ductus compedibus fractis in Italiam cum rustico habitu venit, vbi Mediolanensium ciuibus conuocatis, adiuuantibus socijs ciuitatibus, ac Græcorum Imperatore ab integro ciuitatem reposuit ac mœnibus muniuit.* Nauclerus. Plura de eodem dixi ex Dubramo supra: Hæc postrema de Gualfagi canino, more tractati

& quinquennio post Mediolanum instaurantis narratio, cum sit ob grauissimorum autorum sententiam certa: priori, quod eius vnius petitum à Cæsare caput sit; & non nisi astu muliebri mortem euaserit, robur addit: præsertim cum exstitisset nuper Conradi tempore similis caritatis muliebris par præmium. Conrardus is qui Fridericum in imperio præcessit, & ipse Sueuus oppidum Winsberg militari corona cinxerat, & ad deditionem compulerat; vita mulieribus donata fuit, & quid quid humeris vrbe exportarent, sed mors viris omnibus destinata est. Quid mulieres facerent orbæ viris, opes efferrent animæ dimidium suæ morti & lanienæ traderent? nouum feminæ & inauditum facinus, prudens, audax, pium, & forte, virilis sane pectoris & roboris aggrediuntur: nam relictis opibus, liberis, supellectilibus, suos singulæ in humeros leuant coniuges, ordine ciuitate egrediuntur coram Conrado Cæsare, effuso nouum ad spectaculum exercitu. Aderat Conradi Regis Germanus Fridericus (Barbarossæ nostri pater) de viris excepit, quibus nihil, nec vita quidem promissa fuit: clementer & regiè respondit Conradus Imperator: *Non accet verbum regium immutare.* Mox laudata mulierum pietate, fidelitate, & fortitudine, incolumes cum viris dimisit. Non dubito, quin factum hoc Conradi patrui, viginti duobus annis ante gestum, ipso forte præsente Barbarossa Reinoldus Friderico & refricuerit, & ad æmulam Augusti patrui gloriam constantiæ in promissis excitarit: vt ipse Reinoldus videatur totius architectus consilij exstitisse, quæ Cæsarem non degenerem faceret maiorum suorum imitatorem. Rem gestam Trithemius refert in Hirsaugiensi Chronico. Ad an. 1146 & Nauclerus circa idem fere tempus, Crusius in Sueuicis an. 1140. narrat idem Beierlinck in theatro V. prudentia f. 771. & laudat etiam autores eius Gotfridum Viterbrensem, & Æmilium lib. 7. ac subdit *facinus dignum memoria, quo sic oblectatus fertur Laurentius Medices Florentinus Princeps, vt ex eius lectione à morbo grauissimo conualuerit: simili astu mulieres Cremensium vsæ perhibentur cum oppugnati à Friderico Barbarossa ob rebellionem hac conditione in gratiam recepti sunt vt non secum plura bona efferrent, quã possent humeris aut manibus gestare. Relictis enim bonis filios, parentes, cognatos cum ægrotos tum sanos exportarunt. Quin etiam eo bello quod anno* 1499. *Sueui confœderati contra Heluetios Maximiliani primi auspicijs gessere, Heluetij Brumenfeldam oppidum Cleggouiæ in potestatem redegere, vitam obsessis pacti, & quantum singuli humeris efferre possent. vxor Rosenechij oppido præfecti cum sciret cum maxime peti in humeros elatum extulit, Vrstisius lib. 6. Ant. Basil c.* 20. Plures huius facti testes etiam Italos & Mediolanenses Corium & Ripamontium suis locis indicabo: quamuis non omnibus cum adiunctis his referant: Lectoris interim relinquo arbitramento, sintne hæc satis firma, quæ fidem certam mereantur.

similia muliebris prudentiæ & amoris exempla.

Sueuicarum feminarum amor in maritos.

Beierlinck in theatro v. prudentia. huius historiæ lectio morbum depulit principi Florentino.

CAPVT XXIV.

Quid reliquis Consulibus & ciuibus factum sit, donec edicto Imperatorio liberarentur, & de excidio ciuitatis Mediolanensis.

GVALFAGO satis multato, optimates ciuitatis Fridericus obsidum loco voluit retinere tum, quod illi malorum autores grauius deliquissent, tum vt à simili defectione magistratus vicinarum vrbium deterreret. Porro quod scriptores quidam Itali Corius. Philippus Bergomas, & alij, cædes innumeras factas volunt, nec ætati, vel sexui parcitum, ab oculatis testibus refelluntur, qui donatam omnibus vitam adserunt, adnitente Reinoldo: vt clemenuiâ Cæsar imperium sibi stabiliret. Altera igitur scena iustitiæ, mixta clementiæ, sic à Buchardo proponitur, eo credo die, quo Gualfago parcitum est. *Illis igitur altera die præsentatis & plorantibus*

tantibus respondit Imperator, se velle facere principium misericordiæ & principium iudicij: dixitque: si iustitiæ iudicijs esset agendum omnes eos vita debere priuari, sed tunc misericordiæ locum dari oportere: Illi vero hoc verum esse ex legibus affirmabant, illud respectu diuinæ miserationis fieri exoptabant. Iussit igitur Imperator omnes consules, & exconsulares maiores & milites, legistas & iudices in obsidatu teneri, populum verò tanquam minus culpabilem tantum sacramento affectum in ciuitatem remitti. Verba eadem Godefridus habet: secutum edictum aliud cum rediissent in vrbem ciues: misit Cæsar è suis fidos, qui à singulis iusiurandum conceptis verbis exprimerent, & portis deiectis aditum patefieri, vt exercitus immitteretur, quam edicto cæsareo solemni ceremonia soluerentur: *Deinde*, ait, Burchardus: *missis magistratibus in ciuitatem iussit ab omnibus, qui duodecennes essent vel vltra sacramenta præstari: quod & factum est: iussit & singulas portas ciuitatis, & circa portas fossatum & muros complanari, vt ad singulas portas singulis acicbus lata fronte, æquabili gressu pateat introitus: factumque est ita, & cum de duobus millibus castrorum tantum quatuor ipsis superfuissent, eadem iussi resignarunt & hoc ad iudicium. Ita Dominus Imperator cum Mediolanum vicisset, à misericordia victus est, & ne communione proscriptorum peccaretur, & vt misericordiæ satis faceret, personas, Mediolanensium à banno imperiali absoluit. Quadringentos tamen obsides Dominus Imperator ex optimis elegit, ac scripto notauit, quos nunquam à se dimittet, nisi prius toti rei finem imposuerit.* Hæc Burchardus: compendio narrat omnia Sigonius mutatis & adiectis paucis quibusdam adiunctis. *Deditio quinto nonas Martij hac ratione perfecta est: consules ex autoritate consilij Laudem ad Fridericum profecti, strictos gladios tenentes liberè se, omnia quæcumque ille imperasset facturos, atque eodem quoque ciues suos omnes sacramento obligaturos iurarunt. Post biduum trecentos equites totius ciuitatis nomine triginta sex vexilla & claues ciuitatis detulerunt, ac præceptis eius se parituros iurarunt. Inde mille pedites carrotium adduxerunt, ac vt alij tubas ciuitatis obtulerunt: postridie Fridericus edicto imperiali sublato, quadringentos obsides postulauit, ex quibus centum & octoginta sex ex ordine equestri retinuit, reliquos ad numerum conficiendum ex ipsa nobilitate exegit, atque ad singulas portas vrbis murum deijci, & fossam repleri iussit, quantum exercitui quadrato agmine ingressuro foret satis. Postremo ius iurandum à singulis exegit, atque ei accipiendo sex principes Germanos ac totidem Lombardos præfecit.*

Iustitia imperatoris mixta clementiæ.

obsides omnes tenentur primarij ciuitatis.

iusiurandum à ciuibus exigitur.

absoluum edicto imperatorio.

Sigonij narratio.

Reinoldus interim captatis opportunis horis Cæsarem interpellat, sibique donari corpora sanctorum Regum pro tantis militiæ susceptis laboribus enixè rogat difficilem initio Friderici nactus est animum, qui sibi & patriæ suæ Sueuiæ, tantum thesaurum destinarat, vt multi volunt, & satis fratris ipsius Conradi declarauit offensio, varijs testata prælijs, quibus infestabit Colonienses, ablaturus in Sueuiam, si licuisset.

Imperator donat Reinoldo tres Reges.

Poterat (si Leodiensibus credimus) & promissionem Henrico 2. Leodiensium Antistiti factam prætexere; sed vt cognouit in via Coloniam versus præmissa iam esse, vel inuitus acquieuit petitioni: res tamen tota clam esse composita videtur; ne Conradi fratris præsentis animum exulceraret, & in Reinoldum concitaret.

Papiensis consessus omnium principum. *Sigonius.*

Iam Imperator conuentum principum Papiæ indixerat, vt excidium cunctis Mediolanense persuaderet, ad terrorem vicinis ciuitatibus incutiendum in eo decretum est, cunctorum suffragijs, vt ciues omnes exsularent: Sigonius ait: *Atque his rebus administratis Papiam se decimo quinto Kalendas Aprilis cum Beatrice coniuge retulit: Ibi consilio Episcoporum, Principum & Magistratuum amicarum ciuitatum coacto immodicam Mediolanensium superbiam altè repetito accusationis initio docet, quemadmodum se aduersus superiores Imperatores gesserint, quibus calamitatibus Laudenses, Comenses, & Papienses nulla Regum habita ratione affecerint, vt se demum sæpius in ordinem redegerint, ac pacem datam violarint: eos omnium Lombardiæ seditionum, omnium bellorum autores fuisse, eos Pontifices in Imperatores acuisse & defendisse: ac nunc vt cum maximè tueri ostendit. His de causis consilium atrox fortasse, sed sibi necessarium cœpisse concludit, ad reliquam Lombardiam pacandam, atque in fide & officio continendam vrbis Mediolanensis*

excidium decernitur.

lanensis delendæ, populique superbiæ ac potentiæ comprimendæ. eo consilio ab omnibus, qui aderant comprobato, post quatriduum Consules Mediolanenses accersit, ipsisque imperat, vt omnes vtriusque sexus ex vrbe intra octo dies emitterent: nam se ædificia velle omnia euertere, Consules grauatè: sed quia imperium recusare non poterant præceptis obtemperarunt, atque vniuersos exire vrbe iusserunt. Ita septimo Kalendas Aprilis Mediolanenses mœsti ac se fortunamque suam quod non potius armati occubuissent, quam incolumes ad eam necessitatem venirent exsecrantes, vrbe exierunt, atque alij Comum, alij Bergomum, alij Laudem, vt quisque necessarios atque hospites habuit, abierunt. Vulgus ipsum non solum consilij inops, sed parum etiam mentis compos, circum fossas restitit extremum patriæ casum, exspectaturum: erat autem fœdus ac miserabilis adspectus mulierum ac puerorum ingentibus omnia clamoribus, eiulatibusque replentium atque opem surdis hostium auribus implorantium. Vbi exhausta vrbs incolis fuit, Fridericus cum exercitu victor accessit, & ne fidem fallere videretur, per ruinas murorum non per portas iniuit. Hic direptio facta eorum, quæ ciues solis necessarijs instructi reliquerant, præda sanè ingens quemuis exercitum opulentaturа: quamuis Cæsaris mens non tam erat ijs spolijs onerare milites, quam seueritatis exemplum relinquere, ciuitatibus transalpinis, euersa penitus vrbe, ne similem ab imperio defectionem molirentur.

lugubre spectaculum. direptio ciuitatis.

colliguntur reliquiæ.

E templis autē & religiosis domibus sacer collectus thesaurus reliquiarum est, qui sine numero tantam mire decorabat vrbem, vt in maximis totius orbis sacrarijs censeretur. Solus quem inde non pecuniæ cupidus, sed diuorum corporum auidissimus Reinoldus in Germaniam detulit, sufficit ad coniecturam de reliquis Episcopis, qui multi aderant, faciendam: Luctuosa catastrophe tam flebilis tragœdiæ: nam ciuibus eiectis, domibus expilatis, turribus dirutis: hostes Mediolanensium infensissimi omnibus ex plagis euocati sunt, vt factas iniurias sibi vindicarent, & portas singuli singulas euerterent, è quibus florente Mediolano eruptione facta clades tot acceperāt.

vicinæ ciuitates. euertunt Mediolanum.

Inde (ait Sigonius) *negotio vicinis ciuitatibus id muneris sibi præcipuè deposcentibus dato, vrbem paucis templis seruatis excidit: Laudenses ædificia portæ orientalis diruerunt; Cremonenses Romanæ; Papienses Ticinensis; Nouarienses Vercellinæ; Comenses Comensis; Seprienses & Mathesani nouæ. Arcus, theatra, thermæ, quæ ex antiqua urbis fortuna adhuc supererant, delectæ. Demum profana discussa omnia, præter turres aliquot, & partem mœnium, quæ integra propter operis firmitatem remansit. Templa spoliata, Abbatiæ populatæ, Brolium vt aiunt ad perpetuam sterilitatem sale disseminatum.* Hactenus Sigonius, alios libet adiungere: horum quidam fumantis etiam Troiæ speciem repræsentant. Otto à S. Blasio: *igitur Cæsare, vt præscriptum est Mediolanum ingresso, nunc diruto, turribus deiectis totam ciuitatem à fundamentis, ac omnibus modis inhabitabilem reddens, igne postremo reliquias omnino consumsit; diuisisque in quatuor partes ciuibus regione inculta illis ad inhabitandum concessa, quatuor eos oppida ædificare iussit, ipsosque vti dictum est, per partes diuisos ea incolere fecit.* Parcitum autem quibusdam ecclesijs & deprecante credo Reinoldo certum est: ita enim Robertus de monte, qui tunc viuebat: *Mediolanum quam per tres annos obsederat necessitate famis afflictam cepit, & destruit, reseruatis tantummodo matrice Ecclesia & quibusdam alijs*: plures excipit Autor Affligimensis Autarij suppar: *Deinde iussit suos ingredi ciuitatem, muros, turres, & alia superba fastigia, & ædificia destrui, tribus tantum pepercit, Ecclesijs S. Mariæ, S. Mauritij, & S. Ambrosij cum officinis Clericorum, officialibus, ipsorum domibus, & indemnitate rerum concessa, ærarium publicum sibi reseruatis* Consentit Dodechinus synchronus; *Mediolanum rursus à Cæsare obsessa, insimul etiam in breui capta, populus expulsus, murus in circuitu deiectus, ædes exceptis sanctorum templis solo tenus destructæ.* De tribus seruatis templis cum Affligimensi conspirat Chronicon magnum Belgij. Tritthemius de omnibus ecclesijs cum Dodechino facit: *eodem*, inquit, *anno cum Mediolanenses fidei, promissionis, & iuramenti immemores, obedientiam Imperatoris refugerent, ciuitas ipsa Mediolanum rursus à Cæsare obsessa, & breui capta est, populus expulsus, murusque in circuitu deiectus, & ædes omnes exceptis sanctorum templis solo tenus destructæ; ita vt per medium vrbis in medium Crucis aratrum iubente Imperatore traheretur.*

Otto à S. Blasio. C: 16.

incineratur.

in appendice ad Sigeb. A: 1163. Ecclesiis quibusdam parcitum.

templis

Templis sane quibusdam abstinere manus voluit Imperator, qui iam euersis domibus in Ambrosiano mandauit grates festo Palmarum die decantari. Hinc ita Nauclerus templorum destructione omissa refert excidium. *Imperator mœnia cuncta ciuitatis euertit, vrbeque solo adæquata, aratrum per circuitum duci & sal in perpetuã damnationem seminari iussit: nobili potitus triumpho Imperator Oliuarum festo in Basilica S. Ambrosij cum Oliua, triumphalem gestabat victoriæ palmam, vbi expletis singulis, Ticinensi in vrbe in Paschate cum Beatrice consorte curiam celebrauit.* Nauclerus. canuntur in Ambrosiano Deo gratiæ.

Ipsi scriptores quidam Mediolanenses præter templa multorum domus seruatas volunt, & Ripamontius quidem Gibellinorum, quos fatetur in Cæsaris exercitu militasse, & supra vidimus cum Augusta Mediolano cum insigniludibrio exturbatos. Ait enim. *Ambigunt aliqui tantane fuerit siue clades vrbis, siue Cæsaris sæuitia, an vero minor aliquanto, sicut pleraq; rerum antiquarũ creuerit historiæ licentia, quæ sæpe parua pro magnis extollendo seculis & hominib. illudit. Quippe Gibelini pleriq; erant in Cæsaris comitatu ac suas facile seruare domos potuere, vt Guelforum exscindendo tecta, quæ aduersa factio erat, expleret odium Cæsar, ceteris intactæ res manerent. Præterea vetustissima templorum, ædiumque priuatarum facies, & ante Ænobarbi ætatem posita monumenta, quæ manent adhuc, reliqui passim fuisse nonnihil affirmant.* Quædam seruatæ domus. *Ripamont. hist. Mediol. Ecclesiastic. p. 2. l. 2.*

Bernardinus item Corius Mediolanensis quinquagesimam facit ædificiorum vrbis partem reliquam; quem cum adiuncta quædam adducat ab alijs prætermissa, non abs re erit auscultare. *Die lunæ, quæ erat 26. Martij venit Imperator Mediolanum, cum eo erant p rincipes Germaniæ, Cremonenses, Papienses, Nouarienses, Comenses, Laudenses, Seprienses cum Martesanis. Hic Laudensibus orientalis portæ ædificia commissa destruenda, Cremonensibus portæ Romanæ, ceteris portæ ceteræ: durauit durauit ruina tantæ ciuitatis ad proximam vsque Dominicam Palmarum. res pœne fidem & captum humanum excedit tam breui tempore tantam tot ædificiorum molem subrui potuisse: quæ duorum spatio mensium absolui ægrè posse videretur ita quidem vt ne quinquagesima quidem pars ædium remanserit. creditum à multis fuit sæpius ante Mediolanum excisum fuisse: illud certum theatrum, amphitheatrum, capitolium, hippodromum, & alia stupenda opera à prima Mediolanensis vrbis fundatione intacta & illæsa semper, hac Friderici primi ruina tantum concidisse: nec tamen inficias ibo alias sæpius Mediolanum incommoda grauissima sustinuisse.* Corius. mira celeritas in diruendis ædificiis.

Pergit deinde cladem illam multis versibus deplorare, vbi quod ipse cum alijs quibusdam Italis narrat, non parcitum ætati & sexui, ei repugnant, vt ante dixi scriptores alij satis idonei, qui volunt omnium vitæ, & perduellium, adeoque ipsius Gualfagi vice-comitis per Reinoldum consultum fuisse, vnde qui præsens inspexit omnia Burchardus nullam cædis vllius facit mentionem.

Ita superba cælo minitantia fastigia molium ingentium à mille iam annis, & amplius florentis ciuitatis auctæ, & exornatæ, hebdomas vna solo prorsus adæquauit: sic tamen, vt licet quinquennio manserit ciuibus viduata, postea tamen cœperit, sòlertia Gualfagi captiui Cæsaris elapsi è custodia, velut Phœnix è cinere sopitus & mortuus redanimari: vt breui priorum temporum gloriam latius porrecto vrbis pomœrio longè superarit: nam Eustorgiana basilica mœnibus olim excluſa: iam ijs ambitur; hoc ei datum videtur calitus, quod vrbium reliquarum ferè prima, & constantissimè susceperit sedis Apostolicæ defensionem, & Alexandro legitimo Pontifici fidelis adhæserit. post quinquennum instauratur.

CAPVT XXV.

Papiæ celebrat Paſcha Fridericus, donatiuis afficit Principes, & reliquijs Reinoldum opulentat.

Paſchalis eclebritas Papiæ ſis.

OCTAVA Aprilis Paſchalem ſolennitatem eo anno celebrabat Eccleſia, quam Papiæ cum omnibus Principibus peregit Fridericus, feſtiuis gaudijs, ipſe corona redimitus imperatoria, cunctis etiam Ducibus, & Principibus epulum præbuit apparatu incredibili Iam pridem auidè Germaniæ Principes miſſionem deſiderabant, quos Imperator donis & priuiligijs auctos præſertim Bohemiæ Regis filium à ſe dimiſit. Irenicus, Chronicon Saxoniæ & Colonienſe volunt tunc primum detectam proditionem Henrici Leonis, qui cum Mediolanenſium res in arcto fuiſſent conſtitutæ, corruptus eorum ingenti vi pecuniæ, deceſſerit ab exercitu: & ex eo tempore natas Imperatorem inter & ipſum ſimultates, quibus auctis cum poſtea ſæpius ad comitia vocatus, vt ſe legitimè purgaret, ter vel quater non comparuiſſet, proſcriptus fuerit, ducatibus eius publicatis: quamuis alij primam tanti mali ſementem ad ſequentem expeditionem Italicam referant. Sed dum varij varijs inhiant priuilegijs, opibus, beneficijs, & allodijs à Cæſaris clementia impetrandis, vnus pœne Reinoldus Cancellarius ſacris inſidiabatur reliquijs: occaſionem nactus famem inexplebilem ſatiandi hoc facilius, quo pauciores ea cura ſtimulabat. Iam corpora SS. Regum clam omnibus à Gualfagi ſorore donata acceperat, & conſenſum imperatoris inuiti extorſerat; ſed non integra adhuc cauſa: dimiſſis iam ijs per fides extra caſtra certum & tutum in locum Comum verſus, vnde citiſſimè cum annuiſſet, Coloniam mitteret. Palam tunc alias etiam petijt ſanctorum Naboris & Felicis, Geruaſij & Protaſij, SS. Machabæorum, & S. Apollinaris: quas omnes volunt ab eodem eo tempore Cæſaris beneficio conceſſuque ei donatas, ob fidam, quam in hac expeditione, præſertim in expugnando Mediolano nauarat operam, de ſingulis ſuo fuſius agetur loco. Scriptores alij, qui non accuratius digerunt ſingula, tunc & ſanctos Reges eidem oblatos volunt: ſed obſtant acta tranſlationis, & Chronica varia, quæ è geſtis Reinoldi cuncta (propter offenſam principum, in primis autem Leodienſis Epiſcopi & Conradi Comitis Palatini, qui præ cunctis eos Sueuiæ pridem deſponderat) occultantis poſſeſſionem eorum cautiſſimè aditam, & rem omnem euoluunt accuratius cum adiunctis omnibus. Hic quoſdam laudabo teſtes, qui dicunt Cæſareo beneficio propter fidum obſequium nullo petito ſtipendio militiæ tam diuturnæ eum SS. Reges obtinuiſſe, adeoque expugnationi Mediolanenſi coniungunt eorundem tranſlationem, licet multi velint biennio poſt accidiſſe.

lib. 3 exegeſios c. 40.

Reinaldus reliquiarum cupidiſſimus.

multas SS. Martyrum obtinet.

SS. Reges occultè detinet.

Autores qui excidio Mediolanenſi iungunt tranſlationem ſanctor. Regum.

Otto à S. Blaſio coæuus ferè *Imperator: cum toto ſuo exercitu immenſa & ditiſſima ſpolia in Eccleſiaſticis theſauris, aliiſque rebus pretioſis diripuit, reliquiiſque Sanctorum, quibus hæc ciuitas egregiè nobilitata fuit per Eccleſias collectis, ac cum reuerentia aſſortatis tres Magos, qui cum muneribus ſtella duce Chriſtum in cunabulis adorauerunt, mihi inuentos Reinoldo Colonienſi Epiſcopo, qui in hac obſidione cum ſua militia præcipue claruit, dono dedit.* De alijs ſubdit Principibus. *Igitur confecto bello Liguſtico Imperator Principibus gratias pro induſtria referens, militibuſque dona pro meritis liberaliter largiens nobili triumpho repatriauit.*

Otto à S. Blaſio.

Dodechinus: *A.* 1162. *Mediolanum rurſus à Cæſare obſeſſa, inſimul etiam in breui capta, populus expulſus, ædes, exceptis Sanctorum templis, ſolo tenus deſtructæ: Reinoldus Colonienſis Epiſcopus corpora trium Magorum clam auferens ſecum Coloniam tranſtulit.*

Dodechinus in appendice ad Mar. Scotum.

Neubrigenſis proximus eorum temporum. *Victor Imperator ciuitatem euertit, ciues quoniam ſe dediderant non diſperdidit, ſed diſperſit: præclaras illas reliquias ibi reconditas Longobardis ægrè ferentibus in regnum teutonicum tranſtulit.*

Neubrigenſis.

Ægidius aureæ vallis. *Poſtmodum Anno Domini* 1164. *cum Fridericus Romanorum Imperator Mediolanenſes ſibi rebelles ſubiugaſſet, & eſſet ciuitas in eius poteſtate, mortuo in partibus illis Henrico Leodienſium Epiſcopo Reinoldus Colonienſis*

Ægidius c. 45.

uiensis Archiepiscopus sæpe dictos BB. Reges sibi dari petijt, & obtinuit: sustulit etiam inde duos pretiosissimos Martyres Felicem & Naborium, qui in eadem urbe Mediolanensi passi fuerant pro Christo. Siffridus l. 2. epitomes.

Suppar huic Siffridus Presbyter, *A.* 1162. *Imperator primus Mediolanum cepit, & expugnauit. Tunc Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis, qui cum eo erat, impetrauit corpora trium Magorum &c.*

Fasciculus temporum. *Cum Fridericus Imperator quasi cum innumerabili Alemannorum exercitu Mediolanum obsedisset, & tandem cepisset; prædictus Archiepiscopus, qui tunc in comitatu Imperatoris erat, eadem corpora vix magnis precibus impetrauit.* Fasciculus temporum ætate 6. *A.* 1162.

Tritthemius *A.* 1162. *ciuitas Mediolanum rursus à Cæsare obsessa, & breui capta est, & Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis corpora SS. Magorum de Mediolano consensu imperatoris auferens transtulit Coloniam.* Tritthemius in Chronico Hirsaugiensi.

Felix Fabri Dominicanus Vlmensis. *Porro in destructione ciuitatis Mediolanensis donauit Imperator Principibus & Episcopis corpora Sanctorum, & reliquias inventas per Ecclesias: inter quos Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis accepit corpora SS. trium Regum, de loco vbi nunc est conuentus noster, eaque Coloniam transportauit: corpora autem sanctorum Geruasij & Protasij accepit, & in ciuitatem Brisacum transtulit.* Felix Fabri lib. 1. hist. Sueuorum c. 12.

Narrant similia Scriptores Itali. Bernardinus Corius, citat & sequitur tale scriptum è Germania sibi transmissum. *Anno* 1150. *imperauit* 36. *annis Fridericus Romanorum Imperator primus. A. imperij sui decimo destruxit Mediolanum, in qua destructione soror vnius vice comitis, qui erat in potestate Friderici Imperatoris propter libertatem fratris iuit ad R. Patrem nomine Rodulphum, & Dominum Archiepiscopum Colonienſem, & ostendit corpora trium Magorum, videlicet Gaspar, Melchior, & Balthasar; corpora SS. Geruasij & Prothasij, & corpora SS. Naboris & Felicis &c.* Præmiserat ea in Germaniam tunc translata fuisse.

Philippus Bergomas. *A.* 1162. *Mediolanum metropolis hoc anno expugnatur. Rodulphus* (Reinoldus verius) *Colonienſis Archiepiscopus huic euersioni præsens adsistens, & ipse trium Magorum corpora vndecimo Iulij rapuit, & secum in Germania transtulit: tertio autem anno post Germani etiam corpora SS. Martyrum Naboris & Felicis ex Mediolano sustulerunt & in Germaniam transtulerunt.* Philippus Bergomas lib. 11. supplementi.

Ripamontius item Mediolanensis de Friderico cum vrbem expugnaret ait. *corpora trium Magorum, itemque corpora Geruasij & Protasij, Naboris & Felicis extra communem iniuriam fuere; sed vt auferret sibi, non vt relinqueret nobis ea subsidia barbarus.* Recitat deinde Corij testimonium Germanicum. Ripamontius

Chronicon Saxoniæ cum narrasset quomodo ex pacto Reinoldus vitam consuli obtinuisset promissione SS. Regum, subdit; *ita consul oblatis thesauris Ecclesiæ redemit vitam: quod ignorabat Cæsar, Mediolanum autem exscindebatur: seruabat autem occultissimè Reinoldus corpora SS. trium Regum in exercitu, donec à Cæsare venia discedendi obtenta, præmisit ea Coloniam versus.* Chronicon Saxoniæ.

Chronicon Colonienſe euersioni Mediolani, & Gualfagi liberationi subdit. *Ita Reinoldus* obtinuit tres Reges, *& clam ac celeriter misit Coloniam: simulque cum eis eo destinauit plures reliquias, SS. Naborem & Felicem: & postea idem Reinoldus secum ex Italia tulit Iudæos sanctos veteris testamenti, quos SS. Machabæos nominamus vna cum matre eorum.* Chronicon Colonienſe.

Nauclerus. *Mediolano subuerso Imperator reliquias ibi inuentas inter prælatos & principes diuisit, trium quoque Magorum corpora apud S. Eustorgium, vbi nunc est habitatio FF. Prædicatorum recondita dedit Reinoldo Archiepiscopo Colonienſi, qui ea Coloniam transportauit.* Nauclerus Generat. 39.

Ioannes Adelphius Argentinensis Doctor medicus in vita Friderici Barbarossæ edita Basiliæ *A.* 1520. *Hæc dum fierent* (capto, Mediolano) *Imperator reliquias, & templorum cimelia diuisit Episcopis, & Principibus, vt satisfaceret ipsorum petitioni: scilicet SS. trium Regum corpora, quæ Mediolani iacuerunt in S. Eustorgio, vbi nunc Dominicanorum visitur cœnobium, donauit Reinoldo Cancellario, qui ea piè & honorificè secum Coloniam transtulit: nec sola tamen illa corpora Reinoldus impetrarat; sed & SS. Geruasij & Prothasij &c.* Ioannes Adelphius.

Brisa

Brisacensis traditio & documentum authenticum fusè narrat non solum, quo modo soror Gualfagi clam promiserit SS. tres Reges, SS. Geruasium & Prothasium; SS Naborem & Felicem, ac tradiderit; sed & gesta eorum succincte recitat.

Ita dum alij capto Mediolano spolia vel thesauros aucupantur: alij priuilegia poscunt, vel bona proscriptorum flagitant: solus ferè Reinoldus suas nititur diœceses Sanctorum exuuijs communire: quam cladem SS. reliquiarum exportationis velut luctuosissimam tantæ tragœdiæ catastrophen Itali, præsertim Mediolanenses maximè semper sunt lamentati, vt postea videbimus. Atque tot testes sufficiant, vt testatum relinquatur, ab excidio Mediolanensi non esse dominationem vel translationem reliquiarum multum seiungendam, contra Scriptores Leodienses. Quod fundamenti loco fuit firmius stabiliendum ad translationis annum verum perquirendum.

CAPVT XXVI.

Reinoldus compositis in Lombardia rebus circa Iunium. impetrat missionem Coloniam versus.

FRIDERICVS euerso iam Mediolano dimissis alijs Principibus, Reinoldum maximè tunc abiturientem detinuit, quod vsurus victoria totam meditaretur Lombardiam imperio subiugare prius, quam Germaniam repeteret: ideo vicinos populos, Mediolanensium socios & confœderatos armis impetere voluit, oblatis æquis conditionibus pacis, si saperent malo Mediolanensium: gesta trimestris spatij quamdiu cancellarium secum habuit, ita Sigonius persequitur. *Mediolanensibus hunc in modum subactis, inde reliquas ciuitates, quæ aut apertè arma aduersus se tulerant, aut obscure defecerant, aut alia ratione cum Alexandro faciebant armis sibi petendas atque ad officium redigendas existimauit. Itaque post biduum bellum aduersus Placentinos decreuit, idque Principes atque Prætores & Consules amicarum ciuitatum iurare iussit. Ea re cognita Brixiani consilio anteuerso legatos ad eum miserunt, qui nudatos tenentes gladios, pacem supplices peterent. Data est ea lege, vt muris deiectis, fossisque completis præfectum à se acciperent, & certam pecuniæ summam persoluerent, ac secum expeditionem Romanam, Apulamque susciperent. Id vbi sensere Placentini, antequam bello premerentur, Consules ad eum suos miserunt, ac sexto idus Maij ijsdem se conditionibus obligarunt: Nonis inde Iunijs legati Genuensium aduenere, ac se illius potestati iurato obsequio permisere, classem se ei ad Kal. Septembris daturos ad Siciliam, Apuliam & Capuam à Guilielmo Siciliæ Rege recuperandas, neque iniussu eius se pacem facturos: atque vt hæc ciuibus, & consulibus suis deinceps rata forent, operam daturos spopondere: atque ab eo omnem oram à portu Monoeci vsque ad portum Veneris feudi nomine iure vasallorum obtinere.* Hactenus Sigonius. Tantum scilicet valuit excidium Mediolani ad ciuitates Liguriæ breui tempore restituendas imperio: vt mirũ non sit Genuâ nobili portu iam vltro se Cæsari subdente facile Reinoldũ missionem obtinere potuisse. Ita 4. idus Iunij vult Tristanus Calchus Reinoldum collectis vasis & salutato Cæsare, sumtisque vna secum sacris reliquijs Coloniam versus iter adornasse: sic enim ait. *Quorum excellentia admonitus Reinoldus præsul, ea simul & ossa Naboris, & Felicis quarto idus Iunij sustulit, & in suæ diœcesis metropolim transtulit.* Celabat adhuc Reinoldus alios Principes, & Italos de SS. Regum corporibus: quod præter Cæsarem & eos, inter quos conuenerat de vita Gualfagi seruanda, latebat omnes, vt mirum non sit Burchardum scribam Imperatoris, nihil hac de re suis in litteris Abbati Sibergensi scribere: nam qui comperta re totum imperium commouit postea Conradus Comes Palatinus Imperatoris germanus, vt thesaurum illum absente Reinaldo Colonienſibus auferret, vt dicemus infra, quid non factum putamus, si resciſſet eo sublato discedere, & per suas forte terras transiturum?

Sigonius prosequitur Cæsar victoria m

subdunt se Brixiani.

Placentini.

Genuenses.

decimo Iunii discedit Reinoldus. Calchus lib. 11: Mediol. histor.

occurritur obiectioni.

CA

CAPVT XXVII.

Legati nomine discedit, vt componat res imperij, & vbi primæ statoinis SS. Regum memoria recolatur, cum cæsareis quibusdam literis,

DVo præcipue Fridericus Imperator capto Mediolano spectabat eo anno ad exitum perducere : alterum vt Italicas res imperij componeret : alterum vt schisma, quantum posset, tolleret ; animo tamen nimis in Victorem inclinato. Primum ipse suis testatur literis excidij Mediolanensis tempore datis ad Gurcensem Episcopum ; vbi rem omnem gestam sic ipse narrat. *In Kalendis Martij hostes imperij Mediolanenses summota omni simulatione fraudis, qua in prima deditione nos circumvenerunt, summa necessitate famis & inediæ coacti ad curiam nostram apud Latedem venerunt, & nudos gladios in cervicibus suis ferentes, & maiestatis reos se profitentes, personas, res, ipsamque ciuitatem absque omni tenore, & sine conditione interposita in nostram partem cum plenaria deditione reddiderunt. Ex sententia igitur diuina, cuius iudicia abyssus multa, qui frangit omne superbum, ne de cetero prædictis hostibus occasio malignandi vel facultas rebellandi præstetur, fossata complanauimus, muros subuertimus, turres omnes destruximus, & totam ciuitatem in ruinam & desolationem posuimus, sicque ad promouenda alia negotia & ad plenariam imperij reformationem exercitum nostrum & aquilas triumphales prout voluerimus conuertemus.* Similem ad Salzburgensem eodem anno 1162. dedit epistolam.

Imperatoris literæ de excidio Mediolanensi.

A. 1162. datæ

Rei initium ipsis Paschalibus ferijs fecerat, statiuis ad ædem saluatoris fixis, vt dixi, quo in loco Liguria se maximam partem tradidit victoris arbitrio: vnde & sicut perduelles acriter multauit : sic ibidem loci idibus Iunij Cremonensibus & amicis etiam postea ciuitatibus fecit liberam creandorum Consulum potestatem ; aliasque contulit immunitates.

& Liguria subiicienda.

Sed quia mense Majo missa legatione Francorum Rex Ludouicus Cæsaris colloquium expetierat: & ipse Fridericus optarat finem schismati imponere, eo ipso anno (sed vtinam non nimium Victori studuisset) priusquam in Germaniam remearet Reinoldum ad res imperij componendas legatum suum destinauit, forte vt & de loco & commoditate colloquij cum Rege Francorum instituendi prope Vesontionem omnia constitueret.

compositâ Italia finem optabat schismati imponere Cæsar.

De hoc colloquio expetito sic Fridericus in epistolâ Ludouico scripta loquitur. *Nunc autem quia in procinctu Italicæ expeditionis iam sumus, & Principes imperij nostri ad eandem vnanimiter intendunt, quo in loco, quo tempore conuenire & colloqui possimus incertum habemus; nisi forte si completa expeditione vita comes fuerit, super hoc cum principibus nostris diligentissime ordinabimus.*

Præcipitante iam ad finem expeditione Italica : dedentibus vltro se ciuitatibus, comes Trecarum legatus Franccius amicitiæ regiæ cum Imperatore firmitatem petijt & colloquium. De confirmatione pacis hæc scribit ante Reinoldi discessum Imperator. *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus dilecto consanguineo suo Ludouico illustri Francorum Regi salutem & sinceræ dilectionis affectum. Literas & legatum nobilitatis tuæ, qua debuimus alacritate suscepimus, benignè imperiales aures accommodantes his, quæ à sinceritate tuâ nobis nunciata sunt Placet igitur & sublimitati nostræ, vt inter nos tanquam consanguineos & inter cognata regna nostra detersa totius rancoris nebula sinceræ dilectionis splendor refulgeat, & fœdus amicitiæ, quod facit utraque vnum, indissolubilem semper conseruet amorem: sanè quæcunque necessaria sunt ad conseruandam inter nos mutuæ dilectionis integritatem cum dilecto consanguineo nostro fideli tuo H. Comite Trecarum amicé & plenariè ordinauimus, & sicut conditum est, inuiolabiliter conseruare curabimus. Datum Papiæ post destructionem Mediolani vndecimo Kalendas Iunij.*

legatus Franciçus petit colloquium Cæsaris cum Regè Franciæ. & amicitiæ confirmationem.

Interim

Reinoldus loci opportunitatem dispicit.

Interim cum Genuenses initio Iunij se submisissent, Reinoldum legauit in Burgundiam ad locum colloquij, conuentusque celeberrimi, & ad res imperij inspiciendas, hac legationis specie translationem corporum SS. Regum videtur occultasse, & declinatis hostium insidijs per anfractus mirabiles secure secum transuexisse. Itaque cum iam eo ipso Iunio mense Dolam & Vesuntionem adijsset, commonefecisse subito videtur Imperatorem de loci commoditate: cuius exstant variæ scriptæ literæ ad principes imperij, quibus ad conuentum inuitat: partem excerpam, quam scripsit, Lugdunensi Archiepiscopo, primati Galliarum: *Propitia diuinitas, quæ ijs omnium consilijs interesse, & ea promouere consueuit, congruam nobis hoc tempore opportunitatem obtulit, vt partes Burgundiæ, imo ipsam ciuitatem Lugdunensem in propria maiestatis nostræ persona quantocyus adeamus, ac ruinam eius in status sui decorem cooperante Deo erigamus. Comes siquidem Henricus Trecensis cum ad curiam nostram in legatione D. sui Regis Francorum venisset, & ad R. Patrem nostrum Papam Victorem humili veneratione honorasset, studiosè à nobis postulauit, quatenus ad colloquium inter nos & eum Regem habendum accederemus: tantumque huic verbo institit, quo adusque vniuersorum nostrorum principum colloquium indiximus 4. Cal. Septembris ad pontem Laonæ inter Diuionem & Dolam, cum Archiepiscopis, Abbatibus, alijsque cleri nostri Prioribus illo venturi.*

Cæsar in Burgundia indicit conuentum.

Hac igitur de causa, cum & locus conuentui tanto præparandus, & Germanicæ res ante reditum Cæsaris essent inspiciendæ, legationem suscepit Reinoldus, & illicò ad locum, vbi corpora SS. Regum tutò seruabantur, qui 20. milliaribus Mediolano aberat, misit familiares: vt inde Vercellas deportarent. Circa Comum erat ea statio 5. ab eo distabat milliaribus, vbi pars agri quietis SS. Regum & nomen obtinuit, & anniuersaria celebritate solenniter eum recolunt inquilini ea pietate, & religione quæ fidem ægrè reperiret, si non ipsi testarentur. Ego cum à R. P. Mangionio Rectore alias Mediolanensi vestigia translationis exquisissem, is per P. Breratum loci Rectorem curauit literas Rectoris Comensis in his exstant vestigium insigne quietis & stationis vnius, antequam Coloniam transferrentur. Verba recitabo ex literis Rectoris Comensis ad P. Rectorem de Brera:

statio & quies SS. Regum Mediolano exportatorum.

Quod ad ea spectat, quæ R. V. exme cognoscere auet de tribus Magis: intellexi ex D. Præposito Finensi siue S. Fidelis viro & annis & sanctitate spectato in territorio Grandatensi & Coderagensi, quæ ad prouinciam Comensem pertinent, duo esse sacella campestria: quæ vulgò S. Poso vocantur, quasi pausam sanctorum: eo quod ibi quieuerunt corpora sanctorum Magorum, quando Mediolano translata sunt Coloniam, posteaquam Reinoldus Archiepiscopus à Friderico Imperatore ea obtinuerat; extra hanc ciuitatem, quasi per totam illam viciniam triduo ante vel post Epiphaniam celebrantur in ipsorum honorem votiua festa, & abstinetur à laboribus.

insignis pietas & cultus anniuersarius SS. Regum.

Insignis prorsus & incredibilis pænè pietas singulos singulis SS. Regibus vacuos à laboribus dies consecrare, ad memoriam eius temporis, quo dicto in loco quieuerunt, & viciniam sibi præsentia consecrarunt: quid facere oportet Colonienses, vbi tot seculis conquiescunt?

loci descriptio.

Locus ille Coderagi Mediolano 20. abest miliaribus; Como verò quinis, vt mihi Mediolano perscribitur: vnde videtur Reinoldus eo loci velut in tuta statione extra castra sacras exuuias amandasse fidelissimis adhibitis familiaribus, qui tantum thesaurum tutarentur. Itaque octauo Iunij misit eo expeditos equites, qui Vercellas versus eum thesaurum destinarent, decimo Iunij subsecutus ipse, cum impedimentis Legati Cæsarei specie, ne Conrardum Imperatoris fratrem, & Henricum episcopum Leodiensem ea res aduerteret, & iter inchoatum retardarent: maturauit itaque Papiâ Vercellas versus iter decimo Iunij, & loco destinato sacras exuvias reperit, cum quibus celerrimè contendit Alpes versus.

CAPVT XXVIII.

Vestigium secundum stationis alterius Vercellis, vnde Reinoldus literas mittit ad clerum & populum Colonienſem de reditu ſuo cum SS. Regibus.

REINOLDVS primâ è ſtatione Comenſis prouinciæ abductis reliquijs Vercellas contendit: vbi ſine autore & teſte Chronicon Saxoniæ vult loculum camelo impoſitum ante ſe cum expeditis equitibus præmiſiſſe, qui caſu neſcio quo camelum amiſerunt: quos vt adſecutus Epiſcopus abeſſe camelum cum reliquijs ſenſit, in terram ſe proſternit, ieiunio & precibus tam diu Deum obteſtatus, donec vidit in aëra leuatum camelum tribus luminibus ornatum coruſcare & deſcendere: quæ narratio dubiæ fidei, imo fabuloſa videtur, cum autore careat, & ex dicendis euertitur: nam ſacra corpora non vno, ſed tribus diuerſis loculis, & à ſingulis mulis mercium inſtar inſtitorum celerrimè verſus Alpes Vercellas primum ſunt deportata, comite earum fere Reinoldo, ne theſaurus ille hoſtium inſidijs interciperetur. ad an. 1178. fabula. explodituꝛ

Vercellæ ciuitas Inſubriæ Epiſcopalis eſt, ad amnem Seſſitem; antiqua Libycorum ſedes, media inter Mediolanum & Auguſtam Taurinorum, ab vtraque 35. paſſuum millibus abeſt: quæ olim ducatui Mediolanenſi ſuberat: nunc Pedemontano principatui paret: huc vndecimo Iunij cum ſacris reliquijs delatus Reinoldus, cum iam à caſtris Papienſibus remotior Conrardi germani Cæſaris periculum, à quo ſibi maximè metuebat, euaſiſſe videretur, ilico curſorem expeditum Coloniam præmittit cum literis ad clerum populumque Colonienſem, quibus reditum ſuum cum SS. trium Regum reliquijs nunciat; itineris item futuri rationem, & cauſas, quibus coactus viarum anfractus per Burgundiam quærat. Multas expedit hæc epiſtola difficultates, quæ ſuis occurrent locis, vt iure tota ſit inſerenda. Vercellæ ſitus. inde Reinoldus ſcribit Coloniam.

LITERÆ REINOLDI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS de SS. trium Regum acceptis corporibus.

REinoldus Dei gratia S. Colonienſis Eccleſiæ Electus, & Italiæ Archicancellarius: dilectiſſimis in Chriſto filijs & amicis Hermanno Colonienſis Eccleſiæ præpoſito, Philippo Decano, cunctiſque Prioribus, & vniuerſo clero: omnibuſque beneficiatis, & miniſterialibus B. Petri, ac S. Colonienſis Eccleſiæ; vniuerſis quoque Burgenſibus almæ vrbis Coloniæ ſalutem, & affectuoſum obſequium, cum intimæ dilectionis plenitudine. Inſinuamus dilectiſſimæ veſtræ vniuerſitati, quod ex voto ardentiſſimi noſtri deſiderij, felix iam per Dei gratiam adepti ſumus initium. Benignâ enim Domini noſtri ſereniſſimi imperatoris (Friderici) accepta licentia, cum gratiæ & dilectionis eius plenitudine ab ipſo gaudenter dimiſſi, & egregijs ac tantis donis, quorum nulla in terris eſſe poteſt æſtimatio excellentior, ſumus honorati: inter cetera enim liberalitatis ſuæ beneficia, quæ in nos affluentiſſimè contulit, nempe tria nobis munera donauit pretioſiſſima, videlicet corpora inſignia beatiſſimorum trium Magorum ac Regum, qui primitiæ Gentium in typum ac præſagium futuræ ex Gentibus Eccleſiæ, iacenti adhuc Chriſto in præſepi munera pretioſa obtulerunt, quorum videlicet nobiliſſima corpora, omnique veneratione digniſſima Mediolani in Eccleſia B. Euſtorgij confeſſoris atque Pontificis ſolenniter ac glorioſè fuere recondita. Inſuper etiam Deo præduce ad vos perferimus corpora SS. Martyrum Naboris & Felicis, vt inæſtimabili, & incomparabili hoc theſauro ſuper aurum omnemque lapidem pretioſum diligendo ſacratiſſima Eccleſia, ciuitaſque Colonienſis feliciſſimè ditetur, ac perpetualiter decoretur. Nos ſiquidem, quia ſuſpecta nobis eſt via per inimicos veſtros, & noſtros, iter noſtrum per Burgundiam ac Galliam vſque ad vos diſpoſuimus, præſentemque nuncium à Vercellenſi ciuitate ſecundo idus Iunij præmiſimus, eo die verſus Taurinum, & verſus Alpes montis Ciniſij, cum prædictis, & venerabilibus reliquijs celerrimè procedentes. Ideoq; ſinceriſſimam veſtram dilectionẽ intimè rogamus, & commonemus in Domino, quatenus ad condignam tantorum munerum ſuſceptionem, ea qua noſtis, & qua de vobis confidimus, deuotione ac ſolennitate præparemini. Nb. theſaurum hunc toti terrarum orbi præferendum. corpora trium Regum. SS. Naboris & Felicis. pericula declinat. itineris rationem deſcribit.

D. Deum quoque quam affectuosissimè pro nobis sine intermissione deprecemini, vt vna cum ipsis ad gloriam & honorem nominis sui, & ad perpetuam omnium vestrorũ ac totius patriæ salutem saluos, incolumes, & illæsos nos vobis dignetur remittere.

Hactenus Reinoldus, cuius excellens in sanctorum exuuijs honorandis religio, studium & affectus hic claret, cum spretis, quas obtinere potuisset, amplissimis opibus, possessionibusque, nihil duxerit tunc, præter has sacras reliquias esse postulandum: hasce auro gemmisque prætulerit: has tanti fecerit, vt censuerit omnium in terris rerum valorem & æstimationem superare: vt ita tam solicitè ciues officij præmonuerit; tantos hospites magnâ præparatione animis per exhomologesin expurgatis, & insigni mentis religione suscipiendos esse, quem vnicum & sibi carissimum thesaurum voluit ipse tot licet per ambages viarum, vt apparebit, suam ad metropolim deferre: quamuis ilico, vt dicemus, debuerit iter ad imperatorem relegere.

mira æstimatio præstantiæ harum reliquiarum.

CAPVT XXIX.

Taurinum pridie idus Iunij venit cum SS. reliquijs, & de literis alijs Coloniam præmissis.

ITERIS Coloniam fidum per nuncium expeditis: ipse cum sacro thesauro, nisi repente impeditus fuerit, Taurinum mouet quam celerrimè, vel certè Alpes versus; vehebantur à mulis fortissimis sacra corpora: nec secum impedimenta multa, sed equitum turmam in bello exercitatissimam habebat, vt tutior esset & securior transitus. Augusta Taurinorum alluitur Pado, Galliæ Cis-Alpinæ & Transpadanæ ciuitas: tunc Longobardis & imperio subiacebat, quo etiam breui post Cæsar venit: nunc Pedemontanæ regionis caput, & sedes ducum Sabaudiæ, senatum habet, Academiam, & Archiepiscopum: num hic noctem quieuerit, vel diuerterit quidem Reinoldus, incertum est: verisimile tamen, si venit, ibi pernoctasse, vt inde facilius iter Alpinum constitueret.

descriptio loci.

Iam tum Coloniam fama aduentus SS. Regum peruenerat, vt opinor ex alijs literis Reinoldi Papiâ pridem eo destinatis ad sororem Antistitam Vrsulanæ Basilicæ: quæ litem eo tempore perurgebat cum vicini collis Magdalenæi cœnobio iam à lexcentis annis inchoatam de possessione agri Vrsulani. Sperabat igitur Reinoldus eam facile pro sorore suâ fauore Metropolitani collegij decidendam, si donatis SS. Machabæorum exuuijs alteri monasterio (quod sibi mordicus Vrsulanum nomen arrogabat) id in SS. Machabæorum appellationem conuerteret: itaque destructo Mediolano, & sacris obtentis reliquijs, Papiæ dum subsistit, primas ad sororem Coloniam expedit literas; quibus eam facit obtenti tanti thesauri certiorem; consilium suum de cedendis SS. Machabæorum cineribus cœnobio vicini montis Magdalenæi aperit pro nominis commutatione: id quo fieret suffragantibus etiam Metropolitanis canonicis facilius, ipsis per sororem primum renunciat corpora SS. Regum ab imperatore donata, ædi primariæ destinata esse: literæ perierunt: sensus earum his verbis in tabulario Machabæitico continetur. *Cum Fridericus Romanorum Rex huius nominis primus Mediolanenses sibi rebelles subiugasset, essetque ciuitas eorum in eius redacta potestatem, Reginaldus Rugraue Colonienſis Archiepiscopus illic cum Rege præsens trium Magorum, Felicis quoque, Naboris Mediolanensium Martyrum; nec non 7. Machabæorum fratrum, & Salomæ Matris, eorum corpora ex eius licentia illinc solerter Coloniam deferri fecit: & totius negocij priusquam propalatum fuisset, cum mentis suæ sententiam sorori suæ primariæ tunc Vrsulæi in hac vrbe collegij virgini (quæ Abbatissa nuncupatur) scripsit, eamque de singulis certiorem reddidit; tum vt egregium apud illustres maioris basilicæ canonicos, ciuesque omnes beneficium collocaret: tum vt eam contentionem, quæ dudum inter eandem sororem suam, & vestri loci id temporis Sanctimoniales ob istius Vrsulæi siue sanguinis agri nomen exorta erat, diriniret, atque cum fruge sedaret. Ipsos tres Magos, Felicem & Naborem suæ Cathedrali, vt dignum fuit, destinauit Ecclesiæ; sanctorum vero Machabæorum corpora iussit, vt per illustres eiusdem maioris Basilicæ canonicos, cum dignâ festiuitate in istam*

Coloniam fama peruenerat ad uentus SS. Regum. ex literis prioribus Reinaldi ad sororẽ.

Et M. SS.

causa missionis earũ literarum.

nõ

nostram ædem transferrentur: idque eâ agitatione, quo tantorum Martyrum fama & in istum locum accessione nomen eidem per hoc mutaret atque aboleret.

Hæ literæ primam Colonienſibus lætitiam & tanti theſauri ſummam exſpectationem concitarunt, eo præſertim tempore, cum quod mireris, ciues in ſeptimum iam annum toti deſudarent in eruendis è terrâ corporibus Vrſulanis, quorum tunc aliquot millena iam effoderant: de quibus actum eſt copioſè ſuo loco.

CAPVT XXX.

Ieritne per Cottias vel Lepontias Alpes.

ITINERVM Alpinorum octo diuerſa genera fuſè ſum in Vrſulanis proſecutus: duæ præcipue viæ poterant Reinoldi reditui deſeruire, Cottiarum & Lepontiarum minorum tranſitus: per Cottias iuiſſe non pauca probant: ipſæ Reinoldi recitatæ literæ id demonſtrare videntur: ſi enim Vercellâ Taurinum, & inde in Burgundiam iter Alpinum ingreſſus eſt, non aliud elegerit, quam quod Romanis tritum fuit, & vſitatum iam octingentis annis, & ita ab Antonino in itinerario deſcribitur.

A Taurino ad fines.	m. p. m. 16.
Seguſione hodie Suſa.	m. p. m. 24.
Ad martis.	m. p. m. 16.
Brigantione.	m. p. m. 18.
Rama.	m. p. m. 18.
Eburodunò.	m. p. m. 17.

Hoc iter Mediolano, Taurino, Arelatem eſt per alpes Cottias, & montem Genebræ. Accedit quod in Cottijs Alpibus locent multi Cineſium montem in literis Reinoldi nominatum: & tritum olim & eo ipſo videatur tempore fuiſſe ſatis iter: cum per eum Carolus Magnus aduerſus Deſiderium Longobardorum Regem exercitum traduxerit: & Henricus 7. per eundem Romam contenderit, iter hoc ita deſcribit Simlerus in Alpibus ſuis: *Neque tamen hoc iugum (Genebræ) duntaxat Cottias Alpes putamus, ſed alia quoque, quibus inter maritimas & Graias alpes in Galliam tranſitur: à ſua enim per Noualeſiam & Ferreram adſcenditur mons Dionyſij, cuius ſummum Laposta vocant, indè in vallem Moriennam deſcenditur Luneburgum: vbi D. Dionyſij ſtatua in foro columnæ impoſita cernitur, & à Gallis colitur: indeque monti nomen inditum creditur. Quidam Ciniſium, alij cinerum montem vocant: per hoc iugum ſcribunt Carolum Francorum Regem, cognomento magnum exercitum duxiſſe aduerſus Deſiderium Longobardorum Regem.* Ipſe etiam Leander Albertus Cottias Alpes apud eundem vocat Cineſium montem. Idem Simlerus duplicem diſtinguit Cineſium montem maiorem & minorem: maiorem quidem cum Marliano, Cuſpiniano, & Ioanne Saxonio adnumerat Graijs Alpibus, at minorem Cottijs: & hunc vocari vult hodie Italicè *ſtrata Romana*: quod omnium vſitatiſſimum ſit ex Hiſpaniâ, Gallia, & Britanniâ Romam euntibus iter per minorem Cineſium & alpes Cottias.

Simlerus de alpibus Cottijs.

Cineſius mons duplex.

Conradus Vecerius in Henrico 7. vult eum Lauſannâ per montem Cineſium Taurinum veniſſe; illud igitur iter per Cineſium montem minorem ſeu Cottias Alpes ſæpius exiſtimaui, congruenter literis Reinoldi, poſſe tribui, tranſlationi, præſertim cum idem tenuiſſe tribus poſt menſibus Cæſarem credibile ſit tunc, cum Taurino moueret cum exercitu in Burgundiam: vrgebat etiam cauſa, vt inſpiceret Reinoldus, ne qua periculum exercitui tanto in Alpinis montibus vel impedimentum ac remora crearetur. Ideoque literis ſuis id ipſum expreſſiſſe: ſed quia multa cadunt inter calicem ſupremaque labra: repente videtur natum poſt datas literas ab inſequente Conrardo germano Cæſaris periculum, vt vel Vercellis, vel in ipſo Taurinenſi itinere ſubito reflexerit viam, & recta contenderit verſus Gothardi montem; per quem ſacras reliquias tranſlatas eſſe Lucernenſium euincit traditio, certumque quietis triduanæ veſtigium: quod præualet ipſarum literarum itineris deſignationi: cum poſt eas datas ſæpe mutata rerum conditione noua ſint conſilia accapienda.

Henricus 7 per eum contendit in Italiam. cur Reinoldo idem tenendum iter. mutaſſe tamen videtur.

CAPVT XXXI.

Lucernæ tertium vestigium certum triduanæ quietis sanctorum Regum in translatione.

per Lepontias alpes translati SS. Reges.

INsistam vestigijs traditionis Lucernensium, qui per S. Gothard montem sacras esse transuectas exuuias constanter adserunt. Oportuit ergò per Alpes Lepontias ex Italia delatas esse, quas mon. S. Gothardi nominant: est per eas hodieque facilis itus & reditus, etiam cum institorum mercibus, ob lacu Lucernatis opportunitatem: videri Iouius, Alciatus & Athlas minor Mercatoris Hondij possunt: *Iouius.* *Alciatus.* *Athlas minor.* *Lacus*, inquit hic, *vrbi commodus est, quod hoc iter sit in Italiam per Alpes Lepontias, quem montem S. Gothardi hodie nominant; hinc merces ad Alpes hodie subuehuntur, indeque in Italiam clitellarijs iumentis, & vicissim Italicæ merces per lacum & Rusam fluuium in Rhenum, ac porro in oceanum descendunt.*

Verum cum duplices Lepontij montes sint, hic de minoribus sermo est: qui Cæsare, Plinioque testibus intercipiunt id omne spatium, quod à Rheni fontibus ad Rhodani scatebras vsque porrigitur: iter per eas Iouius breuiter ita describit. *Minores* ait, *Lepontiæ sunt, quibus à Bellizona, quæ oppidum Villitionis, vt quibusdam videtur, antiquitus fuit per Ticini amnis vallem, Torfanum primum Heluetiorum oppidum aditur, æquitate viarum ac montium ceteris Alpibus leniores, nisi editissimum D. Gothardi iugum, & profundissima vallis, quam cum tremulo ponte infernam vocant vno tantum, vel altero in loco maximam cum summo timore transeuntibus difficultatem præberent.* descriptio itineris. Simlerus in Alpibus accuratius hoc iter sic persequitur. *Simlerus.* *Mons altissimus*, inquit, *per quem ab Vranijs Heluetijs in Italiam traijcitur S. Gothardi mons nostra ætate nominatur. Atque has esse Lepontias Alpes doctissimi nostræ ætatis scriptores consentiunt.* Explicat deinde loca viarum difficiliora; & Torfanum modo vocari Altorfum vult, primum autem locorum periculosorum ponit in ea parte, quæ Italiam spectat, supra pagum Ayrolum, quem Orientem vocant: vbi in medio montis adscensu pons est, qui Ticinum iungit: atque hieme sæpe accidit, vt Ticino glacie & niuibus tecto per glaciem quasi pontem homines transeant; quando vel pontem glacie tectum ignorant, vel compendia viarum sectantur. duo loca eius periculosa. 1. Pergit autem *Vbi verò supra pontem adscenderis, ibi amplius nullæ siluæ occurrunt; sed præruptæ rupes, & accliuia montis latera niuibus tecta: vallis per quam adscenditur angusta satis est. Deinde ab altera parte montis alter locus periculi plenus occurrit, quem vallem infernam vocant: is est supra Sillinium pagum Vraniorum, iuxta Vrsam fluuium, & prope Vrsuriam vicum, quo loco pons est, quem satanæ aut inferni pontem vocant. Adscenditur huc à dextera fluuij via adeo angusta, vt nonnullis locis petram exscindere oportuerit, quo satis spatij transeuntibus relinqueretur: altera parte mons in altum præceps abit, Vrsa autem fluuius vehementi sonitu per saxa deuoluitur.* 2. Tendunt autem Lepontiæ Alpes recta Vraniam; Vrania merces lacu deportantur Lucernam claram Heluetiorum vrbem: inde per Vrsam fluuium in Rhenum deuehuntur.

Hac igitur via mercatoribus trita, quasi venalitiorum merces sacræ reliquiæ Lucernam sunt deportatæ: ea sita est ad fluuium Rusam; qua is effluit ex amplo lacu: & per quem ad tres pagos nauigatur. Vrbs est amœna, diues, elegans, & emporium commune Suitensium, Vraniorum, & Transiluanorum. Rusa fluuius, alias Vrsa scaturit in summis Alpibus S. Gothardi, è quibus etiam Ticinus via contraria versus meridiem pergit in Italiam: Vrsa verò ad septentrionem: & primo nomen pago in monte Vrsulæ dat; quem lambit, & vicinæ valli, quæ Vrseler-thall appellatur: delapsus inde per confragosa loca prope Altorffium nobilem Vranienssium pagum, in lacum influit, mediumque secat: at Lucernæ lacum egressus variato nomine Rusa die Rüß appellatur. Hac itaque via delata sacra lipsana mense Iunio Lucernam peruenerunt, quod traditio loci, cum certis vestigijs tenet. Huius me literis datis commonefecerat Iosephus Feurstein, Tridentinus, collegij Societatis Iesu Rector his verbis. *Quidam Pater Societatis nostræ anno superiore ex Heluetia huc ad*

Lucernæ situs.

me

me missus, ait, *non procul Lucerna esse sacellum aliquod dedicatum in honorem trium Regum valde frequentatum : traditio est antiquissima in eo loco sanctorum trium Regum corpora fuisse deposita, quando ex Italia Coloniam sunt delata.* Eundem locum prodigijs fuisse celebrem putat Melchior Inchofer in Magis Euangelicis ex inquilinorum attestatione. *Ita crediderim*, ait, *Lucernates sensisse non semel beneficium hospitalitatis, qua in transuehendis sacris pignoribus vrbis suæ caritas & religio eluxit. Exstat eodem loco hodieque oratorium prope fluuium, qui in vrbe manat (Vrsulam ni fallor vocant) eius rei memoriam ex traditione per manus ducta seruans, quam Illustrissimus Nicolaus à Fleckenstein pontificiæ custodiæ præfectus, dum hæc Romæ scriberem, confirmauit : iure etiam fundi sacram habens.* Ego rem vt penitius cognoscerem datis ad Adamum Schifferl loci Rectorem literis vestigia, si quæ supererent fidæ narrationis exquisiui : is per Iodocum Tilman patriæ Lucernensis gestorum peritissimum plenè de omnibus me per epistolam erudijt. *Sacra*, inquit, *Magorum Euangelicorum corpora Mediolano per montem S. Gothardi, & lacum Lucernensem huc delata, in vicinia nostri Collegij quieuisse vetus & constans maiorum traditio est : ita docti, indoctique loquuntur, & sentiunt, nemine quod sciam contradicente. Editus est an.* 1507. *Basileæ liber de rebus Helueticis conscriptus à Petro Etterlino ciue Lucernensi lingua vernacula : in hoc pagina* 33. *verba sequentia leguntur, quæ breuitatis causa Latinè reddo: Cæsar Fridericus primus eius nominis cepit Mediolanum, & Episcopo Colonienſi Reinoldo nuncupato, donauit corpora SS. trium Regum salarij & stipendij loco: nam multis cum copijs & armis plurimum iuuit ad id expugnandum, tunc corpora SS. Regum inuoluta pannis mercatoriarum instar sarcinarum per montem S. Gothardi deferebantur: & per lacū naui vecta Lucernæ applicarunt: Deinde exportata de naui delata sunt ad officinam, quæ sub domibus exstat, qui locus iam muro cinctus, decoratur pulcherrima pictura, ad SS. Regum honorem erecta : & ibidem noctem illam quieuerunt.* Hactenus Etterlinus. Sed nostra memoria monimentum illud egregiè fuit instauratum ; & loci traditio cum attributis omnibus, sic aureis expressa literis præfixa loco : vt si cetera, quæ attuli, vel allaturus sum deinceps deessent, hoc vnum vestigium translationi SS. Regum fidem & autoritatem conciliaret. Pergit enim P. Iodocus. *Monimentum de quo Etterlinus, vetustate destructum instauratum nostra memoria nobilis ac strenuus Dominus Rudolphus Pfiffer, exstructo eodem loco eleganti sacello, ad cuius ingressum in supremo limine legitur aureis literis sequens inscriptio.*

sacellum ibi ob memoriam translationis SS. Regum erectum.

clarum miraculis.

traditio loci de eo.

instauratur.

inscriptio eius.

IN DEI AC SALVATORIS IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI A MAGIS ORIENTALIBVS PRIMITIIS GENTIVM IN CVNIS RELIGIOSE ADORATI SACRAM AC PERENNEM MEMORIAM POSITI.

Alia in latere sinistro.

SACRA ORIENTALIVM REGVM PIGNORA A CONSTANTINO MAGNO IMPERATORE EVSTORGIO Mediolanensi muneri data, Mediolano postmodum à Friderico primo Imperatore deleto, eiusdem concessu Colonienſis Archiepiscopus inde Coloniam Agrippinam transtulit : hoc loco tertium diem commorata sunt.

Huius itaque sacræ, gratæque memoriæ conseruandæ studio hocce Sacellum tunc olim erectum & vetustate confectum nobilis ac strenuus Dominus D. Rudolphus Pfiffer p. m. militarium copiarum ductor, cum hisce ædibus religiosè & liberaliter instaurauit, ac illustrauit an. Salutis 1605. *Est in hoc Sacello altare, & tabula repræsentans tres Magos Christum puerulum in matris gremio submisso poplite adorantes. Fit in eo per annum sæpius Missæ sacrificium, præsertim die Epiphaniæ: & per octauam eius : quo tempore magno pietatis sensu ciues & aduenæ eum locum frequentant ob plenam indulgentiam, quam summi Pontifices à primis vesperis vsq; ad occasum solis dicti festi concesserunt Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Ecclesiam seu capellam illam deuotè visitauerint. Primus eam concessit ad decennium Paulus V. hoc breui:*

Altare SS Regum.

annua celebritas loci.

PAVLVS PAPA V.

Vniuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem & animarum salutem cœlestibus thesauris pia caritate intenti, omnibus vtriusque sexus fidelibus verè pœnitentibus ac confessis, ac sacra communione refectis, qui ecclesiam seu cappellam trium Magorum loci de Lucerna Constantiensis diœcesis, Prouinciæ Moguntinensis in festo Epiphaniæ Domini à primis vesperis vsque ad occasum solis eiusdem diei singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro Principum Christianorum concordia, hæresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus: præsentibus ad decennium valituris. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo piscatoris die 28. Iulij A. 1605. Pontificatus nostri primo. Eandem confirmauit idem Pontifex Paulus 5. die 28. Nouembris A. 1615. valituram ad septennium, & Vrbanus 8. die 11. Decembri. A. 1634. ad aliud septennium.

Hæc Pater Iodocus, qui quoniam 40. annos, iam septuagenario maior vixit in his locis, certius potuit rei veritatem cognoscere: vt non liceat amplius dubitare, quin ibi triduo quieuerint.

Erat Lucernâ Basileam versus secundo Rusa ad Rhenum vsque brevis & percommoda via: sed in Burgundiam vt flecteret Reinoldus Cæsaris mandatu non vrsisse videtur: quin & declinandæ quorundam insidiæ idem persuaserunt.

CAPVT XXXII.

Quartum vestigium in Burgundia Dolam inter & Vesontionem Fons SS. trium Regum, alias Strabona dictus.

COMPLVRA superant vestigia translationis, SS. Regum in vicinis locis transalpinis: nec ea facile delebit obliuio: miræ tamen ingerunt hicse viarum ambages, sed nisi legatio, quâ fungebatur, insidiæ hostium, qui certis in locis putantur insedisse vias, præsertim verò testatissimæ Reinoldi literæ circuitionum illarum necessitatem satis edocerent, suspecta videri talis vix posset, Iam vt Burgundiam inspiceret, vrgebat Imperator: is armatus cum ingenti quatuor Regum apparatu, cum vtroque & legitimo Alexandro, & schismatico Pontifice Victore, cum 4. regnorum & imperij totius præsulibus ibi conuenire decreuerat: vt prouidendum Reinoldo Cæsaris Archigrammateo legatoque fuerit, ne tot copijs Taurino in Burgundiam profecturis, impedimenta occurrerent in itinere: vel commeatus deficeret, sed ingentes Cæsaris spiritus excisо Mediolano, & conatus in Burgundico consessu adornando proximus eorum temporum ita memorat Helmoldus. *Cæsar obtinuit Mediolanum: tunc elevatum est cor eius nimis, & timuerunt omnia regna terrarum ad famam nominis eius: & misit ad Regem Franciæ Ludouicum, vt occurreret sibi ad colloquium, apud Laonam, quæ est in terra Burgundionum iuxta Ararim fluuium, ad redintegrandam vnitatem Ecclesiæ; & annuit Rex Franciæ: præterea misit nuncios ad Regem Daniæ, & ad Regem Hungariæ, & ad Regem Bohemiæ, vt venirent ad constitutum diem: insuper omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, & summis potestatibus regni sui, & religiosis quibusque solenniter adesse mandauit. grandis ergo exspectatio erat cunctorum ad tam celebrem curiam, quo vterque Papa, & tanti Reges terrarum conuenturi ferebantur. Tunc abierunt simul Waldemarus (Rex Daniæ) cum Episcopis Daniæ, Hartuicus Archiepiscopus, Gerdacus Episcopus, & Adolphus Comes, cum multis Saxoniæ nobilibus, ad præfixum colloquij locum. Dux verò positus in Bauaria, alia via venerat.* Hæc Helmoldus Medius tunc Iunius voluebatur, & 9. circiter post hebdomadas ipsa S. Ioannis decollationis die conuentus indicebatur. Ideo maturauit iter in Burgundiam, quam Cæsar nomine dotis Augustæ sibi vindicabat. Locum Imperator Lugdunensi Archiepiscopo definit ad pontem Laonæ inter Diuionem & Dolam: hic & Lotharingiæ Prin-

eur in Burgundiam dexerit.

indicta ibi comitia.

Helmoldus lib. 1. Chron. Sclauic. c. 91.

fastus Cæsaris.

euocati Reges 4. & Episcopi.

v. to. Germaniæ Freiheri.

locus comitiorum.

Principi Laonam nominat: quem vt quatriduo ante Vesontionem veniat & Cæsaris aduentum præstoletur, commonet.

Iter igitur Lucerna Reinoldus ad Sagonam seu Ararim intendit, vt quæ constituenda parandaque decerneret, inde Dolam profectus, & vesontionem est, vbi Principibus ob commeatus commoditatem imperatum fuerat, vt quatriduo ante conuenirent & Cæsaris accessum operirentur. Quo in itinere Dolâ discedentibus Strabona occurrit, fons tota Burgundia famosissimus: nam ibi noctem vnam quieuisse cum SS.trium Regum corporibus certa constansque tenet traditio: quæ vult eum fontem & toparcham exinde magnis cœlestibus donis cumulatum. Meminit eius Benedictus Renatus in posteriore tomo vitarum sanctorum: asseritque salientem dictum mederi morbidis, nec posse concludi tecto, ne arceantur aduenæ. Strumas etiam toparcham more Regum Galliæ curare, certis ritibus, quos defendit & recitat in vita S.Huberti Ioannes Roberti his verbis. *Est in Gallia Baro de Aumont, Comes de Chasteau Raoul, qui itidem, vt Galliæ Reges, strumas abstergit, Gaudet autem hoc priuilegio eo nomine, quod trium Regum Magorum corpora, apud fontem sacrum quieuerint in ipsius Dynastæ prædio, in libero comitatu Burgundiæ (en la franche comtè de Bourgogne) Dat autem struma laborantibus panem benedictum eo nomine consecratum. Eius generis panem semper penes se habet, tanquam eulogiam, seu benedictionem iuxta primorum Christianorum ritum. Porro hæc potestas miracula faciendi est in solo primogenito familiæ de Aumont, qui memoratum fontem possidet, is fons aliquando inclusus à quodam eorum Baronum, mox aruit: at vbi primum iterum apertus patuit piè eo concurrentibus, & se lauantibus, viuas denuo aquas dedit, Deo manifestè ostendente, velle sua beneficia omnibus patere non malignè interei pi.*

Strabonis situs.

Renatus in vita S.Marculphi 1.May.

modus curandi strumas.

De loci situ & toparcha Iulius Chiffletius Canonicus Vesontinus & Prior Dampetrianus multæ & interioris literaturæ vir hæc mihi transmisit. *Locus ille cuius meminit Ioannes Roberti in vita S.Huberti pag. 376. vulgo vocatur Estrabonne, Dola quinque circiter leucas, Vesontione quatuor distans. Baro de Aumont nobilis Gallus eum possidet: non ratione Baronatus Aumontani, qui in Gallia situs est: sed alio quopiam titulo mihi ignoto. Et quoniam rectum iter non videntur secuti, qui sacra lipsana Regum Coloniam deferebant, valde verisimile est, eos Dolam deflexisse, celeberrimum per id tempus castrum, vbi Fridericus primus Imperator comes Burgundiæ, propter vxorem suam Beatricem illius prouinciæ heredem moram trahebat diutius, vti tradit Autarium Affligimense Sigeberti A.1162. mendosum tamen in eo, quod Dolam villam appellet super Saonam, cum ad Dubim flumen sita sit.*

situs fontis quisto parcha sit.

itet translationis per Burgundiam.

De dono curandi strumas dynastæ loci consultus idem respondit in hæc verba. *De strumarum curatione Baronis Aumontij primogenito attributa ab autoribus consulendus est Andreas Laurentius libro de mirabili strumas curandi vi lib.1.p.21. qui id fieri videtur negare.* Pluribus sanè familijs id à scriptoribus esse tributum legi. Felix Fabri è Chronicis Habspurgensium comitum de ipsis hæc narrat. *Quod tantum donum gratis datum habeant, vt quicumque strumosus, aut gutture gibbosus de manu alicuius comitis de Habspurg potum acceperit, mox sanum, aptum, & gracile guttur reportabit: quod sæpe visum est in valle Albrechtstaal in Alsatia superiori, in qua sunt homines strumosi naturaliter, qui passim prædicto modo sanabantur; dum vallis adhuc esset illorum comitum, vel Austriæ ducum: insuper notorium est, & sæpe probatum, quod dum quis balbutiens est, vel impeditioris linguæ, si ab vno principe de præmissis sine alio quocumque suffragio osculum acceperit, officium loquendi disertissimè ætati suæ congruum mox patenter obtinebit.*

Laur. Andreas l.1. p.21.

Felix Fabri lib.1. sueuiæ c.15.

Habspurgici comites curarunt strumas.

& balbutientes.

Magis stupenda apud Ioannem Roberti videre licet in alijs familijs: ego fide autorum citatorum hæc refero, nec meo periculo dicta cupio.

CAPVT XXXIII.

Quintum vestigium in Burgundia Abbatia SS. trium Regum vocata post translationem per eum locum facta, cum antea Locus crescens diceretur, & de dynastis Grammontanis, qui tunc adsumtis tribus capitibus coronatis mutarunt insignia gentilitia.

origo Loci crescentis.

TOTVM hoc etiam caput eidem doctissimo viro Iulio Chiftletio debeo. Prope Vesontionem qua Dola & Strabona pergitur in Germaniam asceterium occurrit, olim *Locuscrescens* nominatum: eius origo talis perhibetur. Vallisclausæ Prioratus duo religiosi S. Benedicti regulam habitumque professi vitæ seuerioris amore se in locum, qui paruum vagenans dicitur, contulerunt: vt ibi pacatius à turbis segregati vitam agerent religiosiorem. Fama statim ad vicinos viros illustres, & vitæ melioris odor dissipatus, ipsorum statim munificentiam prouocauit, vt ijs ad vitam honeste sustinendam eleëmosynis largis subuenerint. In his principes erant Reinoldus Comes Burgundiæ, Albericus Montis Pelicardi, & Simon Comes de Roca, seu de rupe: qui tantum argenti contulerunt, vt de fundando cœnobio cogitari cœptum sit: quem in finem duos è Basileensis Episcopatus Abbatia quæ Lucella dicitur & Cistertiensem regulam tunc recens conditam, ac superstite S. Bernardo maximè florentem sequebantur, ad se precibus euocarunt: vt eandem adstrictiorem viuendi normam & disciplinam susciperent. Horum aduentus fecit, vt locus primo variato nomine Locuscrescens deinceps diceretur. Atque dum creseeret vitæ religiosæ profectus, non deerant, qui suis facultatibus Dei famulos sustentarent: in his familiam ducunt Guido de Granges Dominus de Grandmont, de quo plura iam dicturus sum, Theobaldus de nouo castro sub Philippo bono & Carolo Audace eius filio Burgundiæ Marischallus: qui & ibi cum Bona de castro villari sepultus est, magnifico eidem excitato mausoleo.

Fundatores.

Benefactores.

Adhoc asceterium Strabona digressus Reinoldus diuertit an. 1162. licet quidam secuti auctarium Affligimense velint anno sequenti contigisse. Iam fama vulgarat sanctitatem & prodigia reliquiarum; inde religiosi suis hoc precibus obtinuerunt, vt aliquod mnemosynon stationis & translationis SS. Regum illic relinqueret pietati nutriendæ tam ascetarum, quam accolarum: ita pollicem dimidiatum vnius è sanctis Regibus donatum volunt cœnobitis: quod sacrum pignus excitato sanctis Regibus in Ecclesia altari sic pie sunt accolæ. venerati, vt antiquata paulatim veteri Loci crescentis nomenclatione, nonnisi Trium Regum Abbatia cœperit abhinc centum annis appellari. Quarum rerum memoriam (cum temporum horum calamitas & bellonæ furor comitatum nobilissimum adhuc vastans scripta cum religiosis pene omnibus sustulerit, cœnobiarcha Bruxellis, dum hæc scribebam, commorante) constans seruauit & certa vicinorum traditio: eam sic ad me datis literis confirmat sæpe laudatus D. Iulius. *Abbatia trium Regum ordinis Cistertiensis in comitatu Burgundiæ sita, vero & germano nomine Locuscrescens appellatur: inter ceteras autem reliquias seruatur in ea articulus pollicis è tribus Magis, quem vt ferunt loci monachi acceperunt dono ab ijs, qui corpora trium Regum Mediolano Coloniam transportabant an.* 1163. *Certè lipsanis illis Dola & Strabona venientibus, rectum iter in Germaniam per illud monasterium. Templum Abbatiæ sanctis Regibus non est dedicatum; sed vnicum in eo altare eorum cultui est destinatum. Abhinc annos circiter centum Abbatia trium Regum vocari cœpit ob populi frequentiam, articuli eius venerandi causa eo se conferentis, cum antea Locuscrescens simpliciter appellaretur. Nescitur porro quo tempore Abbatia Loci crescentis à tribus Regibus appellari cœperit: tantundem de Abbate, sub quo articulus digiti ab eodem cœnobio acceptus sit, cum id per traditionem duntaxat sine vllo ea de re scripto ad Monachos perue-*

reliqua ibi pollicis pars è SS. Regibus. altare iis erigitur.

Abbatia ab iis nomen mutuatur.

peruenerit. Nec præterea quidquam scire potest de ijs, quæ ad idem monasterium spectant ex sententia ipsiusmet Abbatis, quoniam Gallorum præsidium, qui montem Belicardum obtinent continuis irruptionibus vicina loca, adeoque ipsam Abbatiam Monachis ad vnum extinctis vacuam infestat Supra inter beneficos Abbatiæ & in ea funeratos numeraui Guidonem de Granges, dominum de Grandmont: viuebat is ipso translationis Regũ tempore vicinus cœnobio: constat eum tunc veteribus relictis noua sumsisse gentilitia insignia trium coronatorũ capitum: non dubito, quin ad SS. Regum memoriam: huius etiam me D. Iulius Chifletius commonefecit, eius in re coniecturam pereruditam cum vtriusque scuti delineatione visum est attexere.

Sciendum, inquit, *familiam de Grandmont vetustam & nobilem imprimis comitatus Burgundiæ gentem, arcem eiusdem nominis, à qua & appellationem ab antiquo habet, Abbatiæ Loci crescentis, quæ modo trium Regum appellatur habere proximam. Obseruandum præterea, proceres huius gentis è familia de Granges (quæ è Comitum montis Belicardi stirpe masculina ducebat originem) satos à principio fuisse, & cognomen de Granges retinuisse, donec Guido frater Guilielmi Domini de Granges arcem Grandis montis, seu Grammontensem hereditatis nomine adeptus, cognomen, prout vsus erat illo tempore frequentissimus, & insignia paternæ familiæ omnino deseruit: hoc autem modo se habebant. Scutum erat cæruleum, cruce decussata aurea exaratum: vulgo & heraldicis verbis dicerem, d'azur au sautoir d'or. Quod autem præsenti argumento planè conducit istud est: eundem Guidonem qui eo tempore vixit, quo translata fuisse Coloniam Magorum corpora tradunt historici, nouum insigne gentilitium proprio marte sumsisse, rarum admodum, & in tota arte Heraldica insitatum: tria videlicet humana capita coronis aureis redimita in area scuti cærulea. Vernaculè sic exprimerent d'azur a 3 testes couronnees d'or.* Scutum est huiusmodi.

Grandmontani mutant insignia.





Heraldi vt sunt maximè ignari & imperiti si Gollutio credimus in commentarijs liberi Burgundiæ comitatus Gallicè editis pag. 403. Tradunt id genus scuti gentilitij assumtum esse ob honorem trium Virginum regij sanguinis, quarum pudicitia reuocata in dubium fuisset, singulari certamine (purgationis vulgaris id signum erat) à se in Anglia assertum. Sed cum nec tempus eiusmodi euentus, nec virginum nomina designentur, facilis coniectura & merum somnium fuisse, cum insuper nec Anglici scriptores illius rei, tametsi memoria dignissimæ, mentionem faciant. Crediderim ego Guidonem illum idem scutum sumsisse in memoriam cœlestis alicuius beneficij ab ijsdem Magis, cum per monasterium Loci crescentis seu trium Regum deferrentur, accepti: cur enim tam insueto insigium gentilitiorum genere vsus fuisset? cur in eodem monasterio, quemadmodum apud R. D. Iongelinum habetur sepeliri voluisset? accedit nomina Regum ab eo tempore, sæpe à maioribus natu eiusdem familiæ fuisse vsurpata. Scio enim Castellionis Baronem ex ea gente abhinc decem annos defunctum Gasparem fuisse appellatum: vti & auum illius paternum: cui etiam frater fuit Balthasar nomine.

Hæc verò ilmillima coniectura doctissimi Iulij Chifletij cui subscribo perlibenter: præsertim cum capita trium SS. Regum singula singulis similibus coronis radiosis exornentur: vt ostensa tum cum pollicis articulus auelleretur præsente Guidone videantur: qui prorsus ad eorum prototypon voluerit capitibus similibus insignia sua gentilitia decorare: quasi eos familiæ legeret præsides, custodes &, tutelares.

CAPVT XXXIV

De ijsdem & quibusdam alijs Burgundiæ vestigijs accuratior disquisitio

SEd dum è Burgundia gradum in Germaniam promoueo, luculentissimum Dola mihi transmittitur testimonium eorum, quæ duobus his capitibus de translatione Regum per Burgundiam facta sunt memorata: nam Petrus Franciscus Chiffletius Molinensis residendentiæ in comitatu Burgundico superior Societatis Iesu, ac toties laudati Iulij patruus, qui iam inde à 30. an. quædam volumina sacræ historiæ adornauit copiosissimis ad me datis literis, quidquid ex archæis ecclesiarum Sequanicarum (quarum historiam etiam affectam habet) ac loci inquilinis potuit ad vestigia translationis huius stabilienda peruestigare, perquam accuratè, altius ab ipsis fundamentis petitis narrationibus transcripsit, hoc exemplo

Literæ Petri Francisci Chiffletij Societatis Iesu de translatione SS. trium Regum per Burgundiam

ROgatus vt de sacrorum corporum trium Regum (qui Christo recens nato Gentium primitias detulerunt, transvectione per Bisontinam diœcesim, ac de Burgundionum nostratium erga illos veteri religione ea admonerem, ex quibus id, quod molitur de tribus Regibus opus aliquatenus illustrari posset. Ea data occasione fateor exarsi studio, vel de R. V. vel de his Christi Regis æterni purpuratis; vel de clarissima ciuitate Colonia Agrippina, ac pene dixi de tota re Christiana bene merendi. Sed moram fecere conatibus meis, qua obsessæ prædabundis militibus viæ, qua Burgundiæ nostræ à diuturnis bellorum cladibus horrenda vastitas. Interim versaui, qua potui diligentia, & editos typis, & manu exaratos codices; lustraui ecclesiarum archiuia, locorum etiam indigenas peritiores & seniores, aut coram, aut per literas consului; ne de re tanta nihil dicerem: en spicilegij mei summa capita.

fontes indubitati vestigiorum Burgundicorum. propositio tractandorum.

Translationis tempus & ratio: abstergendi scrophulas dynastæ Strabonensis primogenito collata virtus; fons sacer trium Regum dictus apud Estrabonam: & ex eo, vel ad eum miracula: à quo tamen fonte vici Estrabonæ nomen haud verè deducitur. Monasterium Cistertiensis normæ à tribus Regibus nuncupatum, & alia eisdem dedicata vel templa, vel sacella; antiquæ imagines, sacri ritus: singula strictim attingo.

§ I. Translationis tempus & ratio.

Eustorgius Mediolanum transtulit SS. Reges.

TRium Magorum sacra corpora iam pridem in suam metropolim inuexerat Eustorgius Episcopus Mediolanensis, & in ea basilica condiderat, quæ ab ipso postea nomen tulit. At cum Mediolanensibus visum est, metu obsidionis à Friderico primo Imperatore euertenda suburbana ædificia omnia; ne quid ex illis vel hosti commodi, vel sibi incommodi existeret: tum quoque trium Regum seu S. Eustorgij ædes in pomœrio posita, solo æquata est: ac Magorum corpora tum adhuc neruis compacta, & arida cute conuestita, quæ ignoto id temporis hominibus loco delituerant, producta atque in vrbem illata sunt anno Christi supra centesimum ac millesimum quinquagesimo nono, vti referunt post Guilielmum Neubrigensem illorum temporum scriptorem Iosephus Ripamontius libro secundo historiæ Mediolanensis: & Carolus Sigonius sub finem libri duodecimi de regno Italiæ.

quo euerso an. 1162.

Triennio post nempe an. Christi 1162. Mediolanum Friderico deditum, expilatum, paucis quibusdam solidioribus ædificijs exceptis funditus dirutum est. Conradus Abbas Vrspergensis in chronico *Anno* inquit, *Domini* 1162. *Imperator Mediolanum destruxit*. Id factum notat Sigonius libro 13. à septimo die ante Kalend. Aprilis, vsque ad ipsas Aprilis Kalend. quæ anno illo in Dominicam Palmarum incidebant, qua die Imperator Papiam *se recepit*. (*Obseruet lector in tempore translationis doctissimum virum à me dissentire, & biennio post cum Godefrido Pantaleonita, & Sigonio translatos esse Coloniam existimare*: *sic enim pergit*) post biennnim: nempe anno Christi 1164. Reinoldus Colonienſis Archiepiscopus trium Regum sacra corpo-

corpora Coloniam intulit ; vti narrat Sigonius libro illo tertio decimo; & Chronicon Anonymum in anno desinens 1200. quod penes me est in antiquis membranis: cuius hæc ipsa sunt verba ad annum Christi 1162. *Imperator Mediolanū funditus euertit.* Deinde ad annum 1164. *Reinoldus Episcopus Magos Coloniam attulit*: tum deinde ad annum 1167. *Reinoldus Colonienſis Episcopus obijt*: quod vltimum de obitu Reinoldi adnotare placuit, vt vel ex eo redarguas Reinerum Budelium lib. de re nummaria, num. 8. & 9. & quos alios repereris eam Magorum translationem à Reinoldo factam in annum Christi 1168. diffudisse. Diem designat mensis Iulij quartam & vigesimam Godefridus monachus S. Pantaleonis Colonienſis in Chronico, ad annum Christi 1164. *Reinoldus*, inquit, *Colonienſis Electus cum Imperatore Friderico in Italia degens, redijt, acceptis ab eo pretioſiſſimis muneribus, trium ſcilicet Magorum corporibus, qui infantiam domini myſticis muneribus venerati ſunt, duobuſque Martyribus Nabore & Felice, qui cum prædictis Magis apud Mediolanum venerabiliter reconditi erant*: (nempe antequam vrbs anno Christi 1162. spoliata exscinderetur) *Itaque cum præfatis, & illuſtriſſimis donis in vigilia B. Iacobi Coloniam ingreſſus, glorioſè & magnificè ſuſcipitur, maximè pro reliquijs, quas ad perpetuam Germaniæ gloriam Coloniæ intulit.* Iam ad scopum: direptum est Mediolanum exeunte Martio anni 1162. porro trium Regum corpora Coloniam importata sunt anno 1164. 24. Iulij. Si igitur ea in Burgundiæ comitatu aliquamdiu subsitiere, vt est constans indigenarum traditio, manifestis firmata vestigijs, medio tempore id contigisse necesse est, per eos nimirum dies, quibus Imperator in Sequanis est versatus. Constat enim Fridericum Italiæ rebus compositis, venisse in comitatum Burgundiæ suæ coniugis Beatricis ditionem æstate anni 1162. & distributo vt fit per pagos circumiectos exercitu Vesuntione ipsum cum aulicis, & regia familia consedisse, inde vocasse Ludouicum Regem Francorum aliosque principes, ac proceres ad colloquium super Alexandri & Victoris contentione pro Romano Pontificatu ad quartum Kalendas Septembris, locumque conuentus designasse Laonam, seu Ladonam oppidum Arari, seu Sagonæ impositum, in Episcopatu Bisontino, inter Diuionem & Dolam. Id habetur ex epistolis eiusdem Friderici, ex Chronico Godefridi ad an. 1162. ex Saxone Grammatico, lib. 14. vbi Waldemari Danorum Regis res Metis & Vesontione cum Friderico gestas copiosius persequitur: & ex alijs bene multis. (Hic notandum obiter ex Saxone Grammatico prius Fridericum ex Italia reuertentem Metenses adijisse, & Lotharingos, quam Burgundiones Sequanos, & sane in Longauilla Germanicæ Lotharingiæ oppido ac monasterio nobili porta quædam est, quam hodieque *portam trium Regum* vulgus appellat, quod sit fama constans per eam olim sanctorum Regum traductas fuisse reliquias: cum autem Ludouicus Franciæ Rex ob Imperatorem ad pontem Laonæ peruenisset, indeque (hortatu Alexandri, qui ab Imperatore sibi timebat) repente subductus, & frustra missis legatis reuocatus esset, indignabundus Fridericus è Burgundia in Germaniam transijt. Rursus an. 1163. *octauo idus Octobris*, vt ait Sigonius, *vna cum vxore, & Conrado Archiepiſcopo Moguntino Alpes tranſgreſſus Italiam reuiſit*: sequenti anno 1164. *Ad ceteras calamitates*, inquit Sigonius, *illa quoque Mediolanenſibus eſt adiuncta, quam ipſi omnium grauiſſimam iudicarunt, quod veneranda trium Magorum corpora, magna religione ab eis culta Reinoldus Archiepiſcopus vrbe extraxit, eaque Italia cedens Coloniam tranſportauit.* At Mediolano Coloniam euntibus non est opportunus per Burgundiam transitus. Pace dixerim Sigonij Coloniam quidem Magorum corpora illata sunt an. 1164: sed Mediolano extracta vere an. 1162. cum tanta ciuitas diligenti totius Cæsarei exercitus scrutatione spoliata, funditus euerteretur: medio tempore tam pretiosæ manubiæ in regijs impedimentis fuere. Ita sacræ illæ reliquiæ cum Imperatoris supellectili per Heluetios, per Burgundiam Sequanicam, per Elisatium, Germanicamque circumuectæ, eos populos sui religione compleuerunt: neque à Reinoldo extractæ sunt Mediolano, vt ait Sigonius; sed ei ab Imperatore traditæ, præmium rei pro ipso bene gestæ: vt supra ex Godefrido dicebamus. Hæc in vniuersum de circumgestatione trium Regum per biennium & amplius in impedimentis Cæsareis) eorum porro mansiones omnes ac stationes designare meum non est: cui in re dubia

Reinoldus defert eos Coloniam.

Fridericus A. 1163. in Burgundia subsistit.

porta trium Regum Longauillæ in Lotharingia.

itineris ratio in translatione.

dubia ariolari non licet Habent tamen ex ijs, quæ præmisimus Estrabonenses, habent Lucernates, habent Brisacenses, & si qui alij in his populis tantos hospites à maioribus suis exceptis gloriantur suæ traditionis iacta fundamenta. Reliqua persequamur.

§. II. Primogenito dynastæ Strabonensis scrophulas abstergendi collata virtus.

virtus abstergendi strumas est in septimogenitis masculis nulla interiecta femina.

Mihi probari non potest Andreas Laurentius lib. 1. de strumis capite secundo. Vbi vim curandi strumosos præter naturæ vires ita Regibus Francorum inesse asserit, vt in masculis nulla interiecta femina septimo loco natis, itemque in Baronis Altemontensis primogenito dicat esse fabulosam. Quasi vero nulla sit Regum illa facultas, nisi sit singularis. Satis erat ad regiæ virtutis commendationem admonuisse, quod ea sit & frequentia & facilitate, & efficacitate ceteris illustrior, suum cuique ius relinquendum erat. Sane de septimis masculis res est ita peruulgata, non tantum in Francorum regno, sed etiam in Burgundia nostra Sequanica, in Lotharingia, in Sabaudia, in Belgio, adeoque in tota veteri Gallia, quæ Rheno, Alpibus, mari mediterraneo, Pyrenæis & oceano continetur, vt non magis id negari possit, quam quod meridie sol luceat. Taceo alios innumerabiles, habeo chirographa duorum e nostra Societate septimorum huiusmodi fratrum, quorum alter natione Francus, alter Belga Antuerpiensis, quibus Scrophalosos multos & ante, & post ingressum Societatis solo tactu à se persanatos effeteſtati sunt. Plura promerem in hoc argumentum, nisi digredi viderer à proposito.

& in primogenito D. Strabonnensi.

Quam strumas abstergendi vim in septimis masculis agnoscunt populi: eandem à quinque ferè seculis mirati sunt in Dominorum Strabonensium primogenitis. Earum Regum merces fuit plusquam regia, cum videlicet sacra corpora in domum seu castellum dynastæ Strabonensis recepta sunt: anno vt vidimus æræ Christi vulgaris 1162. cum autem ab antiqua Estrabonensi familia, toparchia Estrabonensis, ad cognatos dominos Altemontenses deuenisset, tum verò illa quoque strumosos sanandi virtus ad primogenitos Altemontenses seu generis, seu dominij successione deriuata est. statutumque est in his familijs post omnem memoriam, vt in dynastia Strabonensi exclusis posterius genitis, soli primogeniti iure perpetuo substituerentur. Audi Paschalem Robinum Andegauensem in vita S. Marculphi, quæ habetur primo Maij inter vitas Sanctorum Gallico idiomate multocies cusas & recusas, quæ Latinè sic reddo. *In hoc regno* (Francico) *Dominus de Altomonte castri Radulphi pro parte sua Comes eo quoque gaudet priuilegio strumas abstergendi (meritis videlicet trium Regum, qui Christum in cunis adorarunt, quod veneranda illorum corpora in libero Burgundiæ comitatu ad Sacrum fontem in eius dynastæ prædio aliquando substiterint) per panem ad hos fines benedictum, & consecratum, quem ægrotis porrigit: idcoque plurimos eiusmodi panes præparari curat; quos eulogiæ instar, quæ primis Christianis in vsu fuit, secum ipse circumferre solitus est: atque hæc diuina virtus solius est in Altomontensi familia primogeniti, ad cuius ditionem fons ille pertinet: qui fons à quodam loci Domino olim circumclusus repente exaruit, iterumque apertus, vt ægrotis pateret, eo lauandi causa religiosè aduentantibus, viuis vt prius, & perennibus aquis manare cæpit. Res est hodie toto regno vulgatissima, ac multorum superstitum affirmata testimonijs.* Hæc ferè eadem alij quoque scriptores. Nunc fontem sacrum adeamus: ad ipsos fontis Dominos post paululum redituri.

transiata ad Altemontenses heredes Strabonnensium. *Paschalis Robertus* 1. *Maij in vita S. Marculphi*

sanant per eulogiam.

fons clausus exaresscit.

§. III. Estrabonæ vici & fontis sacri SS. Regum situs origo, & quotidiana ac innumera miracula.

situs vici Estrabonæ.

Estrabona vicus est in comitatu Burgundiæ quatuor admodum leucis distans Vesontione, media ferè amplius leuca Dola, & Graijaco, vt inter has tres vrbes in triangulum dispositas, velut centrum medium æqualibus pene interuallis absit: In antiquis membranis promiscue scribitur *Strabona, Strabonna, Estrabona Astrabona.* Quin & Strabunna Astrabunna & Æstrabonna: Trabona nunquam. Is vicus duos habet fontes, interiorem alterum & proprium (qui eam ob rem *fons pagi* appellatur vulgo *la fontaine de village* solis aquis limpidis ac perennibus nobilem, cuius opportunitatem priscis temporibus condendi pagi occasionem fuisse, haud temerè suspicari licet: Alterum exteriorem in vici exitu, qui *fons trium Regum* nuncupatur.

varietas appellationis.

locus fontis SS. trium Regum.

Is

Is ad iactum lapidis à pagi fonte è saxosi cliui radicibus scaturiens, mox amœna prata leni murmure interluit : non seris, non ostijs clauditur, ne diuino muneri (quod olim à loci dynasta quopiam tentatum fuerat) humana cupiditas modum aut pretium ponat, non testudine aliqua, non concha, non salientibus siphunculis, non operoso aliquo Siluano aut Tullio papillaue spectabilis est, ne quid in eo agnoscere liceat præter diuinam manum. Non est nitro imbutus, non sale, non sulphure alioue metallicæ concretionis fossili, vti medici alij plerique fontes, ne quid sibi de cœlesti archiatrio natura vsurparet. A tribus Regibus dictum referebat supra laudatus Paschalis Robinus in vita S. Marculphi, quod ad eum sanctorum Regum reliquiæ substitissent. Frigidum hoc quidem & parum probabile: quis enim dubitet in tam longo itinere restitisse vectores sacrorum pignorum ad alios quoque fontes? quibus tamen neque trium Regum nomen hæserit, neque virtus. Illustrior est origo huius appellationis veroque similior, quam nostratium affirmat traditio, trium videlicet Regum hunc fontem appellari, quod manare primum cœperit in eorum gratiam, ac solatium, quorum ductu trium Regum sacra corpora vectarentur. Nihil certe pronius fuit, quam vt aqua indigerent, qui è longinquo venerant, qui æstate media, & in impedimentis exercitus Cæsarei, medijsque in curruum millibus progrediebantur. Eo miraculo fons excitatus: ægris nonnullis exoutiendi morbi spem non vanam iniecit, accesserunt, biberunt, lauerunt, moxque persanari diuini fontis virtutem prædicarunt. Ita longe lateque fama circumuolans, magnos vndique populorum acciuit cœtus. Incredibile est, ad hauriendum aut lauandum, quales eo fieri soleant concursus omni quidem tempore; sed præsertim ad 4. dies solennes, nempe ad Pascha, ad Pentecosten, ad Epiphaniam, & ad Kalendas Maias: opinor quod hæ Kalendæ sacræ sint S. Marculpho, cuius in curandis scrophulis antiqua est, & spectata facultas: quippe hoc maximè morbi genus trium Regum salutaris aqua abstergit, quamuis & ad alias quascumque depellendas ægritudines vim habere asseratur; præcipuè verò & frequentissimè ad tumores, impetigines, inflammationes, carbunculos, excrescentes glandulas, & vlcera cuiusque generis.

exsilit miraculosè ad præsentiam corpotum SS. Regum.

concursi incredibilis die Epiphaniæ. medetur strumis. & quibusuis morbis.

Solent autem fundi pro ægrotis preces nouendiales, ac missæ celebrari ad trium Regum altaria tum in pagi Ecclesia, tum in oratorio castelli Estrabonensis. Et sacri fontis aqua saluti est, vel epota, vel ad lauandum affusa; siue locum ipse adeas, siue aquam in lagena aut doliolo ad te adferri cures. Suntque adeo frequentes ægrorum curationes, id cœlestis remedij sibi poscentium, vt si eas adnotare velis, iustos ijs tomos impleas. Nemo in scripta refert, quod sol luxerit, quia quotidianum est. Si testes quæris, habes totos populos. Hic non me teneo, quin fabellam exsufflem. Narrat plebecula ab hoc trium Regum mirabili fonte deriuatum vici Estrabonæ nomen, quod qui sacrorum corporum vehiculis præerant, aqua degustata eam sibi maximè probari significarint voce Gallica tresbonne, quæ optimam sonat. Ideoque pagum ipsum Trabonam seu Trebonam appellatum putant. Igitur hi vectores non Teutones fuere, sed Franci, aut Burgundi. A page: iam enim supra monui nusquam in antiquis tabulis Trabonam legi; sed Strabonam, Estrabonam, Astrabonam: & quidem annis Christi 1141. 1144. 1149. immo circa 1132. & 1134. vt reperi in Archiuijs Abbatiarum de Aceyo. & de Loco crescente. Non ergo primum emersit Estrabonæ nomen A. 1162. in quem & trium Regum per Sequanos transiutm, & sacri fontis originem certis argumentis defiximus.

origo vocis Estrabonæ.

§. 4. Nomina Toparcharum Strabonensium ab A. 1162. huc vsque qui beneficio accepto à SS. Regibus curandi strumas gaudent.

Ceterum Dynastæ Strabonensis vel pietati vel humanitati nihil magis consentaneum fuit: quam vt noui fontis exortu commendatas SS. Regum reliquias in Strabonense ipsum castellum inuehi iuberet, custodesque earum ac ductores omnibus officijs demereretur: vnde ipsi, eiusque primogenito ac successoribus diuinitus sit collata vis strumosos persanandi. Castello tunc præerat Girardus de Strabona, aut Narduinus eius primogenitus, aut Guido Narduini frater: quos per hæc tempora vixisse comperi, ex vetustis membranis monasterij S. Mariæ de Accincto, siue de Aceyo ordinis Cistertiensis, quod illi suis donis plurimum auxerunt, quippe vicinum & ab Astrabona vix totis duabus leucis horarijs distans. Horum successores ali-

hospitalitas toparchæ meruit id beneficium. nomina loci toparcharum. 1. Girardus de Strabona.

quot nobis occurrerunt præteritorum temporum monimenta versantibus : Ode de Strabona, in charta Amedici Bisonticensis Archiepiscopi data ad an. 1203. Iacobus siue Iacob Odonis filius, memoratus annis 1203. & 1226. Guilielmus circa A. 1360. Ioannes Guilielmi filius, qui testamentum condidit 8. Dec. A. 1411. Ioannes alter Ioannis filius Guilielmi nepos circa an. 1425. Guilielmus Ioannis filius obijt 22. Octobris an. 1453. sepultusque est prope Dolam in æde B. Mariæ de monte Rolandi, in quam beneficus fuerat: cum alioqui Domini Estrabonenses familiarem haberent sepulturam in parochiali Ecclesia S. Martini de Marceyo: à qua vt mater pendet etiamnum Estrabona. Ioannes Guilielmi filius, quem sub tutore fuisse reperimus A. 1457. ac superfuisse an. 1464. fuit iste, vt videtur, vltimus è veteri familia toparcharum Strabonensium, quibus gentile symbolum fuit scutum aureum impressum leone cœruleo. Ab hoc deuenit Strabona ad cognatos Dominos de alto monte (vulgo d'Aumont) quorũ gentilitia tessera in parma argentea capreolus coccineus cum septem concoloribus merulis, binis hinc & inde: tribus reliquis in medio hiatu ad dexteram scuti partem obuerso rostro dispositis. Deuenit autem per Ioannem de alto monte patre Iacobo natum, & Ioannis de Estrabona sororis filium, qui datis literis è castello suo de Couches 19. Ianuarij A. 1487. procuratores octodecim rebus suis curandis præfecit recens, vt existimo Domini Strabonensis hereditate auctus. Huic ex coniuge Francisca de Mailly nati sunt duo filij cognomines: Petrus vterque de Strabona. Primogenitus fuit, cui vxor Antonia de Meiolans Ioannem peperit postea Franciæ Marescallum ab Henrico tertio creatum an. 1579. frequens eius mentio in publicis tabulis, ab an. 1575. ad 1597. Ioanni huic ex Antonia Chabot coniuge duo filij fuere, primogenitus Antonius Dominus Strabonensis: iunior Iacobus de Chappes creatus primo Octobris 1594. Præfectus vibis Parisiensis vulgo appellant Prenost de Paris. Antonio absque liberis superstitibus defuncto, deuenit Strabona ad fratris eius Iacobi filios, Cæsarem, Rogerium, Carolum, Iacobum Emmanuelem: nunc stat in primogenito Cæsare: nisi iam illam ad fratres aut filios transmiserit. Per hos à tribus sanctis Regibus deducta est scrophulosis medendi virtus verè regia ac plane diuina: ideoque quod iam monui cautum certa lege: quamuis alia Dominis Strabonensibus non deessent ampliora, ac pinguiora dominia: tamen Strabona, velut ipsorum ditiosni pars nobilissima, semper ad primogenitos deriuaretur.

vltimus Strabonensis familiæ. Altemontanis cedit hereditate. gentilitia eorum tessera.

§ V. Altaria sacella, ædiculæ sacræ SS. Regibus in Burgundia, & quædam à stationibus certis nomen habent: ac imagines.

Vesontione in S. Stephani basilica; in antiquis ædibus S. Petri, S. Magdalenæ, & Carmelitanorum: Salinis in Ecclesia collegiata S. Anatolij: in tredecim, quæ habet Burgundiæ comitatus, Cistertiensis instituti virorum monasterijs, & ferè in præcipuis vniuersæ prouinciæ sacris ædibus suum est proprium tribus Regibus altare & sacellum. Nominatissima sunt in pago Buffartio, à Salinis Dolam versus, duabus admodum leucis horarijs diffito: quo in pago sacra Martyrum corpora ex itinere deposita fuisse memorantur. Vti & in loco prope vicum Sellieres, vbi nunc sacra tribus Regibus ædicula à priscis temporibus fundata, religione aduentantium, & certis miraculis quam vel mole vel ornatu illustrior. In monte quoque Benedicti Augustinianorum Hastatorum (vt vocant) nobili monasterio, ad quod eam ob rem vndique accurritur.

Burgundiæ templa passim sacellum habent SS. Regum.

NB. quinque stationes Burgũdicæ 1. in Buffart. 2. prope vicum Sellieres. 3. in monte Benedicti. 4. Estrabonæ vbi etiam imagines. SS. Regum.

Imaginibus trium Regum Christum Deum in sinu virginis matris adorantium pictis, fictisque nihil apud nos frequentius. Duæ sunt præ ceteris vetustate & opere spectabiles, eadem vt videtur manu in viuo saxo ad dimidiatam eminentiam exsculptæ, altera est in sacello pagi Estrabonæ, altera in æde sacra Prioratus ordinis Benedictini prope Strabonam siti, cuius loci præfectum in antiquis chartis dictum lego modo Priorem de Strabona, siue Estrabona, modo Priorem de Monasterio: nunc vulgo apellatur Prior du Mousterot, quasi dicas de monasteriolo. Eum Prioratum suspicabar olim fundatum in honorem trium Regum, post illorum per illa loca transuectionem. Sed re diligentius perquisita inueni & ædem B. Petro Apostolorum Principi dedicatam esse & fundatam multo ante excidium Mediolanense: nam Fridericus Imperator dato diplomate ad annum

Chri

Christi 1157. 14. Kal. Decembris indict. 5. Balmensi Monasterio sua bona, ac privilegia confirmans, inter alia recensет: *quidquid possidet in monasterio, quod est situm super Estrabona, cum appendicijs suis.* Et in chartis vetustissimis Monasterij de Arcyo datis circiter annum Christi 1136. frequenter occurrit Hugo Prior Monasterij, vel Hugo Prior de Strabona.

§ VI. Situs Abbatiæ trium Regum & reliquiæ eorum de SS. tribus Regibus. 6. in Abbatia trium Regum.

Maximè in Abbatia trium Regum dicta, sacellum eorum est, ordinis Cisterciensis: quæ sita est prope Insulam ad Dubim, & euntibus Vesuntionem à monte Beligardis quarta circiter leuca occurrit: abest autem ab ipsa metropoli Vesuntione leucis horarijs ferè nouem. Cœpit id Monasterium an. Christi 1134. & à prima origine Locus crescens dictus est: verum cum eo frequentes populi adirent, ad SS. trium Regum opem implorandam, paulatim vsus obtinuit, vt à tribus Regibus locus ipse appellaretur: sane illius monasterij lustrato archiuio reperi primum nuncupari in charta an. 1457. *Conuentum trium Regum, alias* Loci crescentis: cum ante illud tempus *Locus crescens* appelletur.

Reliquiæ SS. Regum ibidem.

In eius abbatiæ sacrarijs vidi tria officula, vix nucem auellanam magnitudine excedentia: singula opinor è singulis trium Regum corporibus depromta: quæ reliquiæ adseruantur in theca argentea spectandæ molis, operisque elegantissimi atque ad illas edi solita miracula, & loci religionem auxisse videntur, & nouum nomen veteri sensim expuncto indidisse. Aliæ sanctorum Regum reliquiæ haberi dicuntur in monasterio Montis Benedicti, de quo supra. Porro in sacrario Monasterij de caritate regulæ Cisterciensis haberi dicunt fragmentum auri fossilis illius ipsiusmet: quod pij Reges Christo Iesu infanti pro munere detulerunt. Hactenus Petrus Chifflетius Dola 19. Martij an. 1642. ad me scribit, cuius adiecta reliqua suis locis alibi recensebo.

Egregia sane vestigia monumentaque per Burgundiam factæ translationis quinis diuersis expressa locis: quæ miraculorum frequentia, peregrinorum affluxu: populorumque diuersorum constanti, certa & concordissima traditione mirificè confirmantur.

CAPVT XXXV.

E Burgundia Brisacum Reinoldus ipse cum sanctis Regibus venit: ibi magno prodigio SS. Geruasius & Protasius remanent: clarent hodieque miraculis, vbi sextum supereſt vestigium translationis.

REINOLDVS è Burgundia per comitatum montis Belicardi in Sungoviam peruenit: inde cum sanctis reliquijs contendit Brisacum, à quo Brisgoiæ putatur nomen adhæsisse, cuius metropolis fuit, & iam in Antonini tabulis itinerarijs montis Brisaci mentio fit, quem Luitprandus Ticinensis insulam Rheni nominat. Iacet in monte rotundo castri more, Rhenum hodie respicit, ad occidentem elegans frequens & tam natura loci, quam arte munitissimum: vt bella temporis huius docuerunt. Brisaci laus

Huc ergò delatus Reinoldus ipse cum omnibus sacris reliquijs, & ab incolis magna significatione beneuolentiæ receptus, postridie cum secundo Rheno vellet descendere, & ciuibus S. Geruasij corpus (hospitalitatis insignis vicem sacro donatiuo compensaturus) obtulisset, naues moueri de statione nullis nautarum viribus potuere ante, quam cœlitus edoctus gemellos à se mortuos nolle separari, quos vita & mors coniunxerat: ijs etiam alterum S. Protasij corpus adiecisset: quæ res cum authenticis firmata documentis tam in vrbis archiuio, quam SS. Martyrum argenteo loculo fuerit conseruata, & eadem paucis abhinc annis diligenter excussa: testibus loculentissimis comprobata: proximè tumbam SS. Martyrum affixa sit, eius mihi nu- Reinoldus eo diuertit. donat S. Geruas. ob miraculum addit S. Protasij. confirmatio authentica.

nupercopiam à loci Parocho Ioanne Georgio Hanſelman Decano capituli ru-
ralis miſſam 22. Maij an. 1640. ſed Latio donatam totam vt affixa pendet lipſano-
thecæ recitabo:

Copia documenti autentici Briſacenſis Magiſtratus Eccleſiaſtici & politici, in quo continetur vera relatio & hiſtoria translationis SS. Martyrum Gervaſij & Protaſij Mediolano Briſacum factæ cum teſtimonijs.

cauſæ excidij Mediolanen-ſis.

NOtum ſit omnibus, cum Fridericus Barbaroſſa Cæſar Dux Sueuiæ Mediolanum (ob Gualfagum Comitem Angleriæ, dominum & principem ciuitatis, quod partes Alexandri Pontificis, à quo Cæſari ſacris erat interdictum, ſequeretur, & Auguſtam per ſummam ignominiam aſino impoſitam auerſo vultu vna cum gynecæo petulanter vrbe exturbaſſet) an. 1162. vt grauiſſimi ſcriptores docent tertium militari corona cinxiſſet; & mortem Gualfago, capto Mediolano, iuraſſet, vt ignominiam dictam vlciſceretur, & ipſius vrbis excidium decreuiſſet; fama tam triſtis ſororem Gualfagi perculit, vt verſarit animo ſecum, qua ratione pacato Cæſare poſſet fratri vitam conſeruare. Re maturo conſilio deliberata, cum vitæ diſcrimine clam è ciuitate ſe proripit, & in caſtra Cæſaris ad Reinoldum Archiepiſcopum & Electorem Colonienſem (qui degebat apud Cæſarem) ſe confert: cui dolorem animi conceptum ex fratris periculo, comminationem Cæſaris, & extremam ciuitatis Mediolanenſis rerum omnium inopiam fidenter, ſed ſecreto aperit: nec diffitetur eo iam ventum eſſe, vt non poſſint ciues diutius obſidium tolerare: ſed breui vrgente neceſſitatis telo dedendam Cæſari: offert igitur eidem præſtantiſſimas quaſque reliquias, primo translatos eo an. ſalutis 311. Conſtantinopoli ſanctos tres Reges, Gaſparem Baltaſarem & Melchiorem; præterea geminos Aſtaſio præſide Mediolani paſſos Chriſti cauſa, & poſtea cœleſti indicio per S. Ambroſium ibidem ſimul vno in ſarcophago repertos, ac magna ſolennitate eleuatos ſanctiſſimos fratres Geruaſium & Protaſium, filios SS. Vitalis & Valeriæ ciuium optimorum, & ſanctorum coniugum Mediolanenſium, qui & ipſi pro fide Chriſti palmam Martyrij meruerunt. Promiſit eidem etiam SS. Naborem & Felicem ſe patefacturum & traditurum, ſi Reinoldus fratrem periculo mortis eximeret: adhæc viam ſuggeſſit & rationem, qua poſſet res facilè confici: peteret Archiepiſcopus donari ſibi quidquid mulier in primo Cæſaris in vrbem ingreſſu obuia ſuis geſtaret humeris, paratam enim ſe mane, quo tradita ciuitate Cæſar cum Reinoldo Mediolanum ingrederentur, humeris efferre fratrem. Res ex voto cecidit: nam cum portatum ſororis humeris Gualfagum Cæſar adſpiceret, (inuitus licet, promiſſi tamen Cæſarei memor) reconciliatus ei vitam donauit: triduo tamen, vt hiſtorici quidam volunt, canum more abiectum ſub menſa obiectu oſſium pauit, & peſſimè habuit. Tandem & Mediolanum cum magnificentiſſimis ædificijs, turribus, & templis euertit, ac ſolo æquauit: ſolis pepercit ſanctorum reliquijs. Quinimo locum ipſum ciuitatis proſcidit vomere, & vt perpetuo quaſi edicto proſcriptionis Imperatoriæ ſubderetur, conſperſit ſale. Gualfagum verò vna cum comitibus & nobilibus captis ſecum abduxit in Germaniam. Soror autem Gualfagi Reinoldo Archiepiſcopo, dum ciuitas euerteretur, nominata & promiſſa ſanctorum corpora illæſa & intacta conſignauit Cæſaris obtenta conſenſione. Sic Mediolanenſes non ciuitatem tantum ſuam (donec eandem diu poſt liberatus vinculis inſtaurauit) ſed & dictas omnes ſacras reliquias perdiderunt. Cum autem Reinoldus in reditu ſecundo Rheno Briſacum perueniſſet cum tantis theſauris, & loci ciues cum Magiſtratu Archiepiſcopum honore maximo & beneuolentia præcipua ſuſcepiſſent, & ſacris reliquijs inſigni religione cultum debitum exhibuiſſent, permotus ea pietate & hoſpitalitate, vnum ex ſacro theſauro ſelectum S. Geruaſium vltro ijs donauit. Poſtridie mane cum relatis in naues ſacris reliquijs, ſublatis anchoris ſolui iuberet; nautæ fruſtra in deducendis à litore nauibus omni vi conatuque deſudarunt. ſtupor hic omnes præſertim Archiepiſcopum inuaſit, & ſacer quidam horror perculit: ſubijt hic animum vitæ fratrum horum à S. Ambroſio literis commendatæ recordatio, qui in partu gemelli, vita & martyrio pares, & coniuncti, nec poſt mortem cuperent à ſe inuicem ſeparari: pœnituit ergò Reinoldum doni: & vehementer à ciuibus reddi ſibi Geruaſium poſtulauit: orare contra ciues, alterum etiam fratrem S. Protaſium ad-

iurat Cæſar mortem Gualfago.

ſoror eius Reinoldo.

prouita fratris offert SS. tres Reges.

SS. Geruaſium & Protaſium.

Naborem & Felicem.

geſtatu fratris ei vitam impetrat.

donat reliquias Reinoldo.

is Briſacum cum eis venit.

donat S. Geruaſium.

& Protaſiũ ob miraculum.

redeũt

deret omnis Archiepiſcopo mora periculoſa videbatur: cum igitur non ſuccurreret diſcedendi modus, donauit etiam Briſacenſibus corpus S. Protaſij. Ciues mirè tanto munere diuinitus quaſi cum eo prodigio collato, magna animi grati ſignificatione, plauſu & religione ſupplicationis pompa adornata in ædem primariam intulerunt: nec mora Reinoldus, ſolutis diuinitus nauibus, Coloniam cum alijs corporibus ſacris properauit. Tunc ciues Briſacenſes ad tanti prodigij memoriam ſempiternam ſacramenti religione ſe obligarunt, nullam nec minutiſſimam quidem particulam iſtorum ſacrorum corporum à ſe alienandam, ſummo honore colendos ſanctos Martyres, & quotannis anniuerſaria recurrente eorum feſtiuitate, vacuum diem illum à laboribus eſſe debere: tunc etiam populo ſacras eſſe reliquias exhibendas, communi decreto ſanciuerunt.

& Protaſij ob miraculum.

iuramentum piũ ciuium

Iam trecentis triginta ſex annis vno in ligneo loculo, qui ſuperat hodie, quieuerant: cum anno ſequenti 1498. 18. Septembris in hanc argenteam lipſanothecam ſolenni ceremonia translata ſunt coram RR. Nobilibus, & clariſſimis DD. Antonio à Wittenheim parocho, Michaële Heldes ſacellano, D. Ioanne Veſtlins equite, Geruaſio à pfær, Iacobo Wechtelins, Luduico Spilmans, & Iacobo Zieglers Coſſ. & ſenatoribus vrbis: item Protaſio Faſciſten ſupremo ædile eccleſiæ, ac Nicolao Rueſſers ſcribæ ciuitatis. In quarum rerum fidem ex archiuo Ciuitatis noſtræ, & documentis antiquis autenticis in lipſanotheca repertis nos conſules & ſenatus hanc tabulam ciuitatis noſtræ ſigillo obſignatam, & ſubſcriptione ſeniorum DD. noſtri Magiſtratus, vt D. Simonis Heiſſen, & Michaëlis Willigs, vtriuſque Senioris Friderici Liebenſtein noui Conſulis, Iacob Rotters Cenſoris, Georgij Koberen, & Licentiati Iacobi Bihelmijers ciuitati à ſecretis inſtaurauimus 12. Iunij Ann. 1621.

translatio SS. reliquiarum in tũbam argenteam.

Hæc eſt traditio fidaque narratio Briſacenſium ex archæis & lipſanotheca tot præſentibus idoneis depromta teſtibus: maximè conſentanea chronologiæ noſtræ & Mediolanenſium ac Colonienſium hiſtoriæ, vt ſola ſufficeret ad fidem faciendam, Mediolano exciſo per Reinoldum translatos eſſe SS. Reges Coloniam: ſed ne ſubreptitia videatur hæc atteſtatio, teſtes alios proferam.

CAPVT XXXVI.

Teſtimonia aliorum de SS. Geruaſio & Protaſio Mediolano translatis, & miracula prima eorum eleuationis tempore S. Ambroſij & poſterioris translationis.

Corinæ

BERNARDINVS Corius Mediolanenſis ante ducentos ferè vixit annos, is narrata in excidio Mediolanenſi translatione SS. Regum ſubdit. *Simul corpora SS. Geruaſij & Protaſij, Naboris & Felicis inde fecit transferri in Alemanniam*: probat id: *ex autentica*, vt ait, *ſibi è Germania miſſa relatione*, hoc exemplo, *Fridericus Imperator Romanorum primus, filius Hermanni generoſi Ducis Sueuiæ an. Dominicæ incarnationis* 1150. *imperauit* 36. *annis: an. imperij ſui decimo deſtruxit Mediolanum, in qua ſoror vnius vicecomitis, qui erat in poteſtate Friderici propter liberationem fratris iuit ad R. D. Rodulphum Archiepiſcopum Colonienſem, & oſtendit tria corpora Magorum, videlicet Iaſpar, Balthaſar, & Melchior corpora SS. Gervaſij, & Protaſij, & corpora SS. Naboris & Felicis, vnde prædictus Rodulphus* (*rectius Reinoldus*) *corpora* SS. *Geruaſij & Protaſij in oppido Briſach iuxta Rhenum in Eccleſia* S. *Stephani Prtomartyris in choro eiuſdem Eccleſiæ in ſublimi loco latere ſiniſtro ferro circumdato, & firmiſſimis clauſuris collocauit cum duabus lampadibus die noctuque lucentibus, vbi requieſcunt glorioſi, in quibus Sanctis Dominus quotidie operatur miracula.*

autentica. Germanica narratio.

Ripamontius.

Ripamontius item Mediolanenſis. *Corpora trium Magorum, itemque corpora Geruaſij & Protaſij, Naboris & Felicis extra communem iniuriam fuere: ſed vt auferret ſibi, non vt relinqueret nobis ea ſubſidia barbarus.*

Chronicon Conſtantienſe in enumeratione reliq.

Chronicon Conſtantienſe Manlij. SS. *Geruaſius & Protaſius in bello Friderici*

in enumeratione reliq.

primi post captum Mediolanum ab electore Colonienſi Reinoldo beneficio Cæſaris exportati, & Briſacenſibus poſt magnum miraculum in tranſitu conceſſi vbi ſummo honore coluntur.

Martyr. Baſileenſe.

Martyrologium Baſileenſe. *SS. Geruaſij & Protaſij oſſa, quo tempore trium Magorum corpora Mediolano Coloniam ſunt translata, vna cum his Briſacum vſque peruenerunt: vbi adhuc hodie in argentea theca incluſa apud veros & Catholicos Chriſtianos, magna in veneratione habentur.*

Felix Fabr lib. 1. C. 12.

Felix Fabri Vlmenſis Dominicanus. *Inter quos Reinoldus Archiepiſcopus Colonienſis accepit corpora SS. trium Regum de loco, vbi nunc eſt conuentus noſter, eaque Coloniam tranſportauit, corpora autem SS. Geruaſij & Protaſij accepit & in ciuitatem Briſacum tranſtulit.*

Ioannes Adelphius in vita Frid.

Accuratè Ioannes Adelphius Argentinenſis Medicus in vita Friderici Barbaroſſæ inſcripta Aiſtettenſi Epiſcopo A. 1520. ſic narrat: capiti præfigit hunc titulum. *Quomodo SS. tres Reges Coloniam SS Geruaſius & Protaſius venerint Briſacum. Hæc dum fierent Imperator noſter reliquias, & ornatum templorum diuiſit inter præſules, & principes ad ipſorum petitionem. Nimirum ſanctorum trium Regum corpora, quæ Mediolani quieſcebant, donauit Reinoldo, qui ea honorifice & laudabiliter ſecum vexit Coloniam vſque, & ibi depoſuit in metropolitana Eccleſia poſt aram principem: vbi hodieque quieſcunt magnis prodigijs illuſtres: nec has tantum reliquias; ſed & SS. Geruaſium & Protaſium cum multis alijs idem obtinuit ab eodem imperatore noſtro: cum autem nauigaſſet Baſilea Briſacum, & ciuibus ibi corpus S. Geruaſij donaſſet, ob inſignem honorem, beneficentiam, & liberalitatem, quam eidem exhibuerant, & Reinoldus ſecundo Rheno nauibus pararet deſcendere Coloniam; illico ſubſtitere naues, vt nulla poſſent humana viltatione ſua dimoueri. Statim diuinitus inſpiratus agnouit Reinoldus, fratres hos ſicut in vita & morte ita nec poſt eam poſſe ſeparari: ideo corpus etiam S. Protaſij iiſdem largitur, qui hodieque ibidem magno Chriſti fidelium & incolarum frequentia piè & religioſè coluntur, & inuocantur.*

Cruſius lib. 11. p. 2.

Adſtipulatur nobis Cruſius dum ait, *Abſtulit inde Fridericus corpora trium Magorum, ſeu Regum Conſtantinopoli anno 311. Mediolanum deportata: item Geruaſij & Protaſij.*

B. Rhenanus l. 3. rerum Germ. f. 28.

Beatus Rhenanus: *ſeruat mons Briſacus inclytorum illorum Martyrum Geruaſij & Protaſij reliquias eo perlatas è Mediolano, cum Fridericus Ænobarbus ex Italia domitis inſubribus rediret.*

Maneat igitur perenne hoc veſtigium Briſacenſe certum & teſtatum tranſlationis SS. Regum: vnum obſtare videtur, quod SS. Geruaſius & Protaſius longè ante credantur in Gallias fuiſſe deportati: ſed id de particulis eorum eſt intelligendum, quales multas ſimiles eorundem ſic enumerat Baronius. *Porro*, inquit, *non tantum Mediolanenſis Eccleſia; ſed longè lateque vniuerſus pene orbis Chriſtianus Ambroſij liberalitate locupletatus eſt. Miſſæ ſunt enim illorum reliquiæ in Gallias, & in Africam, quibus in locis memoriæ eorundem Martyrum ſunt erectæ, quis dicere vnquam ſufficit de compluribus Italiæ ciuitatibus, quæ eorundem Martyrum reliquijs ſunt illuſtratæ? nam & erectus eſt Romæ titulus eorundem Martyrum nomine, opibus Veſtinæ clariſſimæ feminæ: quem S. Innocentius Papa dicauit: haud dubium, quod non ſine reliquijs. Accepit eaſdem S. Paulinus & collocauit eas in Fundana à ſe erecta Eccleſia; iiſdem donatus eſt S. Gaudentius Brixianus Epiſcopus, qui condidit eas in baſilica dicta concilium Martyrum.*

Baronius in vita S. Ambroſij eius operibus præfixa.

ad varia loca particulæ eorum tranſlatæ.

Encyclica S Ambroſij epiſtola.

Deſiderium omni nationi harum reliquiarum iniectum ex crebris imo continuis ad eorum implorationem patrari ſolitis miraculis, quæ tempore S. Ambroſij cœpta nunquam adhuc deſierunt: vt operæ pretium ſit primam eleuationem prodigioſam ex literis ipſius Ambroſij cognoſcere: quarum recordatione Reinoldus ſeparare eoſdem noluit. *In diebus illis*, ait, *tranſactæ nuper quadrageſimæ, cum Dominus mihi donaſſet, ieiunantium & orantium me facere eſſe participem, in oratione poſito ita mihi ſomnus obrepſit, vt nec vigilans apertè, nec dormiens integrè apertis oculis viderem mecum duos iuuenes ephebos veſtibus candidiſſimis id eſt collobio & pallio indutos caligulis calceatos, manibus extenſis orantes: nullam quidem grauedinem pa-*

viſto prima.

patiens, loqui cum eis non poteram: sed vt dixi pars in me somni incumbebat: qui me ad interrogationem eorum verbum proferre non sineret. Plenè autem euigilanti visio eorum ab oculis elapsa est. Vnde factum est vt rogarem Domini misericordiam: vt si ludificatio dæmonum esset, abscederet: si verò veritas esset, pleniùs appareret. Ad impetrandum verò quod poscebam, à Domino augmentaui ieiunium, similique modo canente gallo orantes mecum iuuenes apparuerunt. Tertia verò nocte, defecto ieiunijs corpore, non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esset B. Paulo, cuius vultum me pictura docuerat: vt tantum ipse mecum illis tacentibus loqueretur: dicens isti sunt, qui propter monita mea respuentes prædia & diuitias, secuti sunt Domini nostri Iesu Christi vestigia, nihil terrenum, nihilque carnale concupiscentes in media hac Mediolanensi vrbe per decem annos in Dei seruitio perdurantes ad hoc pertingere meruerunt, vt Christi Martyres fierent: quorum corpora in eo loco inuenies, in quo stas, & oras. Duodecim pedum altitudine terræ coopertam arcam inuenies, quam arcam superius exaltabis, & in nomine eorum Ecclesiam fabricabis: cumque eorum nomina ab eo requirerem dixit mihi, ad caput eorum libellum scriptum inuenies, in quo ortus eorum & finis scriptus est. Conuocans itaque omnes per circuitum fratres, & Coepiscopos vrbium vicinarum, referens vniuersa, quæ videram & audieram, ipsis coram positis ego terræ fossor accessi; ceteri Episcopi prosecuti sunt, fodientes peruenimus ad arcam, quam S. promiserat Paulus; quam aperientes, inuenimus, quasi ipsa hora positos sanctos miro odore fragrantes. Ad quorum caput istum libellum inuenimus, in quo erant hæc per ordinem vniuersa conscripta. Ego seruus Christi Philippus intra domum meam sanctorum corpora cum filio meo rapui & sepeliui, quorum mater Valeria, & pater Vitalis dicti sant. Quos vno partu gemellos genuerunt (Hoc illud est, quod translatio Mediolano Brisacum facta significat) *& vnum Protasium, alium Geruasium vocauerunt*: sequitur deinde vita cum martyrio sub Astasio die eadem tolerato, & sepultura à Philippo facta. Idem S. Doctor breuius eandem eleuationem cum miraculo sorori suæ sic narrat. *Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt prisca ætas ferebat, ossa omnia integra ad ordinem transtulimus, vespere iam incumbente ad basilicam S. Faustæ, ibi vigilia tota nocte, manus impositio; sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam: dum transferimus, cæcus sanatus est.* De cæco hoc contra Arianos fidem abrogantes sic idem detonat, *Non sunt isti Martyres, neque torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia Martyrum remedijs cæcorum, & absolutorum indicijs declarantur? Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit video, qui non videbam: ille dicit cæcus esse desiui, & probat facto: isti beneficium negant, qui factum negare non possunt: notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequijs Seuerus nomine, laneus ministerio: deposuerat officium postquam inciderat impedimentum; vocat ad testimonium homines, quorum antea sustentabatur obsequijs, eos iudices suæ visionis accersit, quos habebat suæ testes, & arbitros cæcitatis: clamat, vt contigit fimbriam de veste Martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit.* Aderat huic spectaculo S. Augustinus: luculentum & ipse prodigij reliquit hoc testimonium. *Tantæ*, ait, *Martyrum gloriæ etiam ego testis fui, vbi Mediolani eram, facta miracula noui*: pergit de cæco: & alibi *Tunc memorato antistiti tuo* (S. Ambrosio) *per visum aperuisti, quo loco laterent corpora Martyrum Geruasij & Protasij, quæ per tot annos incorrupta in secreto thesauri tui recondideras, vnde opportunè promeres ad coërcendam rabiem femineam: sed regia* (Iustinæ imperatricis Arianæ) *cum enim propalata & effossa digno cum honore transferrentur ad Ambrosianam basilicam, non solum quos immundi vexabant spiritus confessis eisdem dæmonibus sanabantur: verum etiam quidam plures annos cæcus ciuis, ciuitatique notissimus, cum populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset, atque audisset, exsiliuit, eoque se vt duceret suum ducem rogauit. Quo pedibus perductus impetrauit admitti, vt sudario tangeret feretrum pretiosæ in conspectu mortis sanctorum tuorum Quod vbi fecit, atque admouit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde inimicæ illius animus etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est.*

altera & tertia visio S. Paulus narrat gesta eorum.

indicat locum sepulcri.

S. Ambros. cum Episcopis terram effodit.

gemelli erant.

translatio.

ser. 93. miraculum cæci illuminati.

vidit id S. Augustinus *ser.* 39. *de diuersis. l.* 9. *confess. c.* 7.

Atque hi teſtes locupletiſſimi primæ eleuationis prodigioſæ. Secundam non minus ſtupendam continua ſunt in hoc vſque tempus conſecuta miracula: quod ſatis teſtificatur argenteæ lipſanothecæ literis maioribus hæc anno 1498. inciſa epigraphe.

Miracula poſt vltimam ttanſlationem.

En geminos fratres, Chriſti, teſteſque beatos
Protaſium hic cernis Geruaſiumque ſimul.
Corpora ter Felix quorum ſacrata Briſacum
Seruat miraclis viuida continuis.

Seruantur miracula quamplurima in libro M.S. è quibus tria ſeligo notis temporibus & adiunctis certiora, & firmiora: A. 1439. Briſacum venit Ioannes Auguſtanus opificio piſtor, is narrauit ingentem ſe cruciatum doloremque perpeſſum in tibia; ſed vnde manarit hactenus ignoraſſe: multis etiam remedijs fruſtra tentatis Dei ſæpius opem Sanctorumque patrocinia crebro, ſed votis irritis, imploraſſe, ſuaſum poſtea ſibi ab alijs: vt SS. Geruaſium & Prothaſium fratres (quorum meritis exoratus Deus multa paſſim opera miranda patrat Briſaci) cerei votiui dono promiſſo ſupplex inuocaret. Ideo libram ceræ ſpopondit, ſi certum & definitum intra temporis ſpatium dolor remitteret: quo iam euoluto cum ſolitis torqueretur cruciatibus, confectus mœrore, & triſtitia ſomno cœpit conſopiri, & mentis oculis obuerſatur monitio peccati commiſſi, quod Deo præfinire certum curationis tempus auſus eſſet, iubetur autem in viam ſe dare; & ſemilibrem cereum pedem reliquijs SS. Geruaſij & Protaſij Briſaci appendere, mox voti compotem fore, paret ille ſalutari monito: cuius executionem ſanitas protinus eſt conſecutà.

pedum dolor curatur.

Secundo eodem an. 1448. Vir nobilis Walterus à Bolzenheim in feſto SS. Geruaſij & Protaſij more ſuo Briſacum ſacros cineres pie veneraturus equo contendit; ſimul cognatæ ſuæ D. Suſannæ à Wilzenheim reliquit in mandatis, vt quatuor liberos Ioannem & Margaretam, item Waltherum & Chriſtophorum currui cum famula impoſitos eodem curaret deuehendos. Fecit imperata, iuſſitque caniſtrum cum ouis vna deueh: iam ex arce currus egrediebatur, & pontem adſcenderat, cum equi derepente tanta celeritate regrediuntur, vt auriga nulla vi poſſet eos cohibere, quin omnes cum equis & curru præcipites è ponte & rupe prærupta deorſum voluerentur: attonitos illud triſte ſpectaculum tam arcis inquilinos, quam quotquot eminus ſpectabant caſus ita perterretecit, vt nemo non crederet omnes ad vnum periiſſe. Sed cum magna cura diligentiaque currus euerſus tolleretur, nemo vnus hominum: ſed nec equorum vllus læſus: ſoſpites & integri reperti ſunt, adeo, vt nec ouorum vllum alliſum, aut fractum fuerit. Ita repetito itinere pergunt Briſacum hilares, & rei narratione populi frequentiſſimam ibi concionem vehementer exhilarant. Norſingenſis quidam longo tempore difficili moleſtoque morbo conflictabatur, acceſſit ad incrementum mali neruorum contractio, vt manibus pedibuſque captus: nec dexteram valeret admouere ori: continuoque grallis duabus nixus ægrè greſſum tamen promoueret: is vbi proborum vſus amicorum conſilio, à quibus edoctus erat crebra miracula, quæ meritis SS. Geruaſij Ptotaſique paſſim edebantur, votiuum ſpopondit cum peregrinatione donatiuum: mox ſanus iter ingreſſus Briſaci ſe voti ſoluit religione, fulcris ibi ligneis, vt perennaret prodigij memoria, ſuſpenſis ad aram Martyrum feria tertia Pentecoſtes A. 1465.

è rupe cum curru lapſi illæſi.

neruorum contractio ſanatur.

Attexam è recentioribus ætate noſtra patratis prodigijs tria. Duo priora tabellæ teſtibus idoneis autenticè firmata narrant priorem totam Latio donatam recito.

recentiora.

Vera narratio miraculi quod an. 1617. 30. Nouembris in feſto S. Andreæ Briſaci circa nobilem virginem diuina virtute & meritis SS. Geruaſij & Protaſij illic quieſcentium patratum eſt.

REuerenda & prænobilis Deo deuota Virgo Scholaſtica ab Ampringen Canonica inſignis & peruetuſti nobilis collegij S. Leodegarij in Maſmünſter 13. vel 14. annos multis mirabilibus, & inauditis morbis Deo ſic permittente cruciata tandem pedibus omnino capta, greſſum nullum potuit promouere: vt alienis manibus eleuanda, portanda & deponenda fuerit, quo neceſſitas vrgebat. Deſperata iam ſalus erat in medicis, & humanis viribus. Ergo cum ex arce Bingenſi (ad quam ſe ob medi-

canonica pedibus capta & inauditis cruciata morbis.

medicorum & pharmacorum opportunitatem ad tempus receperat) ad collegium suum, comitibus domina matre, affine, & sorore lectica veheretur, deposita à medicis Brisacum transiit, & ex voto, magno licet cum dolore deferri petit in templum, & abijci ad SS. Geruasij & Protasij lipsanothecam, vbi cum Deum pie magna cum fiducia fuisset deprecata, peracta re diuina, surrexit ipsa nullo adminiculante salua & incolumis. Quod nos vna cum loci Consule M. Ioanne Büchner, ipsius coniuge & magna hominum frequentia summa cum admiratione vidimus. Ex templo sola sine comite & scipione pedes ad Wassenburgensem domum diuertit, post prandium sola inscendit lecticam, vesperi apud cognatum D. de Stadion in Ensisheim & postridie ad collegiatam suam Ecclesiam Maßmünster cum gaudio & stupore omnium peruenit incolumis: nec hactenus Deo fauente dolorem vllum persensit amplius. Quocirca cum ad Dei & Sanctorum gloriam auctiorem, diaboli & hostium veritatis Catholicæ confusionem non debeant diuina celari miracula, me confessarium suum, & oculatum testem horum omnium dicta domina rogauit, idipsum publicitus attestari: testor itaque ego F. Michaël Büchner, conuentualis monasterij Teutperti & Sickhigensis Parochus in Biengen fide sacerdotali rem ita nec aliter quampaucis narratum est, contigisse. Huius præter dictos aderant tunc etiam testes oculati prænobilis & strenuus D. Ioannes Christophorus ab Ampringen, serenissimi Archiducis Maximiliani Austriaci consiliarius & satrapa ciuitatis & dominij in Stauffen, virginis dictæ germanus, & expertissimus D. Ioannes Iacobus Medicinæ Doctor: subiungit his complures virgines nobiles, & totum Magistratum Brisacensem huius prodigij testes.

surgit incolumis.

Similis affixa tabula cum prolixiore narratione Prothasij Witligs, qui cum quinquennio corporis insanabili morbo medicorum consensu vexatus esset, voto concepto & sacro audito in templo precibus SS. Geruasii & Protasij statim sanari cœpit, iam totus incolumis valet optimè A. 1625. 12. Ian.

insanabilis infirmitas pellitur.

Denique loci Curio scribit ad me recens admodum miraculum his verbis viuit adhuc & moratur modo Basileæ propter bellorum tumultus prænobilis & devota femina Eva â Baden, origine Truchsesia â Walthaus vxor nobilis & strenui viri Friderici à Baden, qui tempore pacis in pago Liel prope Neoburgum ad Rhenum habitare solet, ea morbo quodam valde graui laborabat, per integrum ferè annum (qualis autem fuerit morbus ignoro) sed hoc ex illa audiui, quod cum nullo medicorum auxilio iuuari posset, & cum antea corporis valde obesi esset, de die in diem velut vmbra contabuerit macilenta, hæc die eorum festo se nostris sanctis Martyribus tota mente commendauit, & mox vbi tumbam sacrarum reliquiarum è fenestra vidit per plateas, vti mos est, quotannis circumferri, procumbens in genua, ardentiori oratione eorum subsidium implorauit, impetrauit etiam, & subito sana surrexit, & adhuc est incolumis tamque obesa, quam ante morbum fuerat. Hæc illo ipso die mihi, quo contigit in vesperis retulit, præsente alia nobili femina & SS. Martyres oblato rosario argenteo in grati animi significationem donauit, sacrumque per me ad SS. Martyrum honorem legi petijt: appendet ipsa suo tempore Deo volente tabellam ad rei perennem memoriam. Hæc ad me 22. Maij A. 1640. loci Parœcus exarauit literis, quæ cura Ioannis Homphæi Rectoris Schletstadiensis Societatis Iesu obtinui. E quibus liquet à tempore translationis opera miranda sanctorum istorum Martyrum continuari.

tabes curatur.

CAPVT XXXVII.

Gamundiæ Sueuorum septimum stationis monimentum sacellum ob prodigium ibi tempore translationis patratum ipsis consecratum.

patria Imperatoris.

BRISACO Sueuiam, natale Cæsaris solum, Reinoldus adijt, forte iussu eiusdem negotia quædam ibi confecturus. Erat Ducum istorum Sueuiæ tunc habitatio in arce Hohenstauffa vel Lorcha: prope quæ loca Gamundia recens tunc mœnibus aucta iure ciuitatis donata florere

prope Gamundiam.

mercatu cœperat: iacet ea Brisacum inter & Bambergam medio fermè itineris spatio: quam nocturna sanctorum Regum statione nobilitatam esse constans ciuium traditio, locus quietis, prodigium ibi patratum, sacellum ideo Regibus constitutum, conseruatus cultus eorum perpetuus, & inscriptiones euincunt. Primum huius stationis indicium. D. Benonius Iuris Licentiatus mihi aperuit: is anno 1636. Gamundiam profectus, à consulibus & primoribus hoc nomine, quod esset Colonienſis insigni beneuolentia habitus, ab ijs non semel fida narratione accepit cum sancti Reges Mediolano Coloniam transferrentur, ibi noctem vnam substitisse; monstratum eidem diuersorium domus ciuitatis honoratissima, qua velut curia senatus frequenter vtitur, expressis ante eam SS. Regum Christum adorantium imaginibus, & addita epigraphe, quod eandem domum quiete sua consecrassent, est ea modo libera ciuitas imperij, Catholicæque fidei tenacissima, nullum vt ciuem Acatholicum toleret, & perstitit exinde, quo condi cœpit in auita religione constantissima, licet inter medios hæreticos sola fidem orthodoxam profiteatur, & sæpius his turbulentis Germaniæ tempestatibus Suecorum armis & aliorum hæreticorum præsidijs teneretur, nunquam tamen adduci potuit, vt vllum ciuem Acatholicum admitteret: quod beneficium nonnulli ciues S. Virginis Mariæ & SS. Regum cultui adscripserunt: certè exinde magnis auctum esse incrementis & priuilegijs, ex ijs quæ de origine eius, situ & progressu Crusius in Annalibus Sueuicis prodit, licet colligere, quæ operæ pretium est præmittere, vt cetera testatiora fiant. *Gamundia ciuitas imperialis sita est in parte Sueuiæ, vbi vallis Ræmsia est. In notitiam venisse putatur sub Friderico antiquo, vel vnioculo, antiqui filio, Duce Sueuico circa an.* 1090. *&* 1110. *muro eam vnioculus cinxisse fertur. Aucta deinde sub Ducibus Sueuiæ est, præsertim sub Conrado tertio Rege Romanorum, & Friderico Barbarossa Imperatore. Fuit huius familiæ quondam habitatio in arce Hohenstauffa, & Lorcha, item in pago Walthusen, vbi suum habebat tabellarium, seu cancellariam. Ab illis donata & ornata est Gamundia iure ciuitatis & priuilegijs, quemadmodum aliæ quoque huius regionis ciuitates, Goeppinga, Reutlinga, Eslinga, Vlma*: & infra, cum nobiles vrbis ciues enumerasset subdit cœnobia loci. *Monasteria*, ait, *Gamundiana Augustinianorum Eremitarum à Rege Conrado fundatum; deinde Prædicatorum, præterea Minorum vel nudipedum, à nobili viro Walthero Rinderbachio conditum, in quo S. Francisci discipulus F. Dauid humatus. Extra oppidum cœnobium feminarum Augustinianæ disciplinæ, nunc sub Prædicatoribus, vel Dominicanis, ædificatum à ciuibus Gamundianis Scaupensibus A.* 1240. *Templum Gamundiæ primarium præclarum, liberalitate egregiorum ciuium conditum & S. Cruci, ac B. Virgini Mariæ dicatum.* & infra. *Templum in vrbe* 1. *S. Mariæ.* 2. *S. Ioannis,* 3. *S. Viti,* 4. *S. Michaëlis.* 5. *S. Sebaldi,* 6. *fanum hospitalis.* 7. *sacellum S. Nicolai.* 8. *sacellum S. Nicolai, quod Lutherani petierunt. Mercaturam ciues exercent, eamque in longinquas terras. Opificia ibi sunt præcipua fœniseciorum, & globulorum ex crystallo, succino, ossibus, ligno, per quorum globulorum foramen funiculus aut nervus traiectus inseruit illis, qui globulorum numero preces suas metiuntur. Vulgo pater noster vocant. Talia in Galliam, Italiam & alio exportantur: inde in Turciam quoque.* Hæc Crusius.

in qua SS. tres Reges nocte quieuerant.

p. 2. l. 9. c. 4. *Annal. Sueuicorum.*

situs eius & origo

incrementa.

templa.

mercatura ciuium.

Hæc

Hæc vt certius inuestigarem, & vt ab incolis ipsis, eorumque primoribus ac testibus incorruptissimis explorarem rei veritatem, traditiones loci, vestigia, & inscriptiones, literis egi cum primariæ S. Crucis & B.V. Mariæ Basilicæ curione eodemque Decano Rurali, vt sua & Magistratus Gamundiensis autoritate testatiora rei monumenta, quæ superant, confirmaret, id Adm. R.D. Magister Ioannes Schleicher cumulatissimè præstitit, egit ea super re cum senatu & consulibus; qui rebus omnibus diligenter exploratis, literas duplices ad me tam Ecclesiastici, quam secularis Magistratus nomine miserunt, vtriusque chirographo & signo munitas: primis beneuolentissimè testantur translationis SS. Regum per eum locum veritatem, alteris varijs meis propositis quæstionibus satisfaciunt copiosè: hoc exemplo.

exquiritur rei veritas à curione loci. & Magistratu.

Literæ Magistratus Ecclesiastici & secularis liberæ imperialis ciuitatis Gamundiæ Suecorum de translatione SS. trium Regum per eum locum facta.

Pax in Christo Iesu.

Admodum R. obseruandissime D. Pater.

LIteras suas, in quibus pro descriptione translationis SS. trium Regum Mediolano Coloniam factæ (quo tempore horum Sanctorum corpora vna nocte in nostra ciuitate quieuerunt) num memorabile quid circa illa contigerint, ab vtroque magistratu attestationem quandam expetijt, ego & nos omnes magna cum consolatione accepimus, cum verò opera Dei, quæ per Sanctos suos operari solet, reuelare & confiteri sit honorificum, idcirco ea, qua potuimus industriâ de hoc negotio inuestigauimus, factaque diligenti inquisitione, ex libris autenticis quidem nihil hac super re inuenire potuimus, præter ea, quæ tum ex probabili traditione, tum certâ noticiâ cognouimus, prout in responsis ad Ad. R. P. V. quæsita his inclusis exhibemus legenda.

confirmatur translatio.

Sanè si Dominus Deus aliud miraculum cum ciuitate nostra non perpetrasset, hoc vnicum esset memoria perenni dignissimum, quod nimirum ciuitas hæc in medio hæreticorum & nationis prauæ sita, per specialem eiusdem prouidentiam & protectionem ab hæretica prauitate (ab ipsis erectis mœnibus) in fide Catholica atque orthodoxa adhuc incorrupta virgo permanserit: ipse clementissimus Deus nos, & omnes successores nostros ad finem mundi vsque in ea gratiosissimè conseruare dignetur: hoc vt impetremus, assiduis precibus eius clementiam imploramus, & pro tam immenso beneficio gratias agimus, quas possumus maximas SS. quoque trium Regum, atque omnium Sanctorum suffragijs admodumque R. P. V. sacrificijs nos commendamus. Datæ Gamundiæ Sueuiæ die 24. Octobris A. 1651.

examinatur rei certitudo.

miraculum continuatum a translatione.

Consules & senatus sacri Romani Imperij liberæ ciuitatis Gamundiæ Suecorum.

Admodum R. Pat. V. in Christo humilis seruus.
Magister IOANNES SCHLEICHER
Plebanus & Decanus Ruralis.

Appressum literis his duplex sigillum fuit, primum ciuitatis & Magistratus, in eo Angelus cernitur vtraque complexus manu scutum, in quo subsiliens monoceros expressus est: in peripheria scriptum legitur: *Sigillum secretum Gamundiensium*: alterum plebani fuit: imago cordis, è cuius vertice tres lineæ prodeunt appositis literis M I S.

His literis inserta fuit ad singula quæsita mea publica & autentica responsio in adiuncta charta simili modo consignata in hanc sententiam.

Responsio ad quæsita super translatione SS. trium Regum Mediolano Coloniam facta à Magistratu tum Ecclesiastico tum seculari liberæ ciuitatis Imperialis Gamundiæ transcripta A. 1651. die 24. mensis Octobris.

AD primum quæsitum. An sit traditio loci SS. trium Regum corpora tempore translationis Gamundiæ Sueuorum vna nocte quieuisse? Respondetur omnino esse traditionem verissimam, quod tunc temporis vna nocte in ciuitate nostra horum SS. trium Regum corpora quieuerint.

vna nocte Gamundiæ corpora SS. Regum quieuerunt.

Ad secundum. An huius rei in libris, picturis, sacellis, fundationibus mento reperiatur? Respondetur. Hæc SS. corpora deposita fuisse in honorificentissima ciuitatis

tatis domo, in qua inclytus ſenatus ſæpius conuenire & conſilia ſua plerumque intima & ſecretiora, forenſeſque cauſas tractare ſolet; & in confirmationem huius adhuc præ foribus illius domus dependet tabula affixa, in qua imagines SS. trium Regum in forma, qua Chriſtum Dominum adorantes venerati ſunt, depictæ cum hac ſubſcriptione tabulæ. Als man zalt nach Chriſti geburt 1164. iahr / waren die Heilige drey Kònig geführt von Meilandt / vnd lagen in dieſem hauß vber nacht. Id eſt, an. à natiuitate Chriſti 1164. tranſlati ſunt ſancti tres Reges Mediolano, & quieuerunt in hac domo vna nocte. Tabula hæc renouata eſt A. 1632.

in curiâ.

vt probat imago & inſcriptio.

Ad tertium. An ſacellum & locus ſuperſit, vbi depoſita dicantur fuiſſe? Reſp. ſacellum quidem interioris portæ ciuitatis ſuperædificatum exſtare in honorem S. Nicolai & SS. trium Regum exſtructum, & antiquiſſima probabilis traditio habet, quod in tranſuectione ſanctorum corporum ſub illa porta currus & equites ſubſtiterint, nec vlla vi potuiſſe progredi, donec votum factum fuerit, quod ibidem in honorem SS. trium Regum eſſet conſtruenda capella, & tanto probabilior videtur traditio, quod nullibi forſan locorum capella portæ ciuitatis, vel turri ſuperædificata reperiatur.

ſubſtiterunt in porta prodigioſè. donec ſacellum iis erigendum voueretur.

Ad quartum & quintum. An id ſanctis Regibus dicatum ſit & ſenatus in eo interſit ſacro ante conſultationes? item an ſit traditio circa mœnia corpora SS. Regum deportata eſſe. Reſp. De hoc non habere nos vllam notitiam, nec etiam ſenatus in certo loco ſacro intereſt, ſed plerumque in maiori Eccleſia parochiali Beatiſſ. Virginis ſacris intereſſe ſolet, & quolibet die per annum legitur ſacrum in templo in honorem S. Ioannis Baptiſtæ ædificato, pro felici regimine Reipublicæ Gamundianæ Catholicæ.

Ad ſextum. An hodie adſcribatur cultui SS. Regum, quod fides ibi Catholica ſit hactenus inter hæreticos ſeruata? Reſp. Dicimus hanc diuinam conſeruationem poſt Deum ſpecialiter adſcribi immaculatæ Dei genetrici V. Mariæ, vtpote patronæ Eccleſiæ Parochialis. Non quidem dubitamus, quin præter alios Sanctos & patronos Monaſteriorum & Eccleſiarum etiam ſancti tres Reges auxilium præbuerint ſingulare, cum in dicta Eccleſia parochiali tot præclara inſignia & indicia veneration nis maiorum habeamus: nimirum in tot picturis, ſculpturis & imaginibus SS. trium Regum, in ſummo altari, & ſupra illud in feneſtris, in & extra ſtructuram templi, etiam ſupra quartam portam eiuſdem, vbi ſecundum ritum Catholicæ religionis matrimonia coniungi ſolent, quibus demonſtratur, quantum maiores noſtri hos SS. Reges venerati fuerint, & ciues adhuc venerentur.

fidei conſeruatio adſcribitur Deiparæ.

& SS. Regibus.

Ad ſeptimum. Nulluſne ciuis hodie toleretur hæreticus, nec admittatur, niſi ediderit profeſſionem fidei Catholicæ? Reſp. eſſe verum, nullum tolerari ciuem hæreticum, nec admitti quemcunque etiam ad fidem Catholicam conuerſum, niſi prius ediderit profeſſionem fidei, & communicauerit ritu Catholico ac iuramentum præſtiterit, quod nulli niſi fidei Catholicæ orthodoxæ adhærere velit, & ſi contra fecerit, quod hoc ipſo municipium amiſerit.

nullus tolleratur hæreticus.

Ad octauum. Scianturne loca, vbi dicantur SS tres Reges pridie aduentus & poſtridie quieuiſſe? Reſp. Nobis de tali loco nihil conſtare.

Ad nonum. An in feſto Epiphaniæ aliqua peculiaria fiant circa cultum eorum? Reſp. in prædicta capella interiori portæ vrbis ſuperædificata pridie Epiphaniæ veſperas, & in ipſa feſtiuitate ex fundatione ad honorem SS. Regum officium ſiue ſacrificium Miſſæ annuè ſolere decantari.

Epiphaniæ ſolennitas.

Ad decimum. An in alijs etiam templis ciuitatis altaria SS. Regum inueniantur? Reſp. Niſi in tribus Monaſterijs religioſorum: Patrum Prædicatorum, Auguſtinianorum & Franciſcanorum huiuſmodi altaria reperiantur, in reliquis ciuitatis templis & ſacellis nulla ſciuntur.

templorũ loci multitudo.

Ad vndecimum. Quot ſint templa vrbana & ſuburbana ſaltem maiora? Reſp. Exſtare vna cum monaſteriorum templis vrbana maiora quinque: inter quæ maius, amplius, magnificentius, iucundius, artificioſius, & rarius eſt templum parochiale ad B. V. Mariam: vrbana & ſuburbana minora ſunt itidem quinque, nimirum ad S. Georgium, S. Vitum, S. Michaëlem Archangelum, S. Theobaldum S. Spiritum: in hoſpitali denique capella ad S. Nicolaum & SS. tres Reges, extra

mœ-

mœnia prope ciuitatem exstat templum ad S. Leonardum picturis pulchrè ornatũ, alterum monasterium sanctimonialium Ord. S. Dominici, Gottszell dictum: ad S. Catharinam apud leprosos tertium: ad baiulationem crucis, vel requiem Domini, vulgò zu vnsers lieben Herren Ruhe/dictum quartum: &deniq; quintum ad S. Saluatorem cum duobus altarib. & quod mirandum, ex vno eodemq; lapide exsculptũ, deuotissimus locus quem etiam de longe venientes piè cũ magno solatio solẽt visitare.

Ad 12. An tempore bellorum Germanicorũ per 34. iam annos manserint omnia templa in exercitio Catholico, & inuiolata ab hæreticis. Resp. Per Dei specialem gratiam omnes & singulos ciues in Catholica orthodoxa fide permansisse constantissimos, talesq; adsistente Dei gratia emorituros: in vrbe nullum templum fuit violatum, nisi quod militibus per aliquot dies commorantibus à prædicante Lutherano in vno templo ad S. Ioannem dicto concio fuit habita. Extra mœnia in monasterij & Saluatoris templis altaria per fractionem sepulcrorum fuerunt violata, reliqua verò permanserunt inuiolata. Actum Gamundiæ Sueuiæ Ann. & die vt supra.

seruata tempore bellorum Germanicorum.

In huius rei maiorem fidem loco cleri & inclyti senatus Gamundiani cum appresso consueto sigillo subscripserunt.

Locus sigilli. Ciuitatis Consules & Senatus sacri Romani Imperij liberæ ciuitatis Gamundiæ Sueuorum.

Magister IOANNES SCHLEICHER Plebanus & Decanus Ruralis.

Locus sigilli eiusdem.

O lilium interspinas, Gamundia fide Catholicâ virgo incorrupta inter Hæreticos, quibus vndique circumdata; sola ferè liberas inter imperij ciuitates nullum prorsus Acatholicum ciuem pateris, nam in hoc adhuc tibi cedit Aquisgranum, & ipsa Colonia, quæ licet, ab anno 1617. nullum amplius heterodoxum donarit ciuitate, restant tamen adhuc exiles reliquiæ, nondum sublatæ, quæ decolorant fidei integritatem, eas confidimus intra decennium emorituras, vel fidelibus accessuras. Perge Gamundia perge toti imperio fidei puritate prælucere, experta es in tot belli tempestatibus fidam, stabilemque diuinam tuitionem, patrocinio ductuque salutaris cynosuræ Deiparæ & SS. trium Regum: perge porro facem Germanis omnibus securissimæ nauigationis inter syrtes & charybdes Hæreticorum præferre, vt tecum ad portum salutis omnes appellant feliciter.

Laus Gamundiæ.

CAPVT XXXVIII.

Bambergæ post circuitum ad declinandos hostes exstat octauum vestigium stationis sanctorum Corporum.

QVIS non sibi persuaderet Reinoldum Brisaco Coloniam secundo Rheno nauigasse? at si vnquam tunc potissimum hostium suorum insidijs obijciebatur: in quibus Sueuiæ quidam duces eminebant. Brisaci verò in Brisgoia, vbi terræ Cæsaris quædam hereditariæ erant: & Gamundiæ sicut & in Burgundia, quam dotis nomine ab Augusta acceperat Reinoldus securus sibi videbatur. Ideo Pontificales diœceses adeundæ erant. Bambergensis, Franconica, Moguntina, & Treuirensis: ne tanto thesauro, insidijs hostium spoliaretur. Bambergam igitur multis clitellarijs vsus iter instituit, quo videtur mense Iulio iam inchoato peruenisse. Iacet ferè in meditullio Franconiæ, à S. Henrico Cæsare, SS. Apostolis Petro & Paulo, sanctoque Georgio consecrata, formam crucis exhibet: de qua Godefridus Viterbiensis.

ingentis circuitionis causa hostes multiplices. Bambergam visit. situs eius templa.

In crucis ergo modum posuit sibi pauo colonum
Qui veneretur eum, foueat, celebretque patronum
Stat medius Petrus, Stephanus sibi dexter habetur
Vertice stat Iacobus, læua Michaël retinetur:
Fertque secus fluuium virgo Maria decus.

Huc Reinoldum vna cum sanctorum Regum corporibus diuertisse, noctemque quieuisse, constans tenet populi traditio: confirmat ara triennio post SS. Regibus dedicata; præterea anniuersaria memoria: quæ frequentissimo ciuium concursu ad locum quietis eorum quotannis renouatur, idipsum contestatur.

vestigia loci corpora SS Regum ibi per noctẽ quieuisse.

Custodes loci sunt Patres Recollectæ Franciscani: quorum è numero S. Annæ vitæ scriptor Iacobus Polius his verbis me talis vestigij translationis commonefecit. *Tenent Patres Franciscani Recollectæ Bambergæ insignem Basilicam, cuius lateri aquilonari concameratum sacellum, quod modo pro sacrario seruit, adiacet: in quo tempore translationis tria Regum corpora indubiè requieuerunt. Vnde & quotannis cum festiuo iubilo translationem celebrant, & ab Episcopo vino honorantur; est & memoria stellæ.* Locus ante Templarijs seruiuit: quibus extinctis S. Francisci regulam professis est attributus: vt idem ad me ex collectaneis, quæ cum monasterium idem incoleret ex Archæis selegit, perscripsit in hanc sententiam, *An.* 1311. *postquam ex decreto Concilij Generalis Viennensis sub Clemente 5. Templariorum deleto ordine eius possessiones in Germania ad alios transferebantur ordines, in Ecclesiam, vacantemque eorum residentiam Bambergæ subrogati sunt Fratres Minores. Hæc Basilica ciuibus multum amabilis in multa obseruatur reuerentia, & in festo triumMagorum sanctorum ad ducatum stellæ Saluatori nato ad præsepe magno populi supplicis celebratur concursu, in mnemosynon sanctissimæ depositionis trium Regum prædictorum in eadem Basilica, seu insigni sacello australi, quæ facta fuit anno circiter* 1165. *quando Reinoldus Colonicnsis Archiepiscopus hac via, eadem sacra pignora Mediolano per Fridericum primum diruto in suam metropolim imperatore eodem approbante reuerenter adduxit, Anniuersarium præcipuum festum sua honorant præsentia R. & Illustris Bambergensis Episcopus, totaque aula præter illustrem coronam Canonicorum Cathedralium, atque in triclinio Minoritici conuentus discumbentes se, fratresque liberaliter pro more pio reficiunt. Æacis oppositæ stellæ insignitæ de festiua hac memoria participant: eo quod iamtum Reinoldi Archiepiscopi comitatus pro sanctorum custodia corporum incolatum præstitisse dicantur.* Hactenus Iacobus Polius, consonant his, quæ pro tempore Guardianus Bambergensis his verbis mihi scribit. *Esse antiquissimam, & ab incolis vrbis omnimodis indubitatam traditionem, quod sacræ reliquiæ in Ecclesiæ nostræ sacello, quod ad dexteram ingredientis portam maiorem templi per noctem depositæ quieuerint, famuli verò & muli portantes in vicina domo è regione templi nostri, qua per minorem portam patet exitus, pernoctarint: in huius rei memoriam ipsa domus est insignita stella & ab ea hodieque ad auream stellam denominatur. Sacellum verò cum altari ad honorem prædictorum trium sanctorum Regum est dedicatum: in quo die sacro Epiphaniæ solenne celebratur quotannis diuinum officium instar patroni Ecclesiæ, cum plurimo concursu, ac singulari deuotione populi: reperi etiam in Chronicis Bambergensibus appressis Calendario hanc translationem contigisse sub* 10. *Bambergensi Episcopo Eberardo anno scilicet* 1165. *circiter.*

Locus primo Templariorum fuit. anniuersaria memoria celebris.

Ita P. Wilhelmus Rueding loci Guardianus A. 1640. scriptis ad me literis. Eberardus ille Bauariæ dux prudentia doctrinaque spectabilis maxima pollebat apud Fridericum, vti & Reinoldus, gratia & autoritate: quippe cui quandoque totam exercitus gubernandi curam committeret, licet ipse libentius sacris paginis volutandis occuparetur Radeuicus coæuus ita memorat. *Anno Dominicæ incarnationis* 1159. *Fridericus Pascha apud Mutinam celebrauit, festoque terminato in territorium Bononiense, vbi tunc manebat exercitus, demigrans, aduentu suo vniuersos lætificauit. Nempe quo die cinis super capita fidelium poni solebat, vsque tunc semel tantum ad exercitum venerat: dimiserat tamē loco suo V. virū Eberardū Bambergensē Episcopū, qui venientes & negotia habentes audiret; causasque eorum diligenti examinatione terminaret, erat enim idem Episcopus religione, & scientia præditus, vitæque puerioris institutionibus instructus ad fidem imperij & honorem præ cæteris diligentiam habere cognitus esset; apud quamplurimas terras opinio de eo celeberrima peruulgata est: eiusque studium circa scripturæ sensus, ac quæstionum discussionem tam attentè versabatur, vt inter prælia commanens diuersas, & vrgentes curas earum sedula meditatione solaretur. Cum autem omnes Episcopos, seu cuiuslibet ordinis Ecclesiastici viros Imperator diligeret, eosque ampliori honore dignos duceret, specialiter tamen memorati viri, sicut prudentissimi nitebatur consilio, eumque dignum æstimauit, in cuius arbitratu & discretione operas suas locaret, & onus simul &*

Eberardus loci Episcopus.

Radeuicus in Chronico lib. 2. c. 29.

inter prælia studet sacris literis.

& honorem communicaret. Hæc Radeuicus: vt mirum non sit Reinoldum ad hunc consiliorum omnium & laborum apud Cæsarem socium & participem præsulem, studijs, institutis, & moribus æqualem diuertere voluisse tunc, cum inter hostes suos tali cum thesauro versaretur: auebat autem Eberardus cum primum per Cæsarem poterat, redire in nidulum & diœcesin suam: vt pridem ante Reinoldi reditum eodem præuolarit: testes huius fugæ curarum imperatoriarum binæ literæ superant sanctissimo Eberardo Salsburgensium Archimystæ missæ; primæ datæ an. 1160. in quibus ita scribit. *Congaudete mihi, qui dimissionem accepi & ad propria redeo*: in alteris velut auem in cauea circumduci se inuitum in aulicis negotijs ita lamentatur: *scio Pater sanctissime sacræ pietatis affectu vos compati meis laboribus, & animæ mihi salutem, & corpori quietem concupiscere. Vt autem noueritis, quo ad compati vos mihi oporteat; dico vobis, quod iam tædet animam meam vitæ meæ, duo ferens onera in animo meo grauissima, quod & cinctus ducor quo nolo, & quam diu durare debeat, ignoro: vestris & aliorum fidelium orationibus adiuuari desiderans, & ab illis separari, quibus iurauit Dominus in ira sua, si introibunt in requiem meam.* Atque vti quietis propriæ: sic & tranquillitatis publicæ fuit perquam studiosus: præsertim cum schisma serperet Friderico Victorem secundum defendente. Vnus pene Germanos inter Archiepiscopos obnunciarat Victori Salsburgensis: quem literis amicissimis inuitat obsesso iam Mediolano, vt succurrat, sancte eidem pollicitus fore, vt nihil inuitus à Cæsare facere iuberetur: verba eius sunt: *si venire volueritis, nullam coactionem timeatis; non vnam verè tantum animam: sed multa millia animarum Deo lucrari poteritis, ipso cooperante, & adiuuante: ad subueniendum incendio non eundum, sed currendum est*: aduolauit protinus hoc ipso anno, quo de agimus 1162. parum tamen profecit, licet honorificentissimè Cæsar eum habuerit, vt Salsburgensis ipse suis testatur literis tunc Altmontensi cœnobiarchæ datis: in quibus euerii Mediolani sic meminit. *Nos Papiam peruenientes à Domino imperatore honestè suscepti, familiariter tractabamur, inde Mediolanum venientes feria sexta ante palmas*: & infra, *subuersum est Mediolanum: & sicut fecerat, fecit ei Deus.* Vbi chronologia nostra capti Mediolani confirmatur.

amantissimus quietis in diœcesi sua.

& publicæ tranquillitatis.

Hoc igitur sanctissimo viro & omnibus pacis & religionis pietatisque cultoribus Eberardus ille Bambergensis vtebatur familiarissimè: pacem per se, aliosque cum poterat libenter sanciebat: vt ideo sequestrum hunc Reinoldus & Imperator biennio post delegerit controuersiæ fratrem inter & Colonienses ob translationem SS. Regum ortæ, componendæ. Valebat optimus præsul animi demissione, qua præuia cum se in partium voluntates mira suauitate prudentiaque insinuasset, tunc opportunè suadebat salutaria, facileque quem sibi deuinctum iam tenebat amanti persuadebat: ita periculosissimam discordiam Adrianum inter & Cæsarem ortam feliciter oppressit in semine. Monuerat eum Henricus Cardinalis SS. Nerei & Achillei, vt cum opportunum esset Cæsarem memorem officij sui redderet: ille quid facto opus, rescripsit, & prudentes cum insigni submissione literas exarat ad sedem Apostolicam hoc exemplo.

Reinoldus & Cæsar hunc sequestrum eligunt.

mira eius dexteritas in partibus conciliandis.

EPISTOLA EBERHARDI BAMBERGENSIS EPIscopi ad Adrianum Papam.

CVm & tacendi & loquendi tempus sit, quando commune instat periculum, desperationis potius, quam religionis est seruare silentium; omnium est conclamare, in vnum concurrere ac ferre præsidium. Quando autem impetus hostilis, aut incendium ingruerit ciuitati, præsertim eorum interest, qui vigiles ciuitatis sunt, eos, qui in arce sunt ipsum quoque patremfamilias expergefacere ad subueniendum in necessitatis articulo. Hac officij mei consideratione, & specialis debiti, quo teneor multis rationibus S.R.E. Ego licet minimus Episcoporum, qui nec sum dignus vocari Episcopus, tam impudenter, quam imprudenter exclamo ad vos R.mi. Pater ac Domine hoc in tẽpore, quo nobis inferioribus videtur immi-

Humilitas viri.

imminere, quod multum pertimescimus periculum, & quidem ab illa olla, quam succensam ab aquilone vidit olim Propheta: ignis quidam per scintillas occultas cœpit erumpere; sed adhuc in fumo est, & Deo gratias: nondum in flammam illuxit. Inter vos Domine & filium vestrum D. Imperatorem nostrum verbo tenus adhuc aliquid perturbationis est: timendum valde & metuendum, ne verba verbis obuiantia sua collisione flammam tandem excutiant, quæ se latius diffundat in sacerdotio & regno, quod Deus auertat. Ipse filius vester, sicut nostis Dominus noster est: vos autem quomodo Christus Magister & Dominus: Nemo nostrum audet dicere hinc vel inde, cur hoc facitis, aut dicitis? optamus tantum & rogamus ea, quæ ad pacem sunt. Quod si liceret salua reuerentia verba singula trutinare, & rationem singulorum exigere, in insipientia dico, non vt arbitror expediret; quia potius ignis sine mora excutiendus est: quam de igne, qua de parte venerit aiscendum. Supra me esse scio, quæ loquor, sed in simplicitate cordis mei coram eo, qui super omnes, & secretorum est conscius, hæc loquor; & ex quo cœpi semel loquar adhuc vobis confidenter, tanquam Patri ac Domino, omissis illis, quæ aliter & aliter secundum varias auditorum & interpretum mentes possunt accipi. Dignetur ex integro scribere vestra paternitas placidè & benignè filio vestro Domino nostro imperatori, & ad se paterno affectu eum reuocare, promtum ad exhibendam vobis omnem reuerentiam. Samuel Dauid suum amplectatur, nec dimittat à se separari, vt nulla scissura chlamydis fiat; quatenus Deus honoretur, & Ecclesia Catholica tranquilla deuotione lætetur. Placuit Adriano consilium sapiens, literas alias ad Cæsarem mitiores dedit, in leniorem partem verba sua priora interpretatus, & protinus ira Cæsaris subsedit: pax coaluit: videri res gesta potest apud Baronium A. salutis 1157. & seq. Et Radeuicum coæuum lib. 1. c. 21. 22. 23. Residebat hic idem medios inter hostes Colonienſium, ad hunc vt asylum Reinoldus de via declinauit: eius vt consilio, præsidioque securior, & præsens euaderet amittendi thesauri periculum; & sequestrum adoptaret pacis aliquando cum Principibus confinibus ei sanciendæ: quæ eodem adnitente biennio post est Bambergæ conciliata: cuius vt exstaret confirmatæ perpetuum monimentum: & ne translationis sanctorum Regum per eum locum factæ consenesceret memoria, sanctis Regibus aram sæpius nominatam erexit, & dedicauit anno 1165. qui numerus errorem vulgarem peperit, vt tunc translati primum Reges crederentur ijs in locis, cum aram contigit ijs consecrari, quæ erat non translationis solius, sed & biennio post ibi confectæ pacis constitutum monimentum.

consilium pacis suggerit.

Adrianum Papam Cæsari conciliat. *Radeuicus l. 1 c. 21. 22. 23.*

CAPVT XXXIX.

Moguntiæ in domo artis typographicæ inuentrice nonum translationis SS. Regum indicium.

Dedechinus Moguntiæ cæsus Archiepiscopus. A. 1160.

ATrox parricidium ea tempestate Moguntiam adhuc funestabat nondum satis expiatum: nam anno 1160. ciues ipsâ S. Ioannis Baptistæ natiuitatis festiuitate Arnoldum Archiepiscopum suum in cœnobio S. Iacobi multis concisum vulneribus immaniter occiderant, ac vestibus nudatum cadauer triduo modis indignis tractauerant: ob cuius atrocitatem sceleris anno 1163. Fridericus Imperator cum eò pœnas à parricidis debitas exacturus peruenisset, & ciuibus fuga dilapsis inanem ciuitatem reperisset, eam mœnibus & portis dirutis vehementer afflixit, vt eo seculo manserit muris viduata. Post eam necem tres erant eius Pontificatus candidati: Rudolphus Conradi Zaringiæ ducis filius à furente populo licet, inuito clero, præsul salutatus: mox & Christianus à Buche Thuringus ab Hasso & Conrado Palatino duobus Colonienſium & Reinoldi hostibus designatus: neuter tamẽ eo tempore sedẽ obtinuit, quod Fridericus Imperator Conradũ Bauarũ fratrẽ Ottonis comitis de Wittelsbach suffraganeum Moguntini cleri primoribus antistitẽ loci nominasset. Erat is, vt & eius germanus Reinoldi amantissimus, ideo cum Bambergâ cautè declinatis Landtgrauij Hassiæ & Thuringiæ insidijs discessisset, in diœcesin Moguntinam iter maturauit, exceptus per honorificè à Conrado Præsule, apud quem noctem vnam substitit, hoc lætior, quod

tres candidati Pontificatus.

Conradus amicus Reinoldi succedit.

quod hostium terras & pericula maiora superasse videretur. Locus verò quietis sanctorum Regum ea nocte dicitur idem fuisse, qui post trecentos annos orbi terrarum peperit artis miraculum typographiam; nam in eadem domo ea dicitur nata, culta & mirificè propagata, cum incredibili literatorum & orbis totius nunquam satis laudato emolumento. Iacent ædes dictæ è regione Collegij Societatis Iesu, quas olim zum Jungen: postea typis ibi primis repertis, fusis, & vsurpatis mutato nomine zum Truckhauß à typographia nominarunt, fuerunt eæ per quam celebres ducentis his annis, donec Sueuicus Mars nostris temporibus iam inde ab anno 1631. Moguntiam expugnauit, & annis multis præsidio tenuit: tunc enim ciuitatis totius domicilia nobiliora nonnulla diruta, quædam deserta nec sarta tectaque conseruata conciderunt, quæ inter hæc eadem domus altera sui parte, qua sanctos tres Reges texisse creditur, forsan etiam Acatholicorum militum maleuolentiâ, nonnihil accepit detrimenti: fuit enim ibidem conclaue quoddam elegans, quod à SS. Regibus die Königs Cammer dicebatur, & iam cum ædium parte diruta concidit: sacellum tamen domesticum SS. Regum seruat memoriam, licet sacrilegio militum heterodoxorum fuerit profanatum, iam tamen iterum instauratum, conseruat, & continuat traditionis Moguntinæ ciuitatis fidem. Multum ad eius perennitatem ac senescentem redintegrandam contulit Ad. R. & Amplissimus D. Adamus Freyspach Præpositus S. Stephani: nam ædibus dictis ad rerum in iis gestarum memoriam renouandam pretio coëmtis, & sacello rursum SS. Regum honori consecrato consuluit optimè posteritati: mihique humanissimè fidem maiorum per manus traditam instrumento autentico suo & Episcopi Ascalonitani chirographo firmatam transmisit.

excipitur ab eo.

quiescit in domo inaugurice typographiæ.

passa à Sueucis.

traditionē Moguntinam & domum instaurat Adamus Freyspach.

Copia testimonij Prouicarij Moguntini, & Episcopi Ascalonitani sanctos tres Reges tempore translationis ibidem quieuisse.

firmat suo chirographo.

POst exilium quatuor annorum, in reditu meo Anno 1636. *vidi Moguntiam ex magna parte, etiam curiam solitæ meæ residentiæ à Succomilite destructam. Vnde alias ædes vulgò* zum Truckhauß *nuncupatas eo libentius coemi, quod in eis typographia primo inuenta, & in sacello domestico in honorem sanctorum trium Regum dedicato eorum corpora Mediolano Coloniam Vbiorum translata in itinere olim quieuisse, à viris in Ecclesiastica dignitate constitutis, & diuersis ciuibus senioribus Moguntinis acceperim. Ideoque hoc sacellum etiam à Succis militibus profanatū Rmus. in Christo Pater Ambrosius Episcopus Mysiensis, Suffraganeus Moguntinus die* 4. *Augusti A.* 1643. *reconciliauit, & altare in honorem Beatissimæ Virginis Mariæ, S. Iosephi, S. Angeli custodis, & SS. trium Regum denuo dedicauit. Signatum Moguntiæ* 27. *Martij A.* 1651.

Itatestor

ADAMVS Freyspach Præpositus S. Stephani,
Decanus B. Virginis, Consiliarius & Pro-Vicarius
In spiritualibus generalis Moguntinus.

Subnotatur hæc Episcopi Ascalonitani attestatio.

Hoc assertionis documentum manu propria ab Ad. R. & Amplissimo D. Pro-Vicario scriptum esse attestamur 28. *Martij A.* 1651. *Moguntiæ.*

subscribit ei Episcopus Ascalonitanus.

WOLTHERVS HENRICVS à Streuesdorf S. Theologiæ
Doctor Colonienſis, Episcopus Ascalonitanus,
Suffraganeus Erfordiensis, ex Ordine S. Augustini,

Appressum fuit eiusdem laudatissimi & infula dignissimi Præsulis sigillum minus.

Cœpit exinde Moguntiæ cultus SS. Regum & in diœcesi mirificè celebrari: nam in Metropolitana basilica visitur altare primitijs Gentium consecratum & dotatum censibus & prouentibus sufficientibus ad sacerdotis sustentationem: id primis vespe ris Epiphaniæ clerus instituta supplicatione visit & canticis honorat; ipsaque solennitas festiuè in altari peragitur, cui adhæret horologium arte mirabili laboratū, quod singulos anni dies, solis, lunæ & ceterorum errantium signorum cursum situmque repræsentat: in eo post meridiem finita concione SS. Regum statuæ Christū in gremio matris sedentem adorant, & versatili rota circumactæ progressu artificioso stellam

Ara SS. Regum in Metropolitana ædē.

sequuntur præuiam : in eadem basilica tabula argentea ex auro fusos tres Reges exhibet: & argenteus sarcophagus imaginem eorum refert reliquijs plenus. Dignitate proxima S. Petri collegiata basilica aram etiam habet sanctis Regibus sacram, & dotatum sacerdotem, quæ eorundem solennitate certis honoratur canticis. Ibidem Patres Carmelitæ aram ijsdem dicatam habent, in qua sartorum congregatio eosdem suos tutelares Patronos festo Epiphaniæ piè veneratur. Augustinianorum ara princeps S. Michaëli & sanctis tribus Regibus est sacrata. Præterea vetus Iudæorum synagoga sordibus Hebraicis expurgata primarium altare habet Gentium primitijs dedicatum, in quo Suffraganeus Moguntinus initiat Ecclesiæ ministros ordinibus. Denique è regione stationis nocturnæ Regum in templo Societatis Iesu sacellum est iisdem consecratum. Francofurti intra diœcesin eandem celebris etiam eorundem SS. Regum cultus fuit. In collegiata S. Bartholomæi basilica instituta fuit anno 1312. vicaria trium Regum vel Magorum nominata, quam Gilbertus weigele de Fridberg dotauit, in eodem templo simile visitur, quale Moguntiæ versatile horologium errantium siderum & sanctorum Regum historia prolixior iussu Reinoldi conscripta seruatur, à me sæpius Francofurtensis MS. nomine laudata. Matrix est eadem Ecclesia multarum filiarum, quas inter Saxenhusanum templum ijsdem sanctis Orientis Regibus fuit A. 1340. dedicatum. quæ testatur eiusdem S. Bartholomæi Decanus Ad. R. D. Petrus Schickius literis 3. Aprilis, An. 1651. exaratis, & eiusdem etiam Reuerendiss. Episcopi Ascalonitani subscriptione firmatis. Erfurti collegium S. Seueri octo vicarias numerat SS. trium Regum cum altari : collegium B. Virginis binas: singulas verò S. Laurentij, S. Andreæ S. Seruatij, S. Pauli, S. Ægidij, S. Bartholomæi. E quibus celebris colligitur diœcesis huius sanctorum Regum cultus. Suggessit opportunè hæc mihi Henricus Engels, S. Petri extra Moguntiam canonicus, patria Colonienſis. Quod verò Moguntia circa annum 1440. prima typos inuenerit, vsurparit, excoluerit satis euincit Serarius l. 1. Moguntiæ, c. 37. vbi se primos huius artis modiolos vidisse narrat, & ipse Ioannem Gutenbergerum inuentorem primum facit, licet socij eius Ioannes Faust & famulus Petrus Schöffer postea perfecerint & anno 1450. cœperint libros edere Moguntiæ, donec anno 1462. per famulos ars ea fuit per alia loca propagata: videri de his eruditissimus commentarius Bernardi à Malinckrot potest. vt meritò domus ista, quæ religione ceteris ob hospitum sanctitatem præstabat, diuino munere nobilissimam literariæ reipublicæ artem mundo pepererit, vnde sapientia diuina & humana facillimè propagaretur. Quod sanè donum haud scio, an non longè præstabilius sit eo, quod fontibus Burgundicis dixi collatum esse, qui aduentu corporum eorundem strumas abstergere, variasque corporis infirmitates pellere cœperunt: nonne animi sanitas, decus & ornamentum sapientia, corporis antecedit valetudinem? congruenter verò nomini Magi, id est, sapientes, omnibus humanis & diuinis scientijs expoliti, typos quasi claues ad referandas artium omnium liberalium, & sapientiæ diuinæ fores ei domui videntur impetrasse, quibus repertis experimur tam facili negotio toto terrarum orbe penetralia sapientiæ quibuslibet patuisse : sicut igitur ob trimestrem arcæ stationem *benedixit Dominus Obededom & omnem domum eius*, plurimaque Burgundiæ loca donis cœlestibus cumulauit, propter nocturnam moram: sic & domum istam Moguntinam diuersorium SS. Regum licet trecentis post annis (quia forte ob necem Archiepiscopo suo recens illatam citius non merebatur) meritis eorum typorum inuentione honestauit, qua sicut Reges sancti fidem orthodoxam sapientiæ corporatæ gentibus, sic Moguntini sapientiam naturalem orbi toti communicarunt. Illi Magi laboriosa sua peregrinatione Bethlehemum vsque institutâ, legationem Apostolorum ad omnes gentes, adeoque singulis absque labore in patriâ suâ veram fidem addiscendi opportunitatem pepererunt; Moguntini studiosos omnes, & eruditos insano describendi libros labore liberarunt, & sumtus ad doctrinam comparandam necessarios vehementer minuerunt. Sed redeamus in viam, Mane Reinoldus à Conrado præsule commeatu nauibusque adiutus, cum æstas esset, sanctorum Regum, & aliorum Martyrum reliquias ad naues detulit, indeque secundo Rheno descendit.

in S. Petro & aliis locis.

& Erfurti.

Francofurti viget idem cultus.

Moguntia inuentrix typorum. c. 38.

c. 8. 9. 10. 11. eorum vtilitas.

l. 2. Reg. c 6. 11.

Reinoldus nauigat Coloniam.

CA

CAPVT XL.

Nouum vestigium in Erpel: vnde loco moueri naues non potuerunt antequam S. Apollinaris corpus in monte vicino deponeretur.

VIcesimo secundo die Iulij Confluentiam Reinoldus attigit ipso S. Mariæ Magdalenæ festo pridie S. Appollinaris (cuius sacros cineres ex Italia secum deferebat) ac velocissimè iubebat nautas remigare: vt eadem luce Colonam peruenirent. Quo magis optato portui propinquabant, vectores hoc velis, remisque fortius & ardentius desudabant, vt S. Apollinarem cum sacris alijs exuuijs pridie diei festi Coloniam deducerent Cum ecce tibi in medio cursu repente velut echeneide suffiaminata manuque quasi retenta subsistit nauis, attonitis omnibus: malè statim ominante Reinoldo, non omnes (quod res erat) sacras exuuias deberi Coloniæ. Quid ageret? contra diuinam niti voluntatem impium, & humanis viribus maius videbatur. Igitur placare numen vna cum vectoribus precibus incipit, votoque rite nuncupato, promtum se, Deo offert: siquæ reliquiæ, imo si omnes etiam loco vicino diuino decreto destinarentur, ad nutum cœlestem contra propriæ mentis propensionem se pariturũ. Mira res nauis non humano, sed angelico ministerio, crederes animatam; girata carina obuertit læuo proram litori infra vicum, quem Remagen incolæ nominant: tum ad montem vicinum, cui sacellum recens inædificatum erat, suum dirigit cursum, & litori se velociter applicat, in locum satis intendendo, cui nobilis sacrarum reliquiarum portio debebatur Varia deinde diuorum lipsana exportant naui: nec tamen moueri potest de statione: donec reportatis in eam alijs, S. Apollinarẽ educunt. Ilico nauis reducta in aquas prorâ petit altum, pronoque descendit alueo, Reinoldus diuina satis explorata voluntate naui firmata anchoris piè & religiosè defert ad sacellum litori oppositum sacrum D. Appolinaris pignus: & in ara deponit, ære campano interim sponte licet id nemo commoueret personante. Protinus fama miraculorum exciti finitimi, suo concursu nouis prodigijs, & innumeris quidem ac ad hunc vsque diem continuatis occasionem præbuere: vt hæc postea sacra lipsana per diuersa loca distracta, memoriam prodigiosæ translationis per varias regiones dissiparint & huc vsque conseruarint: quam ex locorum multorum traditione, & veteribus monimentis ante 180. annos Theodoricus Pauli vulgato libro instaurauit, adiecto Mediolani excidio, quamuis in pauculis sit corrigendus. *Tandem*, inquit, *Anno Domini* 1164. (*rectius* 1162.) *tempore Alexandri Papæ huius nominis tertij dum Mediolanum imperio rebellaret, Fridericus huius nominis primus Imperator Romanorum Mediolanum armipotenter obsidione cinxit potentissima, habens in comitatu suo principes seculares Hillinum Archiepiscopum Treuirensem, Reinoldum de Dassele ex Saxonia, Conrardum (rectius Godefridum) Episcopum Traiectensem: tandem idem Imperator suffossis muris Mediolanum cepit. Igitur V. Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis Imperatori valde obsequiosus, anno prædicto capto Mediolano volens cultum diuinum in Germania, & in occidua parte mundi ampliare, & augmentari, transtulit consensu præfati serenissimi Imperatoris eadem trium SS. Regum corpora, cum corpore S. Apollinaris Rauennensium Archiepiscopi ac corporibus SS. Felicis & Naboris Martyrum Mediolano Coloniam Agrippinam. Nota cum idem præfatus Archiepiscopus eadem gloriosa corpora præatorum sanctorum nauigio per Rhenum transferre disposuerat, & nauis in profesto S. Apollinaris, quod est festum S. Mariæ Magdalenæ in diœcesi Colonienſi apud Remagen in medio Rheni fluctuaret, sperantes se eadem die Coloniam peruenturos, ecce nauis in medio Rheni immobilis, quasi in arido stetit fixa. Attoniti ergo & admirantes, ac mutuo sese adspicientes, ignorata causa stationis nauis, eo quod secundum diuersitatem personarum diuersæ erant opiniones, suis peccatis omnia imputantes, & misericordiam à Deo postulantes, demum ex inspiratione diuina & consilio.*

naues in ipso cursu repente stant miraculo.

obuertunt proram litori.

campana nullo mouente sonat.

narratio translationis S. Apollinaris ex archæis & traditionibus locorum collecta.

votum Archiepiscopi.

Sapientum, cum idem V. Archiepiscopus Colonienſis vouiſſet Deo, quod ſi in eadem naui eſſent aliquæ reliquiæ, quas Chriſtus ad illum locum deſtinaſſet, libentiſſimè illic ſeſe eſſerelicturum: protinus nauis abſque adminiculo humano ad auſtralem Rheni plagam Angelo duce applicuit in eodem loco fixa permanens ſub monte, ſupra quem Fridericus primus illius nominis 57. Archiepiſcopus Colonienſis tempore Henrici 5. & Lotharij Imperatorum ſacellum Religioſorum fundauerat in honorem S. Martini. Portatis itaque extra nauim corporibus, prædictorum Sanctorum, nauis ſemper immobilis perſtitit, tandem exponunt corpus S. Apollinaris litori, alijs Sanctorum corporibus in nauim reportatis: ſtatim nauis per ſe mouebatur. Itaque intelligentes Apoſtolicum Martyrem ibidem velle honorari, apponentes manum, vt ipſum ad capellam veherent, ſtatim campana angelico miniſterio per ſe ſonuit tamdiu, quoadvſque ſacratiſſimum corpus ad eandem eccleſiolam deportatum, deuotè foret. Quod cum humili deuotione ſuper ſummum altare decenter & reuerenter cum capſula locauiſſent, relictis ibi duobus honeſtis ſacerdotibus, ad cuſtodiendum corpus ſanctum, & ad diuulgandum miraculum, atque ad certificandum eſſe veras reliquias S. Apollinaris.

depoſitio corporis S. Apollinaris in monte.

Ipſam vero corporis huius Mediolanum factam tranſlationem ita narrat. *Igitur volens Deus militem emeritum & athletam ſuum fideliſſimum Apollinarem videlicet Apoſtolicum Martyrem in toto orbe nominari, & à Chriſticolis deuotè honorari, ecce contigit, quatenus B. Euſtorgius natione Græcus, nobilis & religioſus Legatus Manuelis* (rectius Conſtantini) *Imperatoris Romanorum, &c. miſſus Conſtantinopoli Mediolanum pro certis cauſis expediendis: qui Mediolanum veniens expedita cauſa propter quam venerat, defuncto Mediolanenſi Epiſcopo, ipſum ibidem in Archiepiſcopum elegerunt, volentes in hoc Imperatorem honorare: vnde Conſtantinopolim regreſſus Imperator gratias egit: cui Imperator inter cetera verba reſpondit. Eſto vir digne Præſul, reſpondit Euſtorgius: gratias ago Deo & tibi: rogo cariſſime Domine, iubeme de ſacris reliquijs, quas voluero deferre. Reſpondit Imperator, quæ velis ſumito. Erant autem in ciuitate Conſtantinopolitana in eccleſia imperiali Sophiæ corpora ſanctorum Regum trium Magorum, quæ S. Helena mater Conſtantini M. Imperatoris anno ab Incarnatione Domini 334. (fortè 326.) cum multo comitatu & deuotione de Perſarum regionibus Conſtantinopolim tranſuexit ad filium ſuum. Quæ S. Euſtorgius cum magno labore, & cum multis vigilijs Dei ope & miſericordia vix ad vrbem Mediolanenſem detulit, & recondidit in eccleſia, quam modo Fratres Prædicatores poſſident & inhabitant: vbi ſimiliter longo tempore laudabiliter à Chriſti fidelibus honorabantur. Eodem tempore idem S. Euſtorgius Archiepiſcopus Mediolanenſis ex deuotione & inſtinctu Spiritus Sancti, & autoritate Apoſtolica, & imperiali multorum corpora Sanctorum collegit, & ad ſuam ciuitatem Mediolanenſem tranſtulit, ſicque collectis multis reliquijs Sanctorum, tandem autoritate præfata tranſtulit cum magna deuotione à Rauenna maximam partem corporis S. Apollinaris primi loci illius Archiepiſcopi, & Martyris, & in Eccleſia Ambroſiana cum iubilo & ineffabili gaudio totius populi vtriuſque ſexus decenter collocauit.*

tranſlatio Mediolanum facta.

& S. Apollinaris.

Sanctorum Regum.

Hactenus Theodoricus Pauli: qui in prologo tranſlationis huius laudat autores & fontes ſuos; è quibus dicta depromſerit, hoc pacto: *Ego Theodoricus Pauli vice-Decanus eccleſiæ SS. Martini & Vincentij de Gorinchem, quæ in literis quibuſdam munimine ſigilli V. Patris & D. Ioannis de Arckel, Epiſcopi Traiectenſis roborata legendo reperi: & quæ corporaliter viſitando reliquias eius in Remagen, & in Sibergh, Coloniæ, & in Duſſeldorp legi, & quæ à venerabilibus perſonis fide dignis audiui, & in veritate comperi.*

fons narrationis huius.

Sed Rauennates repugnare videntur huic tranſlationi: quorum Hiſtoricus Rubeus ſic ſuis vindicat ciuibus corpus S. Apollinaris. *Nouiſſimè*, ait, *quoque anno* 1511. *quarto nonas Aprilis cum Iulius ſecundus Pontifex Maximus Rauennæ commoraretur, Franciſcus Soderinus Baſilicæ* 12. *Apoſtolorum Cardinalis ſacerdos D. Apollinaris oſſa ex ſubterraneo ſpecu, vbi diu latuerant in liberiorem auram educta in monimento ex marmore ſub angiportu maioris teſtudinis ante oculos omnium Rauennatum collocauit.* Quid quod paulo poſt eam Mediolano factam tranſla-

obſtat Rauennatum hiſtoria. *Rubeus lib. hiſt. Rau. p. 217.*

translationem miraculorum fama peruaſerit Italiam, vt Alexandro tertio Pontifice diligenter fuerit Rauennatis S. Apollinaris corpus inquiſitum, etiamque repertum, idem Rubius his teſtetur verbis. *Præerat Archiepiſcopus Rauennatibus Ioannes huius nominis nonus, qui tunc primum Deodato mortuo ſucceſſerat; ob has autem barbarorum excurſiones, & latrocinia, plerique cadauer D. Apollinaris Rauennam ex eo templo importatum ferunt, atque in D. Martini in cælo aureo collocatum, eamque ob rem deinceps ædem illam D. Apollinaris noui titulo vocatam. Sed ij falluntur vt puto: cum ex tabularum Pontificiarum autoritate Alexandri præſertim tertij anno à partu Virginis* 1173. (vndecim annis poſt translationem in Germaniam) *qui ad rem & controuerſiam declarandam tollendamque Hildebaldum & Theodinum Cardinales Gerardo tunc Rauennatum Archiepiſcopo miſerat, ac marmoreis in Claſſenſi æde Apollinaria monimentis ſecus conſtet. Ceterum huic errori & diſceptationi occaſionem præbuit Ioannes hic Archiepiſcopus (qui floruit A.* 850.) *quod Saracenis omnia vaſtantibus, cum vereretur, ne cadauer ſanctum D. Apollinaris raperetur, bina virorum ſanctorum cadauera ſub Apollinaris nomine ad D. Martini in cælo aureo transferenda curauit; cuius etiam rei ſatis argumento eſſe poteſt, quod ijs, quæ ſupra ſcripſimus, Alexandri tertij temporibus, D. Apollinaris oſſa cum tribus laminis ex argento vetuſtiſſimis: in quibus eius D. Archiepiſcopi vita, ſummatim erat ſcripta, reperta ſunt.* Ita Rubius.

duo ſupposititia corpora S. Apollinaris.

Sed demus Iulio ſecundo S. Apollinaris oſſa exhibita: non tamen omnia: nam remanſiſſe ibidem bonam corporis partem noſtrates libenter profitentur: imo poſtea ex ea parte brachium Rauennâ translatum in Hollandiam Gorchemenſes adſeuerant, eamque donationem miraculis illuſtrem latè deſcribit Theodoricus Pauli ex loci archæo. Sed vnde amabo, cum circa annum 850. orta translationis ſuſpicio, non niſi viuente Alexandro tertio (ſub quo in Germaniam erat tranſportatum) Claſſenſes inter ſuburbanos & Rauennates moueri cœpit quæſtio de corpore S. Apollinaris? nonne quia decennio circiter ante maior eius corporis portio cum ſanctis Regibus in Colonienſem diœceſin translata miraculis innumeris celebrabatur? Hoc excitati claſſico Rauennates, ſuum cœperunt Apoſtolum Apollinarem inueſtigare; nec ſine diſceptatione Martinianorum, & Claſſenſium: vtrique ſibi corpus vindicabant, quamuis eductæ laminæ argenteæ pro Claſſenſibus, aſſentiente Pontifice, pronunciarint. Sed tamen neque Rubius, neque alij, quos legi, totius reperti corporis faciunt mentionem.

reſponſio ad Rubium. oſſa quædam ibi relicta.

ob tranſlationem Germanicam Italorum facta inquiſitio apud Claſſenſes pars veri corporis inuenta.

Occurrent nobis Mediolanenſes, negabuntque veteres annales translationis Rauennâ Mediolanum S. Apollinaris meminiſſe: at quia conſtat nihil iſtarum reliquiarum ibi ſupereſſe, poſteriores ſaltem id neglexiſſe videntur: adde quod multas hic & alibi certum ſit in eccleſijs Diuorum inſignes exuuias ſupereſſe: quarum aduentus non dico noſtros hæreticos, ipſos quandoque templorum rectores latet: poſſet tamen quis non temerè ſuſpicari Guidonem Archiepiſcopum Rauennatem Comitis Blandratenſis filium, origine Germanum ſub annum 1166. electum, Cæſarique & Reinoldo familiariſſimum corpus id diſceſſuro in Germaniam donauiſſe, quem norat theſauri talis congerendi cupidiſſimum: meo tamen periculo factum id eſſe primus affirmare non audeo.

Illud exploratum, innumeris ſtatim S. Apollinarem in monte, qui ab eo nomen traxit prodigijs coruſcaſſe, quæ hodieque continuantur, nec annua tantum: ſed menſtrua & pene quotidiana ſunt. Huc peregrinorum multa millia confluxere recurrente anniuerſaria eius ſolennitate, vt ſacelli prioris anguſtijs maxima conuenarum multitudo excluderetur: vnde ſeculo eo exeunte Bruno tertius Archimyſtes circa annum 1193. prægrande lapideum mauſoleum erexit S. Apollinari & Dynaſta vicinus Lanskronenſis ſacelli laxauit anguſtias, ſed non licuit ſacris exuuijs diu quietis illic permanere: Iuliacenſium Dux Wilhelmus inde partem magnam corporis acceptam in collegiatam eccleſiam Duſſeldorpenſem tranſtulit anno 1383. vt talis appenſa teſtatur epigraphe *S. Apollinaris ciuis Anthiocheni Martyris ſub Veſpaſiano Cæſare die* 10. *Cal. Auguſti: eius corpus extra muros ſepultum tandem honorificentiſſimè eleuatur: verum ſub anno* 1383. *præſidente in eccleſia Romana Bonifacio nono, & Imperatore Carolo* 4. *in Duſſeldorpienſi eccleſia tumbæ incluſum*

tranſlatio corporis è monte Duſſeldorpium.

corpus

corpus honestissimè reponitur. Res ea magnos exciuit belli motus: caput cum ossibus pauculis remansit in Remagen perpetuis illustratum miraculis; postea ossium complura concessu Friderici de Zarwerden in lipsanothecam argenteam Siburgensem Abbatiæ sunt transportata circa an. 1460.

Non desijt tamen S. Apollinaris mons capite ipsius hodieque nobilitatus, aduenarum concursu frequentari. Nam an. 1463. Theodoricus Pauli testis oculatus hæc scribit se notasse, primam retexens loci religionem. *Dum cognitum*, inquit, *quatenus S. Apollinaris ibidem in monte S. Martini quiescere, & à Christi fidelibus frequentari vellet, veniebat de die in diem tantus concursus fidelium, vt capella eos capere non posset, claruitque denique & claret quotidie in eodem monte infinitis miraculis, caduci enim vouentes se ibidem visitaturos reliquias S. Martyris statim sanantur. Insuper matronæ imprægnatæ siue partui vicinæ vouentes se cum oblationibus Deo & S. Apollinari prolem parturiendam offerre velle, statim incolumes pariunt: & ideo omni anno in festo S. Apollinaris demtis viris & mulieribus, peregrè veniunt vltra 5. millia puerorum ad ecclesiam S. Apollinaris in oblationibus*. Nostro verotempore 8. 12. quandoque 16. hominum millia confluunt, nec adnotari præ multitudine prodigia possunt. Ideo Romani etiam genuinas S. Apollinaris reliquias ex his locis petiuere: quarum bonam partem collegium Germanicum obtinet: cui tibiam vnam Dusseldorpienses donarunt, vt collegiatæ ecclesiæ liber M. S. his testatur verbis. *In capsa, quæ est desuper rubea, reseruatur corpus S. Apollinaris Episcopi & Martyris sine capite, anno autem Domini 1589. die 6 Martij, ad multas preces clarissimi viri Theodori Horstij Satrapæ huius loci, & collegij nostri singularis fautoris, capsam S. Apollinaris præsentibus Decano & Capitularibus aperuimus, inque ea sericis inuolutas in hoc catalogo descriptas reliquias inuenimus, sed præcipuam partem ossium S. Apollinaris, non tamen omnia in ea contineri vidimus: præterea vt Romæ sanctissimi huius Martyris memoria in collegio Germanico S. Apollinari consecrato cum maiore veneratione colatur, alteram tibiarum cum consensu summi Pontificis & illustrissimi principis iusso ad hoc documento dato, per filium prædicti Horstij Canonicum Treuirensem Romam missimus*. Hæc liber M. S. reliquiarum. Duo postea Româ submissa mihi sunt ex ipso collegio documenta; quibus adseritur è terra ferè Colonienfi, Cliuensi vel Iuliacensi aut confinibus locis partes ossium transmissas esse: prius erat hoc exemplo. *Sunt præterea ossa quinque S. Apollinaris ex Germania ad collegium transmissa, cum publica fide, partim ab Archiepiscopo & Electore Coloniensi, partim à capitulo, & Decano Ecclesiæ B. Mariæ Virginis Aquisgranensis, partim ab Abbatissa monasterij S. Ioannis Baptistæ Porcetensis, diœcesis Coloniensis: partim denique à monasterio Virginum Clarenborgensium in comitatu Montensi: adseruantur autem in capsulis partim argenteis, & deauratis, partim in ligneis quidem, sed elegantissimè auro & argento elaboratis, & in brachio argenteo*. Alterum hæc continebat. *Anno Domini 1586. die tertia Iunij nobilissimus & clarissimus D. Iacobus Curtius, S. Cæsareæ maiestatis intimus cubicularius, à Rodulpho Cæsare ad Sixtum 5. legatus consignauit R. Patri Michaëli Lauretano Rectori V. collegij Germanici & Hungarici sacras reliquias brachij S. Apollinaris. Legato autem prædictæ reliquiæ traditæ sunt à P. Ioanne Viuario Aquensi, Regente collegij Societatis Iesu conuictorum Pragensium: prædicto Patri traditæ fuerant à N. & R^do. D. Francisco Ioss. Legato misso ad Rodulphum Cæsarem Pragam religionis causa ab Illustrissimo Duce Cliuensi*. Atque ita sanctissimi cineres S. Apollinaris per Reinoldum vna cum Sanctis ex Italia in Germaniã delati & infra Remagen in montem S. Apollinaris hodie dictum collocati, inde Dusseldorpiũ, & in vicinas Colonienfis diœceſis ecclesias varias dispersæ sunt: multæ tandem ex ijs Romam, vbi vixerat aliquando, remearunt: quæ fusius attuli propterea, vt natæ his in locis multæ controuersiæ de huius Apostolici Martyris variè distributis lipsanis, componerentur: nam licet constaret vna cum SS. Regibus in Germaniam deuenisse: cui tamen loco primum cessissent, & quando inde communicata essent aliis; in disceptationem vocarunt: de Dusseldorpiensis capsæ spoliatione. Hæc narrat Sebast. Broëlmannus. *Corporis* (Apollinaris) *reliquiæ principum studio ad collegiatam ecclesiam Dusseldorpiensem perlatæ*

miracula tamen continuantur in monte S. Apollinaris.

Romam transferuntur reliquiæ.

a3. *Iulij in menologio Agrippinensi.*

perlatæ, donatæ, & in altari ſummo feretro argenteo deaurato reconditæ ſunt. Sed argento, auro, gemmis eas, vt & BB. Willeicum, Criſpinum, & Criſpinianum coniunctos ibidem bellum, quod per poſtremum Wilhelmum Ducem cum inuictiſſimo Carolo. 5. Patrum memoriam infeliciter geſtum eſt, denudauit: ſericoque tantum veſtijt.

CAPVT XLI.

Vtrum anno 1162. *vel* 1164. *Coloniam deuenerint corpora ſanctorum trium Regum.*

AD dexterum Rheni marginem Erpelenſem Reinoldus ſub veſperum triſtis amiſſo *S.* Apollinari declinarat vna cum ſanctis Regibus in vltima ſtatione: Coloniâ miſſo curſore, Philippum Decanum euocat: interim ante, quam eo ſacra corpora deducamus, quo contigerit anno nobis lis eſt decidenda. Quæ videri poterat tunc definita, eum cuicimus non eſſe tranſlationem à Mediolonenſi excidio ſeparandam; quia tamen donationem corporum Reinoldo factam ab acceptione Conienſium multi ſeiungunt, ſinguli autores cum rationibus ſuis ſunt audiendi. 1. ſent. A. 1158.

I. Sententia Dubrauij & Chronici Bohemici anno 1158. Coloniam delata putat poſt primam Mediolani expugnationem: præſente Vladiſlao Bohemiæ Rege: cui cum dixiſſet à Cæſare coronam auream donatam eſſe ſubdit: *Sed & ceteros Principes pro merito quemque ſuo lautè remunerauit; Archiepiſcopo vero Colonienſi permiſit, vt trium Magorum corpora inde Coloniam Agrippinam deportaret.* 2. 1163.

II. Sententia Auctarij Affligimenſis & Miræi anno ſequenti poſt excidium Mediolanum contigiſſe nimirum an. 1163. idem tenet Bucherius in Chronologia Epiſcoporum Leodienſium, Bernardus Wittius, & ferè ſanctus Antoninus, item Bollandus 6. Ian.

3. 1168.

III. Sententia Crantzii in Saxonia an. 1168. licèt alibi variet. *Annus*, ait, *erat 68. poſt centum atque mille, cum Cæſar Fridericus grauiſſima obſidione vrgeret Mediolanum &c.* hunc ſequitur Palmerius & Meyerus.

4. 1178.

IV. Chronici Saxonici ad annum 1178. reuocat.

Ac hæ quidem erroris facile conuincuntur ex iis, quæ ſupra de anno 1162. expugnati Mediolani fuſius ſunt diſputata: ideo V. Sententia communis multorum eſt an. 1164. contigiſſe.

5. A 1164.

Duplicis generis autores hanc ſequuntur: primi, quod tunc putent Mediolanum eſſe exciſum: eos c. 17. nominaui: quibuſcum ferè Leodienſes faciunt, qui primo promiſſa volunt eſſe ſacra corpora Epiſcopo Leodienſi, eoque defuncto ceſſiſſe Colonienſibus. Alij biennio poſt excidium Mediolanenſe volunt contigiſſe: pauci eorum ſunt: & hoc veniunt loco confutandi.

Godefridus Pantaleonita.

Primus eſt Godefridus Pantaleonita. Is anno 1162. ponit euerſum Mediolanum: ſed ad an. 1164. hæc memorat. *Interea Reinoldus Colonienſis electus cum Imperatore in Italia degens, audito huius lætitiæ & victoriæ nuncio, impetrata ab Imperatore licentia cum integritate eius gratiæ redijt, acceptis ab eo pretioſiſſimis muneribus, trium ſcilicet Magorum.*

Chronicon M. Belgij. Siero. Sigonius.

Deſcribit idem verbis pene iiſdem Chronicon M. Belgij, conſentit Stero, Sigonius, & Chiffletius ſupra nominatus, & inſcriptio Gamundienſis.

Ratio duplex pro his facit, prima: nam ægrè videtur Reinoldus capto Mediolano potuiſſe recedere ab Italia: cum conſtet eum initio Iunij Cæſari adfuiſſe, & paulo poſt Francica functum eſſe legatione: deinde biennium Italiam abſente Cæſare gubernaſſe. Altera ratio, quia anno 1166. 8. Kal. Martij Noueſianis ita ſubſcribit literis: *Primo Pontificatus anno, dum Coloniam Deo dante ſecundo ab Italia remeaſſemus*: At ſi iam Coloniam vna cum ſanctis Regum corporibus reuertiſſet, cum poſt Papienſe conciliabulum conſtet eum prima vice eo redijſſe: tertiæ vices erunt reditus tempore ſubſcriptionis. rationes pro 5. ſententia.

Nihil-

6. verior sententia an. 1162. autores pro ea.

Nihilominus verosimilior reliquis allatis sexta est sententia eodem excisi Mediolani anno 1162. Coloniam sacra corpora peruenisse: id expresse qui tunc viuebant, docent Dodechinus, Otto à S. Blasio, Neubrigensis, consentit traditio Lucernensium & Brisacensium item Vincentius Beluacensis, Siffridus Presbiter, Martinus Polonus, S. Antoninus, Philippus Bergomas, Tritthemius, Compilatio Chronologica, Albertus Leander, Wilhelmus Heda, Martinus Crusius, Abrahamus Bucholcerus, Vincentius Regius verba eorum vide C. 52. 53. 54. 55. 56.

Cum his sentit postremæ correctionis Breuiarium Colonienſe. *Itaque*, inquit, *Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis, sacra pignora ab Imperatore postulata Coloniam per probatæ fidei viros transmittit A.* 1162. *supra millesimum.*

Adstipulatur his verbis Browerus noster: *insequens annus* (1162.) *translatis ex Italia sacris trium Regum corporibus Coloniam Agrippinensem oppido quam illustrauit.* Trahi huc potest sententia, quæ facit A. 1163. contigisse: nam cum circa Pascha alibi nouus annus inchoaretur, videri potuit A. 1162. contigisse Mediolani euersio exeunte anno precedente: at sequente inchoato translatio accidisse.

rationes.

Ratio persuadet idem: quia anno 1164. mense Iunio Cæsar in Italia Reinoldo præsenti contulit beneficiarias possessiones: ibidem de parta Colonienſium victoria cognouit, nec nisi cum Cæsare Martinalibus redijt Bambergam ad comitia de pace Colonienſes inter & Cæsaris germanum sancienda, quomodo enim is mense Iulio per armatos hostes eorumque terras vna cum turma & tanto cum thesauro, cui inhiabant penetrare saluus potuisset? quæ clarius ex dicendis apparebunt.

Satis fit aduersariis.

Nec obstant allatæ duæ rationes. Commodè enim Reinoldus à 12. Iunij ad 22. Iulij vsque citatis equis Papiâ peruenit ad montem S. Apollinaris: & ea diuertit nocte ad oppositam Rheni ripam Erpelensem, nec Coloniam peruenit: sed postridie redijt ad Cæsarem, per cursorem Philippo ad se Coloniam euocato.

CAPVT XLII.

Philippus Heinsbergensis Decanus sanctos tres Reges, cum alijs Diuorum reliquijs defert magna celebritate Coloniam, qui in ædem Metropolitanam religiosè transferuntur.

Philippo commendatur translatio.

VRGEBAT Reinoldum reditus ad Cæsarem, ac indicta prope Vesuntionem comitia: & Colonia iam venerat ipso S. Apollinaris die Philippus: cui thesaurum sacrum iam extra periculum constitutum credidit, ac in mandatis dedit, vt tam sanctorum Regum, quam Naboris & Felicis corpora ad Metropolitanam transferret ecclesiam: de sanctis Machabæis alias constituturus. Consignatis ergo Philippo sacris exuuijs, cum se, totamque Archidiœcesin suam nouis illis Diuis tutelaribus, & iter suum magna religione commendasset, cum suis in Burgundiam recta contendit *His completis*, ait, de eo Ioannes de Leidis, *Episcopus festinus ad Imperatorem Mediolanum rediit*. Aderat Decano proximo Reinoldi successori Philippus Osnaburgensis antistes, vt his insinuat verbis Crantzius. *Vidit hic Pontifex tempora Friderici primi Imperatoris, vidit sanctorum trium Magorum in ciuitatem Colonienſem deportationem opera Reinoldi de Dassel Archiepiscopi*: qui ex Erpelensi statione postrema fundo Metropolitani collegij Colonienſis hodieque tribus ideo coronis & S. Petri subiecta effigie ex eo insignito, in naues sanctissimas reliquias intulerunt, & cum ijs Coloniam remigarunt. Hoc sensu Irenicus per Philippum ait Coloniam deportata sacra lipsana.

Reinoldus redit ad Cæsarem

Ioannes de Leidis l. 18. c. 3. in Chron. Crantzius, l. 6. met. c. 34.

Irenicus lib. 3. exeg. Ger. c. 36.

Interea nocte præcedente, & diei illius horis antemeridianis ciuitas Colonienſis occupata, vias omnes per quas sacerrimus ille thesaurus in ædem principem erat inferendus, herbis & floribus vestiebat: frontes domorum & parietes aulæis exornabat

bat: aras in compitis ad certas habendas ſtationes, pro excipiendis, deponendis & piè honorandis corporibus ac ſuccollatoribus variandis excitabat.

Ea tempeſtate ciuitas quadrata forma murorum exiguo cinctu ſat frequentes incolas coarctabat, quam collegiatæ multæ Eccleſiæ cum monaſterijs ſuburbanis in orbem decenter coronabant extra pomerium, ſed illas ipſas baſilicas, vt octodecim poſt annos ampliſſimis cingerent mœnibus bellorum ab hoſtibus ob ſanctos allatos Reges nata pericula, aduenarum multitudo & auctæ paulatim ciuium opes perſuaſerunt: ſub meridiem igitur tam clerus vrbicus, quam ſuburbanus, Archidiœceſis equeſter ordo: ciues, omnis ætatis, ſexus & conditionis homines effuſi portis ad litus Rheni confluunt: hunc alterum vrbis natalem priore tamen auguſtiorem feſtiuis gaudijs cum inſigni pietate & religione celebraturi. Iam tum diuina bonitas animos ciuium auxilijs efficacis gratiæ præparabat, vt accedentibus nouis tutelaribus & præſidibus aptiores eſſent ad auctum cœleſtium donorum recipiendum, quæ iam ijs Deus tantorum diuorum ſexus ſuffragijs & deprecatione largiri cupiebat.

ſitus & figura Coloniensis ciuitatis eo tempore.

cleri & ciuium pietas.

Ipſos opinor cœlites vrbis patronos Vrſulanam ſodalitatem (cuius honori propagando ciues in ſeptimum annum relictis officinis & rei familiaris augendæ neglecto ſtudio totos ſe dies occupabant eruendis è terra ſanctis corporibus, intenti) tot inquã millia virginum, tot ſanctiſſimos Præſules, Reges potentiſſimos & dynaſtas fortiſſimos omnes Chriſti ſtrenuos pugiles & teſtes his primitijs Gentium obuiam proceſſiſſe, ſuis vt illos ſedibus nouos exciperent hoſpites, & ex hac arce religioſiſſima pariter & firmiſſima deinceps pro Germaniæ ſalute & tutela ſimul excubarent.

Iam in conſpectum nauis venerat auſpicatiſſima: omnes mixtis lacrymis, quas vehemens cordis gaudium exprimebat, votis, lætis cantibus & vocibus ſalutant ſanctiſſimos cineres, & accenſis funalibus operiuntur. Exſpectabant paratis feretris ornatiſſimis linteati ſacerdotes, ſacrum onus ſuccollaturi: nemo vnus aderat, quin pars eſſe deſideraret tantæ celebritatis, & triumphi. Aucta vehementer ea pietas eſt, cum applicatis litori nauibus educti ſacri loculi regia lipſana diuoſque præſentes exhibebant; omnes credo flexis humi poplitibus, aue ſanctis Regibus cecinisſe, & feſtiuis canticis donum incomparabilis pretij, quaſi cœlo delapſum, & piè veneratos, eſſe, & medullitus ſalutaſſe. Tum adornata ſupplicationis pompa, præcedentibus crucibus & vexillis S. Benedicti Religioſos tam Pantaleonitas, quam Martinianos tunc inſulanos & Tuitienſes, cum illuſtri clero ſacras exuuias præceſſiſſe: mox ſacerdotum humeris 7. Machabæos veteris inſtrumenti Martyres cum Saloma matre deportatos: inde duos alios nouæ legis fortiſſimos pugiles Naborem & Felicem & S. Vitalem, quem eodem tempore tranſlatum eſſe arbitror: denique tribus diuerſis loculis ſinguli ſanctorum Regũ diuerſis in feretris (vt in antiquis picturis cernere eſt) geſtatos à presbyteris reor: quos Oſnaburgenſis Epiſcopus Philippus Pontificalibus ornatus piè ſequebatur cum illuſtrium perſonarum totius Archidiœceſis, magiſtratus, ciuiumque frequentiſſimo comitatu: quam pompam breuiter ita deſcribit Ægidius *Qui nimirum exſultans tam Reges, quam Martyres per honeſtas perſonas Coloniam tranſmiſit: quibus apropinquantibus tota ciuitas obuiam ruit, tam clerus, quam populus, vterque ſexus, omnis ætas, cum hymnis & canticis, & theſaurum ſibi cælitus miſſum in Eccleſia S. Petri depoſuerunt.* Et coæuus auctarij Affligimenſis ſcriptor: *corpora trium Magorum à Reinoldo Colonienſi electo translata ſunt cum magno gaudio & exſultatione, totius prouinciæ proceſſione mirabiliter ordinata, ciuitati Colonienſi illata & in Eccleſia S. Petri repoſita ſunt.* Nondum ea Petrini templi moles erecta erat, quam iam mirantur omnes: ſed longe minor, auguſta tamen Baſilica, quam Hildeboldus Cæſare Carolo M. conſtruxerat: in hanc piè & religioſè theſaurum intulerunt. Nouos vrbis & Germaniæ Patronos obteſtati, hanc ſibi perpetuam vellent ſtationem, è qua Chriſto venturo iudici redanimatis ſacris oſſibus occurrerent, clerum populumque in fidem & clientelam reciperent, ab inimicis animi corporisque tutarentur: vt quibus adeſſe ſuis vellent in exilio corporibus, cuperent in patria ciues agnoſcere regnió; cœleſtiſtis coheredes. Dies poſtea complures dati feſtiuis gaudijs & Diuorum imprecationi nec ſine prodigijs.

aduentus SS. reliquiarum.

Ægidius to. 2. Ep. Leod. c. 45.

templo S. Petri inferuntur.

CAPVT XLIII.

De SS. Martyribus Nabore & Felice vna cum SS. tribus Regibus Coloniam translatis.

duplex natalis dies Coloniæ.

MERITO natalem duplicem agnoscere potest Colonia, non illum sanè, quando conditore Agrippa circa natalitia Deiparæ fuit idolorum cultui iactis primis fundamentis mancipata: sed prior quidem quando candidus ille Sodalitatis Vrsulanæ cœtus an. 237. die 22. Octobris Vrbem sanguine suo purpuratam Deo consecrauit: alter 23. dies Iulij effulsit longè beatior an. 1162. quo præter SS. tres Reges alij veteris & noui testamenti Martyres illati Coloniam sic nominis sui fama; pomœrio dilatato, ciuium frequentia, ædificiorum & basilicarum magnificentia, opum & cunctarum rerum affluentia paucos intra annos amplificarunt, vt quintuplo nunc illa vetere auctior, inferioris Germaniæ metropolis rectè censeatur; quam gloriam cum potius pietate Diuorumque veneratione maiores sibi, quam humanis viribus & adminiculis pepererint, & posteris integram consignarint, decet ab ea nunquam seros nepotes degenerare: præter Reges igitur inclyti duo martyres Nabor & Felix huc eodem tempore & naui appulerunt: quorum cum SS. Regibus coniuncta translatio, & locupletissimis testibus roborata, confirmat SS. Regum Mediolano factā translationem.

testes huius translationis. *Bernardinus Corius. Rpamontius. Philippus Bergomas. Bossius. Melchior Inchofer. Godfridus.*

Bernardinum Corium, & ex eo Ripamontium Mediolanenses ac Philippum Bergematem laudaui cap. 27.

Tristanus Calchus Mediolanensis ita scribit: *Quorum excellentiæ admonitus Reinoldus Præsul ea simul & ossa Naboris & Felicis quarto idus Iunij sustulit, & in suæ diœcesis metropolim transtulit, vbi adhuc summa veneratione populorum coluntur.* Citat Melch. Inchofer Bossium pariter Mediolanensem his verbis: *Eodem anno translata etiam esse in Germaniam SS. Martyrum Naboris & Felicis corpora: quemadmodum idem aduertit Bossius.*

Godefridus Pantaleonita sic narrat. *Interea D. Reinoldus Colonienſis electus cum Imperatore an. 1164. in Italia degens rediit, acceptis ab eo pretiosissimis muneribus, trium scilicet Magorum corporibus, duobusque Martyribus Nabore & Felice, qui cum prædictis Magis apud Mediolanum venerabiliter reconditi erant: itaque cum præfatis & illustrissimis donis in vigilia B. Iacobi Coloniam ingressus gloriosè & magnificè suscipitur.* Chronicon M. Belgij. *Necnon duorū Martyrum videlicet Felicis & Naboris, qui in eadē ciuitate passi fuerant pro Christo, cum quibus venerandis reliquijs in vigilia B. Iacobi Apostoli gaudio & exsultatione omniū gloriosè Coloniā aduenit,* &c. Similia habent Ægidius, Chronicon Colonienſe, documentum Brisacense, Gesta abbatum S. Laurentij: & vterque M. S. liber de Episcopis Leodiensibus & alij citati vel citandi, Horariæ Lectiones Colonienses sic referunt. *Quorum corpora noctu sublata, & aromatibus respersa, quædam matrona Christianæ nomine Sabina primum in suo prædio sepeliuit; deinde Mediolanum deferenda curauit; vbi in magno honore aliquandiu etiam tempore S. Ambrosij Episcopi, vt in eius vita testatur Paulinus sunt habita: quæ tandem capto à Friderico Mediolano Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis muneris loco ab Imperatore accepta simul cum SS. Regum corporibus Mediolano transtulit Coloniam, vbi etiamnum in Metropolitana ecclesia magnifico sacello cum summa populi veneratione quiescunt.* Scio Sigebertū velle anno 764. S. Naborem à Chrodogando Episcopo translatum in Gallias, & in Hilliriaco conditum: quod tamen de parte quadam accipi potest, vel de alio.

Chronic. M. Belgij.

Ægidius. Chronic. Colonienſe. documentum Brisacense. gesta Abbatum S. Laur. M. SS. de Epis. Leod. Breuiarium Colonienſe.

obiectio.

CAPVT XLIV.

Reinoldus reuertit ad Cæsarem: res eiusdem gestæ in Burgundia, Francia & Italia anno 1162.

Cæsar capit vrbes Italiæ.

ADiscessu Reinoldi in Germaniam Cæsar mense Iunio Bononiam venit, ciuitas clade Mediolanensium territa Iurisconsultissimos Cæsari percaros mittit obuiam: placatus horum deprecatione, transegit

cum

um ciuitate. Inde Imolam, Fauentiam, reliquasque ciuitates pariter accepit deditione; compositisque rebus Italiæ comperto receptum in Francia perhonorificè Alexandrum Pontificem Maximum: contendit in Burgundiam, euocatis eo quatuor Europæ Regibus cum Episcopis. Taurini Pisanos inter & Genuenses inducias pactus ad reditum vsque Alpes transgreditur: vbi Reinoldus eidem occurrit. venit in Burgundiam.

Iamque Waldemarus Daniæ Rex in Sequanos vsque peruenerat, qui Saxoniam emensus per Treuiros iter habuit, Metenses expertus minus hospitales, tandem ad Cæsarem venit, vt Saxo Grammaticus narrat. *Quo*, inquit (Waldemaro) *Curiam ingresso Præses Saxoniæ Henricus veteris amicitiæ recordatione castra sua maiori ex parte eius aduentui cessit, hospitalitatemque ei suis sumtibus erogauit. Die postera Absalon cum Rodulpho missus apud Cæsarem Latinæ vocis admodum rudem per interpretem Coloniensis antistitis mandata prosequitur. At Cæsar inprimis moram Regis tarditatemque causatus, iniuriosum quod ante non venerit, aiebat.* Subdit deinde Reinoldi zelum non secundum scientiam pro Cæsare, quem nimium fauor imperatorius à sana mente deiecerat. *Post hæc*, ait Saxo, *Reinoldus Coloniæ vrbis antistes religionis causam dicere adorsus, quanto iniuriæ pondere Romani Imperatoris æquitatem Prouincialium Regum temeritas attentaret (ita fugillans Reges Francorum, & Anglorum) argumentando demonstrare pergebat. Nam si controuersiam in eorum ciuitatibus de Pontificatu ortam Cæsar suis suffragijs finire vellet, haud dubium id grauium iniuriarum loco ducerent, cum ipsi simile in vrbe Roma perpetrare conentur.* (ô malum malæ causæ firmamentum) *quam assertionem tam validо rationis præsidio subnixam putauit, vt nunc Latialiter, nunc Gallicè, Germanicèque fando ternis actionem vocibus iteraret. Sed quantum hac oratione gentis suæ fauorem illexit, tantum nostræ suffragia deturbauit.* zelus indiscretus Reinoldi pro Antipapa ad Regem Daniæ.

Videas Reinoldum quasi linguam & os Cæsaris omnia proponere, suadere, perurgere: vtinam in imperatorem, & causam meliorem illud ingenium incidisset. Qui vt alias ad Regem Angliæ missus à Cæsare, sic ad Daniæ Regem ad schisma pelliciendum, & post paulo ad Regem Franciæ legatus amandatus est; responsum tamen tunc tulit Rege Christianissimo dignum, quale dicta Cæsaris ore Reinoldi prolata merebantur. Rem vt gesta, sic acta narrant Alexandri. *Vnde quia ipse Imperator nec moram ibidem facere, nec malum, quod in corde gestabat poterat exercere, occasionem recedendi ab illo honestiorem quam potuit celeriter studuit inuenire. Igitur per Reinoldum Cancellarium & alios fautores suos egregio Regi Francorum locutus est in hæc verba.* Mandat vobis D. noster Fridericus Imperator Romanorum, *& specialis Romanæ Ecclesiæ aduocatus, quod ad nullos Ecclesiarum prælatos de causa electionis Romani Pontificis iudicium ferre pertinet, nisi ad eos tantum, qui sub Romano Pontifice existunt, ideoque bonum videtur & iustum, vt cum Episcopis & clero vestro ad eundem imperatorem tanquam amicum vestrum & socium accedere, & illius sententiam audire debeatis.* Quibus verbis auditis Rex modicum subridens respondit ei in hunc modum: *Miror prudentem virum vana mihi & fabulosa verba misisse, an ignorat prædictus Imperator, quod D N. Iesus Christus cum esset in terris B. Petro, & per eũ vniuersis successoribus eius oues suas pascendas commisit? nonne audiuit in Euangelio ab eodem Dei filio eidem Principi Apostolorum dictum: Simon diligis me, pasce oues meas. Nunquid sunt hic Francorum Reges vel aliqui prælati excepti? an Episcopi regni mei non sunt de ouibus, quas filius Dei B. Petro commisit? & his dictis vertit habenas equorum cum contemtu, & statim ad arma cum Baronibus, & reliqua militia sua consurgunt, & debiliora regni sui loca muniunt.* eiusque legatio ad Regem Franciæ.

Hoc facto Luduicus Rex Franciæ causã ecclesiæ, legitimique Pontificis egregiè tutatus est, cuius equi frenum tam ipse, quam Rex Angliæ dextra læuaque apud Tociacum super Ligerim pedites tenuerunt; sic functi stratorum officio pacem inter se & fœdera sanciuerunt. vide *Baron. to. 12. ad A. 1162.* oratio eius ad eundem. egregia & Christianissimo Rege digna responsio.

Hac re Cæsari nunciata, cum res aliter, ac sperarat ipse contigisset, irâ succensus Victorem & Reinoldum Colonienſem ad res moderandas in Italiam ablegauit: ipse reuertit in Germaniam: vt res imperij multum absentia sua perturbatas, *Robertus de monticin Chronica.* Reinoldus legatur in Italiam.

turbatas, præsertim Moguntinensis archidiœcesis negotia componeret. Vnde si non Reinoldus mense Iunio Iulioque sanctos Reges in Archidiœcesin suam inuexisset, cum initio Septembris redux in Burgundia, quæ dicta sunt gesserit, functusque sit legatione Francica & adulto Autumno redierit in Italiam, biennium ibidem ferè commoratus, non potuisset eo vel sequenti anno, neque tertio circa Iulium sacra corpora Coloniam deportare.

CAPVT XXXXV.

Anno 1163. *vltimo Maij capita 7. Machabæorum, & matris Salomæ cum sacris cineribus solenniter in templum, quod nunc Machabæorum dicitur, transferuntur & annis 70. post nomen ab ipsis locus mutuatur.*

an. sequenti delati ad montem Magdalenæum SS. Machabæi. C. 31. causa dilationis.

REDITVM hactenus fuit eodem anno sanctorum Machabæorum, quo SS. Regum translationem esse celebratam. Vt concesserim vna Coloniam venisse, solenniterque cum ijsdem in vrbem succollantibus clericis delatos fuisse, certè in basilicam, in qua quiescunt hodie non nisi vertente anno sunt deportati vltima Maij, cum sanctorum Regum festiua translatio 23. Iulij, qua contigit, annuè celebretur. Id dissertis affirmant verbis M. SS. libri archiui Machabæitici his verbis. *Quod & sic magna cum omnium congratulatione factum esse constat vltimo mensis Maij die anni sequentis, simul ac Coloniam venerunt.*

Causa exspectationis decem mensium exquiritur: nec difficilis: vidimus supra sanctos Machabæos certo cœnobio virginum à Reinoldo Papiæ commoranti destinatos esse: cum quo soror Reinoldi antistita basilicæ Vrsulanæ litigabat de agri Vrsulani possessione; vt cederet hoc nomen alteri basilicæ, & à sanctis Machabæis deinceps cœnobium & templum appellaret. Res ea confici tam cito non potuit, mansere itaque decem menses depositi SS. Machabæi, Philippus tamen decisa nondum controuersia, tunc in Italia Reinoldo vices imperatoris gerente & annuente sequenti transtulit anno. Idem Philippus cum Reinoldo successisset Metropolita, contra quam decessor statuerat templum idem à Solino septingentos ante annos erectum in monte Magdalenæo primus S. Vrsulæ consecrauit. Postea S Engelbertus cum Reinoldi consilium approbasset, chorum eidem adiecit templo, quem ad SS. Machabæorum honorem voluit dedicari: sed martyrium eius pium interuertit desiderium: quod demum confecit Martyris successor Henricus Mullenarck cum parricidale facinus Ilenburgici comitis extremo supplicio vindicasset, quod necem Episcopo & cognato propter immunitatis Ecclesiæ susceptam tutelam intulisset; & ideo propter insidias hostium ad tempus publico abstineret. Is Ioanni Mitilenæo Cyprienſi sedis Apostolicæ legato commisit, vt aram principem, & ipsam ecclesiam SS. Machabæis consecraret: literas commissionis perantiquas ex Archæo depromtas mecum antistita loci communicauit adiectis alijs, quibus ratas habuit collatas indulgentias: vt & hinc translatio SS. Machabæorum confirmetur.

Philippus consecrat templum S. Vrsulæ contra Reinoldi consilium.

Henricus Mullenarck præfert Reinoldi consilium.

COMMISSIO CONSECRATIONIS SVMMI ALTARIS SS. Machabæorum & ratihabitio datarum indulgentiarum.

HEnricus Dei gratia sacræ Colonienſis ecclesiæ Metropolitanæ Archiepiscopus, vniuersis Christi fidelibus, quorum conspectui præsens scriptum fuerit oblatum, salutem in Domino. Ad obliuionis confusionem euitandam vniuersorum notitiæ cupimus declarari, quod cum nos circa diuersa & ardua Ecclesiæ nostræ negotia essemus occupati, vices nostras V. Fratri Ioanni Episcopo Mitilenensi tunc Coloniæ existenti, quantum ad consecrandam Ecclesiam SS. Machabæorum commisimus. Idem verò Episcopalis consecrationis solennitate facta, singulis annis in perpetuum à die consecrationis eiusdem Ecclesiæ videlicet sexto Kal. Octobris per quinque singulos dies 60. dierum indulgentiam omnibus dictæ Ecclesiæ dedicationem quærentibus, autoritate D. N. Iesu Christi relaxauit, quam consecrationem, & indulgentiam

consecratur ad honorem SS. Machabæorū.

gentiam ab ipso factam ratam habemus, & sigilli nostri munimine confirmamus: specialiter etiam vobis Pastoribus, & vicarijs in diœcesi nostra constitutis mandamus, vt cum à nuncijs dictæ Ecclesiæ requisiti fueritis, eandem indulgentiam subditis vestris significetis. Datum Coloniæ A. 1232. mense Octobri.

Ac legatus quidem Apostolicus tunc cum aram principem consecraret, reliquiarum SS. Machabæorum aliquam partem eidem imposuit, præcipuos verò eorum cineres arcæ cuidam decenter inclusit: adiecit literas: quibus & testaretur ea germana esse SS. Machabæorum lipsana, & quæ circa eorum translationem euenissent, hocque loco fusius sunt enarrata distinctè continebantur.

Trecentis fermè post annis, cum Helias sanctimonialium loci secretus arbiter conscientiæ templum incendio deformatum instauraret, & tabulam aræ principis loco dimoueret hanc reperit inscriptionem.

inscriptio altaris primarii.

Anno 1228. incarnationis Domini 7. Kal. Octobris dedicatum est monasterium istud, & hoc altare à V. Ioanne Mutelensi Archiepiscopo, in honorem S. Mariæ Virginis, & SS. Machabæorum, & SS. Petri & Pauli, & aliorum Apostolorum, & S. Michaëlis, & omnium Sanctorum.

Visebantur adiectæ literæ, quibus iam dicta narrabantur. Vnde Helias SS. Machabæorum cultus promouendi succensus ardore, lipsanothecam prægrandem æneam inauratis vestitam laminis curauit faberrimè elaborandam: in qua præter inclusos sacco sacros eorum cineres octo capita septem nimirum filiorum & ipsius Salomæ matris continentur tali incisa epigraphe: *Archiepiscopus Reinoldus huic Vrsulæo agro attulit anno 1164 septem Machabæorum corpora, saluatoris nostri Passionem, ac D. Salomonæ matris eorum B. Mariæ dolores præfigurantium.*

lipsanotheca grandis SS. Machabæis elaboratur. inscriptio eius.

Huius etiam Heliæ studio prodijt anno 1517. Martyrium SS. Machabæorum ab Erasmo Roterodamo rogatu Heliæ è Græco in Latinum idioma versum, cui subijcitur his verbis translatio. *Certum est horum Fratrum Machabæorum reliquias à B. Helena Constantini imperatoris matre Byzantium esse aductas: inde ab Eustorgio præsule Mediolanum, postremo Reinoldi Archiepiscopi Colonensis opera Mediolano Coloniam anno à Christi natiuitate 1160. (rectius 1162.) vbi nunc in collegio ipsorum Machabæorum nomine insigni magna veneratione habentur.* Consentiunt antiquæ quædam Vsuardi additiones. *Pridie Kalendas Iunij apud Coloniam Agrippinam translatio sanctorum Machabæorum Martyrum, quæ anno incarnationis Dominicæ 1164. à D. Reinoldo Archiepiscopo Coloniensi facta est.*

testimonia translationis.

Vulgatæ sunt initio seculi superioris reliquiæ templi huius Machabæitici ac SS. Machabæorum iconi adiecta talis est inscriptio: *Ager cruoris vndecim millium virginum, nunc Ecclesia SS. Machabæorum in Colonia dicata. Item dat præsul Reinoldus Machabæis sedem.*

Magdalius Iacobi Dominicanæ familiæ religiosus centum & pluribus abhinc annis ita translationem eorum versibus cecinit.

Corpora marmoreis locat Antiochia sepulcris
Clauigero Cephæ, quæ dedit ante thronum,
Inde salutiferis vbi Constantinus in vndis
Membra dedit famulo Christe pianda tuo
Ossa peregrinas Helenæ pia vexit ad oras,
Laus Byzantini magna decusque soli:
Hinc ea Bistonijs Eustorgius abstulit aruis
Et Mediolani contumulanda dedit
In paulo factus sed vbi Fridericus habenis
Imperij sumtis orbe monarcha fuit,
Strenuus horrisonis præsul Reinoldus in armis,
Inde ferens Veijs credidit illa locis.

Obstare videtur talis Romana in D. Petri ad vincula altari primario apposita inscriptio. *Hic septem Machabæorum corpora sacræque D. Petri catenæ adseruantur.* Ideoque ritu duplici secundo Augusti festum eorum celebratur, vt ad me perscribit Roma Valentinus Mangionius. Libenter Colonienses Romanis cedunt omnia corporum ossa, adeoque ipsa corpora: nullum eorum hic dici-

sint nec mæ corpora SS. Machabæorũ.

quidem inuocata tam sterilibus parentibus, quam parturientibus patrocinatur: filij vero pestifera lue, morbo caduco & cephalia conflictatis medentur suis precibus, vnde versus isti veteres.

Hæc Salamona grauem soluit conceptibus aluum,
Et steriles vteros fertilitate fouet.
Hi subitæ occurrunt pesti, morboque caduco
Ægrotisque caput robore firma parant.

Serarius in Machabæis.

Iure igitur Serarius has Machabæiticas reliquias Colonienſibus vindicat & Erasmi testimonio confirmat. *Eorum reliquiæ, ait, die illo citato Martyrologium Romanum Romam translatæ in Ecclesia S. Petri ad vincula conditæ fuerunt: sed Coloniæ Agrippinæ cœnobium virginum est & Ecclesia, quæ olim B. Magdalenæ, nunc ab annis iam 400. Machabæorum dicitur: in cuius altari summo capsa deaurata, & in ea 7. istorum Machabæorum & matris capita visuntur, quæ quidem eius loci liber (ab Helia illo Mercæo, qui anno Domini 1504. templum istud ea forma & venustate, qua hodie stat, restituit, cuique correctum à se Ioseph de Machabæis libellum Erasmus dedicauit è Patribus, & annalibus varijs concinnatus) refert Antiochia primum translata Constantinopolim, deinde ab Eustorgio Mediolanensi Episcopo Mediolanum: hinc verò ab Archiepiscopo Coloniam, cum scilicet an. 1160. Mediolanum iterum obsedisset Fridericus Imperator. Et narrat eadem pluribus Mersæus Cratepolius in Archiepiscoporum Colonienſium annalibus, fol. 9. & sequentibus. iterumque fol. 63. Hinc enim istæ ad Heliam illum Erasmi voces. Equidem isti collegio multis alijs quoque nominibus celebri, tamen hoc præcipue gratulor, quod illi tam insigni thesauro locupletari contigit. Quin magis vniuersæ Coloniæ Agrippinæ magnopere censeo gratulandum, vbi tot modis felici, verum haud alio titulo feliciori, quam quod vna tam multa tamque eximia pietatis pignora gremio suo complectitur; felicior etiam futura, si quorum seruat reliquias, eorum virtutes exprimat, & quorum possidet corpora, ab horum moribus non sit aliena: nimirum si trium Regum pietatem sinceritate religionis imitetur, si vndecim millium Virginum martyrio dignam puritatem vitæ sobrietate æmuletur; si fortissimos adolescentes Machabæos, & inuicti pectoris viraginem animi infracti constantia referat.* Et in comparatione Virginis & Martyris quam an. 1514. ad eiusdem loci sacratarum Virginum cœtum scripsit. *Hæc, ait, eo repeto charissimæ virgines, vt perspiciatis, quam felix sit vestrum collegium, cui contigit vtrumque possidere, quod diues illa Christi sponsa Ecclesia, præcipuum habet in suo mundo. Seruatis enim fragrantissimas illas rosas, 7. Fratrum Machabæorum, ac matris, cuius fecunditas, non marito genuit, sed Deo. Feliciter quidem illa sarsit virginitatis iacturam, tot filiorum virginum martyrio: non genuit virgo: nam id vni feminarum datum est; sed virgines genuit, & Martyres: virginitatis exemplum ex se præbere non potuit, sed quod potuit studio præstitit, ad virginitatem instituit filios, ad martyrium cohortata est, præcessura quoque ni metuisset teneræ suorum ætati. Itaque virginitatis gloria non contigit matri cum filijs: sed in martyrij negotio tanto maior est laus matris, quod spectatrix crudelium suppliciorum in singulis filijs passa est quidquid in illorum corpora potuit carnificum crudelitas: hoc fortius est, quam semel supplicijs finire dolorem. Parentes atrocius torquentur in liberis, quam in seipsis. Nouit & tyrannorum ingeniosa crudelitas, qui quod tormentis extorquere non possunt à parentibus extorquent tortis in conspectu illorum filijs. Toties videt delacerari sua viscera, & mulier & mater: vbi hic sexus imbecillitas? vbi pietatis affectus? qui in matribus solet esse, quam in viris impotentior? nimirum pietas in Deum superauit pietatem humanam, & sexus imbecillitatem vicit ardor fidei. Salue felicissima virago, quæ viris omnibus exemplum fortitudinis dedisti: Salucte flosculi bellissimi ecclesiæ, qui veluti præcones præueniſtis ver Euangelicum, & ante prodiitum Euangelium præstitistis Euangelicam virtutem: nondum erat audita vox eius, qui virgo natus est ex Virgine, Beati qui se castrauerunt propter regnum Dei: & tamen hanc laudem vos occupastis. Nondum erat auditum, qui vult meus esse discipulus tollat crucem suam & sequatur me. Vos tanquam prodromi Christum passurum ad-*

constantia martis.

amor castitatis.

& patiendi.

adumbraſtis: atque animæ quidem veſtræ nunc in cælum ſequuntur agnum, quocunque ierit, ceterum illibata veſtra corpora, quæ vt habuiſtis ſocia ſuppliciorum, ita recipietis olim in æternæ felicitatis conſortium: non decuit alibi ſeruari magis, quam in ſancto virginum collegio. Nunc ad vos ô virgines huius tanti theſauri cuſtodes mea ſeſe vertet oratio. Habetis in ijſdem adoleſcentibus & caſtitatis exemplum, quod imitemini, & martyrij lauream, quam prædicetis: glorificantes ſponſum veſtrum, qui certauit in illis, qui vicit in illis, qui triumphat in illis. Habetis in eodem calatho lilia mixta roſis, vtrumque decus cum altero certat; nec alterum tamen ab altero obſcuratur, ſed vtrumque alterius acceſſione fit illuſtrius: velut cum ebur, vt ait ille, corrumpitur oſtro, aut cum gemma candens includitur fuluo auro. Quod vero libro de locis Hebraicis miratur Diuus Hieronymus fuiſſe Machabæorum reliquias Antiochiæ aliquando oſtenſas, id non ad iſtos Machabæos ſed ad Iudam eiusque patrem & fratres pertinet. Huc vſque Serarius: Schultingius in ſua bibliotheca adſtipulatur his. *Idem*, inquit, *Reinoldus eodem anno tranſtulit etiam Coloniam corpora SS. Machabæorum, vt circa eorum tumbam videre licet.* Prolixè Sauſaius in martyrologio Gallicano ſic tranſlationes eorum commemorat. *Prima*, inquit, *Auguſti 7 Machabæorum. S. Paulus Apoſtolus Viennæ Allobrogum primam ſacram ædem eorum honori dedicauit: translati ſunt Coloniam hoc pacto Antiochiæ, vbi paſſim diu defoſſa capita S. Helena cum Palæſtinam luſtraret, inde Conſtantinopolim adduxit, quæ & Iuſtinianus poſtea in S. Sophiæ magnificentiſſima baſilica à ſe exornata conciliandi ijs maioris honoris cauſa collocauit, cum trium Magorum, qui Chriſtum in cunabulis adorauerunt pretioſis exuuijs. Conſtiterunt ibi vſque ad Emmanuelis Imperatoris tempora, à quo tum Mediolanenſibus conceſſa in ea capella condita fuerunt, quæ ſancti poſtea Euſtorgij nuncupationem tulit, eximiamque in amplitudinem ob illorum cultum & Magorum memoriam excreuit. Ceterum Mediolano deinde à Friderico Imperatore ſubuerſo, flagitante Reinoldo eius cancellario Colonienſi Archipræſule, tam ipſorum Machabæorum, quam trium Magorum corpora, vna cum ſanctorum duorum Mediolani tutelarium Naboris & Felicis ſacris cadaueribus Coloniam Agrippinam deuecta ad Magdalenæum cœnobiũ ſitum in Vrſulano agro condigno honore repoſita ſunt; vbi etiamnum indita iam ſacræ ædi Machabæorum inuocatione religioſiſſimè aaſeruantur, publicèque hodie promuntur debita veneratione proſequenda.* Corrigendus hic tamen eſt, quod ex communi plurimorum errore ad Emmanuelis tempora tranſferat Regum Mediolanum factam tranſlationem: quæ Conſtantini æuo contigit.

Sufficiant horum teſtificationes ad fidem tranſlationi faciendam, quæ ſatis confirmat ipſa iam à quadragentis annis facta templi, monaſterij & plateæ proximæ nomini conuerſio deſumta iam à Machabæis.

Quod ſi quis Mediolanenſium altum de tranſlatis Machabæis obiectet ſilentium, non mirum id videri debet; cum enim videantur vna cum ſanctis Regibus diuſepulti terra iacuiſſe, nec niſi quinquennio ſint ante, quam Coloniam transferrentur in lucem educti SS. Regum inuentorum fama tam inopinata nomen Machabæorum obſcurauit: nunc iterum è Germania reuiſamus Italiam.

Scultingius to. 2. p. 3. æſtiuali. Sauiacus 1. Auguſti.

CAPVT XLVI.

Geſta an. 1163. *Reinoldi in Italia & Friderici Cæſaris tertia expeditio tranſalpina ſemina iacit belli Colonienſis occaſione translationis SS. Regum moti.*

Cæſaris in Germania geſta.

EXTREMO anno 1162. redierat in Italiam cum Victore Reinoldus iuſſu Cæſareo, vt eam in fide & clientela tam Cæſaris, quam Victoris antipapæ conſeruaret: dum Fridericus Germaniæ res inſpicit & necem Arnoldi Moguntini præſulis à ciuibus crudeliter interemti vindicat: nam cum anno vertente Wormatiæ Paſcha ſolenniter peregiſſet, comitia dominica ſequenti Moguntiæ celebrauit, muros eius deiecit. Plerique ciuium pridem ſolum verterant, vt manſerit ciuitas annis 37. mœnibus & ciuibus ferè viduata.

Triuthemius. labor Reinoldi in Italia. *Sigonius.*

Iam Reinoldus in Italia totam Lombardiam, Tusciam, & Marchiam peragrarat : exautorarat Episcopos quotquot Victori repugnarent : amicas autem ciuitates in officio retinebat. Cæsar ne quid absentia sua rursus in Italia turbaretur, cum coniuge & Conrardo Moguntino præsule mense Octobri superatis Alpibus Laudem venit, vbi Victore præsente, S. Basiliani Laudensium tutelaris ossa ex vetere in nouam vrbem humeris Victoris pseudopontificis, Friderici Cæsaris & Aquileiensis Patriarchæ sunt transportata: hanc nactus occasionem absentiæ tam Cæsaris, quam Reinoldi, cœpit Conrardus Comes Palatinus germanus Imperatoris, animum adijcere, vt quas sanctorum Regum reliquias insidijs in itinere non potuit intercipere, easdem astu vel armis sibi compararet. Collegit interim copias, Duces sibi sanguine iunctos, & vicinos fœderauit, vt eorum auxilio quod intendebat animo consequeretur : ac primo quidem montem, qui Reineck nominatur, armatâ vi capere cogitabat, vt ex eo loco prædis opportuno, totam infestaret Colonienſem archidiœcesin.

Conrardus Cæsaris frater insidiatur SS. Regibus.

cogitat montem Reineckium occupare.

Reinaldus literis consilia eius detegit.

Mirum est tam vigilem pro Colonienſibus Reinoldum in Italia & solicitum, ante consilia Palatini per fidos exploratores perspexisse, quam quidquam aduersi Colonienses suspicarentur. Secretis ergo literis ilico periculi Philippum Decanum, & ciues admonuit, creditum sibi thesaurum tutatentur : Comitis Palatini collectas copias suspectas haberent : consilia præuerterent, montem Reineck munitione militeque firmarent : ne quid detrimenti diœcesis pateretur : quis euentus belli fuerit capite sequenti videbimus, quando confectum feliciter est : hic causa tantum eius examinanda, quam autores alij quod ignorarint, prætereunt, Colonienſe Chronicon vnicam agnoscit, quod Reinoldus clam omnibus principibus Mediolano Coloniam sanctos tres Reges transtulisset: hoc enim comperto, Conrardus cum vicinis Ducibus collecto milite cœpit Archiepiscopatum depopulari, non ante quieturus, quam bello victor, sacras reliquias in suam redegisset potestatem.

CAPVT XLVI.

Colonienſis Archidiœcesis & ciuitas 125. millia militum educit pro defensione SS. Trium Regum

eur anno 1164 translati credantur Reges.

CELEBRIS annus 1164. est, quem plurimi translationis Regum crediderunt : decepti maximè quod cum clancularia fuisset ac ipso destructionis Mediolanensis anno contigisset, vt vel ipsos in exercitu Cæsareo præsentes Duces & principes lateret ; nunc cum erupisset, & bello propterea Colonienses peterentur : ij tantis animis restiterint, tot euocarint beneficiarios, cognatos, affines, dynastas, & Comites, vt nullum legerim bellum ista in gente tanta in celeritate equitum & peditum tam frequenti exercitu, promtitudine & alacritate animi constantia que maiore inchoatum & felicius confectum : quod non iam pro patria, bonis fortunæ, coniugibus ac liberis ; sed pro Diuorum sacris corporibus & cineribus sancte & religiosè susceperunt.

hostes præcipui & Duces belli Colonienſis.

Hostium Princeps & Polemarchus erat Conrardus Comes Palatinus germanus Imperatoris Friderici ; traxerat is secum in belli societatem Fridericum Ducem Sueuiæ Conrardi tertij Imperatoris filium: Ludouicum Landgrauium Thuringiæ & Hassiæ cum alijs.

Philippi in resistendo magnanimitas, ingentem conflat exercitum.

Hi tam equitum quam peditum collectis copijs infestabant diœcesin: & Rheni dominatum prius occupato monte Rheineck ambiebant : quorum insidias præuertit Philippus Heinsbergensis & milite locum, castrum vallo fossaque muniit: validoque præsidio firmauit. Idem etiam literis Reinoldi missis ad clientes & beneficiarios diœcesis, ad propinquos & affines Archiepiscopi, & illustrium ædis metropolitanæ Canonicorum, tantas repente pedestres & equestres conflauit copias, vt fidem excederet : nisi res ab idoneis scriptoribus, quibusdam pene coæuis: magno consensu narraretur. Statuerat Conrardus hostium antesignanus bello litem omnem dirimire, ergo suo & sociorum ducum nomine an. 1164. feria secunda rogationum

offer

offert Colonienſibus conflictum : nec eum ipſi detrectarunt. Ergo paratiſſimis animis Philippus Decanus cum ciuium & exterorum exercitu centum viginti quinque millium in campum Andernacenſem progrediuntur : explicant aciem, hoſtes operiuntur. Conrardus cum miſſis exploratoribus præter opinionem de tantis copijs & animis Colonienſium intellexiſſet, conſilio cum ſuis inito prælium detrectare, ac infecto negotio recedere. Philippus ad duodecimum vſque diem conſtanter perſtitit: ſed nec hoſtis veſtigio comparente, caſtro Rheineckenſi validiore præſidio & operibus communito, die Pentecoſtes ouans Coloniam & victor redijt.

125. millia educit in aciem.

12 dies operitur hoſtem.

Literis conſignauit hoc bellum breuiter & diligenter Godefridus Pantaleonita, qui vel ipſe tunc vixit, vel à coæuis plurimis audijt: *Hoc anno cum Conrardus Palatinus frater Imperatoris Colonienſem Epiſcopatum pro libitu tranſire ac prædari vellet, & montem qui Rheineck dicitur, occupare intenderet Reinoldus Archiepiſcopus electus, qui in Italia cum Imperatore erat, hoc fidelibus Colonienſi eccleſiæ intimans prædictum montem præoccupari fecit : cum autem Palatinus ſe præuentum cerneret, bellum Colonienſibus poſito termino ſecunda feria Rogationum indixit in campo Andernacenſi. Ex induſtria vero Colonenſium prælatorum, tantus equeſtris & pedeſtris inſuper & naualis occurrit exercitus, qualem noſtra memoria ex Teutonicis cum tot fortibus, tot præclaris, tot nobilibus viris nunquam in acie conſtitiſſe percepimus. Plures enim erant qui in bellatorum numero computati ſunt, quam centum viginti quinque millia. Vnde nec Palatinus, nec aliquis ſuorum comparere auſus eſt, cum duodecim diebus eius exſpectaſſent aduentum. Interea D. Reinoldus Colonienſis electus cum imperatore in Italia degens, ſuper omnes, qui aderant Principes fidelis ac deuotus ſeruiuit, auditoque huius victoriæ ac lætitiæ nuncio, impetrata ab imperatore licentia, cum integritate eius gratiæ rediit, acceptis ab eo pretioſiſſimis muneribus trium ſcilicet Magorum corporibus qui infantiam Domini myſticis muneribus veneratiſunt, duobusque martyribus Felice & Nabore, qui cum prædictis Magis apud Mediolanum venerabiliter reconditi erant. Sicque cum præfatis & illuſtriſſimis donis, in vigilia B. Iacobi Coloniam ingreſſus, glorioſè ac magnificè ſuſcipitur, maximè pro reliquijs, quas ad perpetuam Germaniæ gloriam Coloniæ intulit.* Hactenus Godefridus qui cauſam belli poſtponit ipſi quam rectè Colonienſe Chronicon Brovverus cum alijs præmittit biennio ante : ſed frequens hoc in Godefredo breuitatis ſtudioſo, vt coniungat electioni mortem, vel facta eius poſtea patrata, vt præcedenti anno Conrardi Epiſcopi Mogunſtini ſimul enarrat electionem, & à Cæſare defectionem, quæ biennio poſt accidit. Idem eodem fere modo adiectis nonnullis adiunctis Chronicon magnum Belgij narrat : enumeratque Colonienſium hoſtes hoc modo: *Iſte igitur Reinoldus in omni probitate conſpicuus, & ipſius Friderici Imperatoris Cancellarius eundem in Italiam comitatus eſt. Cum vero vna cum præfato Imperatore Romani Imperij rempublicam, per multas ſolicitudines & infatigatis laboribus vtiliter in Italia adminiſtraret, accidit vt frater ipſius Imperatoris Conrardus videlicet Palatinus, Ludouicus Thuringiæ Landgrauius, & Fridericus Dux Alemanniæ Conrardi olim tertij filius, Archiepiſcopatum Colonienſem Archiepiſcopo abſente inuaderent hoſtiliter, & concepto inter ſe occulto conſilio, vt terras Archiepiſcopi pro libitu percurrere & prædari poſſent, montem vbi nunc eſt caſtrum Keineck poſitum præoccupare & munitionem in eo facere conarentur :* reliqua vt ante & poſtea. *Quo facto ex induſtria Philippi Decani & Prælatorum Colonienſium tantus equeſtris pariter & pedeſtris exercitus occurrit, qualem ex tot præclaris nobilibus & fortibus Theutonicis in acie congregatis nunquam conſtitiſſe repertum eſt. Nam computati fuerunt pluſquam centum & 25. millia bellatorum vt nullus dictorum principum venire auderet, cum tamen fuiſſent per Colonienſes, diebus 12. exſpectati.* Sic Trithemius in chronico. *Eodem anno Conrardus Comes Palatinus Rheni frater Imperatoris Friderici diœceſin Colonienſem incendio & præda petens bellum eis indixit, poſito termino ſecunda feria Rogationum in campo Andernacenſi; Colonienſes ſtatuto die ad certamen præparati cum 125000. armatorum in prædicto loco conuenerunt, quorum fortitudine per exploratores recognita Conrardus Palatinus non auſus eſt venire, licèt ab illis per dies duodecim fuerit exſpectatus.*

12 dies operitur hoſtem.

Scriptores belli. *Godefridus ad an. 1164*

cùt. Godefridus bello poſtponat tranſlationem.

Chronicon Belgicum.

Chronicon Hirſaug. an. 1164.

Chro-

Ioannes de Dorsten in catal. Ep. Col.

Chronicon Episcoporum Colonienſium poſt annum 1300. conſcriptum, vt creditur à Ioanne de Durſten in Reinaldo. *Quo facto ex induſtria præfati Philippi Decani & Prælatorum Colonienſium tantus pedeſtris pariter & equeſtris exercitus occurrit, qualem ex tot præclaris nobilibus & fortibus Theutonicis in acie congregatum memoria non habetur: nam computati fuerunt plusquam centum & viginti ſex millia bellatorum, vnde nullus dictorum Principum fuit auſus venire, cum tamen fuiſſent per Colonienſes diebus 12. exſpectati.* Cæſarius item in Reinoldo: *Nec hoc in laudem eius immerito profertur: quod cum adhuc in Italia cum Imperatore eſſet, & Palatinus Comes Conrardus frater Imperatoris Friderici Colonienſem Epiſcopatum ad libitum violenter tranſire ac prædari vellet, ipſe Reinoldus hoc per nuncios Colonienſibus intimans tantam ſuo nomine multitudinem apud Andernacum tot fortes, tot præclaros & nobiles viros: poſtremo talem exercitum adunari fecit, quantum noſtra memoria ex Teutonicis nunquam in acie conſtitiſſe compe-*
rimus.

Cruſius. lib. 11 Sueuic. an. p. 2. pag. 443.

Cruſius in Sueuicis idem ita narrat. *Conrardus Palatinus Rheni frater Imperatoris diœceſin Colonienſem præeando & vrendo infeſtam habebat quibus cum bellum inaixiſſet præſtituta prælio ſecunda feria Rogationum in campo Andernacenſi, Colonienſes cum multis armatorum millibus ad locum progreſſi. Ille verò tantis eorum viribus per exploratores cognitis non comparuit: licet 12. dies ab eis fuerit exſpectatus.*

Brouverus adan. 1164.

Eleganter idem more ſuo Browerus noſter exſequitur, cum biennio ante tranſlationem SS. Regum retuliſſet. *Conrardus*, ait, *Rheni Palatinus acri cum populo Agrippinenſi ob Catholicæ partis ſtudium inito certamine horum flammis infeſtiſque populationibus diuexaſſet; tandē ei placuit dicere Colonienſibus ac præfinire diē locumq; dirimendæ pugnā controuerſiæ: verum breui ſtultitiæ ſuæ magno cum famæ dedecore iuſtam mercedem retulit. Quippe Colonienſibus inſtructa cum armatorum manu ipſis rogationum ferijs audacter in apertum haud procul Andernaco prodeuntibus Conrardus copiarum ſuarum robore diffiſus in tuto ſe cohibuit, dieſque 12. ipſos exſpectatus ignauiæ notam quam prælij ſubire maluit.* Videri etiam Chronicon Colonienſe & Saxonicum poteſt. Hoc bellum Colonienſe orbe toto fecit tranſlationem SS. Regum celebriorem: ex eo enim, non iam ſolum tota Germania, ſed per Europam cœpit celebrari: vnde factum exiſtimem, vt multi crediderint eam non niſi an. 1164. contigiſſe: ſed hinc in Italiam ad Reinoldum reuertamur.

CAPVT XLVIII.

Imperator an. 1164. beneficia multa Reinoldo confert in Italia, & Bambergæ pacem inter ipſum & Conrardum fratrem componit.

Chronicon M. Belgicum.

IMPERATOR non ignarus aiterum ſe vix magis fidum nactum principem, in rebus gerendis ſtrenuum, imperij negotijs tractandis idoneum Reinaldo, qui comes ferè indiuiduus ipſi periculis in omnibus adhærebat: ideo quam ampliſſimis ſtuduit officijs & beneficijs eius labores compenſare: nam & in Rhenanis & tranſalpinis locis plurima eidem contulit. Et de illis quidem ita Chronicon magnum Belgicum loquitur: *Cuius quidem Reinoldi Imperator exhilaratus victoria, eidem Archiepiſcopo & Eccleſiæ Colonienſi curtes imperiales in Andernaco & Eckenhouen cum nonnullis alijs, quibus ipſa Colonienſis Eccleſia gaudens abundat vſque in præſens.* Id tamen poſt biennium videtur accidiſſe.

donata Reinaldo in Germania.

De Italicis exſtat in archiuio Metropolitano liberalis donatio beneficialium bonorum, quam mecum communicauit R. D. Ægidius Geleenius, in qua Cæſar immenſa & innumerabilia vocat Reinaldi obſequia, quæ ei largitus eſt, cum Archidiœceſis iam de Palatino Cæſaris fratre triumphaſſet, & ipſe reditum maturaret, quamuis Imperator eius adhuc videatur opera ad Octobrem vſque vti voluiſſe.

CON-

CONCESSIO FRIDERICI BARBAROSSÆ, QVA Reinoldo Archiepiscopo Colonienſi pro ſeruitijs Italiæ diuerſa loca in feudum dedit, an. 1164.

IN nomine S. & Indiuiduæ Trinitatis Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus. Conſueta imperialis noſtræ celſitudinis munificentia ſuauiſſimè nos inuitat, vt fidelium multitudin m laudabilem ſeruitiorum benignè declaremus congrua multiplicatione beneficiorum. Ideoque præſenti noſtræ maieſtatis edicto vniuerſis ſacri noſtri imperij fidelibus præſentibus ac futuris notum facimus, quod clariſſimo Principi noſtro Reinoldo Illuſtr. Colonienſi electo & Italiæ Archicancellario pro immenſis & innumerabilibus ſeruitijs, quæ noſtræ ſublimitati excellenter impendit, in beneficio atque in feudo damus, concedimus atque inuiolabiliter confirmamus locum de Raga & villas & caſtella in circuitu eiusdem loci conſtituta: quorum hæc ſunt nomina: Arcunate, Euerun. Lugion, Brunia, Caſtellum inferius, Paternianum, Trabiga, Nuſſa, Caſtanum, Magnigna, Buſſucanum, & villas alias quæcunque buſtæ vocantur cum toto diſtrictu, Fodro, Albangarijs, & omni iure in præfatis caſtellis, ſeu villis nobis pertinente. Inſuper etiam illi Auguſtali noſtra largitate largimur atque donamus, atque confirmamus in alia ripa Ticini fluuij vniuerſum diſtrictum, Fodrum, Albangarios, & omnem noſtram iuſtitiam, quam habere dignoſcimur in Treca & eius curte in Galliate ac ſua curte. Mumum quoque cum vniuerſa curte ſua, & Caſtellittum ſuperius, cum omnibus ad nos pertinentibus, ac præterea quidquid noſtri iuris eſt in Tranciano, infra Epiſcopatum Vercellenſem conſtituto, & inſuper ei concedimus omnes villas, & Caſtella plebis de Raga, ſi quæ ſunt alia præter ſupra ſcripta. Statuimus etiam & irrefragabiliter ſancimus, vt nulla vnquam Eccleſiaſtica vel ſecularis maior minor que perſona in his eum audeat grauare, vel irrationabiliter fatigare, ſed ipſe cum omni honore & vniuerſo iure, quod in his habere dignoſcimur, ea quietè obtineat, ac pacificè poſſideat. Vtque verius hoc credatur, & à ceteris diligentius obſeruetur, præſentem paginam in memoriam & confirmationem huius donationis conſcriptam manu propria roborantes ſigillo noſtro certiorari iuſſimus & inſigniri, adhibitis teſtibus Chriſtiano imperialis curiæ noſtræ Cancellario, Aloldo Goslarienſi præpoſito, & alijs quam pluribus, qui vbi præfatum Reinoldum illuſtrem Colonienſem electum de feudo ſupradicto inueſtiuimus, præſentes adfuerunt. Data Papiæ A. Dominicæ Incarnationis 1164. *Indictione* 12. 4. *Nonas Iunij. Imperante Domino Friderico Romanorum Imperatore inuictiſſimo, anno regni eius* 13. *imperij* 9. *in Dei nomine feliciter, Amen.*

Nec minus Papienſes, Mantuanos & alios quotquot in fide Cæſaris manſerunt maximis ornauit priuilegiis, de quibus legi Sigonius poteſt. Mortuo vero menſe Aprili Victore ſecundo Antipapa ſubrogarunt eidem factionis eiusdem Cardinales alium, quem Paſchalem tertium nominarunt. Octobri menſe redijt Fridericus Cæſar cum Reinoldo in Germaniam motus ortos in abſentia fratrem inter & diœceſin Colonienſem compoſiturus: indicta Bambergæ Comitia ſunt: adfuit Conrardus Imperatoris frater & Reinoldus: qui licet vrgere potuiſſet pœnam in eos, qui abſente Cæſare diœceſes aliorum vaſtauiſſent; qua multarat alias Comites multos Fridericus, qui Moguntinum Archiepiſcopatum fuerant Cæſare tunc in Italia commorante depopulati: mitius tamen agendum ratus; & quia penè inuito Cæſare tres Reges Mediolano Coloniam tranſuexerat, prudentia ſua tam Cæſaris adhuc offenſi animum, quam fratris mitigauit: ita vt eorum ſumma voluntate, Cæſaris decreto Colonienſibus iure perpetuo relinquerentur. Breuiter hæc autores delibant potius, quam referunt.

Victori ſubrogatur Paſchalis Antipapa. Cæſar redit in Germaniam. Bambergæ indicit comitia.

Godefridus Pantaleonita. *In Calendis Octobris Imperator de Italia rediens curiam celebrem Bambergæ habuit in octaua S. Martini, vbi aliquantulum electo Colonienſi durius locutus eſt: pro Palatino fratre ſuo: ſed induſtria ac ſapientia eiuſdem Electi indignatio hæc ſedata eſt.* *Godfridus A. 1164.*

Tritthemius: *Eodē anno calendis Octobris Imperator de Italia reuerſus curiam in octauis S. Martini celebrem apud Bambergam habuit: vbi inter Conrardum Comi-*

Comitem Palatinum fratrem suum, & Reinoldum Electum, & Colonienses pacem reformauit. Crusius l.c. in Sueuicis : *Imperator in octauis S. Martini celebrem agens conuentum Bambergæ, vbi inter Conrardum & Colonienses pacem restituit.*

Et Christophorus Brovverus : *Interea Fridericus ex Italia reuersus, frequentissimum Bambergæ procerum imperij conuentum habuit, vbi Conrardum fratrem, & populum Colonienscm cum antistite suo Reginaldo mutua concordia deuinxit, eiusque in posterum belli motus pacauit.*

eur conuentus celebratus.

Bambergæ verò indicebatur conuentus, quo facile duces Sueuiæ & Alemanniæ, ac Thuringiæ comes conueniebant : eodem Cæsare cum Reinoldo recta ex Italia contendente : & Eberardus antistes loci prudentissimus iuxta ac pientissimus non inidoneus videbatur ad pacem conciliandam : hoc etiam facilius, quod in SS. tres Reges, de quibus disceptabatur, insigni pietatis studio ferebatur: quibus etiam soluto conuentu nobilem construxitaram, vt translationis per eum locum factæ & conara SS. Regibus consecrata.

ciliatæ pacis testis perennaret : quam reor, vt supra dixi, proximo Epiphaniæ festo sequentis anni 1165. initio consecratam : vt error inde manarit eorum, qui tunc crediderunt factam esse simul translationem : quod dici nullo modo potest, cum neque Cæsar, neque Reinoldus eo anno in Italia, sed in Germania fuerint, vt dicemus. Sed neque anno 1164. Reinoldus ex Italia redux circa Iunium Colonia mox currere potuit ob hostes armatos vbique loca quæ peragranda erant, insidentes; inde non nisi cum exercitu, & comitatu Cæsaris reuertit, & Bambergæ quidem pacem firmare arbitro Cæsare desiderauit, vt securior esset reditus in metropolim : ad quam reconciliatis sibi & archidiœcesi Principibus imperij reuertit exeunte anno, magno vbique cum triumpho, clerique ac populi gratulatione exceptus; tunc votis demum primis in æde principe conditorio sanctorum Regum persolutis : quos etiam mox ornandos videtur suscepisse erectis templi S. Petri duabus turribus, quarum Chronicon Colonienſe meminit.

CAPVT XLIX.

Coactus & inuitus Reinoldus ab antipapa Paschali sacerdos A. 1165. consecratur, eleuatque SS. Carolum M. Cassium & Florentium.

Rex Angliæ adhæret schismati.

ANNO 1165. vel sequenti transferri Reges ex Italia nullo modo potuisse gesta Cæsaris in Germania euincunt. Inualuerat ea tempestate Paschali antipapa consecrato schisma, nec Italiæ Germaniæque finibus coarctatum, peruasit Angliam, eius Rege libenter ei suffragante, quo facilius illum ecclesiasticæ libertatis vindicem & assertorem Thomam sanctissimum Cantuariensem Archimystam Britanniæ finibus exturbaret. Hoc animi decretum legatis ad Reinoldum Colonienſem fidis hominibus indicauit.

comitia Herbipolentia.

Indixerat Cæsar imperij celeberrima comitia Herbipolim circa Pentecosten ; aderant legati regis Angliæ, parati Paschalem agnoscere supremum antistitem contra Alexandrum. Reginaldus, quod id velle Cæsarem sciret, autor fuit, iuraret Cæsar Paschali nunquam se à Paschali defendendo destiturum : Sed cum ab Episcopis præsentibus Reinoldus vrgeretur, vt præiret exemplo, constanterque renueret, conscientia nimium stimulante, Imperator instare, verbis etiam contumeliosis compellare, proditionis insimulare, & perfidiæ ni pareret : Ita dum offensam Cæsaris metuit, iurauit vel inuitus, nec sine lacrymis (vide conscientiæ stimulos) ab eodem sacerdos est consecratus : sic enim habent literæ tunc ad Alexandrum verum Christi vicarium exaratæ. *Sed Archiepiscopo Magdeburgensi & alijs, qui præsentes erant episcopis dura visa est admodum & molesta : ita quod idem Magdeburgensis nullum iuramentum se præstare velle dixit, nisi prius Colonienſis ordines & consecrationem reciperet : per quam omnem dubitationem ab eius & aliorum pectoribus remoueret. Vnde cum ille id permittere detrectaret, acriter eum aggressus est Imperator*

malum Reinoldi consilium consultori pessimum. *Baron ad an. 1166. n. 9&10.12.*

perator, suamque illi malignitatem improperans. in eum verba ista est prosecutus. Ecce manifestè apparet, quod sicut traditor, & deceptor in periculum meum Papam mihi præfeceris ignoranti: plus mihi proditor factus es, quam Moguntinus (is ad Alexandrum recens discesserat) quem reum huius criminis deferebas. Nunc verò necessario te noueris compellendum, vt laqueum, quem paraſti, primus incurras: sic ergo vehementer adstrictus non potuit euadere: quin cum maximo fletu primus iuxta prædictam formam faceret iuramentum & susceptis ordinibus consecrationem quoque promitteret se recepturum.

cum fletu iurat Reinoldus.

Colligit hinc Baronius nec vnum quidem isto in conciliabulo Paschali extra Cæsarem animitus adhæsisse. *Ex quibus*, inquit, *probè intelligis lector, quam exigua fuerit, conuenticuli huius autoritas: sed si dixerim, quod nec vnus ex corde senserit, quod in gratiam Imperatoris subscripsit, plane non mentiar. Siquid qui videbatur signifer Archiepiscopus Colonienſis, ad oculum inseruiens Imperatori, conscientia sua erat Alexandro inhærens, quod postea cũ se dedit occasio patefecit.* Coactum igitur Reinoldum, coacti Principes reliqui sunt sequi, & Paschali iureiurando se obligare sancteq; policeri, nolle, se alium in imperio quam eius fautorem subrogare. Permansit eodem anno Reinoldus in Germania, Coloniæque mense Octobri consecratus est Archimystes: vt his narrat verbis Godefridus *an.* 1165. *Imperator celeberrimam curiam habuit in Wirzeburg in Pentecoste, ubi tam ipse Imperator, quam omnes Principes iurauerunt, quod Dominum Apostolicum Paschalem nunquam desererent; nec ad partem Rolandi aliquando transirent. Et tunc primum D. Reinoldus ibidem sabbato 4. temporum in Presbyterum ordinatus: & quamplures cum eo alij Electi. Postea vero 6. nonas Octobris ordinatus est Coloniæ in Archiepiscopum, à Philippo Osnaburgensi Episcopo præsente Imperatore & Imperatrice.*

sequuntur alii Principes.

Godefridus.

Reinoldus consecratur Archiepiscopus coram Imperatore.

Videntur Augusti diutius eo tempore Coloniæ substitisse sanctos tres Reges insigni pietate venerati, & de adulto Decembri concessisse Aquisgranum, Natalem Domini solenniter celebraturi: quo & Reinoldus abijt, & Leodiensium antistes Alexander venit: is in locum Henrici consecratoris Paschalis in Italia demortui successerat. Complures rem ad sequentem annum referunt, quod Leodienses annum à natali Domini inchoarent. Audiamus Godefridum *an.* 1166. *Imperator Aquisgrani natalem Domini celebrat, ibi 4. Cal. Ian. cum frequentia Pontificum & Principum magnoque cum tripudio cleri ac populi extulit de sarcophago ossa Caroli M. Imperatoris, vbi sepultus quieuerat annis 352. & quædam regalia xenia in vasis aureis & pallijs sericis tam Imperator, quam Regina eidem contulerunt ecclesiæ, additis decem marcis annuatim.* Chronicon Belgicum ita refert. *Præsulatus Alexandri Papæ* (rectius Paschalis Antipapæ) *& omnium Cardinalium, quarto Kal. Ian. præsente Friderico Imperatore, & multis prælatis Aquisgrani, ossa Caroli M. Imperatoris à loco vbi quieuerat an. 352. cum magna reuerentia sunt eleuata, & honorificè collocata in feretro argenteo, per Reinoldum Archiepiscopum Colonienſem, & Alexandrum Leodienſem Episcopum, cum multis oblationibus, quas Imperator & Imperatrix & alij obtulerunt: vbi & canonizatus Carolus, S. Confessor dictus est.* Sed qui ad schismatici Imperatoris petitionem, & Antipapæ non ligitima sed vsurpata potestate relatus in canonẽ est: poteritne velut sanctus à Catholicis honorari? nodum hunc ita expedit Molanus Doctor Louanienſis. *Aduersus prædicta vrgeri posset, Paschalem illum illegitimè sedisse contra Alexandrum tertium. sic est sed Aquenses bona fide à Paschali, & à Cardinalibus eius, hoc est, vt putabant à Romana ecclesia postularunt Patroni sui canonizationem. Hanc autem legitimi Pontifices non irritarunt: sed ratã habuerunt: non tamen, vt à sede Apostolica emanatã. Quo spectat, quod Itali quidam iurisperiti inter quos sunt Cardinalis Hostiensis, & Ioannes Andreæ Decretaliũ interpretes scribant, ex tolerantia Romanæ ecclesiæ magnificum Carolum in sola sua capella Aquisgranensi & non in alijs ecclesijs venerari. Colitur autẽ nunc in varijs ecclesijs Belgij, Germaniæ & Franciæ, propter erectas diœceses, aliaque præstita beneficia: sed hoc aut interpretum illorum tempore non fiebat: aut ab ijs fuit ignoratum.* Ita Molanus

Reinoldus Aquisgrani eleuat Carolum M. idem à Paschali Antipapa sanctis adscribitur.

Liceatne eum colere. *Mola. in nat. Belgij 28. Ian.*

Eodem Reinoldus anno sexto nonas Maij SS. Cassium, Florentium & Mallusium Thebæos milites & Martyres graui ceremonia leuauit de terra: suo adhuc purpu-

connititur in eius cultu Romana Ecclesia.

Eleuantur Thebæi Martyres.

ratos sanguine, quasi recente; sed sicco. Mansit deinde Coloniæ ad Octobrem vs. que, quo mense varia superant diplomata, quæ abipso Coloniæ emanarunt: vtnec eo potuerit anno sanctorum Regum translatio celebrari.

CAPVT L.

Inuitus Reinoldus A. 1167. *pergit in Italiam, peste moritur: pietas eius in Deiparam.*

Colonienses adhærent Alexandro.

SCHISMATI restitisse clerum populumque Colonienſem Alexandro Pontifici studiosum multi volunt: adeoque malè ipsis cum Reinoldo conueniſſe, quod Paschali tenacius adhæreret: vt ideo Brovverus existimet Bambergæ non solum Reinoldum fratri Cæsaris; sed & populo cleroque Colonienſi fuisse reconciliatum. Certè Saresberiensiis, vel M. Girardus potius Coloniæ tunc degebat, & vrbem vehementer in Alexandrum inclinabat; qui & tantum monitis profecit apud Reinoldum reducem febri iactatum: vt ei persuaserit de pace Cæsarem inter & Alexandrum sancienda: testes eius superant literæ ad S Thomam exaratæ, hoc exemplo: *Sed & Colonienſis cum conuocatis militibus accinctus esset, ad eundum in Italiam, arreptus est duplici tertianâ, & ea adeo laborat, vt quasi certum sit, eum ante hiemem ire non posse. Promisit autem mihi in hac ægritudine sua, quod si ipse in Italiam non iuerit, siue Imperator ierit, siue non, concilio Cisterciensium, & Regis Francorum, & vestro se committet de facienda pace cum Papa Alexandro: & ita proponit ordinare vt quodammodo cogatur à Clero suo id facere. Istud in confessione vobis, sicut Patri & domino scribo, vt sit absconditum penes vos, donec videamus, si res aliquem habitura effectum sit.* Sed iterum metu offensæ Cæsaris, cuius literis identidem euocabatur è portu iactatus in altum, cum paulum à morbo respirasset, coactus est Italiam armatus intrare Reinoldus cum Philippo Decano, & successore, quem Cæsar Archigrammateum curiæ nominauit.

&ipse Reinaldus animo fauet illi. *Saresberiensis lib. 1. epis.*

cupit pacē cum Papa Alexandro.

cogitur redire in Italiam.

Eruperat iam è vinculis & Germania Gualfagus in Italiam, & Mediolanum confœderatis secum vicinis ciuitatibus nouis operibus muniebat, præsertim cum æstate adulta prælium circa Tusculum & Romam ferueret: pugnam Reinaldi pene inauditam sic describit Godefridus: *Igitur Imperator quarto Italiam ingressus, per virtutem optimatum suorum, & præcipuè per industriam Reinoldi Pontificis in breui omnem Italiam, Longobardiam & Apuliam sibi subiecit. Interim illustrissimus Præsul Reinoldus Tusciæ partes adijt, & deinde Tusculanum intrauit, illi enim adhuc Imperatori fideles erant. Quo audito Romani contractis copijs, ferme ad 40. millia hominum in vigilia Pentecostes 6. Cal. Iunij scilicet, sata & vineas Tusculanorum vastare cœperunt; & Reinoldum Episcopum obsidione arctare, ipse autem ob reuerentiam diei sacræ, intra muros se continuit: & quoniam tantam multitudinem armatorum, non nisi auxilio Deitatis, cum tam paucis militibus euadere posset: non enim plus quam 160. milites habebat. Itaque secunda feria Pentecostes Christianus Episcopus Moguntinus, & Philippus Cancellarius Imperatoris cum 500. ferè Sariantibus, per longam & arduam viam fessi ad auxilium Reinoldo venerunt, & castra iuxta Tusculum metati sunt. Nec mora Romani eos inuadentes terga dare compulerunt. Quo viso Reinoldus ſſem salutis habens in Domino, suos breuiter allocutus, audacter erupit portis, Romanos cum nimia virtute & constantia inuasit, profligauit, fugauit. Cæsa sunt in eo prælio per agros 9. millia Romanorum, quinque millia capta, pluresque referuntur esse, quos impetus fugientium attriuit, quam quos gladius consumsit: computatum est enim postea à Romanis de 42. millibus, vix duo millia in vrbē redijsse.* Hæc Godefridus. Ingens ea Romanorum clades fuit, qualē post Cannensem: nunquā sustinuerant. Id acta Alexandri veri Papæ apud Baroniū his verbis contestantur. *Primo*, ait, *congressu populus Romanus irreparabiliter corruit, & per campestria, & conuallia deuia, ita impiè contritus, & dilapsus est, vt de tanto agmine vix tertia pars euaserit. Ea igitur nocte factus est clamor subitaneus, & vlulatus magni audita calamitate insatiabilis luctus, ex irreparabilā ia-*

incredibilis victoria eius.

ex actis Alexandri.

iactura virorum & rerum. Quippe quod ab eo tempore, quo Hannibal Romanos Cannas deuicit, tantam Romanorum stragem nullus recolit contigisse. Capta deinde Roma Alexander diuino prorsus auxilio, & Regis Siciliæ peropportuno subsidio pecuniario, ac triremi missa fuga dilapsus, incolumis peruenit Beneuentum tantis in casibus constantissimus, nihilque remittens officij, quod sedem Apostolicam in petra Christi fundatam deceret: sed dum esse desperata viderentur omnia, nec humana suppeterent auxilia, è cœlo Deus momento subuenit. Dominabatur in vrbe victa Cæsar, cum Paschali suo, pestem ilicò Deus in exercitum mittit, quæ capita, lacertos, & omne robur exercitus sic incidit, vt qui nuper inuictissimus, & orbis sibi dominator esse videbatur Fridericus, coactus sit inglorius, posita maiestate, vili lacerna vestitus reuerti in Germaniam. Omnis eius penè gloria Reinoldi prudentia consilio, virtuteque nitebatur: hunc ei Deus cumprimis sustulit: pœnam hanc initium pacis secuturæ, qui præsens oculis spectauit ita describit: *Interea dum hæc Romæ agerentur, quædam maxima & mortalis pestilentia super Imperatorem eius & exercitum totum diuinitus accidit: sequenti itaque die mercurij, cum pridie ipso S. Petri ad Vincula festiuo die pseudopontifex Paschalis Augustum & Augustam aureis coronis redimisset, cum maxima cæli serenitas esset, statim quasi in ictu oculi mirabiliter pluere cœpit; deinde post aquam serenitas magna & clara nimis facta est: statimque infirmitas super Imperatoris exercitum talis excreuit, quod equites & pedites, atque scutiferi ita corruebant, & moriebantur, vt vix per totum diem sepeliri possent. Qui autem in mane sani per viam ambulabant, statim per viam cunctis, vel parum iacendo moriebantur. Ob quam rem Archiepiscopi, Episcopi, Comites, Marchiones, alijque multi nobiles & ignobiles, qui in ipso erant exercitu, corruebant. Obijt Fridericus de Rotenburgo Regis quondam Conradi filius; de quo immensus ferè dolor per Italiam totam inoluit: quoniam ipse homo erat magnæ virtutis, & Reinoldus archicancellarius, & Coloniæ Electus Archiepiscopus, homo maximi ingenij, & cuius scientia & probitate imperium multum fuerat sublimatum.* Hæc Morena. Meritò columnas imperij Deus Cæsari sustulit: quarum virtute magis, quã Deo nitebatur: hinc ijs dirutis sic collabi res eius cœptæ sunt, vt postea vel inuitus quem mortalium omnium odio maximo prosequebatur, Alexandro coactus sit collum subijcere, & sacris eius aduolutus genibus, supplex veniam deprecari.

capitur Roma.

Morena in rebus gestis Friderici.

ingens pestilentia.

Reinaldum etiam plus hominem, quam conscientiam stimulantem meruentem vltrix secuta pœna est: sed cum inuitus Cæsarem sequeretur, & Deiparæ cultor esset eximius: huius videtur meritis obtinuisse, vt sacris omnibus ritè munitus pœnitens decederet, ipso Virginis Matris in cœlos adsumtæ peruigilio, quod festum cum octaua tota peragi archidiœcesi solenniter primus constituerat, annuis etiam in eam celebritatem adsignatis censibus. Mortem eius hoc pacto commemorat Godefridus. *Primo Daniel Parisiensis Episcopus; deinde Alexander Leodiensis Episcopus in vigilia S. Laurentij obierunt: Deinde Reinoldus Archiepiscopus vir sapientia & industria mirabilis etiam, in quo maxima pars Imperatoris erat, in vigilia Adsumtionis B. Mariæ decessit, omnibus Sacramentis ecclesiasticis, scilicet Confessione, Vnctione deuotissimè susceptis, & testamento suo commendabiliter ordinato & conscripto.* Existimo eum, qui decem ante mensibus febriens Saresberiensi mentis arcana sensa detexerat, & suum in Alexandrum pacemque studium eadem secreto conscientiæ arbitro pandisse, totiam visis ante se Principum virorum funeribus: eiurasse etiam Paschalem: qui dum Romæ dominaretur exulante Beneuenti Alexandro: serpente etiam contagio prohibitum esse reor, quo minus acta publicè retractaret: quamuis domestici metu Paschalis & Cæsaris videantur eius priuatam schismatis eiurationem non ausi esse publicare. Encomium eius, & fortè pia legata sic narrat Chronicon Belgicum: *Anno Domini* 1166. *obijt Reinoldus Archiepiscopus in Italia, in vigilia adsumtionis B. Mariæ Virginis, scientia & probitate mirabili, lingua disertus, animo & vultu imperterritus, imperio fidelis, Colonienſis Ecclesiæ prouector; nam & palatium Coloniæ magnis sumtibus construxit; duas turres in templo sancti Petri erexit: decem marcas ad agendum Epiphaniæ festum instituit, totidemque in cœna Domini ad solatium pauperum addidit. Octauam Adsumtionis Beatæ Mariæ Virginis celebrari indixit. In exordio eius-*

pœnitentia & pia mors Reinoldi.

eiuſdem pontificatus ita ſcribit. *Venerabilis memoria Reinoldus nulli omnium Epiſcoporum Colonienſium probitate poſtponenaus. Erat autem ante Epiſcopatum Præpoſitus Hildeſienſis: vbi ſatis vtilis eſſe reputabatur: nam ibi pontem laude dignum & valde neceſſarium in paluſtri tranſitu conſtruxit, ac præterea hoſpitale pro ſuſtentatione pauperum ibidem inſtituit.* Eadem Cæſarius habet pene coæuus: videtur autem prope ſtatuam Deiparæ prodigioſam, quam putatur attuliſſe Mediolano cum ſanctis Regibus, funerari voluiſſe: in huius Deiparæ ſacello ſtat Reinoldi prægrande ſaxeum monimentum, cui ipſe viri magnitudine ex ære fuſus habitu pontificali ornatus incumbit: dextera tenet turriculam ſenis columellis nixam in qua Chriſtiparentis imago politiſſima viſitur, vt ſperare liceat quamuis maximas eius virtutes ſchiſmatis næruus decolarārit, & pene obruerit, non tamen ſchiſmaticum deceſſiſſe.

conditur in ſacello Deiparæ.

cum icone eiuſdem. Iauscius.

Vtebatur eo familiariſſimè Otto Friſingenſis Cæſaris patruus, ſanctitate celebris, huic ſua cenſenda & limanda ſcripta offert: vocat eum amicum præcordialem, laudat eius induſtriam & diſcretionem, cumprimis Philoſophiæ ſingularem eruditionē, de qua ſic ad eum in exaratis literis exorditur. *Cū iuxta Boëthium in omnibus Philoſophiæ diſciplinis ediſcendis, atque tractandis ſummum vitæ poſitum ſolamen exiſtimetur, veſtræ nobilitatis perſonam eo familiarius, ac iucundius amplector, quo ipſius ſtudio vos hactenus inſudaſſe, in eaque apprimè eruditum eſſe cognoſco: eapropter non rudi, ſed vt Philoſopho confiacentius ſcribo.* Eiuſdem Friſingenſis eccleſiæ ſacerdos Radeuicus æqualis eum a miſericordia & manſuetudine præter alias dotes commendat, dum encomium Ottonis Comitis Palatini eiuſdem coniungit præconio. *Inerat*, inquit, *vtique his præclaris viris* (Reinoldo & Ottoni Comiti) *perſonarum ſpectabilitas gratioſa, generis nobilitas, ingenium ſapientia validum, animi imperterriti, quippe quibus nullus labor inſolitus, non locus vllus aſper, non armatus hoſtis formidoloſus. Nullius ſibi delicti, nullius libidinis gratiam faciebant. Laudis auidi, pecunia liberales erant: gloriam ingentem, diuitias honeſtas volebant. Ætas iuuenilis, eloquentia mirabilis, prope moribus æquales: præter quod vni (Reinoldo) ex officio & ordine clericali neceſſaria inerat manſuetudo & miſericordia: alteri, quem non ſine cauſa portabat gladij ſeueritas dignitatem addiderat. His moribus, talibusque ſtudijs ſibi laudem, imperio gloriam, & vtilitates non modicas domi militiæque peperere, adeo quod tunc temporis nihil ingens, nullum exquiſitum virtutis facinus in ea expeditione geſtū eſt, in quo hos Heroës aut primos aut de primis non compererim exſtitiſſe.* Et recte manſuetudo Reinoldi commendatur; nam in Cremenſi & Mediolanenſi expugnatione per eum ſtetiſſe videtur, vt vita ſecus ac Imperator decreuerat, cunctis donaretur. In Romanorum clade cædes plurimum Chriſtiano datur, Reinoldo vitæ inculpatæ tutela tribuitur. Præcipue tamen ſacrarum reliquiarum cultor fuit eximius, ipſo antiſtite multa ſanctarum virginū Vrſulanarū milia ſunt à ciuibus è terræ fodinis eleuata, S. Carolū M. ipſe manibus ſuis & Thebæorum Martyrum tres anteſignanos Caſſium, Florentinum & Malluſium in pretioſas lipſanothecas tranſtulit: quid in ſanctis Regibus acquirendis, tranſportandis, conſeruandis & honorandis egerit, ſatis dictum eſt. Feſtum tranſlationis ipſe quam celeberrimum toti archidiœceſi indixit 23. Iulij, quod ſuffraganei eius omnes receperunt: ſat amplum etiam cenſum ad id ſolennius peragendū de ſuo conſtituit. Intruſum Reinoldum nonnulli vocant, ſed plures etiam electum legitimè literis commendatitijs Imperatoris oblatis à collegio metropolitano, ad canonū præſcriptum contendunt. Tritthemius, vt alios taceam, ita narrat: *Colonienſes legatos in Italiam miſerunt ad Imperatorem Reinaldum cancellarium, quem elegerant in epiſcopum ab eodem poſtulantes. Gauiſus autem Imperator, quod locum honoris ei deferendi inueniſſet, grato animo conſentiens poſtulantibus Reinoldum Archiepiſcopum donauit.* His conſentiunt literæ cœnobij, in Graaffſchafft ad eum tunc datæ, quibus eum à Pontificatus fuga celebrant, vt ſupra dixi.

Otto Friſingenſis. initio Chronici.

Radeuicus. lib. 2. c. 18. de geſtis Friderici.

Reinoldi manſuetudo.

obiectio diluiatur.

canonicè electus fuit.

Chronicon Colonienſe cum catalogo Archiepiſcoporū conſentiunt, eum omnibus ſuffragijs electū eſſe. Vna repeto labes ſchiſmatis tunc in Italicis etiam extra Germanicos Epiſcopos ſat peruulgata omnem eius laudem obruiſſet, niſi pœnitens obijſſet: & peſte, quæ quo minus interioris animi ſenſa mundo patefaceret, videtur impediſſe: quæ Saresberienſi decem iam ante menſes aperuerat.

Hæc

Hæc fusius pertractaui, vt vitæ antea ætæ ratio Reinoldi cognoscatur non abhorruisse à tali sanctis Regibus impensa religione, & per eum Coloniæ instituta: vt etiam commoditas pateat transferendi, ob toties repetitam transalpinam expeditionem: præterea vt nullus annus opportunior esse intelligatur quam ipse, quo dirutum & excisum fuit Mediolanum. Neque enim eo, quo mortuus est anno Reinoldus 1167. neque sequenti per Philippum transferri commode potuissent, qui longè alia in reditu via vsus est, quam translationis vestigia (quæ Reinoldum præsentem faciunt) patiantur. Iter eius ita describit Godefridus. ad annum 1168. *Philippus Colonienſis electus non præualens per Italiam redire, & iuga montis Iouis, cum maximo tum ſuo, quam ſuorum periculo nauigio per mare ad S. Ægidium peruenit, vbi equis conſcenſis in Adſumtione B. Mariæ Coloniam ingreſſus eſt.* Est hic, qui tam glorioſè collectis 125. millibus pro SS. Regum corporibus defendendis tot Ducibus Germaniæ prælium 12. dies obtulit, qui tanto honore sanctos Reges ornarit, & eorum amore ciuitatem ingenti muro & fossis vna cum ciuibus contra adsultus hostium communierit, infra apparebit.

CAPVT LI.

Quatuor testimonia summorum Pontificum Innocentij 4. Ioannis 22. Bonifacij 9. & Pij 2. Coloniæ quiescere SS. tres Reges, adiectis indulgentijs: item Imperatorum, Regum & Ducum, qui eos Coloniæ honorarunt.

HACTENVS examinatis causis, occasionibus, traditionibus, vestigijs locorum, & alijs adiunctis vltimam sanctorum Regum translationem Mediolano Coloniam factam probauimus: testes nunc aliquot luculentiores singulorum exinde seculorum proferam, qui suo suffragio confirmant eandem, ne remaneat vllus deinceps dubitandi scrupulus.

Ac suprema inter omnes meritissimo iure sibi vindicant summi sacrorum antistites, Dei in terris vicarij, Romani Pontifices: qui non solent res gestas temerè pronunciare, nisi vel fama totius fere orbis, vel certis indicijs id verum, testatumque comprobetur. Quatuor ex ijs hic laudabo contra Nouatorem quendam Gallum, qui negat eos obijsse: corpora eorum vel ossa vspiam adseruari, multo minus miraculis à Deo fuisse illustrata, cui diserta summorum Pontificum diplomata refragantur. Primus Innocentius 4. qui metu Friderici secundi Roma Lugdunum se receperat & Coloniæ corpora SS. Regum quiescere & multis coruscare miraculis his verbis testificatur.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORUM Dei Venerabili fratri Archiepiscopo & dilectis filijs capitulo Colonienſi ſalutem & Apostolicam benedictionem

LIcet is, de cuius munere venit, vt sibi à fidelibus suis dignè & laudabiliter seruiatur de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit & vota bene seruientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri. Nihilominus tamen desiderantes reddere Domino populũ acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quibusdam illectiuis muneribus, indulgentijs, sed & remissionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ aptiores: cupientes igitur vt ecclesia vestra, in qua TRIVM SANCTORVM MAGORVM CORPORA CORVSCANTIA MVLTIS MIRACVLIS *sub veneranda custodia conseruantur! congruis honoribus frequentetur, omnibus verè pœnitentibus, & confessis, qui ecclesiam ipsam in festiuitate ipsorum Sanctorum venerabiliter visitauerint, annuatim de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apo-*

stolorum

stolorum eius autoritate confisi 40. dies de iniuncta sibi pœnitentia misericorditer annis singulis relaxamus: Datum Lugduni 6. Aprilis Pontificatus nostri anno quarto

Sequenti anno idem Pontifex aliud dedit breue libro sequenti recitandum: in quo sic loquitur. *Cum autem V. F. noster Archiepiscopus, & dilecti filij capitulum Coloniense Ecclesiam ipsam* (IN QVA TRIVM BB. MAGORVM CORPORA REQVIESCVNT) *reparare cupiant, opere sumtuoso.*

Ioannes XXII. an. 1327. in diplomate lib. 9. recitando sic ait. *Pro eo maximè, quod ad dictam Ecclesiam in honore virginis gloriosæ fundatam, & B. Petri Principis Apostolorum vocabulo insignitam, in qua trium sanctorum Regum, qui Regem regum altissimum meruerunt oculis carneis intueri, & eum mysticis muneribus adorare, corpora sunt venerabiliter collocata.*

Bonifacius IX. eodem seculo festum translationis SS. Regum & peregrinationes ad eos factas approbat.

BONIFACIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORUM Dei, ad perpetuam rei memoriam.

PRærogatiua specialis fauoris & gratiæ venerandam Ecclesiam Coloniensem, prosequi cupientes, vt Christi fideles ad Ecclesiam ipsam, in qua sanctorum trium Regum (qui Christo Regi tria munera pretiosa obtulerunt) corpora venerabiliter requiescunt: & quæ à populo illarum partium in celebri veneratia, & deuotione continua, & ad quam etiam peregrinorum de diuersis partibus mundi confluere consueuit multitudo, co libentius confluant ad eandem, quo ibidem ex hoc vberius dono cœlestis gratiæ conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, vt omnes verè pœnitentes & confessi, qui in Epiphaniæ, & translationis eorundem Regum festiuitatibus, singulis videlicet ipsarum festiuitatum diebus eandem Ecclesiam deuotè visitauerint, annuatim illam indulgentiam, & peccatorum dictam remissionem dicta auctoritate consequantur, quam verè pœnitentes & confessi Ecclesiam S. Mariæ de Angelis Assisinatensis diœcesis, primo & secundo diebus mensis Augusti visitantes eadem autoritate quolibet anno consequuntur.

Pius 2. in ep. de Germaniæ situ, ritu, & moribus.

Pius secundus videtur cum Friderico Cæsare, cui à secretis fuit, Coloniam inuisisse, de qua in epistola sua eruditissima cardinalis cum esset ita scribit. *Quid ea Colonia, quæ de coniuge Claudij, matre Neronis Agrippina dicta est, & trium Magorum ossibus illustrata?*

Post Apostolicæ sedis autoritatem, proximam meretur fidem Imperatoria & regia maiestas. Constat autem vt libro vltimo tusius narrabitur Imperatores Romanorum Ottonem quartum, Wilhelmum, Henricum septimum, Rupertum, Sigismundum, Fridericum, Maximilianum, Carolum quintum, & Ferdinandum: item Reges Angliæ, Portugalliæ, Poloniæ, Hierosolymitanum ac Cyprium, Duces etiam innumeros & inprimis Lotharingiæ & Burgundiæ piè eorum sacra corpora Coloniæ visisse, vidisse, coluisse & oblatis donis honorasse quinque seculis

CAPVT LII.

Testimonia coæuorum seculi duodecimi Mediolani inuentos & Coloniam translatos esse SS. tres Reges, ibique quiescere.

Reinold.

I. REINOLDI Archiepiscopi Colonienfis qui transtulit, in literis Vercellis Coloniam datis & cap. 31. recitatis. *Nempe tria nobis munera donauit pretiosissima, videlicet corpora insignia beatissimorum trium Magorum, ac Regum, qui primitiæ gentium in typum & præsagium futuræ ex Gentibus ecclesiæ, iacenti adhuc Christo in præsepi munera pretiosa obtulerunt: quorum nobilissima corpora omnique veneratione dignissima Mediolani in ecclesia B. Eustorgij solenniter ac gloriosè fuere recondita.*

II.

II. Ioannis Saresberiensis Carnotensis Episcopi: huic M Gerardus Angliæ oraculum iuris, Regi Franciæ & Angliæ carissimus, ac postea Episcopus, ab Alexandro tertio Coloniam missus, vt ciues legitimo Pontifici contra schismaticos redderet obsequentes: scripserat de translatione SS. trium Regum Coloniam Mediolano factam, & inuentione multorum millium corporum Vrsulanarum virginum: petit Saresberiensis ab eo Coloniæ moranti sub eius chiroprapho & signo reliquias circa annum 1165. his verbis: *De cetero iam porrectas itero preces, quatenus de reliquijs Regum, & Virginum mihi vestro aliquid transmittatis cum vestrarum testimonio literarum.* *Ioannis Saresberiensis.*

III. Geuehardi monachi Graffschaffensis in epitaphio Reinoldi anno 1167: sepulti, cuius talis est clausula: *3. Geuehardi in epitaphio Reinoldi.*

Corpora sanctorum Latio directa Magorum
Felicem florem roseum, sanctumque Naborem
Nobis aduexit, benefactis crimina texit:
Idus sextilis pater hic decessit herilis,
Cuius solamen sit Petrus Apostolus, Amen.

IV. Philippi Heinsbergensis Archiepiscopi successoris Reinoldi, qui in diplomate libro sequenti recitando sic de sanctis Regibus loquitur: *Ex relatu plurium intelleximus, quod noster antecessor piæ recordationis Reinoldus Archiepiscopus eleëmosynas, quæ ad SS. Regum corpora offeruntur, sicut & ipsos Reges maiori Ecclesiæ in Colonia obtulerit laudabili consideratione motus, vt vbi sanctissimi Reges corporaliter quiescerent, & in maiore haberentur veneratione: ibi de oblationibus eorum iusta & benigna consolatio ad Canonicos perueniret.* *4. Philippi Archiepiscopi.*

V. Auctoris Auctarij Affligimensis qui sui temporis, vt Miræus probat, gesta refert, ad an. 1163. ait, *Corpora trium Magorum, à Reinoldo Colonienſi electo de ecclesia quadam ciuitate contigua translata sunt, cum magno gaudio & exsultatione, totius prouinciæ processione mirabiliter ordinata, ciuitati Colonienſi illata, & in Ecclesia S. Petri reposita sunt; si quis velit scire, quomodo de partibus suis translata sint Constantinopolim, & de Constantinopoli Mediolanum, id in Ecclesia S. Petri Coloniæ inueniet.* *5. Auctoris Affligimensis.*

VI. Ottonis à S. Blasio ad an. 1162. *Tres Magos, qui cum muneribus stella duce Christum in cunabulis adorauerunt, inibi inuentos Reinoldo Colonienſi Episcopo, qui in hac obsidione cum sua militia præcipuè claruit, dono dedit, quos venerabilis Pontifex ad Cisalpina transferens; Colonienſi Ecclesiæ intulit, hisque Patronis totam Germaniam illustrans, vniuersam Teutonicorum gentem magnificè nobilitauit, incorrupti enim, quasi adhuc viui in singulis de pretioso metallo sarcophagis, in eadem ecclesia hactenus reseruantur.* *6. Ottonis S. Blasiani.*

VII. Dodechini, qui eo ipso tempore floruit in Germania: abbas postea S. Dysibodi an. 1162. *Mediolanum rursus à Cæsare obsessa, insimul etiam in breui capta, populus expulsus, murus in circuitu deiectus, ædes exceptis SS. templis solo tenus destructæ, Reinoldus Colonienſis Episcopus corpora trium Magorum, quæ adhuc incorrupta durant, clam auferens secum Coloniam singulis in loculis transtulit: & in maiori Ecclesia B. Petri cum tripudio populi collocauit.* *7. Dodechini Abbatis.*

VIII. Robertus de monte florebat translationis tempore. *Eodem*, ait, *anno 1159. inuenta sunt trium Magorum corpora, qui saluatorem nostrum infantem adorarunt in Bethlehem in quadam veteri capella iuxta vrbem Mediolanum, & præ timore Friderici imperatoris Alemannorum, qui eandem vrbem veniebat obsidere leuata, & in ciuitate posita.* Hi omnes Neubrigense sunt vetustiores, certè æquales minimum. *8. Roberti à monte*

IX. Wilhelmi Neubrigensis, qui natus anno 1135. tunc cum transferrentur Reges Coloniam 27. annorum erat: *illi* (Mediolanenses) *dominandi libidinem in tuendæ libertatis constantiam conuertentes, totis se opibus aduersus imperatorios impetus muniebant: cumque suburbana demolirentur atque diruerent, non tam obsessis nocitura, quam obsidentibus vsui forent: ea de re monasterium quoque antiquum & nobile, & Sanctorum insigne reliquijs extra mœnia destruentes, quidquid in eo sacrum, reuerendumque inuentum est, in vrbem sustulerunt. Trium præcipuè Magorum cor-* *9. Wilhelmi Neubrigensis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pora, qui ſaluatoris infantiam myſticis honorando muneribus, facti ſunt ex Gentibus primitiæ Deo & agno. Et quidem theſaurus iſte olim in eiuſdem Eccleſiæ ſecreto repoſitus, ipſos quoque monachos clericoſque ibidem miniſtrantes latebat: ſed cum vſque ad fundamentum deſtrueretur ipſa Eccleſia, repertus & reuelatus eſt cum manifeſtis indicijs, quibus declarabatur, quod viri illi (quorum memoria in benedictione eſt) honorato & adorato ſaluatore puero in regionem ſuam reuerſi etiam poſt paſſionis eius triumphum ſuperſtites fuerint, & percepta à Prædicantibus Apoſtolis Baptiſmi gratia, ad ipſum, quem in cunabulis olim honorauerant, ab eodem in dextera Patris ſedente honorandi migrauerint. Nec notum eſt, à quibus perſonis ſacræ illorum reliquiæ illuc delatæ ibique repoſitæ fuerint. Eædem verò reliquiæ oſſibus & neruis compactæ cutem quoque aridam, atque imputribilem ſuper inductam habebant, vi vt putatur balſami, quo poſt mortem gentili more corpora eorum delibuta creduntur. Sed aureus circulus eadem (vt dicitur) corpora cum reperta ſunt ambiebat, vt ſibi mutuò cohærerent. Igitur obſeſſa eſt vrbs Mediolanenſis ab imperatore Friderico, cuius quantus exercitus fuerit, eo ipſo cognoſcitur: quo Mediolanum potuit obſidere, vrbem ſcilicet potentiſſimam, & de ſuorum numeroſitate atque ferocia filiorum immenſius gloriantem. Quæ nimirum poſt caſus varios multiplicesque conflictus deditioni addicta incidit in manus hoſtiles. Victor Imperator ciuitatem

Translatio. *euertit, ciues quoniam ſe dediderant, non diſperdidit, ſed diſperſit. Præclaras illas reliquias Magorum ibi reconditas Longobardis ægrè ferentibus, in regnum Teutonicum tranſtulit, & theſauri huius cuſtodia ciuitatem Coloniam inſigniuit.* Ita lib. 2. rer. Anglic. c. 8. Ad hoc ſeculum ſpectant, quæ tunc prodierunt lectiones horariæ de vita & geſtis SS. Regum conformes narrationi Neubrigenſis: & ijs quæ auctarium Affligimenſe dicit de hiſtoria eorum in S. Petri Baſilica conſeruata. E quibus multa videtur Ægidius hauſiſſe, de quo ſequenti capite. Præterea hymni, antiphonæ, collectæ, proſa ſolennis, quæ in ſacro canitur, corporum SS. Regum tranſlatorum Coloniam, meminerunt, & hoc ipſo tempore lucem adſpexerunt.

Ad idem ſpectant veſtigia, traditiones, documenta vel inſcriptiones locorum, vnde & per quæ ſunt corpora tranſportata: vt Mediolanenſium ingens, ſed vacuus eorum ſarcophagus, quo Conſtantinopoli eo delata fuerant. Lucernenſe ſacellum eorum, ara Bambergenſis cum inſcriptionibus. Fons Strabonenſis & Abbatia trium Regum Burgundica, documenta Briſacenſia, Gamundienſia, Bambergenſia, Moguntina, & montis S. Appollinaris, ac alia ſupra recenſita.

CAPVT LIII.

Teſtimonia autorum ſeculi decimi tertij ab an. 1200. ad 1300.

Cæſarius an. 1220. CÆSARIVS Heiſterbacenſis in chron. Ep. Col. in Reinoldo. *Cum in obſidione Mediolanenſi cum imperatore eſſet, in Pontificem electus à clero populoque Colonienſi eſt: poſt deuictum autem Mediolanum tres Magos, qui infantiam Domini myſticis muneribus venerati ſunt, magno labore & periculo Mediolanenſibus abſtulit, & ad perpetuam Germaniæ gloriam Coloniam mira inſtantia tranſuexit.*

Iacobus de vitriaco. Iacobus de Vitriaco Cardinalis floruit an. 1220. hic hom. 3. de Epiphania ait; *Tenet autem Eccleſia, quod fuerint tres, vnde & eorum tria corpora in ciuitate Coloniæ hodiè oſtendantur.* NB. ab an. 1221. ad 1230. tria teſtimonia Henrici ducis Lotharingiæ fundatoris altaris trium Regum: tum Henrici Archiepiſcopi & Capituli de cuſtode trium Regum V. lib. 3. c. 42.

Ægidius aureæ vallis. Ægidius aureæ vallis Religioſus an. 1230. fuſius reliquis omnibus 1. refert. ſanctorum Regum à S. Helena tranſlationem factam Conſtantinopolim. 2. alteram ab Euſtorgio Conſtantinopoli Mediolanum 3. inuentionem eorundem ibi latentium 4. promiſſionem eorum à Friderico datam Henrico Leodienſium Antiſtiti. Demum Reinoldi tranſlationem ſic exſequitur. *Poſtmodum Anno Domini* 1164.

eum

cum Fridericus Romanorum Imperator sibi Mediolanenses rebelles subiugasset, & esset ciuitas in eius potestate, mortuo in partibus illis, vt supra diximus, Henrico Leodiensium Episcopo, cui Imperator trium Magorum corpora contulerat, Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus sæpedictos Beatos Reges sibi dari petijt, & obtinuit: sustulit etiam inde duos pretiosissimos martyres Felicem & Naborium, qui in eadem vrbe Mediolanensi passi fuerant pro Christo. Qui nimium exsultans, tam Reges quam Martyres per honestas personas Coloniam transmisit. Quibus appropinquantibus tota ciuitas obuiam ruit, tam Clerus, quam populus, vterque sexus, omnis ætas, cum hymnis & canticis, & thesaurum sibi cœlitus missum in Ecclesia S. Petri deposuerunt. Subdit de odore eorum prodigioso & lipsanotheca. Hic primus deflexisse videtur ad annum 1164. necessario quidem ob ea, quæ narrarat: cum enim dixisset Henricum Leodiensem mortuum anno illo, & ei prius donata fuisse corpora, & ob mortem illius cessisse Reinoldo, non potuit ante dictum annum 1164. referre factam Coloniam translationem: quem errorem eo sequi seculo complures cœperunt & deinceps, vt apparebit floruit eodem an. 1230.

cur primus is videatur deflexisse ad A. 1164.

Godefridus Pantaleonita is etiam refert. *Interea Dominus Reinoldus Coloniensis electus cum Imperatore in Italia degens, super omnes, qui aderant Principes fidelis ac deuotus seruiuit: auditoque huius lætitiæ ac victoriæ nuncio, impetrata ab Imperatore licentia, cum integritate gratiæ eius redijt, acceptis ab eo pretiosissimis muneribus trium scilicet Magorum corporibus, qui infantiam Domini mysticis muneribus venerati sunt, duobusque Martyribus Felice & Nabore, qui cum prædictis Magis apud Mediolanum venerabiliter reconditi erant. Itaque cum præfatis & illustrissimis donis in vigilia B. Iacobi Coloniam ingressus gloriosè & magnificè suscipitur, maximè pro reliquijs, quas ad perpetuam Germaniæ gloriam Coloniæ intulit.* *Godefridus.*

Ioannes de Becka narrat Wilhelmi Imperatoris cultum SS. Regum: *Demum*, ait, *appropinquante Theophania Dominus Rex migrauit ad Coloniam, vt ibidem in honore trium Magorum solennem immolaret hostiam.* Subdit: *quomodo celebratis Epiphaniæ solennijs fuerit ab Alberto Magno inusitato acceptus epulo.* vixit Ioannes à Becka seculo sequenti. *Ioannes à Becka in Chron. Vltrai. in Ottonez. creat. 1247.*

Henricus Stero circa A. 1260. floruit: Abbas putatur fuisse Siburgensis, is Mediolanense excidium constituit An. 1162. *Imperator Mediolanum destruit An. 1164. trium Magorum corpora translata sunt ad Coloniam.* *Stero.*

Chronica Augustensis eadem habet. *Chronica Augustensis.*

Chronica Sclauica An. 1280. scripta. *An. Domini 1164. Reinaldus Coloniensis electus corpora trium Magorum de Mediolano in Coloniam deportauit.* *Chronica Sclauica.*

Albertus Abbas Stadensis peruenit ad An. vsque 1256. *An. 1162. Mediolanum Imperatori traditur. An. 1164. Reinaldus Coloniensis electus corpora trium Magorum, vt dicitur, Mediolano Coloniam adduxit.* *Albertus Stadensis.*

Contra eodem seculo Vincentius Beluacensis ita habet ex duobus autoribus: *Ex Chronicis*, ait, *anno Domini 1161. corpora trium Regum siue Magorum, qui Dominum in cunabulis adorauerunt, olim ab Imperatore Constantinopolim translata & à S. Eustorgio Mediolanum miraculosè transuecta. Inde postquam Fridericus Imperator illam vrbem destruxit. Reinoldus Coloniensis Archiepiscopus à Mediolano Coloniam transtulit: Alexander Papa in Galliam venit, & à Regibus Francorum & Anglorum honorificè susceptus est. An. Domini 1162. destructa vrbe Mediolanensi Archiepiscopus Coloniensis sanctos tres Magos apud Coloniam transtulit & anno sequenti Alexander Papa in Gallias venit.* *Vincentius Beluacensis. lib. 29. cap. A. 1162.*

Siffridus Presbyter eodem extremo seculo consentit etiam in tempore *An. 1162. Imperator Fridericus Mediolanū cepit & expugnauit. Tunc Reinoldus Archiepiscopus Coloniensis, qui in eo erat, impetrauit corpora trium Magorū, qui Christo infanti munera obtulerunt, quæ Mediolani extra muros ante portam Romanam in Ecclesia S. Eustorgij seruabantur pariter in vno sarcophago marmoreo. Quibus impetratis Coloniam gaudens secum tulit, & in Ecclesia maiore honorificè collocauit.* *Siffridus presbyter l. 1. Epitomes. A. 1162.*

Matthæus Parisiensis floruit an. 1250. is in sua historia 1234. ex Iuone Narbouensi *Matthæus Parisiensis ad A. 1234.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

si de Tartaris scriptum reliquit, qui interrogati, cum terris suis relictis Prouincias Christianorum inuadant? Respondent: *propter Magos Reges, quorum sacris corporibus ornatur Colonia in patriam suam reportandos.*

Gothardus Hagen secretarius Colonienſis ciuitatis vixit an. 1260. & scripsit Germanicis rhytmis bella Colonienſia tunc gesta, enumeratque patronos vrbis.

Gothardus Hagen.

Tres Solyma Reges qui conseruauit in vrbe
Herodis cassis artibus atque dolis:
Incolumesque simul patrias deduxit ad oras,
Atque Agrippinæ corpora sacra dedit.

& infra:

Sancta trias Regum tibi militat Agrippina
Fida tui custos, præsidiumque tuis.
Melchior & Gaspar, queis tertius additur heros
Balthasar auxilium subsidiumque ferunt:
Hos supra Reges loculo seruantur eodem
Cum Felice Nabor, mystaque Gregorius.
Martyrij palmis effuso sanguine clari:
Hi tua defendunt mœnia, templa, domus.

Eodem seculo exeunte Iacobus de Voragine Archiepiscopus Genuensis. *Horum (trium Magorum) corpora Mediolani in ecclesia, quæ nunc est Fratrum Prædicatorum, quiescebant, sed nunc Coloniæ requiescunt.*

Iacobus de Voragine de Epphania Domini.

Martinus Polonus Archipiscopus Consentinus floruit an. 1260. *Mediolanum destruitur à dicto Friderico mense Martio an. Domini* 1162. *siquidem muri eius altissimi funditus suffossi sunt, cetera ad cinerem redacta. Tempore Friderici Rodulphus (Reinoldus) Archiepiscopus Colonienſis trium Magorum corpora de Perside olim Constantinopolim ab Imperatore translata, & inde à Sergio (Eustorgio) Mediolanum miraculosè transuecta. Mediolano ab eodem Friderico destructo transportauit Coloniam.*

Martinus Polonus an. 1162.

Diploma metropolitani Capituli Colonienſis an. 1294. vulgatum hæc habet: *In summo altari ecclesiæ nostræ, in qua beatorum trium Magorum corpora sunt recondita* V. lib sequenti c. 54.

Diploma Capituli Metropolit. Colonien. exstat in c. 13. Bannelij de translatione 5. odilæ.

Wilhelmus Durantes dictus speculator natione Vasco Episcopus Mimatensis viuebat an. 1280. l. 6 Rationalis diuinorum officiorum: *Magi autem ipsi fuerunt Caspar, Melchior & Balthasar, & fuerunt Reges iuxta illud psalmi: Tibi offerent Reges munera & iterum Reges Tharsis. Quorum corpora de Mediolano in Coloniam translata fuerunt: & dicuntur Magi à magnitudine scientiæ.*

Wilhelmus Durantes.

Chronicon Anonymi desinens in an. 1200. ad an. 1162. ait, *Imperator Mediolanum funditus euertit.* Idem ad an. 1164. *Reinoldus Episcopus Magos Coloniam attulit.* Postea an. 1167. *Reinoldus Colonienſis Episcopus obijt.*

Chronicon Anonymi desinens an. 1200.

Diploma vnionis cleri totius Colonienſis facta an. 1297. *Ad honorem Dei, B. Mariæ Virginis, B. Petri, & aliorum Apostolorum, beatissimorum trium Magorum, nec non & patronorum nostrorum, omniumque Sanctorum, quorum merita in nostris venerantur ecclesijs, per fidem corporalem & per iuramenta, tactis sacrosanctis à nobis singulis Prælatis ac personis ecclesiarum nostrarum præstita ad nos inuicem adfirmæ caritatis vinculum seruandum, conformamus, vnimus, connectimus & ligamus, ita quod deinceps vnaniminter & concorditer pro fouendis & conseruandis iuribus stabimus. an.* 1297. *in vigilia B. Georgij Martyris.*

CAPVT LVIII.

Testes seculi quartidecimi ab an. 1300. *ad* 1400.

LEVVOLDVS de Northoff Canonicus Colonienſis circa an. 1320. floruit. Anno ait Domini 1164. Imperator Fridericus menſe Martio Mediolanum capit & deſtruit: inde tunc corpora trium Regum per Archiepiſcopum Colonienſem ſunt tranſlata. *Lewoldus Northoff*

Franciſcus Petrarcha Florentinus circa an. 1330. Coloniæ ſanctos tres Reges viſit vt ipſe ſic narrat. *Aquis digreſſum excepit Agrippina Colonia: & vidi templum vrbe media pulcherrimum, quamuis inexpletum, quod haud immerito ſummum vocant, Magorum ibi Regum corpora, ab ortu ad occaſum tribus ſaltibus tranſuecta, quos æthereum quondam Regem ad præſepia vagientem cum muneribus veneratos legimus, venerabundus adſpexi.* *Petrarcha lib. epiſt. ep. 4.*

Henricus à Virnenburg Archiepiſcopus Colonienſis in Synodo ſtatuit diem tranſlationis SS. Regum feſtiuum poſt annum 1305. his verbis. *Et volumus craſtinum B. Mariæ Magdalenæ, quo corpora trium Regum beatorum Coloniam peruenerunt Coloniæ tantum, ſicut dies Apoſtolorum, cum ſolennitate aiuorum & celebratione populi obſeruari.* *Statuta Colonienſia Henrico Archiepiſcopi.*

Ioannes 22. an. 1. 3. 27. in diplomate confirmatorio Sodalitatis S. Petri Colonienſis hæc habet: *pro eo maximè quod ad dictam eccleſiam, in honore Virginis gloriosæ fundatam & B. Petri Principis Apoſtolorum vocabulo inſignitam, in qua trium ſanctorum Regum, qui Regem Regum altiſſimum meruerunt oculis carneis intueri, & eum myſticis muneribus adorare, corpora ſunt venerabiliter collocata.* *Ioannes 22. Papa.*

Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium incerti auctoris peruenit ad an. vſque 1376. *expugnatum facit Mediolanum an.* 1162. *ab an.* 1163. ait, *Reinolaus Colonienſis electus corpora trium Magorum vt dicitur de Mediolano Coloniam adduxit.* *hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium.*

Chronicon Archiepiſcoporum Colonienſium, vt putatur, Ioannis de Durſten ſcriptum poſt an. 1300. *Inter hæc autem idem D. Reinaldus Archiepiſcopus ſuper Principes Imperatoris deuotus & fideliter ſeruiens eidem: impetrata ab ipſo Imperatore grata licentia, & acceptis ab ipſo in dono pretioſiſſimis muneribus, ſcilicet corporibus BB. trium Magorum, nec non duorum Martyrum ſcilicet Felicis & Naboris, quæ quidem Sanctorum reliquiæ in ciuitate Mediolanenſi per Imperatorem tunc temporis capta atque deſtructa fuerant; vſque illuc reconditæ, cum dictis venerandis reliquijs in vigilia D. Iacobi Apoſtoli ſub an.* 1164. *cum gaudio & exſultatione omnium gloriosè Coloniam aduenit, dictas ibidem reliquias ad honorem & exaltationem ipſius ciuitatis Colonienſis vſque in hodiernam diem ibidem relinquendo.* *Chronica Ioannis de Durſten. in Reinoldo*

Ioannes Hildeſienſis circa an 1360. floruit: is hiſtoriam SS. Regum comprehendit libello 46. capitum: ſed tot inſpergit fabulas, vt ſuſpectam reddiderit omnem ſuam narrationem, cautèque legendus ſit: ideò nunquam eius auſus fui fide niti: niſi res aliunde etiam robur haberet & ab alio idoneo autore, vel ratione ſolidâ poſſet confirmari. In tranſlatione cum vulgarem ſequatur Colonienſis officij horarij narrationem & cum de miraculis eorũ & de peregrinationibus, quæ tunc cũ viueret ad eorum ſacra fiebant limina & à Pontificibus approbantur, non videtur negligendus. *Ioannes Hildeſienſis.*

Anno inquit Domini 1164. *ciuitas Mediolanenſis Friderico primo Imperatori rebellauit; quã Imperator deſtruere propoſuit, & circũuallauit. Vnde meliores & nobiliores in ciuitate, paucis ſcientibus ipſa triũ Regũ corpora ſecretiſſimè abſconderunt, & cum Imperator auxilio Reinaldi Archiepiſcopi Colonienſis, & aliorum Principum & Dominorum Mediolanum obſedit, cepit & expugnauit. Ex tunc Reinaldus Archiepiſcopus Colonienſis palatium D. Aſſonis de turri, quem Imperator præ alijs omnibus exoſum habuit, cepit & intrauit & ad manus ſuas obtinuit. Qui D. Aſſo ſecretum acceſſum ad Reinaldum Archiepiſcopum Colonienſem petijt: qui dum ſecurus & ſecreto ad Archiepiſcopum veniſſet, ipſum petijt vt ſibi gratiam apud Imperatorem vellet impetrare, ex tunc ſibi trium Regum corpora cum alijs reliquijs vellet* c. 41.

let

l t dare & abscondito demonstrare, Quod cum Reinaldus Archiepiscopus Colonien-sis feciss·t & perfeciss̄et : ex tunc ipsas reliquias dedit & demonstrauit : quas cum habuisset, per suos fideliores & secretiores statim versus Coloniam direxit & desti-nauit : quod postmodum Imperatori indicauit : & tunc primum ipsas reliquias ab Imperatore postulauit & impetrauit : & distulit Imperatori prius indicare: nam i-psas reliquias venerandas dubitauit se posse impetrare : & ex tunc Archiepiscopus ipsa trium Regum corpora cum alijs reliquijs publicè & honorificè transtulit : & ab omni populo cum hymnis & laudibus recepta in ecclesia S. Petri ibidem reueren-ter collocauit : per quos Deus ibidem quamplurima mirabilia & virtutes in præ-sentem diem operatur & à principibus & nobilibus & diuersis populis deuotè ve-nerantur : & à longissimis terris, partibus & prouincijs cum maximis reuerentijs quæruntur & visitantur.

Flos florum. Flos Florum Chronicon est M. S. de rebus Mediolanensibus inprimis & anno 1393. concinnatum : id folio 96. pag. 1. de Arsacio Archiepiscopo hæc inter alia habet. *Sepultus fuit ad S. Stephanum ad Rotam : de cuius ossibus oleum e-manauit incessanter. Cuius corpus Fridericus Barbarossa vna cum tribus Magis & corpora SS. Naboris & Felicis exportari fecit in Alemanniam:* quamuis alij ve-lint S. Arsacium quadringentis annis citius exportatum.

Ioannes Transmosa-nus in gest. Abbatum S. Laurentij. Gesta abbatum S. Laurentij Ioannis Transmosani, qui scribere desijt an. 1400. *Fuit cum Imperatore Henricus Leodiensis Episcopus, qui in tantum eius gratiam adeptus est, vt Mediolano destructo trium Magorum corpora, qui Domino Iesu in cunabulis posito aurum, thus & myrrham ei obtulerunt, ei Leodium transferre concederet, sed prò dolor Episcopus morte præuentus, apud Papiam defunctus est, & sic Leodiensis ecclesia pretiosa Magorum corpora perdidit vsque in hodier-num diem.*

Petrus Pa-ludan. sor. 2. d. Epiph. Petrus Paludanus Dominicanus an. 1370, *Successu vero temporis Mediolanenses Friderico Imperatori se opposuerunt, cum inter ceteros in sui præsidium Reinaldum Archiepiscopum Colonien-sem vocauit, & expugnata ciuitate sibi in recompensam sui longi itineris maximique laboris eadem tria corpora adsignauit, qui gratanter ipsa recipiens vsque ad Coloniam perduxit, vbi in summo honore hodie requiescunt, fideliter sibi famulantibus apud Deum rogantes.*

Gobelinus Persona in Cosmodrom ætatis 6. c. 60. Gobelinus persona qui licet seculo sequenti maximè floruerit : in fine tamen se-culi huius iam quadragenario maior fuit. Sic autem translationem refert. *Et iussit Imperator omnes consules, Legistas, Iudices & milites tenere, populum in ciuitatem remittendo : deinde murum & turres ciuitatis dirui, & fossata iussit impleri: Tunc reuelata sunt Reinaldo nouo Archiepiscopo Colonien si corpora sanctorum trium Re-gum, quæ petijt ab Imperatore & obtinuit, & ea deinde Coloniam perduxit A. Domini* 1163.

Ioannes à Leidis. Ioannes à Leidis vixit in fine huius & initio sequentis seculi is accuratè translatio-nem sic describit. *Fridericus autem Imperator adscendit posthæc & obsedit ciuita-tem Mediolanensem cum multis Episcopis, Ducibus, Comitibus & alijs Principibus, capta autem ciuitate, quidam ditissimus ciuis Reinoldum Archiepiscopum Colonien-sem secreto conuenit, vt vita sibi incolumis, & res suæ hoc pacto conseruarentur, vt idem ciuis eidem Episcopo SS. tres Reges in manus suas resignaret, & quomodo adducerentur, nullo ciuium vel extraneorum sciente consilium daret. Promisit Epis-copus & suscepit Magos tres. Qui quia integri erant, nec facilè abdi vel abscondi poterant, à datore eorum hoc accepit consilium, vt factis tribus feretris simularet tres amicissimos cognatos suos pestilentia mortuos, & se coniuratum ab eis, vt per se ipsum adducerentur ad patriam suam. Dispersa igitur hæc fama de mortuis Epis-copi cognatis in populo, qui accepta Imperatoris licentia & equis velocibus lecticas trahentibus & aromatibus myrrhæ & thuris aërem circumcirca permulcentibus Coloniam peruenit, & appropinquans ciuitati clericis, & ciuibus, quid adferret, mandauit. Occurrit igitur ei cum maximo gaudio & glorioſa processione tota ciuitas & in medio templi D. Petri Apostoli honorificè susceptas reliquias imò integros sanctos collocauerunt.*

Hermanns de Lerbeke. Hermannus de Leerbeke Dominicanus vixit an. 1390. qui in Chronico. Comitum Schaw-

Schawenburgenſium Reinoldus ita celebrat: *Duce de Mediolani obſidione reuerſo Adolphus Comes cum cognato ſuo Reinoldo Colonienſi Anchiepiſcopo Angliã viſitat, & contriſtati ſunt tam clerus, quam populus terræ, propter diutinam abſentiam bonæ paſtoris: iſte Reinoldus corpora trium Regum, quæ Mediolani in eccleſia, quæ nunc Fratrum Prædicatorum eſt, quieſcebant, tulit, & Coloniam tranſtulit. Item præfatus Dux Henricus Ducatu Weſtphaliæ & Angariæ ab Imperatore Friderico priuatur, & eccleſiæ Colonienſi poſſidendus in perpetuum donatur. Circa idem tempus an. ſcilicet D.* 1163. Vides eum ante an. 1163. conſtituere tranſlationem: & cauſam exauorati Ducis Henrici Leonis Mediolanenſem deſertam obſidionem facere.

CAPVT LV.

Teſtes ſeculi quinti decimi ab an. 1400. *ad* 1500.

HVGGARIVS Hungarus Franciſcanus circa an. 1404. in Biga ſalutis. *S. Helena Conſtantini Imperatoris mater audiens trium Regum reliquias circa dictum montem reconditas, cum honore ſuſcepit & Conſtantinopolim detulit. Deinde tempore Mauritij Imperatoris dicta ciuitas rebellauit, qui auxilio Mediolanenſium vi cepit ciuitatem, & trium Regum reliquias ipſis condonauit. Nouiſſimè per Henricum Imperatorem poſtquam Mediolanum poſſedit Coloniam per Rhenum fluuium detulit eaſdem reliquias, vbi in magna deuotione & reuerentia conſeruantur.* *Huggarius Hungarus.*

Magnum Chronicon Belgicum fol. 187 *Interea D. Reinoldus Archiepiſcopus Colonienſis cum Imperatore in Italia degens ſuper omnes qui aderant Principes fidelius ac deuotius ſeruiuit, & acceptis ab ipſo in donum pretioſiſſimis muneribus triũ ſcilicet Magorum corporibus, qui infantiam Domini Saluatoris myſticis muneribus venerati ſunt, nec non duorum Martyrum videlicet Felicis & Naboris, cum quibus venerandis reliquijs in vigilia B. Iacobi Apoſtoli an.* 1164. *cum gaudio & exſultatione omnium glorioſè Coloniam aduenit.* *Magnum Chronicon Belgicum.*

Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis floruit an. 1440. *De iſtis dicit S. Auguſtinus quod fuerint primitiæ Gentium, id eſt primi de Gentibus ad Chriſtum conuerſi: hi Magi poſtea in fide valde fuerunt excellentes: quorum tria corpora diu manſerunt in vrbe Mediolani: nunc verò in vrbe Colonia requieſcunt.* *Alphonſus Toſtatus in c. 2. Matt.*

S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus floruit an. 1445. *Sed an.* 1156. *ipſe Fridericus Imperator cum magnis copijs deſcendit in Italiam, atque ciuitatem Mediolanum continua ſeptem annorum obſidione vallauit, ac demum captam deſtruxit, ac tripartiuit in Burgis. Deſtructa autem illa famoſiſſima ciuitate, & ad ſolum vſque coæquata, corpora trium Regum, ſcilicet Magorum, qui ad Chriſtum adorandum in cunabulis venerant ſtella duce, olim à Conſtantinopoli translata & per S. Euſtorgium miraculosè Mdiolanum tranſuecta, Reginaldus Archiepiſcopus Colonienſis à Mediolano Coloniam tranſtulit, vbi nunc requieſcunt.* *S. Antonin.*

Ioannes de Weſalia Canonicus Colonienſis ad S. Seuerinum floruit an. 1450. is in M. S. Chronico Archiepiſcoporum loci in Reinoldo ait: *Reinoldus Imperatoris Friderici Cancellarius ſuper omnes Principes Imperatori deuotus, & fideliter ſeruiens eidem: & acceptis ab ipſo in dono pretioſiſſimis muneribus, ſcilicet corporibus BB. Magorum Gaſpar, Melchior & Balthaſar: nec non duorum Martyrum Felicis & Naboris: quæ reliquiæ in ciuitate Mediolani per ipſum Imperatorem tunc temporis capta atque deſtructa fuerant vſque illuc reconditæ, cum dictis reliquijs* 10. *ſcilicet Auguſti cum gaudio & exſultatione omnium Coloniam aduenit, dictas reliquias ibidem ad honorem & exſultationem ipſius ciuitatis Colonienſis vſque in hodiernum diem ibidem relinquendo.* *Ioannes de Weſalia.*

Matthæus Palmerius Florentinus ad an. 1162. *Mediolanum à Friderico captum magna ex parte ſubuertitur, poſtquam illud 7. annos obſederat.* & ad an. 1168. *Corpora trium Magorum olim è Perſarum regione Mediolanum translata, à Rodulpho Colonienſium Archiepiſcopo Coloniam Agrippinam deportantur.* *Matthæus Palmerius in Chronico*

Theodoricus à Moërs Colonienſis Archiepiſcopus an. 1154. in fundatione miſſæ Marianæ. *In honorem Dei Genitricis, Petri Patroni noſtri ac SS. trium Magorum,*

quorum corpora diuina prouidentia in nostra ecclesia recondita sunt & venerantur.

Chronicon Colonienſe Burgrauij Steindorp M. S. peruenit ad annum 1438. hæc habet an. 1163. moritur S. Bernardus eodem anno postridie S. Magdalenæ adue-xit Reinoldus Archiepiſcopus tres Reges Mediolano Coloniam.

Dionysius Carthusianus serm. 2. de Epiph.

Dionyſius Carthuſianus floruit an. 1450. *B. Helena Regina mater Constanti-ni M. cum magno labore inuenit & collegit corpora horum Magorum in di-uersis locis ante recondita, portauitque ea Constantinopolim, inde translata fue-runt Mediolanum: atque ab illo loco Coloniam sunt delata.*

Æneas Syl-uius in epist. de situ, mor. & condition. Germa-norum

Æneas Syluius an. 1457. Cardinalis, poſtea Romanus Pontifex ita ſcribit: *Quid ea Colonia, quæ de coniuge Claudij matre Neronis Agrippina dicta est: & trium Magorum ossibus illustrata; nihil ea magnificentius, nihil ornatius tota Europa re-perias templis, ædibus insignis, populo nobilis, opibus clara, plumbo tecta, prætorijs ornata, turribus munita, flumine Rheno & lætis circumaquis lasciuiens.*

Petrus Episcopus Esquilinus. lib. 2. c. 45.

Petrus Epiſcopus Eſquilinus vixit an. 1460. *Quorum corpora inde translata Constantinus M. Imperator Constantinopolim deportari fecit, & deinde pro-cessu temporis à S. Eustorgio Episcopo Mediolanum translata sunt, vt in eius vita dicetur: nunc autem requiescunt apud Coloniam, istuc de Mediolano trans-lata, & in vita sancti Eustorgij vbi sanctorum Magorum corpora translata quie-uerunt vsque ad tempus Friderici Imperatoris cognomine Barbarossa: quo tempo-re Mediolano euerso arca Sanctorum corpora Coloniam translata sunt.*

lib. 2. c. 48.

M. S. Liber de Epis. Leod.

Liber primus M. S, Abbatiæ S. Laurentij de Epiſcopis Leodienſibus. *Cum Epis-copus Henricus in expeditione Imperatoris Friderici iuisset in Italiam, inuenta sunt corpora trium Magorum, qui Christum in cunabulis visitauerunt: in eccle-sia iuxta Mediolanum. qui Episcopus carus Imperatori impetrauit ab eo defer-ri Leodium: sed tunc temporis mortuus est an. Domini 1165. & sic ecclesia Leodien-si amisit illa. Helena indagatrix sagax reliquiarum SS. corpora Constantinopolim de-portauit: quæ Manuel Imperator Mediolanensibus dedit: sed postea illis rebellan-tibus sibi & subiugatis, in exspoliatione ciuitatis Reinaldo Archiepiscopo Colonien-si ea dedit Fridericus cum duobus Martyribus S. Felice & Naborio, quæ reliquiæ ab omnibus Colonienſibus sunt honorificè receptæ.*

Platina. in Alexan-dro 3.

Baptiſta Platina Cremonenſis vixit an. 1470. *Fridericus autem tyrannica pote-state vsus, directa Dertona & Mediolanum solo æquauit: vnde translata Magorum corpora Coloniam tum crediderim à Rudulpho Colonienſi Archiepiscopo.*

Collector speculi exemplorum V. Re-ges tres. M S. codex S. Laur. de Epis. Leod.

Collector ſpeculi exemplorum circa hoc tempus floruit: is titulo *Reges tres. Rex quidam Danorum ad tres Reges, qui stella duce ab Oriente Hierosolymam venerunt deuotionem magnam habebat: profectus ergo Coloniam, vbi eorum sacrosancta corpo-ra honore debito conseruantur.* Alter liber M. S. S. Laurentij de Epiſ. Leod. ſic refert: *Circa hæc tempora Sanctorum reliquiæ Reinoldo Archiepiscopo Colonienſi sunt da-tæ: Felicis & Naboris, quæ reliquiæ honorificè sunt receptæ vna cum tribus Magis de Mediolano ad Coloniam. Dum Episcopus Henricus in expeditione Im-peratoris Friderici iuisset Italiam, inuenta sunt corpora Magorum in ecclesia iuxta Mediolanum: quæ ciuitas capta fuit per famem 15. Martij. an. 1163. Qui Episcopus, quia carus erat Imperatori, impetrauit ab eo Leodium deferri: sed tunc Episcopus mortuus est an. 1165. & sic ecclesia Leodienſis amisit illa.*

VVernerus Röleuinck ad an. 1162.

Faſciculus temporum Werneri Röleuinck Carthuſiani floruit an. 1480. an. 1162. *corpora SS. trium Regum hoc tempore transferuntur de Mediolano Coloniam Agrip-pinam per venerabilem Reinoldum Archiepiscopum Colonienſem. Fuerunt namque hæc corpora sacratissima, primo per Helenam Constantini matrem rapta, & de India Constantinopolim perducta, quæ postea Eustorgius Episcopus Mediolanum transtu-lit: vbi vsq; ad hæc tempora (annum 1162.) permanserunt: sed cum idem Fridericus Imperator quasi cum innumerabili Alemannorum exercitu Mediolanum obsedisset & tandem cepisset, prædictus Archiepiscopus, qui tunc in comitatu Imperatoris erat, eadem corpora vix magnis precibus impetrauit & Coloniam secum perduxit: & ex tunc Colonia floruit.*

Compilatio Chronologi-ca.

Compilatio Chronologica quæ ad an. 1484 pertigit. *Iste Imperator A. Dom. 1162. Mediolanū cepit & expugnauit muros eius & subuertit omnes ibi & vastauit. tunc Rei-*

naldus

naldus Archiepiſcopus Colonienſis, qui cum potenti manu ibi fuit, loco ſalarij & ſtipendij impetrauit ab Imperatore trium Magorum corpora, quæ Mediolanum extra muros ante portam in eccleſia S. Euſtorgij ſeruabantur in vno ſarcophago marmoreo, quibus habitis Coloniam quaſi triumphator ſecum tulit gaudens, & ibi in maiori eccleſia honorabiliter collocauit.

Ægidius de Roya Ciſtercienſis floruit an. 1470. An. 1161. *Fridericus Imperator ciuitatem Mediolanenſem diu obſeſſam capit: vbi Reinoldus Colonienſis Archiepiſcopus trium Magorum corpora, qui ab Oriente Dominum adorare venerunt, cum quibuſdam alijs reliquijs Coloniam tranſtulit.* *Ægidius de Roya Annal. Belg. an. 1161.*

Antonius Liber Suſatenſis: *Dum Fridericus Imperator Romanorum Mediolanenſes ſibi rebelles ſubiugare vellet, habuit Reinoldum Archiepiſcopum Colonienſium in adiutorium ſibi: qui ciuitate ſubiugata acceſſit ad Imperatorem ſupplicans, vt pro omni labore ſuo in petitione modica precibus ſuis vellet acquieſcere. Cui Imperator: exaudiatus eris in omni petitione quantumcunque magna: roga quod vis. Dixit Reinoldus, rogo ex toto cordis mei deſiderio corpora BB. Magorū mihi tribui: conturbatus Imperator reſpondit: ad habendum venerabilium Magorum corpora præcipuè hanc ciuitatem mihi ſubiugaui: tamen tibi non negabo. Accipe quod petis: Epiſcopus itaque, quia metuit ſe non impetraturum: ideo antequam petitionem faceret: iſtorum Magorum corpora clam repoſuit in naui, vt ſi fortè Imperator ei non annuiſſet, occultè cum theſauro hoc pretioſo diſceſſiſſet. Valedicens igitur V. Archiepiſcopus Imperatori ſuſtulit SS. Magorum corpora cum duorum Martyrum Felicis & Naboris corporibus: & exſultans tam Magos quam Martyres honorabiliter Coloniam tranſmiſit.* *Antonius Liber Suſatenſis.*

Bernardinus Corius Mediolanenſis ex aulæ, in qua viuebat, archiuio patriæ ſuæ concinnauit hiſtoriam, & circa an. 1480. floruit. conqueritur late de excidio Mediolanenſi. Subdit corporum SS. Regum tranſlationem per S. Euſtorgium Conſtantinopoli Mediolanum factam, & alteram Mediolano Coloniam, quam confirmat teſtimonio authentico ſibi è Germania miſſo his verbis *Fridericus Romanorum Imperator primus, filius Hermanni generoſi Ducis Sueuiæ, an. Dominicæ incarnationis 1150. imperauit 36. annis. An. imperij ſui decimo deſtruxit Mediolanum, in qua deſtructione ſoror vnius vice-comitis, qui erat in poteſtate Friderici propter liberationem fratris iuit ad R. P. Rodulphum, & D. Archiepiſcopum Colonienſem, & oſtendit tria corpora Magorum, videlicet Caſpar, Melchior & Balthaſar, corpora SS. Geruaſij & Protaſij & corpora SS. Naboris & Felicis: inde prædictus Rodulphus corpora Geruaſij & Protaſij in oppido Briſach iuxta Rhenum collocauit.* Præmiſerat quod die Palmarum Fridericus corpora SS. Regum Mediolano Papiam ſecum tranſtulerit, & inde tranſmiſerit in Alemanniam. *Bernardinus Corius an. 1480.*

Geminam huic fere narrationem habet Chronicon Saxoniæ & Colonienſe, vtrumque circa hoc tempus prodiit & à me recitatum libro hoc. *Chronicon Colonienſe & Saxonicum.*

Felix Fabri Dominicanus Vlmenſis circa an. 1490. *Porro in deſtructione ciuitatis Mediolanenſis donauit Imperator Principibus & Epiſcopis corpora Sanctorū, & reliquias inuentas per eccleſias: inter quos Reinoldus Archiepiſcopus Colonienſis accepit corpora ſanctorum trium Regum de loco, vbi nunc eſt conuentus noſter, eaque Coloniam tranſportauit, vbi hodie clarent.* *Felix Fabri. lib. 1. hiſt. Sueuorum. c. 12.*

Iacobus Wimphelingus ſacerdos Spirenſis an. 1494. *Tum Fridericus direpta Verdona Mediolanum quoque ſolo æquauit, vnde trium Magorum corpora Coloniam Agrippinam translata tum crediderim à Rudolpho Colonienſi Archiepiſcopo.* *Iacobus Wimphelingus c. 32. Epitomæ Germanorum de Friderico.*

Rudolphus Langius Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis an. 1494.

Nunc Latij fabricata duces ſub nomine florens
Agrippina tenes, Sanctorum mœnibus altis
Sacratos cineres, atque oſſa exanguia Regum
Qui tribus auroræ regno fluxere beatis
Sedibus inuecti, donec Germanica tandem
Romanus aquilas ſeruans ingentia ſceptra
Auguſto hoc Reges veneraris maxima templo
Gaude ergo æternum, tam diuo munere felix

Rudolphus Langius in ſilua de SS. tribus Regibus.

Hermanus Schedel in 6. ætatibus.

Hermanus Schedel in 6. ætatibus in ciuitate Colonia. *Videtur ibi templum vrbe media pulcherrimum, quamuis inexpletum, quod haud immerito summum vocatur, Magorum ibi Regum corpora ab ortu vsque ad occasum tribus saltibus transuecta: quos ad æthereum quondam Regem ad præsepia vagientem cum muneribus venisse legimus.*

Franciscus Maurolycus 6. Ian.

Franciscus Maurolycus Siculus in Martyrologio: *Dicuntur autem Magi Gaspar, Balthasar, Melchior ex regione Saba fuisse, qui Balaam Prophetæ vaticinium secuti stellam obseruarunt. Deinde à B. Thoma Apostolo baptizati: horum corpora per Constantinum Imperatorem Byzantium: inde per Eustorgium Episcopum Mediolanum, & inde Coloniam translata perhibentur.*

Bernardinus de Bustis de Epipha.

Bernardinus de Bustis Mediolanensis Franciscanus: *Quorum corpora post felicem mortem primo per Helenam Constantini matrem reperta Constantinopolim translata sunt: deinde per S. Eustorgium Mediolanensem Episcopum Mediolanum sunt perducta, & vltimo per Fridericum Imperatorem Coloniam Teutoniæ sunt delata.*

Philippus Bergomus.

Phlippus Bergomus Augustinianus an. 1495. *Rodulphus Colonienſis, Archiepiscopus huic euersioni præsens adsistens, & ipse trium Magorum corpora, quæ S. Eustorgius Mediolanensis Episcopus Constantinopoli iam dudum Mediolanum transtulerat, quæ diu in campanili S. Georgij latuerant, vndecimo Iulij rapuit, & secum in Germaniam in ciuitatem suam cum gaudio transtulit.*

Chronicon Thuringiæ.

Chronicon Thuringiæ *an.* 1178. *Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis cum Friderico Barbarossa obsedit Mediolanum, eoque expugnato, obtinuit Archiepiscopus sanctos tres Reges loco stipendij, vt dicitur: tulitque Coloniam vbi modo adhuc quiescunt.*

CAPVT LV.

Testes seculi sexti decimi ab an. 1500. ad 1600.

Ennead. 9. lib. 5.

MARCVS Antonius Coccius Sabellicus an. 1500. *Fridericus tyrannum, Magens verius, quam Imperatorem Dertonam diripit, Mediolanum solo æquat, populum, qui in sex olim portas fuerat diuisus, in totidem velut colonias decimo ab vrbe, quam habuerant milliario relegat. Tunc trium Magorum corpora, qui Christum Regem recens natum in Iudæa adorarunt, in Coloniam Agrippinam translata quidam arbitrantur.*

Trithemius in Chron.

Ioannes Tritthemius circa an. 1500. *An. 1162. cum Mediolanenſes fidei, promissionis & iuramenti immemores obedientiam Imperatoris refugerent, ciuitas ipsa Mediolanensium rursus à Cæsare obsessa, & breui capta est, populus expulsus, murusque in circuitu deiectus & ædes omnes, exceptis Sanctorum templis solotenus destructæ; Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis corpora sanctorum Magorum, qui Christum in cunabulis adorauerunt de Mediolano consensu Imperatoris auferens, transtulit Coloniam, & in maiori ecclesia S. Petri collocauit; vbi vsque in præsentem diem miraculis multis coruscantibus in honore & reuerentia magna habentur.*

Raphaël Volaterranus lib. 7 in Germania.

Raphaël Volaterranus Italus anno 1505. *Proxima Colonia est Agrippina M. Agrippæ monumentum: qui hos populos à se victos & volentes in citeriorem ripam traduxit: hic corpora trium Magorum è Mediolano Friderici concessione translata maxima eius populi religione adorantur. Et l. 16. initio: Magi tres ex oriente fuere Gaspar, Melchior & Balthasar, quorum corpora in ciuitate Colonienſi.*

Alb. Crantzius lib. 6. M. c. 46.

Albertus Crantzius varijs in locis attingit in Metropoli ait. *Deinde renouata in Italiam expeditione Mediolanum quoque deiecit: tum Reinoldus corpora trium Regum inde extulit & Coloniam deportauit; erat autem an.* 1164. Et eiusdem libri c. 34. de Philippo Episcopo Osnabrugensi sic loquitur. *Vidit Sanctorum trium Magorum in ciuitatem Colonienſem deportationem, opera Reinoldi de*

Dassel

Dassel Comitis Archiepiscopi Coloniensis qui in expeditione militari pro Imperatore Friderico mortuus est in Italia peste. Fusius in Saxonia hoc modo narrat. *Et imprimis Reinoldum Archiepiscopum Coloniensem, qui superiore oppugnatione Mediolani corpora SS. trium Magorum dono accepta perduci curauit: vbi permanent magna veneratione in hodiernum: operæ autem pretium est enarrare ordinem eius translationis. An. erat 68. post centum & mille cum Cæsar Fridericus grauissima obsidione vrgeret Mediolanum; ciues ad extremam famem perducti deditionis fecere mentionem promissa incolumitate ciuium Cæsar vnum excepit ex vrbe primarium virum, qui rebellionis autor diceretur, quem etiam poscebat ad supplicium. Et vbi comperit Abbatissa loci in quo manebant corpora trium Magorum, germana soror eius viri, pacta est cum Archiepiscopo Coloniensi vitam fratri (sciebat enim ciues etsi non leuiter dederent hominem ad supplicium, extrema tamen fame pressos necessitati cessuros) & pro munere pollicetur sanctas istas reliquias. Sciens Archiepiscopus, indignationem & implacabilem iram Cæsaris in hominem, honesta fraude circumueniendum putauit Imperatorem; pro munere deposcens, quod Abbatissa exportaret; Cæsar non cogitans quid moliretur, indulsit: illa fratrem humeris vt potuit euexit. Cæsar non hoc permisisse clamitat, Archiepiscopus fidem promissionis efflagitat, nec facilè illum Cæsar contristauit: ita saluatur ille ad mortem destinatus, & ille sanctas ex pacto reliquias accepit, quas Coloniam præmisit.* l. 6. Sur. c. 24.

Ioannes Nauclerus Præpositus Tubingensis an. 1510. *Mediolano subuerso Imperator reliquias ibi inuentas inter prælatos & principes diuisit, trium quoque Magorum corpora apud S. Eustorgium, vbi nunc est habitatio fratrum Prædicatorum recondita, dedit Reinaldo Coloniensi Archiepiscopo, qui ea ad Coloniam honorificè deportauit, & in maiori Ecclesia decentissimè collocauit.* *Ioannes Nauclerus Ad annum 1164.*

Petrus Etterlinus Lucernensis lib. de rebus Helueticis an. 1507. Basileæ edito: *Cæsar Fridericus primus eius nominis cœpit Mediolanum, & Episcopo Coloniensi Reinaldo nominato donauit corpora SS. trium Regum salarij & stipendij loco: nam multis cum copijs & armis plurimum iuuit ad id expugnandum; tunc corpora SS. Regum involuta pannis, mercatoriarum instar sarcinarum per montem S. Gothardi deferebantur: & per lacum naui vecta, delata ad officinam, quæ sub domibus exstat; qui locus iam muro cinctus decoratur pulcherrimâ picturâ ad SS. Regum honorem erecta, quia ibidem noctem illam quieuerunt.* *Petrus Etterlinus.*

Ioannes Adelphus Argentinensis Doctor medicus an. 1520. *Hæc dum fierent Imperator noster reliquias & ornatum templorum diuisit inter præsules & principes ad ipsorum petitionem. Nimirum SS. trium Regum corpora, quæ Mediolani quiescebant in S. Eustorgio, vbi modo Patrum Prædicatorum conuentus est, donauit Cancellario Coloniensi Archiepiscopo, qui ea honorificè & laudabiliter secum vexit Coloniam vsque, & ibi deposuit in Metropolitana Ecclesia post aram principem, vbi hodieque quiescunt magnis prodigijs illustres, & donis ad solatium multorum Christi fidelium.* *Ioannes Adelphus in vita Frid. Barbarossæ.*

Nemo tamen plures translationis huius circumstantias, vt vocamus, in ea breuitate attingit, Bernardo Wittio Cœnobita Leisbornensi, cuius testimonium cum multa, quæ supra dicta sunt confirmat, visum est totum recitare.

Bernardus Wittius floruit an. 1515. *Eo ipso anno 1163. Imperator præfatum Reinoldum Episcopum cum Conrardo Palatino Comite Mediolanum ad exigendum tributum imperatori promissum misit, tributaria enim tota Italia & Lombardia imperatori erat, quibus quidem principibus non tributum modo negatum est, verum probrosis verbis exasperati inanes mutato etiam habitu, quo tutius euaderent, redierunt, quod ipsum & imperatrici, quo Mediolanum visendi gratia, & vt ciues cum imperatore concordaret, venerat, irrogarunt; nam asino ipsam extransuerso imponentes illuserunt.* Nota hæc narrari non vt eo facta anno, sed vt causas præmitti, facti eo anno excidij, pergit autem. *Quam iniuriam in se & Imperatricem nefarie patratam Imperator ferre non sustinens, aduocato exercitu cum magna principum & nobilium multitudine, Mediolanum obsedit, fuerunt autem in eius exercitu inter ceteros potentes Bohemiæ Rex* (potius regis filius) *Bernardus Wittius in chronico an. 1163.* imperatrix Mediolano contumeliosè eiicitur qui cum Cæsare oppugnarint Mediolanum.

Henricus Leo Saxonum, Bauariæque dux, Henricus dux Alsatiæ, *Fridericus dux Sueuorum, Ludowicus Lantgrauius Hassiæ, Conrardus Palatinus, Reinaldus Co-*
loniensis Archiepiscopus. Obsessi igitur & angustiati Mediolanenses conuentione cum
Henrico Leone clam facta, vt scilicet maximo auri pondere sese subtraheret ac obsi-
dionem suam solueret. Cogitabant enim ciues, si tanti exercitus principem ab exerci-
Henricus Leo corrumpitur pecunia. *tu deficere fecissent, alios quoque principes obsidionem soluturos; quæ tamen spes*
illos fefellit. Decepit itaque Henricum saeva auri fames, & soluta obsidione deser-
to Imperatore, vnde veneratus reuersus est; ceteri autem principes cum Imperatore in
obsidione perstitêre. Demum ciuitatem reddere coacti, hanc ab imperatore gratiam
receperunt, vt quantum quisque incolarum dorso suo ferre posset exituro cum vita
concederet. Erat autem in ipsa ciuitate senatorij ordinis vir quidam insignis, qui
totius rebellionis fomitem ministrasse dicebatur, quem ea causa sine omni gratia mor-
soror fratri vitam seruat. *ti obnoxium Imperator iudicauit. Is germanam Abbatissam monasterij non longe*
à muris positi habuit, cum qua inito consilio, quid sibi opus esset, vt mortem immi-
nentem effugeret, cœpit sciscitari. At illa Reinoldum Coloniensem Episcopum secre-
tius ad vrbis muros citatum, proposita causa trium Magorum corpora se Episcopo
daturam, si fratri vitam dari procuraret, spopondit. Exhilaratus Episcopus pro-
misso, spondet obsequium simul & adiutorium impendit. Vrbis enim portis crepu-
sculo apertis ab Imperatore, Episcopus Abbatissæ onus obtinuit, quæ fratrem suum
dorso imponens, trium Magorum pretio, fœtidum germani cadauer femina astuta
obtinuit, talique modo Imperatoris dolus a in Senatorem sententia est, corpora sancto-
rum Magorum cum corporibus SS. Naboris & Felicis martyrum clam Episcopus
Coloniam misit; hæc sancta trium Magorum corpora primum Constantinopolim
ex Persia, dein Mediolanum per Eustorgium eius Ecclesiæ Episcopum, natione Græ-
cum; iam tertio saltu Coloniam Agrippinam, quàm gloriosè exornant, delata.

Petrus Blomouena. Irenicus. lib. 3. c. 36. Hactenus breuiter & exactius ferè omnibus Wittius, qui Leone decimo floruit, cum Petro Blomouena Carthusiæ Colonienſis Priore, qui An. 1517. S. Brunonis vitam & panegyrim edidit, in hac ita ait: *Tres insuper Magi, qui in typo omnium Gentium Christum in carne primi ex Gentibus adorare meruerunt, in eadem vrbe (Colonia) per translationem: corporaliter requiescunt.*

& lib. 11. Irenicus in exegesi Ger. circa An. 1518. lucem vidit: *Hic etiam Philippus è Mediolano corpora trium Magorum Coloniam aduexit. Item huc corpora SS. Trium Regum translata.*

Erasmus Roterodamus Erasmus Roterodamus A. 1515. in epistola ad Heliam Mercæum: *Quin magis vniuersæ Coloniæ Agrippinæ magnopere censeo gratulandum. Vrbi tot modis felici, verum haud alio titulo feliciori, quam quod vna tam multa tamque eximia pietatis gremio suo complectatur, felicior etiam futura si quorum seruat reliquias, eorum virtutes exprimat, & quorum possidet corpora, ab eorum moribus non sit a-*
lib. 16. Chronici mundi. *liena: nimirum si trium Regum pietatem sinceritate religionis imitetur.*

Christianus Massæus Cameracensis. *Interim Fridericus subuersa Mediolano*
trium Regum corpora illinc transmisit Coloniam: quæ olim ex Persia allata fue-
runt Constantinopolim inde à S. Eustorgio Mediolanum.

l. 6. Annal. Boicorum. Ioannes Auentinus. Sed *ad Fridericum Barbarossam reuertor. Is excito Medio-*
lano, pacata Lombardia, in Germaniam redit. Tres Magos qui primi Christi in
cunabula adorarunt, quos Eustorgius Archimystes Mediolanensis Constantinopoli or-
tus Mediolanum consentiente Imperatore transtulerat, in Agrippinensium Colo-
nia, vbi adhuc omnis honos, atque memoria nominis habetur, condi iubet. Hi
ex sinu Persico Magorum cognomento, atque Arabia felice continua regione By-
zantium à Romanis Imperatoribus translati fuerant.

Ioannes Eckius floruit an. 1520 Ioannes Eckius hom. 1. de Epiph. *Hi namque Magi fuerunt, quos vulgo tres Re-*
ges dicimus, quorum corpora adhuc Coloniæ videntur & ho. 5. Adorato illo re-
uersi sunt, fidem quam semel à Deo acceperant vtique disseminarunt pro viribus suis
tantis per dñ S. Thomas veniens perfecta fidei sacramenta eis annunciauit: per quẽ illi
sedulo adiuti, conati quoque sunt subditos suos ad fidẽ amplectendã conuertere. Hi
Magi viri sancti feliciter deinde in fidei confessione defuncti sunt, eorumque corpora
post multos annos Constantinopolim delata sunt. Deinde temporibus S. Ambrosij

(elt

est hæc noua Bauarorum sententia) *aduecta Mediolanum per S. Arsacium, vbi multo tempore quieuerunt vsque ad Imperatorem Fridericum primum, qui dictus est Barbarossa, Princepsq; fuit & Dux, Sueuiæ, natus ex familia ab Hohenstauffen: is cum rebelles vicisset Mediolanenses, quater se dedentes, superata vrbe reliquias trium Magorum, simulque Geruasij & Protasij Episcopo Reinoldo Cancellario suo tradidit, qui & tria corpora Magorum Coloniam; Geruasij autem & Protasij in montem Brisiacum seu Brucomagum transtulit anno Christi* 1165.

S. Ambrosii tempore translati per S. Arsacium.

Hector Boëthius vixit 1525. *Præter hos Rodolphus Archiepiscopus Colonienſis, qui trium Magorum (quos Reges vocant) corpora olim ex Perside Constantinopolim, & postea Constantinopoli Mediolanum translata, cum ea etiam vrbs per Fridericum Imperatorem delata fuisset Coloniam Agrippinam transportauit: vbi in magna omnium veneratione habentur.*

Hector Boetius lib. 13. hist. Scotorum 279.

Wilhelmus Heda Arnemiensis Præpositus an. 1521. *Inuenio magnam temporis varietatem: quidam scribunt circulum visum (instar iridis cum quatuor radijs protensis ad formam crucis) circa lunam an.* 1152. *Kal. Aprilis. Alij* 1162. *quo tempore Fridericus Augustus vrbem Mediolanum rebellantem euertit, & Rodolphus Archiepiscopus tres Magos Coloniam adduxit.*

Wilhelmus Heda in hist. Episcoporum Vltraiect: inter Herm. & Godefridum.

Petrus Faber an. 1542. et sequen. misit ad SS. Regum corpora locios peregrinatum: hortatus etiam discessurus *tutelares præcipue cælites implorare condiscerent, eorum præsertim, quorum corpora Coloniæ solum terramque cohonestarent: tres sanctos Reges.*

Orland. in hist. Societ. l. 4. n. 108.

Georgius Vicelius an. 1550. *Magi tres ex oriente fuere Caspar, Melchior & Balthasar, quorum corpora in ciuitate Colonienſi. De translatione Magorum ex Mediolano, in Coloniensem ciuitatem opera Reinoldi Colonienſis Archiepiscopi vide Crantzium.*

Vicelius l. de sanctis ecclesiæ fol. 106.

Demochares an. 1550. *Philippus corpora trium Regum Mediolano Coloniam detulit; sunt qui id Reinoldo tribuant.*

Demochares in cata. Archiepiscoporum col. de sacrificio.

Leander Bononiensis S. Dominici professus regulam an. 1550. *Trium Magorũ corpora, quæ in æde D. Eustorgij seruabantur, hinc Agrippinam Coloniam transtulit; Comites Anglerianos adeo insectatus est, vt parceret nemini, soluſque Viuianus mortem euaderet, qui Bononiam profugerat. Mediolanum cæperunt instaurare an.* 1167. *idibus Aprilis.*

Albertus in Lombardia transpadana p. 668.

Hæc vltima congruunt nostræ Chronologiæ: cum enim quinquennio post excidium elapso è custodia Gualfago Comite Angleriæ sit instauratum, oportuit exscindi an. 1162. circa Aprilem.

Henricus Pantaleon Basileæ editus an. 1550. in Chronographia ecclesiæ circa an. 1165. *Trium Magorum corpora à Mediolano Coloniam transferuntur. Sabellicus Eu. 9. l. 5*

Henricus Pantaleon.

Iacobus Meyerus obijt an. 1552. *Tradit Matthæus Palmerius corpora trium sanctorum Magorum, qui Christo attulere munera eodem anno* (1168.) *ab Mediolano Coloniam Agrippinam esse translata.*

Meyerus in Annal. Flandriæ lib. 5. an. 1168.

Ioannes Dubrauius Episcopus Olomucensis anno 1550. *Sed & ceteros principes pro merito quemque suo lautè remunerauit: Archiepiscopo verò Colonienſi permisit, vt trium Magorum corpora inde Coloniam Agrippinam deportaret.*

Ioannes Dubrauius.

Sebastianus Brant Argentinensis:

Sebastianus Brant.

Vos ò fatidici Reges tria lumina mundi,
Sidera lustrantes stelliferumque polum
Solis ab exortu Bethleemica rura secuti
Regia liquistis atria, tecta, domus:
Quæsistis regem stella duce cunctipotentem
Protinus autorem sideris atque noui
Vidistis Dominum pecora inter inertia Christum,
Vidistis puerum cum genitrice Deum
Oscula vos genito: vos regia dona tulistis,
Vos contrectastis membra beata manu.

Munere libaſtis cum Virgine matre locuti,
Cumque paranympho nutritioque Ioſeph.
Quæ potuit maior homini eueniſſe voluptas,
Gloria, felicitas, quæ pietas, vel honor
Quam vidiſſe oculis ante omnia ſecula natum
Carnigerumque Deum, quam tenuiſſe manu?
Vos Arabes primum, & Panchaica rura fouebant,
India vos tenuit Gangeticique lares.
At modo Agrippini modo diua Colonia ſeruat:
Hoc ſub ſarcophago corpora veſtra ſacro.
Proinde pijs precibus humili quoque mente precamur,
Ferte patrocinium præſidiumque reis
Et ſtabili nexu, concorde & pace ligate
Chriſticolas cunctos imperiumque ſacrum.

Gonzales Ileſcas. Gonzales Ileſcas lib. 5. pontificalis hiſtoriæ in Alexandro 3. *Eo tempore extracta ſunt Mediolano corpora trium Regum translata Coloniam, vbinunc quieſcunt, cum eſſet Archiepiſcopus Mediolanenſis Hindulphus frater Auguſtinianus.*

Georgius Braun. Georgius Braun in theatro vrbium: hic in deſcriptione templi Metropolitani S. Petri Colonienſis ita ait: *intus multorum Principum, Epiſcoporum & Ducum ex cupro & alabaſtro tumbis, atque adeo trium Magorum, item Felicis & Naboris & Geruaſij corporibus illuſtratur.*

Carolus Sigonius lib. 13. de regno Italiæ. Carolus Sigonius an 1570. refert ad an. 1164. *Ad ceteras calamitates illa quoque Mediolanenſibus eſt adiuncta, quã ipſi omniũ grauiſſimam iudicarunt, quod veneranda trium Magorũ corpora magna religione ab ijs culta, Reinoldus Archiepiſcopus vrbe extraxit, eaque Italia cedens Coloniam tranſportauit.*

Caniſius ad 23. Julij. Caniſius circa an. 1570. in Martyrologio: *Item Coloniæ translatio ſanctorum trium Regum ſeu Magorum orientis, qui primitiæ Gentium, ſeu primi Gentilium omnium Chriſtum recens natum Bethlehemi viderunt, agnouerunt, & adorauerunt, quorum corpora primum per Imperatorem Conſtantinopolim; inde per S. Euſtorgium Mediolanum prodigioſè translata ſunt. Cum autem Fridericus primus exſcinderet Mediolanum an. 1164. à Reinoldo Colonienſium Archiepiſcopo, qui Cæſari venerat auxilio, & magno populi totius plauſu in ædem principem delati, coruſcant magnis miraculis.*

Michael ab Iſſelt lib. belli Colon. fol. 1.. Michäel ab Iſſelt an. 1584. *poſt Romam eccleſiarum matrem, neſcio ſi qua in occidente vel antiquitate celebrior vel dignitate maior ſit Colonienſi. Hæc trium Magorum, qui puſionem Chriſtum in Bethlehem adorauerunt corporum hierotheca.*

Cornelius Nicoleſian⁹. Cornelius Niodeſianus initio eiuſdem libri.

Agmina Sanctorum pia pro te carmina fundunt,
Tota Dei pro te ſupplicat alta domus,
Ante pedes iaciunt ſua tres diademata Reges,
Oſſibus orantes fana quieta ſuis.

Petrus Galleſinus. Petrus Galleſinus S. R. E. Protonotarius 6. Ian. *Sanctorum trium Magorum Regum corpora Conſtantinopolim è Perſia pridem translata, & in Baſilica S. Sophiæ auguſtiſſimo apparatu collocata: inde ab Euſtorgio Epiſcopo Mediolanum delata: ibique ſexcentis & 70. annis in Euſtorgiana religioſè adſeruata, demum Friderico Ænobarbo Imperatore Coloniam ab Reinoldo Archiepiſcopo aſportata reconditur.*

Lib 4. Rheni. Bernardus Mollerus.

Petrus Agrippinæ ſperni delubra videret
Omnia ſi culto ſurgeret ille ſitu.
Ante chori frontem, qua ſol exſurgit Eoo
Qua reducem pulchro reddit amore diem.
Tres ibi ſub trino tumulantur tegmine Reges,
Quos docuit Chriſti ſtella ſ[illegible]

Qui

Qui tumulum carnis crebro mutare coacti
Hic stabili semper pace sepulcra tenent.
Hic vt ad amissæ repetantur tegmina carnis
Cum fixo steterit cardine mundus, erit.

Laurentius Surius Carthusianus. *Anno 1531. pride Epiphaniæ Domini Ferdinandus Coloniæ in primario templo vbi trium beatissimorum Magorum corpora condita adseruantur, Electorum Principum suffragijs creatus est Romanorum Rex.* commentario in orbe gestarum.

Ioannes Molanus Doctor Louaniensis in additionibus ad Vsuardum editis circa an. 1580. *Apud Coloniam Agrippinam translatio trium Regum Magorum, qui in euangelio leguntur nato in Bethlehem Saluatori, aurum thus & myrrham obtulisse, quorum pignora vna cum corporibus SS. Martyrum Felicis & Naboris Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis à Friderico Imperatore postulata Mediolano Coloniam honorificè transtulit.* Ioannes Molanus ad diem 23. Iulij.

Thomas de Trugillo Dominicanæ familiæ an. 1580. *Tempore Alexandri tertij fuerunt translati isti Magi ex Mediolano Coloniam.* & infra ait, *horum corpora per aliquot tempus mansisse apud Constantinopolim; deinde vero translata fuisse Mediolanum, & indetandem Coloniam* Thomas de Trugillo 6. Ian. de epiphania.

Abrahamus Bucholcerus an. 1580. in Chronologia *an. 1162. Mediolanum à Friderico Imperatore captum, populus expulsus, murus deiectus, & ædes omnes exceptis Sanctorum templis euersæ: Reinoldus Colonienſis à Friderico impetrauit corpora trium Magorum, qui Christum infantem adorauerunt, Mediolani extra muros ante portam Romanam seruata, quæ Coloniam secum detulit, & in ecclesia maiore collocauit.* Siffridus. Bucholcerus.

Alphonsus Salmeron circa an. 1580. *Idem postremo ab eorum corporibus, quæ tria Coloniæ Agrippinæ magna cum veneratione adseruantur, planum sit atque perspicuum.* Salmeron.

Martinus Crusius circa An. 1590. refert ad an. 1162. post narratum excidium: *Abstulit inde Fridericus corpora trium Magorum seu Regum (Constantinopoli an. 311. Mediolanum deportata) item Geruasij & Protasij, Naboris & Felicis. Magorum, deinde corpora Coloniam per Archiepiscopum Reinoldum translata & in ecclesia S. Petri reposita*: iterum: *Mediolanensibus molestissimum erat trium Magorum corpora, quæ ipsi religiosissimè coluerant, Coloniam Rheni esse asportata.* Martinus Crusius lib. 11. p. 2. Sueu. Annal. ad an. 1162. c. 2. & 3.

Gerhardus Kleinsorgius septem Archiepiscoporum & Electorum Colonienſium consiliarius circa an. 1590. *an. 1164. occupato & destructo à Friderico Cæsare Mediolano idem Cæsar Reinoldo Electo Colonienſi Archiepiscopo corpora orientalium Magorum, seu trium Regum, SS. etiam Martyrum Felicis & Naboris donauit; quas reliquias Reinoldus Coloniam deferri, totiusque populi iubilatione & tripudio in metropolitana, alijsque ecclesijs reponi fecit.* Kleinsorgius in ecclesiasticis Westphaliæ

P. Ioannes Azor p. 2. lib. 1. c. 11. *Postea anno salutis 1164. Fridericus Ænobarbus Imperator, cum Mediolanum vrbem obsessam & tandem captam diruisset. Reinoldo Archiepiscopo Colonienſi concessit, vti veneranda illa corpora Mediolano extraheret. Tunc ille pius ac bonus Pontifex in vrbem Coloniam asportauit, quam certè calamitatem Mediolanenses grauissimam iudicauerunt, vt refert Sigonius.* P. Ioannes Azor.

Ildefonsus Giron Dominicanus Hispanus. *Hi tres ab Apostolo Thoma baptizati & Episcopi in oriente instituti sunt, horum corpora tempore Alexandri tertij Mediolano Coloniam translata.* Ildefonsus Gyron.

Cratepolius Minorita circa an. 1590. in Archiepiscopis Colonienſibus. *Imperator obsedit Mediolanum, cepit & expugnauit. Hic cum omnes suis studerent commodis, Reinoldus summis apud Imperatorem institit precibus, vt pro suo labore trium Magorum posset pignora habere: inductus igitur, licet ægerrimè, concessit tandem pretiosissima Regum Naboris & Felicis Martyrum corpora, quæ Reinoldus cautissimè anno Domini 1164. transmisit Coloniam.* Cratepolius in Reinoldo.

Cornelius Scultingius prodijt anno 1599. *Sanctorum trium Regum corpora mater Imperatoris Constantini Magni S. Helena Constantinopolim transtulit, ac deinceps ea Eustorgius Episcopus Mediolanum; vbi aliquanti per quie-* Cornelius Schulturgius in B. bl. ecclesia E. To 2. p. 2. æstiuali fol. 18.

quieuerunt : donec ea Imperatore Friderico huius nominis primo possidente Mediolanum, circiter annum Domini 1164. *per Reinoldum Archiepiscopum fuerunt Coloniam Vbiorum transportata.*

CAPVT LVII.

Testes seculi septimi decimi ab anno 1600.

Petrus Simon Tiletanus c. 4. tract. de Epiphan.

PETRVS Simon Tiletanus Episcopus Iprensis floruit anno 1600. *Quibus consonat tum communis Christianorum opinio, tum quod Coloniæ totidem corpora esse dicuntur eo ex Mediolano translata.*

Iacobus Middendorp. lib. 5. Academ.

Iacobus Middendorpius circa annum 1600. in descriptione metropolitani templi Colonienſis. *Ac primum quidem est maximum fanum re ac nomine summum ex lapide viuo admirabili arte elaboratum, D. Petro dicatum: intus multorum Principum, Episcoporum, & Ducum ex cupro & alabastro tymbis atque adeo trium Magorum, item Felicis & Naboris & Gregorij corporibus illustratur.*

Hier. Xauerius in vita Christi Persica.

P. Hieronymus Xauerius in historia vitæ Christi Persica: vixit an. 1602. *Post mortem corpora ipsorũ Constantinopolim deportata fuerunt, inde Mediolanũ, Mediolano in vrbem Coloniam, & ad hoc vsque tempus ibi sunt, hominesque sepulcris ipsorum honorem custodiæ faciunt.*

Franciscus Haræus. t. 1. an.

Franciscus Haræus an. 1605. *Horum corpora olim è Perside vel Arabia Felice primum* S. *Helenæ Augustæ studio Constantinopolim allata, inde Mediolanum ab Eustorgio eius vrbis Episcopo traducta: tandem capto Mediolano à Friderico primo Imperatore Coloniam Agrippinam an.* 1164. *vnacum corporibus SS. Felicis & Naboris Martyrum à Reinoldo Archiepiscopo translata sunt.*

Bosquier in ara cœli.

Philippus Bosquier an. 1606. *In qua vrbe* (Colonia) *trium Regum istorum corpora summa religione adseruantur: quæ primum Augustæ studio Constantinopolim allata: inde Mediolanum ab Eustorgio eius vrbis Episcopo traducta; tandem anno post Christum natum* 1164. *vna cum corporibus SS. Felicis & Naboris Martyrum Coloniam Agrippinam à Reinoldo Archiepiscopo translata, ibidem in æde D. Petri deposita fuisse.* Laudat testimonium additionum Vsuardi.

Erardus Vvinheim in sacrario Colon.

Erardus Winheim Carthusianus an. 1607. *Reinoldus sicut gratia & autoritate apud Imperatorem valebat plurimum: maximè, quia in illa militari expeditione ipsi in adiutorium occurrerat corpora Magorum commemorata simul cum corporibus SS. Felicis & Naboris muneris loco ab Imperatore accepta, Mediolano Coloniam transtulit.*

Hadrianus Hecquetius.

Hadrianus Hecquetius Cramelita Theologiæ Doctor citatus eodem anno ab Erardo, de Colonia sic loquitur.

Tres tibi sunt Reges magni tria lumina mundi,
Cum quibus haud dubiè est cœlica multa cohors.

Petrus Ribadeneira in Flore sanctorum

Petrus Ribadeneira: an. 1612. *corpora illorum ex Oriente Mediolanum translata illic hæsere, donec illa Insubriæ metropoli à Friderico Barbarossa Cæsare expugnata soloque æquata, Coloniam Agrippinam auecta deponerentur: vbi condita etiamnum confluentis vndique populi honoribus non immunes coluntur, Deo frequentia sanitatum beneficia supplicibus sanctorum Regum clientibus erogante.*

Ægidius Bucherius.

Ægidius Bucherius in Chronologia Episcoporum Leodiensium an. 1613. *anno* 1163. *corpora trium Regum in diœcesi Mediolanensi inuenta Reinoldus Colonienſis Archiepiscopus Coloniam infert. Auctar. Gemblac. sed Dodech. Tritth. & alij ad annum superiorem referunt. Godefridus ad sequentem & Ægidius.*

Vincentius Regius in c. 2. Matth.

Vincentius Regius an. 1615. *De inuentione eorum lege Sigonium an.* 1159. *de regno Italiæ. Scribit enim à Mediolanensibus destruentibus monasterium D. Eustorgij inuenta in aditu templi, cum ossibus, neruis, ac pelle super inducta: accidit hoc tempore Friderici Imperatoris: de translatione vero eorum facta Coloniam an.* 1162. *lege Antoni. & Tritthem.*

Chapeauille t. 2. Ep. Leod.

Ioannes Chapeauille narrat ex Roberto de monte inuentionem corporum SS.

Regum

Regum : ex fasciculo temporum translationem Coloniam, cui subdit. *Corpora sanctorum Regum prius fuisse donata huic Henrico Episcopo, quam Archiepiscopo Colonienſi post autorem nostrum asserunt Ioannes Presbyter Gesta Abbatum S. Laurentij, Chronica nostratia, Brustemius. vide ibi cetera*

Cornelius Graas an. 1616. *Primum Helenæ Augustæ studio Constantinopolim allata, inde Mediolanum ab Eustorgio eius vrbis Episcopo traducta : demum anno post Christum nato 1164. vna cum SS. corporibus Felicis & Naboris Coloniam Agrippinam à Reinoldo Archiepiscopo translata. ibidem deposita fuere.* Cornelius Graas To. 1. 6. Ian.

Adelarius Ericius in Iuliacensi historia Germanica. l. 5 in catalago Colonienſium Archiepiscoporum, in Reinoldo ait: *Huius tempore reliquiæ SS. trium Regum dicuntur esse Coloniam translatæ, vide Crantzium.*

Christophorus Browerus obijt 1617. *Insequens annus (1162.) translatis ex Italia sacris trium Regum corporibus Coloniam Agrippinam oppido quam illustrauit: quippe hæc sacrata pignora olim ex Palæstina Constantinopolim, & inde Mediolanum translata paucis ante annis in suburbano Mediolanensiũ augustissimo S. Eustorgij monasterio reperta, atq; hostium metu in vrbem inde traducta: denique ciuitate hoc anno incolis à Friderico exhausta afflictaq; à Reinoldo Archiepiscopo Colonienſi in Germaniam singulis loculis deportata, cum summa populi gratulatione in D. Petri maximo templo venerabili inprimis, & opulentis pretiosisque magnatum donarijs illustri post conditorio reposita,* Christoph. Brouverus in An. Treuir. an. 1162.

Seuerinus Binius an. 1618. in Alexandro 3. *Interim Fridericus Mediolanum tertio expugnatum diruit, & solo æquauit: tria Magorum corpora Reinoldo Colonienſi Archiepiscopo donauit, qui eadem Coloniam transtulit.* Seuerinus Binius To. 3. concil. p. 2.

Iosephus Ripamontius Mediolanensis scriptor an. 1618. *Ac ne Magi quidem ibi diu fuerunt propter iniuriam scilicet Ænobarbi, qui decus illud inuidit Italiæ, & Reinoldo Archiepiscopo Colonienſium sacrilegus largitor donauit.* Et alibi. *Corpora trium Magorum, itemq; Geruasij & Protasij, Naboris & Felicis extra communem iniuriam fuere; sed vt auferret sibi, non vt relinqueret nobis ea subsidia barbarus &c.* Ripamon. l. 2. hist. Ecclesiastic. Mediol. Eustorgio l. p. 2. lib. 2.

Coniungo huic Mediolanenſes alios quosdam scriptores, quorum me fugit ætas.

Tristanus Calcus. *Erant trium Regum Magorum, qui Christum Deum recens natum adorauerunt corpora in suburbana D. Eustorgij æde prægrandi sepulcro, quod & exstat, clausa. Quorum excellentiæ admonitus Reinoldus præsul ea simul & ossa Naboris & Felicis, quarto idus Iunij sustulit, & in suæ diœcesis Metropolim transtulit, vbi adhuc summa populorum veneratione coluntur.* Calcus Med. hist. l. 11.

Paulus Morigi in enumeratione reliquiarum templi S. Eustorgij. *Præter hæc sacra corpora spectatur hic arca miræ magnitudinis, qua olim continebatur loculus sanctorum trium Regum, nummus etiam aureus ostenditur, quem ijdem Christo infanti obtulerunt.* M. Paulus de nobilit. Mediola.

Franciscus Besozzus Mediolanensis in pontificali historia Mediolanensium: *Vberto Archiepiscopo Mediolanenſes arma contra Fridericum Barbarossam, vt se in libertatem asserent, sumserunt: deiectis castellis & templis suburbanis; translatisque ex magnifico S. Eustorgij templo reliquijs in vrbem: inter quas reperta corpora SS. Regum. Erant autem tota, integra, incorrupta cum carne & pelle tot seculis conseruata: ea Archiepiscopus magna pietate in vrbem transportauit: breui post capta & euersa ciuitate cum Friderico ea cum multis alijs reliquijs Reinoldus Archiepiscopus Colonienſis ab Imperatore obtenta, transtulit in Metropolim suam, & deposuit in ecclesia, vbi modo quiescunt.* Francisci Besozzi in pontificali in Vberto 86. Epis.

Ciaconus Dominicanus an. 1620. *an. 1164 vrbs Mediolanum à Friderico capta magnum in ea crudelitatis virus exercuit, dum non solum diruerit, vt nec lapis super lapidem superfuerit : ad ceteras calamitates illa quoque Mediolanenſibus est adiecta, quam ipsi omnium grauissimam iudicauerunt, quod veneranda trium Regum corpora de Perside iam olim Constantinopolim ab Imperatore translata, & inde à S. Eustorgio Mediolanum miraculosè aduecta, & magna religione ab eis culta, Arnoldus* (rectius Reinoldus) *Archiepiscopus Colonienſis vrbe extracta, Italiæque ablata Coloniam transportauit. An 1162. vbi in templo maximo hodie requiescunt.* Ciaconus in Alexandro 3.

Claudius Roberti an. 1620. *Reinoldus transtulit Mediolano Coloniam corpora trium Regum seu Magorum.* Claudius Roberti in Gall. Christ. in Cat. Arch. Col.

Fran-

Scottus in itinerario.

Franciſcus Scottus an. 1620. *Hic vrbe media templum videtur magnificum, vbi trium corpora Magorum ſeruantur, qui Chriſto in Bethlehem recens nato munera obtulerunt.*

Adamus Contzen in 1. Matth.

Adamus Contzen an. 1620. *Hiſtoria vero corporum ſacrorum Mediolano Coloniam aductorum, non publicam modo ſcriptorum fidem, ſed illius nobiliſſimæ eccleſiæ etiam documenta habent.*

Bannelius in translatione S. Odiliæ pag. 83.

Ioannes Bannelius: *Notandum quod vrgente neceſſitate, dum ad operis fabricæ Colonienſis perfectionem, quæ in honore Virginis glorioſæ fundata eſt, & B. Petri Principis Apoſtolorum vocabulo inſignita, in qua trium SS. Regum, qui Regem Regum altiſſimum meruerunt oculis carneis intueri, & eum myſticis muneribus adorare corpora venerabiliter requieſcunt, eccleſiæ non ſuppeterent facultates, viri morum vitæq; ſanctitate integerrimi adſumti ſunt ad ad collectionem pecuniarum.*

Iacobus Gretzerus in lib. de Magis Euangel. in Menologio. Col. 23. Iulij.

Iacobus Gretzerus an. 1623. in poſthumis. *Dico corpora trium Regum Coloniæ nunc ſumma populi veneratione adſeruari.* Siffridus: eadem leguntur in compilatione hiſtorica.

Sebaſtianus Broëlmannus. *Magorum trium translatio Patronalia Colonienſia in æde metropolitana ſolennia annua ſunt: cum an. Chriſti 1162. ex Mediolano Italiæ per Fridericum primum Barbaroſſam euerſo ad vrbem hanc appuliſſet theſaurus corporum trium Magorum integrorum, ſimul SS. Felicis & Naboris Martyrum Cæſaris victoris ex optimis ſpolijs egregium ac tale donum, cuius nulla in terris eſſe poſſet æſtimatio,*

Philippus Ferrar. in noua catal. SS.

Philippus Ferrarius Alexandrinus an. 1625. *Coloniæ translatio SS. trium Magorum ex vrbe Mediolano.* Et in notis. *Facta eſt ſub Friderico I. qui illorum corpora Mediolano ab ipſo euerſo ſublata Coloniam per Reinoldum Archiepiſcopum tranſmiſit: vt habent vrbis Mediolanenſis annales.*

Franciſcus Biuarius ad an. 70. Chronici Dexiri.

Franciſcus Biuar. Hiſpan. an. 1627. *Mediolano euerſo, arca illic dimiſſa, Sanctorum (Regum) corpora Coloniam translata ſunt: vbi hodieque magno Chriſtiani populi concurſu venerantur.*

Chyſoſtomus van der Sterre Abbas Antuerpienſis in notis ad vitam B. Hermanni Steinveldenſis. Colonia ſupra omnes vicinas vrbes magno Dei munere plurimis eſt nobilitata SS. reliquijs: præter enim tria Magorum corpora habet quoque, &c.

Laur. Beierlinck in theatro. V. religio. V. prudentia. fol. 77.

Laurentius Beierlinck an. 1630. *Reinoldus Epiſcopus Colonienſis Mediolano expugnato à Friderico Imperatore ex templo S. Euſtorgij corpora trium Regum cameło impoſita Coloniam miſit an. 1162. item Naboris & Felicis Martyrum:* Chronicon Saxoniæ & Bambergenſe, Crantzius: & alibi. *Cum Fridericus grauiſſima obſidione vrgeret Mediolanum, ciues ad extremam famem perducti, deditionis fecere mentionem promiſſa incolumitate ciuium. Cæſar vnum excepit rebellionis autorem. Id vbi comperit Abbatiſſa loci, in quo manebant corpora trium Magorum germana ſoror eius, pacta eſt cum Reinoldo Archiepiſcopo Colonienſi vitam fratri: ſciebat enim ciues extrema fame preſſos neceſſitati ceſſuros; & pro munere pollicita eſt ſanctas illas reliquias: Archiepiſcopus ſciens indignationem Cæſaris, honeſta fraude illum circumveniendum putauit, pro munere deposcens, quod Abbatiſſa exportaret, Cæſar indulſit: illa fratrem humeris, vt potuit euexit: ſic ille ſeruatus eſt, & Epiſcopus ſanctas ex pacto reliquias accepit, & Coloniam miſit: de Parthia dudum venerant Conſtantinopolim, & inde Mediolanum.*

Aubertus Miræus in Chronico Belgico. P. Ioannes Roberti in Henrico 2.

Aubertus Miræus an. 1163. *An. 1630. Mediolano capto & euerſo Fridericus in Germaniam menſe Sept. redit an. 1163. corpora trium Regum prope Mediolanum inuenta Reinoldus Archiepiſc. Colonienſis ad eam vrbem defert Auct. Affligim.*

P. Ioannes Roberti in Legia Catholica an. 1633. *In Italiam ſecundo profectus corpora trium Reg. Magorum pro eccleſia ſua Leodienſi obtinuit prope Mediolanū reperta; ſed Epiſc. apud Papiam defuncto delata non ſunt: quieſcunt modo in Colonia Agrip.*

Andreas Sauſaius in Martyr Gallic.

Andreas Sauſaijus an. 1637. 1. *Auguſti & in ſupplemento 6. Ian. Coloniæ SS. trium Regum: horum corpora S. Helenæ auguſtæ ſtudio Conſtantinopolim allata ex orientes ibidem in eccleſia S. Sophiæ permanſerunt.* & infra: *qui cum Euſtorgium Mediolanenſem Epiſcopum natione Græcum cariſſimum haberet, eidem inſtanter flagitanti ipſamet pignora donauit: qui eadem Mediolanum tranſuecta, in eccleſia Virginum*

Chriſt

Coloniam : vbi hodie magno hominum concursu & religione coluntur : ibique eadem ego ipse sæpe veneratus sum.

Melchior Inchofer optimè de SS. Regibus libello suo meritus, qui prodijt an. 1639. Romæ *Plerique consentiunt ex Persida vel Arabia Felice, vel vndecunque tandem orientalium regionum translata esse horum sacra corpora, primum Constantinopolim, hinc Mediolanum : denique Coloniam Agrippinam.* Triplicem hanc translationem doctè persequitur c. 89. *Melchior Inchofer.*

Ægidius Gelenius in Colonia supplice A. 1639. *Hæc Regum tria corpora ex Oriente Constantinopolim, Constantinopoli Mediolanum, inde illo capto sub Friderico Barbarossa Imperatore, & Reinoldo Agrippinensium Archiepiscopo Coloniam magnifico triumpho & gaudio sunt adducta, vna cum alijs corporibus Sanctorum ex Italia rebellante abstractis, vbi ex eo tempore celebrantur accursu populorum, & à Deo honorantur gloria miraculorum.* *Ægidius Gelenius.*

Bernardus à Mallinckrot Decanus Monasterienſis, A. 1640. *Expugnato Mediolano tria SS. Magorum corpora, siue victoris dono accepit, siue vt alij volunt, clam abstulit, quæ Coloniam ab ipso deucta, magnâ illic aliquot seculis religione coluntur.* *Bern. à Malinckrot in Camcellarijs sub Friderico pag. 10.*

Hermannus Fley Swertensis in annalibus circuli Westphalici, anno 1640. publicatis : *Horum Regum nomina sunt Melchior rex Arabiæ, qui aurum : Balthasar rex Sabæ, qui thus, & Caspar rex Tharsis, qui myrrham Christo obtulit : quorum corpora circa annum Christi 1163. Mediolano post vrbis illius expugnationem Reinoldus Archiepiscopus Coloniensis transtulit Coloniam, & in metropolitana eius temporis basilica honorificè collocauit.*

Ioannes Bollandus in Ian. & in indice chronologico : *Anno 1163. corpora trium Regum Mediolano Coloniam transferuntur* *Ioannes Bollandus.*

Iacobus Merlo Horstius, pastor in Pasculo S. T. L. in Paradiso suo anno 1644. quo mortuus reviso & recuso piè ad SS. Reges orationem vulgauit hoc præmisso titulo: *Commendatio & oblatio ad sanctos tres Reges, quorum sacra corpora religiosè adseruat & colit Agrippina Colonia.* *Iacobus Merlo Horstius. pag. 112.*

Bartholomæus Fisen lib. 10. historiæ Ecclesiæ Leodiensis : *Comparantes se ad obsidionem sustinendam Mediolanenses ædem S. Eustorgij suburbanam, ne hostibus esset præsidio, diruerant, recuperantque intra vrbis portas sacra corpora sanctorum Magorum, qui Christum infantem olim adoratum venerant, ducem stellam secuti. Sacra pignora Constantinopoli detulerat olim Eustorgius, obtinuit ab Augusto Henricus pro ea, qua erat apud ipsum gratia, vt sanctissimum illud depositum auehere Leodium liceret, annuit Cæsar in præmium fidei, qua Mediolani præfecturam obibat. Verum Ticini prius viuis ereptus est, quam sacram illam gazam misisset ad ecclesiam suam. Suæ igitur attribui Reinaldus Coloniensis Archiepiscopus obtinuit, nemine Leodiensium causam agente. Deportata Coloniam sacra corpora in hodiernum diem eximia Christiani populi veneratione seruantur.* *Bartholomæus Fisen*

CAPVT LVII.

Aliud egregium translationis SS. Regum vestigium Pragæ, & Brunæ in Morauia ob translatam Pragam, & deinde Brunam in direptione Mediolanensi imaginem Deiparæ thaumaturgam à S. Luca depictam: & ex Augustinianorum Patrum aduentu Coloniam.

MEDIOLANVM secundo fuit, vt supra vidimus, à Friderico Cæsare corona centum millium, & plurium oppugnatum, & expugnatum: vtraque vice plurimum Bohemi contulerunt. Nam prima quidem victoria vni ferè Vladislao tunc recens coronato Regi tribuitur : in altera obsidione Theobaldi fratris eius auxiliares copiæ ad continuandam oppugnationem multum valuerunt; qui qua erat in Deiparam præcipua veneratione eius elegantissimam iconem S. Lucæ manu ad viuum expressam ex omnibus elegit spolijs, & Pragam transtulit tunc, cum Reinoldus sacra *Bohemorũ virtus in expugnando Mediolano.* *datur ijs imago Deiparæ à S. Luca picta.*

trium Regum corpora Coloniam Mediolano deportaret, vbi ad an. vsque 1356. summa religione culta per Ioannem Marchionem Morauum fratrem Caroli quarti Cæsaris Brunam in Morauiam est translata ad ædem Eremitarum S. Aug. Deiparæ sacram. Seriem rei gestæ, adiecta triplici SS. Regum translatione persequitur eleganter Felix Milensius, quamuis in paucis sit corrigendus: ex eo obtentæ sacræ iconis historiam recitabo. Bruna vrbs Morauiæ diœcesis Olomucensis, Olomucio specie, nobilitate, & magnitudine proxima. vino frugibusque diues decoratur monasterio S. Thomæ inter aggeres sito: à Ioanne Marchione Morauiæ, autoritate Innocentij VI. sumtuosè non minus quã piè an. 1356. ad honorem D. Mariæ ab Annunciatione & D. Thomæ Apost. fundato: imaginem S. Lucæ manu elaborată ibi seruari his confirmat testimonijs. *Ipsa*, ait, *basilica locupletatur deuotissima imagine matris Dei multis miraculis celebrata, quã à Luca Euang. fuisse depictam vna omnium est vox, & pleraque in hoc exstant testimonia. Meminerunt eiusdem sancti pictoris in suis diplomatibus indulgentiarũ Wenceslaus Patriarcha Antiochen. & Ioannes Episc. Lubecensis an.* 1405. *Landolphus Cardinalis in carcere Iulliano an.* 1409. *Vilhelmus Episc. Nicopolensis an.* 1443. *& alij.*

Brunæ in Morauia

testes quod sit depicta à S. Luca.

Narrat deinde triplicem eius translationem: sed in prima Constantinopoli Mediolanum, adductus in errorem à Petro Galesino, eam Eustorgio II tribuit: quod Eustorgius I. iure suo sibi vindicat: sic enim memorat. *Theodoricus Gothor. Rex Arianus Erulis & Odoacre Zenonis Imperatoris auxilio, superatis Italiamque delitiosissimam Europæ partem adeptus, eo libertatis publicæ iuribus teneratis Gothicaque tyrannide Mediolanenses adegit, vt hi ad Zenonis successorem Anastasium an. D.* 493. *cum multis iustèque deferrent. Has ab res delegatus est ab Anastasio Eustorgius, qui sua cũ prudentia, tum pietate rem vniuersam componeret, quod & fecit. Adeoque interim eius sanctitatis, æquitatisque nomen emicuit; vt ij Laurentio Episc. vita functo Eustorgium in suum Episcopum postularent. Abnuit is verecundè, legatum, vt venerat, non Episcopum, quod non petierat, sed rediturum dicens ad Cæsarem: eiusque voluntati, si & id impetrasset, ita ad Episcopatum, vt ad legationem humiliter pariturum. Gratulatur Imperator regredienti; neque illum Episcopari assentitur solum; sed id permittit eidem, vt de augusto sacrario quiduis pietatis arbitrio secum Mediolanum tollat. Qui præter alias Diuorum reliquias trium felicium Regum orientalium, qui Christum natum stella comite adorarunt, corpora veneranda, à Constantino M. eo translata, imagineque Mariæ Virg. filium gestantis à Luca depictam eligens Genuam nauigauit, Mediolanumque solenni ritu introductus, allatas secum reliquias, iconemque virgineam in suburbij ædibus, Eustorgio Martyri dicatis, quanta potuit reuerentia condidit.* Hic si Anastasio Constantinum substitueris, & arma Theodorici præterieris, tota nobiscum in Eustorgio I. conspirabit narratio: nam dicta iam ex Eustorgij I. decerpta vita, malè secundo tribuuntur, repugnantibus vitæ huius gestis, Mediolanensium Chronicis, historicis & traditione. Sane Eustorgij traditione 11. Episcopalis electio longè fuisse alia, tam in vita eius, quam actis ecclesiæ Mediolanensis perhibetur: imo 200. annorum diuersitate scriptores inter se dissentiunt de initio Pontificatus huius Eustorgij: consuli de eo potest Ferrarius ad 6. Iunij.

translatio imaginis Constantinopoli Mediolanum.

per Eustorgium cum tribus Regibus.

error corrigitur.

Alteram verò translationem Mediolano Pragam factam tunc cũ SS. Reges Coloniam mitterentur, ita narrat: *At Fridericus I. A.* 162. *post millesimũ eam vrbem secunda obsidione adeptus, fidem, quam à ciuib. non semel violatã dicebat, grauissimè vlturus, eam exercitui quaquauersum expilandã delendamq; ad vestigium vsque suffuso sale commisit: diuas autem reliquias, inter quas Magorum corpora, & Mariæ imago, haud multo ante à ciuib. in vrbem metu militum importatas distribuens ad Reinold. Archiepisc. Colonien. Regum beatorum corpora: ad Vladislaum Regẽ Bohemiæ per Theobaldum fratrem eius, qui bello interfuerat, iconem Virginis immaculatæ, partemq; candelabri augustissimi templi Salomonis: ad alios alia dona misit.* Ita post multa secula Deiparæ nobilis effigies à SS. Regib. fuit separata, hac saltem vna manente inde vtilitate, quod veritas translationis facta Constantinopoli Mediolanum, pluribus fuerit hactenus in locis conseruata, & ex Bohemia luculentissimum eius translationis vestigium peti liceat, ita quidem, vt quoad excidij Mediolanensis tempus, & alias expugnationis, & translationis adiuncta Bohemi cum Colonienfibus consentiant: subdit deinde postremam translationem A. verò 1356. Ian.

euerso Mediolano.

imago Deiparæ cedit Bohemis.

Ioannes Marchio Morauus cœnobium ipſi Dei genitrici à primo lapide erigens, huiuſque pium pretioſæ imaginis munus, quæ Pragæ adhuc ſeruabatur, à Carolo IV. fratre ſuo lætus accipiens, ſingulare ei ſacellum infra eandem monaſterij baſilicam ſtruxit, inſtituens ibi ſacrum quotidie ad laudem Diuæ Virginis concinendum. Auxit picturæ deuotionem pars pepli eiuſdem Virginis cum ſanguine, de quibus Ioannes Epiſcopus Lubecenſis in ſuo diplomate indulgentiarum mentionem facit. Auxit & Iodocus Romanorum Rex, fundatoris filius aureo gemmeoque ornatu. Sed his multo pretioſior credentium fides religioque acceſſit; inuocatur in periculis, glorificatur miraculis, honoratur indulgentijs, votis cumulatur & donis: ſtatis vero diebus magno populorum concurſu reuelata, omniumque oculos in ſe veneranda colligens, excipiebat pijſſima inuocationes, & corda oblata fidelium, qua occaſione & Landulphus Cardinalis ſuas perpetuum indulgentias erogauit: eoque ſacro ritu efferri clericali pompa per vrbem, & à populo in calamitatibus, arduiſque negotijs implorari, illoſque illa miſericorditer exaudire ſolebat. Praga trãsfertur Brunam in Moraniã. miraculis claret.

Lineamenta deinde, colores & ſymmetriam operis referens geminam eam facit, cum altera Romana, quam eadem ſacra manus adumbrauit.

Hærent etiammum animæ intuentium ſacris euocatæ coloribus; trahitur ſpiritus ad ingenuæ pulcritudinis ſimulacrum, & per eius tanquam ſciatericon ſplendidiſſimos eius ſpeciei ſoles enibrat. Iidem ibi colores ſuffuſi, eadem linearum, ac partiũ ſymmetria: quæ in tabula eccleſiæ noſtræ S. Mariæ à populo in vrbe, quam & à Luca depictam, eoque per Gregorium IX. translatam ferunt. Duo vultus vnus vultus ab vno vultu: vnus in vtrisque decor, vnus ſpiritus, fulgor vnus. Ad Flammeam portam Romana, extra portam Brunenſis imago: illa vbi Neronis oſſa acta dæmonibus vexabant populum: hæc vbi infidelis impictas, vt in cardine regionis vrgebat ad flagitia Morauos. ſimillima eſt imago alteri Romanæ à S. Luca etiam depicta.

Confirmatur ex hac narratione luculento teſtimonio vtraque ſanctorum Regum tranſlatio: tam quæ per Euſtorgium facta Conſtantinopoli Mediolanum, quam quæ Mediolano Coloniam dono Friderici Barbaroſſæ, & cura Reinoldi Archimyſtæ contigit. hic cum hac nobili S. Lucæ picturæ, & Dei parentis imagine potiri non poſſet, alteram eiuſdem Diuæ prægrandem ſtatuam ſumſit, prodigijs etiam cœleſtibus celebrem: vt quoniam duce & comite ſtella maris Conſtantinopoli per mare Mediolanum pertigerant, eiuſdem ſtipatu Coloniam peruenirent. Atque ita pro ſanctorum Regum tranſlatione teſtes præter Mediolanenſes, Sabaudos, Burgundos, Briſacenſes, & Bambergenſes, ipſi etiam Bohemi & Morani: vt tot merito nationum traditio veſtigia & teſtimonia fidem mereantur præcipuam.

Simile veſtigium eſt in origine monaſterij Colonienſis Eremitarum S. Auguſtini, qui putantur à Reinoldo cum ſanctis tribus Regibus Mediolano tranſlati eſſe Coloniam: ideo noſter Azor initium eius ſtatuit an. 1165. quo forte cœpit eis à Patritijs ſedes ſtabilis adſignari: idem ſentit Martinus Polonus in Friderico primo 1. an. 1162. Iſleſcas Hiſpanus lib 5. hiſt. Pontific. c. 26. Martinus Cruſenius in Monaſtico Auguſtiniano p. 2 c. 20. Hieron. Roman. cent. 8. in chronico Ordinis ad ann. 1165. Erardus Winheim & Gelenius, vterque in Sacrario Colonienſi. *Azor to 1. inſt. Mor. c. 23.*

CAPVT LIX.

An ſancti Reges vnquam Coloniâ ſint tranſlati ad alium locum.

INTEGROS veniſſe Coloniam & incorruptos, carne, neruis, oſſibus, & omnibus inter ſe connexis & compaginatis SS. Reges communis tenet autorum ſententia. Articulum tamen aliquem ſiue pedis membris ſiue manus vni ſublatum eſſe, vel donatum non inficias iero: vt ſuaſtet veritas traditioni Loci creſcentis, quam modo Abbatiam trium Regum vocant, quæ dicitur officulum pollicis tempore tranſlationis à Reinoldo impetraſſe: pedem tamen vel plantam integram Ciſtercio ceſſiſſe, niſi tabulis autenticis euincatur, ægrè permittent Colonienſes, qui literis aureis maiuſculis mauſoleo ſanctorum Regum hos verſus adſcripſerunt: corpora integra Coloniã peruenerunt. nec inde tranſlati.

Corpora Sanctorum loculus tenet iſte Magorum,
Indeque ſublatum nihil eſt, alibiue locatum,
Sunt iuncti Felix, Nabor, & Gregorius iſtis.

Nec ſperant fore aliquando, vt alio commigrent poſt trinam illam ſolennem trãſlationem: quam in proſa feſtiuitatis eorum, & exprimunt, & ne vrbem vnquam deſerant, ita precantur ſupplices. *Reges iſti peregrini, ornantes vrbem Conſtantini, inde tandem & translati, commendati ciuitati, cui nomen Ambroſia. Ter inuentos, ter trãslatos, nutu Dei ſibi datos, colit hos Colonia; nunquam locum mutaturi, nec vt olim reuerſuri ſunt per viam aliam.* Poſtremum hunc verſum chorus ſexies altiori ſemper tono repetit. Senatus etiam vexillo ciuitatis præcipuo verſum eundem inſcripſit appictis tribus SS. Regibus. Idem votum & pium deſiderium in Litanijs ad tymbum eorum affixum ita fideles exprimunt: *Vt precibus, & pijs moribus populi exorati, locum iſtum nunquam amplius mutare, & deſerere velitis.*

fabula de eorum tranſlatione. *Baptiſta Fulgoſus.*

Sparſa iam olim in vulgus fabella fuit, translatos aliquando Colonia fuiſſe ad locum alium: ſed poſtea ſponte redijſſe: quam primus videtur literis commendaſſe Andreas Eborenſis ex quo ſic eam tranſcribit Baptiſta Fulgoſus: *Sicut deos penates ex Alba longa Lauinium, vnde abducti erant, reuertiſſe credit vetuſtas, ita verius Ottonis & Philippi Imperatorum bello Coloniam viſa ſunt redire in templum vndecim millium virginum trium Regum corpora, ab Abbatia Fuldenſi in Thuringiæ regione: ad quam Coloniã fuerant translata. Mane enim dum nocturni pſalmi cantarentur, Abbas, monachiq́ue eius monaſterij egredi templo corpora ipſorum trium Regum perſpexere, quæ haud multo poſt Coloniæ in templo, vbi ante erant, fuerant inuenta.* Occaſionem fabulæ vera dedit hiſtoria, quam in Vrſulanis fusè ſum proſecutus: translatio prodigioſa trium nominatarum virginum Cleomatæ, Theomatæ, & Chriſtantiæ; eas cœnobiarcha Folckeſrode Thuringicus, cœleſti monitu inuitatus, magnaque Colonienſium voluntate tranſtulerat ad ſuum aſceterium. Sed cum debito cultu nemo ſacras virgines honoraret, ſæpiusque reprehenſi Religioſi de neglectu ſacri cultus, nollent è veterno euigilare, nocte concubia Coloniam reuerterunt, lapideos ſuos ſarcophagos, qui inibi monſtrantur hodieque repetentes.

Cæſarius l. 8. c. 32.

Exſtant earum ſub Vrſulana turre campanarum tumuli, paries vicinus pictura rem geſtam exprimit, & vnum iſtorum trium capitum monſtrari ſolet index reuerſionis. Itaque ſi bis in Fulgoſi narratione pro 10 Regum, ſubſtitueris reginarum vel virginum, ſalua manebit hiſtoria, quam temporis illius æqualis ſumma fide Cæſarius narrat.

TOMI TERTII HISTORICI SANCTORVM TRIVM REGVM MAGORVM EVANGELICORVM.

LIBER III.

HONOR ET CVLTVS SS. REGVM.

HONOREM DEVS SANCTIS REGIBVS HABVIT, QVI diem Epiphaniæ magnis varijs in locis miraculis celeberrimum reddidit; habuit Ecclesia, quæ solet eundem diem grauissimis ceremonijs præ alijs anni solennitatibus peragere: habuere denique fideles, qui singulis seculis eum præcipua pietate & religione traduxerunt: id liber hic fusè declarabit.

CAPVT I.

Diem 6. Ianuarij Deus præ alijs magnis miraculis decorauit.

CVM Deus mundi totius adspectabilem machinam hominis causa, hominem verò condiderit eo fine, vt è creatis rebus Deum summum bonum suum agnoscat, & velut sacerdos quidam in præclaro hoc totius vniuersi templo creatorem suum, & fontem omnis boni veneretur: ceterisque rebus conditis tantum ad Dei gloriam, & salutem animæ perfruatur, certos voluit dies diuino cultui destinari, quibus homo curis & laboribus alijs vacuus, vni Deo intenderet, suamque salutem accuraret. Ideo septem legis veteris festiuitates ipse nominauit, Sabbatum, Pascha, Pentecosten, festum tubarum, propitiationis, tabernaculorum, denique festum cœtus & collectæ. His postea Iudæi nouis à Deo beneficijs ornati ad eorum refricandam memoriam festa lege perpetua addiderunt. In lege tamen noua Christus abstinuit à festiuitatibus per se decernendis: omnia reliquit Apostolorum, & sanctæ matris Ecclesiæ iudicio ex Spiritus Sancti impulsu & afflatu suis temporibus definienda. Hæc solet exemplo SS. Apostolorum statos dies indicere: quo vel Christi vita, fidei mysteria, diuinaque beneficia recolantur, vel honor diuinus augeatur, vel Sanctis etiam cultus debitus cum virtutum & vitæ eorum imitatione tribuatur.

Autor festorum Deus.

in veteri lege septem sanciuit.

finis eorum.

Celebriores verò festiuitates in reliquis haberi solent, quibus plura mysteria, beneficia, vel prodigia recoluntur: qualis 25. Martij dies est, idem mundi, vt multi volunt, & hominis creati natalis: idemque Verbi corporati & Christi morientis mysterijs illustrior: vt quo die procreatus primus Adam breui post scelere mundum vitiauit: eodem secundus conceptus Adam, & mortuus, orbem terrarum consecraret, eluereto recrearet: quæ dum beneficia mortales eodem die religiosè recolunt, mirificè ad amorem cultumque diuinum inflammantur.

vna sæpe multa mysteria recoluntur.

Ita sextum Ianuarij diem Christus potissimum delegit, vt non tantum tredecim natus dies suam Gentilibus diuinitatem declararet; sed & fontem baptismatis annis triginta euolutis suo corpore dedicaret, voce cœlitus emissa Dei filius prædicandus: & vertente rursus anno, dum nuptijs interest, in Cana Galileæ, aquam in vinum commutaret: quibus omnibus mysterijs & prodigijs non tantum voluit Deus homini suam maiestatem declarare; sed & magnitudinem beneficij vocationis Gentium ad fidem, ad gratiam, & ad ius regni cœlestis claris symbolis exprimere.

vt in Epiphania,

qua præcipue beneficium cœlestis adoptionis recolitur.

Vnde hoc singulare donationis gratiæ beneficium eo potissimum die cunctis est gratè pieque refricandum, quo Iudæis ob perfidiam abiectis, Gentes indignas eo munere, fidei stella collustrauit, & cor Christo referandum cum varia donorum largitione permouit: vt ita regni cœlestis hæredes constituerentur. Post stel-

lam igitur vult à nobis luminis fidei claritatem agnosci; per fontem baptismalem scelerum purgationem gratis nobis donatam librari : per aquæ in vinum conuersionem in nuptijs animæ cum sponso connubium nobis obuersari.

Festum hoc partim est Christi.

Est quidem dies hic in festis Christi numerandus, quo sicut in natali eius humanitas; sic in Theophania diuinitas Theantropi fuit declarata, & adorata, nomine ex eo mutuato : censeri tamen ex ijs festis debet, quæ mixta sunt, & aliquam cum Sanctis participant communitatem : qualis solennitas est natalis dominici, quo præter ortum Christi, Deiparæ simul virginitas illibata ante, in, & post partum celebratur.

partim Sanctorũ.

Vnde die Epiphaniæ non tantum Christi diuinitas, tribus prodigijs declarata recolitur : sed & fides Gentilium eiusdem diuinitatis, donis mysticis, tam difficili peregrinatione cum heroicis fortitudinis & constantiæ actibus vbique editis, velut publica professione coram Regibus, Iudæis & Gentilibus manifestata peragitur : adeo fides non informis, decolor & inuenusta : sed caritatis & præstantissimis virtutum actionibus, velut gemmis & aureis quibusdam emblematis formata, sigillata & exornata, detersa prius per Baptismum, saltem flaminis vitiorum fuligine, & ærugine quasi sponsa Dei vestitu cœlesti & diuino fulgida repræsentatur. Ideo simul hoc Dei Baptismi memoria cum nuptijs renouatur, quia Gentilitas tunc posita nigredine vitiorum ad thalamũ Dei & ius cœlestis regni beneficio gratiæ fuit exaltata, qua recordatione monemur, vt ad ideam fidei virtutumque trium Regũ mores nostros conformemus, si sponso nostro Christo fidem nostram probare desideremus. Horum enim

cur vocetur trium Regum.

Ecclesiæ progenitorum heroici virtutum actus à filijs eo die laudibus & præconijs efferuntur, *vt imitari non pigeat, quod delectat celebrare*. Quare nec immerito non iam tantum; sed & olim à S. Athanasio dies Epiphaniæ *festum sanctorum Regum* fuit appellatum : quo sicut alijs Martyrum festiuitatibus heroicam Diuorum patientiam & fortitudinem Ecclesia filijs suis proponit imitandam; sic totis octo diebus Regum istorum decantat virtutes, vt nos filij nunquam ab hisce Patriarchis nostris degeneremus. Vt enim nobilitatem Romanam adspectus domesticarum multarum imaginum suorum maiorum ad audendum similia, & gerenda fortia prouocabat; ita quo die fidei nostræ initium in primitijs Gentium recolimus, animos nostros ad progenitorum nostrorum virtutem, & heroica facta imitanda debemus inflammare. Ad quod vt magis Christus nos excitaret, non solum dum viueret, eum sextum Ianuarij diem; sed & multis post seculis anniuersarijs prodigijs illustrauit : quibus primos suos è Gentibus adoratores, quos in societatem solennitatis Epiphaniæ vocarat, voluit honorare, nosque filios & posteros eorum ad sequendum Deum vocantem, & amicitiæ diuinæ beneficium maximi faciendum exstimulare.

CAPVT II.

Sexto Ianuarij multis in locis orientis quotannis certi fluuij in vinum conuertuntur.

NVPTIÆ in Cana Galilææ Gentium, cum aquæ in vinum conuersione peractæ, spiritalem animæ, fideliumque Gentilium cum sponso Christo coniunctionem per amorem reciprocum indicabant : quam annis 30. & vno ante iam sibi tenellus infans conciliarat in Magorum mentibus, tenebras infidelitatis in lucem fidei; insipidam & venenatam aquam malitiæ, in vinum generosissimum caritatis & gratiæ commutando : cuius vt contracti matrimonij perennaret memoria, placuit Christo

S. *Epipha. hæresi.* 50. *n.* 30.

singulis annis in oriente maximo prodigio fluuios integros sexto Ianuarij in vinum meracissimum conuertere, quod initio seculi quinti testis luculentissimus S. Epiphanius ita scribit: *circa ipsam vndecimam mensis Tybi* (quæ apud nos est sexta Ianuarij) *post annos* 30. *factum est primum signum in Cana Galilææ, quando aqua factum est vinum. Quapropter etiam in multis locis vsque in hunc diem hoc fit, quod tunc factum est diuinum signum in testimonium incredulis : veluti testantur in multis locis fontes, ac fluuij in vinum conuersi. Cibyres quidem vrbis Cariæ fons, qua hora hauserunt ministri, & ipse dixit, date architriclino. Testatur & in Gerasa Arabiæ fons similiter. Nos bibimus è Cibyres fonte, fratres vero nostri de eo, qui est in*

quibus in locis orientis fluuii in vinum conuertantur.

Gerasa

Ceraſa in Martyrum templo: ſed & multi in Ægypto de Nilo hoc teſtantur. Quare in vndecima Tybi apud Ægyptios omnes hauriunt aquam, & reponunt: tum in Ægypto, tum in multis regionibus. Non audent Hæretici tanti viri teſtimonium vocare in dubium: vnus ſit inſtar omnium Caſaubonus, qui licet abſque cauſa ſugillet hac ſuper re quædam Baronij dicta: laudat tamen his verbis Epiphanij aſſertionem: *Obſeruatio Epiphanij ſuper vinoſis fontibus prorſus eſt admirabilis: non enim dubitamus virum ſanctiſſimum ea retuliſſe in literas, quæ ſibi eſſent certa fide comperta.* Baronius eandem rem nititur non obſcuris Gentilium teſtimonijs roborare. Plinius ait: *Similis rei alibi quoque fieri ſolitæ egregius videtur aſſertor: licet vnius tantum diei ſpatio diſcrepet dum ſic ait: in Andro inſula liberi patris fontem nonis Ianuarij vini ſapore fluere Mutianus ter conſul tradit, Diotecnoſia vocatur: hæc ille; ſed accolæ cauſam quam diximus ignorantes, Baccho hoc tribuerunt, ædificato ei templo: quæ ſatis firmiter teſtata videntur: claruit enim Mutianus temporibus Veſpaſiani, cui ad imperium capeſſendum cum eſſet præſes in Syria, maximè ſtuduit: citat eum Plutarchus. Ceterum de dictis fontibus diuerſis locis poſitis vinum ſcaturientibus nullum antiquorum, qui ante Chriſtum vixerit autorem mentionem feciſſe memini me legiſſe: vt planè intelligas illa omnia virtute huius miraculi Chriſti facta eſſe. Videas ex his admirabilem quandam capitis cum ceteris corporis membris conſentionem, nempe Chriſti cum eccleſia, cum diem, quam in tantæ rei geſtæ memoriam ſolenniter ipſa celebrat ille his miraculis voluerit ſingulis annis illuſtrare.* Sed quæ contra Baronium Caſaubonus ibidem malè criminatur, ea doctè Roſſuidus noſter legis talionis tabula 4. retaliauit. Demus autem Caſaubono, fontes quoſdam ante Chriſtum acetoſos vim inebriandi perpetuam habuiſſe; fontem verò ſtata lege 6. vel 7. Ianuarij die præter enumeratos ab Epiphanio & Baronio in vinum commutatum non reperiet: vt inde luce clarius continuata quotannis miraculi renouatio Chriſti diuinitati merito tribuatur: quæ maximè cœpit 6. Ianuarij die apparere. Eundem igitur ſe Chriſtus oſtendit eſſe Deum, qui ſolet quotannis aquam pluuialem, per vim formatricem radicis vitis in vinum commutare (quod opus diuinitatis, quia conſuetudine viluit, non amplius demiramur) eandem tamen in eo diuinam virtutem occultam S. Chryſoſtomus argutè colligit. *Hoc,* ait, *miraculo manifeſtè oſtendit, ſe eum eſſe, qui in vitibus aquã tranſmutauit; & qui pluuiam per vitis radicem in vinum vertit; cum quod in planta longiori temporis ſpatio efficitur, id repente in nuptijs operatus eſt.* Quam diuinitatem Chriſti, licet paruuli, licet vagientis, licet inter pecudes abiecti in ſtabulo Reges ſexta Ianuarij procidentes adorarunt; eandem coram Regibus, Iudæis & Gentibus prædicarunt, vt mirum non ſit Chriſtum eadem ſexta Ianuarij die recurrente in Cana Galilææ Gentium, id eſt, in tranſmigratione poſſeſſionis, ſiue inter Gentes (ad quas velut poſſeſſionem & hereditatem ſuam à Iudæis tranſmigrauit) nuptias celebraſſe, & ſponſam dilectam Gentilitatem annulo caritatis ſubarraſſe; ibi ſex hydrias, ſeu omnem animæ noſtræ virium diſſolutionem & mollitiem conuertiſſe in vinum generoſiſſimum cœleſtis gratiæ, quo non mortales tantum; ſed & cœlites delectantur: & ea quidem copia nobis infudiſſe, vt & alios pariter nobiſcum recreemus, inebriemus & amore diuino faciamus incaleſcere: voluit autem Chriſtus ſeculis multis illud miraculum renouare, vt conſtantia monſtraret, & firma cum Gentilibus eſſe contracta ſponſalia.

Caſaubonus exercitat. 13. c. 22.
Baron. Tom. 1.
Plinius lib. 2. nat. c. 103. & l. 4 c. 12.
alij fontes vinoſi ex Plinio.
Plutarch.
confutatio Caſuabonj.
hinc diuinitas Chriſti colligitur S. Chryſoſt. ex Lo.
Allegoricus ſenſus mixtus tropologico.

CAPVT III.

Eodem die alicubi ſudat baptiſterium aridum aqua, & alia quædam miracula circa id facta.

TAm inde ab Apoſtolorum fere tempore ſolennior Eccleſiæ Baptiſmus tam in Oriente, quam Occidente in tribus feſtiuitatibus Paſchæ, Pentecoſtes, & Epiphaniæ conferebatur.

Et Paſchali quidem tempore notat Cornelius à Lapide: *In plerisque locis Occidentis, quo ſolenne Baptiſma in Eccleſia peragi conſueuit, è ſicco aridoque fonte lapideo, copioſæ ad Baptiſmum aquæ exundare conſueuerunt:* huius prodigij ſuo meminit ævo Moſchus: *Eſt & in caſtello Cedebratis, quod ſub monte Ænoandron ſitum baptiſterium, quod in Paſchali*

Lapide in 2. Io.
Moſcus in prato ſpirituali

in Paschate sudat aridum baptisterium. ep. apud S. Leonem 65.

S. Resurrectionis festiuitate, cum sit lapis vnus, ex se continuo impletur, duratque aqua illa vsque ad Pentecosten, moxque transacta Pentecoste euanescit. Simile quiddam Paschasius Episcopus Lilybæi scribit ad Leonem summum Pontificē contigisse: *Quædam*, inquit, *vilissima possessio Meltinas appellatur in montibus arduis, ac silua densissimè constituta; illic perparua, atque vili opere constituta est ecclesia; in cuius baptisterio nocte sacrosancta Paschali, baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur, paucisque qui fuerint consecratis, cum deductorium nullum habeat, vt aqua venerat ex sese descendit.*

Narrat deinde cum per errorem Paschale festum suo non tempore celebraretur; ipsam fontis scatebram verum Paschale tempus errore detecto designasse: *Tunc ergo*, inquit, *cum S. memoriæ D. quondam ac beatissimo Papa Zosimo (cum apud Occidentales error ortus fuisset) consuetis lectionibus nocte sacra discussis, cum Presbyter secundum morem baptizandi horam requireret, vsque ad lucem aqua non veniente, non consecrati, qui baptizandi fuerant, recesserunt. Vt ergo breuiter narrem: illa nocte quæ illucescebat in diem dominicum, decimo die Calendas Maij, fons sacer hora competenti repletus est; euidenti ergo miraculo claruit, occidentalium partium fuisse errorem.*

idem sudor in Epiphania. Sophron. c. 215.

Congerit varia similia Baronius ad annum Domini 417. circa finem.

Pari Deus prodigio quædam Orientis loca sacro Epiphaniæ die nobilitauit. Duo recenset Sophronius, seu Moschus in Prato spirituali: *Soruba vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Coranensium ciuitas, in eo baptisterium est, quod in sanctis Epiphanijs sudat; qui sudor per tres horas continuis incrementis, & post baptismum peractum decrescere incipit, & tribus alijs horis sensim deficit.* Subijcit, quod initio capitis ex eodem de castello Cedebratis in Paschate dixi euenire: & addit: *vtraque vero ista miracula (in Paschate & Epiphanijs) in prouincia Lyciæ fiunt: si quis autem hæc ita esse non credit, vsque ad Lyciam non grande iter est, pergat, & rei veritas fidem ipsi faciet.*

Scio S. Leonem, & alios nonnullos Romanos supremos antistites in Italia, Sicilia, & Hispania voluisse iustis de causis solennem in S. Epiphania Baptismum antiquare, vt vel hinc conijcere liceat, id iam tum in Europa & Occidente fuisse receptū moribus, ijdem tamen in Oriente morem antiquum tolerarunt; cum multi ob Christi baptismum, & vocationem Gentium eo potissimum die ad eum suscipiendum pijs desiderijs raperentur: & Deus mirandis operibus eorum votis obsecundaret. Vnum aliquod memorat Victor Vticensis, & ex eo Inchofer, cæcum nomine Felicem Carthaginis ciuem notissimum, ter nocte, cui dies Epiphaniorum illucescebat, per visum monitum his verbis: *Surge, vade ad seruum meum Eugenium, & dices ei: quia ego te ad eum direxi, & illa hora, qua benedicet fontem, vt baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, & aperientur, & videbis lumen.* Res euentum habuit: in basilica Fausti stupentibus omnibus, & lætantibus Catholicis; sed confusis Arianis episcopis; qui cum Hunnericus rex in Felicem capi iussum inquisiuisset, & ille quid secum actum esset fidenter narrasset, calumniati sunt Eugenio: tanquam si maleficijs id præstitisset, & cum non valerent aduersus veritatem tota vrbe probatam, stulti sicut Iudæi Lazarum, cogitauerunt Felicem interficere.

iubetur cæcus die Epiphaniæ dum benedicitur fons baptismalis visum exspectare.

Videas hinc etiam colligi parem hanc Epiphaniæ solennitatem Paschali & Pentecostali iam ferè ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse habitam: in quibus duabus solis Apostolica lege, iuxta S. Leonem licebat solenne publicum Baptismā conuersis extra periculum mortis conferre: nec Deo morem displicuisse, quem tantis prodigiis comprobauit,

CA-

CAPVT IV.

Aqua SS. trium Regum die Epiphaniæ consecrata miracula solet operari.

aqua Iordanis incorrupta.

IORDANIS aqua sexto die Ianuarij viuifici corporis IESV CHRISTI seruatoris nostri contactu hoc à Deo beneficij meruit, vt ferat ætatem, nec corruptioni sit obnoxia: probat id suamet experientia Illustrissimus Radziuilius: *Aquam*, inquit, *valde turbidam habet Iordanis, sed salubrem, quæ in vase adseruata, nunquam corrumpitur: prout ea, quam attuli mecum indubitanter sum expertus.* Simile quiddam creditur aqua piacularis, quam mos est, sexto Ianuarij die consecrare, & pro lustran dis ædibus adhibere, diuinitus obtinuisse: nam cum ea consuetudo tam orientem, quam occidentem peruaserit à mille, & ducentis annis, & tam ad refricandam Christi baptizati memoriam, quam vocationis Gentium beneficium recolendum fideles & corpora domosque tali sacro lustrarent fonte, memores gratiæ nobis in cœlesti adoptione collatæ, qua à peccatorum maculis, & tartari potestate sumus liberati: Deus etiam prodigijs morem illum sæpe comprobauit. Aquam sanè illam, licet vasis conclusam non corrumpi tamen vnquam testis est S. Chrysostomus his verbis: *In hac solennitate sub mediam noctem omnes cum aquam acceperint, domum latices referunt, ac recondunt, annum conseruant, vtpote quod hodierna die sanctificatæ sint aquæ, sitque miraculum euidens, dum nihil temporis longinquitate amittant quarum illarum natura vitiatur; sed integro anno, atque biennio, & triennio sæpe quæ hausta est hodie, incorrupta & recens permanet: ac post tantum temporis cum ijs, quæ nuper fuerint eductæ certat.* Hactenus S. Chrysostomus.

& aqua die Epiphaniæ benedicta. S. Chrysostomus de baptismo Christi.

Fuit, quidem iustis de causis in Occidente solennis in Epiphania Baptismus à sede Apostolica vetitus, imo conuersis ad fidem tot nationibus, etiam in Paschate & Pentecoste antiquatus in Catholicis regionibus, imo & in alijs à mille iam annis introducto passim Baptismate quotidiano propterea, quod plurimi casu inopinato cæde vel morte subita, non percepto sacro fonte extinguerentur: durauit tamen moribus recepta consuetudo, consecrandi fontem baptismalem pridie Epiphaniæ, quam in Germania multis in locis solent aquam trium Regum nominare: quæ dicitur hodieque 50. annis non læsa, quasi recens aduersari.

50. annis incorrupta manet.

Huius me consuetudinis primi commonefecerunt comites Truchsesij, & per illustrem D. Wilhelmum Henricum S. R. imperij archidapiferum comitem in Freudeberg & Trauchburg, D. in Walburg & Scheeu tam ritum consecrandæ aquæ: quam vsum & effecta transmisere cum hac parochi in Scheeu attestatione:

Ioannes Storren parochus in Scheeu: *Inter cetera miranda huius aquæ potest ex hoc eodem loco der Scheeu antiquitas aquæ incorruptæ demonstrari: adseruatur enim hic, quæ iam ante 60. & plures annos fuit consecrata, & hucusque mansit incorrupta, tam limpida, quasi iam esset viuo ex fonte hausta: nec in controuersiam vocari potest, quin vbicunque talis adhibetur aqua, contra magicas & diabolicas præstigias præsens sit, & indubitatum remedium.* 22. *Octobris Anno* 1640.

Idem coram mihi confirmauit perillustris comes Truchsesius: aquam etiam ab 80. retro annis consecratam tam puram & illæsam à se animaduersam, vt ab recens è saliente hausta discerni nequeat: constare etiam non vna maleficarum confessione, arcem cuius omnia cubicula solent hac vnda sacra respergi, & initialibus nominum SS. Regum literis insigniri (de quo more sequenti agetur capite) nunquã potuisse nec de cœlo fulminari, nec incantationibus & maleficijs casso sæpe labore tentatis infestari: vnde quoties tempestates grauiores tonante & fulgurante cœlo ingruunt, loca solent omnia rursus hoc sacro fonte expiari.

valet contra maleficia.

Optandum esset, vt ritus ille lustrationis domorum magis vulgaretur, & hunc in finem etiam aquæ consecratio in parochijs die Epiphaniæ, vel pridie adhiberetur. Erant ab incunabulis Ecclesiæ, fideles in vsu piacularis aquæ similis valde religiosi & assidui, vt opus fuerit quot mensibus, ritu peculiari eam lustrare: dies in eum finem

nem designatæ mensis cuiusque Kalendæ erant ; Ianuarius tamen ob SS. Regum honorem illud præcipuum habuit, vt die sexto fons sancta benedictione afficeretur, quo de ritu hæc obseruat Melchior Inchofer : *Enimuero cum ritu Græcorum olim primo cuiusque mensis die sanctificatio fieret aquæ, ex qua omnes aeinde lustrari mos erat, vtique tamen cautum fuit, ne in Ianuario, nisi die sexto, in Septembri verò die decimo quarto id muneris obiretur : tum ad designandam Gentium ad vitam in Magis vocationem : tum ad denotandam eiusdem vitæ consummationem, quæ Christo in cruce exaltato impleta est. Neque id solum in ecclesijs Græcanicis ; verum etiam apud Æthiopes, & maiori quadam specie obtinuit, vt non solum aqua hoc die (sexto Ianuarij) sacra se adspergerent ; sed & totos penitus immergerent : idque etiam plerosque alios in ecclesia orientali fideles obseruasse Chrysostomus testis est.*

Melchior Inchofer c. 43. in appendice.

apud quas nationes hodie fiat.

consuetudo lustrandi domos aqua piaculari per antiqua. *Surius t. 5. an. 680.*

Nec vanæ sunt arguendi superstitionis, qui domos lustrant, vt à maleficijs & dæmonum infestationibus , vel quibusuis præstigijs liberentur : sanctissimis illa consuetudo viris solennis fuit : de S. Aichardo Gimensiensi cœnobiarcha Fulbertus apud Surium ita loquitur : *Erat plane viro Dei Aichardo familiaris consuetudo, cum fratres post labores diurnos corpora placido somno recrearent, vt pastor solicitus supra gregem dominicum vigilans insomnes vigilias duceret, & claustra monasterij, & singula familiæ Dei habitacula pererrando muniret, gestans secum crucem dominicam, & aquam exorcizatam ad effugandas importuni hostis insidias.* Lubet & doctissimum ætatis suæ, iuxta ac sanctissimum virum Albinum Flaccum attendere, quid de ciue suo Britanno ipse S. inquam Willibrordo referat: *Contigit cuidam patrifamilias, & domui suæ dira dæmoniacæ illusionis tentatio ; ita vt apertè malignus in eius domo spiritus ex horrore & maleficijs habitare agnosceretur. Nam subitò cibos, vestimenta, vel alia domui necessaria rapere solebat , & in ignem mittere ; quinetiam paruulum inter amplexus parentum pausantem illis dormientibus tulit, & in ignem proiecit ; sed vagitu infantis parentes excitati , vix paruulū de incendio eruerunt, & multa atrocia eadem familia à nefando spiritu perpessa est : nec à quolibet presbytero expelli potuit donec vir sanctus Willibrordus à patrefamilias postulatus, aquam illis benedictam direxit, præcipiens omnem domus illius supellectilem foras efferre , & aqua illa adspergi : præuidens in spiritu domum flammis cinoburendam esse, quibus ita gestis , vacuam domum à loco lectuli ignis invasit, totamque consumsit. Altera verò in eo loco cum sanctificatione aquæ benedictæ ædificata , nihil exinde pristinæ tentationis passi sunt in ea : sed cum omni tranquillitate & quiete degentes & Domino gratias agentes erant , qui illos per seruum suum redimere dignatus est*: Hactenus Albinus. Multa congerit in fascem Baronius prodigia fontium piacularium aduersus magicas artes, & dæmonum præstigias, contra quas plurimum aqua SS. Regum pollere dicitur : & antiquitatem eius consecrationis ab Apostolis repetit : quam operæ pretium est huic loco inferere. *De aqua*, inquit, *benedictione sanctificanda præter id, quod apud S. Clementem est, Matthæi nomine Apostolica institutio , nonne Paulus ad Timotheum scribens tradit: omnem creaturam per verbum Dei & orationem sanctificari? huius quidem rei vsus semper, & vbique viguit, in Ecclesia Catholica , tam apud orientales , quam occidentales, diuino vbique miraculorum virtute suffragio comprobatus, & tantum abest, vt (quod nouatores oblatrant) sit species quædam incantationis atque magiæ , vt potius ad eas dissoluendas , aliasque diaboli artes auertendas ea solita sit adhiberi (quod S. Epiphanius scribit) ea vsus est Iosephus comes tempore Constantini, & quod optauit feliciter est consecutus : aquæ haud communis ; sed quoquomodo sanctificatæ itidem adspersione. S. Hilarion eodem fermè tempore Gentilis aurigæ magias (vt de eo S. Hieronymus scribit) penitus dissipauit. Sed & Marcellus Episcopus Apameæ omnem diaboli conatum, ne Iouis Apamensi delubrum combureretur, obtinentis, aquæ signo crucis benedictæ vsu penitus superauit. Scribit rem gestam fusius Theodoretus. Macarium itidem, aquæ benedictæ virtute magicam impostura & dæmonum præstigias effugasse Palladius fide certa memoriæ commendauit. S. Germanus Episcopus Antisiodori concitatos diaboli operatumentes maris fluctus, aquæ in nomine Sanctissimæ Trinitatis sanctificatæ adspersione compescuit. Sed quid in his immoror? sexcenta propemodum de his adducenda essent exempla, petita ex diuersis Sanctorum*

Baron. t. 2. ad an. 132 n. 1. & 4.

vsus eius tēporibus SS. Apostolorum.

vis contra magicas præstigias *S. Epiphan. hæres 30. S. Hier. in Hilar.*

Theodoret. l. 5. c. 21. Palladius Lausiacæ. c. 6.

rum actis fideliter scriptis; quibus magicas incantationes, aliasque prauorum dæmonum molitiones aquæ benedictæ adspersione constat esse fugatas. Hactenus Baron.

CAPVT V.

Eodem festo vel pridiano die tribus literis primis nominum Regum cum cruce inscribuntur postes ædium, ad arcendas magicas & dæmonum infestationes.

MOs hic perantiquus magnam Germaniæ superioris partem peruagatur, eum probum & laudabilem appellat Gretzerus noster: videtur autem Deus primitijs Gentium hoc contulisse, vt vel nomina eorum dæmones perhorrescerent, qui primi de idololatria triumphantes Christi suaui iugo se subdiderunt, & secum in fidei societatem suo quidem tempore multa regna, iam verò cunctas totius orbis nationes attraxerunt, & vexillo crucis submiserunt. Erant Reges nostri eximij crucis Christi, primique cultores & prædicatores, cuius in stella impressam imaginem piè sunt initio venerati; & reduces similem effigiem postibus basilicæ, quam erexerant, impresserunt: quam postea S. Thomas cruci Dominicæ consecrauit. Hinc ille manasse ritus videtur, vt crux eorum nominibus præfigatur.

tres Reges primi crucis cultores.

crux præfigitur eorum nominibus.

Commendant vehementer sancti Patres morem crucis inscribendæ limini, vel foribus domorum. S. Ephrem: *Pingamus*, ait, *in ianuis atque in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque membris in omnibus viuificum signum, armemur insuperabili hac Christianorum armatura.* S. Chrysostomus: *In penetralibus, & in parietibus, & in fenestris, & in fronte quoque ac mente magno studio crucem inseramus: ea enim salutis nostræ, communis libertatis, & mansuetudinis, atque humilitatis Christi signum est.*

& foribus appingebatur

S. Ephrem.

S. Chrisost. ho. 55. in. Matth.

S. Ambrosius: *Super limen ostij nostri, sacræ redemptionis confessio resplendeat.* Valet hoc triumphale signum ijsdem autoribus plurimum ad orci vires, dæmonumque præstigias superandas, & à domibus procul arcendas. S. Chrysostomus: *Si*, inquit, *ingenti horrore concutimur, cum solummodo videmus loca, in quibus capite damnati persoluunt pœnas; quid passurum putas diabolum, cum hastam viderit, qua letale vulnus accepit? hoc signo conspecto aduersariæ potestates conterritæ trementesque recedunt.* Cyrillus catech 13. *Quando dæmones crucem viderint, recordantur crucifixi.* Præclarè S. Athanasius: *Signo crucis omnia magica compescuntur, venesicia inefficacia fiunt, idola vniuersa deserta relinquuntur.* Et infra: *Veniat qui istorum dictorum experientiam capere velit, & in ipsis præstigijs dæmonum, & impostura vaticiniorum, & in miraculis magiæ vtatur signo crucis ab ipsis derisо, nomen Christi inuocet, & videbit, quomodo eius rei metu dæmones fugiant, vaticinia conquiescant, magiæ & venesicia irrita iaceant.*

S. Ambr. ep. 82.

cõtra præstigias dæmonũ.

S. Chrisostomus l. c.

S. Ephrã l. de pœnit.

Cyrillus cateches. 13.

S. Athanas lib. de incarn. verbi.

Hoc igitur salutis nostræ præfixo signo singulorum Regum nominum prima litera creta postibus ædium, vel ianuis etiam cubiculorum graui ceremonia, non vnis, sed tribus peruigilijs inscribuntur hoc ritu, quem verbis his ad me Monachio scribit P. Maximilianus à Wartenberg: *Sacerdos indutus veste linea & stola procedit per ædes, & recitat antiphonam ad Magnificat: quam finito Magnificat repetit, incensat ianuam, additque orationem, quæ illa die legitur, facitque ter: nimirum pridie Natiuitatis, pridie circumcisionis, & pridie trium Regum: quo etiam initiales creta inscribere solet. traxere apud Germanos nomen tria ista peruigilia, vt* Rauchnächt/ *seu thurificatoriæ noctes appellentur.* Solent, vt mihi spectatores huius sacri ritus memorant, complures etiam sacerdotes linteati munus hoc obire, acerra cum thure instructi, & aqua piaculari: propriamque peruigilij antiphonam cum cantico Mariano concinere, ac ianuam thuris suffimento expiare, tum literam initialem sancti Regis consignare. Scribit ad me quam latè per Germaniam hæc consuetudo se extenderit, Iosephus Feurstein, Rector Tridentinus: *Viget is mos per Tyrolim totam, etiam hic Tridenti, in Sueuia, Bauaria, Austria. Accepi hic à senioribus huius*

ritus inscribendi literas.

vbi vigeat ea consuetudo.

pia

piæ consuetudinis originem non sciui: inscribi tamen eas literas ianuis: vt ex eorum cubiculis excludatur omne veneficium, & maleficium. Simile quid ait mihi quidam vir senex suo tempore olim viguisse Viennæ, an id etiam hodie vigeat nescio, post inscripta sanctorum Magorum nomina portis cubiculorum ex singulis ædibus sclopus exonerabatur; credentibus incolis, quam procul à bombus audiebatur, tam longè sagas à domibus abesse cogi: videtur tamen id habere admixtum aliquid superstitiosi. Hactenus Iosephus Feurstein, qui recte de sclopi bombo excipit: vt enim libenter dedero, campanis certis Deiparæ, vel alijs quibusdam rebus consecratis eam efficacitatem pia traditione populi cœlitus datam esse, vt ad earum sonitum longissimo spatio res nullæ cœlo tempestuoso fulminentur; æris campani pulsatione eum in finem ab Ecclesia certis orandi formulis instituta; sclopi tamen exonerationem, satis nouitiam, & à sacris Ecclesiæ moribus alienam rectè contaminatæ, & anilis superstitionis arguit. Quod nullo modo cadit in perantiquam Germanorum consuetudinem de literis primis Regum postibus inscribendis: quam vt pervetustam Lutherus ipse cum effectis refert; licèt scurrilibus suis sarcasmis ex more ioculator ipse perpetuus illam adspergat narrationem. Sed quia mores Magnatum perstringendo alludit ad idioma Germanicum, prius vernacula sua loquente lingua auscultemus.

superstitio miscetur alibi.

antiquitas

Lutherus in confabulationibus potatorijs & culinarijs de mũdo & eius ingenio.

Es soll an etlichen orten im Bapstumb der gebrauch gewesen seyn / daß man auff der H. drey König abend über die thüren gemahlet hat die erste Buchstaben von den heiligen drey Königen / als C. M. B. welche jhre namen bedeuten / als Caspar / Melchior / Balthasar. Vber diese drey Buchstaben hat man pfleget ein Creutz zu mahlen Virtutem postea & effecta talis inscriptionis hæc enumerat: Solches solt nun bedeuten / daß der Teuffel an denselbigen örteren kein macht noch gewalt haben solt. Hactenus piè: nunc ludionem audi: Wie nun solches an einem orth ein Frembder gesehen / vnd nicht gewust was doch das Creutz vnd die drey Buchstaben bedeuteten / hat er einen darumb gefragt / der selbig antwort ihm / vnd sprach: die drey büchstaben begriffen in sich die tugent / der Fürsten / Graffen / vnd Edelleut; dan dieselbe wöllen ietz Creutzschmar vnd Bierschencken / item Müller / vnd Brewer sein / vnd reissen zu sich alle Händel vnd bürgerliche Narung: da nun der ander ferner fraget / was das Creutz darüber geschrieben bedeutet / antwortet er / es bedeutet / daß man sich für ihnen hüten sol. Reddamus hæc Latino sermone: Aliquibus in locis in Papatu consuetudo fuit, in peruigilio SS. trium Regum ostiorum liminibus inscribendi literas primas sanctorum trium Regum, scilicet C. M. B. quæ nomina eorum designabant Casparis, Melchioris & Balthasaris. Supra literas tres dictas crux depingebatur: hæc indicabat, dæmonem ijs in locis nullas vires & potestatem posse exercere. Viderat hanc inscriptionem peregrinus aliquis: cum ignoraret, quid sibi vellet crux cum tribus adiectis literis; interrogauit aliquem: à quo hoc responsi tulit: tres exaratæ literæ virtutes exprimunt, Principum, Comitum, & Nobilium, qui hac tempestate amant esse Caupones, Braxatores, & Molitores, ac rapiunt ad se mercaturam omnem, & lucrum ciuium. Porro cum instaret peregrinus, rogaretque cur crux esset supra literas dictas efformata, excepit alter, ea designari, nobis ab illis cauendum esse. Hactenus Lutherus. Refert hæc ipsa hæresiarchæ verba Gretzerus noster & congruam hanc apponit censuram, qua morem illum vt pium probat, & ludionem perstringit. Digna inquit *Lutheri dicacitate historiola, & apta exhilarandis conuiuensalium animis: ex quâ tamen emicat mos probus, & laudabilis, postium ædibus inscribendi trium Regum nomina cum signo sanctæ crucis, quem morem satyricè in iocum ac risum à ioculatorio isto Propheta rapto nemo mirabitur, qui Lutheri grauissimos mores nouerit.*

Gretzerus to. 1. de cruce Christi ad lect. p. 9.

coniectura de origine huius ritus.

Sed vnde morem hunc dicemus profluxisse? res incerta cum sit, locum relinquit coniecturæ. Post reditum sanctorum Regum adorato Christo dixi sæpius templum ab ipsis eo loci, vbi stellam primum viderant erectum esse: impressa foribus effigie crucis, & vt Paludanus addit armis suis gentilitijs appictis. Manserunt vna cum cruce nomina eorum & arma basilicæ inscripta non tantum cum corpora eorum ibi condita quieuerunt miraculis coruscantia, sed cum varias in oras diuisa colerentur: manebat enim conditorium illorum primum S. Crucis basilica miserorum asylum Deo votis fidelium mirandis operibus adspirante: vt iam non sanctis reliquijs, sed inuocationi nominum & eorundem scriptioni virtus ea meritis sanctorum Regum

gum id exposcentibus tribueretur: ideo videntur deinceps foribus ædium suarũ crucem cum eorum primis nominum literis appinxisse:&numismata simili figurata specie, quasi amuleta gestasse,quem morem audio vigere alibi. Iam verò quod seorsim sacra ceremonia consignentur nomina, interpolato sex vel octo dierum interuallo, consentaneum est morti eorum,&mori,quem in vita obseruarunt.cum enim eorum primus & Caspar quidem in octaua Natiuitatis ipsa Circumcisionis dominicæ celebritate decesserit,primi nominis initialis litera octo ante mortem diebus scribitur;Balthasar verò cum sexto post die decesserit in Epiphania,sex ante mortem diebus litera B.exaratur.Denique cum postremus omnium Melchior vita excesserit,quinque dies ante obitum eius prima litera M. reliquis adscribitur. Sed quia dies vndecimus Ianuarij, quo Regum tertius obijt, minus festiuus est,maluerunt fideles peruigilia trium istorum solenniorum Christi festiuitatum huic inscriptioni consecrare: vt quibus ipsi diebus regnis relictis fidem inChristum sua peregrinatione&adoratione maximè profitebantur:& quibus ipsi diebus ex S. Thomæ præscripto conueniebant, vt tres illas celebritates vna peragerent;Gaspari Natalis: Balthasari Circũcisionis &Melchiori Epiphaniæ dominicæ festum attribueretur:quo solennẽ in pontificalibus Deo litarent hostiam:quas inter octauas ijdem etiam decessere:hinc in peruigilio festiuitatũ illarum præcipuarum cum thurisfuffimento eorũ nomina religiosè honorantur, & ædes velut optimis præsidibus tutelaribus contra tartareas molitiones consecrantur,&inuniuntur. Atque ita ritus ille non abhorret à vita & morte singulorum.

cur nomina interpolatis vicibus inscribãtur.

CAPVT VI.

Locus sepulturæ SS. Regum ab octaua Epiphaniæ ad hoc vsque seculum claret mïraculis.

INTRA octauam Epiphaniæ Deus etiã miranda quædam seculis multis operari voluit:nam Plinius exMutiano refert in Andro fontem cũ postridie Epiphaniæ cœperit vinum scaturire, septem ipsos dies vino redundare. Mutianus ait: *Andri è fonte Liberi Patris statis diebus septenis eius Dei vinum fluere* & Pausanias in Iliacis:*Ferunt etiam Andrij apud se per festos Liberi Patris vinum quotannis sponte sua è templo manare.* Contulit hoc beneficij Deus per octauam Epiphaniæ,quam tot in vita mysterijs& beneficijs humano generi collatis illustrauit,licet stulta gentilitas abusa sit illo ad idolomaniam.

Plin.l. II *c.*2. vinum septem dies fluit. *Pausan.in Iliacis.*

Intra ipsam vero octauam, vt alias dixi,cum Melchiori vndecimo Ianuarij demortuo locus ei funerando quæreretur, vterque Regum sepultorum honoris ergo declinauit se ad latus, vt locus intermedius sandapilæ socio relinqueretur, consecuta sunt deinde miracula innumera: quæ sic horariæ lectiones perstringunt breuiter.

Regũ cadauera sibi mutuo honoris causa loco cedunt.

Post obitum,inquiunt,*venerabilem sancti Magi à cunctis orientalibus honore magno sunt habiti,& non sicut mortui,sed vt dormientes in tumba iacebant regio diademate decorati. Locus autem sepulturæ ipsorum in tanta veneratione habebatur ab omnibus,vt nullus infidelis,Iudæus,seu cultor idolorum,seu etiam crimino sus,vel aliquis pompa seculi præditus, illuc ingredi esset ausus,vniuersi vero cum fide,& deuotionis instantia,ad eorũ memoriam accedentes,ex mira boni odoris fragrantia,læti salui fiunt,& sospites:non erat infirmitas,quæ non reciperet ibi medelam. Quoniã hi sancti cunctis prouenerunt ad salutem,& gratiam,sicut omnibus fidem primi contulerunt diuina m. In omni autem loco,& in omni natione, vbi hi sancti à fidelibus cum fide & spe ad salutis gratiam inuocantur,Rege altissimo largiente virtutes & miracilia mirabiliter operantur & per eorum meritum varijs tribulationibus contristatis diuersa beneficia consolationis ministrantur.* Translatis postea Constantinopolim sacris Regum corporibus ibidem miranda patrasse, sicut & Mediolani, nec non in vtraque Mediolanum & Coloniam facta translatione superius indicaui.Nec vacare prodigio credendum est eorum corpora cum vestibus mille annis & tot vltra seculis incorrupta permansisse: contulerit quidem multum myrrhæ & aromatum præstantia,quibus inuoluti dicuntur: non videntur ijs tamen vel intestina educta, vel cerebrum exemtum è capite,cuius rei nulla in craneis ap-

locus sepulturæ claret innumeris prodigijs.

& translationes.

parent vestigia: sed neque vestimenta videntur tanto potuisse tempore à corruptio ne vindicari. Accessit & cœlestis quidem odor, qui cum Coloniæ sumtuosam in lipsanothecam transferrentur, templi vasti totam amplitudinem incredibili fragrantia sic repleuit, vt à singulis corporibus adspirari diuersus odor obseruaretur. Secuta sunt alia miracula frequentia: quæ licet monimentis non consignata perierint: habemus tamen eorum patratorum testimonium firmissimum & sanctissimum Innocentij quarti Pontificis maximi, qui de ipsis circa an. 1246. ita loquitur. *Cupientes igitur vt vestra ecclesia, in qua trium sanctorum Magorum corpora coruscantia multis miraculis sub veneranda custodia conseruantur, congruis honoribus frequentetur*, &c. Continuatam hanc fuisse mirandorum operum patrationem eius seculi scriptor Ioannes Hildesiensis his testatur verbis: *Ex tunc Archiepiscopus ipsa trium Regum corpora cum alijs reliquijs Coloniam publicè & honorificè transtulit, & ab omni populo cum hymnis & laudibus recepta in ecclesia S. Petri ibidem reuerenter collocauit: per quos Deus ibidem quamplurima mirabilia, & virtutes in præsentem diem operatur, & à principibus & nobilibus, & diuersis populis deuotè venerantur, & à longissimis terris, partibus & prouincijs, cū maximis reuerentijs quæruntur & visitantur.* Durauit sequenti seculo diuina operatio, cuius vestigium infra proferā in fragmine ingenti saxeo, cui desuper labenti cessit ad latus lipsanotheca, repagulis solutis ferreis, ne tota contereretur. Denique initio seculi 1500. Tritthem. qui non semel Coloniæ substitit, hæc habet: *Corpora SS. Magorum Coloniā transtulit, & in maiori S. Petri ecclesia collocauit, vbi vsque in præsentem diem miraculis multis coruscantibus in honore & reuerentia magna habentur.*

cum odore cœlesti.

Coloniæ patrāt miracula.

Innocentius 4.

Ioannes Hildesiensis c. 12. historiæ SS. Regum.

Trithem. in Chron. Hirsaug. an. 1162.

Exstant compedes adhuc variæ cum anathematis etiam argenteis infra vel prope sacellum, vt videantur captiuis, & naufragis etiam esse opitulati. Superant literæ testimoniales de suspendiario liberato: eas sacrarium Colonienſe in hæc verba recitat: *Nos Dux Ath. vna cum Comite de Cararia locum tenentes Regis Siciliæ in Abruttio, & capitanei gentium armorum per præsentes literas vniuersis & singulis fidem facimus, & infra scripti accidentis seu miraculi testimonium perhibemus; quod cum vna dierum mensis Octobris ex parte regiæ maiestatis contra Principes Gentium in campo Taranti inferentes damna, sicut mos est inimicorum ad bellum essemus vnanimiter congregati, annuente fortuna factis hinc inde multis insultibus captiuos tredecim inde accepimus, quos omnes ad furcas iudicauimus, & mox prolata sententia, nobis superstitibus suspensi fuerunt: & à die Mercurij in hora primæ in furcis vsque ad sabbati vesperas pependerunt: Testamur itaque per omniū plasmatorem vnum de illis suspensis Ioannem Aprilis, filium D. Horlantij Aprilis, militis D. sancti Romani ciuitatis ditionis Viennensis fuisse mirabiliter à dicto mortis iudicio liberatum: videlicet, quod dum furcarum scalas adscenderet, à tribus orientis Regibus auxiliū implorauit, & fuit mirabiliter exauditus. Vnde fatemur & per præsentes credentiæ literas iterum, atque iterum omnibus, & singulis fidem facimus, ipsum antedictum Ioannem fuisse cum tali miraculo liberatum promittentes, quod cum illa qualitate vel substantia, videlicet sic nudus, sic pauper, cum capistro in collo trium dictorum Regum orientis in sui auxilium vocatorum domum siue templum, quod in Colonia Alemanniæ ciuitate ædificatum dicitur, quærere deuotiuè. Die 12. Octobris Dux Ath. & Comes de Cararia.*

suspensus triduo inuocatione SS. Regum liberatur.

Quo contigerit hoc seculo, vel quo Siciliæ Rege non liquet: attexam de hoc coniecturam Melchioris Inchofer *De anno*, inquit, *non constat: si quis tamen coniecturæ locus, præsertim ex historijs Siculis, videtur id contigisse tempore Wilhelmi secundi Siciliæ Regis, non multis annis postquam Mediolano Coloniam sacra corpora migrarunt: nempe millesimo centesimo, & circiter octuagesimo: vix enim alias, quæ hic narrantur rectius cohærent, quam si cum gestis eorum temporum in Sicilia & Brutijs regnante Wilhelmo secundo conferantur.* Sæpius sontibus vel innocentib. extremo supplicio damnatis id beneficium SS. Regum meritis collatū esse non dubito: nam & inde malè feriati quidā occasionē arripuerunt, subreptitias Regū attestationes concinnandi; quo fictis miraculis rē facerent: vnius tamen acerbissimus cruciatus potuit alios à flagitio deterrere: cuius Chronic. Colonienſe ad an. 1400. in hanc sententiam meminit *eodē*, ait, *an. Coloniam Roma venit Gallus quidam, allato secum chirographo &*

impostor exuritur.

& testificatione Regis Neapolitani, quod insons in crucem actus quatuordecim dies suspensus hæserit, quem sancti Reges inuocati è patibulo liberarunt: peruulgato tota vrbe miraculo supplicationis ritu solenniter impostor ille ductus in summum templum conditorium sanctorum Regum est, quem etiam cum Parisios vsque in patriam saluum & incolumem adduxissent (vt miraculi fides exploratior è patria peteretur) *dolus & fraus illic detecta est, & lata iudicum sententia ignis supplicio condemnatus.* Non est, quod quis suspicetur, ne hæc cum priore confusa sit scriptorum vitio historia: multa variant in vtraque: huius testificatio Regis Neapolitani, illius Ducis & Comitis Regis Siciliæ fuit: ille triduum, hic quatuordecim pependerat dies: ille suspensus vt hostis, hic insons: illius patria videtur fuisse ditio Viennensis: huius Parisij. Vtraque satis firmat solitos à reis, siue sontibus siue insontibus sanctos Reges cum fructu inuocari: nec prodigiosis istis euentis Colonienses fidem plenam adhibuisse, nisi discussa rei diligenter veritate. Deinde compedes & ferrea vincula, quæ anathematis loco circa sacellum appensa videntur, satis indicant eos vinctis, & reis sæpius esse opitulatos.

Solent præterea SS. Reges epilepticis succurrere: quamuis superstitiones hic sæpius misceantur: vt dum quidam medicorum labentium auribus carmina quædam immurmurant: tractat hoc argumentum bellè P. Melchior eius censuræ libenter suffragabor: *Plurium*, ait, *esse Medicorum non infimæ notæ, & in paucis Valesci de Taranta, Ioannis Riolani, Gordonij, Wecheri, vt ceteros mittam, in suis obseruationibus affirmationem, non vno periculo se didicisse, si paroxismo epileptico laborantibus ore quispiã ad aures admoto versus hic redditos ter insusurret, continuo languorẽ omnem abcedere, & restituta sanitate pati solitum in pedes adsurgere, deinde securũ mali.*

epilepticos curant.

superstitio.

Gaspar fert myrrham, thus Melchior, Baltasar aurum,
Hæc tria qui secum portabit nomina Regum,
Soluitur à morbo Christi pietate caduco.

Ita isti; sed equidem haud dubito, Deum mirabilem esse in Sanctis suis, ac trinã illam, siue in honorem Sanctiss. Triadis omnia operantis, siue in memoriã trium Regum repetitionem, vt à pietate alienam hactenus haud putem: cur tamen ad aures potius admurmurari carmina, quam alio modo adhiberi velint, aut si ita fiat, cur id requiratur, cum nullam in naturæ consensu rationem videam, ab errore vix liberarim. Quippe cum effectus ille miraculo similis sit, modum in scriptura sacra vsitatum & Ecclesiæ sanctionibus receptum excedere non debet: ac vt mittam non tam obseruatione medicorum, quam sanctitate bonorum, & illustratione, vel etiam reuelatione diuinitus facta, quemadmodum in plerisque legimus, eiusmodi experimenta solita esse commendari, incertum planè est, ea munera singulatim Magos, & non omnia singulos, vel etiam non hoc, sed alium aliud obtulisse, vt Gaspari myrrha, thus Melchiori Baltasari aurum perperam adscribatur. Mihi carmẽ præscriptum satis indicat morem, quo SS. Regum nomina scripta, velut amuleta è collo suspensa gestabantur: quibus si aliæ defuerint superstitiones voluerit fortè Deus hoc remedio mederi morbo regio: quod factum passim æuo suo testatur ante 170. annos Antonius Liber Susatensis: *Intelleximus etiam & experti sumus, quod in diuersarum terrarum partibus caduci, eorum super se scripta nomina portantes, meritis illorum ab horribili morbo optatas consequantur plenissime sanitates. Nomen verò vnius est Gaspar, alterius Baltasar, tertij Melchior; quod autem in præsentia sanctorum corporum & in remotis mundi partibus ad inuocationem eorum crebra fiant miracula, & Sanctos inuocantibus diuersa præstentur salutis beneficia, testantur plurimi, qui per eorum merita saluati sunt, ab omni doloris molestia.* Sed ante hunc vetustiores horariæ lectiones hæc habent: *Isti sunt Reges Gentium, fructus primarij, qui sicut omnibus fidem Christi contulerunt diuinam, sic cunctis primo prouenerunt ad salutem: in omni autem loco, & in omni natione, vbi hi Sancti à fidelibus cum fide & spe ad salutis gratiam inuocantur, Rege altissimo largiente, virtutes & mirabilia mirabiliter operantur, & per eorum meritum varijs tribulationibus contristatis, diuersa consolationis beneficia ministrantur.* Ita qui primi præcones Christi recens nati eius nomen coram Regibus, Iudæis & Gentibus publicarunt, cum summo vitæ periculo: Deus virtutem eorum nominibus medic ātribuit, vt varijs morborum molestijs mederentur.

suspensa è collo nomina prosunt.

Susatensis.

cur hodie rariora miracula.

Nec mirandum rariora noſtra ætate eorum celebrari miracula, qua multum remiſit auitus eorum cultus, ceſſant ad eos olim frequentatæ peregrinationes, rara vota ijs perſoluuntur: rariora ijs appenduntur anathemata: multum etiam ſolennitas Epiphaniæ paſſim remittit: vnde ad cultum eorum ſeneſcentem excitandum quæ miranda, & inuſitata ea die ſingulis ferè ſeculis contigerunt, paulo diligentius ex veterum monumentis repetam, præmiſſis, quæ Eccleſia Catholica ſancierit eo die præ reliquis anni feſtiuitatibus ad eius maiorem & auguſtiorem cultum peragenda.

CAPVT VII.

Feſtum Epiphaniæ ab Apoſtolis inſtitutum eſt, & inter quatuor ſolennitates præcipuas numeratum fuit primis duobus ſeculis à ſanctis Patribus.

Apoſtoli inſtituerunt Epiphaniam. S. *Clemens l. 8 conſt. Apoſt. c. 39. & lib. 5. c. 13.* æqualis fere eſt feſto natiuitatis. comparatio vtriuſque.

AB Apoſtolis feſtum hoc ſolenniter inſtitutum autor coæuus eorum S. Clemens eſt lib. 8. conſtitutionum Apoſtolicarum. *In feſto*, inquit, *Epiphaniæ quieſcent ſerui, quia in eo facta eſt manifeſtatio diuinitatis Chriſti, teſtificante ei Patre in baptiſmo, & Paracleto in forma columbæ demonſtrante eum, cui teſtificatio facta eſt.*

Iidem ſupparem eum natali Dominico celebritate eſſe voluerunt: *Poſt diem* (ait ex ijſdem conſtitutionibus S. Clemens) *natalem Domini, ſit vobis Epiphaniæ dies in maximo honore, quo die Dominus propriam diuinitatem oſtendit.*

Quibus verbis innuunt Apoſtoli non minore ſolennitatem hanc cultu, quam natalem Domini celebrandam: quando ſicut eius humanitas ſubmiſſioque colitur in ortu; ſic in Epiphania maieſtas perſonæ diuinæ regiæque dignitatis tam Patris cœleſtis, quam diuini Spiritus teſtimonio comprobatur, & noui ſideris exortu prodigijſque maximis confirmatur. Vt licet hominibus gratior dulciorque natalis videatur, quo cœpit Chriſtus homo cum hominibus viuere: dignior ex hoc capite eſſe videatur Epiphania, quod idem à nobis vt Deus cognitus adoretur; adeoque in eo. vt redemtore & mediatore ſalus humana ſoliderur; non enim humanitas à diuinitate ſeiuncta: nobis ſalutem meruiſſet: nec homo non agnita Chriſti creditaque Deitate ſperare vitam æternam potuiſſet. Cuius quidem occaſionem feſti cum noui ſideris exortus & Regum aduentus præbuiſſet, à S. Thoma, dixi ſupra, tribus Regibus imperatum eſt, vt diem illum celeberrimũpariter omni religione cultuque quotannis peragerent: & quoniam ſub idem tempus ipſos Reges Deus ad vitam immortalem euocauit: factum eſt, vt populus earum regionum, ad Regum etiam memoriam, & prodigiorum multitudinem, quæ iuxta tumulos eorum patrabantur diuinitus, in eo conuentu & affluxu debilium, ac infirmorum (qui quotannis ibi ſanitate donabantur) magis ad pietatem inflammatus totam octauam perageret celebriorem.

ipſi Reges quotannis Epiphaniã coluerunt.

Vigiliam porro ab ijsdem inſtitutam Apoſtolis exiſtimo, nam & nocturnarum precum, Actor. caput 12. & 16. meminit, & Plinius in epiſt. ad Traianum, ait de Chriſtianis: *quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo canere ſecum inuicem: ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent.* vbi per *ſacramentum* Baronius *ſacrum ritum* accipit, *ipſamque Euchariſtiæ ſumtionem, quam mundis tantum & vitæ prauæ abdicationem ſpondentibus in futurum impartiebant.* Rectè id quidem Baronius: nam & morem, quo ea peragerentur, S. Iuſtinus (qui ſecundo ſeculo vixit) ita recenſet: *In publicis vrbanorum & ruſticorum congreſſibus primum lecta eſſe Apoſtolorum ac Prophetarum ſcripta: deinde ſurrexiſſe eum, qui patribus & cœtui Præpoſitus diceretur, orationemque habuiſſe parænenticam imitantem & hortantem ad imitationem eorum, quæ perlecta eſſent, poſtea cœtus conſurrexit in publicas preces, quibus finitis Euchariſtiam ſumebant, poſtremò conferebant pauperibus eleëmoſynam.*

vigilia quando cœperit. Eius Plinius meminit. *Baronius to. 2. an. 104* S. *Iuſtinus* modus communicandi primorum Chriſtianorum.

Porro ſi vlla per annum feſtiuitate Chriſti diuinitas carmine ſoleat & cantu à fidelibus celebrari (quod Plinius de ijs narrat) Epiphaniæ feſto conting ebat, vt quam ma-

maximè, quo etiam quam celebris esset synaxis Regum, vulgi & clericorum, vita S. Luciani, Basilij & Chrysostomi tradit: quam item Augustorum cultus religiosus acta Valentis, Iuliani, Theodosijque satis indicant. Et iam tum Christianos orantes spectasse orientem Iustinus in Apologetico 2. & Clemens autor est, quod quidam volunt in reliquis causis etiam ideo factum esse, vt vocationis Gentium ad fidem (quæ ex oriente facta prima est) meminissent. Celeberrima die Epiphaniæ commune.

Iam verò sicut primo seculo S. Matthæus Euangelicos Magos, eorumque virtutes oraculo cœlesti mirificè decorauit: sic eorum festiuitatem secundo seculo S. Clemens Pontifex maximus celebrat: at stellæ nouæ raram descriptionem S. Ignatius attulit, & idolomaniæ significatam euersionem eloquenter his verbis adfirmauit: *Stella fulsit exsuperans omnes quotquot ante fuerant: lux enim illius erat inenarrabilis, & stuporem incussit omnibus adspicientibus eam rei nouitas: omnia autem reliqua astra vna cum Sole & Luna chorus fuere stellæ illius: ipsa vero claritate superabat omnes: turbabanturque, vnde prodiret hæc, quæ apparebat nouitas. Hinc euanuit mundi sapientia, præstigiæ factæ sunt nugæ, magia risus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantiæ caligo fugata & tyrannicus principatus destructus, cum Deus vt homo apparuit, & homo vt Deus operabatur.* *S. Ignatius Epist. 14. ad Eph.* stellam Magorum celebrat.

Eodem seculo S Iustinus sæpius eos laudat, & decies fere repetit, ab Arabia profectos esse: nec eos S. Irenæus præterit sub annum 180. qui Christi diuinitatem tam ex SS Regum muneribus, quam eius Baptismo eodem die celebrato sic colligit: *Vnus igitur & idem Deus, qui à Prophetis prædicatus est, & ab angelo annuntiatus, & huius filius, qui ex fructu ventris Dauid, id est, ex Dauidis semine de virgine est Emmanuel: cuius stellam Balaam quidem sic prophetauit: Orietur stella ex Iacob, & surget Dux in Israel, Matthæus autem Magos ab Oriente venientes ait dixisse: Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum: deductosque à stella in domum Iacob ad Emmanuel, per ea, quæ obtulerunt munera ostendere: quis erat, qui adorabatur: myrrha quidem, quod ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur & sepeliretur: aurum vero, quoniam Rex, cuius regni finis non est: thus vero, quoniam Deus, qui & notus in Iudæa factus est, & manifestus, qui non quærebant eum,* &c. Atque hæc satis euincunt celeberrimam ex Apostolorum instituto festiuitatem Epiphaniæ, & SS. Regum memoriam primis duobus seculis in Ecclesia viguisse. *S. Iustinus S. Irenæus. lib. 3. aduersus hæreses Valens. Et similium 9. & 10.* fidem ex muneribus colligit.

CAPVT VIII.

Sintne Reges illi tres autoritate apostolicæ sedis in canonem relati, & an die Epiphaniæ eorum celebretur memoria.

Dubitandi ratio.

POSSET non nemo dubitare, num Magi Euangelici Sanctorum canoni sint Apostolicæ sedis autoritate adscripti: nec enim eorum in Martyrologio, Breuiario, vel fastis Sanctorum vlla mentio: & Epiphania non Magis ipsis tribuitur, sed Christi solennitatibus adnumeratur: deinde quando & a quo Pontifice Sanctis adiuncti sunt? arisne & templis decorantur?

Resoluitur.

Sed non licet de eorum sanctitate dubitare: satis id ipsa quæ Romæ SS. Magis Euangelicis ab Antonio Barberino Cardinale S. D. N. Vrbani 8. Pontificis maximi tempore constructa est basilica testificatur, de qua infra.

Et quis dubitet festum eorum ab Ecclesia cum Epiphania celebrari, quando per totam octauam laudes eorum, diuersorum Patrum orationibus, decorantur & virtutes heroicæ posteris ad imitandum proponuntur: vt post sanctos Apostolos & D. Stephanum ac Ioannem nullius Sanctorum virtutes sic enucleet Euangelista, vel tam festiuis gaudijs recolat Ecclesia, sicuti Magorum Euangelicorum. Accedit, quod & eorum miracula Pontifices approbarint, Sanctorum vel Beatorum eosdem titulo decorarint, eorum particulares translationum festiuitates aprobarint: fideles-

que indulgentiarum ampliſſimis theſauris oblatis ad eorum cultum & baſilicarum erectionem prouocarint. Duos ſufficiat Pontifices attuliſſe.

Innocentius 4. ſancti vocantur à Pontifice.

Innocentius 4. circa annum 1246. Sanctos eos vocat: eorum feſtiuitatem annua relaxatione pœnæ debitæ peccatis ornat. *Cupientes igitur*, ait, *vt Eccleſia veſtra, in qua trium ſanctorum Magorum corpora coruſcantia multis miraculis ſub veneranda cuſtodia conſeruantur, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in feſtiuitate ipſorum ſanctorum venerabiliter viſitauerint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia & BB. Petri & Pauli Apoſtorum eius autoritate confiſi 40 dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer annis ſingulis relaxamus.* Idem anno vertente exuſta baſilica cuſtode ſanctorum Regum fideles ad erogandam in nouæ fabricæ ſubſidium pecuniam ſic exhortatur. *Sane famoſa & honorabilis Colonienſis eccleſia de nouo, ſicut accepimus, caſu intolerabili per incendium eſt conſumta. Cum autem venerabilis frater noſter Archiepiſcopus & dilecti filij Colonienſe capitulum eccleſiam ipſam, in qua trium beatorum Magorum corpora requieſcunt, reparare cupiant opere ſumtuoſo, vniuerſitatem veſtram rogamus & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes: quatenus de bonis vobis collatis à Deo per liberalitatis auxilium ad hoc pro Dei & Magorum ipſorum reuerentia promtis affectibus impendatis.* Largitur deinde anni totius & 40. dierum relaxationem.

cultoribus indulgentiæ dantur.

Bonifaci 9.

Eodem modo Bonifacius IX. an. 1393. eoſdem *ſanctos* vocat & *Reges*, laudat ad eos factas peregrinationes, duplicem eorum feſtiuitatem donis maioribus cumulat. *Prærogatiua ſpecialis fauoris & gratiæ venerandam eccleſiam Colonienſem proſequi cupientes, vt Chriſti fideles ad eccleſiam ipſam, in qua ſanctorum trium Regum, qui Chriſto Regi tria munera pretioſa obtulerunt, corpora venerabiliter requieſcunt, & quæ à populo illarum partium in celebri venerantia & deuotione continua, & ad quam etiam peregrinorum de diuerſis mundi partibus confluere conſueuit multitudo eo libentius cauſa deuotionis confluant, ad eandem, quo uberius ibidem ex hoc dono gratiæ cæleſtis conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius autoritate confiſi; autoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, vt omnes verè pœnitentes & confeſſi, qui in Epiphaniæ & translationis eorundem Regum feſtiuitatibus viſitauerint, annuatim illam indulgentiam & peccatorum remiſſionem dicta autoritate conſequantur, quam verè pœnitentes & confeſſi eccleſiam S. Mariæ de Angelis Aſſiſinenſis diœceſis primo & ſecundo diebus menſis Auguſti viſitantes eadem autoritate quolibet anno conſequuntur.* Addit decem annorum indulgentiam, qui per octauam ad eandem eccleſiam inuiſerint, vbi obſeruandum, quod ipſam Epiphaniam vocet *ſanctorum Regum feſtiuitatem*, adeoque velit eam totam octauam ad ſanctorum etiam Regum cultum & honorem eſſe inſtitutam. Ita iam à quadringentis & amplius annis Germani non ſolent feſtum hoc alio; quam *ſanctorum Regum* nomine compellare: ſtatim etiã poſt tranſlationem Coloniam factam ſunt ijſdẽ aræ & ſacella, Lucernæ, Gamundiæ, Bambergæ, Coloniæque conſtructa: in quibus die Epiphaniæ potiſſimum memoria eorũ recolitur. *Sic Paulus quintus* in ſuo breui ſacellum Lucernenſe vocat *trium Magorum*, cum ampliſſimis indulgentijs diei Epiphaniæ attributis. *Qui eccleſiam*, ait, *ſeu capellam trium Magorum in feſto Epiphaniæ ſingulis annis deuotè viſitauerint*: quas ad ſeptennium *Vrbanus* 8. prorogauit. Certe à pluribus citantur hæc verba *S. Athanaſij* de feſto Epiphaniæ: *quem diem appellamus trium Regum.* Atque ita iam tum ab ipſorum Apoſtolorum tempore videntur per octauam illam culti & honorati, quaſi primi magiſtri & Doctores tam Iudæorum, quã Gentilium, de quibus ipſi apud Clementem canonem ſupra laudatũ ediderant.

peregrinationes ad corpora SS. Regũ.

item à Paulo 5.

Vrbano 8. S. Athanaſio. q 2. ad Antiochum Regem. lib. 5. conſt. c. 39.

Quid ſi etiam, vt valde probabile videtur, Martyres ſint, ad ea verba, quæ ſubijciuntur, ſpectant. *In die S. Stephani Protomartyris quieſcant ſerui & reliquorum ſanctorum Martyrum, qui Chriſtum propriæ ſuæ vitæ antepoſuerunt.*

Epiphania vocatur à Bonifacio feſtiuitas SS. Regũ.

cur die Epiphaniæ potius quã alias colantur.

Nec opus videbatur mortem eorum à tam inſigni vocatione ſecernere: cum vnius etiam mors in eundem diem: alterius in quintum ab ipſo (dum octaua tamen peragitur) incurrit: tertius feſto Circumciſionis impeditur: proinde cum dies vocationis certior, at obitus dubius multis ſit, in eandem octauam cultum ipſum reiecit eccle-

ecclesia: nec tamen ambigo, quin Ecclesia, si certus demonstrari dies eorum obitus posset, ob reuerentiam, quæ primitijs Gentium debetur, ijsdem esset diem aliquem definitura: sicut iam Colonienſi in ecclesia festum translationis eorundem comprobarunt Pontifices maximi, & in loco sepulturæ statim fuerunt anniuersaria celebritate Apostolis adhuc multis superstitibus honorati, vt ab ipsis Apostolis velut Apostoli, martyresque, vel si lubet cum sanctis Patribus loqui, martyrum ideæ videantur Sanctis esse adnumerati.

CAPVT IX.

Die Epiphaniæ per totam Ecclesiam Pascha celebrandum olim indicebatur.

controuersiam. Paschatis vetustissimam synodus Nicæna decidit.

IAM tum seculo secundo, superstite S. Irenæo, committi inter se cœperunt orientalis & occidentalis ecclesia de die Paschatis celebrandi: finiri controuersia tam cito non potuit: quarto primum ineunte seculo reuocata res ad cyclos est: quorum confectionem Nicæna synodus Alexandrinis Matheseos peritissimis demandauit, vt sedes Apostolica per Patriarcham Alexandrinum monita maturè scriberet ecclesiæ toti, sicque in festo Epiphaniæ dies dominicus Paschatis, alius à Iudæorum Paschate solenniter indiceretur. Modum & ritum P. Inchofer describit. *Alexandrinis primum peculiari quadam celebritate fuit hic dies singularis, ac deinde Romanæ ac totius orbis Christiani ecclesijs insignis: quod hoc die Pontifices Alexandrini, postquam ex instituto Romanum Pontificem monuissent, ad omnes ecclesias & monasteria Ægypti ipsi quidem dirigebant suos, sed Romanus Pontifex ad vniuersas per orbem ecclesias, destinabat epistolas, quibus & de initio quadragesimæ, & de die Paschatis cuncti monerentur. Factū id, ne Christiani cum Iudæis celebrando coinciderent semperque dies Paschæ diem Dominicam vindicaret, quod legitimum cum non nisi vel methodo Astronomica, quæ diem æquinoctij lunamque decimā quartam ostendat; vel cyclica, quæ videlicet beneficio lunaris cycli ætatem lunæ venetur perfici possit, idcirco Nycænum concilium, sancita pro Paschate die Dominica, methodum cyclicam proponi voluit. Quam quia Alexandrini præ ceteris Matheseos periti iam ante excogitarant, & ab ingenio Theophyli in arte versatissimi tum commendabant, non solum communi consensu fuit approbata, verum etiam Alexandrinis prærogatiuæ loco datum, vt ipsi in posterum eiusmodi cyclos conficerent, atque ad Romanum Pontificem transmitterent: qui deinde singularum prouinciarum Primatibus & Metropolitanis cum autoritate idipsum indicaret, quæ concilium Carthaginense, & Bracharense in rem præsentem moment. Hinc interdum euenit, vt Metropolitani non præcepta sententia, in denunciando die Paschatis aberrarent, donec monerentur, exspectandum à Romano Pontifice, quid seruandum esset. Ideo miraculo confirmatur, quod supra ex Paschasio Lilibæo retulimus: erratum vero tunc in ecclesia occidentalium fuisse putant, vt Sigebertus notat, quod vltimo cycli decennouennalis anno pro emboliſmo communem accepissent: contigit hoc anno, quemadmodum aduertit Massæus an. 417. Zozimo Pontifice, & imperante in occidente Honorio. Quidam annum anteuertunt, sed longius aberrant, qui hanc historiam cum ea confundunt, qua baptisteria Hispaniarum diuinitus redundasse narrantur: inter alios apud Gregorium Turonensem. Durauit porro ea consuetudo, manſitque bonos condendi cycli apud Alexandrinos, quousque tandem orientales varijs inter se conflictati dissidijs, ab Ecclesia Romana secesserunt: tum enim summi Pontifices dedignati ea prærogatiua hæreticos afficere, cum multi in Ecclesia Romana periti Matheseos inuenirentur, horum consilio & industria, deinceps vti cœpit in designandis temporibus, & ritu præscribendo.* Huc vsque P. Inchofer. Huius antiquiſsimæ consuetudinis exstant quædam certæ formulæ: breuissimam habet Ambrosiana missa. post primam collectam hoc modo.

Inchofer c. 4. 5.

Alexandrinus Patriarcha monebat Papam de die Epiphaniæ.

Carthag. 4. c. 2. Bracharense 2. c. 9.

lib. 5. hist. Francic. c. 17.

forma succincta indicendi Paschatis.

Annunciatio diei Paschatis per Diaconum.

Nouerit caritas vestra, Fratres carissimi, quod annuente Dei & Domini nostri Iesu Christi misericordia, die tali mensis talis Pascha Domini celebrabimus.

Prolixior exstat in sacerdotali Romano: quæ cum piam mobilium festorum institutionem, explicationem, obligationemque contineat, tota videtur inserenda. *In festo Epiphaniæ. Cantato Euangelio, & postea in vernacula, vel vulgari lingua ipsum Pascha, & alia festa mobilia declarat, & pronuntiat modo infra scripto vel simili. Carissimi superioribus diebus celebrauimus glorioſissimam solennitatem natiuitatis Domini cum gaudio & lætitia spirituali: nunc autem, quia instant solennia, in quibus Dominus Deus Saluator noster nostram est operatus salutem; ad quæ nos debemus diligenter præparare. Ideo sancta mater Ecclesia Catholica statuit & ordinauit, vt hodierna die talia festa pronunciarentur, quæ non semper ijsdem diebus contingunt, sed omni anno variantur, & hoc fit, vt solennitas Paschæ semper in die Dominico celebretur. Et quia ad festum Paschæ quædam sunt solennitates, quæ præcedunt ipsam, & quædam quæ sequuntur: ideo eas omnes vobis integraliter pronunciabimus, vt eas seruare & celebrare valeatis secundum rationem, qua à sanctis Patribus fuerunt institutæ.*

Inprimis die tali N. talis mensis N. erit Dominica in Septuagesima, & Sabbato præcedenti, quod ab aliquibus vocatur pœnitentium, ad denotandum, quod tempus solennis pœnitentiæ tunc deberet incipi, sicut antiquis temporibus fiebat, & tali die prohibetur solennitas seu traductio nuptiarum, & durat tale impedimentum vsque ad octauas Paschæ inclusiuè: & licet tali tempore contrahere sponsalia non prohibentur, tamen nuptias solemnizare, aut benedicere, aut vxorem traducere inhibetur. Quæ tempora in pœnitentia deberent seruari, quia in his Ecclesia commemorat tempus præuaricationis Adæ & cantica lætitiæ interdicit, scilicet Alleluia: & alia, quæ tunc temporis interdicuntur, vt populus Christianus abstineat à malis operibus, quæ illis temporibus fieri solent, scilicet tempore Carnispriuij: subsequenter 18. die post Septuagesimam erit dies Cinerum, siue caput ieiunij, siue prima dies Quadragesimæ, quæ erit hoc anno die N. mensis N. in quo debetis considerare fragilitatem nostram, & ex humilitate suscipere cineres super capita vestra, & qui possunt, debent omni die exceptis Dominicis ieiunare vsque ad sanctum Pascha. Quo tempore debetis vos disponere ad bonum, odia relinquere, mala ablata restituere, eleëmosynas plus solito facere, ecclesias, prædicationes & inaulgentias libenter visitare, audire & inquirere. Et vt sitis magis capaces, & vt meritoriè talia bona facere possitis, in principio Quadragesimæ omnia peccata vestra confitemini integraliter: subsequenter tali die N. mensis N. erit sanctum Pascha, quod Dominus sua gratia vos lætanter & cum pura conscientia celebrare & Sacratissimum Sacramentum dignè suscipere concedat. Post trigesimum sextum diem à Pascha, scilicet 37. die sunt dies Rogationum; in quibus fiunt processiones generales pro ira Dei placanda, & pro conseruatione frugum, & hoc anno incipient die N. mensis N. quadragesimo die à festo Paschatis est festum Adscensionis, quod erit die N. mensis N. & post dies decem erit festum Pentecostes, in quo Dominus misit Spiritum Sanctum in Apostolos, quod erit die N. mensis N.

Hæc sunt carissimi tempora, & hi dies, in quibus festa huius anni concedente Domino celebrabuntur; & licet transeant omnia, quæ temporaliter festiuè celebrantur, curare tamen debemus, ita eas celebrare, vt in earum celebratione apud Deum aliquid adipiscamur. Curate igitur vos, qui huiusmodi solennitatibus interestis, ne ab æterna solennitate separemini: quid enim vobis proderit interesse festis hominum, si contingat deesse festis Angelorum. Præstet concedatque vobis Dominus tales solennitates purè & rectè celebrare, vt ad perpetuas celebritates peruenire valeatis: præstante Domino nostro Iesu Christo, qui hic gratiam suam & in futuro nobis sua benignitate concedat. Amen. Hactenus sermo paræneticus in Epiphania, tam ad festa mobilia indicenda, quam ad obligationem fidelium significandam: & eos ad dignam eorum celebrationem inflammandos: qui tunc potissimum habebatur: quod eo die præ reliquis anni temporibus etiam Reges & Imperatores sua populum præsentia pietateque ad festum hoc religiose transigendum inuitabant, vt maximi dedecoris, & quasi Apostasiæ signum esset, eo die sanum sacris publicis abstinere. Exstat de hac re canon 2. Antisiodorensis concilij sub an. 615. celebrati his verbis. *Vt omnes Presbyteri ante Epiphaniam missos suos dirigant, qui eis ac principio*

cur in Epiphania facta hæc fuerit promulgatio.

pio quadrageſimæ nuncient, & in ipſa Epiphania ad populum indicent, & Aurelianenſe 4. canone. *Placuit itaque Deo propoſitio, vt ſanctum Paſcha ſecundum interculum Victorij ab omnibus ſacerdotibus vno tempore celebretur, quæ feſtiuitas annis ſingulis ab Epiſcopo Epiphaniorum die in Eccleſia populis denuncietur.*

CAPVT X.

Prærogatiuæ ſolennitatis feſti Epiphaniæ.

POST feſtum natalis Dominici, Paſchæ & Pentecoſtes præcipua fuit iam tum à tempore SS. Apoſtolorum ſolennitas Epiphaniæ, quam diſertis verbis Apoſtoli præ aliorum Sanctorum celebritatibus maximo indixerunt honore peragendam.

At licet ſancti Patres & eccleſiarum Antiſtites ſinerent fideles ab eccleſijs abeſſe matricibus, ijs tamen qui in Epiphania non conueniſſent, ſacris interdicebant. Exſtant hac ſuper re canones Agathenſis concilij c. 64. *Si quis in clero conſtitutus ab eccleſia ſua diebus ſolennibus abfuerit: id eſt Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ vel Pentecoſte, dum potius ſingulari lucro ſtudeat, quam ſeruitio ſuo parere, conuenit, vt triennio à communione ſeparetur & ſuſpendatur.* Iterum ca. 21. *Siquis etiam extra parochias in quibus eſt legitimus, ordinariuſque conuentus oratoria in agro habere voluerit; reliquis feſtiuitatibus, vt ibi miſſas teneat propter fatigationem familiæ, iuſta ordinatione permittimus, Paſcha vero natale Domin, Epiphania, Aſcenſione Domini, Pentecoſte, & natali S. Ioannis Baptiſtæ, & ſi qui maximi dies in feſtiuitatibus habentur, non niſi in ciuitatibus, quas ſupra diximus: in oratorijs niſi iubente & permittente Epiſcopo, miſſas facere, aut tenere voluerint, à communione pellentur.*

die Epiphaniæ, qui non ad matrices eccleſias conueniebant, excommunicabantur.

Præterea ſicut tantum in Paſchate & Pentecoſte fons ſacer Baptiſmi conſecrabatur & ſolemni ceremonia fideles conuerſi tingebantur: idem ob vocationem Gentium & Chriſti Baptiſmum in Epiphania, tam in Oriente, vt vulgatiſſimum eſt, quam in Occidente erat vſitatum.

eodem die ſolennis baptiſmus erat.

Celebris ideo Ambroſianæ præfatio miſſæ pridie Epiphaniæ hæc habet. *Suſceperunt hodie fontes benedictionem tuam, & abſtulerunt maledictionem noſtram, ita vt credentibus purificationem omnium delictorum exhibeant, vt Dei filios generando adoptione faciant ad vitam æternam*

Traxit hinc etiam nomen apud priſcos vt vigilia *expectatio luminum*: dies ipſa *feſtum luminum* diceretur, more ſanctis Patribus vſitato, quo Baptiſmum illuminationem & illuſtrarionem appellabant ex verbis Apoſtoli Hebræorum ſexto. Adhæc ſolennis illa fuit eccleſiarum multarum conſuetudo, vt dicta in vigilia ſacerdotes, vel clerici linteati piacularibus aquis domus ciuium luſtrarent. Exſtat ſolennis huius ritus formula in ſacerdotali Romano his verbis ad vigiliam Epiphaniæ comprehenſa.

9. ſolennis in vigilia luſtratio domorũ.

Clerici volentes domos fidelium aſpergere aqua benedicta, dicant pſalmum Miſerere mei Deus *cum orationibus ſequentibus*: Domine exaudi orationem meam. *Si fuerit ſacerdos addat*, Dominus vobiſcum & cum Spiritu tuo: ORATIO. *Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cælis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo, per Chriſtum Dominum noſtrum.* OREMVS. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hanc domum ſerenis oculis tuæ pietatis illuſtra, deſcendat ſuper habitantes in ea gratiæ ſuæ larga benedictio, vt in his manufactis habitaculis cum ſalubritate manentes ipſi tuum ſemper ſint habitaculum per Chriſtum.*

forma vſitata.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, vt ſiqua ſunt aduerſa, ſi qua contraria in hac domo famuli tui N. autoritate maieſtatis tuæ pellantur. Per Chriſtum Dominum.

Optandum vt hæc vetus & pia conſuetudo reuocetur: ſicut enim horum Regum ingreſſus in ſtabulum Bethlehemiticum de idololatria Chriſtum, & dæmonibus fecit

triumꝑ

triumphare: ita quoties ſacerdotes ad horum Sanctorum memoriam aqua piaculari luſtrant ædes, Deus tantorum tutelarium Diuorum meritis, & Eccleſiæ precibus ſolet maleficia dœmonumque præſtigias à fidelium ædibus auertere.

4. publica proceſſio. *Metaphraſtes in Ian*

Huc acceſſit in ipſa Theophania, vel octaua ſaltem ſolennis ſtatio, litania, vel ſupplicatio, qualis in Natali Domini: de ea in Oriente Metaphraſtes meminit in vita S Euthymij, qui ante mille pluresque vixit annos: *Quando erat dies octauus Theophaniorum, & iam aduenerat dies præfinitus, quo is exibat in vaſtam ſolitudinem innumerabilis quidem ad eum confluit multitudo, cruces habens in manibus, & Kyrieëleyſon de more non ore ſolùm, ſed labris quoque cordis inuocans.*

S Gregorius M.

S. Gregorius M. Romæ etiam tam in Natali Domini, quam Epiphania ſolennem ad D. Petri inſtituit, & lege ſanciuit ſtationem.

5. ſynaxis fidelium.

Nec minus publica ſynaxis ſeculo tertio, quartoque, vt poſtea videbimus, vſitata fuit, qua ſicut fideles lege lata die Natalis Domini, Paſchæ & Pentecoſtes obligabantur, ſic eandem Reges etiam, & Imperatores Epiphaniæ die frequentabant, qui & ſolenne iuſtitium tunc, vt poſtea dicemus, inſtituerunt.

6 Interdictum nuptiarum.

Denique nuptiæ ſolennes olim per octauam Epiphaniæ, velut Paſchalem vetabantur, de qua re concilium Salegunſtadienſe ſub Benedicto octauo, & Henrico ſecundo Imperatore celebratum hoc decernit: *De legitimis coniugijs ita viſum eſt, quod nullus Chriſtianus vxorem ducere debeat ab Aduentu Domini vſque in octauas Epiphaniæ, & à Septuageſima vſque in octauas Paſchæ.*

CAPVT XI.

Dies Epiphaniæ præfertur à multis Natali Domini, & ab Imperatoribus Paſchæ æquiparatur.

S. Auguſtinus. Ser. 5. ſerm. 6. de Epiph. & 64. de diuerſis S. Leo. Tom. 1. concil. Gall. Sirmondi ad an. 67. fol. 122.

IEM Epiphaniæ S. Auguſtinus communiter Natali adæquat, quandoque præfert: hunc *ſolenniſſimum* Eccleſiæ Gentilium appellat: *& ſolennitatem omnium Gentium*. S. Leo quatuor adducit Gentilibus cauſas, cur eo potius, quam vllo alio feſto ſit exſultandum, quas ib. primo fuſè protulimus.

Pulchra exſtat SS. Lupi Tricaſini & Euphronij Auguſtodunenſis Epiſcoporum ad Talaſium Epiſcopum Andegauenſem epiſtola, de ſolennitatibus & vigilijs earum, vbi comparatur Epiphania Paſchæ & Natali, velut præcipuis totius anni feſtiuitatibus, & ſpecialem dicitur habere cultum: *Commonitorium*, inquiunt, *quod per ſubdiaconum Archontium miſſum fuerat, inſpeximus, ad quod Sanctitati tuæ, ſicut poposciſti, reſpondere curauimus. Vigilia Natalis Domini longe alio more, quam Paſchæ vigilia celebranda: quia hic Natiuitatis lectiones legendæ ſunt, illic autem Paſſionis: Epiphaniæ quoque ſolennitas habet ſuum ſpecialem cultum. Quæ vigiliæ vel maximè aut perfecta nocte, aut certè in matutinum vergente curandæ ſunt. Paſchalis autem vigilia à veſpere raro in matutinum vſque perducitur: deinde in vigilia Paſchæ diuerſorum librorum lectiones ſunt recenſendæ: quæ totæ aliquid habeant de præfiguratione, aut vaticinio paſſionis: ante dicta autem vigilia, prout viſum fuerit, inter pſallendum & legendum, ſiue de Prophetis, ſiue de nouo teſtamento, quod quiſque voluerit, non legali, ſed voluntaria lectione præſumet.* Hactenus ſancti illi Epiſcopi tres illas inter ſe conferunt vigilias & ſolennitates.

Ordo Romanus. Gauantus.

Ordo Romanus à Gelaſio Papa ducit originem circa A. 497. vt Gauantus ex Baronio probat: auctus à Stephano Papa & alijs, qui longè præfert Epiphaniæ ſolennitatem Natali Dominico, dum ita loquitur: *Secunda Natiuitas Chriſti tot illuſtrata myſterijs honoratior eſt, quam prima, tunc tantummodo natus eſt, & Angelus paſtores affatus, eſt: hodie vero à Magis cum muneribus eſt adoratus: hodie cum in Iordanicis aquis tingeretur, filius dilectus à Patre eſt vocatus de cœlo, & Spiritus S. in ſpecie columbæ ſuper eum viſus eſt, nam per Baptiſmi ſacramentum caput draconis eſt contritum: hodie ex aqua vinum factum eſt, eidemque cœleſti ſponſo coniuncta eſt Eccleſia. Inſuper & quinque millia hominum ab eo refecta ſunt, & ideo manifeſtatio interpretatur; quia in his manifeſtare ſe hominibus dignatus eſt.* Propter-

Epiphania præfertur Natiuitati.

præ omnibus haber ſpecialia.

ea-

ca ecclesia suum vt affectum erga hoc præcipuum festum declararet, præ omnibus anni festiuitatibus in officio diuino specialia quædam constituit, vt dixerit S. Bonauentura *Attende circa diem illum, quia vix inuenies aliquod festum sic ab Ecclesia solennizatum, & multiplicatum in antiphonis, responsorijs, & sermonibus & alijs quæ ad solennitatem pertinent, sicut illud*

præomnibus habet specialia. S. Bonauentura c. 4. medit. 1. vitæ Christi.

Imperatores etiam quod nec Pentecostes, solennitati tribuerant, hoc Epiphaniæ cum Natali Dominico & Paschate commune esse voluerunt, vt septenos dies ante, totidemque post, forenses lites quiescerent, & quæ tunc iudicarentur irrita censerentur. ita Theodosius A. Viceno, dum in hæc respondet verba. *Sanctum quoque diem Paschæ & diem Natalis Domini, & Epiphaniæ septem, qui præcedunt, & septem qui sequuntur sine strepitu volumus obseruari, & quod contra hoc factum fuerit omnibus modis irritatur.* Responderunt idem Albino Valentinianus Theodos. & Arcad. Augusti in hanc sententiã. *Omnes dies iubemus esse iuridicos illos tantum manere feriarũ dies fas erit, &c. sacros quoque Paschæ dies, qui septeno numero vel præcedunt vel sequuntur. Dies etiam natalis atque Epiphaniarum Christi.* Nec est quod quis putet Constantinopolitanos Imperatores orientalium quarundam ecclesiarum more Epiphaniæ diem cum natali confudisse; cum diserte diem vtrumque à se disiungant, & exprimant, satisque significent, tres eo seculo celebritates longè fuisse maximas, quas etiam sequenti seculo SS. Lupus & Euphronimus vt præcipuas coniunxerunt. & ordo Romanus audet Epiphaniam Natali præponere.

Imperatores dierum festorum iustitiã esse voluerunt. Theodosius L. vt in die c. de feriis. Valentin. Theod. Arcad

CAPVT XII.

Specialia quædam circa vigiliam, festum, & octauam in ritibus ecclesiasticis concessa & obseruanda

DERANTIQVA vigilia fuit Epiphaniæ, cuius ritum ante S. Gregorium D. Ambrosius in missa fuit prosecutus: habet ipsa, quod nulli alteri extra Pascha contingit, proprium 9. lectionum officium: & singulare, nec cum Paschali vigilia commune, quod tota festiua sit. Deinde commune hoc cum sola vigilia natiuitatis, quod nec dominicæ, vel vlli semiduplici cedat; vnde & ieiunio caret, vt præ alijs in iubilo celebretur, ideoque dixere SS. Lupus & Euphronimus *cultum habere specialem*: nam aliæ vigiliæ Natalis, Paschalis, Pentecostes vel matutinum habent feriale, vel vt Paschæ tristitiæ mœrorisque plenum; sola hæc affluit gaudijs, & in beneficij vocationis Gentium recordatione vel natali recolendo penitus occupatur. Præclaræ sunt D. Ambrosij collectæ eo die, quibus ad Magorum imitationem nobis augmentum fidei, iustitiæ, cognitionis & cultus diuini deprecatur. Paucas seligam *Annue quæsumus omnipotens Deus, vt sicut scrutantibus Magis hodie latenter est cognitus Dominus noster Iesus Christus, & adoratus à cunctis Gentibus, ita & nostris sensibus manifestatus adueniat, & omni homini innotescat. Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt Saluatoris mundi stella duce manifestata natiuitas, mentibus nostris reueletur semper & crescat. Omnipotens sempiterne Deus qui verbi incarnationem præclari testimonio sideris indicasti, quod videntes Magi oblatis Maiestatem tuam muneribus adorauerunt; concede nobis, vt semper in mentibus nobis, tuæ appareat stella iustitiæ, & noster in tua sit confessione thesaurus.* Habet idem S. Doctor peculiarem præfationem eiusdem argumenti. *Per Christum*, ait, *Dominum nostrum qui à puerperio cæleſti intulit mundo suæ miracula maiestatis, vt adorandam Magis ostenderet stellam, & transacto temporis interuallo aquam mutaret in vinum: & suo quoque baptismate significaret fluenta Iordanis.* Ita S. Ambrosius: videri de eadem potest S. Hieronymi comes seu lectionarius: Galesinus ad 6. Ian. ait, *Mediolani ritu hoc Ambrosiano, vt die natali Domini, maximo populi concentu officium matutinum nocte celebrari, accensis more Græco plurimis luminibus.* Iterum festum ipsum totum in Gentium vocatione consumitur, & munera vere regia fidem & religionem Gentilium præ Iudæorum Pastorum cultu minore celebrant. Quam rem

antiquitas vigiliarum

specialia illius.

collectæ præclaræ S. Ambrosij.

præfatio vigiliæ.

Mediolanensium pietas in eadem. *Rupertus.*

Rupertus. lib. 4. de offi. diuin. cap. 24.

rem ita Rupertus in expositione officii diuini considerat: *Non ergo in causis tribus illud eminet, quod Dominus à Ioanne baptizatus est, quia non tunc; sed quando de latere eius sanguis & aqua profluxerunt baptismi nobis sui condidit sacramentum. Eminet autem, & præcipuum est illud: quod à Magis vtique Gentilibus adoratus est, & illuminatarum cordibus Gentium magnum spiritualium præstat materiam gaudiorum: Gentium namque primitiæ iam tunc in illis adsuntæ sunt, adsumsit enim illas pax nostra, quæ fecit vtraque vnum: Deum & hominem in se vnum Christum, Iudæos atque Gentiles in vnum coniungens populum: de hoc ergo dignè totum Missæ expositum est officium, in quo sancta Ecclesia de Gentibus electa pro suæ vocationis initio gratiarum Deo pro sua salute laudis offert præconium. Tota vero laudum materia dona sunt Regum: aurum, thus, & myrrha: dona enim quippe fuerunt fide fecunda cœlesti magisterio dispositа, per Spiritum S. intellecta; quia enim cœlesti magisterio dignius, quam auro Regem, thure Deum, myrrha confiteri mortalem? Nihil tale ille paries de proximo contulit, qui de Iudæis veniens in pastoribus angulari lapidi primus se coniunxit: nec mirum illos scilicet Iudæos Pastores angelicũ instruxit magisterium: hos autem, videlicet Gentiles, nouam stellam suscipientes, solum diuini spiritus inuisibiliter per docuit oraculo. Bene ergo Regum munera sanctæ Ecclesiæ fidem integerrimam testantia totum huius diei officium, prophetias, testimonijs & laudibus personat, veneratur, honorat*, ita Rupertus.

Officium missæ tam S. Ambrosius, quam S. Gregorius in *antiphonario & sacramentorum libro* recitat: sed in horis canonicis quædam peculiaria sunt huic festo, nec vlli fere communia propter festi specialia mysteria.

Specialia in officio festi.

Matutinum incipit ex abrupto ab antiphona & psalmo iam ab octingentis annis: quia visa stella statim venerunt Magi, muto nuncio non loquente *Durandus lib. 6. c. 16.* omittitur inuitatorium ad detestandam fraudulentam Herodis inuitationem, ad Christum adorandun: Alcuinus in Epiphania: adde quod psalmus *venite* in tertio nocturno decantetur.

cur matutinum ex abrupto inchoetur. Durandus lib. 6. c. 16. Alcuinus de Epiphan.

Hymnus prætermittitur primo die, quia perfectorum est cantare hymnos: conuersio autem Gentium in solis Magis perfecta non erat. Durandus ibidem. At infra octauam dicitur inuitatorium nomine Magorum, alios inuitantium ad adorandum Christum. Durandus ibidem: ipsi enim digressi à Christo, Gentiles passim, vt primi nouæ legis Apostoli, ad fidem nati seruatoris mundi, suis verbis & exemplo pellexerunt. Psalmus autem *venite* cantatur Epiphaniæ die initio tertij nocturni cum peculiari antiphonæ repetitione, ad indicandum, quod in tempore gratia (per tertium nocturnum significato) inuitata sit Ecclesia de Gentibus per Magos & stellam: repetitur ideo antiphona sæpius *venite adoremus*, vt confluant vndique nationes, quamuis cum in lectionibus tertij nocturni euangelium de gestis eorum, de Christi inuentione de adoratione recitetur, indicari, inuitatione *venite adoremus* videatur eorum aduentus Solymam, in qua quasi primi Euangelistæ Christi Iudæos & ipsum Herodem ad secum adorandum Regem Iudæorum recens natum exstimulabant, vnde à duobus cantatur vel à quatuor: plures enim erant, & diuersarum nationum selectissimi, qui munus hoc euangelicum obibant apud Israëlitas. Iam vero diebus infra octauam cedit hoc festum octauæ Paschatis & Pentecostes, in quibus non fit de festo aliquo, nec etiam de patrono loci, tituloue, seu dedicatione ecclesiæ officium: sequitur tamen proxime, duas has solennitates nam licet patronum loci, titulum & dedicationem non excludat infra octauam: (quæ etiam excludit die octaua) nulla tamen admittit duplicia alia: quo superat octauam Corporis Christi, quæ sola duplicia non translata admittit & translata excludit, superat etiam octauam Natiuitatis, Adscensionis, & aliorum quorumuis Sanctorum, quæ cedunt semiduplicibus.

dies infra octauam.

de Psalmo Venite quomodo & quando legendus.

Ipsa verò octaua Epiphaniæ vocatur præ reliquis *priuilegiata*, nam & duplex est: & excludit patronum, titulum & dedicationem: solet eam Durandus ideo *suppletionis octauam* nominare, quod expressè Baptismum Christi recolat, quem Epiphaniæ solennitas minus aperte celebrarat, is tamen solum missæ Euangelium occupat; cetera de Magis ferè repetuntur. Plura videri in Rubricis, & Gauanto possunt, è quibus hæc delibauimus: vt Ecclesiæ singulare studium appareat, quo cupit à fidelibus

per

per 9. ipsos dies inusitatis aliàs ritibus & gaudijs beneficium cœlestis adoptionis & vocationis recoli, & lectis toties heroicarum virtutum Magorum exemplis, ad imitationem nos prouocare. vereque S. Bonauentura dixerit *Non reperi festum aliud ab Ecclesia sic solennizatum.*

CAPVT XIII.

Die Epiphaniæ aurum thus & myrrha benedicuntur, è quibus medicina etiam conficitur senibus ad prorogandam vitam salutaris.

OMnis *creatura bona est*, teste Apostolo: quia à fonte boni omnis Deo dimanat, qui cum res omnes *in pondere, numero, & mensura* ex infinita sapientia condidisset: *vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed nequitia dæmonis vbique luminibus humani generis officientis, multa rerum conditarum ad perniciem mortalium vsurpantur, vnde sacram adhibet precationem Ecclesia, qua vires inimici nocentis infringantur. *Omnis* igitur *creatura*, eodem Apostolo teste, *sanctificatur per verbum Dei, & orationem*, ita vinum veneno vitiatum cum S. Ioannes Euangelista cruce signasset, virus depulit; & hodie manet pia consuetudo eius festo vinum contra maleficia, vel venena consecrandi. Similem Ecclesia constituit ritum, quo *aurum, thus*, & *myrrha* ad sanctorum Regum virtutes imitandas, ipsorũ solennitate sacerdotum precibus benedicantur, quibus à Deo petitur, vt quotquot ea gestare piè, & religiosè voluerint, prosint ijs ad hostium præsertim stygiorum insidias declinandas, ac fidei & pietatis augmentum à Deo impetrandum: formulam habet vetus sacerdotale Romanum hoc exemplo:

S. Paulus 1. Tim. 4. creaturæ omnes bonæ.

Gen. 1. quomodo vitientur & benedicantur.

1. Tim. 4. 4

Ecclesia instituit benedictionem. auri, thuris & myrrhæ

In festo Epiphaniæ solent benedici aurum, thus, & myrrha in commemorationem munerum trium Magorum; & taliter benedicta super se portata cum Dei timore, & reuerentia prosunt ad salutem.

Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c.

Postea dicatur 1 psalmus 53. *Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua, &c.*

2. psalmus 71. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.*

3. psalmus 66. *Deus misereatur nostri & benedicat nobis &c.*

Antiphona: *Apertis thesauris suis obtulerunt Magi Domino, aurum, thus, & myrrham: Kyrieëleison, Christeëleison, Kyrieëleison. Pater noster. &c.*

Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo. Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus te humiliter deprecamur, vt has creaturas auri, thuris, & myrrhæ hodierna die à tribus Regibus tibi tanquam summo Regi & Deo vero, & homini vero oblatas bene ✠ dicere, conse ✠ crare & sancti ✠ ficare digneris & eis tuæ donum benedictionis infundere; vt quisquis eas gestauerit, ab omni periculo animæ & corporis saluus semper existat. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit &c.

Oremus: *Domine Iesu Christe, qui nobis sacerdotibus, non nostris meritis: sed sola dignatione clementiæ tuæ præ ceteris gratiam contulisti, vt quidquid à nobis in tuo nomine dignè & perfectè agitur, à te fieri credatur, adesto quæsumus nostræ officio seruitutis, vt bene ✠ dicere & sancti ✠ ficare digneris has tuas creaturas auri, thuris, & myrrhæ, quas nos in nomine sancto gloriæ tuæ bene ✠ dicere confidimus. Qui viuis & regnas cum Patre & Spiritu Sancto Deus per omnia secula seculorum. Amen.*

Benedictio

Tria præcipua semper fidelibus à Deo postulãda

Bene ✠ dico itaque in titulum omnipotentiæ tuæ & spem salutis fidelium vtentium his creaturis, auri, thuris & myrrhæ, in nomine Pa ✠ tris & Fi ✠ lij & Spiritus ✠ S. vt sicut tres Magos Gaspar, Balthasar, & Melchior tibi eas offerentes ad muisteria tua cognoscenda illuminare, & ad te deuotè adorandũ accendere; atq; ab insidijs &

periculis custodire dignatus es, ita fideles tuos in tua misericordia sperantes, qui ijsdē creaturis tuis auro, thure & myrrha in tuo nomine usi fuerint, lumine tuo illustrare; amore tuo inflammare; & à cunctis aduersitatibus, ab omnibus insidijs, & nocumentis diabolicis præseruare digneris, qui cum eodem Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas in secula seculorum Amen. Adspergatur aqua benedicta.

medicina rata senum pro vita propaganda.

Non est dubitandum, quin ea pia maiorum amuleta, quæ suffragijs Ecclesiæ nituntur, & vim sumunt à ministrorum Ecclesiæ sacra precatione & consecratione more institutoque Romanæ Ecclesiæ rite decenterque obseruato, valeant multum ad dœmonis arcendas iniurias, & diuinam nobis, cum vsus est, opem conciliandam. Sed nunquid & corpori ab his tribus rebus inter se confusis & permixtis peti potest medicina? Reperit eam medicorum lumen Marsilius Ficinus, plurimumque facere putat ad senum vitam prorogandam: de qua Gabriel Palæottus Cardinalis ita scribit: *Nam cum à S. Ecclesia Epiphania Domini, atque trium Magorum ad eum in præsepe adorandum aduentus nunc celebretur, sumsit Marsilius Ficinus vir eruditissimus & medicus præstantissimus præclarum hinc conficiendi pharmaci argumentum ex auro, thure, & myrrha, aureoque mero compactum, aptissimum, vt ipse ait, ad producendam senectutem ex naturali horum, quæ simul miscentur vi ac proprietate, ac simul opportunum: lib. 2. cap. 9. maximè ex mysterij significatione ad vitæ auctorem venerandum. cuius libenter à nobis etiam idcirco mentio facta fuit, quod vbi possunt Christiani auctores cum disciplinis, quas profitentur, aliqua etiam ad nostræ religionis pietatem & ad deuotionem in Deum pertinentia coniungere, illos eo maiori laude dignos esse iudicamus.*

Palæottus lib. de bono senectutis. p. 1. lib. 2. de vita prorogenda.

notent hoc profanarū scientiarū professores.

Marsilii inuentum.

Venit postea in manus ipse Marsilius, cuius hæc est experientia & adhortatio. *Magi*, ait, *stellarum obseruatores ad Christum vitæ ducem stella duce venerunt pretiosum vitæ thesaurum offerentes, aurum, thus, & myrrham, tria dona pro tribus planetarum dominis stellarum Domino dedicantes; aurum quidem proten-peramento Iouis, maximè omnium temperatum; Thus autem pro sole maximè Phœbeo calore simul odoreque flagrans, myrrham denique firmantem corpus pro Saturno omnium firmissimo planetarum: huc igitur omnes ad sapientes Magos venite senes, munera quoque vobis vitam productura ferentes, quibus auctorem vitæ quondam venerati traduntur. Venite senes inquam senectutem grauiter tolerantes: venite & vos præterea, quoscunque senectutis propemodum aduentantis formido solicitat. Accipite precor alacres dona vitalia, sumite vncias quidem thuris duas, vnam vero myrrhæ, auri vero rursum in folia ducti dimidiam drachmæ partem: contundite, tria simul conflate, confundite in pilulas, aureo quodam mero, idque tunc opportunè confsite, quando Diana propitio Phœbi vel Iouis gaudet adspectu. Sumite posthac thesauri tanti aurora qualibet portiunculam, ac exiguo perfundite meri potu, nisi forsan incaluerit æstas: tunc enim aquam rosaceam bibere præstat; si quis autem inter vos calorem quouis tempore magis metuat, is myrobalanum, chebulam aut emblicam æqualem ad thuris myrrhæq; & auri simul pondus adijciat, hoc humorem naturalem à putrefactione tuebitur: hoc humoris resolutionem longius propulsabit; hoc tres in nobis spiritus naturalem, vitalem, animalem fouebit, confirmabit, corroborabit: hoc rursum vegetabit sensum, acuet ingenium, memoriam conseruabit.* Habemus igitur hoc ipso Epiphaniæ festo paratum in tribus illis donis amuletum & sacramentale ab Ecclesia religiosè institutum contra maleficia ad vitæ spiritualis conseruationem; habemus & pharmacum corporis ad vitam mortalem prorogandam: vtrumque festum hoc nobis offert, dum ritè Regum exemplo Deum auctorem vitæ naturalis, & supernaturalis vt Regem & Deum nostrum adoramus.

inuitat senes.

effectus miri huius medicinæ

CA

CAPVT XIV

Vigilia & festum Epiphaniæ vbiq; festiuis gaudijs, & inusitatis ritibus peragitur, de tripudio Colonienſi, Veſontionenſi & Friburgenſi.

VIGILIAS Martyrum populus in templo cum lætitia, canticisque peragebant teſte Victore: *Iam ob celebritatem feſtiuitatis, hymni nocturni per totam Eccleſiam canente populo concrepabant*: & Procopio Diacono: *vniuerſa Ægyptus Marcum die feſto ſingulis annis honorat, laudes illi debitas offert, & multa cum pompa, atque applauſu exſultationeque & panegyri laudationes ipſas celebrat, diuinumque ipſius Euangelium amplectitur, vt tabulas à Deo inſculptas.* Piam hanc conſuetudinem abuſus chorearum & ſympoſiorum contaminauit: quem vt abrogarent multum priſca concilia vigilarunt: vt Toletanum tertium cap. 23. *Irreligioſa conſuetudo eſt, quam vulgo per ſanctorum ſolennitates agere conſueuerunt qui debent diuina officia attendere, ſaltationibus turpibus imuigilant, cantica non ſolum mala canentes; ſed ex religioſorũ officijs perſtrepentes: hoc enim vt ab omni Hiſpania depellatur, ſacerdotum & Iudicum curæ à concilio ſancto committitur.* & Antiſiodorenſe c. 11. *Non licet in vigilia Paſchæ ante horam ſecundam noctis vigiliam exire, quia in illa nocte non licet poſt mediam noctem bibere, nec in Natali Domini, nec in reliquis ſolennitatibus.* merito ſane ne ſacræ ſynaxis perceptio impediatur.

Victor lib. 2 hiſt. Vandal. Feſtiua lætitia in vigilijs Martyrum. *In laudatione Marci Euangeliſtæ* Abulus vigiliarum. tollitur per cõcilia. *Toletan. 3. Can. 23. Antiſiodorenſe c. 11.*

Pridie tamen Epiphaniæ ante mediam noctem cum natalitiorum feſtorum gaudia ieiunium non admitterent, regalia Chriſtiani paſſim decenti tamen & conuenienti modo peragebant, in quibus & canticis natalitijs ſe recreabant; & pauperes vel eleëmoſynis largioribus reficiebant; vel menſæ adhibebant: memores donorum, quæ ſancti Reges Chriſto pauperi pecudeſque inter abiecto per tot diſcrimina viarum attulerant: ſolent ideo hodieque pauperes ſtudioſi ea nocte trium Regum ſchemate & ſtella prægrandi præduce cantica de Epiphania modulari, ſtipemque corrogare, ſingulis etiam in familijs Reges eliguntur toleranda conſuetudine, ſi tamen abuſus ſympoſiorum in multam noctem, ebrietas, & crapula declinentur. Qui mos inde fortè dimanauit, quod Reges Orientis Chriſtum à Iudæis repudiatum, in Regem & Dominum elegerint, cui ditiones ſuas & gentem omnem ſubijcerent: interim & ipſi viciſſim regni cœleſtis eo die adierint hereditatem, noſque eorum poſteri vniuerſi, ſi fidem Magorum, pietatem & religionem conſtanter ad mortem vſque imitemur, ius regni cœleſtis conſequamur

Regalia olim celebrata. mos eligendi Regem in quauis familia. origo & pium inſtitutum.

Hoc de more ſic loquitur Petrus Tiletanus Iprenſis Epiſcopus: *Gratias quippe agit Deo Eccleſia Gentium, quod filium ſuum inexplicabili ſua bonitate Gentibus etiam, quibus nulla vnquam de Meſſia vel Saluatore promiſſio data fuit, illuceſcere, atque ad æternam per eum ſalutem & fidem vocare dignatus eſt, iure itaq; optimo feſtum illud præ ceteris magna à Chriſtianis vbique terrarũ lætitia celebratur. Et quantum quidem mihi videtur, non aliam ob cauſam nunc iamdudum recepta conſuetudine in vnaquaque familia Rex eligitur, quam ad ſignificandũ gratæq; memoria recolendum, quod Rex ille Regum & Dominus dominantium Chriſtus nos Gentiles hodie ad regnum ſuum vocauerit, atque adeo Reges effecerit. ſecundum ſcripturam: Feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotium. Iam nunc impleri cœpit illa Spiritus Sancti, etſi ab impio prolata prophetia, moriendum eſſe Chriſto non ſolum pro gente Iſraëlitica, ſeu Iudaica, ſed etiam vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum: hoc eſt vt Gentium populum varijs erroribus, varijs falſorum deorum cultibus deditum in vnitatem fidei & ſacramentorũ cogeret. Qui filij Dei erant, non ſecundum præſentem ſtatum, ſed in æterna Dei prædeſtinatione. Iam cœptum eſt fieri, quod Saluator in Euangelio ſe facturum promittit; habeo, inquit, alias oues, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor.* Hactenus Iprenſis Præſul. Quare ſicut nationes omnes totius mundi per legatos ſanctos tres Reges vnum ſibi caput paſtorem, & Regem conſtituerunt Chriſtum, inter ſe concordes & vnanimes, velut vnius membra corporis, ita fideles vno ſuo de corpore Rege delecto, ſuam teſtantur con-

Petrus Tiletanus can. 12. tract. de Epiphan.

Apoc. 1.

sensionem mutuam, fidem etiam SS. Regum in Christum Regem Regum, quam gestiunt externo ritu repræsentare, & animitus imitari, consuetudine vt dixi tolerada, si tantum abusus caueantur. Iam verò dies ipsa Epiphaniæ varijs alibi ritibus peragitur, celebris ille est, qui viguit.

gaudia dici Epiphaniæ.

Coloniæ electio Episcoporum festis natalitijs. & Regis in octaua Epiphaniæ: id dicebatur tripudium.

Coloniæ in Octaua Epiphaniæ, quem vulgo *Tripudium subdiaconorum* nominabant: nam more vetusto sub vesperis & Cantico Mariano die natalis Domini Diaconi consultis ante Prælatis è Vicarijs eligebant Episcopum, & die postero eodē tempore & ritu Sacerdotes Canonici Episcopum alium designabant, sic in octaua Subdiaconi Metropolitani cum Subdiaconis ad gradus, & S. Cuniberti hederaceo serto coronati, cereisque accensis, præsentibus Prælatis & ijs antea consultis ordine, Regem aliquem renunciabant in domo Capitulari, tum cantato hymno Ambrosiano Rex vesperas inchoabat, ac hebdomadarij vice fungebatur à primis vesperis ad secundas vsq; subdiaconi verò Cunibertini & ad gradus versum *Reges Tharsis* concinebant: vt Ritualis M. S. codex Metropolitanus accuratè præscribit, admiscent autem natalitias cantiones, non sine gestientis animi voluptate quod tripudium olim dicebatur: similique populi iubilantis exsultatione Dodechinus exceptos ait Coloniæ Reges voce eadem adhibita cum ait: *Reinoldus corpora Trium Magorum secum Coloniam transtulit, & in maiori Ecclesia B. Petri cum tripudio populi collocauit.* Idem Vesontione fit, maiore tamen apparatu & pompa: quam his transcribit mihi ex Dolana ciuitate comitatus metropoli noster Petrus Chiffletius *In basilica Metropolitana S. Ioannis Bisonticensis ex veteri consuetudine in codice rituum adnotata inter Missarum solennia Clerici tres personati cum coronis & ornatu regio totidem ministris in vasis auro conspicuis regia munera præferentibus, alijs etiam è Clero cum baculis argenteis, cum cereis accensis cum thuribulo comitantibus è sacrario egressi supplicabundi omnes egregia pompa per aliquot stationes, quibus inseritur Euangelium, varios ad mysterium versus accinunt, tandemque stella duce progressi, munera sua altari imponunt. Idipsum olim exhiberi solitum erat in altera metropolitana basilica S. Stephani, & in Ecclesia colligiata S. Magdalenæ Bisontinæ; Salinis verò in primaria æde S. Anatolij. Ritum omnem mitto ex antiquis codicibus ecclesiarum Metropolitanarum. Sed pia hæc dramata maiorum nostrorū simplicitati, quam huius seculi genio accommodatiora, video ab aliquot annis præternitti: fortasse quod his temporibus animum potius auocare à serijs, quam ad sinceram religionem incitare videantur.*

Loca in quibus hæc pia dramata sint exhiberi solita.

Ex codice rituum Ecclesiæ Metropolitanæ S. Stephani Bisonticensis.

In Epiphania Domini.

In Missa ante Euangelium fit processio trium Regum, qui induuntur amictis, albis, paratis, stolis, & tunicis colore differentibus. Apponuntur etiam humeris cappæ, dantur capelli cum coronis, & vnicuique famuli, qui deferant phialas. Finita prosa egrediuntur è vestiario, præcedentibus cereis, & thuribulo, & duobus choristis: quorum iunior cum suo baculo præcedit, senior verò sequitur Reges.

Reliqua sunt ex codice rituum Ecclesiæ S. Ioannis, quæ altera est è duabus Metropolitanis basilicis Bisonticensibus.

Reges eant vsque ante altare Beatæ Mariæ cantando:

Nouæ genituræ
Cedit ius naturæ,
Contra carnis iura
Parit virgo pura,
Nouo quodam iure
Premitur natura
Nato Christo.
Audit non auditum;
Seruat non attritum
Virgineum florem
Mater præter morem:
Irritansque ritum
Retinet pudorem
Nato Christo.

Totum reſeratur,
Quidquid tegebatur
Clauſum ſub figura:
Prodeunt obſcura,
Iamque iudicatur
Literæ litura
Nato Chriſto.
Ortus veri Dei
Quem reſpirant rei
Miſerans eduxit,
Gratiam reduxit,
Dies noſtræ ſpei
Dies & illuxit
Nato Chriſto

Cum autem venerint ante altare B. Mariæ, vertendo ante chorum tres Reges ſimul dicant.

Nos reſpectu gratiæ
Gentium primitiæ
Spem totius veniæ
Vobis damus hodie.

Cum venerint in medium ſimul dicant.

Cuius ſtellam vidimus,
Verum lumen credimus
Quem Deum cognoſcimus
Adorare venimus.

Cum autem proceſſerint paulo vltra, dicant ſimul.

Dona damus talia,
Per quæ Regis gloria
Patet, & potentia,
Qui gubernat omnia.

In introitu chori dicant ſimul.

Ius in auro regium,
Thure ſacerdotium,
Myrrha munus tertium
Mortis eſt indicium.

Cum autem adſcenderint ſupra ad pulpitum, legant Euangelium vnuſquiſque verſum ſuum in hunc modum.

Reges ſimul: Dominus vobiſcum. *Cantores*, Et cum ſpiritu tuo
Reges: Sequentia S. Euangelij ſecundum Matthæum. *Cantores*, Gloria tibi Domine.
1. *Rex*: Cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis Regis: ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam, dicentes.
2. *Rex*: Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?
3. *Rex*: Vidimus enim ſtellam eius in Oriente. *Cantores*: Et venimus adorare eum.
1. *Rex*: Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.
2. *Rex*: Et congregans omnes Principes ſacerdotum, & ſcribas populi ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur.
3. *Rex*: At illi dixerunt ei. *Cantores*: In Bethlehem Iudæ.
1. *Rex*. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam.
2. *Rex*: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.
3. *Rex*: Ex te exiet Dux. *Cantores*: Qui regat populum meum Iſraël.
1. *Rex*: Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter ab eis didicit tempus ſtellæ, quæ apparuit eis.
2. *Rex*: Et mittens illos in Bethlehem, dixit.
3. *Rex*: Ite & interrogate diligenter de puero: & cum inueneritis renunciate mihi. *Cantores*: Vt & ego veniens adorem eum.

1. *Rex*: Qui cum audiſſent Regem, abierunt.
2. *Rex*: Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra, vbi erat puer.
3. *Rex*: Videntes autem ſtellam. *Cantores*: Gauiſi ſunt gaudio magno valde.
1. *Rex*: Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.
2. *Rex*: Et procidentes adorauerunt eum.
3. *Rex*: Et apertis theſauris ſuis. *Cantores*: Obtulerunt ei munera.
1. *Rex*: Aurum: 2. *Rex*: Thus. 3. *Rex*: Et myrrham.
1. *Rex*: Et reſponſo accepto in ſomnis.
2. *Rex*: Ne redirent ad Herodem.
3. *Rex*: Per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

In eodem loco dicat 1. *Rex*, *oſtendens ſtellam alijs*: Ecce ſtella. 2. *Rex*: Ecce ſtella. 3. *Rex*: Ecce ſtella. *Omnes ſimul*: In Oriente præuiſa: iterum præcedet nos lucida.

Poſtea deſcendunt: cum deſcenderint vſque in introitum chori, dicant pariter.

Cuius ſtellam vidimus,
Verum lumen credimus,
Quem Deum cognouimus,
Adorare venimus.

Cum venerint iuxta candelabrum, dicant ſimul.

Dona damus talia,
Per quæ Regis gloria
Patet, & potentia,
Qui gubernat omnia.

Cum autem venerint ante altare maius, offerant ſuper altare, ſcilicet:

1. *Rex cum auro & dicat:* Ius in auro regium.
2. *Rex offerat ſimiliter dicens:* Thure ſacerdotium.
3. *Rex pariter offerens dicat:* Myrrha munus tertium
Mortis eſt indicium.

Hæc ex codice S. Ioannis: at in libro S. Stephani ſub finem hæc habes.

Poſtea pergunt ante maius altare: ibique flexis genibus offerunt ſua munera cum coronis, inde recedentes vnus per ianuam S. Agapiti, alius per magnam ianuam & tertius per portam Beatæ Mariæ in veſtiariũ reuertuntur. His pijs dramatis Burgundia per multa ſecula memoriam recolit tranſlationis per ipſorum terram factæ: quam pietatem Deus innumeris & quotidianis miraculis ad fontem SS. trium Regum patratis muneratur. Vnius alterius Salinenſis conſuetudinis D. Iulius Chriffetius me commonefecit. Salinis enim in Burgundia iuuentus equis vecta, nobilẽ tanti feſti memoriam recolit, tribus ex omni iuuentute præeuntibus adoleſcentibus, qui Magos ſchemate regio repræſentent. Recolunt ſic Burgundi memoriam, quâ ſancti tres Reges Coloniam Mediolano transferendi comitatum illum liberum ſuo tranſitu ſibi quodammodo conſecrarunt. Nec reticenda Friburgenſium in Heluetia ſeu Auenticis Epiphaniæ celebritas, quam eius vrbis & territorij familiæ nobiles ac tribus per vices adornant. Hebdommadis aliquot ante tres Canonici Sacerdotes eligunt acturi perſonas Regum. Horum ſingulis ex nobili familia centurio, ciuiumque tribus adſignatur, è qua cum amicis ſuis cohortem 150. militum conflet. vna cohortium Æthiopes refert: omnes verò extra vrbem velitationibus & alijs belli meditationibus exercentur. Die Epiphaniæ circa tertiam vel quartam matutinam ſacro interſunt omnes, quo finito cum diluceſcit, in domo centurionum trium, tam milites cohortis, quam conſanguinei, qui palatinorum more Reges equites adſectentur colliguntur. Reges verò Herodes, Ioſeph etiam & Deipara in area templi Dei genetricis conueniunt: ibidem conſulibus, & ſenatui ſedilia præparantur: nec ante conſident, quam cohors prima forum iſtud attigerit, eam centurio pedes ducit, inſtructus leuiori ſariſſa, cuius armiger ſclopum eiuſdem defert; cohortem ſequitur ſignifer eques, Rex, & aulici in equis: hi vt conſeſſum ſenatus attigerint, eumq; capite demiſſo ſalutarint, centurione præeunte cohors fiſtulas eiaculatur: idem faciunt cohortes reliquæ: mox ordines opponunt ordinibus, equites equitibus, repetitis eiaculationibus ſe ſalutant, & more velitantium aggrediuntur coram ſenatu & Regibus: tum denſatis ordinibus vna petunt Herodis regiam: is ex pegmate conſtructo cauſam aduentus Regum agnoſcit, per ſe & legis-peritos reſpondet, verbis alta voce decantatis, vt audiri ab omnibus poſſit. Sic poſtea Reges angelus de reditu & Ioſephum ex alijs machinis de fuga in Ægyptum monet. Deinde iunctæ cohortes

Salinis conſuetudo.

Friburgi.

militares velitationes.

ſacræ hiſtoriæ repræſentationes.

& poſt

& post eos Reges simul pergunt ad primariam S. Nicolai ædem, sacrum ibi fit insigni apparatu, canentibus Euangelium pariter Regibus: sub offertorium, Deiparæ in cornu altaris residenti primi Reges offerunt munera, tum aulici, centuriones, Consules, Senatores, alij. Finitis diuinis à centurione cohors excipitur epulo. Confluunt ad hanc solennitatem è remotis locis etiam hæretici, Bernà præsertim. Causam eius pompæ putant ex voto à Rep. & territorio quodam SS. Regibus nuncupato manasse: luisse etiam maiores cœlesti inflicta pœna quoties omiserunt. Oblatio.

Ita festiuis vbique plausibus præ alijs solennitatibus hæc à fidelibus agitur, quod translato à Iudæis ad Gentes Christi regno, nos ad hereditatem admissi simus filiorum: nos igitur S. Leo commonet ad diei beneficium & lætitiam considerandam: *Leo ser. 5.* *Hic*, ait ille, *dies est, quo ad cognoscendum, adorandumque Dei filium tres Magos præuia stella perduxit, cuius facti memoriam merito placuit honore annuo celebrari: Hoc autem signum, quod Magos in longinquo positos efficaciter mouit, & ad Dominum Iesum perseueranter attraxit, illius sine dubio gratiæ sacramentum, & illius fuit vocationis exordium, quo non in Iudæa tantum, sed etiam in toto mundo Christi erat Euangelium prædicandum: vt per illam stellam, quæ Magorum visui splenduit, Israëlitarum autem oculis non refulsit, & illuminatio signata est Gentium, & cæcitas declarata Iudæorum: radiat namque è cælo stella per gratiam, & tres Magi coruscatione Euangelici fulgoris acciti in omnibus quotidie nationibus ad adorandam summi Regis infantiam accurrerunt: vnde quod tres illi viri vniuersarum Gentium personam gerentes adorato Domino sunt adepti, hoc in populis suis per fidem, quæ iustificat impios totus mundus adsequitur: & hereditatem Domini ante secula præparatam accipiunt adoptiui, & perdunt, qui videbantur esse ligitimi.* Quod argumentum idem sermone secundo fusius & vberius persequitur, omnes fideles ad præcipuam quandam lætitiam & gratiarum actionem adhortando.

CAPVT XV.

Miraculum solennitatis Epiphaniæ quotidie instauratur & quantæ à Gentilibus ideo gratiæ Deo debeantur.

NAtalis Dominicus, passio & anastasis, reliquaque per annum festa solenniter instituta, semel peracta transeunt: nec opus ea diebus singulis instaurari: sed sufficit anniuersariâ memoriâ talia recolere mysteria: eximium hoc habet Epiphania: quod nunquam desinat: & in. lies eius diei prodigium præcipuum innouetur. Hoc nimirum S. Augustinus, Gregorius, alijq; S. Patres appellant *Miraculum miraculorũ* Gentiles à fide & Dei cognitione alienissimos, auitis desertis religionibus, Christi pro nobis in crucem acti mortuique diuinitatem agnoscere, supplicesque venerari: facilius enim Deo mortuum ad vitam reuocare, vel cœlos condere; quam liberam hominis arbitrio relictam voluntatem, ad Christi fidem, cultum & amorem permouere: & tamen videmus & audimus quotidie, non tres tantum; sed integra regna, & nationes in orientali & occidentali India non promtè tantum eiurata idolomania Christo iuga submittere, sed & quotidie ferè hac tempestate in Iaponia tormentis exquisitissimis libenter subijci, vt fidem suam sanguine profuso possint profiteri: per hoc Christi diuinitatis manifestatio, & integrorum populorum illuminatio, nouam restituit Epiphaniam: nec desunt Herodes tyranni immanissimi, qui Christum in cordibus talium recens ortum conentur opprimere: quamuis conatus eorum cœlitus elidantur. Copiosè & disertè S. Leo monet fideles, hæc tunc in typo gesta, continuam exprimere status Ecclesiæ successionem. *Permanet igitur, sicut euidenter apparet, mysticorum forma gestorum: & quod imagine inchoabatur, veritate completur. Radiat namque è cælo stella per gratiam, & tres Magi coruscatione Euangelici fulgoris acciti in omnibus quotidie nationibus ad adorandam summi Regis infantiam accurrunt: Herodes in diabolo quoque premit; & auferre sibi iniquitatis suæ regnum in ijs, qui ad Christum transeunt ingemiscit: vnde si paruulos interficiat,*

sola Epiphania quotidie instauratur.

qui tres Reges hodie.

Herodes quotidiani *S. Leo ser. 8.*

ficiat, Iesum sibi videtur occidere, quod vtique facere, sine cessatione molitur, dum primordijs renatorum spiritum sanctum eripere & quandam teneræ fidei infantiæ tentat extinguere. Quocirca dum innumera per orbem populorum accessione & illuminatione Epiphaniam celebrari; & Iudæis quotidie magis obcæcatis Gentes audimus fidei Christianæ aggregari: docet nos Magorum exemplo debitas Deo laudes, & grates concinere, & vt Reges viso Christo paupere se moribus ei conformarunt, ita vitam nostram & actiones ad eius nutum componere: *Sacramentum* (ait S. Leo) *præsentis festi oportet in nobis esse perpetuum: quod vbique rite celebrabitur, si in omnibus actibus nostris Dominus Iesus Christus appareat.* Scilicet festum apparitionis nominatur, opus ergo est, sicut cognitio Christi per fidem continuo Christi fidelibus illucescit, ita ijdem cum Magis lucem præuiam secuti, Christi vitam & mores conentur venerari & imitari, vt ex eorum actibus Christi vita continuo resplendeat. Sed cum nulla re nobis adeo Dei fauorem conciliemus, quam si mentis attenta consideratione sæpius beneficij magnitudinem expendamus, quo nos gratis Deus reiectis Iudæis quasi legitimis filijs ad hereditatem cœlestis regni adoptauit; illud indies cum grati animi significatione erit ruminandum: indies Christo vt Regi Domino & Deo nostro externa, corporis & animi nostri bona velut tria gratissima dona ad eius solius honorem & gloriam offerendo, ad quam rem Petrus Tiletanus Iprensis præsul nos impendio cohortatur. *Non difficile est considerare, quanta nobis ex hisce Gentibus oriundis diuinæ bonitati gratia sint agendæ, quod de tantis tenebris*, atque adeo de ipsa *vmbra mortis vocarit in admirabile lumen suum; quod dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine; quod eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum talis dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionē peccatorū, quantæ inquam nobis illi agendæ sunt gratiæ, qui salutē nobis præstitit ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos, pessimorum scilicet dæmonū, vt iā sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.* Certe Paulus Apostolus *Gentium in omnibus epistolis suis vt par est diligentissimè inculcat illud, semperque vnicuique nostrum ante oculos constituendum admonet. Et vos*, inquit Colossensibus, *cum essetis aliquando alienati*, & inimici *sensu in operibus malis, nunc reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberetis vos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso*: & iterum ad eosdem scribens, *& vos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis vestræ (id est peccato originali) conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta &c.* ad Corinthios autē: *neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt, & hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi & Spiritus Dei nostri.* Ad Ephesios autem, *Memores estote*, inquit, *quod aliquando eratis Gentes in carne, qui dicebamini præputium, ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne manifesta: quod eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo* IESV *vos, qui aliquando eratis longè facti estis prope in sanguine Christi, qui veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem ijs, qui prope per ipsum accessum habemus ambo in vno spiritu ad patrem. Ergo iam non estis, hospites & aduenæ (agnoscite dignitatem & excellentiam vestram Christiani) sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo* IESV, *in quo omnis ædificatio crescit in templum sanctū in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto. Hoc est illud mysterium, quod absconditum fuit à seculis & generationibus, quod sibi alijsque Apostolis & Prophetis reuelatum tantummodo Paulus gloriatur, quibus voluit Deus singulari dignatione notas facere diuitias gloriæ siue gratiæ suæ. Sacramenti huius in gentibus quod est Christus in nobis. Hoc est*, inquam, *mysterium istud*, Gentes esse coheredes & concorporales & conparticipes promissionis eius in Christo IESV: *quod nimirum, qui non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem, quæ ex fide*

Gratiæ Deo referendæ. Christus imitandus. *S. Leo. ser. 8. de Epiphania.*

beneficijs cœlestis adoptiōis. magnitudo sæpius considerāda. Petrus Tiletanus. *c. 18. hom. de Epipha. 1. Pet 2. Coloss. 5 Ezech. 5.*

est id inimicis & indignis collatum. *Coloss. 5. v. 2. 1. Cor. 6.*

Ephe 2.

ideo mysterium absconditum. *Coloss. 5. Ephe. 3.*

fide est; Israël vero testando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit, quodq; in loco vbi dictum est eis non plebs mea vos: ibi vocati sunt filij Dei viui, quosque vocauit Deus non plebem suam, plebem suam, & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Posset hinc forte Gentilibus suboriri vanitatis alicuius titillatio, quasi Iudæi Christo recens nato penitus abiecto meruissent illam repudiationem: contra Gentilibus non mere gratis, sed ob Deo præstita congruæ veritatis obsequia, talis electio deberetur: vt indeque gratiarum actionis necessitas minueretur. quam inanem omnino nullo nixam fundamento iactantiam & arrogantiam sic merito retundit idem Episcopus. *Iam illud nobis ad memoriam reuocandum est, quod Iudæis olim dixit Moyses: ne dicas ô Christiane in corde suo:* propter iustitiam meam vocauit me Deus *ad veram fidem, neque enim propter iustitiam tuam, & æquitatem cordis tui ad gratiam suam Dominus te vocauit, cū inquinatissimæ & impiissimæ olim vitæ fueris:* sed quia dilexit te Deus, *ideo tanta tibi beneficia contulit. Non quasi nos* inquit S Ioannes, *dilexerimus Deum: sed quia ipse* prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, *& quid ipse dominus* in caritate, *inquit*, perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. *Gratias agimus tibi Domine Iesu Christe, quod nostri dignatus es misereri. Certe non immerito olim concionante Petro summa admiratione, Deum quidam glorificantes dixerunt.* Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam, *& ante obstupuerunt ex circumcisione fideles* i. quia & in nationes gratia Dei effusa est. *Considerabant enim vitam moresque Gentium pessimos & flagitiosissimos, neque inquam eos veri Dei cultu vel agnitione fuisse præditos; insuper nulli inquam Gentium promissionem salutis per Christum factam esse, sed* hospites *illos esse, vt Paulus ait, testamentorum promissionis de venturo Saluatore mundi: hoc est extraneos omnino & alienos à pactis illis & promissionibus Dei. Quanquam enim in scripturis prædicta fuerit quoque vocatio Gentium; & Prophetarum veritas, quæ de eare præcantata fuerunt exposcat, vt in Christi familiam reciperentur, tamen quia illis ipsis peculiariter nulla est facta promissio; sed tanquam insitiuis ramis beneficium oliuæ communicatum, ea carebant veritate iustitiæ, quæ in Iudæis erat, qui & promissionem venturi Saluatoris ipsi acceperunt, & illius promissionis implendæ certissimam diuinam scripturā, variasq; externas ceremonias veluti quædam pignora habuerunt, vt illis Deus quodāmodo oppignoratus & obligatus fuerit. Nā etsi nulli creaturæ ipse propriè obligetur, tamen nostro modo concipiendi illi fit obligatus, cui aliquid promittit: per Prophetiā vero, & nudā prædictionem (quæ etiā respectu Gentium facta est) nulli obligatur extra se. Sic Paulus Apost.* dico, *inquit*, Christum Iesum minister fuisse circūcisionis, ad confirmandas promissiones Patrum, Gentes autem super misericordia honorare Deum. *Adhæc multi sancti & Deo grati Iudæorum Patres hoc apud Deum impetrauerant, & meruerant, vt Redemptionis Christi gratia Iudaico populo præstaretur, & promissionem venturi messiæ in ipsorum Deus posteritate compleret. Sicut Abrahæ propter insignem eius obedientiam Deus promisit dicens.* Per memetipsū iurāui, quia fecisti, hanc rē & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicā tibi & multiplicabo semen tuum, *& sic & Dauidi propter maximam eius deuotionem in cultu Dei & pietate promissum est, quod ex ipso eiusque posteritate Christus nasceretur; vt patet secundo libro Regum cap. 7. & psalmo 131. Fuerunt & alij multi Patriarchæ, Prophetæ, & sancti Reges propter quorum frequentes orationes, ac merita sua Deus promissionem in Iudæis impleuit, & quia Patrum & maiorum Iudæorum merita ipsorum quoque Iudæorum quodammodo reputabantur, sicut nobis plerunque adscribimus, quod maiores nostri gesserunt, ideo potest dici Christus ad Iudæos propter merita eorum venisse, sano nimirum intelligendi interpretandique modo. At vero in Gentibus nulla vnquam merita præcesserunt, propter quæ illis Christus gratiam suam communicaret. Sed cum diabolo Dei, atqui humani generis infensissimo hosti tota voluntate seruirent, & flagitia semper flagitijs cumulantes, Deum assiduè ad iracundiam ac vltionem prouocarent, & quasi cum Deo & salute suæ studio decertarent, ipse benignissimus, omnis eorum iniquitatis immemor varijs vltro gratiarum donis eos sibi deuinxit, & tanquam intimos amicos suos per proprium*

nec inde gloriari possunt Gentiles. c. 19.

Deut. 7.

1. Io. 4.

Ser. 31.

Act. 11.

Act. 10.

illis nulla est facta promissio.

qua Deus obligauit se Iudæis.

Ro. 15.

meruerant Patriarchæ vt Messias. & posteris nasceretur.

Abraham Propter obedientiā Gen. 22.

Dauid pet pietatem.

Gētilibus gratis & immeritis hoc collatum.

prium eos filium benignissimè visitauit, vt merito per Isaiam de Gentibus dicat: in
Isa 65. *uentus sum à non quærentibus me, palam apparui ijs qui me non interrogabant.*

Satis ex his dispicitur, Gentes ad fidem capescendam minus idoneas, nullo suo merito, sed gratuita & infinita Dei bonitate gratiam & fauorem Christi præ Iudæis magis semper apud Deum gratiosis obtinuisse: adeoque cum is fauor à mille iam & sexcentis annis nulla interruptione facta continuaretur, esse, cur non anniuersaria tantum memoria beneficij tanti magnitudinem cum animi grati significatione re-

quotidie refricanda memoria tanti beneficij.

colamus, sed quotidie ruminemus & mentes ad fata diuinorum donorum interiora recipienda disponamus, vnde idem Petrus Tiletanus sic concludit hanc materiam. *Hoc est potissimum in ista Epiphaniæ solennitate (imo quotidie) recolendum; hanc demum meram esse Dei erga nos gratiam, & misericordiam*, eas esse inuestigabiles diuitias Christi, *quas toties iactat, & commendat Apostolus Gentium, nimirum admirabilem in hac apparitione prælibatam vocationem, & illuminationem: pro qua si dignè, & cum fructu inquam hoc festum celebramus, quantas possumus gra-*
Psal. 116. *tias Deo nobis agendas certo persuasum habeamus. Laudate ergo Dominum omnes Gentes, laudate eum populi: quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum; lætamini Gentes cum plebe eius; eratis enim*
Ro 15. 1. Pet. 2. *sicut oues errantes; sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum: quod si cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus pro nobis Christus mortuus est, multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum. si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati salui erimus in vitâ ipsius.*

Hactenus honorem à Deo sanctis Regibus & diei Epiphaniæ habitum: & cultum ab Ecclesia vniuerse tributum consideraui: nunc quid post priora duo prima secula (de quibus egi) gestum ad festi celebritatem ostendendum: qui cultores etiam eorum vixerint, quo ritu peculiari honorentur, breuiter demonstrabo.

CAPVT XVI.

Seculo tertio floret S. Clemens Ancyranus 28. annis maximis tormentis cruciatus, is sub finem vitæ cum Christianis festum Epiphaniæ mira celebritate peregit.

EGregius festi Theophaniæ cultor S. Clemens fuit, quod raris prodigijs exornauit iam metæ proximus: vt ideo iam inde à carceribus eius agon merito sit reuocandus. Natus fuit sub annum salutis 250. quem mater duodennem moritura: sed certaminum eius & martyrij glorioſi præscia tenerum licet oratione diserta ad fortiter pro Chri-

pueritia S. Clementis.

sto suo tempore moriendum est cohortata: altè insederunt menti matris extrema verba, vt Clemens qua flagrare cœpit pro Christo patiendi siti ardentissima, hoc vnicè flagitarit à Deo, ne cita morte, vel exilibus tormentis ad cœlum raperetur, lentum potius, acerbum, & longinquum martyrium; multos & immanissimos tyrannos, cruciamenta quæuis acerrima petijt, & impetrauit voce cœlo dilapsa, quæ martyrium omne 28. annorum curriculo circumscripsit. Nec fortius petijt, quam sustinuit. Tyrannos nouem Domitianum, Agrippinum, Cu-

optat lentum martyrium. impetrat annorũ 28. Tyrãnos 9.

ricium, Domitium, Sacerdotem, Maximum, Aphrodisium, Lucium & Alexandrum generosè triumphauit: vt præterea duos immanissimos Cæsares Diocletianũ & Maximianum: quidquid hi varijs in locis & temporibus tormentorum vlli martyri vnquam adhibuerunt, in hunc congesserunt vniuersa, virgas, flagra, catenas, fustes, taureas, secures, saxorum turbines idem constanter & hilariter pertulit; e-

omnis generis tormenta.

culeos & obeliscos sustinuit, ferreas & igneas manus, galeas, stylos, subulas, vngulas, laminas, pectines, rotas, grabatos, fornaces rosarum instar exosculatus, risit: sic picis, olei, sulphuris liquati, viuæque calcis dictu & cogitatu horrifica supplicia veluti vinum generosum & balnea delicatissima sitiebat. Vna non capiebat tot tormentorum genera ciuitas. Fuit Ancyra, Nicomedia, Roma: tam oriens quã occidens

occidens hoc nobili triumpho ſpectaculoque relictis vbique ſempiternis trophæis decoranda: ita exactis iam 28. certaminis annis, cum tredecim poſt dies in cœlis eſſet laureandus, voluit Theophaniæ feſtum quam religioſiſſimè & feſtiuiſſimè tranſigere. Hoc vt ex ſuo, fideliumque voto conſequeretur, corpus tormentis mirè lacerum cœleſti medicina protinus reuiguit ſanum & incolume, vinculis expeditum, carcere patulo educitur pridie feſti, vt vigilias & feſtum ſolennius ageret in eccleſia: & ibi, quæ multis poſt annis eſſent euentura, quaſi coram ea ſpectaret oculis, enarraret: quæ omnia Metaphraſtes ſic apud Surium commemorat. *Sed neque in eum euaſerat negligentior præſes; ſed præter vincula, & quam perpetiebatur ex illis miſeriam, iubebat centum & 50. plagas ei in vultu & in capite infligi quotidie. Sic ergo quotidie ex eo ſluebant riui ſanguinis, vt ipſe quoque lapis, qui erat illi alligatus, & totus ſubiectus locus fieret purpureus. Nocte autem rurſus adueniente (quæ præcedebat vigiliam Epiphaniæ) & lux circa ipſum veluti eluxit, & Angeli adſtiterunt, & eius liberalis conſecuta eſt liberatio. Cum ipſe ergo & lapidem, & vincula, & nocturnas illas plagas ferret fortiter iam longo tempore, Chriſtianis quidem iam erant feſta aduentura Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Theophania.* Audi nunc mal cu- lum in femina pectus, & heroicum in vigilia Epiphaniæ patratum facinus, cum incredibili audacia Chriſtianorum coniunctum, vt poſſent die inſequenti ſacram adire ſynaxin. *Pia autem & Dei amans Sophia, quæ vehementi quidem pietatis zelo ſemper mouebatur, & alioqui feruentiori tunc ardebat ſpiritu, audet præclarum aggredi facinus, & magni animi. Cum famulorum accepiſſet multitudinem, & puerorum, qui ab ea alebantur, maſculos & feminas, ingreditur carcerem, & cum vinculis ſoluiſſent Martyrem, educunt è carcere. Deinde verò cum Sophia eum veſte induiſſet candida, & ſuper humerale ei impoſuiſſet, & ei in manus tradidiſſet Euangelium, eum multis lampadibus & ſuffitibus circumſeptum deducebant ad eccleſiam. Cum ipſa autem etiam veſtem induiſſet candidam, & internam propter egregium Clementem oſtenderet animi lætitiam, ei in ſiniſtra parte manum ſubijciebat, quæ eum ſuſtineret, & ad ingrediendum ferret opem Martyri. Adhuc autem erant in itinere, cum Clemens, vt qui iam ſenſiſſet Dominum eum ad ſe vocantem in cœlum ſublata dextera (altera enim tenebat Euangelium) orauit, & pro ſua ſecundum ſpiritum matre Sophia, & pro Clero ac vniuerſo grege, &c. Et ſic orans cum Martyrum amante Sophia, & ijs, qui eum deducebant, ingreditur eccleſiam. Atque illi quidem cum clauibus & vectibus fores munijſſent (timebant enim ne aliqui ex impijs in eos irruerent) tota nocte canebant. Poſtquam autem dies aduenit ſalutaris, iucundè & ſuauiter illuceſcens eorum, qui erant digni animis, cum præclarè admodum Martyr ſacrum celebraſſet miniſterium, & intemerato, & incruento illos, qui aderant impertijſſet ſacrificio; eis ſuauis Chriſti palmes, Clemens inquam eis inſtillauit dulce verbum. Cum autem videret perturbatos, & timore affectos, vt qui ſuſpicarentur fore aliquam infidelium incurſionem, confirmauit eorum ſpiritus, & cum quæ futura erant eorum ſubiecciſſet oculis, bono inquit animo ſitis Fratres, non peribit vnus ex vobis. Duo autem quidam, & ego tertius cum eis poſtremo à vobis excedemus. Deinde extinguetur quidem, quæ ſæuit in Chriſtianos rabies, orietur verò pax in imperio Romanorum, omnisque ciuitas & regio implebitur Chriſti cognitione, & aperietur quidem omnis ædes ſacra, claudentur autem templa Gentilium, & fugient, qui in eis adorant, & eo, quo nunc vos, ipſi timore afficientur. Hoc autem tempus prope eſt: & quidam ex vobis videbunt conuerſos perſecutores.*

Surius 23. Ian. vide in ☩. cem ſanguinariũ.

miracula noctis ante vigiliã Epiphaniæ.

mira fortitudo feminæ.

candidati cum lætitia celebrant vigiliam.

nocte canunt.

Feſti Epiphaniæ celebritas.

Sacrificiũ Miſſæ.

Concio. Prophetia de felicifſimo futuro ſtatu Eccleſiæ.

Egregia prophetia de inſtante Conſtantini Magni & matris Helenæ conuerſione, Diocletiani, & Maximiani miſerrima morte, templorum à Diocletiano nupero edicto per orbem euerſorum inſtauratione, fideque toto terrarum orbe propaganda, quam Deus voluit ipſa ſacra Epiphaniæ celebritate emanare; quaſi primitiæ Gentium, animi ſui demiſſione conſtantiaque duobus iam ſeculis in poſteris, ad fidē traductis è Gentibus conſeruata & repræſentata meruiſſent ſuis ſuffragijs Auguſtorum conuerſionem, & fidei per orbem totum diſſeminationem. Nec illud caret myſterio, quod vigiliam candidati cum lampadibus, ſuffitibus, cantu & lætitia in multam noctem tranſegerint: morem ſcilicet illius temporis inſinuabant, quem

S. Ba-

S. Basilius eo die cum clero candidatus ad stuporem etiam Ephreemi Valentisque Cæsaris, vt dicetur, continuauit. Sed quid reliquo die peractis diuinis officijs gestũ sit, quæ conuiuia tunc instituta, pergit narrare Metaphrastes. *Hæc cum ille tam apertè differeret ijs, qui aderant Christi & Martyrum amantissima Sophia maximo gaudio & lætitia propter Clementem in corde plena conuocabat viduas, & orphanos, panemque & vinum & cibum eis abundè suppeditabat, & pro viribus eos complectebatur. Atque hæc quidem duodecim dies facta sunt, & eos, qui accedebant conuiuio liberaliter accepit Sophia, festosque dies celebrabant, & hilariter transigebant, & Clementis aduentum honorabant.* Ita fideles octauam Epiphaniæ festiuis cum gaudijs decurrerunt. Libet autem tanti pugilis mortem sacrificij tempore pro fide obitam auscultare, qualem multi putant trium sanctorum Regum exstitisse. *Cum autem iam dies adesset præstitutus, erat verò dies Dominicus, à præsenti vita athletam euocans, ille quidem diuinum celebrabat sacrificium. Postquam autem perfecta fuerant quæ consueuerant, & participes fuerunt fideles viuifici corporis & sanguinis: diuinis adhuc donis in mensa propositis, & ad ea Martyre habente collum inclinatum, quidam ex Magistratibus Alexander nomine impetu repente facto cum militibus, iubet vni ex suis sacrum amputare caput S. Clementis. Atque sic quidem magnus ille Clemens sacrificans acceptum pro aliquo alio sacrificium ipse Deo offertur: eorum autem, qui aderant, multitudo, alij quidem recesserunt lacrymantes, duo verò soli ex Leuitis, qui etiam intemerato ministrabant sacrificio, vnus quidem Christophorus, alter autem Chariton nomine, vt ipse prius significauit beatus, ad diuinam quidem eius mensam beatum ipsi quoque finem acceperunt.* Egregius sanè Christi de tot tyrannis vno in Clementis capite triumphus, tot annorum spatijs definitus, ad cuius lauream per octauam Epiphaniæ festiuis cum gaudijs eo hilarius se comparauit, quod morte sua breui finem daturus esset immanissimæ persecutioni: & initium augustorum conuersioni, totiusque Gentilitatis, quod futurum aliquando dies Epiphaniæ præfigurabat.

Conuiuium pium in festo Epiphaniæ visitatum.

sacrificat S. Clemens

ad aram martyrio coronatur.

CAPVT XVII.

S. Iulianus initio seculi quarti die Epiphaniæ Domini à Basilissa & alijs cœlitibus ad martyrium, & gaudia cœlestia inuitatur.

NOBILISSIMVM virginitatis iuxta atque fidei certamen Iulius & Basilissa glorioſè subierunt, vterque genere clarissimus, ætate florida, castitatis voto & matrimonij vinculo pariter obligatus: coniurati cœtum castorum adolescentum & puellarum congregare, quas fidei, castitatis & martyrij desiderio succenderent. Coacti fuerant, nec tamen sine diuino iussu connubio se mutuo deuincire; sed quod tegeret arcana vtriusque consilia, & occasionem præberet commodissimam quamplurimos virginitatis, & casti pudoris retibus implicandi. Erat iam ante nuptias Iulianus certus corporis integritatem conseruare; traxit in eandem mentem Basilissam nocte, qua cum precibus ad Deum fusis rigente media bruma paradisum ilico in thalamo cœlitus impetrauit: videbatur enim sibi Basilissa sponsa lilia, rosas, & veris omnes delicias odorari: mirari primum insolitas illas florum amœnitates, & voluptates; causam scisciari: cum verò Iulianus diceret exhalari eam fragrantiam ex virginitatis desiderio, id ipsam vehementer inuasit, vt iurarint pariter in pudicitiæ leges. Non potuit Christus Deipara cœlitesque tam castis abesse consilijs, & hymenæis cœlestibus. Qua ratione nouis apparuerint nuptis, quid egerint coram, dixerintq; verbis auctoris referam hoc libentius, quod sæpius Christus Iuliano visus, nouissimè die apparitionis seu Epiphaniæ suæ voluerit eidem apparere, ac gaudiorum cœlestium facere participem: *Maximum*, inquit, *& diuinum spectaculum in cubiculo tunc erat: ex vna parte æternus ille Rex Christus sedebat, cum innumerabili quorundam candidas vestes habentium multitudine; ex altera parte innumerabilium*

Verna florum fragrantia in hieme.

cœlites castis adsistunt.

Christi chorus.

virgi-

virginum cœtus, quarum primas tenebat glorioſa mater & virgo illa Maria. Ex æterni Regis parte ſummis vocibus illud canebatur: vicisti Iuliane, vicisti. Quæ verò cum virgine illa Regina Maria erant, clamabant. Beata es Baſiliſſa virgo, quæ ſalutaribus admonitionibus obtemperasti, & mundi fallacias reſpuens ad ſempiternam gloriam percipiendam teipſam præparasti. Rurſus ex æterni Regis parte clamabatur, milites mei, qui veteris ſerpentis voluptatem expugnarunt; ſurgant è terra, & attento corde librum æternæ vitæ recitent. Hac voce audita, qui erant ex vtraque parte ſedentes, reſponderunt: Amen. Venerunt autem duo quidam viri candidis veſtibus induti, quorum pectora aureis zonis cincta erant, & ſinguli ſingulas coronas in manibus geſtantes, illoſque erigentes, ſurgite inquiunt, quoniam vicistis, & noſtro numero adſcripti eſtis: videte, quod in præparato vobis cubiculo propoſitum eſt: legite, & cognoſcite, quoniam fidelis eſt Dominus in verbis ſuis, cumque eorum manus tenerent, eas coniunxerunt. Erat autem ibi quidam poſitus liber, argento ſepties purgato ſplendidior, aureis literis conſcriptus; circa cubile verò quatuor ſenes erant, qui habebant in manibus phialas aureas, plenas aromatibus variis, multi odoris ſuauitatem emittentibus, è quibus ſenibus vnus dixit: Ecce in his quatuor phialis continetur perfectio veſtra, ex his enim quotidie ante faciem Dei odoris ſuavitas adſcendit. Multa ſubduntur ſimilia, & de libro vitæ vtrique propoſito: in quo cum ſua legiſſent exarata nomina, totos ſe contulerunt ad alios Chriſto acquirendos. Iulianus ad decem virorum millia, Baſiliſſa virginum collegit exercitum, quos omnes Deo conſecrarunt: & Baſiliſſa quidem extra martyrium citius ad cœlos euolauit, Iulianum acerrimum manſit ſub Diocletiano cum Martiano certamen; in quo multis erectis Chriſto trophæis gloriosè de tyranno cum ſocijs ſuis triumphauit: aderat tamen illi comes ſemper cœleſtium turba, quæ confortaret pugilem; & ad ſubeunda maiora prælia conſtanter animaret: hanc ſolus Præſidis filius Celſus conſpicatus, his verbis condiſcipulos compellauit. *Rem video inauditam: ecce video iſtum reum Chriſtianum, quem milites ducunt, & multitudinem candidatorum cum illo loquentem, & coronam ex lapidibus pretioſis & auro ſuper caput eius, cuius fulgor æris huius obſcurat lumen: & alios tres viros albeſcentibus comis, aureoque vultu in ſimilitudine aquilarum ſuper eum excubias celebrantes. Et hoc mihi videtur, quia dignum eſt, huic tali Deo credere, qui ſic ſuos tuetur cultores, & tali decore circumdat.* Longum eſſet ire per tormenta ſingula; quæ tum ipſe, tum ſocij perpeſſi ſunt, fortiſſimè pro fide decertantes. Egregia eſt oratio, qua S. Baſiliſſa, ſtipata corona Martyrum, qui nuper palmis obitæ pro Chriſto mortis nobiles victores cœleſtes ciues auxerant) adſtitit Iuliano per quietem, & eum ad diem Epiphaniæ cum reliquis ad beatorum domicilium inuitat. *Ea nocte* (inquit auctor vitæ) *cum in Dei laudibus verſarentur Iulianus & ſocij eius, in ipſo mediæ noctis ſilentio, adeſt multitudo Sanctorum cum ſacerdotibus, qui iam martyrij palmam retulerant, omnes ſtolis albis induti, inter quos viginti milites, & ſeptem illi fratres glorificati aduenerunt: adeſt & B. Baſiliſſa cum omni choro virginum: in qua multitudine ſola vox Alleluia reſonabat. Tunc B. Baſiliſſa ita alloquitur S. Iulianum; Regna cœlorum tibi patefacta ſunt, & hoc præceptum accepimus à Rege æterno D. noſtro Ieſu Chriſto, vt die Apparitionis ſuæ te cum comitibus ad ſe recipiat: omnis Patriarcharum, & Prophetarum, & Apoſtolorum glorioſus vobis occurret numerus: in quorum vos Sanctorum numero D. Ieſus Chriſtus perpetua lætitia ſibi ſociabit, ſicque viſio ab oculis eorum ablata eſt.*

Chriſti chorus. & Deiparæ

alternant carmina.

liber vitæ legendus ipſis offertur.

Iulianus decem millia conuertit.

viſio rarà Celſi pueri

Sed quam nobilibus triumphis rariſque prodigijs Deus Epiphaniæ proximum diem tot pugilum martyrio conſecrandum decorarit, videamus. *Alia die iubet Martianus præſes in medio foro tribunal ſibi præparari, & adduci Sanctos Dei, excogitans nequiſſimus ſerpens noua & exquiſita genera tormentorum: Deinde præcipit miniſtris, vt manuum & pedum digitos licinijs oleo madentibus colligent, & ignem ſupponant. Cumque factum fuiſſet, licinijs conſumtis, illæſa permanebant Sanctorum corpora. Videns hoc inimicus, iubet, à S. Iuliano, & V. puero cutem capitis auferri: ſancto verò Antonio Preſbytero & Anaſtaſio, qui reſuſcitatus fuerat clamantibus, & dicentibus: Gloria tibi Chriſte, iuſſit oculos vnceis ferreis effodi, ſanctam verò Martionillam matrem pueri, quam Dominus præſcierat pœnas tolerare non poſſe, cum eā iuberet eculeo applicari, ſi quis ex miniſtris volebat contingere,* cæcus

S. Baſiliſſa cum Martyribus apparet Iuliano.

in vita ad cœlum die Epiphaniæ

hoſtendi cruciatus

Martionillam Deus à poenis præſeruat:

cæcus efficiebatur: eiusq; nerui adeo contrahebantur, vt manus suas ad se educere nõ posset. Sanctos vero suos ita Dominus curauit, & illuminauit, omnib. quasi nihil passi viderentur. Tunc Martianus exclamauit. Heu me vincimur: Sed adhuc vnum superest, iubet ergo ampitheatrum præparari, in quod ingressus iubet in sanctos omne genus ferarum immitti. At feræ laxatæ nihil læserunt Sanctos: imo vero illorum pedes lingebant. Hæc videns præses, conuocans omnes Magistratus ciuitatis, iubet omnes custodias perscrutari, & personas iam morte dignas in ampitheatrum intromitti: atque Sanctos Dei inter diuersorum criminum reos & sacrilegos decollari præcepit. Tunc S. Iulianus cum socijs dixit. Gloria tibi Christe: qui nos ad hanc horam salutis perduxisti. Tunc venerabilis puer dixit cum sancta matre sua ad præsidem: Nota tibi facies nostras quas in hoc seculo gratia Christi sic vides immutatas. Iua enim perfidia conabatur fœditatem nobis imponere, gratia verò & pietas D. nostri Iesu Christi induit nos magna gloria & decore: vt in illa die nos cognoscas in gloria, cum tu fueris in pœna. Ita ergo sancti Martyres capite plexi sunt, cumque hoc factum fuisset, statim motus terræ exstitit ingens, vt prope tertia pars ciuitatis à fundamentis subuerteretur: nec locus aliquis perstitit in quo idolum fuisset: accesserunt quoque fulgura & tonitrua, & grandos quæ maximam partem incredulorum consumserunt. Ipse autem præses Martianus seminuus euasit: verum non post multos dies vermibus scatens exspirauit. Ea nocte venerunt sacerdotes ac religiosi viri, vt Sanctorum reliquias colligerent, sed præ multitudine cadauerum Sanctorum corpora non agnouerunt. Positis ergo genibus oratione completa, apparuerunt eis in specie virginum animæ Sanctorũ, & vnaquæq; suo corpori insedit; sicq; sanctæ reliquiæ collectæ sunt. Sanctorũ igitur corpora auferentes sacerdotes, sepelierunt in Ecclesia sub sacrosancto velamine altaris, vnde Domini pietas indeficientẽ fontem prodire iussit, cuius vndis sacrosanctũ baptisterium inundatur. Hoc igitur Epiphaniæ die, quo tam gloriosè diuinitas Christi tot luculentis prodigijs in cœlo, terra, aqua, belluis & hominibus fuit illustrata, fontem etiam iussit Deus baptismalẽ scaturire; non ad corporum tantũ medelam, depulsis quibuslibet morbis, sed animarum etiam, sicut alibi diximus, solitos esse fontes in vsum baptismatis die Epiphan. prosilire.

feris obiiciuntur fideles.

capite plectuntur.

prodigia.

singuli Martyres sua indicant cadauera.

fons baptismalis salit.

Vnum hic injcit scrupulum, quod martyrium hoc nono Ianuarij triduo post Epiphaniam celebretur: an fortè ob diei solennitatem transferri placuit? forte & eleuatio corporum: vel insignis basilicæ S. Iuliani dedicatio diem nonum fecit solenniorem: nam Martyrol. S. Hieron. 6. Ian. ita consignat in Antio passio SS. Iuliani & Basilissæ, quod multa Bedæ M. SS^a. exemplaria sequuntur: vt videre est apud Bollandum initio eius diei: plura referunt ad 7. Ian.

Baron. 3. Annal.

Putat Baronius hoc martyrium anno 309. Antiochiæ contigisse: & biennio post S. Luciani certamen: de quo proximè; alij ut Bollandus circa A. 302. vel. 303.

CAPVT XVIII

Eodem seculo celebritas Epiphaniæ & præcones SS. Regum ex vita S. Luciani circa A. D. 312

INSIGNIS eodem seculo festi huius mentio fit in vita S. martyris Luciani: is patria Samosatenus, puer duodennis facultatibus in pauperes erogatis totum se contulit ad sacrum diuinorum codicum studium; cum enim eos dudum superstitio corrupisset, eosdem ad Hebrææ linguæ normam expurgauit, & ludo aperto iuuentutem ad regulam præscriptumque diuinæ legis formauit. Vnum hunc, cum de religione Christiana triumphare vellet sumsit sibi Maximianus oppugnandum: in quo verti seu cardine putabat orientis fidem & Christianam religionem: sed quia tanta ferebatur esse Lucianus vultus maiestate, vt vel inuito adspicienti & leniter audienti meliora persuaderet, non nisi velatis oculis ipsi loqui voluit. promissis ergo maximis eum aggressus, cum frustra laboraret, minis & tormentis tentare pugilem cœpit: quem in cippum luxatis, & violenter ossibus è sede & statione sua distractis iniecit: alias dorso præacuta testarũ fragmina subdidit: tandem cum operam perderet, fame voluit & inedia conficere. Aderat dies Epiphaniæ, quo more institutoque maiorũ cuncti sacra synaxi reficiebantur, id quo nouo nec hactenus lecto ritu sanctus martyr è cippo nondum liber peregerit, ex vita (quam Surius ex Metaphraste collegit) recitabo:

Pueritia S. Luciani-

docet iuuentutem.

admirabilis vultus eius modestia.

Cum

Cum autem aliquot iam dies transissent, ex quo eo modo, quo diximus affligebatur, dies Epi-
& iam appropinquaret quidem dies festus Theophaniorum : discipulos autem phaniæ.
(iam enim & plures aderant ex Antiochia, & ex alijs locis congregati) subijsset tristitia, reputantes fore, vt eis statim relictis abeat quidem Magister non valens resistere tam diuturnæ fami : ipsi autem nequaquam digni censeantur, qui Theophaniæ diem festum cum eo celebrent, videbatur enim eis esse adhuc valde remotus, & non posse Magistri corpus vsque ad eum diem sufficere, vtpote quod inedia illud iam magna ex parte consumsisset, vir ille inclytus eos consolans, iubebat esse bono animo, Prophetia.
Ero, inquit, *vobiscum, & diem festum Theophaniorum vobiscum agam : recedam autem postridie. Ad effectum autem deductum fuit id quod dixerat, apertè diuina in hoc ostensa virtute. Cum ergo aduenisset dies festus, qui exspectabatur, desiderabant quidem discipuli hanc vltimam à magistro consequi mysterij diuini celebrationem. Videbatur autem esse dubium, quonam modo mensam quidem in carcerem inferrent, aut laterent impiorum oculos, cum multi quidem tunc partim illic adessent, partim autem accederent. Ille verò mensa quidem inquit, erit vobis hoc meum pectus, non vt arbitror Deo futura minus honesta ea, quæ sit ex inanima materia : templum autem sanctum vos mihi eritis, me omni ex parte circumdantes: & sic hæc facta quidem sunt hoc modo. Iam enim vt quod esset sanctus in fine vitæ, & remisse erant custodes, Deo vt ego quidem arbitror, qui Martyrem honorare volebat, & suorum discipulorum non sustinebat inconsolabile videri desiderium, efficiente, vt citra impedimentum fierent ea, quæ erant proposita. Nam cum omnes eos Martyr fecisset in orbem consistere, vt inter se inuicem alter prope alterum stantes eum tuto comprehenderent, iussit suo pectori imponi signa diuini sacrificij.* mirabilis ratio sacrificandi.
Postquam autem hæc fecissent, & in cœlum protinus sustulit obtutum, cum iam vix posset extollere, & preces peregit consuetas. Deinde cum diuina plurima esset effatus, & sacro ritu omnia peregisset proposita, ipse & fuit particeps sacramentorum, & transmisit ad eos, qui aberant, vt ipse quoque ostendit in vltima ad eos epistola : & hunc quidem diem cum eis transegit, sicut erat pollicitus.

Noua prorsus Ecclesia, nouum & inusitatum hactenus altare : nouus situs, ritus & modus sacrificantis: vtique diuina inspiratione à candidato martyrij ad beneficij vocationis Gentium memoriam penultimo vitæ die in tali necessitate gesta sunt omnia, nec facile imitanda : quæ satis indicant pietatē neophytorum in festo hoc religiosè celebrando, feruorem & desiderium, vsum ea festiuitate sacræ synaxios, quam non præsentes tantum, sed & absentes participabant.

Pæcones eo seculo sanctorum Regum præ ceteris exstitere Tertulianus, Origenes & S. Cyprianus.

Sepultus Drepani S. Lucianus est: cuius, & matris honori Constantinus ibidem nobilem condidit vel instaurauit potius ipsam Drepanensem ciuitatem, quam Helenopolim nominauit: ita enim de ea Chronicon Alexandrinum: *Constantinus instaurata Drepani vrbe in Bithynia ad cultum S. Luciani Martyris, illam à matre sua Helenopolim nuncupauit: donata ciuitati in matris honorem, quousque patet ante vrbem prospectus, immunitate vectigalium ad hodiernum vsque diem.* Chron. Alex. A. Constantini 22. & Christi 327.

Putant complures ibidem natam esse Helenam cuius etiam colendi SS. tres Reges studium emicuit singulare.

CAPVT XIX.

Cultores SS. Regum S. Helena Constantinus Imperator, S. Eustorgius.

MVLTA de S. Helenæ matris, & Constantini filij in SS. Reges affectu studioq́; dixi supra, dum translationem ex Oriente Byzantium versus exsequerer: non dubitandum: quin Augusti tam pij, qui totum Orientem & Occidentem sanctorum Apostolorum basilicis impleuerunt, has Gentilium primitias & Reges aris & templis sint venerati.

S. Helena aram exstruxit SS. Regibus Bethlehemi,

Aram sanctis Regibus in Bethlehemitico templo natiuitatis & præsepij à sancta Helena regia magnificentia constructam esse testatur, quæ superat, (vt in peregrinationibus suis Hierosolymiticis complures cum Radziuilio probant) qui Regum Magorum aram ad læuam: at pueri circumcisi ad dexteram loco tamen paululum semotiore constituunt. Vt hoc vestigium adorationis Regum Gentilium Helena Regina voluerit in fidelibus perennare, ad honorem eorum & cultum perpetuum. Quamuis: si quis hanc ipsam basilicam structam dixerit ad Christi, non tantum in stabulo nati, sed & circumcisi, in præsepio locati, & à Gentibus adorati honorem, non à vero aberrabit: auebat Constantinus Imperator fidei Christianæ mysteria maximis (diuersis in ciuitatibus) erectis basilicis visui quantum potuit idiotarum obijcere, per statuas magnificas, picturasq́; elaboratissimas; & memoriam eorum per celeberrimam anniuersariam religionem cultumque renouari: incolas etiam locorum & confines; imo totum quasi Orientem, ad eas ciuitates euocando, cum eorum basilicæ principis encœnia peragebantur: vt mysterij certi vitæ Christi species mentibus omnium facilius imprimeretur, & tenacius inhæreret: Hinc Bethlehemi & loco quidem suo, voluit incunabula Christi & vitæ mysteriorum per 40. primos dies actæ notas, & vestigia consignari: eandemq; perpetua memoria recoli, tali ad eum finem basilica constituta: Cœperat (vt ex dicendis apparebit) si vllo, hoc præsertim seculo, conuersis ad fidem Augustis orbe toto festiuitas Epiphaniæ magis inclarescere; cultus etiam Regum SS. augeri, quando corporibus inuentis, & Constantinopolim adductis, eadem Deus prodigijs decorabat. Tunc igitur cum optaret Cæsar fidem orthodoxam Constantinopoli (quam alteram Romam esse dicique desiderabat) quam maxime vigere, auspicatus ipse (quibusdam auctoribus S. Sophiæ templum est: in quo sapientiæ corporatæ mysteria cuncta simul annue recolerentur, adeoq́; & adoratio Magorum. In idem templum S. Helena corpora SS. Regum transportauit: vt vbi Christus à Magis adoratus colebatur: ibidē & ipsi pariter Reges velut primitiæ Gentium solennius honorarentur. Facit mecum Melchior, è quo nonnulla delibabo. *Nobis*, inquit, *affirmandum videtur, nunquam religione vacasse Magorum Euangelicorum sanctitatem, sed cū Deiparæ honoribus, & mysterij adorationis cultu semper incessisse celebriorem. Fieri enim haud potuit in necessaria Gentium conuersione, non hinc quoq́; auspicari virtutem Euangelij, vt quod Atheniensibus fuit ignotum Deum reuelasse, hoc reliquis Gentibus apparitionem stellæ Magorumq́; ad agnoscendum in carne Deum deductionem annunciasse. Tum vero prædicationi accessisse templa, aras & imagines, quæ rerum gestarum linguæ essent, dubitari non potest.* Enumerat deinde templa Orientis à Constantino passim excitata, quibus fidei mysteria nomenclationem dederant, & pergit: *Iam & illud initio susceptum fuit præcipuo quodam honore templa & aras à mysterijs vocitare. Quæ religio primum Iudæam, mox Palæstinam, Ægyptum, paulatim Asiam totam occupauit: deniq́; Australi & occidentali ecclesiæ communis facta est: eam tamen Constantinus Magnus cum matre Helena velut propriam sibi vindicarunt, quod eorum munificentia, nulla fere vrbs Orientis emineret, quæ non omnium mysteriorum templa magnificentissimis structuris contineret. Natiuitatis quidem & præsepij Bethlehemi, Hierosolymæ crucis & Passionis, Alexandriæ adscensionis;*

Constantini conatus vt fidei mysteria diuersis in locis recolerentur.

Trans-

Transfigurationis Antiochiæ; supra omnem admirationem Constantinopolis Anastasios, seu Resurrectionis templis gloriabantur. Subdit deinde originem templi S. Sophiæ describere: *Qua æmulatione*, inquit, *prouocatus Constantius Constantini filius, si Procopio credimus & Socrati, vniuersa mysteria velut vna æde complexus, S. Sophiæ templum ad orbis miraculum excitauit, Sophiam autem non purum hominem vocauit, sed sapientiam æterni Patris, per quam is vniuersa in terris mysteria operatus est & impleuit. Prius tamen Constantinus euersa per orbem idololatria sumtuosum Irenes, hoc est, pacis templum construxit, quasi tum primum Ecclesiæ pacem peperisset, aut tyrannide Principum infidelium intermortuam resuscitasset. Ac tale tunc fuit studium religionis, vt præcipuus cultus in recordatione mysteriorum salutis versaretur, & ex ijsdem vt plurimum nomina sacris ædibus imponerentur. Quo minus dubitari queat, fuisse in tanta sanctitate celeberrimam Apparitionis seu Epiphaniæ memoriam, non vno templo, aut ara sacram, quæ quidem reliquas solennitates peculiari quadam prærogatiua præiret, vel ea ac causa, quod à prima Regum Magorum conuersione Gentes admirando lucentis stellæ ductu ad vnius fidei concordiam euocatas designaret. Id quod præclarè expressit S. Augustinus cum dixit. Merito istum diem nunquam nobiscum Hæretici Donatistæ celebrare voluerunt, quia nec vnitatem amant, nec Orientali Ecclesiæ, vbi apparuit illa stella communicant. Nos autem manifestationem Domini & Saluatoris nostri* IESV *Christi, quia primitias Gentium delibauit, in vnitate Gentium celebremus.*

per orrientem spasa variorum vitæ Christi mysteriorum templa. S. Sophiæ basilica.

ser. 4. de Epiph.

Fuit itaque celebris Constantinopoli seculo quarto cultus SS. Regum, quem populus lacrymis, & ploratu testatus est, quando vidit hos diuos tutelares ab Eustorgio Mediolanum transportari: sed non sine diuino consilio cultoris eximij SS. Regum Eustorgij votis Occidenti tales Diui debebantur, vt consecuta profectionem miracula testabantur, qui Petrinam ædem suburbanam ab ipsis postea denominauit, cum præsentiam eorum Deus tot prodigijs coruscantibus nobilitaret: vt cum Oriens studio Constantini & Helenæ cultum eorum mirabiliter propagasset, in Italiam etiam fontem quasi religionis Europæ, diffunderetur, à quo commodius in totum Occidentem dimanaret.

CAPVT XX.

Eodem seculo quarto Cæsar Iulianus Apostata SS. tres Reges publico cultu die Epiphaniæ veneratur.

EX quo Constantinopolim adducti SS. Reges sunt, videtur à Constantino Magno mos introductus, quem Augusti sequentes licet Apostatæ & Hæretici non ausi fuerunt tamen antiquare: vt Cæsar imperatorio diademate redimitus aurum vel alia dona graui ceremonia Christo sacerdotis ad aram litantis manibus consecraret, eumque quasi cliens Regem suum supplex adoraret, quo quidem pio ritu Germanos se Regum trium posteros exhibebant: & quem illi recens natum in præsepio pauperem sceptris eidem suis subiectis honorarunt: eundem in cruce nostra causa mortuum Deum suum supplicatione solenni testarentur.

die Epiphaniæ. pia consuetudo Augustorum.

Defecerat pridem à fide Iulianus Apostata, vanis augurijs, idolorum cultus, & quod longe deterrimum erat, nefarijs maleficorum artibus & necromantiæ deditus: huius tamen suæ nequitiæ & interioris animi peruersitatis paucos habebat conscios, eo consilio, quo Christi fideles facilius dolis & fraudibus circumueniret: videbat religionem orthodoxam totum iam Orientem & Occidentem peruasisse: imperij Romani plerosque regionum Præsides & Præfectos, exercituum duces, primipilos & ferè milites omnes Constantini Magni, filiorumque industria Christum profiteri; nec posse sibi viam ad imperium siue arripiendum, siue stabiliendum munire, nisi fauore, gratiaque Christianorum niterctur: quare specie quidem externa pietatem Christianorum mentie-

Iuliani Apostatæ simulatio fidei.

mentiebatur: vt cum ſine nota ſacris non poſſet abſtinere, ijs ſolenni ritu more iam Auguſtis recepto publicitus intereſſet: quos inter dies eminebat Epiphaniæ, qua Cæſares, vt de Valente dicam, cultu imperatorio non ſine muneribus Chriſtum adorarent: hoc qua ſimulatione peregerit Iulianus deſcribit is, qui ſub ipſo merebat Gentilis Ammianus Marcellinus, & laruam perſonato Chriſtiano, re ipſa iam Apoſtatæ, detrahit his verbis. *Vt omnes* (Iulianus) *nemine impediente ad ſui fauorem illiceret, adhærere ſe cultui Chriſtiano fingebat, à quo iam pridem deſciuerat, arcanorum particibus paucis, aruſpicinæ, augurijſque intentus, & ceteris, quæ Deorum ſemper fecere cultores: & vt hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Ianuario Chriſtiani Epiphaniam dicitant, progreſſus in eorum eccleſia ſolenniter numine orato diſceſſit.*

Marcellinus libri 2. initio. & die Epiphaniæ ementita pietas.

CAPVT XXI.

Eodem ſeculo Valens Imperator aurea vaſa offert feſto Epiphaniæ coram S. Baſilio admirabili pietate & ſanctitate coruſcante.

valens ſucceſſor Iuliani Arianus.

SED cum diuina nemeſis immaniſſimum hunc tyrannum ſceptris & ipſa vita exturbaſſet, Valens breui poſt ſucceſſit, Ariana perfidia dementatus, & merito ſuo cœtu fidelium exturbandus, ſua tamen multum putauit intereſſe, ſi Epiphaniæ die ſolenni ritu Regibus vſitato (quem coæuus ei S. Gregorius deſcribit) aurea munera coram ipſe manu ſua ſacris vſibus templi conſecraret: cuius tamen hypocriſin Deus pœna præſenti mulctauit, vt maieſtate ſacrorum rituum eius feſtiuitatis, & ſanctitate ſacrificantis Baſilij, ac populi concinentis & precantis mira conſenſione ſtupefactus, attonito & vertiginoſo ſimilis concidiſſet, niſi manibus adſtantis Cleri fuiſſet à lapſu præpeditus. Ipſum rerum omnium ſpectatorem condiſcipulum Iuliani S. Gregorium Nazianzenum audiamus, qui ſacras iſtius diei ceremonias & admirabilem concurſum fidelium cum inſigni pietate commemorat: quædam tamen de S. Baſilij mentis inuicta celſitudine, & conſtantia ſunt præmittenda, quæ Valenti præbuerunt occaſionem, vt ſolennitati Theophaniæ ſtatuerit intereſſe; breui poſt eo pietatis ſpectaculo ex Leone mitior agno redditus.

tentat minis Baſilium.

Miſerat Valens Præfectum ſuum ad Baſilium, qui mortem viro ſancto minaretur, niſi decretis Imperatorijs contra Catholicos pro Arrianis publicatis adhæreret, cui reſpondit intrepidè S. Baſilius: *Ceteris in rebus manſueti ſumus, & ne aduerſum plebeum quidem ſupercilium attollimus; verum vbi Deus nobis periclitatur, tum demum alia omnia pro nihilo putantes, ipſum ſolum intuemur. Ignis autem, gladius & beſtiæ, & vngulæ carnem lacerantes, voluptati potius, ac delicijs nobis ſunt, quam terrori. Proindè contumelijs nos affice, comminare, fac quidquid collibuerit, poteſtate tua fruere: audiat hæc etiam Imperator: nequaquam profecto nos vinces, nec efficies, vt impiæ doctrinæ aſſentiamur; ne ſi his quidem atrociora miniteris. Hæc poſtquam Præfectus dixit, atque audijt, ipſiuſque contentionem animi eam eſſe cognouit, vt nulla cum vis perterrefacere, ac ſuperare poſſet, ipſum quidem foras miſit, atque ablegauit, non iam cum ijſdem minis; ſed cum quadam reuerentia & ſummiſſione. Ipſe autem quam celerrimè potuit Imperatorem adiens, Imperator, inquit, ab huius Eccleſiæ antiſtite victi ſumus.* Qua de cauſa factum ſuum *improbans Imperator*) *Baſilijque laudibus victus* (*virtus enim etiam hoſti admirationi eſt, vim ipſi adhibere vetuit, idemque ipſi accidit, quod ferro ſolet, quod quamuis igni emolliatur, ferri tamen naturam retinet, minisque in admiratione conuerſis, illius quidem ſocietatem haud quaquam amplexus eſt, quod mutationem erubeſceret, ceterum rationem quæſiuit, qua honeſtiſſimè ei ſatisfaceret.* Sequitur iam S. Baſilij populique pietas incredibilis in ſolennitate Epiphaniæ religiosè tranſigenda, cui cum interueniſſet Imperator, nihil S. Baſilius quaſi cum Deo cœlites inter ageret de grauitate & pietate remiſit, ac ſi nec adeſſet Cæſar: eius ingreſſum ita proſequi-

huius inuicta fortitudo & conſtãtia.

eius virtus & ab hoſtibus laudem & admirationẽ habet.

sequitur S. Gregorius: *Nam cum vniuersa satellitum manu stipatus in templum ingressus fuisset (erat autem Epiphaniæ dies) cœtusque amplissimus: ac laicorum numerum auxisset, ad hunc modum defunctoriè se cum eo* (Basilius) *coniunxit. Ac ne hoc quidem omittendum est, postquam enim intus fuit, ac ipsius aures psalmorum cantu non secus ac tonitru quodam personuerunt, plebisque pelagus vidit, omnemque ordinem ac concinnitatem, quæ tam in sacrario, quam prope sacrarium erat, Angelicam potius quam humanam, atque ipsum quidem ante populum recto corpore stantem, qualem scriptura Samuelem describit, nec corpore, nec oculis, nec animo, perinde ac si nihil noui contigisset, ullam in partem se mouentem; sed Deo, vt ita dicam, & altari affixum; eos autem, à quibus cingebatur cum timore quodam ac reuerentia stantes: hæc inquam simul atque perspexit, (nec enim quidquam simile vnquam viderat,) humanum quiddam passus est, ac oculorum vertigine ac tenebris totus impletur. Atque id plerisque adhuc obscurum & incognitum erat. Verum cum dona quæ ipsemet effecerat, offerenda essent* (hic ille mos Augustorum à tempore Constantini Magni, de quo sæpius egi) *nec quisquam, vt mos ferebat, simul ea caperet. (quod non satis liqueret an Basilius ea accepturus esset* (quod studeret Arianis Hæreticis Imperator, adeoque à cœtu fidelium esset segregandus) *tum verò manifestè se affectus prodidit, ita enim titubare cœpit vt nisi quispiam ex sacrarij ministris vacillantem supposita manu retinuisset, miserè vtique & luctuosè prolapsurus fuisset.* Hæc pietas fidelium Valentis animum efferatum & implacabilem quasi fulminauit, vt alius repente mitiorque agno congressum S. Basilij & colloquium expetierit, de quo sic pergit S. Gregorius: *Iam verò quæ ad ipsum Imperatorem, & quanta cũ sapientia prolocutus est, cum quidem ille nescio quomodo rursum nobiscum in Ecclesiam se contulisset, & intra velum exstitisset, atque in illius conspectũ colloquiumque, quod iam pridem expetebat, venisset, quidnam aliud dicendum est, nisi Dei voces eas fuisse, quas & qui cum Imperatore erant, & nos, qui simul ingressi fueramus, audiuimus: Hinc Imperatoriæ erga nos humanitatis & clementiæ principium natum & constitutum est: hæc occasio maximam impressionis illius, qua tum vexabamur partem, non secus ac fluctus quosdam fregit ac dissoluit.*

Solennitas Epiphaniæ

ornatus templi.

pietas S. Basilij.

maiestas

terretur Valens.

vertigine laborat.

offert aurea dona.

Huc vsque S. Gregorius rerum omnium arbiter & ipse SS. Regum eius seculi encomiastes, quos Reges, cũ S. Athanasio stellæ, quæ ipsos duxit admiratore egregio nominauit. Videas hic alterum Saulem furentem visa die Theophaniæ tanta diuinorum mysteriorum maiestate, populi religione & frequentia, S. Basilij modestia, sanctitate & mentis ardore, iam quasi Prophetam cum Prophetis prophetare, & abiecta simulatione S. Basilij familiaritatem & consuetudinem ambire, quem paulo ante non vni lanienæ destinarat: nimirum tantus fuit gratiæ cœlestis fluminis impetus, qui tali festo totam præsentem Ecclesiam irrigabat, lætificabat, consecrabat, vt in impij Valentis animi secessus potenter penetraret, & ex Ecclesiæ persecutore formidando, eiusdem effecerit præconem & defensorem: sed de donis Augustalibus oblatis Nicetæ textus Græcus consulendus, qui lucis aliquid dare potest. σκεύη χρυσᾶ ἃ κτισχέυασεν ὁ βασιλεὺς id est aurea vasa, quæ Imperator ipse fabricatus fuerat: noua pietas, & donorum ratio vix audita, non aurum tantum rude, vel signatum offerre: sed in calices, vrceos & similia vasa sacris vsibus destinata non nisi cæsareis manibus elaboratum: exquisita volebant Cæsares eius diei Christo dedicare, quæ non tantum pretio, & nobilitate rei regia: sed & artis politura visenda; ipsiusque artificis nomine præcipuam quandam dignitatem & raritatem mererentur, quo tali supplici cũ muneribus adoratione Christi germanos se filios & posteros fidei SS. Regum virtutumque heredes exhiberent. à qua pietate nec Iulianus Apostata, nec Valens hæreticus Arianus ausi sunt ob festi solennitatem & religionem abstinere.

mãsuescit ex colloquio S. Basilii.

vis efficacis gratiæ.

obtulit vasa quæ ipse Cæsar fabricatus fuerat.

Manet hæc ipsa multis in regnis orientis præsertim apud Armenios consuetudo, vt eodem die Reges sceptris & diademate coruscantes, aurea dona Christo sub tremendis mysterijs repræsentent.

Armeniæ Regum pia consuetudo.

Idem S. Basilius populum ad virtutes SS. Regum præsertim fidem & simplicitatem remota curiositate sic exhortatur. *O absurdam & prauam hominum ingratitudinem: Magi adoratum veniunt, & Christiani curiosius quærunt, quod in car-*

S *Basilius homilia de Epipha-*

ne Deus sit, & quali carne, & an adsumtus homo sit an imperfectus! taceant curiosi & in Ecclesia Dei superuacanea vestigare desistant, laudentur quæ nobis concredita sunt, vt de quibus ratio omnino non redditur, ne vestigetur ho. de Epiphania. Eandem in ijsdem eodem tempore coæuus & perquam familiaris S. Basilij Diaconus Ephrem susspexit fidem & imitandam ardentissime discipulis suis proposuit: *Attende ô infelix & calamitose Magos illos, qui in longinquis partibus ad adorandam nuper editi Regis infantiam aduenerant: quomodo non illi Regem in purpura iacentem inuenerint, neque diademate pellucentibus gemmis intexto caput eius insignitum, sed infantem vilibus pannis involutum in præsepio repererunt, & continuo apertis thesauris suis cum gaudio cordis obtulerunt ei munera, aurum thus, & myrrham: vbi cerne in his excellentissimam Magorum fidem. Offendunt in vili ac humili præsepio iacentem cœlestem Regem, nuper pro totius mundi salute in carne natum: reperiunt inquam in præsepio reclinatum; nec tamen vlterius inquirere pergunt: & quid obsecro angusto præsepio vilius? Inter tot porro vilia & abiecta, etsi nullum Regis indicium Magi cernerent, nihil tamen de illius maiestate dubitabant, nihil pannorum vilitate mouebantur; neque geniti naturam curiosè scrutabantur, &c.* Sed vnde dicemus hausit sanctus ille vir istorum SS. Regum tam excellentia præconia: num ex vsu & consuetudine, quam habuit cum S. Basilio, tam festi illius, pientissimè & religiosissimè celebrandi studioso, quam ipsorum SS. Regum cultore & laudatore præcipuo? sic mihi persuadeo: hinc alteram videamus priore non disparem, imo pluribus prodigijs nobilitatam celebritatem, qua sanctus idem Basilius obijt Epiphaniæ anniuersariam memoriam.

S. Ephrem de natura Dei nō curiosè scrutanda.

CAPVT XXII.

Altera celebritas S. Basilij in festo Epiphaniæ quo S°. Ephrem impetrat linguæ Græcæ peritiam, & prophetico spiritu multa cognoscit circa an. Domini 370.

cōparatio S. Basilii & Gregorii Magni.

GEMINI multis rebus fuerant SS. Basilius & Gregorius Magnus; vterque re & nomine magnus Doctor Ecclesiæ, cultor & propagator monasticæ vitæ, malleus hæreticorum, terror Imperatorum, Doctore etiam & magistro eodem gloriantur Spiritu S. qui columbæ specie suggessit vtrique diuinam sapientiam: vtriusque pariter sanctitas ignitæ columnæ fuit indicio declarata: & S. quidem Basilius (quo de hic ago) die festo Epiphaniæ locutus ignea lingua & cordium arcana referans satis Spiritus S. præsentiam & eius cunctis in rebus gubernationem S. Ephremo indicauit: cui & eodem die donum linguæ Græcæ impetrauit: historia quia rara, varijs mixta affectibus, & gestis est, & occasione festi Theophaniæ peracta, non ingratam confido lectori fore: scripsit eam coæuus vtriusque: ego stylo antiquo sicut apud Rossueidum exstat, recitabo. *Fratres* (inquit auctor) *narrationem volo facere de Basilio nobili scilicet & Ephrem Syro. Et quædam quidem ex patris nostri, quædam autem ex non mentientis ore sancti & mirabilis Ephrem audiui: est vero ita.*

S. Basilius die Epiphaniæ ignea visus lingua loqui.

Ephrem cupidus videndi S. Basilij.

Ephrem nobilis existens in eremo, quædam quidem illustratione S. Spiritus videns; quædam vero ex desiderio & interrogatione ediscens, miranda nobis nostri Patris Basilij sine intermissione rogabat reuelari sibi; qualis esset Magnus Basilius: & statim tollens interpretem, eo quod nesciret loqui Græcam linguam, venit in magnam ecclesiam magni nominis Cæsareæ, & peruenit in sanctam festiuitatem Theophaniæ, & ingrediens occultè vidit procedentem in ecclesia Magnum Basilium, & dixit sequentibus se. Quon iam inuanum laborauimus, puto enim Frater iste in tali ordine existens, non est iuxta quod vidi: erat enim circumdatus stola candida, & circa eum venerandus Clerus candidatus, & obsequens ei. Et stans in loco absconso ecclesiæ adspexit ordinē dicens in semetipso. Nos, qui portauimus pondus diei & æstus nihil proficimus, & hic in tali obsequio & honore humano columna ignis existit! miror.

vestitus eius die Epiphaniæ magnificus.

Hæc

Hæc eo dicente mittit sanctus Archidiaconum suum dicens: vade contra portã occidentalẽ, & in angulo ecclesiæ inuenies Abbatem cum alio quodam habente cucullum, rari barbium pusillum, & cetera vultus eius; & dices ei: ingredere sacrarium (alij habent presbyterium) *inuitat te Pater tuus Archiepiscopus, & discens per interpretem dictum; respondit dicens: errasti Frater; nos hospites sumus. Et pergens Archidiaconus renunciauit hæc Magno Basilio sacros libros recitanti. Videt sanctus Ephrem linguam igneam loquentem per os eius, & dicit Diacono, vade & dices Domino Ephrem, iube intrare in sanctum tribunal* (locus erat iuxta altare) *vocat te Archiepiscopus, vt ingrediaris in sanctum tribunal: stupefactus ergo super his sanctus glorificans Deum & faciens metanoœam* (id est genuflexus benedictionem petens) *respondens ei dixit: veraciter Magnus Basilius, veraciter columna ignis Basilius, veraciter Spiritus Sanctus loquitur per os illius. Rogant autem Archidiaconum, vt renuntiaret ei: quoniam magis post Missas in secretario* (id est sacristia, vel Diaconico) *salutabo eum: Ingrediens ergo post absolutionem Missæ in secretarium, vocauit S. Ephrem, & in Domino osculum tradidit ei, dicit ei: bene venisti, quia multiplicasti discipulos Christi in Ecclesia, & dæmones expulisti per Christum, in quo est labor tuus Pater: venisti videre hominem peccatorem, det tibi Deus mercedem propter laborem tuum: Et respondens ei honorabilis Ephrem, & dicens omnia, quæ in corde suo versabantur, vna cum Abbate, qui cum eo erat, communicauit in sanctas manus eius, & faciente eo caritatem, dixit S. Ephrem: Pater honorande vnam peto gratiam à te, & hanc concede dari mihi. Qui dixit ad eum, iube, dic quæ videntur tibi, multa enim tibi debeo, & maximè propter laborem tuum & tui aduentus. Dicit ei Ephrem: scio Pater sancte, quia quæcunque petes à Deo, concedet tibi: volo vt deprecaris Deum, vt loquar Græcè. Qui dixit ei, super potentiam meam petijsti; sed quia fideliter petijsti, veni Pater, & eremi præceptor, deprecemur Dominum, potens est enim facere voluntatẽ tuam. Scriptum est enim voluntates timentium se faciet, & orationes eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Et facientibus orationes per plurimas horas, & surgens dixit Magnus Basilius, quare Domine Ephrem, non accipis consecrationem presbyterij, quoniam congruit tibi? Dicit ei per interpretem, Quoniam peccator sum. Respondit illi: vtinam peccata tua ego haberem: & dicit ei: mittamus genuflexionem & iacentibus super pauimentum posuit manum super S. Ephrem, magnus sacerdos, & dixit orationem Diaconij, & dicit ille: Iube subleua nos: Repleta ergo lingua eius dicit S. Ephrem Græca lingua salue, miserere, suscipe & conserua nos Deus in tua gratia, & consummatum est, quod scriptum est, tunc saliet sicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua balbutientium. Et loquente eo Græcè, ipsa hora glorificauerũt Dominum, qui omnia potest, & exaudit orationes timentium se. Et spiritualiter lætantes per tres dies, & consecrans illum interpretem Diaconum, & ipsum presbyterum, dimisit illos in pace, glorificantes Deum pro omnibus, quæ audierunt, secundum quod dictum fuerat ad illos.* Dubitat Baronius de historiæ veritate: quod sanctus Ephrem tantum testetur se per interpretem locutum esse Basilio: verum est, initio loqui per interpretem cœpit: postea secutum est miraculum: quod noluerit vulgari nimium: certe menologium Græcorum M S. idem sic adstruit. *Atque vt magis etiam mortalibus prodesse posset,* (Ephrem) *cum Cæsaream venisset, à Basilio Magno creatus Presbyter, repentè linguam Græcam* (*cuius erat vt homo media Syria natus prorsus rudis & expers*) *callere cœpit.* Paulo aliter idem refert vita S. Ephrem & sanctus Gregorius Nyssenus in encomico eiusdem, ac Metaphrastes huic subscribunt narrationi. *Discedens,* inquit, *auctor vitæ à ciuitate illa venit Cæsaream Cappadociæ, vbi ingressus templum reperit S. Basilium Archiepiscopum concionantem ad populum, & cœpit magna voce beatissimus Ephrem prædicare eum. Dicebant autem quidam de turba, quis est iste peregrinus, qui sic laudat Episcopum, quippe adulatur ipsi potius, vt aliquid ei largiatur: peracta autem iam concione ait Basilius. Accersite ad me hominem, qui insistebat laudando me, & accersito eo dicit ipsi: quid ita instanter vociferabaris laudando me Domine Ephrẽ? respondens autem S. senex dixit, ideo perseuerabam clamando, & laudando te, quia adspiciebam immaculatam columbam: stantem in humero tuo dextero, & in aures ti-*

spiciebam

mittit & euocat ad se Ephrẽ.

qui videt igneam linguam S. Basilij.

colloquiũ vtriusque.

Ephrem petit per preces S. Basilii Græcæ linguæ peritiam. *ps.* 144.

impetrat. *Isa.* 35.

Menologio Græcorum.

Greg. Nyssenus.

columba videt in humero S. Basilii.

bi suggerentem, quæ populo concionabaris. Itaque, quod in vita S. Basilij narratur de sacrorum codicum lectione ignita lingua, accipiendum de concione eiusdem in laudem SS. Regum ad populum habita, & præmissa sacræ synaxi: an forte ea ipsa est, quæ in operibus S. Basilij exstat, & cuius fragmentum recitaui de vitanda curiositate tremendorum misteriorum. quam eandem postea copiosiore oratione S. Ephrem perstrinxit, vt vidimus eodem spiritu diuino afflatus, & eruditus: sic idem Magister Spiritus S. vtriusque linguam præcipuo videtur modo ad laudes SS. Regum, & virtutum eorundem commemorationem fecisse disertiorem.

CAPVT XXIII.

Cœnus S. Basilij Euagrius in Epiphaniæ festo communicare solitus est in Ecclesia,

Euagrii periculosa tentatio.

S. BASILIVS qui Ephremum Presbyterum, idem Euagrium lectorem constituit: cuius Germanus S. Gregorius Nyssenus eundem Diaconum consecrauit: bis grauissima pulsatus tentatione seculum anhelabat & vitam liberiorem: sed eum diuina prouidentia his aduersis & calamitatibus pressum ad mentem saniorem reuocauit, & anachoreticam suscipere viuendi rationem persuasit: in qua quindecim ipsos annos ita se detriumphauit, vt mirandorum effector operum Dæmonibus terribilis euaserit: solitus omni sacræ Epiphaniæ solennitate in vrbem se conferre, & in Ecclesia diuina pasci alimonia: hanc eius consuetudinem & stupendam ciborum parsimoniam ex Palladio libet adiungere: *vnī*, ait, *ex discipulis suis quæ post duos & octo annos erant euentura dixit, omnia ei prædicens in specie: dicebat autem hic beatus: ex quo veni in solitudinem, non tetigi lactucam, non minutum olus, non aliquid viride, non fructum, non vuam, non lauacrum, non carnem, non panem, non vinum, neque omnino aliquid ex ijs, quæ per ignem transeunt, præter quæ iam olera cruda & modicum aquæ. Postea autem sextodecimo anno instituit vitæ luæ actæ absque decoctione ignis cum caro propter imbecillitatem corporis & stomachi opus haberet, vt aliquid sumeret, quod per ignem transijsset, panem quidem tetigit: nequaquam autem sumsit cocta olera, sed vel ptisanam, vel legumina duos annos: in his corpus consumebat hic beatus, viuificans animam Sancto Spiritu, in Epiphanijs in Ecclesia communicans.* Didicisse hunc affectum colendi festi credo à S. Basilio, cuius lector erat: vt quam viderat diem vocationis Gentium tanta religione & maiestate cultus diuini semper fuisse nec sine prodigijs celebratam, eam quasi innatam sibi pietatem ad mortem vsque conseruaret.

die Epiphaniæ venit in Ecclesiam *Palladius lib. de.* 88. *de Euagrio*

Incredibilis abstinentia eius.

CAPVT XXIV.

S. Theodorus transactis gaudijs festiuis Epiphaniæ, eodem vespere ad seculum deserendum diuinitus animatur.

Pachomii cœnobiū.

EODEM tempore florebat 7. millium cœnobitarum Archimandrita Pachomius in Ægypto: cuius asceterium & ipse quandoque visebat Athanasius: sanctitate religiosorum istorum mirificè delectatus, quorum odor salutaris totam perfluabat Ægyptum, & nobiliores etiam adolescentes ad vitam hanc seueriorem ambiendam attrahebat: festum ea tempestate, vt in Ponto & Cappadocia; sic celeberrimum etiam in Ægypto Theophaniæ habebatur: quod non tantum eximio religionis cultu; sed & festiuis epulis omnes vbique cum lætitia celebrabant: at cum sole præcipitante in vesperum gaudia soluerentur, eorum tam velox nullo sui relicto vestigio transitus, mirè Theodorum percu lit ad æternas in cœlis nunquam finien

Theophaniæ celebritas in Ægypto. cum festiuis conuiuiis.

ſniendas delicias per ſeculi contemtum adſpirandi. Rem geſtam in vitis Patrum ita refert ex antiquis tabulis Roſueidus: *Hæc talis ac tanta conuerſatio longè latèque crebreſcens, ſanctiq; Pachomij nomen vbiq; perueniens, vniuerſos ad agendas Deo gratias excitabat. Non pauciquoq; contemnentes huius mundi negotia, ſingularem monachorum conuerſationem, & ſpiritualia ſtudia diligebant: inter quos & Theodorus adoleſcens annorū fermè 14. Chriſtianis ortus parentibus, & ſecundum ſeculum valde claris hoc modo conuerſus eſt 11. menſis Tybi, id eſt, 8. idus Ianuarias* Cum enim Ægyptij menſem ſuum Tybi 27. Decembris ſeu 6. Kal. Ianuarij auſpicarentur, vnde ab eo ad 6. vſque Ianuarij ſeu Epiphaniæ diem 11. fluxerant dies, ideoq; vndecimus menſis Tybi ſextus erat Ianuarij) *quædam apud Aegyptum celebratur ex more feſtiuitas (Epiphania ſcilicet) cernens itaq; domum ſuam nimis amplam ac ſplendidam, ac bonis omnibus abundantem, per Dei gratiā corde compunctus, talia ſecum cœpit voluere: Quid tibi proderit infelix Theodore, ſi totum mundum lucratus fueris, & temporalibus vteris vſquequaq; delicijs ab illis æternis bonis & īmortalibus excludaris? Nullus enim poteſt, & præſentibus delicijs perfrui, & perennis gloriæ præmia promereri. Super his ergo fortiter ingemiſcens penetralia ſuæ domus ingreſſus eſt, & procidens in faciem ſuam cum lacrymis ait: Omnipotens Deus, qui occultorum es cognitor, tu ſcis, quia nihil horum, quæ ſunt in hoc ſeculo amori tuo præpono. Propter quod obſecro te miſericors, vt in voluntate tua me dirigas, illuminans animam meam miſeram, ne in æternæ mortis contenebrata peccatis obdormiat, ſed redemta tuo munere, per omnia te collaudet, atque glorificet. Hæc eo orante venit mater illius, & inuenit oculos eius plenos lacrymis, & ait: Quis te contriſtauit cariſſime fili, vt ſequeſtreris à nobis? Nam ſoliciti & dolentes vbique te quærebamus, vt nobiſcum pariter epulareris. Qui reſpondit: perge quæſo mater & cibum ſume, quia ego nunc manducare non poſſum. Nec acquieuit precibus eius, vt cum ea comederet. Et cum ad ſcholam ambularet, vt diſceret literas, ieiunabat vſque ad veſperam. Frequenter autem & biduana ieiunia tranſigebat, per duos annos omnibus pretioſis & delicatioribus cibis abſtinens, ſeque ad perfectam continentiam, quantum ætas illa patiebatur, extendens. Cœpit itaque ſecum tractare, quatenus monaſterium expeteret, ſanctæque ſe regulæ manciparet. Et deſerens omnia, quæ habebat, quoſdam religioſos viros reperit, optima inſtitutione viuentes, habitauitque cum eis in Domini timore proficiens.* Poſtea digreſſus inde venit ad Pachomium & eius ſaluberrimis monitis, & inſtitutis ad culmen perfectionis religioſæ paucis annis euolauit: ita cogitatio vanitatis epularum, & mundi deliciarum, quæ ſolet alios ſæpe mundi laqueis & amore irretire, tantum huic generauit faſtidium ipſo Theophaniæ feſto die: vt ſidus exoriens rationi, ſecutus, ad Chriſtum peruenerit: & in eius ſeruitio perennarit.

Roſueidus lib. 1. de vitis PP. in vita S. Pachomij c. 29.

modus anni incipiendi Ægyptiorum.

ſalubris & pia cogitatio Theodori die Epiphan.

orat cum lacrymis.

interpellatura à matre

temperantia eiuſdē.

petit monaſticam vitam.

CAPVT XXV.

S. Ambroſij & Arſacij Mediolanenſium Epiſcoporum cultus SS. trium Regum in fine ſeculi quarti.

QVAM viguerit Mediolani feſtum Epiphaniæ teſtantur ſermones S. Ambroſij eo die habiti: gemmam vnicam ex eis ſeligam ardentis exhortationis ad pietatem SS. Regum, & peccati fugam æmulandam. *Imitamini*, ait, *iſtos Magos, ut eo ſtudio atque ardore ſemper ad eccleſiam veniatis, quo illi deſiderio de longinquis regionibus Chriſtum adorare venerunt: illi pretioſa munera obtulerunt, & vos offerte illi animas veſtras, erigite in Deum animas veſtras, & videte corda & cogitationes veſtras, vt & pro bonis actibus veſtris Deo gratias agatis, & mala veſtra longè à vobis proijciatis, ſi fidem, ſpem & caritatem, pœnitentiam, humilitatem & caſtitatem diligitis, rationabilia ei dona offeretis, id eſt, vos ipſos: quia plus Deus vos ipſos, quam ſubſtantiam veſtram diligit: multi enim ſunt, qui faciunt eleëmoſynam, & tamen peccare non ceſſant, iſti quaſi ſua offerunt Deo, & ſeipſos diabolo: nullam habet Deus cum diabolo partem, & ideo ſiue furtum, ſiue luxuriam, ſiue odium, ſiue ſuperbiam,*

S. Ambroſius ſerm. de Epiphan.

donum Chriſto cariſſimū anima puta à peccatis offerenda

biam,& quidquid mali est, à vobis cum Dei adiutorio repellite; vt totos vos vester creator possideat: attendite, quia Herodes Christum quæsiuit: sed ideo non inuenit, quia malè quæsiuit, & vos Christum quæritis, si bona opera pro laude humana facitis: caute vt taliter quærendo & illum non inueniatis, & vos ipsos perdatis. &c. huc vsque S. Ambrosius, quem Ripamontius vult in æde sanctorum trium Regum ad maiorem eorum cultum sacerdotum collegium instituisse: & ad id vsque tempus locum à SS. Regibus fuisse nuncupatum.

Sunt quidam, qui putent ipso S. Ambrosij tempore factam esse per S. Arsacium eiusque Fratrem Eustorgium sanctorum trium Regum translationem: cuius me sententiæ commonefecit anno 1641. postridie Epiphaniæ Illustrissimus Princeps & Episcopus Osnaburgensis Franciscus Wilhelmus, eiusdem consilio Monachium, vbi S. Arsacius quiescit, scripsi ad P. Maximilianū Wartenberg germanū principis, qui mihi statim vitā S. Episcopi Arsacij transmisit è lectionibus antiquis, quæ translationem illam præsente S. Ambrosio factam, & Arsacij à S. Ambrosio conuersionem ita referunt.

vita S. Arsacij Primus ab imperatore fuit.

conuertitur à S. Ambrosio.

impetrat spiritum Apostolicum cõuertendi infideles.

conuertit Patrem & matrem.

cum trecentis.

postea nongentos

cum Eustorgio visitat loca sancta.

impetrat corpora SS. Regum

Adest Fratres carissimi solennitas S. Arsacij Confessoris atque Pontificis, cunctis veneranda hodierna die populis. Nam sicut ipse primus & summus fuit dignitate post Theodosium Imperatorem inter Mediolanenses; sic & primo omnium post prædicationem S. Ambrosij Christum de Maria Virgine natum credidit, & relictis omnibus substantiæ suæ facultatibus B. Ambrosij discipulus effectus est. Sanctus autem Ambrosius gaudens super tanta prosperitate, flexis in terram genibus coram omni populo ita orare cœpit: Domine IESV *Christe salus & fortitudo omnium in te credentium, tibi gratias ago, & peto, vt sicut B. Arsacium per oris mei prædicationem ad agnitionem tui nominis inuitasti: ita quæso pijssime Deus sanctum tuum ei inspira spiritum, vt per eum cæcitas Mediolanensium lumine fidei Catholicæ destruatur. Finita oratione hac S. Arsacius à Deo confortatus, immemor inanis Philosophiæ, plenus Spiritu Sancto, Christum de Maria Virgine natum prædicabat, & eo die, quo verbum Dei prædicare cepit, patrem suum Eustorgianum, & matrem suam Laudinam, quæ construxit Laudam; nec non & germanum Eustorgium virum magnanimum vna cum vxore sua Rimaria, & insuper trecentos vtriusque sexus homines conuertebat: Tertia verò die vxor Eustorgij fratris sui defuncta est, quam B. Ambrosius honorificè sepelliuit. B. vero Arsacius officiū peragens, illo die nongentos vtriusq; sexus homines ad fidem conuertebat: omnesque ciuitates alias Prouinciales terræ Mediolanensis in fide confortauit, S. itaque Arsacius vna cum Eustorgio Germano suo ad transmarinas partes peregrè profectus est: & à Constantinopoli trium Magorum corpora Mediolanum transuehebat. Quod audiens S. Ambros. adsumtis quamplurimis viris Catholicis, per spatium trium dietarū viris Dei in occursum venit, & eos cum magnæ deuotionis gaudio suscepit: sanè post transitum S. Ambrosij B. Simplicianus Episcopatum Mediolanensem accepit, quo post 30. dies liberè resignante conuenientibus in vnum Episcopis & Canonicis elegerunt vna voce S. Dei confessorem Arsacium, qui vno & eodem die, quo eligitur consecratus est, & Angelus Domini omnibus cernentibus refulsit super caput eius, cum corona aurea. Mortuus est igitur S. Arsacius feliciter anno Pontificatus sui primo, regnante D. nostro Iesu Christo, qui est benedictus in secula seculorum Amen.*

Lectionibus congruit effigies S. Pontificis, quæ exstat ad fontem prope templum colligiatæ Ecclesiæ B. Virginis; nam sculpitur & pingitur cum sandapila, & trium Regum capitibus.

Gewoldus f. 416.

Gevvoldus in notis ad Hundij metropolim Salisburgensem & fundationes Monast. per Boiariam hæc habet: *Reliquiæ S. Arsatij Episcopi Mediolano A. 743. translatæ in Ilmunster. Inde translatæ A. 1494. Monachium. Annales nostri habent, S. Arsacium natum esse Patre Eustorgiano, Conuersum ad fidem à S. Arbrosio, fratrem habuisse Eustorgium, & cum ipso SS. Magorum corpora, & æneum serpentem Constantinopoli Mediolanum apportasse. S. Simpliciano in Archiepiscopatu successisse paucis mensibus, & in medio SS. Episcoporum Martiniani & Auxani sepultum esse* Idem confirmat. Eckius his verbis. *Eorumque corpora post multos annos Constantinopolim delata sunt; deinde temporibus S. Ambrosij aducta Mediolanum per S. Arsacium, ubi multo tempore quieuerunt.*

Eckius ho. 5. de Epipha.

Tria

Tria Gewoldus apponit huic narrationi 1. *S. Venerius*, ait, *successit S. Simpliciano*, 2. *Magorum corpora ab Eustorgio primo translata ante tempora S. Ambrosij*. 3. *vterque Martinianus & Auxanus post Simplicianum 173. annis obijt*.

triplex difficultas circa hanc vitam S. Arsacij.

Ad primum responderi posset, nec annum quidem integrum, sed paucis tantum egisse Pontificem mensibus ij sunt eius, qui præcesserat in cathedra, S. Simpliciani inserti Pontificatui: obliterata sensim Arsacij memoria, cum in Germaniã transferretur: id multis Episcopis accidisse: etiã Marino Mediolanensium septimo docui in Vrsulanis.

satisfit primæ.

Ad tertium licet multis vel annis, vel etiam seculis post, illi duo floruissent, quid vetat eode n fuisse tumulo funeratos? ita cum in Germaniam transferendus educeretur, dici potuit sepultus duos inter nominatos Præsules iacuisse. De secundo recte, me vehementer assentiente, Gewoldus excipit: nimis enim pro primo Eustorgio manifesta superant factæ tunc translationis vestigia; miraculorum columnæ inciforum fides; annales Mediolanensium veteres, auctorum idoneorum ingens numerus, nec licet ab ea sententia latum vnguem discedere. Si fas est in re dubia coniectari, forte S. Arsacius cum fratre Constantinopoli alias reliquias, vt SS. Machabæorum (si nolimus eas cum SS. Regibus translatas esse) vel aliorum Diuorum in ædem Eustorgianam vna cum fratre Eustorgio transportauit præsente S. Ambrosio: ibique collegio sacerdotum institutore S. Ambrosio quandoque præfuerit; plurimumque contulerit ad sanctorum Regum mausoleum exornandum, cultum eorum propagandum, templum etiam instaurandum; vt meruerit cum sandapila SS. Regum sculpi, fingiq́ue, quem posteri crediderint ideo cum fratre Eustorgio fuisse translatorem. Coniecturæ meæ de translatis eo tempore SS. Machabæis fauet Victorinus Rhetor excellentissimus, is à S. Simpliciano Arsacij successore conuersus: carmen egregium de iis tunc concinnauit.

certum est non à S. Arsacio translatos esse Reges,

erroris occasio.

Mihi satis fuerit hoc capite euicisse, vtrumque Mediolanensem Archiepiscopum Ambrosium & Arsacium eximios SS. Regum cultores exstitisse: huius testis est effigies: illius præter sermones multiplices collegium sacerdotum in conditorio SS. Regum institutum, & ipsum Missale Ambrosianum, quod in vigilia, festoque ad vndecim pias habet de SS. Regibus & Gentium vocatione orationes. Id verò diuinitus esse comprobatum auctor est Ripamontius. Cum enim post tridui ieiunium Romani Missalis essent reperta folia per templum dissipata; & in ara Ambrosianum explicatum, compertum est, Romanum spargi per orbem debere vniuersum, at Ambrosianũ in sola Mediolanensi Ecclesia vsurpari: dum igitur Missale totum; simul etiam vigiliæ festiq; Epiphaniæ pium sane & accuratum Missæ officium fuit cœlitus approbatum.

diuino testimonio confirmatur missale Ambrosianum.

CAPVT XXVI.

Seculi quinti initio solenniter à S. Chrysostomo & circa eadem tempora ab Augustis præsertim Theodosio & Arcadio celebratur Epiphaniæ festiuitas, proscriptis Arianis & Spectaculis Circensibus

DALMAM merito laudatores inter SS. Regum sibi S. Chrysostomus vindicat: tam raris, exquisitis & nouis eos semper elogijs & honorum titulis ornat: nunc eos *primos Apostolos, Euangelistas, Doctores & Magistros Iudæorum & Gentilium* nominat: alias *primos nuncios Euangelicæ veritatis, primos Christi sacerdotes & adoratores* appellat. Ac incredibili dicendi vbertate virtutes eorum fidelibus proponit imitandas; fidem præcipuam, spem admirandam, caritatem ardentissimam, animi demissionem profundissimam, obedientiam cæcam, & simplicissimam, fortitudinem & animi robur inuictissimum, contemtum rerum omnium humanarum summum: non opus ea regerere toties inculcata: nec mirum, nam vix ab eius Archiepiscopatus initio fluxerant anni 60. cum essent Constantinopoli translati Mediolanum: ita vigebat ibi recens eorum memoria: quam senescentẽ mirificè S. Chrysost. resuscitauit quotannis die Epiphaniæ: ex vno facto eius coniectura fiet de reliquis. Solebant Augusti die illa rebus diuinis & concioni publicè interesse præter morem solenniter, & sacræ mensæ diuina libare mysteria: quam arripuit S. Doctor occasionem acriter Arianos impugnandi: & eos vrbe Constantinopolitana exturbandi. Putat

Elogia SS. Regum

virtutes.

Georgius in vita S. Chrysost. Arianorũ conuenticula Constantinopoli.

Baronius id A. 400. contigisse : narrat verò rem gestam Georgius Archiepiscopus Alexandrinus, qui paulo post vixit.

Sed *enim*, inquit, *illo in tempore Ariani in ciuitate sua habebant conuenticula : eam ob rem magnopere excruciabatur animo Ioannes, continenter Deum supplex obtestans, sibi vt vires suggereret, quibus è ciuitate eliminarentur : id, quod præstitit serui sui deprecationibus exoratus hoc quidem pacto. Die festo Epiphaniæ propinquante, qui quidem dicitur Luminarium dies, Imperator Arcadius vna cum comite Augusta aduenit, vt sacram synaxin in Ecclesia explerent, & immaculatorum sacramentorum fierent participes, Christi nimirum Dei nostri* (Vides receptam moribus consuetudinem, qua cuncti fideles & Augusti Cæsares non secus ac in Paschate diuinissimæ mensæ tunc accumbebant) *Introgressi igitur hi ad Episcopum, cum sanctas eius preces excepissent, consederunt. Imperator autem oculis in ipsum pressius defixis ait. Reuera Pater à Constantini Magni Imperatoris temporibus, ciuitas hæc habita non est digna Episcopo ac Doctore, pro proportione tuæ sanctitatis. Eam ob rem Deum Dominum clarissimo amatori debitam gratiarum actionem rependimus, qui te huc deleganit, vt nobis præmunires viam ad ea, quæ saluti opportuna sunt & conducibilia. Esto igitur robustus, & viriliter age serui Dei, ac noue Apostole.*

Imperator mirè laudat S. Chrysost

vocat nouum Apostolum. S. Chrysostomus vtitur opportunè eo fauore ad Dei gloriã

Magnæ Laudes eæ præsentis Chrysostomi: magnus Augustorum fauor, ipsi tali die coram eo cœtu præstitus. Sed à S. Pontifice discant viri Ecclesiastici vel Regum, Principumue arbitri conscientiæ, ne beneuolentiæ similis occasione forsan abutantur ad inanem gloriam, & ambitionem : quinimo nacti tam attentas & beneuolas aures, eos ad diuina rite percipienda mysteria monitis in tempore præparent opportunis : consilijs etiam ad Dei propagandam gloriam animent, & ad Hæresum ac sectarum oppressionem stimulent : sed prudenter & ardenter, more ingenioque S. Chrysostomi, prius Spiritus S. implorato auxilio : cuius impulsu bellâ parabolâ recitatâ parat sibi attentionem, vt pergit auctor memorare. *Beatus autem Ioannes Spiritus S. afflatus inspiratione, dixit Imperatori, sermo mihi ad te est Imperator, diuini cultus obseruantissime. Dic, ait ille, honorande Pater. Respondens autem prouerbij vice, & sub inuolucro dixit. Eum, qui imperiale diadema adornat, & ad id constabiliendum vndelibet agglomerat, atque contrahit lapides pretiosos, is non seruauerit decorum, siquidem ipsis permixtim inseruerit quiduis tenebricosum, nec quidquam habens in se splendoris, cuius mutua compagine extinguat lapidum illorum fulgores perquam illustres & coruscationis instar exsplendescentes, ne totius diadematis decor per id, quod adscititium est, & alienum deboneſtetur, ac reprehensioni pateat. Consimilem in modum, qui viam affectant ad plectendas in cœlis sibi coronas, nulla in re permittere debent, vt ab arrepto semel proposito desistant. Ad hoc nos è contrario inuitat Dominus, nemo immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus; rursum: eritis igitur perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Respondens autem Imperator dixit ei Parabolam hanc nobis ediscere dilucidius,* En beneuolum & attentum animum : vt ad audiendum, sic ex sequendum pium Pontificis consilium paratissimum; nunc sementem diuinam in agrum tam cultum sparsam propitio numine videamus. *Tunc* ait, *ecce vt vides Domine mi Imperator tota ciuitas hodie Dei cultum, & rectam de fide sententiam complexa, sibi temperat à non paucis rebus pernicioſis, quarum noxa prius detinebatur: viget autem in ea impura & profana Arianorum hæresis, tetram caliginem offundens animabus simpliciorum hominum, id, quod vertitur in scandalum eorum, nec mediocre offendiculum. Res hæc in ciuitatem inuexit non vulgarem loquendi fiduciam, adeo vt quamplurimi intelligentiæ expertes ausint dicere. Si Imperator forte sciuerat, eos non rectè colere Deum, vtique istiusmodi temerarium, & præsidentem conatum coërcere debuerat, & frenare. Nunc ergo vestra imperialis potestas, vt pœnitentia pro suis blasphemijs peracta ad orthodoxam fidem, accedant, aut certè vestra serenitas præcipiat è ciuitate eos extrudi, vtque eorum conuenticula solo adæquentur, & pessum eant.*

apta similitudine captat beneuolentiam.

laxat conniuentiam Imperatoris.

petit Arianos exturbari.

prudentia S. Chrysostomi.

Vide quam prudenter Imperatorẽ officij sui commonefaciat, vt offendiculũ simplicium, ex conniuentia Cæsarum natum quod potest, & debet, aboleat; addit etiam preces, quibus ad Dei vindicandam depressam incestis horũ voculis gloriã studium, zelumq; suscitat. *Etiam, atq; etiam supplex obsteſtor mansuetudinẽ tuam, vt hoc ipsum eaicat fieri, nec vlla*

vllo pacto permittat in tuo hoc religiosissimo imperio filiu Dei ab illis appeti blasphemijs, ne forte iram eius aduersum nos promoueamus. Non enim vsq; in finē nos sustinebit, id si fieri sinamus: eo maximè, quod citra negotium vllum prævales efficere, vel solo imperio. En classicum contra fidei hostes Epiphaniæ festo percommodè cantatum: qui primi muneribus suis mysticis, adoratione supplici voceque libera coram Herode Rege diuinitatem Christi profitentes, futuram Hæresin Arianorum condemnarunt: nunc conflictum videamus. *Hisce auditis iussit Imperator, vt adducerentur eorum præsides: illi simul atque aduenerunt, interrogati ab Episcopo suæ fidei, vt confessionem profiterentur: ac proderent: in verba proruperunt pleniores blasphemiæ, & peruersæ opinionis. Tunc peracri indignatione repletus Imperator, iussit è vestigio eos ablegari è ciuitate & ejci: conuenticula autem eorum sub tutelari custodia firmari tantisper, dum maturè expendisset, quid de ipsis opus esset facto. Horum enim mutationem in melius operiebatur, ac sustinebat. Quare pars eorum non modica perspectis, quæ aduersus eos gesta erant, ab impura illorum desciverunt hæresi, seque adiunxerunt Sanctæ Dei Ecclesiæ: præcepit autem & Imperator conscribi tabulas, & per totius ciuitatis compita appendi, hanc continentes edicti formulam. Decretum est, vt quisquis pœnitere noluerit conceptæ hæresios, & ab ea deflectere, ac reuerti ad orthodoxam fidem, sed pertinax suo acquiescit errori, talem extrudi quidem ex ciuitate: facultates autem eius tradi in publicam direptionem*: Ita tunc glorioſè S. Ioannes meritis SS. Regum de Arianis triumphauit. Commodum accidit, vt pene eodem tempore S. Ambrosius in occidente, & S. Chrysologus in oriente coram Imperatoribus sanctorum Regum præconium facerent, ideo à Theodosio, Arcadio & Valentiniano institutum & confirmatum diebus septem ante, totidem post Epiphaniam iustitium, quibus vacui à forensi strepitu beneficium vocationis Gentium duas ipsas hebdomadas solenniter agerent. Illis ipsis Imperatoribus florebat Flauius Dexter præfectus prætorio Constantinopoli: qui primus, quem reperi, nomina sanctorum Regum recensuit, eorum martyrium & sepulturæ locum publicauit.

effectus concionis.

Imperator curat, vt Epiphaniæ festum solenniter agatur. *Flauius Dexter.*

Theodosius verò Iunior circa A. 420. vetuit, ne præcipuis anni festiuitatibus, quas inter Epiphaniam numerat, ederentur spectacula. *Dominico, ait, qui septimanæ totius primus est dies, & Natali, atque Epiphaniorum Christi, Paschæ, & in quinquagesimæ diebus, quamdiu cœlestis lumen lauacri imitantia, nouam sancti Baptismi lucem vestimenta testantur, quo tempore & memoratio Passionis, totius Christianitatis magistræ, à cunctis rite celebratur, omni theatrorum, atque Circensium voluptate per vniuersas vrbes earundem populis denegata, totæ Christianorū & fidelium mentes Dei cultibus occupentur: at ne quis existimet in honorem numinis nostri veluti maiore quodam imperialis officij necessitate compelli, & nisi diuina religione interruptas, spectaculis operam præstent, subeundam nostræ serenitatis offensam: ei si minus circa nos deuotionis ostenderet, quam solebat: nemo ambigat, quod vsque tunc maximè mansuetudini nostræ ab humano genere defertur, cum virtutibus Dei omnipotentis ac meritis vniuersi obsequium oris impenditur.* L. 5. *de spectac. Cod. Theodo.* v. Baronium.

Theodosii decretum.

CAPVT XXVII.

Eodem seculo S. Euthymius, & S. Genouefa post festum Epiphaniæ secessum vel solitudinem petebant.

POST annum salutis instauratæ 400. Palæstinam S. Euthymius Anachoreta vitæ sanctitate mirè collustrauit: ei solennis erat consuetudo secedendi post octauam Epiphaniæ in solitudinem: quam ad Palmarum vsque festum habitabat, vt sè religiosius ad anastasin Christi compararet: ita non semel; sed quater eius vita festiuitatis Theophaniæ meminit, & primo quidem secessus illius imitatorem proponit Theoctistum his verbis: *Erat autem quidam ex eius vicinis nomine Theoctistus, qui eandem vitam, quam ille exercebat, & idem sibi vindicabat institutum. Amor verò similium & laborum societas ita eos colligauit vinculo caritatis, & vsq; adeo sunt inter se contemperati dilectione spiritus, vt vterq; eorū esset positus in anima alterius, & quę*

Surius ad 15. Ian. Amor & concordia duorum.

ecessus ab octaua Epiphaniæ

alter eorum sentiret, ea etiam cordi essent alteri, cum ergo esset tam fraternus inter eos consensus, in Catilæ solitudinem peruenerunt octauo die post festum luminum, id est Epiphaniarum, separati quidem ab omni humana consuetudine, cum Deo autem solo versantes per precationem, & totum tempus, quod intercedebat transigentes in solitudine, donec aduenisset dies Palmarum. Tunc enim vterque reuertebatur in cellam, magnas virtutis adferentes diuitias, quas erant oblaturi Christo, qui resurrexerat: auro ei longè pretiosiores, quod ei, cum natus erat, Magi obtulerunt. Extremis

ad imitationem SS. Regum

his verbis insinuat, ad SS. Magorum imitationem susceptam eam fuisse abcessionem vt sicut illi recens nato dona virtutumque præcipuarum actus internos & externos obtulerunt, sic ipsi similibus virtutum donis anastasin Christi venerarentur.

Insignis alter locus est de eadem octaua, & infiniti populi supplicatione, cuius rogatu cum in summa siccitate Deo vna cum fidelium turba supplex accideret, & largâ de cœlo pluuiam, & anni diuinitus impetrauit fertilitatem, ut ob aquarum copiam nonnihil ipsius fuerit secessio retardata.

Ingens aridi-tas

Circa illud autem tempus: cum terra laboraret siccitate, quod non plueret, adeo vt esset quidem cœlum super caput prout dictum est æneum, terra autem subtus ferrea, & quæ erant in Laura cisternæ essent aridæ, & plenæ puluere, valde afflictabantur fratres, & cum magno accedentes Theoctisto magnum rogabant Euthymiũ (sciebant enim, quanta eius esset ad Deum fiducia) vt cœlũ per preces aperiret, & illinc aquam ad eos deportaret, qui siccitate mirandum in modum laborabant. Ille autem id non in animum inducebat, eam rem vocans Dei disciplinam, & inflammationẽ festã propter peccata: viæ enim tuæ, inquit diuinus Ierem. & tua studia hæc tibi fecerunt: & propterea forte, ne me quidem exaudiet rogantem eius benignitatem. Ne ores, inquit, rursus idẽ Propheta pro hoc populo, & ne roges pro eis, quoniam te non exaudiam. Et hæc quidem D. Euthymius differens de eo Deum rogare propter suam insignẽ modestiam: cum autem intenderetur flagellum, siccitasq; & pluuiæ imualescerent defectus, & deinde etiam vici, qui erant circum circa grauiori premerentur necessitate, quoniam erat dies octauus sanctorum Theophaniorum, & cum aduenerat dies præfinitus, quo is exibat in vastam solitudinem, immunerabilis quidem ad eum confluit multitudo, cruces habens in manibus, & Kyrieleeison, id est, Domine miserere, de more non ore solum; sed labijs quoque cordis inuocans. Ille autem illorum flexus precibus ad eos egreditur, mihi quidem dicens, ô fili, nulla est ad Deum fiducia, & eum liberè alloquendi audacia: vt qui sum peccator, & plus quam vllus alius eius opus habeam clementiâ, & maximè tali eius in nos iræ tempore, nimiæ fuit meæ audaciæ Deo preces offerre, qui, vt ait Diuus Isaias, dat panem afflictionis, & aquam angustiæ: qui aperiet & non erit qui occludat, & claudet, & non erit, qui aperiat. Peccata enim nostra inter nos & ipsum separant: inquinauimus enim imaginem, polluimus templum, seruiuimus libidinibus & varijs voluptatibus, inuidiæ & auaritiæ hæremus, ei exosi euasimus, dum alter alterum odimus. Verum enim verò quoniam benignus & clemens est nobis Dominus, qui sola indiget occasione, & abundè protinus omnem effundit misericordiam, supplices ei procidamus, & eum vehementer oremus, & scio fere, vt nobis ignoscat, & quod suum est faciat, & nobis decernat irrigationem & nostri paternam curam gerat. Est enim prope Dominus omnibus inuocantibus eum, inquit diuinus Dauid in veritate: Eo autem adhuc loquente, illi velut vna lingua & voce respondentes ipsi dixerunt: Ora pro nobis ô pater, voluntatem enim ipsorum, qui ipsum timent facere nouit omnino Dominus. Cum hæc & quæ sunt huiusmodi non posset diuinus despicere Euthymius, & populo quidem præcepisset, vt intensè orarent, ipse autem adsumsisset ex monachis eos, quierant præsentes, ingreditur cum ipsis Oratorium, cumque se ipsum humi proiecisset, Deum orabat cum lacrymis, Deus vero exaudijt orationem, statimque audiebatur sonus vehementis spiritus, & aër implebatur nubibus & erumpebant tonitruâ, vehementesque magno impetu cadebant pluuiæ, & affluentibus aquis terra inebriabatur. Cum ille ergo homo surrexisset, & se turbis ostendisset, ecce, inquit, Dominus vestris precibus exauditis, visitauit terram suam visitatione, & eius sulcos

Isa. 4. peccatis adscribit S. Euthimius,

in Octaua Epiphaniæ

supplicationis turbam cum crucibus alloquitur.

inuehitur in vitia populi.

Exeirat omnes ad fiduciam in orando. ps. 144.

petit pluuiam cum suis. impetrat.

inc-

inebriauit, & vt eam ditaret, multiplicauit: Benedicet autem coronam anni huius super alios, & implebuntur quidem campi pinguedine, pingueſcent verò ſpecioſa deſerti, & valles multiplicabunt frumentum, & accingentur colles exſultatione. Ille autem cum hæc dixiſſet, dimittit multitudinem, mox vero ſecutus eſt euentus prædictionis, & terra lætata eſt in ſuis viſceribus germinans: Illa certè vehemens pluuia vſque adeo deorſum cecidit, vt eum diu prohibuerit, quo minus ſecederet in ſolitudinem.

Tertio fit mentio octauæ Theophaniæ circa mortem Euthymij, quæ in ſextum poſt octauum diem: vigeſimum ſcilicet Ianuarij menſis incidit: nam more ſuo complures ad virum ſanctum ventitabant, & in his S. Sabas narrator rei, vt ipſum more conſueto ſecedentem comitarentur, quibus ipſe mortis inſtans tempus prænunciauit *Octauo quidem die* (inquit auctor vitæ) *poſt feſtum luminum, quo ſolebat ad interiorem proficiſci ſolitudinem, conuenerunt quidem ij, qui erant ipſum deducturi & quicunque eius peregrinationis volebant eſſe ſocij: inter quos erat etiam Martyrius, & Elias, cum autem nihil parati inueniſſent, neque quod eſſet ſeceſſui conueniens, quin etiam eum offendiſſent omnino imparatum, rogarunt, an non eſſet cras profecturus: ille vero inquit, tota hebdomada ero vobiſcum in Laura, & ſabbati media nocte à vobis ſeparabor. Hoc autem dixit, ſignificans ſe tunc eſſe moriturum.* Octaua Epiphaniæ prædicit mortem ſuam.

Hanc piam ſancti Euthymij conſuetudinem viri feminæque ſunt imitati: nam in eadem vita de Gabrielio cœnobiarcha dicitur. *Horum vero Frater Gabrielius, cum fuiſſet presbyter & Præfectus viginti quatuor annos, ædificauit ſibi breue quoddam monaſterium in valle venerabilis templi ad orientem, quod nominatum fuerat ſanctæ Adſumtionis: in quod quidem ad imitationem beati Euthymij poſt diuinorum Theophaniorum octauum diem ſecedens, in eo morabatur vſque ad feſtum palmarum.* Imitatores Euthymij viri.

Habuit idem vir Sanctus in occidente Pariſijs ſeceſſus æmulam S. Genouefam, quæ ciuitatem ſuis precibus contra Attilæ furorem tutata eſt, niſi quod duodecim fere diebus illam ſolitudinem prolongarit. ſic enim de ea refert vitæ auctor: *A ſancto Epiphaniæ die vſque ad cænam Dominicam intra cellulæ ſuæ penetralia virgo ſancta omnipotenti Deo, cui ſe vouerat, ſecretus inſeruiebat orationibus, & vigiliis intenta. Quædam autem mulier curioſa potius quam religioſa, cum quidnam ageret, explorare vellet, atque ea cauſa ad eius cellulam propius ſe admouiſſet, ſtatim oculis captam ſe ſenſit: improbi conatus pœnas luens, ſed ſancta virgo expleto ſuæ conſuetudinis officio, poſtquam è cella prodijt, precum ſuarum interceſſione lumen amiſſum reformauit.* & virgo S. Genouefa. *Surius. 3. Ian.* curioſitas cæcitate plectitur.

Hoc ipſo ſeculo circa A. 460. vt Bollandus noſter oſtendit, Poëmius Syluius in laterculo ſuo diem Epiphaniæ ſic adnotauit: *Octauo idus. Epiphaniæ, quo die interpoſitis temporibus & ſtella Magis Dominum natum annunciabat, & aqua vinum facta vel in amne Iordanis Saluator baptizatus eſt.* *Bollandus in præfat. generali in vitas SS. C. 4.*

Quod ad ſanctos Patres attinet, qui feſtum Epiphaniæ ſanctoſque Reges ſeculo quinto ſuis orationibus celebrarunt: eminent in his S. Auguſtinus Hipponenſis, S. Maximus Taurinenſis, Eucherius Lugdunenſis. S. Petrus Chryſologus, S. Leo Romanus ex Poëtis Prudentius, & Sedulius.

Eodem ſeculo circa A. 480. S. Seuerinus Noricorum Apoſtolus diem obitus ſui circa Epiphaniæ feſtum his verbis biennio fere ante denunciauit. *Epiphaniorum die*, ſcribit auctor vitæ, *cùm S. ſe Lucillus Presbyter Abbatis ſui S. Valentini Rhætiarum quondam Epiſcopi diem depoſitionis annua ſolennitate in craſtinum celebraturũ ſolicitus intimaſſet, idem famulus Dei* (Seuerinus) *reſpondit: ſi S. Valentinus hæc tibi celebranda ſolennia delegauit, ego quoque tibi in eodem die vigiliarum mearum ſtudia obſeruanda migraturus è corpore derelinquo: ægrotare cœpit in vigilia Epiphaniæ triduo poſt deceſſit.* 8. Ian. in vita eius c. 11. Bollandus

CAPVT XXVIII.

Seculo sexto S. Theodosius cœnobiarcha speluncam sanctorum Regum nobili exornat ascetorio.

SVB initium seculi sexti, & imperium Iustiniani Gethes Rex Erulorum Constantinopoli Theophaniorum festo baptizatur cum suis: qui lætus in patriam reuersus se & sua omnia obtulit Imperatori: exemplum hoc imitata eodem anno Boazer vidua regina cum 130. millibus Hunnorum ijsdem se adiunxit. Præterea Gordes Rex Hunnorum qui Bosphorum incolunt amplexus est fidem & societatem Romanorum A. salutis 528.

S. Theodosius Sabæ perfamiliaris.

Perfamiliaris fuit S. Theodosius S. Sabæ, qui morienti S. Euthymio adstitit, colere cœpit is primus speluncam & montem, quem sancti tres Reges è Bethlehem declinantes Herodem, & in suam redituri regionem noctis vnius hospitio consecrarant: inibi pia quædam mulier Icelia redundans opibus, ecclesiam Deiparæ construxerat, petijtque, vt Theodosius ibi cœtu coacto Domino Deo militaret: is recens mundo valere iusso Simeonis Stilitæ didicerat oraculo quod Ascetarum plurimorum à Deo constitutus esset Archimandrita: Quare Longino non multum vsus magistro, iussus ab eodem est in dictam ecclesiam, sanctorum Regum diuersorio nobilem, commigrare; quo iam etiam nouo cœlitus affiatu vocari se sentiebat: is licet ideo secessum magis & solitudinem ambiret, quod verebatur, ne apud Longinum religiosis præficeretur, à Deo tamen iubebatur inibi nouum colligere pascereque dominicum gregem, qui vestigium illud tam nobile reditus trium Regum suæ sanctitatis odore totum per orientem sparso consecraret æternitati. Celeberrimum enim id cœnobium factum est sanctissimorum virorum habitatione & miraculis: vt licet alibi sit eius facta mentio, debeat hoc etiam tamen loco renouari.

S. Theodosius commigrat ad alium locum vt cõstruat monasterium

Sedem ipsam cœnobij sic vitæ auctor describit: *Apud quem Longinum cum omnes sensus prius Theodosius ita vt oportebat exercuisset, & in ijs, quæ sunt expetenda, & fugienda, discernendis summè elaborasset, in veterem sedem (eum enim locum ita vocant: est autem in via publica, quæ tendit versus Bethlehem) commigrat inuitus quidem; sed cedens paternæ voluntati, cui potius quam sibi ipsi morem gerebat. Quænam autem fuit causa migrationis? mulier quædam admodum pia & honesta nomine Icelia diues facultatibus, sed virtute ditior; ea cum aliquo quidem prius cohabitauit, postea autem Christi fit ministra propter pietatem. Etenim templum quoque, quod illic est, dicitur posuisse omnium Dominæ & Deiparæ: cum ea ergo tunc seni magnopere supplicasset, vt in templo quod ipsa condiderat, collocaret Theodosium; ille quidem paret inuitus, persuadet autem multo magis nolenti Theodosio, vt admittat translationem. Cui enim iucundum erat simul habitare, consequens est, vt ei quoque molesta fuerit separatio: maximè cum B. Theodosius mallet parere, quam imperare, sicut declarabit oratio.* Adfert deinde tres causas eius in spelunca & templum transitus: tertia de diuina inspiratione talis est: *Tertio autem, quod non à se, sed à Deo motus fuerit, vt ei Christi phalanx ducenda cõmitteretur, vbi tot militum vel fortissimorum potius hominum millia erat communi Domino oblaturus: sic ergo pia mente commotus accedit ad verticem montis, & in hac spelunca perpetuo habitabat, quæ etiam huc vsque eius sacris diues est reliquijs.* Subdit postea traditionem de commoratione nocturna Sanctorum Regum in reditu. *Quædam autem,* ait, *fama ab alto à Patribus tradita ad nos vsque peruenit, quæ dicit, fideles illos Magos, qui Bethlehem venerunt ab oriente, cum Deo, qui ex superna specula in occidentem huius mundi venerat, aurum, thus & myrrham pie admodum obtulissent, deinde ab Angelo responsum accepissent, ne eandem rursus viam inirent, sed per aliam potius redirent in suam regionem; hos, inquam, dicit magos in hac spelunca in reditu fuisse diuersatos: cumque hic noctu dormijssent, mane ingressos esse viam, quæ ducebat in patriam. Et tale quidam est id, quod dicitur, & fortasse eam nulla labefactat improbabilitas. Nam primum quidem cum statuissent iter ingredi*

S. Theodosius commigrat ad alium locum vt cõstruat monasterium

diuino affiatu.

vbi diuersorium fuit SS. Regum.

per

per Hierosolymam: non est admodum facile, vt ij per aliam ex Bethlehem domũ reuerterentur. Sicut etiam nunc videmus eos, qui à Bethlehem, vel ab ea, quæ est circum-circa regione transeunt, per hanc proficisci. Præterea autem multa ex ijs, quæ olim quidem facta sunt, sita autem non sunt in diuina scriptura, sola scriptis non mandata traditio efficit, vt in hodiernum diem vsq; pro certis habeantur. Infinitum esset viri sancti labores ibi exantlatos, virtutum rara documenta, gloriam miraculorum ibidem diuinitus coruscantem; exercitus religiosorum illic Deo sanctè militantium percensere: vita in manibus est. Ita post quingentos annos Deus illam voluit sanctorum Regum stationem cœnobio toto oriente famosissimo decorare, è quo sanctissimi viri multis seculis prodierunt: quo S. Sabas solebat iuniores & imberbes ascetas ablegare; vt prius cœnobiticæ vitæ exercitationibus adsueti, fortius in eremo contra dæmones in anachoresi dimicarent,

CAPVT XXIX.

Seculo septimo inter tres præcipuas solemnitates annumerabatur Theophania, quo etiam pro defunctis non sine miraculis fiebant sacra.

OBIIT S. Ioannes qui ab incomparabili munificentia nomen Eleemosynarij tulit iuxta Bellarminum vndecimo Hezaclij & Christi 620. anno qui non tantum ad misericordiam viuis sed etiam mortuis impendendam sæpius auditores adhortabatur, adductis miraculis recens perpetratis, quam Domino Deo res illa probaretur: vnum refert coævus Leontius Episcopus Neapolios in vita, quam Nicænum secundum concilium laudat, ex quo colligi datur, inter tres anni præcipuas solennitates Theophaniam fuisse numeratam: *Iubebat*, ait, *Synaxes quoque celebrare pro ijs qui dormierunt adserens & affirmans defunctis multum prodesse, quæ pro eis fiunt commemorationes, & sacra ministeria. Ad fidem autem faciendam eorum, quæ dicebantur, tale quid etiam narrabat, quod factum fuerat non ita multo antè. Dicebat enim, quod à Persis quidam abductus captiuus in custodiam, quæ appellatur lethe adseruabatur vinctus: lex autem erat apud Persas, vt qui coniecti erant in eam custodiam, nunquam reuocarentur, & ea ratione consentaneum est, eam fuisse vocatam Lethen, id est oblitionem; illinc autem cum quidam proposuissent aufugere, & in Cyprum venire, affirmarunt parentibus adolescentis, eum esse mortuum in custodia: illi verò tres quotannis synaxes celebrabant tanquam eo mortuo. Quatuor anni præterierunt, cum filius illinc aufugiens, redit domum. Quem cum parentes non tanquam qui fuisset in custodia, sed tanquam qui surexisset à mortuis cum magno stupore aspexissent, & fuissent ineffabili voluptate repleti, & alia faciebant, & dicebant, quæ anima quæ talem vidisset, faceret, & diceret & quemadmodum ei tanquam iam mortuo seserant iusta, quæ fiunt mortuis, & cum eum docuissent, quinam essent ij dies: nempe dies sanctorum Theophaniorum & dies salutaris Paschæ, & dies sanctæ Pentecostes. Hæc cum ille audiuisset, & in memoriam reuocasset parentibus, affirmabat, quod his ipsis diebus relaxabatur à vinculis aduentu cuiusdam, qui gestabat lampadem & fruebatur omni securitate: diebus autem sequentibus tenebatur vinculis, sicut prius.*

in Leontio ad A. 638.

sacrificiũ missæ prodest mortuis.

inter tres præcipuas solennitates anni Epiphaniæ.

Viget alibi laudabilis adhuc consuetudo, vt quatuor anni principibus solennitatibus suffragia pro defunctis recitatis etiam eorum nominibus postulentur, ita sub annum Christi sexcentesimum Cyprij videntur adhuc Theophaniam summis festiuitatibus adnumerasse, neque tantum ipsi sacram synaxin adijsse; sed & defunctis eius fructus perceptionem per suffragia vel sacrificium solitos applicare. Quod in oriente Cyprij præstabant, eadem tempestate in occidente Romani, qui sæpius etiam & quot hebdomadibus curabant pro defunctis sacram litari hostiam cuius sancti moris testis est coæuus Ioannis nostri S. Gregorius, & ipse solitus sermones condire recentibus historijs & prodigijs: vnam quæ narrationi Leontianæ gemina videtur, adferam:

vis sacrificij missæ in vincto

simile prodigium.

Gregor. ho. 37. in Euang.

adferam. *Singulariter ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis & benignitate mentis sacri altaris hostia suffragatur: quia is, qui in se resurgens à mortuis iam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur: Nam quoties ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionis illius reparamus. Multos vt arbitror vestrum Fratres carissimi contigit nosse hoc, quod volo ad memoriam vestram narrando reuocare. Non longe à nostris fertur temporibus factum, quod quidam ab hostibus captus longe transductus est, cumque diu tenetur in vinculis, eum vxor sua cum ex eadem captiuitate non reciperet, extinctum putauit. Pro quo iam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cuius toties vincula soluebantur in captiuitate: quoties ab eius coniuge oblatæ fuissent hostiæ, pro animæ eius absolutione, non longo post tempore reuersus admirans valde suæ indicauit vxori, quod diebus certis, hebdomadibus singulis eius vincula soluebantur: quos scilicet dies eius vxor atque horas discutiens, tunc enim cognouit absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo Fratres carissimi, hinc certo considerantes, colligite, oblata à nobis hostia sacra, quantum in nobis soluere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero soluere vincula corporis.* Idem sanctus Doctor sermone vno laudes sanctorum Regum persequitur, & ex donis eorum mysticis ortas hactenus hæreses confutat egregiè, quos eodem seculo laudarunt Ioannes Moschus, Isidorus Hispalensis, Hildephonsus & Iulianus Archiepiscopi Toletani cum alijs.

Narrat etiam idem amitæ suæ Æmilianæ mortem pridie Epiphaniæ vocatæ, vt Theophaniam in cœlis ageret à sorore Tharsilla pridie natalis Domini demortuæ: cuius non pigebit ex eodem Doctore, sanctissimum exitum adiungere: *Iesum enim*, ait, *venientem vidit, & cum magna animaduersione cœpit circumstantibus clamare dicens: Recedite, recedite, Iesus venit; cumque in eum intenderet, quem videbat, sancta illa anima à carne soluta est, tantaque subito fragrantia miri odoris adspersa est, vt ipsa quoque suauitas cunctis ostenderet, illuc auctorem suauitatis venisse. Hæc autem gesta sunt, ante dominici natalis diem, quo transacto mox Æmilianæ sorori suæ per visionem nocturnæ visionis apparuit dicens: Veni, vt quia natalem Dominicum sine te feci, sanctam Theophaniam iam tecum faciam: quam visionem mox molestia corporis secuta est, atque ita vt dictum fuerat, ante Dominicæ apparitionis diem eadem molestia ingrauescente defuncta est.*

S. Greg. ho. 38. in Euang. Dom. 20. post Trin. Æmilianæ 8a. mors ptidie Epiphaniæ.

CAPVT XXX.

Seculo octauo præcones sanctorum Regum Europæi & Sinenses Indi.

BEDA venerabilis ex traditione præter nomina pridem vulgata vestiũ ætatisque discrimen adnotauit, alibi verba sæpius sunt repetita: quæ licet multi negent esse Bedæ germana, complures probant. Alcuinus eodem seculo diei totius officium piè explicauit. Ad cuius discipuli Caroli vere Magni cultum sanctorum Regum festinat calamus: non debeo tamen eorum gloriam saxo Sinensi sub annum 782. inscriptã præterire: de quo fusè alibi: inter reliqua hæc ibi legebantur: *Tunc vna de diuinis personis SS. Trinitatis dicta Messias, restringendo tegendoque maiestatem suam, & se humanæ naturæ accommodando, homo factus est; quamobrem ad hoc gaudium annunciandum angelum ablegauit & de virgine in Iudæa natus est, stella magnæ huius felicitatis fuit annunciatrix, Reges eius claritate perspecta munera oblaturi venerunt, vt lex & prophetæ 24. Prophetarum adimplerentur.*

CAPVT XXXI.

Carolus Magnus seculo nono ipso die Epiphaniæ per Leonem tertium Pontificem maximum consecrat templum B. V. Mariæ Aquisgranense, quo die duo dicuntur Tungrenses Episcopi ad vitam revocati solennitati adstitisse; imperium ad Germanos; sedes eius ad metropolim Colonienſem, & ius coronand ad eiusdem Archiepiscopum translata.

POST Constantinum, Magnus item cultor sanctorum Regum fuit Carolus, (quem Theophanes cum alijs quibusdam vult Romæ die eodem anno 800. vel sequenti Augustum esse nominatum [1]) licet plerique factum id die natalis Domini verius opinentur.

Augustus nomen id die 6. Ian. seu Epiphaniæ accepit.

Obseruauit Orosius Octauianum Cæsarem quibusdam in rebus Christi typum, cum eodem die 6. Ianuarij triplici triumpho vrbem ingrederetur, nomen Augusti tum primum meruisse, & posteris Imperatoribus transmisisse. *Quippe victor ab oriente rediens*, ait, *octauo idus Ianuarij vrbem triplici triumpho ingressus, tum ipse Iani portas sopitis omnibus finitisque bellis ciuilibus, clausit, hoc die primum Augustus est consalutatus. Quod tamen cunctis antea inuiolatum, & huc vsque ceteris inausum dominis tantum orbis licitè vsurpatum apicem declarat imperij, atque ex eodem die summa rerum ac potestatum penes vnum cœpit esse & mansit, quod Græci monarchiam vocant. Porro autem hunc esse eundem diem, id est octauo idus Ianuarias, quem nos Epiphaniam, hoc est, apparitionem siue manifestationem Dominici sacramenti obseruamus, nemo credentium, siue etiam fidei contradicentium nescit.* & infra. *Hoc autem fideliter commemorare ideo par fuit, vt per omnia venturi Christi præparatum Cæsaris imperium comprobetur, nam cum primum Caio Cæsare auunculo suo interfecto ex Apollonia rediens vrbem ingrederetur, hora circiter tertia repente liquido ac puro sereno circulus ad speciem arcus cœlestis orbem solis ambijt, quasi vnum eum ac potentissimum in hoc mundo, solumque carissimum in orbe monstraret, cuius tempore venturus esset, qui ipsem solem solus munaumque totum fecisset & regeret.* Hæc Orosius. Sic Theophanes putat eodem die per Leonem 3. imperium ab oriente ad occidentem in Germanos Francosque translatum esse, quibus tunc Carolus, imo victis etiam Hispanis, Italiaque, toti iam ferè Europæ monarcha maximus, alter velut Constantinus & Augustus dominabatur: illud certissimum, quod Basilicam Aquensem immaculatæ virginis, quam infinitis sumtibus, allatis ex Italia pretiosissimis marmoribus, regia prorsus magnificentia construxerat, conditorium futurum corporis sui, voluerit ipsa Theophaniæ celebritate consecrari: Hæc autem quo festiuior esset solennitas, (quod Constantinum Magnum fecisse memorant) ingens Episcoporum concilium coëgit, optauitque (quod Leodienses annales tradunt) vt eorum numerus dies æquaret anni.

Ac primo quidem id sexto Ianuarij contigisse loci peruetusta traditio probat, ritusque varij ex eo tempore in hodiernum vsque diem eadem in Ecclesia frequentati: quos in Aquisgrano suo Beeck sic recenset. *Prisca traditione constanter adseueratur dedicationem augusti templi in triumMagorum festa faustaque luce accidisse: vnde forsan antiqua obseruatio etiam num virens ac vigens est; vt quotannis eiusdem dedicationis memoria Epiphaniæ Domini, in ara Deiparæ sacris operante presbytero, circumsistentes supplicemque precem fundentes eo anno se cum socijs in eadem naui confidant in æstibus maris, ac sæuientis tempestatis à naufragijs tutandos diuino fulti præsidio, quo multorum preces votaque secundat.* Testatur idem Nop-

typus fuit Christi.

Theophanes

eodem die Carolus M. cogit concilium Episcoporum.

consecratur basilica B. V. Aquensis. *Beeck in Aquisgrano c. 4.*

oratio fit in ea, pro felici nauigatione.

Noppius lib. 1. chrō. Aquisgr.

Noppius: *Nullum anno toto diem Epiphania celebriorem in Aquensi basilica, ad quam olim eo die è Britannia peregrini confluebant pro felici nauigatione obtinenda.*

Idēque confirmat literis suis is, qui in eadem Aquensiū basilica altare SS. trium Regū administrat. Epiphania, inquit, ex summis anni festiuitatibus Aquisgrani singulari pietate ab populi concursu celebratur, imo eo die si quis sūmo piè interfit sacro, eo anno ab omni quasi naufragio securus, tuto se nauigio committere potest: quod non vulgi persuasione, sed effectu singulari comprobatum est multa experientia: ita vt nautæ sæpius etiā hæretici, si in naufragij versentur periculo inquirant, vtrum talem in naui vehant: quo reperto fidenter, quasi à naufragij periculo securi nauigant: ad hanc deuotionem augendam & gratiam obtinendam omnibus proscriptis & vrbe interdictis clangore tubarum liber tunc aditus permittitur. Addit certa constare traditione populi, die Epiphaniæ basilicam fuisse consecratam. Confirmatque ex Francorum annalibus, qui memorant Carolum M. Remos vsque Leoni Papæ obuiam processisse, in villa Carisiaco natalitia celebrasse & Aquisgranum perduxisse: vbi dies octo quieuit Dei genetrici consecrata basilica. Constat etiam vsu, consuetudine & firmissima maiorum traditione, de indulgentijs, eo die datis qui superiorem Ecclesiam terdecies circumeunt ad honorem itineris totidem dierum SS. Regum & pro exaltatione Ecclesiæ Deum fuerint deprecati

Assentit in die Ballingen noster ad 6 Ianuarij: S. *Leo*, ait, *Papa eo nomine tertius anno Christi* 804. *cum magna solennitate Cardinalium Archiepiscoporum, Episcoporum præsente ipso Imperatore Carolo Magno plurimisque proceribus, consecrat templum Beatæ virgini Mariæ Aquisgrani, ab eodem Imperatore, magnis sumtibus ædificatum, multisque cumulat indulgentijs.* Quæ confirmat, qui tunc viuebat Sanctus Ludgerus Monasterienſis Episcopus his verbis. *Idem sanctus Leo Papa anno Dominicæ incarnationis octingentesimo quarto cū magna solennitate suorum Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum & Primatum ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem imperialiter cum suis susceptus, inter multa pietatis suæ opera, instantia eiusdem serenissimi Imperatoris & Regis Aquisgrani in palatio dedicauit Ecclesiam perpetuæ virginis Mariæ, donans eandem multis indulgentijs.* Exstant in ipsa basilica versus occidentem in vno sacellorum hæc de consecratione carmina.

S. Ludger. vide ad 1. Martij in vita S. Suiberti.

Ecce Leo Papa cuius benedictio sacra,
Templum sacrauit, quod Carolus ædificauit.

duo Episcopi diuinitus resuscitati interfuerunt dedicationi. Chapeauilla to 1. Epis.

De duobus Tungrensibus Episcopis rediuiuis scriptores eorum, & chronica sunt consulenda, è quibus hoc affirmat. Chapiauille in adnotationibus. *Consentiunt omnia nostratia chronica, quæ adserunt (S. Gondulphum ducis Lotharingiæ fuisse filium: sed illud mirabile est, quod eadem Chronica narrant: quod cum Carolus Magnus Christianissimus Imperator ad dedicationem suæ magnificentissimæ basilicæ Aquisgranensis tot adesse voluisset Episcopos, quot in anno dies, id est, 365. & duo deessent, Monulphus & Gondulphus è suis sepulcris seu latebris emersisse, & illic ingenti gaudio adfuisse. Peracta dedicatione à Leone summo Pontifice præsente accepta benedictione omnibus admirantibus recessisse, & sua mausolea repetijsse. Nostris chronicis adstipulatur Petrus Canisius in suo Martyrologio ex alijs sacris historijs*

Canisij martyrol.

Canisij martyrologium ad 16. Iulij idem hoc modo narrat: *Traiecti ad Mosa natalis, SS. Episcoporum & confessorum Monulphi & Gondulphi, de quibus legitur, quod à sepulcris surrexerint rediuiui, & vna cum Leone tertio Pontifice maximo Aquisgrani templum S. V. Mariæ dedicarunt: quo peracto munere, membra suis iterum in tumulis deposuerunt.*

Petrus à Beeck.

Petrus à Beeck in Aquisgrano suffragatur. *Acta sacratio an.* 804. *præsentibus quamplurimis metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, in frequentia Ducum, Marchionum, Comitum. Admiratione dignissimum, quod referunt plurimi Chronicarij, quod cum Christianissimus Imperator Carolus ad dedicationem huius magnificentissimæ basilicæ tot adesse voluisset Episcopos, quot in anni circulo sunt dies, hoc est trecenti sexaginta quinque, ac duo deessent, Monulphus & Gondulphus Tungrenses præsules, fato functi inhumatique in medio Ecclesiæ Traiectinæ ad Mosam D. Seruatio sacræ, è suis latebris imsererint, & hic ingenti gaudio adfuerint: consecratione*

tione rite peracta, acceptaque benedictione ab Apostolico cunctis stupore defixis recesserint, sua monumenta repetentes. Nec dissentit Ioannes Roberti: *S. Monulpho,* inquit, *anno* 609. *defuncto sufficitur S. Gondulphus: narrant annales nostri cum Carolus Magnus ad dedicationem basilicæ, quam Aquisgrani ædificarat, Episcopos* 365. *quot in anno dies sunt, adesse cuperet, deessentque ad eum numerum explendum tantaxat duo, emersisse è tumulo duos hos sanctos, Monulphum & Gundulphum, & optimi Imperatoris votum expleuisse: tum peracta consecratione accepta à Leone summo Pontifice, qui aderat, benedictione, ad quietis suæ locum redijsse.* Sed fides sit penes autores, cum multi refragentur, neque id meo periculo adsertum velim.

Ioannes Roberti in legia Catholica Episcopo 22.

Exstant in eadem basilica sanctis tribus Regibus aræ veteres duæ ædificatæ ab ipso forte Carolo, vt videatur Deiparæ à Regibus cum filio adoratæ basilicam construxisse, in grati animi significationem, quod triennio, vel quadriennio ante fuisset imperium in Germanos Francosque translatum: vt id Deipara suis iuberet suffragijs perennare. Hinc dici vix potest, licet ad mille putetur templa construxisse, quanta tamen cura solicitudineque suum hoc opus elaborarit: & accurarit, vt cultus diuinus semper ibi regia magnificentia perageretur: cuius testis est, eius scriba Eginardus in vita his verbis. *Miræ*, inquit, *pulcritudinis basilicam Aquisgrani exstruxit, auroque & argento, & luminaribus, atque ex ære solido cancellis & ianuis ornauit: ad cuius structuram cum columnas & marmora aliunde habere non posset, Roma atque Rauenna deuehenda curauit: Ecclesiam mane & vesperi, nocturnis, item horis, & sacrificij tempore, quando cum valetudo permiserat, impigrè frequentabat, curabatque: vt omnia, quæ in ea gerebantur, cum quam maxima gererentur honestate, ædituos creberrimè admonens, ne quid indecens, aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permitterent: sacrorum vasorum ex auro & argento vestimentorumque sacerdotalium tantam in eo copiam procurauit, vt in sacrificijs celebrandis, ne ianitoribus quidem qui vltimi Ecclesiastici ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuisset.* Voluit sane donarijs cum ipsis sanctis certare Regibus: vt quod viuenti Christo matriq; non potuit cũ ijsdem exhibere seruitij hoc in basilica tali, quomodo posset, præstaret obsequij. Voluit idem Carolus Deiparã deinceps Diuam imperij tutelarem & præsidẽ esse, hanc ab omnibus sedem regiam & domicilium Imperatorũ haberi: quem in finem Italos Germanos, Gallosque tam Ecclesiastica, quã seculari dignitate Principes ad eam festiuitatem Epiphaniæ euocauit: Vbi cum Leo tertius Romanus Pontifex, cũ Carolo suã de solio regni eo loci stabilien do mentẽ declarasset omnes præsentes in horũ sententiam libentes volentesq; concesserunt, vt ipse testatur in Pragmatica sua sanctione Carolus, cuius operæpretiũ est infragmentum attexere. Narrat imprimis, Cur Aquisgranum præ reliquis elegerit locis, & de magnificentia constructi sui templi subdit. *ibidem monasterium Sanctæ Mariæ matri Domini nostri Iesu Christi labore & sumtu quo potui ædificaui, lapidibus ex marmore, pretiosis adornaui: quod Deo adiuuante & cooperante sic formam suscepit, vt nullum sibi queat æquipararı. Itaque tam egregio opere huius eximiæ basilicæ non solum pro voto & desiderio meo: verum etiam ex diuina gratia ad vnguem peracto, pignora Apostolorum, Martyrum, Confessorum & Virginum à diuersis terris & regnis & præcipue Græcorum collegi: quæ huic sancto intuli loco: vt eorum suffragijs regnum firmetur, peccatorum indulgentia condonetur. Præterea à D. Leone Pontifice huius templi consecrationem & dedicationem impetraui, præ nimia deuotione, quam erga idem opus habui: & Sanctorum pignora, quæ inibi recondita meo studio & elaborata habentur: decebat enim vtidem templum, quod cunctis monasticis ædificijs in regno nostro forma & structura præesse videtur, in honorem S. Dei genitricis à nobis æquali studio fundatum, dignitate consecrationis præcelleret, sicut ipsa virgo super omnes choros Sanctorum præcellens exaltata est, & ideo Dominum Apostolicum, qui omnes præcellit Ecclesiasticos gradus, ad consecrandum & dedicandum idem templum ex sola cordis mei consideratione elegi, & accui. Acciui etiam cum eo Romanos Cardinales, Episcopos, quoque Italiæ, & Galliæ quamplures, simulq; Abbates cuiusque ordinis, clerum multum, qui huic dedicationi interessent. Acciti sunt etiam Romani Principes multi, præfectura & qualicunque dignitate promotis ad solenne: Duces, Marchiones Comites*

summa cura hoc præ omnibus templis ædificauit Carolus.

Diuam Virginem tutelarem patronam imperij voluit esse.

templum hoc augustissimũ reliquiis nobilissimis ditatũ ad tutelam regni.

à Leone Papa cur voluerit consecrare.

qui præsẽtes adstiterint.

Comites Principes regni nostri tam Italiæ, quam Saxoniæ, tam Bauariæ, quam Alemanniæ, & vtriusque Franciæ tam orientalis, quam occidentalis, in omnibus voto & desiderio meo obsequentes. Illic vero Domino Apostolico, & omnibus prædictis nobilibus personisque egregijs congregatis, merui ab omnibus obtinere præ nimia deuotione, quam erga ipsum locum & matrem Domini nostri Iesu Christi habebam, vt in templo eodem sedes regia locaretur, & locus regalis & caput Galliæ trans Alpes haberetur, ac in ipsa sede reges successores, & heredes regni initiarentur: & hic initiati, iure de hinc imperatoriam maiestatem Romæ sine vlla interdictione plenius. adsequerentur. confirmatum & sancitum hoc est à Domino Apostolico Leone Romano Pontifice, & à me Carolo Romano Imperatore Augusto primo huius templi auctore & loci: quatenus ratum & inconuulsum hoc statutum, & decretum nostrum maneat, & sic sedes regni trans Alpes habeatur, sitq; caput omnium ciuitatum & Prouinciarum Galliæ. Decreuimus etiam ex assensu & benevolentia omnium Principum Regni, qui hoc ad festum dedicationis conuenerant, vt locum & sedem regiam pro murali præsidio contra omnes turbines Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, omnes Principes Galliæ fideles regni tueantur, semper hunc locum venerantes & honorantes &c. Multa deinceps alia priuilegia confert loco, quibus succedit hæc ordinum vnanimis suffragatio. *Acquieuerunt vniuersi & Magni Imperatoris Caroli petitioni & voluntati: qui ad hoc solenne dedicationis ex diuersis regnis confluxerunt, ac bonum & acceptum coram Deo & hominibus Domini Apostolici & Imperatoris decretum adstruxerunt: & omnium graduum Episcoporum, Abbatum quoque bono corroborari & confirmari hanc imperatoris petitionem vniuersi magni ac parui acclamauerunt.*

in eo templo sedes imperii cõstituta, cõsentiente Pontifice.

omnibus præsentibus approbantibus.

Fridericus Barbarossa confirmat hanc sanctionem.

Hanc sanctionem roborat Fridericus Barbarossa an. 1166. intra octauam Epiphaniæ 8 Ianuarij, vocatque locum caput & sedem Teutonici regni his verbis: *venerabilem Clerum Aquensem cum ecclesia Sanctissimæ Dei genitricis Mariæ excellentissimo opere constructa & omnia prædia eius: nec non & ipsam ciuitatem Aquisgranum, quæ caput & sedes regni Teutonici est, sub nostram imperialem tutionem suscipimus, & omnem libertatem & iustitiam, quas sanctissimus Carolus, eiusque successores eis dederunt ipsis, confirmamus.* Factum id paucis post diebus, quam solenni fuit ritu, licet ab Antipapa Paschali, Sanctorum adscriptus Caroni Carolus Magnus. Ita dum Aquisgranum in Epiphania Domini sedes imperij, & vt Fridericus explicat, *caput & sedes regni Teutonici* constituitur. Germanis omnibus, Italis Gallisque suffragantibus: & dum sedis Apostolicæ concessu Carolique voluntate perpetuum hoc beneficium esse debeat, tum primum censeri potest imperium ad Germanos iure pepetuo deuolutum, eiusque iuris conseruandi præsidium Deiparæ, sanctisque Regibus traditum: id etiam Romani Pontifices confirmant nam: Innocentius quartus ait, *præsertim cum ad eos ius & potestas eiusmodi ab Apostolica sede peruenerit, quæ Romanum imperium in personam Magnifici Caroli à Græcis transtulit ad Germanos* & Clemens quintus, *vt sua submitterent reputarunt indignum, seque illi & eidem Ecclesiæ, quæ a Græcis transtulit imperium in Germanos, & à qua ad certos eorum Principes ius & potestas eligendi Regem in Imperatorem peruenit, adstringere vinculo iuramenti.*

Die Epiphaniæ Germanis ius imperii perpetuum decretum.

extra de elect. c. venerabile

34. Clemens de iure iuran. do c. 1.

Crediderim etiam Carolum tunc, cum ibi sedem fixisset Imperatoriam iterum voluisse manibus S. Leonis diadema recipere (vt Fridericum primum, & alios sæpius legimus à Pontificibus coronatos) & inde profluxerit Theophanis, Beierlinck & quorundam aliorum sententia: qui die Epiphaniæ faciunt Carolum à Leone coronatum: & Augustum nuncupatum: sed non Romæ: cum constet autoribus firmioribus in Natali dominico id contigisse: sed Aquisgrani.

Carolus videtur iterum die Epiphaniæ coronatus.

Celeberrima hæc fuit dedicatio

Ex his colligo: vix vllam ecclesiæ cuiusdam consecrationem insigniorem hac ipsa, & die quidem Epiphaniæ pro reuerentia sanctorum Regum contigisse: dedicabat eam Pontifex maximus sanctitate præcipuus: aderant rediuiui sanctiduo Præsules Traiectenses, vt multi volunt, & præter Imperatorem Italiæ, Galliæ, Germaniæ totiusque Europæ ecclesiarum præcipuarum Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, numero vt creditur 365. Principes regionum istarum omnium, belli duces: vt verbo dicam, orbis capita præcipua tam Ecclesiastica, quam secularia, quorum

quorum omnium consensione à S. Leone & Carolo eodem die Germanis iure perpetuo fuit imperium (coronato tunc forsan iterum Carolo) stabilitum. Ac licet per centum annos Carolina stirps successerit in imperio; ea tamen extincta, Germaniæ Principes ius subrogandi sibi Cæsaris electione libera resumserunt, à Gregorio 5. confirmatum, & ad septem Electores translatum. Ita iam tum sancti Reges Germaniæ deferebant imperium, cui corporum suorum custodiam sciebant diuinitus esse reseruatam, tutores & patroni futuri, cuius autores esse videbantur. Et Carolus Magnus festum hoc SS Regum videtur præcipuè delegisse, ad eam translationem imperij per Pontificem suffragantibus Europæ Episcopis & Principibus roborandam, pro sua in Deiparam ea die à Regibus adoratam, & muneribus regijs donatam, & in ipsos SS. Reges affectu, sensuque pietatis: horum vt insistens vestigijs cultum diuinum & Deiparæ spreta maiestate Cæsarea propagaret: fidem orthodoxam cum ijsdem conuersis Gentilium Regibus dilataret: virtutum heroicarum, quibus die Epiphaniæ coruscarunt, studiosus & sedulus imitator: ideo vult P. Melchior eundem eo præcipue die solitum res maximas auspicari. *Si demum*, ait, *Carolus magnus, vt ex eius annalibus excerpsit Alexander Geraldinus mille per Europam templa fundauit, in tanta sane copia fieri non potuit, quin sua tribus Magis templa essent, præcipua tantorum Principum religione spectata, quos in conuertendis Gentibus illorum regebant auspicia: ac præsertim Caroli pietas eiusmodi voto studuerit oportet, qui festum diem Regum, semper in Imperio maximè solennem, habuit, eodemq; die maxima quæque pro Ecclesia Dei gerenda feliciter suscepit.*

cur adeam delectus dies Epiphaniæ.

Alex. Geraldinus Inuner. sub equin. & in Epist. ad carol Regem.

Sane longè ante Caroli ætatem statuas & picturas Sanctorum magorum Regum in ecclesijs & aris passim vsitatas fuisse, licet templa Diuis alijs essent consecrata, testatur perantiqua eorum imago prodigio quodam hoc seculo A. 823. illustrata. Quod Annales Francorum Fuldenses hac ratione narrant contigisse.

In Territorio Cometensi Italicæ ciuitatis, in vico Gradabona, in ecclesia S. *Ioannis Baptistæ, imago S. Mariæ puerum Iesum gremio continentis ac Magorum munera offerentium in absida eiusdem ecclesiæ depicta, & ob nimiam vetustatem obscurata tanta claritate per duorum dierum spatia effulsit, vt splendorem nouæ picturæ suæ venustatis pulchritudine cernentibus penitus vincere videretur; Magorum tamen imagines præter munera, quæ offerebant minime claritas illa irradiauit.* Voluit Deus tunc hominibus declarare, quantum maiestas Christi Deique genitricis, non tantum omne terrenum culmen & fastigium Regum & Augustorum in hac vita degentium superaret; vt coram eo splendore viles & abiecti Cæsares & Reges viderentur: sed & quantum beatorum in cælo cum Christo regnantium gloriam ea claritate præcellerent; vt omnium simul collecta pulcritudo, non possit quidem Deiparæ filioque comparari: ideo videtur etiam S. Carolus diem Deiparæ in terris glorioßimum ad ipsam honorandam delegisse, festum inquam Epiphaniæ: in quo Reges ipsi positis coronis ad eius abiecti pedes velut mancipia, vel seruos huic se Reginæ cæli terræque libenter subiecerunt: & hoc nimirum verè regnare iudicarunt, huic orbis Dominæ, filioque deseruire, quo sic facilius omnes omnino subiecti populi in clientelam talis Reginæ concederent, cui scirent & Reges ipsos famulari.

In pictura vetustißima Mariæ cum puerulo lucet, non vero tres Reges, causa.

dies Epiphaniæ glorioßißimus est Deiparæ.

Erat hoc tempore Colonienßis Archiepiscopus Hildeboldus sanctitate illustris, Carolo Magno à libellis, confessionibus, & sacris functionibus alijs, cuius impulsu consilioque fidem in Saxonia maximè propagauit, & ad canonum præscriptum imperium piè temperabat, ac ecclesiarum antistites ad muneris sui functiones rite obeundas inflammabat: idem Hildeboldus Leonem tertium exceperat honorifice, ad Carolum deduxerat, reduxerat Romam incolumem: eiusque percussores sacrilegij conuictos relegarat in Germaniam, innocentiâ Leonis in concilio Romano vindicata: merebatur ideo rogatu Caroli, consentiente Leone, probante Cardinalium, Episcoporum procerumque Italiæ, Franciæ & Germaniæ concilio duplici prærogatiua dignitatis ornari; prima iure inungendi & prima corona cingendi in Alemannia Regem electum Romanorũ: 2. eo fungendi munere intra suam prouinciã: vti Romanus Pontifex Romæ sibi reseruauit ius augustalibus insignibus Imperatorẽ decorandi: quamuis iustis de causis alibi fecerit interdum. Natum est ex hac dignitate Colonienßis Archiepiscopi cum Pontifice Romano vinculum quoddam necessitudinis, & reciproca obligatio sistendi Papæ defensorem idoneum Ecclesiæ, quem coronet: Sic enim

origo iuris Archiepiscopi Colonientis coronandi Reges Romanorum.

Anastasius in Leone 3.

Innocent. 3. ep ad Adolphum Col Arch.

nim ad Colonienſem Archiepiſcopum Adolphum ſcribit Innocentius tertius. *Ex vno eodemque negotio* (coronationis) *te nobis & nos tibi credimus obligatos, cum Apoſtolica Sedes illum Imperatorem debeat coronare, qui rite fuerit* (à Colonienſi) *coronatus in Regem. Tu ergo cum alijs taliter te accingas, vt Regem ipſum nobis, vt decet, opportuno tempore repræſentes, quod præmiſſis ijs, quæ ſolent & debent præmitti, nos eum in Romanorum Imperatorem autore Domino coronemus.* & alibi. *Non enim nos perſonam* (Ottonis 4.) *elegimus, ſed electo ab corum parte maiori, qui vocē habere in Imperatoris electione noſcuntur: & vbi debuit* (Aquisgrani) *& à quo debuit* (Colonienſi) *coronato fauorem præſtitimus, & præſtamus, cum Apoſtolica ſedes illum in Imperatorem debeat coronare, qui rite coronatus fuerit in Regem.* Functus eſt etiam Hildeboldus hoc ſuo munere, quando Ludouicum Pium eiuſq; filium Lotharium Aquiſgrani Reges oleo dilibutos diademate redimiuit, & ius ſucceſſoribus conſignauit ab ijs acerrimè ſeculis omnibus ſequentibus propugnatum.

Idem ep. 55. ad Praeneſtinum

CAPVT XXXII.

Seculo nono Rex Angliæ Edmundus mirein SS. tres Reges pius cœleſti viſione monitus theſauros reperit.

AVCTOR hiſtoriæ quā narraturus ſum, Petrus Paludanus Ordinis Prædicatorij Doct. Theologiæ, & Patriarcha *Hieroſolymitanus* eſt in theſauri noui editione Nurrembergenſi anni 1487. quam refert ſer. primo de Epiphania ſub finē: cuius ego fide periculoq; narro: fateor enim licet multum laborarim præter hunc auctorem reperi neminem eo vetuſtiorem illius teſtem.

offert Edmundus quotannis SS. Regibus tres marcas auri. vaſtato regno.

Hic vult S. Edmundum Patri defunctuo ſucceſſiſſe, & Regni Anglicani corona redimitum eſſe ipſa Epiphaniæ ſolennitate; qua die eadem pro ſua in SS. tres Reges pietate tres auri marcas ad aram obtulit: votumque nuncupauit: totidem ſe marcas auri quotannis anniuerſario die ſanctorum Regum, quo ad viueret oblaturum, tribus, alijs adiectis poſtremæ largitioni: ita vertente iam anno voti damnatus ſex; ſequenti vero nouem ſanctis Regibus conſecrauit: Iam annum regni vigeſimum quartum attigerat quo ſeptuaginta duas marcas erat ex voto Rex oblaturus: ſed is erat calamitoſiſſimus: nam Nornannorū & Danorum exercitus rapinis, incendijs, & vaſtationibus regnū expilarat, vt aurem omni bellicis apparatibus conſumpto, vix in theſauris regijs quidquam reliqui fecerit: inſtabat Sanctorum trium Regum ſolennitas: Edmundus imperat Oeconomo Septuaginta duas auri marcas, in voti ſolutionem: qui præter triginta reliquas, cum exinanitos omnes theſauros oſtenderet, Regem ſolicitum, & anxium reliquit, ita quidem vt ſomnum ei diſcuſſerit animi mœror; noctem enim, quæ

non eſt ſoluendo voto.

præcurrit vigiliam Epiphaniæ precibus peruigil exegit, Deum & ſanctos tres Reges obteſtatus, vt in ea neceſſitate, quam invitus patiebatur, ſuccurrerent: nec eum in Superos iacta fefellit ſpes: dum enim ſurſum turba toſimilis leuat oculos, ecce ſtellam inuſitati fulgoris facello regiæ miratur incubare: quam dum attonitus contemplatur, & recolit aſtrum, quod illuxerat tribus ſanctis Regibus, videt repente cœlum hiatu quodam aperiri telumq; de ſtella fortiter excuſſum magno cum ſtridore tectum facelli penetrare, & in petram aræ proximam illidi, Rex videndi cupidus, facellum ingreditur, leuat de terra telum, quod aureis obſeruat literis hanc epigraphen præferre. *Tolle, fode, poſſide hic & in æternum.* Magis Rex quid ea ſibi viſa lectaq; vellent demiratus, virum quendā ſanctitatis fama celebrē conſulit de prodigio, qui verba ſic eſt non ſine afflatu diuino interpretatus. *Tolle lapidē, fode terrā, poſſide hic theſauros temporales & in æternū ſpirituales*: paruit monitis & erutis de terra theſauris maximis, non tantū ſe poſtridie voti religione liberauit; ſed etiam de hoſtibus triumphauit.

ſtella apparet.

& telum literatum.

theſaurum abditum indicat.

Hanc hiſtoriam in nullo ſcriptore Anglicano reperi: videtur tamen, ſi vera eſt, ei S. Edmundo Regi, Martyrique conuenire, cuius 20. Nouembris feſtum agitur, & qui Anno 870. pro fide laureolam obtinuit: fauet quod is circa Natalitia Domini Rex electus dicatur & forte in Epiphania coronatus, vel ſi conſecratus etiam & coronatus fuit ipſo Natali Domini; Cæſarum Orientalium more (vt de Valente dixi) pro ſuo in ſanctos tres Reges affectu terna voluit quotanis Dei dona corona redimitus dedicare: & ſicut Clemens octauus ætate patrum dicitur quot annis Eccleſiæ præſederat, totidem pauperes quotidie ſuſtentaſſe, ſic ipſe initio regni in Epiphania donatiuum eccleſiæ conſecratum augere voluiſſe. Certe, quis huius ſancti Regis Edmundi deceſſor, & regni ſucceſſor fuerit, non liquet: ac licet Anno 870. vi-

conciliatur hiſtoria cum geſtis Anglicanis.

tam putetur finijſſe: quando natus & creatus Rex fuerit non ſatis conſtat: nam quod quidam volunt Anno 855. regnare cœpiſſe: alij tunc malunt eum iam regnaſſe: nec initium regni putant liquere: itaque ſi ei 25. vel 26. anni tribuantur: non eſt, quod catalogus Regum perturbetur, qui perijt circa ea tempora: ſolum enim hunc Edmundum miracula in morte & poſt eam patrata nobilitarunt: fuerit igitur Anno 240. regni victor de hoſtibus: ſequenti potuit anno ab ijſdem martyr trucidari: interim rem totam arbitrio lectoris relinquo, & Paludani fide, periculoque narratam volo.

CAPVT XXXIII.

Prodigioſa ſancti Ioannis Baptiſtæ manus, qua Chriſtum die Epiphaniæ baptizauit ſeculo decimo maximo triumpho eodem die Conſtantinopolim defertur.

DROPHETICAM S. Ioannis dexteram veteres nominarunt: quod de futura ſiue fertilitate ſiue ſterilitate quotannis pronunciaret: nam imminente fructuum & frugum vbertate, digitos explicare: contra quoties inſtabat annonæ caritas eoſdem contrahere videbatur: ideo factum eſt, cum Antiochiæ ſeruaretur: quam ſeculis aliquot Saraceni dominatu preſſerant: vt Conſtantinopolitani Imperatores, omnibus machinis & molitionibus eam nanciſcendi venarentur opportunitatem: quæ vix tandem Anno 956. opera Diaconi cuiuſdam ipſo S. Epiphaniæ feſto venit in eorum poteſtatem eo maiori lætitia; quod cum Chriſti baptiſmum recolerent, ipſa baptizantis S. Ioannis dextera Conſtantinopolitanis obtigiſſet. Vt hinc ea firmetur opinio, Chriſtum Græcorum recepta opinione, eadem die à Regibus adoratum & à S Ioanne poſt 30. annorum curriculum Iordanis aquis baptizatum. Sed rem ipſam ex Menæis Græcorum placet repetere. *Poſtridie Theophaniorum celebramus, ſynaxin ſanctiſſimi & prodromi Baptiſtæ, quam ex priſca conſuetudine ſeruamus, alijs illiſeſtis diebus adiunctam, ne quid de miraculis ipſius taciti prætereamus: concurrit autem & venerandæ illius manus ad regiam vrbem tranſlatio, quæ hoc facta eſt modo. Sebaſte vbi præcurſoris corpus humatum dicitur, Lucas Euangeliſta dexteram ex Prophetæ corpore manum detraxit, ſecumque Antiochiam deportauit, vbi plurima deſignauit miracula. Inter quæ Draco erat in finibus illis latitans, quem Ciues Deum arbitrati, anniuerſario ſacro homine per Græcanicam ſortem delecto colebant. Accidit dein progreſſu temporis, vti Chriſtianum ſors attingeret, qui Draconi filiam ſuam victimam obijceret: Draco quippe è ſpelæo ſuo perreptans, vt inexſpectatum ſubito portentum parebat, atque immane hians victimam hauriebat, dentibuſque horrendum in modum diſcerpebat. Quapropter virgunculæ parens Deum, diuumque Ioannem multis lacrymis deprecatus filiam vti ſuam à tam atroci & infami letho eriperet, huiuſmodi artificium comminiſcitur. Impetrat poteſtatem colendæ S. Ioannis præcurſoris manus, quam dum exoſculatur, clam dentibus pollicē morſu auellit, deſideratoq; pignore potitus, templo egreditur: dieq; ſacrificio deſtinato, populo frequentiſſimo filiam pater apportat, proximusq; iam Draconi, poſtquam illum aperto rictu vidit hiantem hoſtiamque anhelantem, ſacrum illum digitum in medias hiantis fauces conijcit, quo ille bolo repente exanimatus concidit, Pater q; filiam necato Dracone viuam retulit, & ingens miraculum atq;; genus liberationis admirandum publicè prædicauit. Populus inuſitati facti portento attonitus, perſolutis Deo, & Dei prodromo gratijs, magnificentiſſimam ædem ſuis ſumtibus exædificauit.*

Dicitur Epiſcopus die ſacra S. cruci exaltatæ venerandam hanc manum ſpectante populo ſublimē tollere, eamq; dum tollitur, ſubinde explicari, ſubinde per ſe contrahi: atq; per explicatā quidem manum frugū vbertatem portendi, contractione vero annonæ caritatem denunciari. Quapropter multum Imperatoribus in votis erat, ſi qua ratione per tranſlationem fieri poſſet, vt illa manu potirentur, præſertim Conſtantino & Romano Porphyrogenitis, vnde & his imperitantibus, ab Antiocheno quodam Diacono qui Iobus audiebat, ad horam illam veſpertinam, qua Chriſtiani veteres promore diem luminum celebrantes, ſanctificationis myſterium peragebant, ſacra Præcurſoris dextera ſubducta, & tranſlata Conſtantinopolim eſt, quam Imperator religioſiſſimus pietatis cultor magno deſiderio exoſculatus, in regia depoſuit.

Propheti-ca manus S. Ioannis Baptiſtæ.

Raderi vir. darium 24 ſeptembris. & 7. Ian.

S. Lucas manum detulit Antiochiam.

digitus S. Ioannis necat draconem.

explicata manus fertilitatem contracta ſterilitatem indicat.

Copioſius ea perſequitur Metaphraſtes in ijs quæ ſunt apud Suriū ad 29. Auguſti: ſolum ex eo deſcribam tranſlationem; & ea quæ circa feſtum Theophaniæ pie com-

Diaconus nomine Iob insidiatur manui.

mentatur. *Vir quidam*, ait, *qui erat relatus in sorte diaconorum Antiochiæ ciuitatis, Iob nomine, supernè inspiratus, & diuino zelo repletus, apud se cogitabat, possetne Præcursoris suffuratus dexteram, eam donum desideratum, largiri Christianis atque adeo ad talem processit experientiam. Pulcrum templum & excelsum sub nomine Petri Apostolorum principis positum est in ea ciuitate. In huius vestibulo cum suamis fecisset habitationem, cum sacrorum quæ illic erant vasorū custode inijt amicitiam, vt ea de causa tentaret cum ipso tota nocte venerandæ manus adsidere loculo. Postquam autem petitioni non annuit is, cui credita fuerat custodia, inopinatum quid cogitans ad aliam transit machinationem. Cum sumtuosa & lauta mensa cum exhilarasset, & amicè eum ad bibendum inuitando ad profundum & morti similem somnum deduxisset, & per quandam fenestram intempesta nocte se in templum demisisset, sensim & sine strepitu sacro aperto loculo, accipit pretiosam, quam desiderabat dexteram, & summo silentio reuersus diligenter quidem apud se seruat, quod furatus fuerat, ne cognosceretur ab aliquo barbarorum. Hinc egreditur Antiochia & iter inijt magno metu affectus, ne res fieret manifesta inimicis ad exsequendum propositum multis sæpe vtens precibus. Locum autem loco & ciuitatem ciuitate commutans, festinabat. Cumque letiferas illas vias sic peruasisset, peruenit ad fines Romanos, magnum quidem illum metum excutiens, audacius autem & confidentius festinans ad regiam ciuitatem. Postquam vero fidelis Imperator eius resciuit aduentum, & re admirabili fuit obstupefactus, Christo quidem non poterat agere gratias pro dignitate, vt quem inesperatum impediret gaudium, eos autem, qui hoc sanctum cum hymnis, lampadibus, & vnguentis essent suscepturi, & ad ipsum allaturi, emisit: vt sicut ipse vox clamantis in deserto, parare vias Domini, & semitas rectas facere iussus est, ita etiam ipsi Christianam ingredienti ciuitatem, & à qua eius gratia non longè aberat, pararentur honesti & decori ingressus. Cum ergo appropinquaret Chalcedonem, nauis quidem emissa est Imperatoria, & Pontifex cum sacerdotibus, & quicunque ex senatu erant, clari & illustres simul, vt sacrum illum thesaurum inferrent in regiam, cum quibus quoque multitudo vrbe egressa mari, ei nauigarunt obuiam, vt eum deducerent. Postquam autem fuit susceptus, in manus Pontificis & eius ferebatur vnis, & in mare adscendit, licebat videre ipsam quoque aquæ naturam placidam, & tranquillam mollibus fluctibus, ante nauem exsilientem, & ad Imperatoris eius cursum dirigentem. Porro autem aliquid accidit alijs magis admirabile, & dignum manu veneranda Præcursoris. Aderat enim dies festus sanctorum luminum, in quo vera illa lux Iordanis fluenta complectens humanæ naturæ contritionem reformauit. Et quoniam præcedente die ieiunio præpurgamur, accidit, vt ipsa hora vespertina, in qua mos est Christianis peragere sanctificationem, diuina manus aduenerit; quam cum Christi amantissimus Imperator tanquam cæleste donum, & ab interitu alienum suscepisset, & amplexus esset, desiderijsque & fidei lacrymas effudisset, reponit in medio templorum regalium, adeo, vt omnes crederent, ipsum adesse Baptistam, etsi sub adspectū non caderet, & propositas aquas sua sanctificare dextra. Hinc canebatur hymnodiæ spiritus, illata lumina templū illuminabant, omnium oculi ad sacram capsam erant aperti, & adspectu esuriebant sanctificationē.*

rapit eam inebriato & sopito custode.

vigiliam cum ieiunio celebrat.

die Epiphaniæ vsus multorum luminum.

Sicquidem cum festum sanctorum Theophaniorum, & sic etiam sequens, in quo sacri Præcursoris memoria est, altius nobis tradita, quippe qui diuini baptismatis mysterio inseruierit, peregissemus, & celebrassemus, iudicauimus par esse manus quoque honorare depositionem festis annuis: hac quoque commemorata alijs festis eius, vt rebus illius, nihil sit non glorioſum & admirabile. Et nunc ecce adest hoc festum clarum & insigne post circularem anni ambitum, distillans nobis imbres miraculorum, & ea deferens, quæ sunt futura animis nostris conducibilia. Est ergo nobis proposita omni ex parte glorioſa & veneranda manus Baptistæ, & Præcursoris, incorporeis circumdata virtutibus, quæ admirantur S. Spiritus virtutē, quæ in ea habitat. Quodnam ergo est hoc templum hodie pulchrius, quænam ædes diuina venerabilior & magnificentior hac? in qua hic sacer & diuinus thesaurus repositus, innumerabilium luminū splendore cum cælestibus contendit spectaculis? sub quibus quæ supernè descendunt gratiæ S. Spiritus dispensantur pro modo vnius cuiusque fidei eorum, qui laudant & celebrant animabus in Christo Iesu Domino nostro

Ciuitas occurrit reliquijs.

Cucopalates A. 956.

Breuissimè Cucopalates ita refert idem. *Adducta est eodem tempore ex Antiochia vr-*

postridie eius celebratur translatio manus.

in vrbem regiam veneranda præcursoris manus, à quodam Diacono Iob nomine furto rapta: quæ cum ad Chalcedonem peruenisset, Imperator missa regia triremi, & senatorij ordinis Principibus, egresso quoque obuiam Patriarcha Polyeucto toto comitante Clero cum facibus & lampadibus & thure in Regiam eam perduxit.

Hæc satis declarant celebre fuisse eo seculo sacrum Theophaniæ festum, præmissa vigilia, quam illi (contra quam Latini faciunt) etiam cum in edia transigebant: celebris & aquæ Baptismalis consecratio: & luminum accensorum ritus: quamuis potius à Christi Baptismo, quam Magorum adoratione solennitatem ducerent.

CAPVT XXXIV.

Litem difficilem inter S. Bernuardum Episcopum Hildesiensem & VVillegisum Archiepiscopum Moguntinensem seculo decimo exeunte inchoatam, feliciter sanctus Henricus Imperator A.1007, die Epiphaniæ componit.

POST Constantinum, & Carolum Magnos & sanctos Cæsares, magnos item sanctorum Regum cultores, S. Henricus doctrina, sanctitate & fortitudine non inferior: castitatis aureola superior, nec eo in fastigio socium nactus, eorundem videtur cultui mirifice fuisse deditus: quorum solennitate mira dexteritate, prudentiaque, quam Otto tertius Imperator, Siluester Pontifex Maximus, Italica & Germanica concilia per se, vel legatos frustra tentarant, felicissimè controuersiam composuit, & animum Willegisi implacabilem ita S. Bernuardo conciliauit, vt exinde nexu maximo familiaritatis coniungerentur: res ita contigit.

origo Gandesemensis parthenonis.

Ludolphus Saxoniæ Dux, cum Oda consorte parthenonem Gandesemensem Anno salutis 852. construxerant, & eius curam Altfrido sexto Hildesiensium Præsuli, velut loci Diœceti commiserant: à quo & successoribus eiusdem Ecclesiæ Episcopis tam basilica consecrata, quam velatæ deinceps per ducentos & annos quadraginta virgines, nemine litem eis vnquam intendente. Sed cum Sophia Ottonis secundi Cæsaris filia velum Gandesemensis parthenonis flagitaret: & fastu quodam regio detrectaret id ab Osdago tunc Episcopo Hildesiensi recipere, qui pallio careret, ideoque Willegisum Archiepiscopum Moguntinum ambitiosè ad velum dandum inuitaret. Osdagus loci diœcesanus, ne quid in canones peccaretur, aduolauit, monuitque officii Willegisum, non licere inuito loci Diœcete Pontificalia solenni ceremonia peragere: sed cum nihil proficeret, nihil ipse Ottonis tertij præsentis, nec Theophaniæ Augustæ multorumque adstantium Episcoporum veritus præsentiam, cathedram suam aræ principi admouit, probantibus alijs Pontificibus Osdagi factum, eique adsistentibus. Itaque desertus iam Willegisus à multitudine cum instaret Imperator & Augusta, vt non nisi ad aram primariam Sophia velaretur, vix tandem conuentum est, vt vtriusque manu velum Sophiæ: reliquis virginibus ab Hildesiensi solo Præsule imponeretur. Nec deinceps Osdago & Gerdago, sed nec annis primis Bernuardo mota lis fuit, cum A.993. Gerdago successisset. Sed cum S. Bernuardus vigilantissimus gregi sibi commissi pastor, viseret loca diœcesis & parthenones ad vigorem monasticæ vitæ reuocaret, Sophiam regijs delicijs innutritam passus est aduersariam, quæ annum quandoque vel biennium ad palatium discedebat patrono & defensore Willegiso, laxato monasticæ disciplinæ rigore, qua de causa cum officij sui commoneretur, negauit se Episcopo Hildesiensi subiacere: velatam se à Moguntino, cui & arrogandi sibi iuris istius parthenonis auctor fuit, tantumque perfecit apud hunc, & socias sanctimoniales; vt cum Ecclesia recens constructa consecranda esset, electo per summum dedecus Bernuardo, id officij Willegiso deferrent: Ne tamen ex voto succederet, per legatum fortiter Bernuardus eidem obnunciauit, & ad sedem Apostolicam appellauit, profectus etiam Romam à Siluestro Pontifice, Cæsareque Ottone perhonorificè susceptus est: aderat Ottoni tunc S. Henricus Dux Bauariæ, qui post paulo suffragijs omnium electus est Imperator: is Siluestro & Ottoni de synodo Romæ cogenda fuit auctor. Interea Romam perfertur Willegisum Gandeshemij coactâ in diœcesi Hildesiensi contra canones synodo, &

femina dissensionis inter Moguntinum Archiepiscopum & Hildesiensem Episcopum.

S. Bernuardus reformat monasteria.

aduersatur ei Sophia monialis.

cui patrocinatur Willegisus Moguntinus.

S. Bernuardus appellat ad Papam. Cogitur Romana synodus acta Willegisi rescinduntur Legatus Apostolicus violatur.

hequaquam obnitentibus Hildesiensibus, locum suæ diœcesi violentur arrogasse, qua re cognita Siluester Romana in synodo Willegisi acta rescidit & Bernuardo solenni ritu contulit ius omne cœnobij Gandesemensis, ac Fridericum legatum alatere in Germaniam ablegauit, qui concilio Palathi conuocato, mandaret Willegiso, ne deinceps iura monasterij attentaret. sed eius aduentum, autoritatem & mandata spreuit Willegisus, synodo violenter turbata, Bernuardo etiam cum pro muneris ratione monasterium inspiceret, cum suis exturbato. Res ad synodum Francofurtensem delata est, præsidibus tribus Imperij Electoribus Treuirensi, Coloniensi, Moguntino, & alijs Germaniæ Præsulibus nullo successu: missus iterum ad Pontificem & Cæsarem legatus à Bernuardo: cogitur iterum concilium, nec prosici in ea causa quidquam potest. Ottoni vero paulo post decedenti S. Henricus subrogatus est, qui demum A. 1007. cum sub natalem Domini Palathi cum Imperij Proceribus, & Episcopis moraretur, auctoritate sua litem tot annis Romæ, & in Germania varijs in concilijs irrito conatu tentatam & ventilatam, ipsa Epiphaniæ tam vigilia quam festiuitate composuit, & animos exulceratos cum offendiculo totius Ecclesiæ, conciliauit. quare cum Imperatoria libertate grauiter pro delicti magnitudine Willegisi inimicitias implacabiles publice perstrinxisset, & is ea maiestate dicentis pacifici Cæsaris fulminatus, de perunacia mentis subito deiectus esset, totamque rem arbitrio Cæsareo reliquisset, sic decidit, vt ius omne monasterii Gandesemensis intactum & inuiolatum perpetuo Præsulibus Hildesientibus permaneret: & Bernuardus in vigilia Epiphaniæ dedicaret Ecclesiam: ipsa vero festiuitate solenni ritu virginibus velum impertiretur: rem ipsam circa pacis compositionem gestam ab oculato reor teste conscripsam ex vita S. Bernuardi placet attexere.

Tangmarus in vita S. Bernuardi.

Anno autem incarnationis Domini nostri Iesu Christi 1007. *Rex venerandus Henricus, totius Romani Imperij potentissimus Palathi natale Domini cum maxima gloria celebrauit. Quocunque verò sapientissimus Imperator ora sui sanctissimi vultus circumtulit, si quos forte dissidentes reperit, aut statim reconciliabat, vel si quidquam obstabat, vt id non posset efficere, nunquam mente feriabat, donec violatum caritatem reformabat. Quod etiam tunc in festo singularis Natiuitatis facere prudenter instituit: nam vetus odium, quod Archiepiscopus Willegisus ad Hildesiensem Episcopum S. videlicet Bernuardum leuibus de causis conceptum sæuis irarum stimulis irremediabiliter sub mente nutriebat, sæpius delinire cupiens, animositate illius destitit. Veruntamen coram multis Episcopis, alijsque principibus, qui ad Palatium affluxerant, conueniens Archiepiscopum, tanta auctoritate pertinaciam animi illius digna inuectione confregit, vt se totamque controuersiam illius iudicio vel fratrum votis offerret. Deinde sapientissimus Rex sæpius interceptam Gandesemensis ecclesiæ dedicationem in vigilia Epiphaniæ Domini indixit, quæ tunc prima feria resurrectionis Christi accidit, relationem etiam ancillarum Dei in ipsa Epiphaniarum sacra die. Venerabilis igitur Bernuardus Episcopus Willegisum Archiepiscopum, & ceteros fratres in auxilium sui ad prædictæ ecclesiæ consecrationem inuitauit: Nec mora adest sacra solennitas, consecrationis mysteria ex præcepto B. Bernuardi Episcopi diriguntur, fiunt omnia fraterna caritate, ita vt Archiepiscopus in adspersione primum locum obtineret, & cum ipso B. Bernuardus Episcopus. In Ecclesia verò ipse cuius parochia erat, mysteria consecrationis fratribus dispensabat, primum namque gradum ille obtinebat. Expletis itaque gratia Dei omnibus fraterna caritate, Rex cum Archiepiscopo & ceteris ad populum progressus, sic locutus est. Diuturnam peccatis agentibus controuersiam carissimi hodie deponere & terminare dignum duximus. Agnosco enim & scio hanc Ecclesiam & adiacentes villas Hildesiensibus Episcopis semper pertinere, & ab illis absque contradictione possessam esse. Ad hæc verba Imperatoris Willegisus Archiepiscopus tandem Dei misericordia in se rediens, & quidquid proprio reatu, vel aliorum instinctu in Deum, & sanctam eius genitricem exercuisset, videlicet iniusta inuasione Parochiæ Gandesem, ad titulum Hildesiensis ecclesiæ pertinentis publicè confitens, iuri & repetitioni eiusdem loci abrenunciauit, & in testimonium huius abrenunciationis ferulam Episcopalem B. Bernuardo tradidit, dicens Frater carissime, & Coëpiscope, abrenuncio iuri huius ecclesiæ, & hanc Pastoralem ferulam quam manu gesto, tibi sub testi-*

Pacificus S. Henricus.

inuehitur in Willegisum.

S. Bernuardus socium sibi adsciscit Willegisum in dedicatione.

Imperator diœcesi Hi restituit ius ablatũ.

testimonio Christi, & Domini nostri Regis, & Fratrum nostrorum trado in testimonium, vt hoc neque ego, neque vllus successor meus, aliquam interpellationem, vel repetitionem de hac possit habere. Sicque officium missæ ab Archiepiscopo consensu B. Bernuardi solenniter peractum est. Sequenti autem die Epiphaniæ Domini velatio Virginum solenni celebratione præsente Rege, omnibus Episcopis, à Bernuardo venerabili Episcopo facta est: sicque gratia Dei rebus in pace & caritate sapientia mitissimi Principis compositis discessum est: Hactenus Tangmarus. Videas ex his, etiã tum moribus receptũ: vt vigilia Epiphaniæ & non cedere dominicæ: Multum prouidit sapientissimus Imperator, multa animo secum versauit quomodo radicitus odium inueteratum Willegisi Præsulis alias sancti exstirparet & offendiculum toti Germanicæ, & Italicæ datum, opportuno sanaret & efficaci remedio: locum eam in rem delegit eundem, in quo Willegisus auctoritatem sedis Apostolicæ, legatique eius in synodo Palathensi violarat: tempus selegit natalis Dominici, quo pacem Angeli bonæ voluntatis mortalibus annunciarunt & stella cœlo coruscans Gentiles ad pacem cum Iudæis sanciendam inuitauit: ac ipsi recens nato principi pacis, *Factus in pace locus est*. Tunc mitissimus licet Imperator sic tamen acri reprehensione (quam merebat) & occulta vi numinis precibus exorata perculit implacabilem alias animum Willegisi, vt quasi sideratus agnoque similis in potestate se Cæsaris fore promitteret: qui vigiliam Epiphaniæ delegit paci sanciendæ, qua Magi Gentiles primi Doctores Iudæorum Christiani, eos & de nato Messia erudierunt, & ad feriendum coram ipso pacis fœdus æternum, inuitarunt: ipsam autem Epiphaniam voluit esse tesseram initæ iam & confirmandæ pacis; & pacificæ rursus possessionis Bernuardi, vt sicut occasione velationis Sophiæ eruperat omnis dissensio: per ipsam à Bernuardo præsente Willegisio factam confirmata concordia Cæsare & tot aliis testibus Episcopis stabiliretur: & hoc eo quidem loci, vnde per ignominiam & iniuriam non semel fuerat S. Bernuardus exturbatus. Stetit ea consensio quoad vixit Willegisus inuiolata, qui licet tardus ad odium deponendum fuerat: ita tamen omne vertit in amorem vt nunquam cessarit mutuis officijs beneuolentiæ sanctitatem etiam Bernuardi deinceps reuereri. Henrico suffectus est Conradus Salicus, qui an. 1025. sub initium principatus Epiphaniam Domini more regio maxima procerum frequentia celebrauit Paderbornæ. Successor eodem seculo Henrici 3. Henricus quartus anno Christi 1054. ab Hermanno Archiepiscopo Colonensi Aquisgrani, Rex Romanorum quinquennis cum esset consecratus, hoc videtur ab Hermanni successore S. Annone hausisse, dum pueritiã eius moderaretur: quod festum consecrationis præcipuã solitus sit religione peragere: & cum filium in festo Epiphaniæ Regem fecisset inungi, id vt piè celebraret, quotannis eidem imperauit: vestigium huius reperio in tabulis publicis, quibus Abbatiæ Prumiensi prædium Brunsfeldt restituit: *Coloniæ*, vt inquit, *in nostra præsentia & filij nostri Henrici Regis iudicio Principum conuicto* (inuasore eius Henrico) *aderant Egelbertus Treuirensis, Fridericus Colonensis, Buchardus Monast. Wido Osnab. Henric. Rodel.* subdit: *deinde cum Colonia Werdam curtem nostram veniissemus: idem Comes Henricus negauit se Abbati prædium reddidisse Coloniæ, & iterum in Conuentu Principũ conuictus, ne iterum negaret in manu Abbatis Wolframi & Bertoldi aduocati reddere. Fecimus præsente filio nostro Henrico Rege &c: hoc fecimus, vt orarent Prumiæ pro me & filio Henrico Rege, Parentibus Conrardo auo & Henrico Patre. Orationes Abbas cum Fratribus faciat, eosdem reficiat, ac pauperes 50. pascat, quotidie, maxime vero diebus ordinationis nostræ in regnum 16. Kalend. Augusti. & die ordinationis filij nostri Henrici Regis in regnum scilicet in Epiphania. Anno 1101. indic 9. an. ordinationis regni 48. imperij 46. 3. nonas Augusti actum VVerdæ.*

velatio Virginum fit die Epiphaniæ.

Prudentia S. Henrici in compositione huius pacis.

Chronicon M. S. Browerj.

Henricus 5. in Epiphania Rex coronatus.

CAPVT. XXXV.

S. Erminoldus A. 1120. *ipso die Epiphaniæ multis vaticiniis clarus Martyr moritur.*

Visio S. Ottonis Episcopi. Similis scalæ Iacobiticæ.

CVm Henricus quintus circa salutis annum 1109. Ratisbonæ comitia maximo principum consessu celebraret, vt ciuitas eam frequentiam aduenarum non caperet, sed S. Otto Bambergensis Præsul extra mœnia duas inter arbores erectis tentorijs in campis habitaret, vidit per quietem eo loci scalam erectam cœlos ipsos altitudine superare, & ne quid Iacobiticæ deesset visioni, cœlestes genios alternantibus vicibus adscendere & descendere: mox cœlitus informatur, eodem in loco cœnobium construendum, cuius ascetæ mixtæ vitæ laboribus dediti, non tantum Mariæ contemplationis adscensu; sed & proximorum saluti Marthæque solicitudini dederentur, statim in animum induxit suum, illic suis id sumtibus exædificare: quod Prusingense nominatum Anno 1114. primum meruit Archimandritam habere Erminoldū, origine Sueuum, nobili genere natū. Qui cum liberioris nactus vitæ religiosos eos arctiori disciplina coërceret, quod amare debebant in Patre filiorum amantissimo: hoc vertit in odium: & licet animi sui constantia & mortis despicientia cultros in caput suum alias districtos de manibus eorum excussisset: vnus tamen reliquis audacior & immanior monastici rigoris impatiens, vectem impegit in caput, vt taliter saucius breui post cum sanctis Regibus Deo moriturus aurum, myrrham, & thus fortiter & pie raris tunc vaticinijs illustratus dedicarit: seriem martyrij ex Surio describamus, quod donorum illorum trium non incongruam adferat interpretationē.

Origo Prusingensis monasterii.

Erminoldum persequuntur Monachi dissoluti.

Iob 27. *Itaque cum teneret iustus* (vt ait Iob) *viam suam: nec iustificationem suam quam cœpit tenere desereret, nam & semita vitæ suæ quasi lux splendens iuxta Sapientis eloquium procedendo ad perfectum diem iam creuerat, tanta lucis adspectus filios tenebrarum offendit, grauisque eis erat ad videndum, qui magis, quam lucē tenebras dilexerunt: proinde cum tempus adesset, quo Dominus seruum accreuerat suum iam in pace dimittere post pondus diei & æstus, mercedis æternæ denario præmiandum, iam filij pestilentes, ac tanto patre prorsus indigni, lupaliter velut agni degeneres in Pastoris interitum conspirabant. Igitur vnus talium, campiductor infelix, nomine quidem Aaron, Absalon autem omine. patris persecutor, cum non vt Aaron Pontifex: sed cum esset carnifex anni illius, diabolico exagitatus instinctu, locum ad quem vir Dei venire necesse habebat, diligentius obseruabat. Ligneum vectem vtraque manu vibratum, viribus totis insurgens, capiti venientis illisit, tanto annisu percutiens sacrum caput, vt ad terram mox seruus Dei sterneretur. Eo igitur instrumento mortis, & genere, quo Frater Domini est occisus, occiditur, ne gloriæ illius extraneus existimetur, aut exsors, qui consors est passionis, quamuis hic vt ille non statim obierit, vt in hac potissimum die glorioſius suæ mortis Domino sacrificium immolaret, quo Magi videlicet eidem tria munera mystica obtulerunt. Denique si aduertas, eadem dona nostrum Erminoldum intelliges obtulisse, si per aurum quod inter metalla malleo plus obedit obedientiam: in myrrha, quæ carnem à corruptione conseruat, & vermibus castitatem; in thure quod vritur, & crematur vt frangeret caritatis ardorem memineris designari. Non sua propria, sed communia requirentis. Igitur vt in illam diem tunc se sacrificaturus Domino seruaretur, ictu vectis accepto, tabescens, viribus corporis cœpit repente destitui: iamque ante festum Epiphaniæ lecto decubuit & in ipsius sacratissimi festi vigilia fatiscentibus artubus iacuit ali quamdiu nihil loquens, & post pusillum ad se reuertens, & eleuatis oculis in discipulos, qui adstabant, hilari eos adspexit intuitu; sed affectu hilariori eos omnes, qui aderant, iucundauit. Etenim requisitus ad thronum Dei testatus est se raptum habuisse cœlestem, & verba bona & promissa se ibi consolatoria percepisse. Lætatus sum,* inquit, *in his quæ dicta sunt mihi, nunquam videlicet defuturum diuinum officium in hoc loco. Addit & librum vitæ sibi ostensum, Fratrum nostrorum nomina, mortuorum, præsentium & futurorum adscripta*

Reuelatio de successu monasterii Prusingensis. & de Prædestinatis religiosis.

literis

literis aureis continentem: & hoc ait signum vobis, vt certum esse noueritis, id quod loquor, cras inter maioris Missæ solennia cantante choro: Gloria in excelsis Deo, egrediar ex hoc mundo: erat autem vt dixi vigilia Epiphaniæ: cauete igitur inquit, cum signum mei transitus audieritis, ne quis error aut negligentia huius occasione in diuino contingat officio; sed paucis egredientibus, à ceteris cum omni deuotione sacra missarum solemnia more solito peragantur. Vt igitur testimonia sua credibilia fierent, & sciremus, quia verum est testimonium eius: sicut dixit, euenit: Nam in sancto Epiphaniorum die, hora, qua dixerat, anima illa beata, domum corpoream ac terrestrem non manufactam in cœlis acceptura relinquit, introiens in potentias Domini, sub hymno videlicet Angelorum, vt ibi perenniter inter Angelos ipsam Gloriam in excelsis concinat: Transijt autē An. Domin. 1121. Quis enim quæso non videat ideo tranlitum eius ad eum diem fuisse translatum, qua Dominus sacrificia Magorum accepit, & inter currentibus annis aliquot cœlos super se baptizatum voluit aperiri, & in cœna aquam conuertit in vinum, ad nuptias, vt liquido monstraretur quod die eodem Erminoldus noster domum cœlestem introiuit in holocaustis; & cœli, qui Regi patuerant, militi & ipso die patere deberent, & quod molestiarum aquæ præsentium inter conuiuas æthereos in vinum sibi essent æterni gaudij conuertendæ. Quis eum præterea purpurata rosaria martyrum introisse non credat, cum & iustitia suæ causa mortis exstiterit, propter quam persecutionem passus est occisoris, & in morte seruauerit patientiam nihil durum interminans imprecansque lictori, & cum postremo tantæ conscientiæ fuerit in eo sanctitas, vt moriturum se præscius, & prophetans, de diuino magis officio, quam de suis exequijs voluit ordinare.

Moritur tempore Missæ.

Appositè mortis in Epiphania Domini obitæ rationem adfert: commendatque quod cauerit, ne nuncio mortis ipsius officia diuina sequenti die interturbarentur: similis solicitudo Rothegarden S. Bernwardi (de quo capite superiore dictum) materteram incessit moribundam, cum cœlitus didicisset se tempore solennis missæ sacrificij die natali Dominico decessuram: hoc enim de ea refert Tangmarus. *Interea ait, Domina Rothegardis dignæ memoriæ Hildewardeshusensis ecclesiæ Abbatissa venerabilis Bernwardi matertera, diuturna corporis infirmitate castigata, resolutionis suæ diem semper optabilem diuino, vt creditur instinctu, inuare cognouit, vnde in sacratissima nocte Dominicæ natiuitatis ad missam: dominus dixit, in ecclesiam se ferri præcepit: inde omnibus ritè peractis, denuo ad lectum reportata, conuocatis sororibus ita exorsa est. Ex hac vita me hodie, carissimæ, quo Deus iusserit, inuitari, vobis denuncio: sed hoc, quia infra maioris Missæ solennia futurum esse non ignoro, ne qua diuini famulatus fiat interruptio, vos audita mea morte minimè turbari deposco. Dei namque tanto mihi largius auxilium adfuturum esse confido, si modo nulla eius seruitij, mea causa, facta fuerit intermissio. Diuinis itaque solennijs ex more completis ad communiendum exitum meum quantocyus excurrere festinate: luoque Creatori animam precibus attentius commendare curate: vestrumque semper finem suspectum habentes in illo tremendo iudicio cum licitum est, per bona opera Deo digne inueniri satagite. His dictis eas stupentes nimium pariter admirantes abire permisit. Quod quia spiritu prophetico præuiderit, rei patenter exitus ostendit. Nam vt prædixerat infra maiorem missam, incipiente sequentia, sancta illius anima carnis est ergastulo soluta.*

in vita S. Bernwardi. similis præuisio futuræ mortis sub Missæ sacrificio.

Hactenus quomodo seculis omnibus iam inde à Christo nato ad translationem vsque postremam Mediolano Coloniam festum Epiphaniæ sit celebratum: & quæ in eo memoratu digna cõtigerint, sunt enarrata. Sequitur vt quæ Coloniæ circa eosdẽ gesta sint ad cultum eorum auctiorem & alibi deinceps persequamur: prius tamen Elisabethæ circa translationis tempus viuentis visionem de ijs audiamus.

CA-

CAPVT. XXXVI.

*S. Elisabethæ Schönaugiensis A.*1152. *præclara visio SS. Regum in cœlis glorioſorum die Epiphaniæ & ſimilis An.*1154. *Walleno cœnobiarchæ oblata.*

VIXIT S. Eliſabetha Schönaugienſis, dum ſancti tres Reges Coloniam deferrentur, de cuius ſanctitate ab Eccleſia confirmata & Spiritu prophetico plurima tractata ſunt in Vrſulanis: nobilem habuit in feſto Natiuitatis, SS. Trinitatis, & Deiparæ glorioſæ cum exercitu geniorum cœleſtium exſultantis, poſtridie S. Stephani, deinde S. Ioannis & Innocentum præclaras viſiones: inſignis prorſus & geminata in feſto Epiphaniæ ei obtigit, quam verbis eius recitabo, *In circumciſione Domini & Epiphaniæ viſiones vidi Dominicæ diei: Sed euidentius in Epiphania: tam etiam in prima veſpera vidi tres Reges coronatos ſtantes ante thronum, & accedentes adorauerunt flexis genibus ante filium hominis, & tollentes coronas de capitibus ſuis, obtulerunt eas in manus ipſius: rurſusque eas ab ipſo receperunt: In die ad miſſam rurſum eoſdem tres vidi adorantes coram Domino Ieſu & munuſcula neſcio quæ lucida in manus eius dare viſi ſunt.* Quid ſi munuſculis illis xenia, vota piaque deſideria cultorum & clientum ſanctiſſimorum Regum intelligantur, quos ipſi proximi Throno Dei, ob eminentem & Patria rchalem inter gentes prærogatiuam Deo per ſe repræſentant: de quibus multa infra? Nobilis & alia fuit viſio, quam anno quodam poſteriore die eodem Epiphaniæ meruit accipere. Tunc enim tria ſimul diei myſteria ſunt eius oblata viſioni: quæ inter primas tenuit ſanctorum Regum talis adoratio. *In Epiphania quoque Domini*, inquit *ipſa, multiplicauit Dominus gratiam ſuam in me, & vidi in Spiritu Dominam meam, & paruulum eius, quaſi in domo quadam longè poſita, commorantes: & ecce tres viri regalem habentes decorem introierunt illuc, & flexis genibus adorauerunt coram puero. Vnus autem ex eis proferens numiſma aureum magnum, quaſi imagine regia ſignatum, obtulit in manus ipſius: ſimiliter & alij duo accedentes munera ſua in vaſculis quibuſdã reuerenter obtulerunt.* Ergone ſingulos tantum vult ſingula Chriſto munera conſecraſſe? Negat id maior & potior pars Patrum, & Doctorum: ſed obtulerit primus aurum ſignatum magni ponderis: non tamen id ſolum dicitur protuliſſe: licet exprimat id ſpeciatim, quod magnitudine ſua reliquorum aurea munera longè ſuperarit. Habes & hic quod alias excuſſi, de auro ſingnato tunc conſecrato.

*lib.*2. *c.*16.

Viſio præclara de tribus Regibus. Primus numiſma aureum ſignatum offert.

Altera ſucceſſit nuptiarum Canæ Galilææ viſio. *Poſt hæc*, inquit, *& nuptiæ illæ, quæ factæ ſunt, in Cana Galiliææ repræſentatæ mihi ſunt: & vidi rurſus illic ſaluatorem cum Maria Matre eius, inter conuiuas diſcumbentem & ſex hydrias ibidem poſitas.*

Videt nuptias in Cana,

Concludit cum tertia Baptiſmi Chriſti relatione: *Inſuper virginei corporis ſui ablutionem, quæ in Iordane celebrata eſt, Dominus ancillæ ſuæ præſentare aſpernatus non eſt. Vidi enim, qualiter cũ S. Baptiſta ſuo in aquas beati fluminis deſcendit, & baptizatus eſt ab eo: & qualiter columba de cælo deſcendens venit, & requieuit in vertice eius. Et ego ab hac viſione expergiſcens in hæc verba os meũ aperui. In columbæ ſpecie Spiritus S. viſus eſt, paterna vox audita eſt, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite.*

& Baptiſmum Chriſti

Biennio poſt. A. 1154. Walleno Ciſtercienſis familiæ Abbati in Maioſenſi monaſterio Scotiæ precibus diuinam opem implor anti viſio talis SS. Regum oblata ſcribitur. Pſallebant in vigilia Epiphaniæ cœnobitæ in choro, cum mente cœlitus abducta à ſenſibus Wallanus ſtellam adſpicit in aëre radiantem, quam præcedentem tres Reges ab oriente cum apparatu magnifico ſequebantur Bethlehemum vſque: ibi puerum Ieſum in matris gremio reſidentem proſtratis humi corporibus vidit adorantes, myſticis eundem muneribus honorantes, ac demum in ſomnis Reges diuinitus admonitos alia via ſua regna repetiſſe: vide Henriquetz in faſciculo

Wallano viſi tres Reges, *Manrique in Annal. Ciſterc.*

l. 2. diſt.

lib. 2. distinctione 26. cap. 58. Manrique in Annalibus Cistercien. dicto anno, cap. 4.

CAPVT XXXVII.

Philippus Archiepiscopus Coloniensis post annum 1170. *in pretiosissimam lipsanothecam sanctos tres Reges transfert, qui cœlestem spirant odorem.*

PRÆTERMISSIS ijs, quæ fusius alibi sum de Reinoldi translatione persecutus: hoc seculo quædam ad cultum SS. Regum Coloniæ gesta sunt enarranda: quo beneficia per eos nouos tutelares Colonienſibus & toti Germaniæ cœlitus collata planius cognoscantur. Reinoldo igitur peste Romæ sublato, sub annum 1167 in perui- Philippus fit A. 1167. Archiepis.
gilio Dei parentis in cœlum adsumtæ, tam Cæsaris desiderio, quam Metropolitani Collegij Colonienſis suffragijs omnibus Decanus Philippus Heinsbergenſis pacis & belli artibus expolitissimus subrogatur anno vertente, quem præter Laus eius.
corporis speciem & pulchritudinem rara prudentia, morum comitas, animi magnitudo, probitas: denique conciliatrix animorum beneficentia summis infimisque commendabant.

Hic cum annis abhinc sex insigni ceremonia tantum thesaurum in vrbem inuexisset, & biennio post pro eorum defensione centum & viginti quinque bellatorum millia contra potentissimos Principes Germaniæ prope Andernacum in aciem eduxisset, & glorioſè quidem: nemine hostium, à quibus fuerat sæpius antea lacessitus audente comparere: sed ad tantarum copiarum adspectum in latebras se abdentibus omnibus, victor redijsset, vt primum suscepit Archiepiscopatum, animum adiecit ad Reges, quibus posset modis, ornandos. Studium eius defendendi & ornandi SS. Regum.

Multum auri, argenti & gemmarum contulit, ad ingentis magnitudinis hierothecam, omnique qua valuit arte saberrimè sic elaborandam, vt multorum sententia videatur ars materiam alias pretiosissimam superare. Nec incongruè tam duodecim Prophetas (quorum vaticinijs tanto ante fuerant prænuntiati) quam totidem Apostolos (quorum officium Christo nondum passo primi obierant, visiones item Apocalypticas vitam & perpessionem Dominicam (quæ muneribus mysticis declararant, denique virtutes 12. quibus eminuerant, sic repræsentat ars, vt anima tantum ad motum vitæ deesse videatur. Scio nonnullos thecam illam ex ære fusam credidisse: quos temporum illorum æqualis confutat Ægidius aureæ vallis cœnobita: *Temporibus* ait, *Domini Philippi Archiepiscopi qui successit Reinoldo fabricata est capsa miræ pulchritudinis ex auro & gemmis pretiosis, in qua reposita sunt corpora eorum.*

Nec prodigium defuisse, cum è vilioribus loculis in sumtuosam hanc lipsanothecam corpora transferrentur: nam invsitatum odorem præsentibus adspirarunt, vt non defunctorum corpora: sed casea stacte vel merum esse balsamum viderentur: nec est quod ad funerationem confugias: vt libens dedero, corpora præstantissimis aromatibus condita tabem multo tempore arcere potuisse: cum tamen in craneis nulla pateat scissura vel foramen immissi balsami, & vestes ipsæ tanto tempore fuerint a carie conseruatæ, accessisse quædam diuina vis putatur: cui coæuus id adscripsit Ægidius his verbis. *porro cum corpora eorum leuarentur de locellis suis, tanta fuit fragrantia, vt omnes, qui aderant, eius suauitate reficerentur. Singula corpora singulos dederunt odores, differebatque odor ab odore; vt merito dicere possent illud Apostolicũ, Christi bonus odor sumus in omni loco. adhuc eorũ vt fertur integra perdurant corpora, pellibus suis & neruis cohærentia, ijsdem vestibus inuoluti, in quibus cum myrrha & aromatibus fuerant sepulti.* Licet igitur ijsdem fuerint pariter cum aromatibus funerati. hoc fuit singulare prorsus & inauditum, quod vnus balsamum; alter stacten forte tertius alium his fragrantiorem exhalarit odorem, non emarcidum, & euanidum ob mille annorum siccitatem, sed vigentem, & recentem; nec confusum & incertum; sed quem præsentes facilè à quouis alio secernerent & à quo diffunderetur corpore sensu diiudicarent. Odor prodigiosus

CA-

CAPVT. XXXVIII.

Donationes fiunt ingentes ad ſanctos Reges, quas Philippus Archiepiſcopus dat Canonicis Metropolitanis, ipſe vero à Friderico Imperatore ducatus Angariæ & VVeſtphaliæ primus obtinet.

DOR ille ſanctorum Regum non potuit oppidi tunc exilis pomœrio coerceri, latiuis diffuſus, Germaniam protinus peruagatus, attraxit ingentem peregrinorum multitudinem, qui donatiuis maximis eccleſiam ſancti Petri cuſtodem ſanctorum Regum opulentarunt: Reges etiam & Imperatores (de quibus ſuo dicetur loco) exciuit: qui ſanctos Reges imitati, regiis muneribus ipſos piè ſunt venerati: ſed cum in quæſtionem & diſceptationem vocaretur, quibuſnam largitiones oblatæ cederent: & collegium Metropolitanum eas ſibi iure liberalitate Reinoldi Archiepiſcopi vindicaret, Philippus ſucceſſor aſſenſus. diplomate ſuo benigne iure perpetuo eidem tranſcripſit: cuius fragmentum alibi: totum hic inſeram diploma: quo capita noſtræ hiſtoriæ roborantur.

DIPLOMA PHILIPPI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS, quod capitulum Colonienſe omnes oblationes Beatorum trium Regum in vſus ſuos, & ſupplementum præbendarum ſuarum conuertere poſſit.

In nomine S. & individuæ Trinitatis: Philippus diuina fauente clementia Colonienſis Archiepiſcopus, ſanctæ Eccleſiæ filijs præſentibus & futuris in perpetuum. Ea quæ propter ſalutem animarum deuotè & ſanctè in eccleſias conferuntur, quanto maiorem a Deo exſpectant remunerationem, tanto magis eſt dignum, vt iuſtæ confirmationis firmum robur accipiant. Ex relatu pluriũ intelleximus, quod noſter Anteceſſor, quæ ad ſancta Regũ corpora offeruntur, ſicut & ipſos Reges maiori eccleſiæ in Colonia contulerit, laudabili conſideratione motus, vt vbi ſanctiſſimi Reges corporaliter quieſcerent, & in maiori haberentur veneratione, ibidem oblationibus eorum iuſta & benigna conſolatio ad canonicos peruenire, nos factum prænominati Archiepiſcopi commendamus, & habemus ratum. Et qua poſſumus & debemus confirmamus auctoritate: ne vero impoſterum hoc, quod iuſte factum eſt, mutari queat, id iuris quod nos habere videbamur in oblationibus Regum, coram multis ſuper altare B. Petri eccleſiæ maiori dedimus Fratribus eiuſdem, concedentes liberam poteſtatem ordinandi de ipſis eleemoſynis, ad ſupplementũ præbendarum ſuarum, prout poterunt diligentius, & melius, poſt ſolennem donationem à nobis factam; ſicut iuſtum fuit factum noſtrum, banno confirmamus, vt ſi quis in poſterum auſu temerario in contrarium moueretur, banno ſe ſciret obligatum eſſe, & ſubiectum maledicto excommunicationis. Iuſſimus etiam hanc chartam conſcribi, & noſtro muniri ſigillo, vt ex ſcripti inſpectione ea, quæ iuſtè ſunt facta, & fideliter expreſſa, ad poſterorum notitiam transmitterentur: Acta ſunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 1188. *Teſtes iſtorum ſunt iſti. Bruno maior Præpoſitus, & Archidiaconus, Adolphus maior Decanus, & Arbidiaconus, Lotharius Bonnenſis Præpoſitus & Arbidiaconus, Conradus Sanctenis Præpoſitus & Archidiaconus, Godefridus S. Gereonis Præpoſitus, Theodorus SS. Apoſtolorum Præpoſitus, Bruno Præpoſitus S. Mariæ ad gradus, Vlricus Capellarius, Rodolphus ſecundus Decanus, Ioannes Choriepiſcopus, Rudolphus magiſter ſcholarũ: & reliqui maioris eccleſiæ Canonici. Nobiles Theodoricus Comes de Hoſtaden, Otto de Wickerode. Gerardus Comes de Are, Euerardus Comes de Seijna, Theodoricus de Milendunck, Gerardus de Diſt. Gerardus de Caſtere, Walterus de ſchidereke. Miniſteriales. Gerardus Aduocatus Colonienſis: Herimannus filius ſuus, Henricus de Wolmuteſtein, Gerardus frater ſuus, Richtzode Mulenheim, Wilhelmus Sillingh, Hermannus Camerarius, & Hermannus filius eius. Burgenſes, Gerardus Telonarius, Richolfus Parfuſus, Henricus*

Henricus de foro. Multum Philippus hic Archiepiſcopus vigilauit, pugnauit, laborauit, vt ſancti Reges Coloniæ tuti contra multorum hoſtium adſultus permanerent, & ijs cultus & honor debitus ab omnibus tribueretur: vt mirum non ſit, ei ſucceſſoribusque Deum ſtatim maxima beneficia iure perpetuo contuliſſe: primus enim diœceſi Ducatum Angariæ, Weſtphaliæque cum alijs ampliſſimis poſſeſſionibus acquiſiuit, contra hoſtes defendit, & ad poſteros transmiſit & ita Colonienſem Electoratum armis ac potentia communiuit: vt cœperit ipſi Friderico Barbaroſſæ fieri metuendus, qui eidem, cum Henricum Leonis Bauariæ Saxoniæque ducem proſcripſiſſet, ob ingentia merita duos illos Ducatus contulerat. Cœperat ea Ducis cum Cæſare diſſenſio Mediolani: & vt multi volunt tunc cum ſancti Reges Coloniam deferrentur: confirmata tamen magis in altera expeditione Italiæ prope Alexandriam: ſed in flammam erupit in Germania, cum quartum ad comitia vocatus, venire detrectaret, quam rem coœuus Helmoldus ita memorat.

Henrici cura pro cuſtodia SS. Regum.

augetur ducatu ducplici.

In illo tempore Philippus Colonienſis cum multitudine graui exiens de finibus ſuis, peruagatus eſt terram Ducis, deuaſtans eam incendijs multis, & ita procedens vſque Quernhamele, non adiecit vlterius progredi, ſicque reuerſus eſt, in locum ſuum: circa dies illos reuerſus eſt Imperator de Italia, cui occurrit Dux apud Spiram, & illatas ſibi iniurias à Domino Colonienſi conqueſtus eſt, in præſentia ipſius. Quod Imperator tunc quidem diſſimulans, eis curiam indixit apud Wormatiam, ducem tamen præcipue ad audientiam illuc citauit, reſponſurum querimonijs Principum. Quod intelligens dux, eo venire diſſimulauit: Imperator autem aliam ei curiam indixit in Magdeburgh, vbi Theodoricus Marchio de Lansbergh duellum contra eum expetijt, exponens ei quasdam traditiones contra Imperium factas; Dux autem hoc animaduertens, venire noluit; In Haldesleben tamen conſtitutus per internuncios Domini Imperatoris colloquium expetijt: Imperator itaque exiuit ad eum ad locum placiti, quem Dux verbis compoſitis venire ſtuduit: Imperator autem quinque millia marcarum ab eo expetijt, hoc ei dans conſilium, vt hunc honorem Imperatoriæ maieſtati deferret, & ipſo mediante gratiam Principum, quos offenderat, inueniret. Illi autem durum viſum eſt, tantam perſoluere pecuniam, & non acquieſcens verbis Imperatoris, diſceſſit. Exinde Imperator tertiam ei curiam Goslariæ præfixit; nec minus illam ſupерſedendo neglexit. Imperator itaque procedens in concionem, ſententiam aduerſus eum proponit, quærens, quid ſuper hoc iuſtitia decernat, quod legitimè vocatus iudicium declinauerit, & per contemtum ad audientiam ſuam venire noluerit, cui ex ſententia Principum reſponſum eſt, quod iuſtitia dictante omni ſit honore deſtituendus; ita, vt proſcriptione publica diiudicatus, & Ducatu, & omnibus beneficijs careat, & alter in locum eius conſurgat. Confirmata itaque ſententia Imperator, id adiudicauit fieri. Quartam tamen adhuc curiam rogatu Principum ei indixit, ad quam cum non veniſſet, fecit, vt ſuperius ex ſententia Principum inſtructus erat, & Bernardum Comitem de Anhald pro eo ducem conſtituit, & Epiſcopis, vt ſua reciperent. quæ in beneficio habuerunt, mandat, & bona eius publicari præcepit; Hac opportunitate Philippus Ducatum Weſtphaliæ Cæſare iubente delectis cum copijs inuaſit, occupauit, ſibique penitus ſubiugauit, Deo cælitibuſque fauentibus, & Imperij Principibus annuentibus: ipſi enim idem auctor ſchiſmatis finem tribuit capite 21. his verbis *Reconciliatus eſt etiam Papæ Alexandro* (Fridericus) *mediante Philippo Colonienſi, & eum, cui diu aduerſatus fuerat, tunc in pace recepit, anno igitur Incarnationis* 1177. *reſpexit Dominus de ſolio ſuo excelſo ſuper filios hominum, & orta eſt in Eccleſia Dei dies exſultationis & lætitiæ, ceſſante ſchiſmate, quod 20. annos Eccleſiam diſſipauerat, & facta eſt pax inter regnum & ſacerdotium.*

infeſtat Henrici Leonis terras.

Imperator Ducem Henricum ad cauſam dicendam ter euocat

3. Goslatiæ ſententia Principū proſcribitur.

4.

Philippus occupat ducatum. reconciliauit Papæ Cæſarem.

ſublato 20. annorum ſchiſmate.

Proſcriptionem Henrici factam eſſe anno 1180. refert Albertus Stadenſis. *anno*, inquit, *Domini* 1180. *Imperator Wirceburg curiam habens in Natali Domini Henrico Duci abiudicauit omne feudum, quod ab imperio tenuit, vel Archiepiſcopis: Bernardus Comes de Anhold ſuſcepit Ducatum Saxoniæ, & Philippus Colonienſis Du-*

Albertus Stadenſis in Chronico.

catum Westphaliæ: media quadragesima Imperator in Gelhausen electionem Sifridi Bremensis confirmauit, consentit coæuus Godefridus A. 1180. ait Imperator natalem Domini apud Herbipolim celebrat. In media quadragesima curiam apud Gelhausen habuit, ibi sententia ipsius Cæsaris & iudicio cunctorum Principum Dux Saxoniæ ducatu suo priuatus, & assensu cunctorum Episcopus Coloniensis in sua diœcesi, & per omnem Westphaliam & Angriam, cui ducatui præficitur. Reliqua autem pars per omnem Saxoniam Comiti Bernardo de Anhalt obuenit. Godefridus in Chronico.

Paulo fusius census Episcoporum Colonienſium & ex eo magnum Chronicon Belgij ſic rem geſtam refert. Cui Philippo Coloniensi Archiepiscopo, ob probitatem & virtutum merita, & post cum successoribus Colonienſibus Archiepiscopis omnibus Imperator Fridericus memoratus contulit ducatum Westphaliæ & Angariæ & in solemni Principum atque Optimatum Imperij curia apud Gelhausen celebrata de dictis ducalibus vexillis Imperiali & Banno solemniter inuestiuit: cum enim tum Henricus Dux Saxoniæ vir multis diuitijs & potentia pollens contra Fridericum Imperatorem & contra Remp. cruciosa tyrannide multa ageret insolenter, Imperator de consensu Principum & optimatum imperij per sententiam eorundem Henricum illum deposuit, & priuauit honore, & nomine ducatus, ducatum vero, quem illi abstulit, secans per medium, vnam partem contulit Bernardo Duci Saxoniæ nepoti suo, aliarum vero partem concessit Philippo Archiepiscopo Coloniensi supradicto, & ita solemniter inuestiuit: vnde Philippus Coloniensis Archiepiscopus, vt erat vir audax & strenuus, concessionis istius imperialis sibi adsumens executionem, cum exercitu trium millium militum electorum, exceptis armigeris, equitibus & pedestri exercitu, quorum non fuit numerus, intrans Saxoniam, Henricum Ducem ab Imperatore iam depositum, tribus continuis annis incessanter impugnans expulit, & ad extremum exterminauit, simulatque potenti manu obtinuit, & sibi atque Coloniensi ecclesiæ acquisiuit possessionem Ducatus Westphaliæ atque Angariæ & successoribus suis vsque in præsens dereliquit. Chronicon M. Belgij.

Superest in Arhæo metropolitano Colonienſi Cæsareum diploma tale donationis Ducatus.

ducatus Henrici in duos secantur.

EX BVLLA AVREA FRIDERICI BARBAROSSÆ de Ducatibus Westphaliæ & Angariæ.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis: Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quoniam humana labilis est memoria, & turbæ rerum non sufficit, Prædecessorum ætatis nostræ Diuorum Imperatorum & Regum decreuit autoritas literis adnotare, quæ fluentium temporũ antiquitas à notitia hominum consueuit alienare. Proinde tam præsentium, quam futurorum imperij fidelium nouerit vniuersitas: Qualiter Henricus quondam Dux Bauariæ & Westphaliæ, eo quod ecclesiarum Dei & nobilium imperij libertatem, possessiones eorum occupando, & iura eorum minuendo grauiter oppresserit, ex instanti Principum querimonia, & nobilium plurimorum, quia citatione vocatus maiestati nostræ præsentari contemserit, & pro hac contumacia proscriptionis nostræ inciderit sententiam. Deinde quoniam in ecclesias Dei & Principum & nobilium iura & libertatem grassari non destiterit, tam pro illorum iniuria, quam pro multiplici contemtu Nobis exhibito ac præcipue præ euidenti reatu maiestatis, & sub fœdali iure legitimo trino edicto ad nostram citatus audientiam, eo quod se absentasset, nec aliquem pro se misisset responsalem, contumax iudicatus est, ac proinde tam Ducatus Bauariæ, quam Westphaliæ, & Angariæ, quam etiam vniuersa, quæ ab imperio tenuerit beneficia, per vnanimem Principum sententiam, in solenni curia Wirziburc celebrata, & abiudicata sunt, nostroque iuri addicta & potestati: Nos itaque habita cum Principibus deliberatione, communi ipsorum consilio Ducatum, qui dicitur Westphaliæ & Angariæ in duo diuisimus, & consideratione meritorum, quibus dilectus Princeps noster Philippus Coloniensis Archiepiscopus ob honorem imperialis coronæ promouendum & manutenendum, nec rerum dispendia, nec personæ formidans pericula, gratiæ imperialis promeruit priuilegium, vnam partem, videlicet, quæ in Episcopatum Coloniensem, & per totam Pateburnensem Episcopatum protende-

cendebatur, cum omni iure & iurisdictione; videlicet cum Comitatibus, cum Aduocatijs, cum conductibus, cum mansis, cum curtibus, cum beneficijs, cum ministerialibus, cum mancipijs, & cum omnibus ad eundem Ducatum pertinentibus ecclesiæ Coloniensi legitimo donationis titulo Imperatoria liberalitate contulimus, & requisita à Principibus sententia, an id fieri liceret, adiudicata, & communi Principum, & totius curiæ adsensu approbata, accedēte quoq; publico consensu dilecti consanguinei nostri Ducis Bernardi, cui reliquam partē Ducatus concessimus, præmemoratum Archiepiscopum Philippum, portione illa Ducatus, suæ collata Ecclesiæ vexillo imperiali solenniter inuestiuimus. Hanc igitur legitimam maiestatis nostræ donationem, & inuestituram Coloniensi ecclesiæ, & sæpedicto Principi nostro Philippo Archiepiscopo, omnibusq; suis successoribus confirmamus, & in omne posteritatis æuum eis ratam permanere volentes, ne quis eam ausu temerario infringere, vel quomodolibet violare attentauerit, imperiali edicto inhibemus, & hanc nostram constitutionem præsenti priuilegio aureæ excellentiæ nostræ bulla insignito, confirmamus authenticē: testibus adnotatis, qui huic facto interfuerunt: sunt autem hi: Arnoldus Treuirensis Archiepiscopus, Wigmannus Magdeburgensis Arch. Conradus Salsburgensis, Sifridus Bremensis Electus, Conradus Wormatiensis Episc. Rudolphus Leodiensis Ep. Bertramus Metensis Ep. Arnoldus Osnaburgensis Ep. Conradus Abbas Fuldensis, Adolphus Abbas Hirsfeldensis, Lotharius præpositus Bonnensis, Luduicus Palatinus Saxoniæ, & Landgrauius Thuringiæ, Bernardus Dux Westphaliæ & Angariæ, Godefridus Dux Lotharingiæ, Fridericus Dux Sueuiæ, Otto Marchio de Brandenburch, Theodoricus Marchio de Lusitz, Dedo Iomes de Groix, Sifridus Comes de Orlamunde, Robertus Comes de Nassoue, Emicho Comes de Linninche, Engelbertus Comes de Monte, Theodoricus Comes de Hosteden, Gerardus Comes de Nurberc, Henricus Comes de Arnisberc, Hermannus Comes de Rauinsberc, Henricus Comes de Kuc, Wernerus Comes de Wittinckinstein. Widikindus de Waltecke, Fridericus de Arrifurde, Hartmannus de Butingen, Wernerus de Boulande, Conradus Pincerna, Henricus Marscalcus de Pappenheim. Sibodo de Groix Camerarius & alij quamplures.

Signum D. Friderici Roma. Imp^is. inuictissimi:

Ego Godefridus imperialis aulæ Cancellarius Vice Christiani Moguntinensis sedis Archiepiscopi, & Germa. Archicancel. recognoui. Acta sunt hæc A. Dom. Incarn. 1180. *indict.* 13. *Regnante D. Frid. Rom. Imp. inuictis. Ao. regni eius* 29. *imperij v.* 26. *feliciter Amen. Datum in solenni curia. in Gelinhusen in territorio Moguntino Idibus Aprilis.*

v. Geleniy lib. 1. Hist. S. Engelberti.

Filius Henrici comprobat donationem Cæsaris.

Huc accedit aliud Ottonis quarti Henrici Leonis filij, quo Friderici ratam habet cum suis fratribus donationem, his verbis: *Notum facimus, tam futuris, quam præsentibus, quod nos pro fideli & præclaro seruitio dilecti & fidelis Principis nostri Adolphi venerabilis Coloniensis Archiepiscopi, & totius Coloniensis ecclesiæ nobis sæpius exhibito, & dilectos fratres nostros Henricum comitem Palatinum Rheni & Wilhelmum ad hoc induximus, quod vniuersa illa bona, quæ Philippus quondam Coloniensis Archiepiscopus de Ducatu quondam patris nostri, illustrissimi Ducis Saxoniæ, siue in allodijs siue feudis, seu in ministerialibus aut in seruis obtinuerat, de bona voluntate Coloniensi Ecclesiæ dimiserunt perpetualiter in pace, sine conditione qualibet possidenda, iuramento firmantes, quod neque per se, neque per suos Coloniensem ecclesiam super eorundem bonorum possessione vllo vnquam tempore debeant molestare.*

Videas hinc & collegium metropolitanum introductis in eius Basilicam sanctis Regibus largissimis oblationibus ditatum: & Archiepiscopatum auctum Ducatu Westpaliæ: nihilne ciuitati Coloniensi custodi SS. Regum accessit emolumenti temporabis? de hoc sequenti tractabo capite.

CAPVT. XXXIX.

Ciuitas Colonienſis Anno 1180. *mutatis ob aduentum Sanctorum Regum inſignibus adſumtiſque tribus coronis augetur ingenti hemicyclo, ciuium frequentia, & opulentia, pace inter ipſam & Archiepiſcopum ſtabilita.*

Jnſigne ciuitatis Colonienſis antiquum.

ANte ſanctorum Regum aduentum Colonienſis ciuitas, vt multi putant à Francis orientalibus mutuatum inſigne vſurpabat, quo in campi medio lineas angulares ſex complectebatur, quæ literas M. & N. connexas exprimunt, vel tres iunctas pyramides inuerſas baſi detracta, vt adiecta docet effigies.



nouum cum tribus coronis

Iam vero cum primum Sanctorum trium Regum allata Coloniam corpora ſunt, repudiatis gentilitijs inſignibus (vt Chronicon Colonienſe, Seuerinus Binius & alij confirmant) tres aureas coronas adſumſit, Regum trium indices, & quia commodum accidit, vt effoſſio multorum millenorum corporum Vrſulanorum, à ſeptennio ciuium aſſiduo labore non interrupto continuata, ad duos ſequentes etiam annos extenderetur, cum ſimul tot millia Virginum & Martyrum ſacris corporibus diuino munere ditaretur, tam trium Regum, quam Virginum Vrſulanarum tutelæ patrocinioque ciues vrbem crediderunt: clientelæ ſymbolum ab vtriſque mutuati. Nam in campo partim albo, partim purpureo ſuprema parte tres aureas coronas figurarunt: quibus vndecim ſiue flammulas, ſiue ſanguinis ſtillantis guttas ſubdiderunt: vt quoties ad bella proceſſuri talibus vexillis vterentur, ſcirent non humanis viribus ſolis; ſed cœlitum nitendum eſſe præſidio: pro horum ſacrorum corporum cuſtodia magis quam pro coniugibus, liberis & focis ſuis eſſe depugnandum. Hos eſſe theſauros orbis totius opibus anteferendos, quibus conſeruatis & cultu debito honoratis, non eſſe periculum ab hoſtibus metuendum. Vt iure verbis his depingat, & explicet hæc inſignia Seuerinus Binius. *Inſignia ſunt vrbis tres aureæ Regum coronæ, in campo rubro ſeriatim diſpoſitæ, ſcutum eſt argentei coloris, vndecim guttulas ſanguinis vndecim millium Virginum Patronarum indices continens. Propter trium Magorum corpora Anno* 1164. (*potius* 1162.) *accepta tres coronas vſurpant.*

& vndecim flammulis.

Binius To. 1. Conc. in Syno. Colon. notis.

eius Explicatio.

Peregrinorum multitudo.

Gratam fuiſſe ſuperis Colonienſium illam pietatē declarauit euentus: nam cum ingens peregrinorum frequentia confluëret, qui ad ſanctos Reges viſendos è Germania, Hungaria, Francia, Italia, imo & ab ipſis, vt apparebit transmarinis Regionibus Aſia, & Africa Coloniam contendebant, vt ſe tantorum Regum patrocinio committerent: præſertim cum fama etiam de tot ibi recens erutis millibus Vrſulanarum Virginum increbuiſſet: multi ſoli illius ſanctitate pellecti, deſertis paternis ſedibus, nouum hic condere domicilium tantis ſub Præſidibus maluerunt, atque ita factum eſt:

ciuitatem amplificat.

vt indies ciuitas aucta tot incolis, producere pomœria cœperit, latiuſque in omnem ſui partem ſe dilatare ædificatis domicilijs: Ita veteres A. 1170. diruerunt Romanorum muros; templa quamplurima (quæ corona quadrum vrbis cingebant) & in his pleraſque collegiatas ingentes Eccleſias. SS. Gereonis, Cuniberti, Seuerini, SS. Apoſtolorum, S. Andreæ, Georgij; Abbatias S. Panthaleonis & Martini maioris & mediam aluei Rhenani partem cum eius Inſula templisque plurimis alijs ingenti hemicyclo concluſerunt. Ac murus quidem ingens turribus plurimis inſignis cœpit

anno

anno 1179. biennio post aduentum Philippi Præsulis, ciuium collato studio pro tutela Sanctorum Regum excitati: quos Fridericus Imperator anno sequenti piè visit, de eo sic Godefridus ait, *Anno* 1171. *Imperator Colonienſibus gratiam ſuam, accepto ab eis non modico argento reddidit, & cum magna gloria, & pace ciuium Coloniam intrauit.*

Id vt facerent, solicitudo persuasit, ne Sanctis Regibus, quorum corporibus adhuc Germaniæ Principes inhiabant, bello victi spoliarentur. Et imminuit postea vicinum eis ab Henrico Leonis duce circa A. 1180. exauctorato bellum, qui eodem anno feliciter de hostibus triumphauit, vt narrat Godefridus: *Pugna*, inquit, *inter ducem Saxoniæ & Landgrauium, nouumque ducem Bernardum committitur, ibique Lantgrauius capitur cum pluribus, & custodiæ mancipatur.* Subijcit de Colonienſium vrbis ampliatione: *Colonienſes circa muros elaborant foſſatum.* Displicuit ea res Philippo Præsuli, quod se non consulto cives muros vallo fossisque communirent, orta lis est, eamque Cæsari velut arbitro decidẽdam, Archiepiscopus, ciuesque compromiserunt, quam eodem anno Fridericus Imperator magno diœcesis & ciuitatis bono definiuit, hortatus ciues, ut in ciuitate munienda pergerent, Episcopo magna argenti vi numerata, qua tunc egebat ad bellum contra proscriptum Saxoniæ Ducem prosequendum, & ingentia terrarum spatia repræsentatâ pecuniâ diœcesi adijcienda. Sicque sopita est lis pro defensione SS. Regum, vtraque parte iuri suo nonnihil cedente, talique Cæsaris arbitrio publicato.

metu pellendi SS. Reges.

Godefridus & ob victoriã Henrici.

Cæsar pacem componit inter ciues & Archiepiscopũ.

DIPLOMA FRIDERICI BARBAROSSAE DE fossis nouis vrbis amplificatæ & ædificiis.

IN nomine S.ⁱ & indiuiduæ Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Quoniam humana labilis est memoria & turbæ eorum non sufficit, Prædecessorum nostrorum Regum & Imperatorum diua sanxit autoritas, Scripturæ testimonio res gestas commendare, quas transeuntium temporum antiquitas à memoria hominum alienare consuevit; Quo exemplo ad notitiam vniuersorum tam præsentis, quam post futuræ ætatis Imperii fidelium peruenire volumus, quod discordia inter dilectum nostrum Philippum Colonienſem Archiepiscopum, & ciues Colonienses exorta, tum super vallo, seu fossato, quod contra prohibitionem eius ad Ciuitatis munitionem facere præsumserant, tum super ædificiis, quæ in ripa, quæ Limpat, vocatur, & in foro, seu in alio loco publico sine autoritate sua, & suorum prædecessorum ædificata noscebantur, arbitrio nostro, communicato Principum Imperii consilio, omnimodis conquieuit, pace, quæ reformata omnifariam, exspirauit. Ratione siquidem arbitrii nostri, ad obsequium Archiepiscopi, & Ecclesiæ suæ Ciues Colonienses duo millia marcarum impenderunt: sic quod de licentia, & concessione nostra & ipsius Archiepiscopi, & ex consilio Priorum, & fidelium Colonienſis Ecclesiæ, & adsensu Burgrauii opus fossati ad decorem, & munitionem ciuitatis licenter expleant, & feliciter consumment. Aedificia quoque tam in ripa, quæ limpat dicitur, quam in foro, seu alio loco publico, sicut tempore, quo quæstio coram Nobis mota est, constructa erant, permanebunt hereditario iure in posterum possidenda ab ipsis, qui ea sine autoritate nostra & Archiepiscopi prius possederant, annuusque Archiepiscopo & Ecclesiæ persolvetur census de iisdem ædificiis; de minori scilicet area duo nummi Colonienſis monetæ; & vt omnino diligenter & circumspectè indemnitati Ecclesiæ prouideretur, discretis viris & prudentibus trecentæ marcæ adsignatæ sunt, ad emendos certos reditus

30. marcarum Archiepiſcopo & ſucceſſoribus ſuis annuatim ſoluendis. Nulliq; licebit aliquid eorundem ædificiorum extendere, vel eleuare, ſic vt vicini luminibus officiat: vel alio modo vicinis noceat. Nullique etiam licitum erit de nouo aliquid ibi ædificare, vel occupare. Illud etiam per ordinationem noſtram adnecti placuit, quod forum in eo loco perpetuo permanebit, in quo præſentis tempore compoſitionis fuiſſe dignoſcitur. Frontes quoque domorum, nec non & alia quælibet ædificia forum reſpicientia, quæ proiectum habent, quod vulgo Vſhanck dicitur ſuper publicum locum, ita in futuro permanebunt. Domus verò, quæ proiectum non habent, ſimilia non attentabunt: quæ verò in muris, ſeu iuxta muros ciuitatis ædificatæ ſunt, in ſtatu ſuo manere concedimus, ita tamen, quod nullus de novo aream aliquam audeat occupare. Et ne qua recidiuæ contentionis & diſcordiæ præbeatur occaſio, omnia iura ciuium & ciuitatis, nec non & omnes bonas & rationabiles conſuetudines, quas vel intra, vel extra ciuitatem Burgenſes vſque ad confectionem præſentis chartæ habuiſſe noſcuntur, eis confirmamus, & volumus, & præcipimus inuiolabiliter obſeruari, nulla facultate Archiepiſcopo vel ſucceſſoribus ſuis prædictis obuiandi reſeruata: ſalua tamen in omnibus iuſtitia Imperiali, & Iure Archiepiſcopi, & Eccleſiæ, & Cameræ Archiepiſcopi. Adiectum eſt etiam, ut ædificia, quæ in veteri foro Parochiani S. Martini & Parochiani S. Brigidæ & illi de Oursburc hactenus abſque iure hereditario tenuerunt, vniuerſitati ciuium hereditario iure poſſidenda conferrent, quæ ædificia, ſicut à prædictis parochianis vniuerſitati ciuium collata ſunt, ita Nos eidem vniuerſitati in perpetuum hereditario iure ea poſsidenda confirmamus: ut ſcilicet Archiepiſcopo debitum cenſum & vorhuram de his, ſicut de ceteris areis perſoluãt. Vt autem omnia, quæ de noſtræ Maieſtatis voluntate & arbitrio, & conceſsione Archiepiſcopi ſtatuta ſunt, quieta & inconuulſa, & in perpetuum illibata permaneant, ſigilli noſtri appenſione præſentem chartam communiri volumus & corroborari: autoritate noſtra inhibentes, ne taxato Philippo Archiepiſcopo vel alicui ſucceſſorum ſuorum, vel alicui homini contra ea, quæ in præſenti ſcripto continentur, temeraria præſumtione venire, vel aliquo nocendi modo quietem & pacem Archiepiſcopi & ciuium Colonienſium perturbare, vel ea, quæ pro bono pacis & concordiæ bene ordinata ſunt, affectatis dolis & machinationibus, vel quouis nocibilitatis genere impoſterum infirmare, vel infringere liceat. Huius rei teſtes ſunt VVigmannus Magdeburg. Archiepiſcopus, Sifridus Bremenſis Archiep. Balduvvinus Traiectenſis Epiſcopus, Reinardus VVurtzeburg, Epiſcopus, Conradus VVormatienſis Epiſcopus, Vlricus Spirenſis Epiſcopus, Vdo Naenburgenſis Epiſcopus, Eberardus Merſeburgenſis Epiſcopus, Conradus Palatinus Comes Rheni, Bernardus Dux Angariæ, & VVeſtphaliæ, Otto Marchio Miſsinenſis, Theodoricus Marchio de Luſitz, Fridericus Comes de Brene, Henricus Comes de Gelre, Hermannus Comes de Rauenſperc, Albertus Comes de Eberſtein, Henricus Comes de Arniſperc, Robertus Comes de Naſſavv, Everhardus Comes de Seina, Adolphus Comes de Schauvenburc, Reinerus Comes Froizisprecht, Conſtantinus de Monte & alii quamplures.

SIGNVM

SIGNVM DOMINI FRIDERICI ROMANORUM Imperatoris inuictissimi.



Ego Godefridus Imperialis aulæ Cancellarius vice Christiani Moguntini Archiepiscopi Germaniæ Archicancellarii recognoui: Acta sunt hæc A. Dominicæ Incarnat. M. C. LXXX. Indict. 13. Regnante Domino Friderico Romanorum Imp. invictissimo, Anno regni eius 26. Imperii vero 27. Datum in territorio Halverstatensi 15. Kalend. Sept. feliciter. Amen.

Ager Vrsulanus & Thebæorum locus martyrii includũtur vrbis mœnibus.

Fuit igitur nobilissimus ille campus, qui Parthenium tot millium Virginum & Martyrum è Sodalitate Vrsulana sanguinem biberat, latissimis licet diffusus latifundiis, & alter vicinus Thebæorum & Maurorum militum cruore purpuratus ager mœnibus vrbis circumdatus: vt exinde vere sancta meruerit dici Colonia: cuius solum & pars maxima sanctorum Martyrum sanguine, Virginumque redundauit. Sed eam amplificationem & munitionem ad defensionem corporum SS. Trium Regum Coloniam translatorum esse susceptam: diuersi autores insinuant: Cum recenter trium Magorum corpora Coloniam translata fuerant, & multi erant Principes, qui ei hanc gloriam inuidebant, & ei insidiari non desistebant, quare necesse erat ciuitatem munire, & aduersus hostes defendere.

Fortunatum bellum, & felix Colonienſibus exterorum ſancta quædem æmulatio, Reliquiarum acquirendarum: dum enim vicini principes inſidias ſacro theſauro ſtruunt, & armis etiam conantur eas eripere, cœpit in Colonienſibus accendi deſiderium pluris eas æſtimandi, & pro earum tutela fortunas & vitam prodigendi: nec vllis parcendi ſumtibus, quibus earum poſſeſſionem ſibi ſtabilirent. Ita diuina prouidentia factum eſt, vt vtroque agro Martyrum Thæbeorum & Vrſulanorum pomerio ciuitatis incluſo, multis millenis defenſoribus, cuſtodibus, tutoribus & præſidibus ciuitas augeretur, qui noctes dieſq; ciues ab animi, corporis & fortunarum periculis tuerentur. Nouus ſubinde metus ab Imperatore ortus eſt, de qua ſic, qui tunc viuebat, Godefridus ſcribit. *In Colonienſi Epiſcopatu pauor ingẽs exoritur. Nam de Imperatore rumor celebravit, quod exercitum per terram Colonienſium in auxilium Franci Regis duceret, re autem vera Coloniam obſidione vallare intenderat: pontem etiam trans Moſellam latiſſimum de nauibus & trabibus tranſituris fieri iuſſerat, pro quo moti Colonienſes foſſatum ciuitatis inſtaurant & in ædificiis nouarum portarum inſudant: Archiepiſcopus caſtella cuſtodiis & victualibus, oppida muris & foſſis munit, non enim in gratia Imperatoris aduodum fuit, eo quod Papæ, qui Imperatori infeſtus erat, magis videretur fauere: & pro hac ſuſpicione Imperatoriæ offenſæ fides de facili præſtita fuit huic machinationi.* Auxerat Romanus Pontifex eodem anno Philippum privilegiis & altiore dignitate, quæ res offendit Cæſaris animum: qui licet anno ſequenti Treuiris Principes Imperii ad Coloniam inuadendam ſolicitaret, vti filius eius Confluentiæ, nemo tamen vnus adſentiri voluit. *Circa idem tempus*, ait Godefridus, *filius Imperatoris Confluentiæ conventum magnum habuit, citatis ad ſe Comitibus & nobilibus Lotharingiæ & maximè de Epiſcopatu Colonienſi: cumque perquireret, qui cum eo ſtare vellent contra Præſulem, & terram Colonienſem, & ei cuncti contradicerent, iratus receſſit.* Sed Moguntiæ breui poſt ciuitas & Philippus eſt

ad A. 1187.

Cæſar & alius ſollicitãt principes contra Coloniam.

Imperatori reconciliatus, qui jam cruce signatus accingens se ad iter Hierosolymitanum, Coloniam custodem Sanctorum Regum, quam munitissimam esse volebat, vbi jam præsidium totius Imperii, Germaniæque servabatur. Vnde deinceps ex omnibus orbis partibus, eò, sicut Romam ad Sanctos Apostolos; Solymam ad sepulchrum Christi; Compostellam ad S. Iacobum peregrini conveniebant: ut recte jam à quadringentis annis lectiones Horariæ sic adseverent. *Ab illo tempore ad famosam illam Germaniæ Metropolim usque hodie Sanctorum Regum attracti odore ex Insulis maris & diversis regionibus fideles confluere non desinunt, reddentes ibi vota sua, quæ distinxerunt labiis suis.* Eadem passim Scriptores testantur, hinc florere & augeri Coloniam incepisse, quod cultu nimirum Sanctorum civibus & opibus aucta sit tantopere, ut jam ex eo tempore sexies amplior, frequentior & opulentior videatur, ac exploratum esse debeat: non tam bellis, solertia, vel industria civium, quam religione cultuque cœlitum augeri defendique civitates: Eant nunc Politici, qui collegia sacerdotum, monasteria Religiosorum, & cœnobia Virginum incommodum, onus & detrimentum vocant Reipulicæ: quando per eum divinum cultum: & preces tot Deo dicatorum hominum potius, quam solos civium conatus, urbes opibus & incolis augentur, & contra hostium obsidentium adsultus proteguntur: ut deinceps expertam sæpius postea Coloniam videbimus: & merito in precibus votis & optatis esset Philippo Archiepiscopo apud Cælarium. *Vtinam esset in qualibet villa diœcesis meæ conventus justorum, qui & Deum jugiter laudarent, tam pro me, quàm pro mihi commissis orarent. Puto quod tum melior status Ecclesiæ meæ quàm modo sit, nulli nocerent, cum multis prodessent, aliena non rapiunt, cum sua omnibus impertiantur.* Rarum sed pium Principis votum, non sua nitentis potentia, sed cælesti fulcientis se quibuscunque in rebus favore, præsidio, subsidioque, quod precibus multorum facilius impetratur & conservatur, vt nullæ prævaleant neque humanæ, neque tartareæ potestates. Ideo circa seculi superioris initium Senatus populusque Colonienſis pridie Epiphaniæ decrevit annuam Senatorum ad SS. Reges supplicationem hac lege. *Præterea concluſum est concordibus animis, & statutum, vt quotannis in pervigilio Epiphaniæ totus Senatus cum 44. de plebe, cum Doctoribus, Protonotariis, Secretariis, & accensis seu famulis togatis sub Curia collecti Capitolium petant, ibique fusis consuetis precibus, inde summum templum adeant, Sanctos tres Reges venerentur, & oblatis donis post orationem ad rei perpetuam memoriam honorent: postea ad Senatorium sacellum omnes vi juramenti se conferant: ibi concio solennis habebitur & sacrum cantabitur, ad Dei Opt. Max SS. Dei Genitricis & cælitum omnium gloriam.* Hæc tamen pietas optandum ut revirêsceret, & hac ratione, velut clientes patronis, suum obsequium personale, ut vocant, exhiberent, quorum præsidio sic aucta fuit civitas, & ab hostibus custodita. Hæc de amplificatione civitatis ob translatos tres Reges facta sufficiant.

Cæsar. lib. 4. c. 64. Rarũ votum Philippi Archiepiscopi.

Pietas Senatus annua.

CAPVT XXXX.

Initio seculi decimi tertij Otto & Philippus Imperatores, Cultores SS. Regum, eos pie invisunt.

Schisma in imperio.

HENRICI Imperatoris mors in Apulia peperit Imperii Schisma periculosum anno 1198. cum Otto Henrici Ducis Saxoniæ, & Philippus Barbarossæ filius, summa contentione viribusque ambirent imperium. Ottonem Innocentius pontifex maximus tuebatur, nec infausto creatus omine putabatur, stella die medio radiante in cælis comitiorum tempore, cujus coævi testes meminerunt: Cæsarius. *Post mortem*, inquit *Henrici Imperatoris, cum de successore in palatio tractaretur, post meridiem visa est stella lucidissima: tunc currentibus nobis in curiam Episcopi omnes eam vidimus, sed quid portenderet visio tam insolita, scire non potuimus.*

Stella medio die visa.

Cæsar. lib. 10. mirac. c. 25.

Et Gode

Et Godefridus Panthaleonita. *Circa idem* ait *tempus stella Coloniæ visa est circa horam nonam, sumentibus inde omnibus lætum auspicium, de rege suo, qui tertio die post visam stellam ibidem electus est*, stellam, hanc occasionem dedisse puto, cur eo propensius cultui sanctorum Regum Otto se dederit: imprimis eorum lipsanothecam gemmis & auro vestiuit, S. Petri ecclesiam & Archiepiscopatum auxit priuilegijs: fratres suos adegit, vt duos ducatus Angariæ VVestphaliæque Parenti ablatos iure perpetuo cederent Electoribus Colonienslibus: supra diploma laudaui, recitabo nunc alterum, quo allodium quoddam ablatum restituit, Ducatus eosdem confirmat: & quod Philippo Archiepiscopo diu fuerat in votis, vt fiscus regius ab Ecclesiasticis hereditatibus omnino tolleretur, clementer indulget. *In nomine Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis, Otto diuina fauente clementia Romanorum Rex semper Augustus. Ratio suadet, æquitas requirit, nostramque decet celsitudinem, omnibus Ecclesijs nostra indemnitate prouidere, & eas in sui honoris & iuris conseruatione pie & clementer confouere: inter quas specialis gratiæ beneuolentia Colonienſem diligentes ecclesiam, vniuersa bona, quibus à nostris antecessoribus minus decenter priuata est, restituenda duximus, ac liberanda: nec non ab indebitis oppressionibus ministeriorum, quibus quondam aggrauata est; ad hæc quidem per fidelissimum principem nostrum Adolphum venerabilem Archiepiscopum inuitati. Inde est, quod omnibus Christi fidelibus per scriptum præsens cupimus clarescere, quod nos attendentes deuotionis ac fidelitatis constantiam, iam dicti principis nostri nobis sæpius exhibitã, Colononiensi ecclesiæ, eiusque successoribus allodium in Saleveldt cum omni integritate & vsufructu attinentium plenè restituimus, & in perpetuum confirmamus. Et ducatus, allodia, feuda, siue ministeriales, quos nunc Colonienſis ecclesia, vel alij eius nomine possident, cum bona voluntate nostra & fratrum nostrorum Henrici Palatini Rheni, & VVilhelmi de Brunsuick, & heredum nostrorum sine calumnia sæpe nominatus Archiepiscopus, & eius successores in perpetuum possidebunt. Præterea consuetudinem minus decentem, quam Fridericus Imperator contra iustitiam induxerat, scilicet, quod decedentibus Principibus Ecclesiasticis videlicet personis, quemadmodum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, & Præpositis, eorum supellectilem sibi violenter vsurpauit, penitus abolemus, nec à nobis nec à nostris successoribus retractandã. Adhæc bona fide præmemoratũ iuuabimus Episcopũ, vt bona, quæ Colonienſis Ecclesia à Mosella superius tenet, & à quorum possessione ipsa violenter destituta est, recuperet. Vt igitur hoc regalis nostræ munificentiæ factum pium ac commendabile, nullius imposterum calumniâ perturbari possit, sed ratum permaneat, etiam in perpetuum perseueret, præsentem istam paginã conscribi, & maiestatis nostræ sigillo iussimus insigniri.* Godefridus ad annum 1198. triduo post Coloniæ electionem imperatoris beneficus in SS Reges & diœcesin Colonienſem.

Substitit diu Otto Coloniæ pene ad annũ vsque 1206. perquam magnificus in sanctos Reges: nam frontẽ pretiosissimæ thecæ, quæ capita eorum contegit, lamiornat Regum lipsanothecam statuis aureis.
nis vestit, quantum perspicere potui, aureis, eminent in js sanctorum trium Regum statuæ semipedali fere forma, qui coram Deipara in throno cum filio residente reuerenter vel in genua prouoluuntur, vel consistunt dona oblaturi, quibus adstat Otto ipse Cæsar, coram Deiparæ statua aurea, sceptro & diademate decoratus.

Postea in Angliam conceſſit nam Colonienses, qui reliquis diutius ei adhæserant, cum omnibus ab ipso deficientibus vires adverterent eius defendendi nullas superesse Philippo se dediderunt: eumque solenniter anno 1207. Coloniam invitarunt ad Pascha celebrandum, nouem id ibi peregit dies, cui Innocentius 3. etiã imperium confirmauit. Ille quomodo sit Aquisgrani ab Adolpho Colonienſi Archimysta die Epiphaniæ Cæsar consecratus ita narrat Godefridus *Colonienſis*, inquit *Episcopus sacramentum, quod dudum Ottoni fecerat parui pendens post festũ S. Martini ad eundem Philipum cum Duce Brabantiæ Cofluentiã venit, & ei iuramentũ fidelitatis cum Duce ibidem fecit. Ibi etiam Rex Philippus celebrẽ curiã omnibus qui aderant Principibus in Epiphania Domini indixit Aquisgrani, & Colonienſis eum in Regem ibidem consecrari, & vngi promittit. Quod & factũ est: Rex vero vt proposuerat cũ pluribus regni Principibus Aquisgranũ venit, vbi cum maximo apparatu ei Colonienſis occurrit: vbi Rex consilio cum suis habito, vt Principes suã liberam electionem secundum anti-*

Philippus die Epiphaniæ coronatur Cæsar.

denuo eligitur libere ante coronationẽ

antiquitatis institutum non perdant, regium nomen & coronam deponit, & vt concorditer ab omnibus eligatur, precatur. Quod & factũ est, & à Colonienſi Archiepiſcopo ciuſdem vxore ſua vngitur & conſecratur. Ibidem ſtatim Colonienſibus donata à Friderico Barbaroſſa parente his confirmauit verbis. *Nos attendentes ſinceram deuotionem dilecti Principis noſtri Adolphi Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, quã ad ſublimitatis noſtræ promotionem feruenter exhibuit, ad dignam fidelitatis ſuæ remunerationem ipſi & Eccleſiæ Colonienſi conceſſimus, & confirmamus Ducatum Weſiphaliæ & Angariæ, omneſque poſſeſſiones, & iura illius cum hominibus, & miniſterialibus, omnibusque pertinentijs, inuiolabiliter ipſi, & Eccleſiæ Colonienſi pro poſſe noſtro diligenter conſeruare. Inſuper in Andernaco, & Eckenhagen, quidquid iuris habuimus, ipſi Archiepiſcopo & Eccleſiæ Colonienſi concedimus, ſicut ſereniſſimus Pater noſter Reinoldo quondam Archiepiſcopo Colonienſi poſt victoriam à Romanis in conflictu habitam dignoſcitur conceſſiſſe.* Addamus ſyllabum virorum illuſtrium, qui eam Epiphaniæ ſolennitatem præſentia cohonestarunt *Diethelmus Conſtantienſis, & Conradus Spirenſis Epiſcopi. Henricus Wirtzburgenſis & Henricus Argentinenſis electi: Gerardus Santtenſis, & Theodoricus Werdenſis, Præpoſiti. Ludouicus Bauariæ, Henricus Louanij, Bernardus Saxoniæ, Simon Lotharingiæ Duces. Henricus Palatinus Comes Rheni, Otto Geldrienſis, Wilhelmus Iuliacenſis, Lotharius de Hoſteden Comites. an. 1204. Aquiſgrani ſecundo idus Ianuarij.*

Confirmat Priuilegia data diœceſi Colonienſi.

Principes coronationi præſentes & ſubſcripti.

Hunc diem Epiphaniæ præ natali Dominico videtur Philippus elegiſſe ob memoriam SS. Regum à Barbaroſſa parente Coloniam tranſmiſſorum, & corona prius ſceptroque poſito die eodem auſpicibus, & præſidibus talibus Regibus coronam accipere voluiſſe, cuius inaugurationem poſtea Pontifex Maximus ratam habuit. Idem poſtea Coloniæ immodicas vectigalium exactiones ſuſtulit, iniuſtam monetã venit, pacemque nuper ijs datam iure iurando confirmauit; ſed hunc Philippum cum anno ſequenti Bambergæ Comes Palatinus gladio peremiſſet, Otto quartus recepit imperium ipſo S. Martini die: mox Coloniam contendit: ibique natalitia & Regalia ſolenniter celebrauit. Sed decennio poſt ob commiſſa percuſſus anathemate, multis tamen pœnitentiæ ſignis editis piè deceſſit, Rarum illud, quod de eo tempore illius ſcriptor Cantipratanus refert: doluiſſe eundem vehementer in exitu vitæ, quod indixiſſet bellũ Eccleſiæ, à morte vero adſtitit conſanguineæ, antiſtitæ per quietẽ, flammis piacularibus mancipatus, eã obteſtatus, vt expeditis ad varia cœnobia nuncijs, *deciesmillies pſalteria pro ſe legi faceret, ita vt ad ſingulos pſalmos decem ictuum diſciplina, & ad vnumquemque verſum ſalutatio Angelica, & oratio Dominica recitarentur: pſalmus verò, De profundis, quando Diſciplina accipitur, dicatur.* Hoc vt remedio liberaretur, videtur in cœnobitas mũificentia meruiſſe; nã anno ciuſ, quam defungeretur, cum fames nimium quantũ inualuiſſet, infinitam annonã diuerſis monaſterijs & egenis liberaliter erogauit: & tã dicitur eum delicti ſui pœnituiſſe, vt quotidie dorſum ſuum ſacerdotibus dederit flagellandum, coquinarijs autem ait Crantzius præceperit, vt collum Imperatorium pedibus conculcarent. Poſt paulo precibus illis abſolutis eidem viſus antiſtitæ gratias egit, & ad ſanctorum Regum quos viuus ardenter coluerat conſortium in cœleſte regnum ſubuolauit.

Eligitur diem Epiphaniæ coronationi deputarit. occiſo Philippo. Otto Coloniam venit. Imperiore cuperato. mor pia eius. *Cantipat. l. 2. c. 53* apparet antiſtitæ.

liberalitas eius.

& pœnitentia. *Crantzius*

CAPVT. XLI.

Eodem ſeculo tertio decimo Chriſtus puellus apparet glorioſus, & à Deipara dies idem Epiphaniæ nobilitatur inſigni miraculo.

AVTOR vtriuſque Cæſarius eſt: qui cum æui ſui geſta narret & ab oculatis vel auritis teſtibus acceperit, fidem præcipuam meretur, quidquid obſtrepant alij. Primum in monte S. Walburgis accidit (quem ſedes Apoſtolica Collegio Societatis Ieſu Colonienſi pridem vniuit) & diuinitatis Chriſti factam ea die duplicem declarationem complectitur. *Virgo* inquit, *quædam circa hoc triennium defuncta eſt, Richmundis nomine, habitu ſecularis ſed vita religioſa valde, ac ſpiritualis, ieiu-*

Cæſarius l. 8. c. 7.

Richmundis reuelationibus celebris.

nijs

nijs & obsecrationibus semper vacabat, mente sæpissimè excedens, ita vt cœli secretis interesset, & cœli regem cum cœli ciuibus frequentius videret. In quadam solennitate Epiphaniarum, cum in monte S. Valburgis interesset matutinis, & Abbatissa inchoasset responsorium duodecimum scilicet: In columbæ specie & illa vigilans & orans in excessu facta, Christum infantem pannis inuolutum, & in præsepio positum coram se vidit, & circa illum quasi thronum æreum ad similitudinem iridis, eratque ex vtraque parte eius multitudo Angelorum, manibus extensis eum adorantes, & oculorum suorum acies in eum indeclinabiliter defigentes: nec mirum: ipse est speciosus ille forma præ filijs hominum, in quem teste Apostolo Angeli desiderant prospicere: cumque ventum fuisset ad locum illum. Paterna vox audita est, non conuentum illa beatas in qua tunc temporis sensus exteriores defecerant, sed Patrem audiuit dicentem. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Erat autem Dei filius & hominis tanti decoris, & vox Patris tanti dulcoris, vt exprimere nihi non sufficeret.

in festo Epiphaniæ.

Christum infantem vidit.

Ps. 44. 2. Par.

Matth. 3.

Alterum de vocis vsu per Deiparam elinguato mirabiliter restituto, sic narrat *Ante hos annos cum Catholici fuissent contra Albigenses Hæreticos signati: etiam non modicum ab ijsdem essent ijdem hæretici exacerbati: duo honesti Clerici per terram eorum transeuntes, cum ecclesiam vidissent in via desolatam, ait, vnus alteri: sabbatum est, intremus ecclesiam hanc, & dicamus missam, in honore Dominæ nostræ: portabant enim secum librum, calicem, & indumenta sacerdotalia. Antequam esset missa finita, hæreticis proditi sunt, qui armata manu intrantes, & sacerdotem de ecclesia trahentes, linguam eius radicitus abscinderunt. Quem socius cum multo labore Cluniacum deducens monachis commendauit. Illi vero sicut viri Catholici, & religiosi sacerdotem Catholicum & notum propter fidem Christi, & Genitricis eius Mariæ honorem crudeliter mutilatum deuotè suscipientes, omnem ei humanitatem exhibuerunt. In nocte verò Epiphaniæ, cum solennes decantarentur vigiliæ, baculo parietem pulsans, ministros aduocauit: qui cum quærerent, quid vellet, & ille se in oratorium deportari signaret; volentes ei parcere, non acquieuerunt. Tandem importunitate eius tædiati, in ecclesiam cum ducentes, ante altare quoddam deposuerunt. Qui cum matrem misericordiæ tota cordis deuotione inuocasset, illa ei apparens, & carnem linguæ formam habentem in manu tenens respondit oranti. Quia propter fidem filij mei & honorem mihi exhibitum lingua tua priuatus es, ecce nouam tibi restituo, aperi ergo os tuum, quod cum feciisset, digitis ori eius immissis, radici linguæ præcisæ eandem carnem coniunxit, & vniuit; sicque disparuit. Qui mox cum angelo in vocem laudationis erumpens clara voce clamauit: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum, vsq; ad finem. Quam salutationem cum crebrius repeteret, stupentes accurrere ministri; accurrerunt & de choro monachi; de tam puro & iucundo miraculo Deum, eiusque genitricem glorificantes: non immemor collati beneficij Clericus in eodem cœnobio factus est monachus: Eum Ioannes Scholasticus Santensis circa idem tempus esset in prouincia Albigensium, cum exercitu Domini, audiens de tanto miraculo, in reditu Cluniacum venit, iam dictum monachum sibi ostendi petiuit, & obtinuit: linguam vidit; ab eius ore, quæ dicta sunt, sicut nobis retulit idem Ioannes, reliqua carne candidior est, in loco præcisionis seruans cicatricem. Huius miraculi testis est vniuersus Cluniacensium conuentus vsque hodie.* Chronicon maius Belgicum refert hanc contra Albigenses prædicationem ad annum 1208.

l. 6. 7. c. 24.

sabbato legens missam de Domina

elinquatur ab hæreticis

nocte Epiphaniæ ei Deipara reddit linguam.

CA-

CAPVT XXXXII.

Henricus Lotharingiæ Dux cum vxore Maria fundat An. 1221. Coloniæ altare SS. trium Regum: & de custodis Trium Regum officio

stemma Ducum Lotharingiæ & Brabantiæ.

HENRICVS Imperator anno 1106. Godefridum primum Barbatum Comitem Louanienſem auxit titulo ducis Lotharingiæ inferioris, qui cum Maria Antuerpienſi Ducalem dignitatem transmiſit ad poſteros: cui Godefridus Secundus ſubrogatus, quem Henricus primus excepit circa annum 1185. Ducatum adeptus ad 50 ferè annos tenuit, multis nobilitatus militaribus palmis in Belgio Syriaque, quam anno 1197. cruce ſignatus adijt (de quo ſequenti capite dicam plura) Filiam is ſuam Ottoni quarto deſponderat, vnde cum eo frequens Coloniam inviſit, vt cum eodem de cultu & veneratione ſanctorum Regum certaſſe videatur. Exſtat nobile monimentum ara iuxta lipſana ſanctorum Regum Deiparæ & ipſis excitata & tam

erigunt & dotant altare SS. Regũ.

ab Henrico Duce, quam conſorte Maria, Philippi Francorum Regis filia dotata, diploma mihi perhumaniter Metropolitanum Capitulum videndum in autographo obtulit hoc exemplo.

DVCIS BRABANTIÆ HENRICI DE REDDITIbus ad altare SS. trium Regum collatis.

HEnricus Dei G. Dux Lotharingiæ, & Maria vxor eius, omnibus præſens inſpecturis ſalutem. Nouerint vniuerſi tam præſentes, quam futuri, quod nos pro remedio animarum noſtrarum & anteceſſorum noſtrorum ad honorem Dei & B. Virginis, nec non & trium Magorum in eccleſia S. Petri in Colonia præbendam in perpetuum duximus conſtituendã, eidem præbendæ certos reditus annuos adſignantes. ita videlicet, quod apud Louanium in telonio ſex marcas Colonienſes in feſto B. Remigij, & totidem apud Bruxellariam in feſto omnium Sanctorum in domo pannorum ei, qui eidem præbendæ ex parte dictæ eccleſiæ præficietur, annis ſingulis perſoluemus, & hoc tam diu obſeruantes, donec Capitulum S. Petri Colonienſis allodiales certos reditus inuenerit venales, quos proprijs ſumtibus comparabimus, annuatim 15. marcas Colonienſes valentes. Quibus comparatis prædictæ adſignationes tam in Louanio, quam in Bruxellaria ad nos liberè reuertentur. vt autem hæc à nobis, & à noſtris ſucceſſoribus firmiter obſeruentur, præſentem paginam ſigillis noſtris, nec non & Henrici filij noſtri fecimus roborari. Datum Geldon. A. Domini 1221. menſe Auguſto.

obiit Coloniæ Henricus Dux Loth. *Chronicon M. Belgij 203 f.*

Deceſſit Dux hic Coloniæ ſub ſanctorum Regum tutela; ſic enim de eo & hac eius dotatione ſcribit Magnum Chronicon Belgicum. *Tandem Henricus Dux anno Ducatus ſui quinquageſimo in Ciuitate Colonia obijt, cuius corpus reportatum Louanium, in eccleſia S. Petri ſepelitur. Præfatus Henricus ſenior Coloniæ fundauit in eccleſia maiori altare SS. trium Regum, ob reuerentiam & honorem eorundem in dicta eccleſia perpetuo faciendam, illudque dotauit 12. marcarum redditibus annis ſingulis, ob ſuæ, ſuorumque prædeceſſorum & ſucceſſorum animarum ſalutem, cuius collationem ſpectare voluit vacationis tempore ad Decanũ prædictæ eccleſiæ: prout in literis deſuper confectis plenius continetur.*

Heiſterbaci altare SS. Regũ.

Circa hæc tempora Heiſterbacenſes Religioſi Ciſtercienſes altare ſacrarij ſui ſanctis Regibus inſcripſere: ſic enim M. SS. eorum memorant *A. Domini* 1227. *Kal. Febr. dedicata ſunt à D. Wetzelino Epiſcopo Re[illegible]ienſi tria altaria. eodem an. 7. idus Febr. ab eodem Epiſcopo dedicata ſunt tria altaria: altare in ſacrario dedicatum eſt in honorem trium ſanctorum Regum.*

Cuſtos SS. Regũ.

Eodem tempore vigebat in collegio Metropolitano officium cuſtodis SS. trium Regum: quod duobus è capitulo committitur: adiecto emolumento ſatis magno: qui in reliquis curis igni nutriendo perpetuo ad eorum ſacras exuuias vigilat: vnde commendata eidem curatio luminis perpetui ad tumulum S. Engelberti recens tunc martyrio coronati.

HEN

HENRICVS ARCHIEPISCOPVS CONSTITVIT annis singulis custodi Regum vnam marcam à magistro monetæ ad fabricam lampadis super tumbam Episcopi Engelberti.

IN nomine S.æ & individuæ Trinitatis Henricus ordinatione diuina sanctæ Ecclesiæ Coloniensis Archiepiscopus, tam futuris, quam præsentibus vniuersis in Christo renatis. Sicut mirabilis Deus olim se in Sanctis suis ostendit mirabilem, ita nostris temporibus antiqua taliter signa innouat, & immutat, ad tumbam Domini Engelberti venerabilis prædecessoris nostri, vt certissimè credi debeat, ipsum, qui pro iustitia passus est, cum Martyribus iam gloria & honore coronatum lucem inhabitare inaccessibilem, cum vera luce, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem: vt itaque tumba luminis, quod altissimus iam posuit super candelabrum, videri possit in lumine, placuit nobis super ipsam tumbam lampadem iugiter ardere. Capituli igitur maioris, Priorum, Nobilium, ac Ministerialium B. Petri consilio & consensu contulimus de denarijs monetæ nostræ, qui vulgo seigenpenninge appellantur, marcam vnam singulis annis dandam à Magistro monetæ Custodi Regum in principio Maij, ad comparandum prænotatæ lampadi fomentum. Et vt hæc firma permaneant, & omnibus nota fiant, conscribi iussimus sequentem paginam, nostro & Ecclesiæ nostræ maioris sigillo munitam. Acta sunt hæc anno gratiæ 1229. miracula S. Engelberti.

Vt verò cognoscatur quo studio diligentiaque sacellum hoc sanctorum Regum fuerit semper à Metropolitano collegio aliquot iam seculis custoditum, ex lege hac perpetua custodi lata perspicietur.

officium custodis SS. Regum.

Ad laudem & honorem omnipotentis Dei, intemeratæ Virginis Mariæ, B. Petri Apostoli nostri & SS. trium Regum, quorum sacris reliquijs ecclesia nostra mirificè decoratur, volumus, vt alteruter DD. Canonicorum, quibus custodia SS. trium Regum corporum concredita est, singulis diebus ante Matutinas horas claustra, & ferratos obices, quibus Reges concluduntur, diligenter recludat, & aperiat, vtque solito diligentius exploratiusque incumbatur, tum custodiendis donarijs siue clenodijs, tum obserandis, reserandisque ferramentis, pristinum custodiæ salarium, honesto auctario locupletari curauimus, demandantes, vt quidquid ex laminis argenteis, & bracteolis aureis, & simulacris pretiosis vt vocant clenodijs, Trium Regum exornantibus, vel casu delapsum, vel quouis modo refixum fuerit, istud ipsum custodes rursus simul & coniunctim appendant, affigant, assuant. Ita curæ horum committitur vt quotidie tres noui cerei argenteis candelabris impositi intra ferratum sacellum die nocteque luceant. Seruat custos hic sigillum vetustissimum cum imaginibus & nominibus SS. Regum quod apprimit testimonialibus literis peregrinorum, easque solet hoc tenore iam dare. *Nos Metropolitanæ Coloniensis Ecclesiæ Presbyter Canonicus, & SS. Trium Regum ibidem custos, vniuersis & singulis, ad quos præsentes literæ perferentur salutem & felicitatem precamur in Domino, & notum facimus, Latorem præsentium N. voti exsoluendi gratia in hanc vrbem venisse, & expurgata per Confessionem conscientia, perceptaque sacrosancta Eucharistia SS. trium Regum hic quiescentia corpora, qua dignum erat reuerentia visitasse. Itaque eundem à pietate, & fidei Catholicæ obseruantia, vobis in Domino commendamus, obnixè rogantes, vt hinc ad suos redeuntem, quibuscunque poteritis, & ipse opus habebit, caritatis officijs prosequamini, habituri à Deo largissimam remunerationem, nosque ad paria officiorum genera vobis deuinctissimos. In quorum omnium & singulorum fidem præsentes manu propria subscripsimus, & sigillo officij nostri sæpius dictorum Regum, quo fungimur hoc tempore, communiuimus. Coloniæ die mensis A.*

CAPVT. XLIII.

Episcopus Armenus Coloniam ad sanctos tres Reges, delato secum brachio S. Simonis Apostoli peregrinatur: quod magnis illustratum miraculis defertur ad Seinensem Abbatiam.

HENRICVS Lotharingiæ, Brabantiæque Dux cum multis Archiepiscopis & imperij Principibus post annum 1197. magnum nomen Oriente toti Romano imperio & famosæ ciuitati Colonienſi ob translationem SS. Regum eo factam pepererat, capta præsertim Baruch ciuitate, vicinaque regione violenta armis subiugata. Ideo Reges quidam orientis, Cyprius & Armeniacus, vltro se clientes Cæsari Romano subiecerunt: & incolæ ab Armeniæ finibus cum Episcopo sub initium anni 1200. Coloniam peregrinationem instituerunt, vt sanctos Reges inuiserent. Ac Cypri quidem Regem Conrardus Hildesienſis antistes Cæsaris Cancellarius diademate redimiuit: vt temporis illius scriptor Arnoldus Abbas Lubecensis his describit verbis.

Arnoldus Lub. lib. 5. Chron Sclauorum. c. 2.

Ipse, inquit, *Cancellarius in eadem profectione ordinatus sacerdos, & Episcopus, alacri animo profectus est, multas gazas portans secum, tironibus ab Imperatore deputatas, qui prælia Domini viriliter exercerent. Circa festum igitur B. Ægidij de Messana ciuitate profecti, ad portum Accon in festo B. Mauricij cum summa tranquillitate & salute, integroque nauium numero applicuerunt: Cancellarius tamen cum Comite Adolpho, alijsque amicis apud Cyprum adlittauit, Regem eiusdem insulæ coronaturus diademate, à D. Imperatore transmisso. Sanè idem Rex sub ditione Constantinopolitani Imperatoris prius subsistens, ad maiorem gloriæ suæ dignitatem, à glorioſissimo Romanorum Augusto coronari desideratissimè expetijt. Illuc itaque gloriosè veniens, glorioſius suscipitur, lautissimè detinetur, expletisque instantis negotij rebus, exquisitissimis ditatus muneribus, omnibusque suis, prout cuiusque exigebat magnificentia, repedatis nauibus Accon prosperè velificabant.*

Rex Cypri cliens imperij Romani. *lib. 6. c. 5. in fine.*

Magis ad huc imperij Romani famam Baruch ciuitas ab Henrico Lotharingiæ duce expugnata dilatauit: de qua sequenti libro sic narrat. *Moguntinus tamen tunc aberat in Armenia constitutus, pro coronando Rege eiusdem terræ, ad quod tamen negotium Cancellarius deputatus præerat, qui vt dictum est in Cypro similia perpetrauerat. Sed cum esset apud Baruch, visum est Principibus, vt remanente Cancellario Moguntinus vicem eius suppleret, & ipsum Regem diademate imposito ad titulum Romani imperij coronaret. Ipse enim Rex omnimodis hoc affectans, audita fama virtutis populi Dei, & quia Dominus ad ipsorum introitum omnes inimicos eorum terruisset, & quia gloriosè multa loca munita obtinuissent, missis nuncijs honoratis cum muneribus non paucis, ipsos Principes deuotè salutauit, & quanto desiderio ipsorum aduentum exspectauerit, per scripta simul & verba amplissima intimauit, paratissimum se dicens subdi Romano imperio, si coronam diu desideratam liceret ab ipsius accipere nuncio. Glorietur Ecclesia Romana, quæ non solum in spiritualibus, sed etiam fauente Christo dilatatur in temporalibus, vt etiam Reges transmarini hoc titulo affectent insigniri. Viderint tamen illi, qui hac dignitate neglecta, plus diminutionem, quam Romani orbis attendunt dilatationem. Moguntinus igitur, vt diximus, gloriosè expleto hoc negotio, ipsum Regem Armeniæ, & Principem Antiochiæ ad pacis concordiam reformauit, quorum dissensione non modicum Ecclesia Dei in partibus illis turbata fuerat.*

Rex item Armeniæ eidem se subijcit. ob Principum Germaniæ victorias in oriente.

Sic igitur Henrici Ducis Lotharingiæ, & aliorum imperij Principum, tres orientis potentissimi siue Reges siue Principes, Romanam Ecclesiam matricem & ipsum Romanum imperium plurimum venerati subiectos etiam populos excitarunt ad occidentis regiones Sanctorum lipsanis præ ceteris nobiles inuisendas, cum occidentem cernerent, quasi proprijs auulsum sedibus, & peregrinum pro captiuis orientalibus Christi fidelibus in libertatem adserendis, & à dominatu Saracenorum vindicandis sanguinem vna cum opibus profundere. Episcopos hæc prima cupiditas inuasit, vnius sufficiat insignis ex Armenia circa annum 1203. Coloniam instituta peregrinatio; cuius ne vestigia deleret ætas posterior, comes itineris S. Simeon Apostolus, sic memoriã eius mirandis consigna-

Peregrinãtur Armeni Coloniam ad SS. Reges.

uit operibus vt hodieque constent integra, nunquam intermoritura. Regebat imperium Otto quartus ea tempestate. & sedem pene Coloniæ fixerat: quo pius Episcopus, vt sanctos Reges inuiseret vna cum incorrupto S. Simeonis Apostoli brachio contendebat: is cum in milites passim, & prædones qui Rhenanam tunc oram miserè flamma, ferroque populabantur, incidisset, occasio fuit data thesauri illic relinquendi, qui nobile tunc erectum Præmonstratensium cœnobium mirificè illustrauit: hæc cum summa fide è fundatorum auctenticis literis eruerit accuratè & concinnarit eleganter Browerus noster in Treuirensibus, eius politam narrationem recitabo. *Episcopus*, inquit, *quispiam Armenus sine insequentis anni* (1203) *ex Oriente in Germaniam honesto comitatu profectus Coloniam secundo Rheno ad venerandum, quæ religiosè istic adseruantur trium Magorum corpora descendit: is ipsas adferebat, quas diximus S. Simeonis reliquias, brachium auriculari excepto, cum manu ac neruis adhuc integrum: adeoque cute arida conuestitum. Sæuiebat etiam tum inter Philippum & Ottonem æmulos Reges magna clade bellum, & finitima quæque Coloniensis prouinciæ loca, mutuo infestis vel Suevicis, vel Ottonianis præsidijs tenebantur: cumque ob id ipsum valde funesta cædibus ac latrocinijs cuncta essent itinera, Episcopus delatus ad vicum weslichium, qui Flodoardo Wassalitia villa S. Balderici Remensis Presbyteri miraculis olim illustrata: octo ferè Colonia passuum millibus, ingenti tandem vitæ periculo in manus prolabitur hostium, quod antequam fieret, plus nimirum de reliquijs, quam ipsa vita solicitus, eas in pagi cœmiterio vase quodam reconditas abdiderat, quoad miles transiret prædabundus, atque iter inceptum inspeciem peragere velle simulabat: at palanti interim militi obuiam factus, nihil precibus aut verbis agit, quin contumeliosissimè habeatur; acceptis quippe vulneribus quamplurimis, equisque ademtis, denique semiuiuus proijcitur. Pagi verò incolæ, quos Episcopi consilium non fefellerat, rati thesaurum antistitem condidisse, sublatum interea brachium, animaduerso pretio clam auertunt. Ergo deplorata recuperandi spe, cum ærumnarum plenus Episcopus Coloniam, quo intenderat se conuertit, Hezelinus quispiam, qui munus sacrum fraude sustulerat, Brunoni Seinensi Comiti, Bonnensis Ecclesiæ Præposito homini claro diuitijs, atque auctoritate donum non suum offert. Ad hunc Brunonem forte in reditu Episcopus auxilij, atque opis implorandæ causa insequenti anno diuertit: atque cum liberaliter ac benignè vt à splendido sacerdote peregrinus hospitio accipitur: vulneraque curantur omni humanitatis officio; ibi tum Bruno in certam reliquiarum notitiam adductus precibus ab Episcopo summis efflagitat, vt eas quasi rarissimæ cuiusdam beneficentiæ pignus in Germania relinquat, atque tam præsenti è longinquis petito solatio se lubens afficiat. Id quod cum hominis religioni, tum ardentibus eius caritatis, ac Christianæ beneuolentiæ studijs haud grauatè Armenus tribuisset, Bruno liberali viatico, equis ac veste instructum Episcopum comiter ab se dimisit, inde Henricum & Euerardum comites fratres suos excellenti quopiam & augusto dono honorare cupiens, missis ad eos in Blanckenbergense castrum pro recens exstructo ab ijs Seinensi monasterio his ipsis reliquijs, ingenti eos lætitia cumulauit. Porro in templum translatæ, incredibile dictu, quanta miraculorum continuo frequentia nitere, atque apud vicinos vbique populos inclarescere cœperint. Exstant certa fide, atque ab huius æui testibus literis consignata monimenta, quibus singillatim suis quæque locis, ac personis attributa miracula disertè narrantur: ideoque fastidij vitandi hic à nobis etiam inuoluuntur silentio.*

in his Episcopus.

Browerus A. 1203. An. Treu.

cum brachio S. Simeonis.

Flodoardus Remensis hist. l. 4.

incidit in prædones.

abdit reliquias.

Bruno præpositus petit eas.

Hactenus Brovverus. Dolendum nobile cœnobium Hæreticorum scelere furijsque vastatum esse: sed inde cura & solitudine Prælatorum ordinis Præmonstratensis sacrum pignus nunc Coloniæ conseruatur in aula Steinfeldensi prope S. Gereonem, vbi Norbertus Horricheim Abbas Steinfeldensis perhumaniter id mihi monstrauit. Est adhuc dextera cum brachio S. Simeonis arida carne, cute neruis & venis integris circumvestita: metacarpium totum carneum est, quo desiderantur digiti & vnius extremus articulus; voluit sanè Deus eam manum, quæ tot millibus fonte regenerationi tinctis vitam contulit immortalem, à corruptione liberam conseruare. Atque ita ab vltimis orientis partibus Coloniam traxit ex Armenia studium colendi sanctos tres Reges, quod seculo sequenti Rex Cypri alijque religiosè sunt imitati.

CAPVT XLIIII.

S. Gertrudis Saxonica circa A. 1230. in festis Epiphaniæ varia xenia ad imitationem SS. Regum Christo & cœlitibus gratissima offert: discitque à Christo modos excellentiores.

origo xeniorum.

XENIIS missitandis Gentiles Kalendas Ianuarij consecrarunt; nec morem illum Christiani vetuerunt: imo munificentiam Regum imitati, per totam eorum octauam etiam prorogarunt. Vnde cum Christus statim initio nascentis anni sanguinem suum nobis pro lytro peccatorum dederit, solent religiosiores Christi fideles, exquisita quædam pietatis officia Christo velut antidoralia repræsentare: quæ S. Gertrudis non nisi die Epiphaniæ, & ex ipsa munerum regalium donatione sumta offerebat. Fuit cum loco myrrhæ dominicam perpessionem, loco thuris animam Christi sanctissimam: & loco auri diuinitatem exhiberet, donum sanè SS. Triadi & cœlitibus omnibus pergratum, & periucundum. *Solenni*, inquit, *ipso festo Epiphaniæ, dum exemplo regalium oblationum offerret Deo quasi pro myrrha corpus Christi, cum omnibus suis passionibus, & meritis, quibus optabat Deo emendare peccata hominum vniuersa ab Adam, vsque ad nouissimum hominem; item pro thure deuotissimam animam Christi, cum omnibus spiritualibus exercitijs, in supplecionem vniuersalium negligentiarum. Item pro auro superexcellentissimam Deitatem Christi, cum delectatione fruitionis eiusdem in suppletionem defectuum omnium creaturarum. Apparuit D. Iesus, ipsam oblationem in similitudine cuiusdam dignissimi xenij semper colendæ Trinitati repræsentans: cumque videretur Dominus per medium cœli transitum facere, tota cœlestis militia, ob reuerentiam ipsius oblationis, visa est genua flectendo inclinare caput ad ima, sicut deuotiores homines solent facere, quando corpus dominicum illis præsentibus defertur.*

xenia pia & religiosa Deo consecranda. S. Gertrudis lib. 4. insin. c 6. primus modus.

Alter modus fuit Christo pariter acceptus, quo recitatas eum in finem suas & aliorum preces regijs largitionibus hoc ritu copulabat. *Huic recolens*, ait, *quod quædam personæ ex humilitate sibi commiserant, vt oratiunculas suas, quas ante idem festũ Domino persoluerant, ad memoriam ante dictarum oblationum regalium, pro ipsis Deo offerret: & cum hoc qua posset deuotione perageret, apparuit iterum D. Iesus, illam etiam oblationem velut ad præsentandam Deo Patri per cœlum deferens, cui occurrens militia cœlestis oblationem illam, velut valde decentia xenia laudibus extollebat. Vnde intellexit quandocunque aliquis offert Deo orationes suas, seu alia studia, hæc tota cœli curia extollit, tanquam grata Deo xenia: cum verò aliquis suis non contentus filij Dei perfectiora suis addit: hoc vt prædictum est sancti eo modo reuerentur, quasi ad dignitatem illius nullum deceat adspirare: nisi tantummodo super omnes solam dignissimam Trinitatem.*

secundus.

tertius.

Tertius modus prorsus inusitatus, quo ex mortalium omnium flagitijs, mira solertia nouam formauit donationem, ita Christo gratam, vt ea velut diademate gemmato affectaret coronari: ipsam audire libet. *Alia vice in eodem festo, dum in eodem Euangelio legeretur. Et procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis: ista iterum exemplo BB. Magorum prouocata in feruore spiritus exsurgens humillima deuotione coram sanctissimis pedibus D. Iesu Christi se prostrauit, adorans ex parte omnium cœlestium, terrestrium, & infernorum; & cum nihil inueniret, quod ipsa dignè offerre posset, anxio cœpit desiderio per vniuersum discurrere mundum, quærens in omni creatura, si vel aliqua posset vestigari, vnicè dilecto suo condignè offerenda: cumque sic æstuans, & anhelans curreret, in siti feruentis desiderij, reperit quædam abiecta, & ab omni creatura merito despicienda, tanquam in laudem & gloriam saluatoris non cedentia, quæ ipsa sibi aliide vsurpans, reuocare curabat ad illum, cui soli seruire tenetur, omne quod creatum est. Vnde primo intraxit cordi suo per feruens desiderium omnem pœnam, dolorem, timorem, & anxietatem, quam vnquam aliqua creatura sustinuit, non pro laude creatoris; sed ex vitio propriæ infirmitatis: & hæc obtulit Domino quasi pro myrrha probata: Secundo intraxit sibi*

omnem

omnem simulatoriam sanctitatem, & deuotionem ostentatiuam hypocritarum, Pharisæorum, Hæreticorum, & similium: & hæc obtulit Deo similiter pro fragrantissimi thuris sacrificio. Tertio intrahere videbatur cordi suo vniuersum humanum affectũ, & amorem falsum, & impurum omnium creaturarum, & hunc obtulit Domino pro auro pretioso. Gemmæ fuerunt istæ pretiosissimæ, quibus velut regio diademate decoratus gestire gaudio, & triumphare videbatur. *In quorum*, ait, *omnimoda placentia Dominus tanquam in rarissimis xenijs inæstimabiliter delectatus, recolligebat ea in specie gemmarum pretiosarum, imponensque diademati suo regali dixit. Ecce has gemmas à te mihi modo oblatas pro suæ raritatis dignitate tam gratanter & dignanter acceptaui, quod ipsas in memoriale singularis amoris in diademate capitis mei iugiter portabo ad gloriandum pro ipsis, à te sponsa mea mihi oblatis, coram omni militia mea cælesti, sicut Imperator terrestris lapidem pretiosum qui vulgari lingua vocatur* ein besant/ *gestat in corona regni pro singularitate sua, quia non inuenitur compar illi, in totius sui amplitudine regni.*

Quamgrata Christo sint talia xenia.

Quartum modum docet eam Christus.

His solertis & exquisitæ pietatis officijs Christus prouocatus, quartum ipsam modum docuit: ostenditque quam sibi gratam, alijs fructuosam, Christo glorioſam rem agerent, quotquot hac ratione Christo desideria, facta & voluntatem dedicarent. *Tunc*, inquit, *memor personæ, cuiusdam, quæ sæpius rogauerat eam, vt ipso die offerret aliquid Domino pro se, requisiuit à Domino, quid sibi vellet pro ea offerri, cui Dominus: offer mihi pedes eius, manus, & cor, per pedes significantur desideria, inde quia persona hæc feruentius desiderat recompensare mihi passionem meam, studeat omnia grauamina tam cordi, quam corpori suo aduersantia, patienter in vnione passionis meæ tolerare ad laudem & gloriam nominis mei, ac totius Ecclesiæ sponsæ meæ vtilitatem: Et hoc mihi pro myrrha electa oblatum acceptabo. Quia verò per manus signatur operatio, studeat etiam omnia opera tam corporalia, quam spiritualia perficere, in vnione perfectissimorum operum meæ sanctissimæ humanitatis, vnde miro modo nobilitata sanctificabuntur vniuersa. Hocque pro immolatione thuris suauiter redolentis gratificabo similiter, quia per cor signatur voluntas, in omnibus agendis semper ab aliquo homine humiliter meam requirat voluntatem: & quidquid tum ab illo sibi consultum fuerit, licitum & honestum, hoc fidenter suscipiat pro summo beneplacito meo, quod pro auri purissimi oblatione ab eo acceptabo; sciatque quod pro illa humilitate & confidentia, qua meam voluntatem requirit, ab alio, voluntas illius in tantum vnita fiet meæ diuinæ voluntati, sicut ex auro argentoque in igne conflato pretiosum sit electrum indissolubiliter conglutinatum.*

offerendi Deo pedes desideriorum, & molestiarum. manus operum bonorum. cor abnegando voluntatem propriam.

Quomodo verò talibus obsequijs Christus non oblectetur modo, velut xenijs præstantissimis; sed ijsdem etiã velut ornamentis alios amicos decoret, hoc modo Gertrudem Christus docuit: *Hinc dum vellet offerre Domino quarundã personarum sibi deuotè commissas orationes, constexit Dominũ in latere sinistro velut sub brachio habere marsupium quoddam occultum manui suæ dexteræ conuenientissimè adaptatum: in quo videbatur habere orationes ab illis personis sibi persolutas: vnde frequenter specialibus suis benefaciebat; quandocunque libebat: Cumque ipsa offeret pro ipsis vt rogata erat, apparebant eædem orationes dispositæ coram Domino, in specie diuersorum xeniorum, & ornamentorum: de quibus Dominus omnes, qui ad se veniebant, minus parati & ornati, magnificè decorabat. Ex hoc quoque quod Dominus has orationes duplici modo se habere demonstrabat, intellexit illas personas hoc obtinuisse per fidelitatem illam, qua tam liberaliter illas sibi commiserant Domino offerendas: ita vt pro eodem reputarent, vtrum ipsa offerret easdem ex parte propria, siue ex parte earum, dummodo benignus Dominus illas sibi dignaretur gratè acceptare.* Tã multi scilicet sensus & arcana solidæ raræque pietatis latent in mysticis Regum muneribus, quibus eruendis opportunè mens nostra die Epiphaniæ potest occupari, magno non nostro tantum; sed omnium, pro quibus orare volumus, emolumento, quos dum ornare videtur Christus alienis virtutum insignibus, occultis Spiritus S. impulsibus exstimulat, ad paria reddenda Deo pietatis officia, nec enim indotata tam finit esse caritatem, quæ solicitè desiderat alienis vel miserijs subuenire, vel eorum sancta fouere studia, virtutumque exercitationes.

orationes sunt gemmæ & ornamenta.

CAPVT. XLV.

Circa annum 1233. *& sequentem Hæresis quædam maleficorum orta, contra Christi diuinitatem, & SS. trium Regum cultum.*

TRanslatis in Germaniam sanctis Regibus, & Colonia magis indies peregrinorum affluxu, & incolarum accessione tam opibus, quam religione florescente, Imperatoribus etiam & Regibus eo religionis causa proficiscentibus, Christi diuinitatis cultus augebatur, quam primi de Gentibus Euangelici tres Magi peregrini adorarant. Diabolus vt huius incremento pietatis officeret, & Christo detractam, sibi diuinitatis arrogaret maiestatem, voluit sub trium Magorum Euangelicorum nomine velut Deus, eiurata prius Christi fide à maleficis adorari: tam vt Lucifero Deitas attribueretur, quam vt honos duliæ sanctis Regibus debitus, alijs cederet dæmonibus. Nam cum ob creberrima sanctorum Regum miracula Christi, quam adorarant primi diuinitas impensius ab orbis monarchis honoraretur, totus in eo fuit, vt reperta quadam hæresi turpissima, cultum diuinum sibi vindicaret.

Lucifer diuinitatis cultū appetit.

Nactus verò est ad eam disseminandam hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, & nequissimum necromanticum, soliumque sibi per eum Traiecti ad Mosam statuit, vnde velut è cathedra pestilentiæ breui virus omne in Germaniam, Belgiumque diffunderetur: collegit is administros nequitiæ quosdam de clero malè feriatos, proiectæ libidinis, & effrenatarum cupiditatum mancipia: hos vt facilius tartareis cassibus implicaret, & arctius obligaret stygi, votorum omnium compotes futuros appromisit, si Christi diuinitate, cultuque SS. Regum eiurato, Luciferi diuinitatem confiterentur: ternosque dæmones loco Magorum Euangelicorum venerarentur. Iuuat Alberici tunc superstitis à Clericis his ipsis acceptam narrationem memorare. *Est villa quæ dicta est Traiectum inter Brabantiam & Coloniam, quo veniens quidam Magister Toletanus necromaticus, totus diabolo deditus, dum sederet ad mensam inter Clericos, quos voluit fecit dormire: vt statim adhærerent ei octo vani Clerici, postulantes ab eo, vt iuuaret eos in explendis desiderijs suis, qui respondit sine circulo non posse talia adimpleri. Fecit igitur maximum circulum cum characteribus, & omnes octo posuit in circulo, tres autem sedes præparauit in vna parte circuli, & dixit Clericis, sessuros ibi tres Magos de Euangelio. Extra circulum verò præparauit maximum sedile, & floribus ornauit, seu decorauit satis accuratè. Tres deinde aduocauit dæmones, quos habebat pro Regibus, & nouissimè magnum illum Principem, quem Epanamon nominauit*: sed piget infandissimos ritus apponere: superbissimi tamen Luciferi diuinitatis appetitionem, & quam tartarus ipse pæderastiam detestetur, non abs re erit auscultare. *Tum igitur habens vasculum vitreum coniurauit magnum dæmonem, vt se in tantum exinaniret, & in illud intraret. quo facto vas cera signauit, & superscripsit, iussitque deinde vt Clerici peterent quidquid vellent*: de vltimo subiungit, qui nobilis adolescentis nefarios amores ambiebat. *Diabolus negauit in sua potestate esse, nec sibi licitum esse in tam illicito desiderio ei præbere auxilium.* Concludit idem auctor: *Per istos igitur accreuit & dilatata est infidelitas illa de cultu Luciferi; sed tantæ peruersitatis Magister volens transire in Angliam, submersus est in mari, & adiunctus est tali Domino, quali seruiuit.* Similibus præstigijs mirè per Germaniam ea serpsit hæresis, cui Gregorius nonus Romanus Pontifex vt iret obuiam, scriptis ad Fridericum Imperatorem, Sifridum Moguntinensem Archiepiscopum, & Conrarduin Marpurgensem fidei inquisitorem literis, vehementer vrsit, vt acribus remedijs gliscenti malo mederentur. Qui capitalibus pœnis, & igne in reos animaduerterunt: quade re ita *Belgij* Chronicon. *Per Alemanniam facta est tanta maleficorum combustio, vt non posset numerus comprehendi, & dictum est de quodam, qui non potuit combusti, donec allatum est ante ignem corpus dominicum, vltra etiam Coloniam fuit tum synago-*

Traiecti per necromanticum

seducit Clericos curiositate.

Albericus & Chron. M. Belgij fol. 232.

& illicitis desiderijs

Pæderastiam dæmon ipse detestatur.

Gregorius nonus persequitur maleficos.

igni animadvertitur in reos.

synagoga hæreticorum, vbi responsa dabat imago Luciferi, sed vbi Catholicus Clericus aduenit, & pixidem cum corpore Domini de sinu suo protulit, pestifera imago corruit.

vis venerabilis sacramenti.

Videri etiam Godefridus eiusdem temporis scriptor & Tritthemius potest. Bzouius de eiusdem farinæ sectis ita refert. *In Germania condormientium hæreticorum species pullulabant, qui præ nimio amore noui Euangelij viros & feminas, iuuenes ac virgines vno in loco concludentes, nocturnam quietem promiscuis congressibus, & peccatis enormibus contaminabant, adeoque fœdissima obscœnitate sexum & ætatem contaminabant: vt Gregorius Pontifex necesse habuerit, Fridericum exhortari, ne tantam Dei iniuriam sustineret: sed ad eos perfidos extinguendos sese vt verum Dei cultorem & zelatorem decebat accingeret. In eandem rem Archiepiscopo Moguntino, Episcopo Hildesiensi, & Fr. Conrardo Ordinis Prædicatorij Prouinciali Teutoniæ scripsit, monuitque vt in profanos istos exstirpandos omnes fideles Christianos excitarent. Sanè Gregorius grauissimas pœnas in eos constituit, & Fridericus Imperator multa supplicia in eosdem sanxit, vt vel saltem metu seueritatis ecclesiasticæ & ciuilis ab impudentia deterrerentur.*

Godefridus ad A. 1232. Tritthemius in Chron. Hirsaug. Bzouius A. 1233.

turpissima secta condormientium.

Ita malignus spiritus, cum doleret per tres Reges Magos Euangelicos à Christo fuisse gloriosè de Gentium idolomania triumphatum: & iam eorum in ecclesia cultu passim efflorescente suffragijs tantorum Patronorum plurimas animas ob scelera tartaro obligatas eripi Christique diuinitatem exemplo tantorum Patriarcharum à Regibus & Imperatoribus demissè & suppliciter adorare, æmulos illorum gloriæ tres dæmones designauit, quibus sanctis triumuiris honor debitus tribueretur, vt verò sibi deuinciret arctius cultores, eos nefarijs libidinibus, & insanis amoribus sic immersit, vt è cœno vitiorum vix vnquam possent emergere; sed prudenter venereis flammis occursum est igne corporato: vt vel tanta proposita suppliciorum diritate corrigerent errorem, vel vltricibus extincti tormentis, alios definerent illicitis cupiditatibus inflammare. Eadem tempestate bellum sacrum contra sectarios prioribus affines susceptum est; Stetingi dicebantur, qui & responsis dæmonum & augustissimi altaris sacramenti sacrilega contaminatione gloriabantur: eos Dux Brabantiæ, & Comes Hollandiæ cruce signati dum sacra de Crucis viuifico trophæo carmina Clerus in acie concineret, fuderunt & ad sex eorum millia trucidarunt.

Albertus Stadensis ad eundem annum & sequentem. bellum sacrum indictum contra similes hæreticos.

Tunc morem in Germania inualuisse existimo, quo fores ostiorum contra malefi-corum præstigias cruce signantur, & primis nominum SS. Regum characteribus insigniuntur, vt ita nefaria Luciferi diuinitatis appetentia, & trium orcigenarum, diuiæ SS. Regum æmulorum conatus, crucis viuificæ signo, melioribusque characteribus sacris eliderentur. sed dum omnis auulsus quæsi à sedibus tartarus cultum sanctorum Regum nititur exstirpare, Deus eosdem mirandis magis operibus fecit inclarescere: quorum locupletissimus testis est Innocentius 4.

propagatur mos fores literis initialibus SS. Regum insigiendi.

CAPVT XLVI.

Innocentius quartus cultum sanctorum Regum A. 1245. & 6. indulgentijs promouet, & miracula eorum probat.

ANNO salutis reparatæ autore Bzouio 1245. 8. Kalendas Iulij renunciatus est Pontifex Maximus Innocentius quartus: is miraculis prouocatus, quæ ad sanctorum Regum implorationem patrabantur ecclesiam custodem eorum annuis indulgentijs ex ecclesiæ thesauro depromtis cumulauit.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei vniuersis Christi fidelibus has literas inspecturis salutem & Apostolicam benedictionem.

SI populus Israëliticus, qui sub legis vmbra viuebat, frequenter accedens oratorius ad locum, quem elegit Dominus, vt ibi poneret nomen suum, vota & donaria plurima offerebat, tanto fortius populus Christianus, cui apparuit benignitas & humanitas saluatoris tenetur ecclesias, in quibus Christus ad abolendam criminum.

num nostrorum corruptelam immortaliter, & incorruptibiliter viuus quotidiè immolatur congruis honoribus frequentare, ac ibidem offerre munera cum animi puritate, quanto sunt certiora experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Cum igitur in Colonienſi eccleſia maximæ Sanctorum reliquiæ ſub veneranda cuſtodia requieſcant, vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus ad eandem eccleſiam cum deuotione & reuerentia debita in puritate animi accedatis. Nos cupientes, vt eadem eccleſia congruis honoribus frequentetur, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam ipſam in die conſecrationis eiuſdem venerabiliter viſitant annuatim, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius autoritate confiſi 40. dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer annis ſingulis relaxamus. Datum Lugduni 3. Kalendas Auguſti Pontificatus noſtri an. tertio. Anno ſequenti miraculis ſanctorum Regum auctis ad eorum etiam diem anniuerſarium Pontifex extendit indulgentias, meminitque prodigiorum eorum patrocinio patratorum.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORum Dei venerabili Fr. Archiepiſcopo & dilectis filijs capitulo Colonienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

LIcet is, de cuius munere venit, vt ſibi à fidelibus ſuis dignè & laudabiliter ſeruiatur, de abundatia pietatis ſuæ, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſeruientibus multo maiora retribuat, quam valeant promereri. Nihilominus tamen deſiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Chriſti ad complacendum ei, quibuſdam illectiuis muneribus, indulgentijs, ſed & remiſſionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuinæ gratiæ aptiores. Cupientes igitur vt

Sancti tres Reges coruſcant miraculis

ECCLESIA VESTRA, IN QVA TRIVM REGVM SS. CORPORA, CORVSCANTIA MVLTIS MIRACVLIS, SVB VENERANDA CVSTODIA CONSERVANTVR, CONGRVIS HONORIBVS FREQVENTETVR, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam ipſam in feſtiuitate ipſorum Sanctorum venerabiliter viſitauerint annuatim, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi 40. dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer annis ſingulis relaxamus. Datum Lugduni 6. Aprilis Pontificatus noſtri anno quarto,

Quæ miracula tunc patrata ſint, longa deleuit æras, & incendium, quod breui poſt eccleſiam incinerauit, conſeruatis tamen ſacris Regum exuuijs.

CAPVT XLVII.

Eccleſia S. Petri & cuſtos SS. Regum incendio funeſtatur circa an. 1247. Innocentius quartus largis indulgentijs excitat fideles ad conſtructionem nobilioris Baſilicæ.

OCCASIONEM ingentis illius, quæ ſuperat ſtructuræ templi plerique putant à donarijs infinitis oblatam eſſe, cum præſertim peregrinorum vndique commeantium frequentiam baſilica ſat ampla ſuis tamen anguſtijs non comprehenderet. vt laxanda fuerint ſpatia. Mihi certius, incendio priorem deflagraſſe: nec enim fallere poteſt Innocentij Pontificis bulla, quæ tunc prodijt huic capiti inſerenda. Sed quia poſterioris idea templi licet priorem amplitudine, maieſtate & dignitate operis immenſum ſuperarit, eius tamen exemplar & figuram magnam partem expreſſit, rudem prioris imaginem delineabo ex M.S. veteri codice delibatam. Hildebol-

Idea veteris templi ſummi conditorij SS. Regũ.

dus Archimyſtes ſuperſtite adhuc Carolo Magno priorem baſilicam cuſtodem ſanctorum Regum auſpicatus eſt: conſecratam poſtea à Williberto an. 871. Erant in ea chori

chori duo ampliſſimi, quos nauis templi ſeiungebat, ſuperior D. Petro, poſterior geminas inter turres æri campano deſtinatas medius Deiparæ ſacer: totidem erant cryptæ ſubterraneæ. Dexteræ turris altare S. Stephani, ſiniſtræ vero S. Martini patrocinio gaudebat.

Aram principem D. Petri tres prægrandes feneſtræ colluſtrabant, totidem alteram Dei genitrici ſacram: latera verò ſuperioris feneſtræ vtrimque luminaria 24. decorabant. Altare verò tam S. Stephani quam S. Martini quatuor cingebant lumina: vnum eorum aræ incumbebat: at S. Seuerino conſecratam aram, ſitam prope ianuam, qua patet acceſſus ad eccleſiam ad gradus S. Mariæ V. vbi quondam turris vna fuerat excitata, exornabant lumina quinque, & vnum ipſam aram illuſtrabat. In latere, cui ſacrarium adhærebat, ſex feneſtris lux affulgebat: at ex oppoſito auſtrali latere duodecim inferiora lumina viſebantur. Denique principem D. Petri aram quinæ orbiculares feneſtræ coronabant: altaris verò Deiparæ latus vtrumque rotunda feneſtra claudebat. His in geminis choris licebat clero metropolitano ſolenni ceremonia ſacrum decantare, purpuratis adſiſtentibus ex ijs cum ſandalijs 7. mitratis ſacerdotibus, totidem Diaconis & ſubdiaconis. Similis ſtructuræ facies licet maieſtate auguſtior, & innumeris ſumtibus opulentior alterius poſterioris fuiſſet templi, ſi coronis imponi potuiſſet operi: niſi quod crucis imaginem expreſſiſſet, tribus in transverſa trabe adiecta choris ſeparatis appoſitis: quorum qui medius futurus erat, ipſum ſacellum ſanctorum Regum conditorium comprehendiſſet: ac licet ferè per trecentos annos infinitis impendijs in accuranda baſilica fuerit deſudatum, operis tamen artificioſiſſimi labor incredibilis, & ſumtuum obſtat immenſa, non facile finienda magnitudo, quo minus abſoluatur. Multum ſupremi Sacrorum antiſtites monitis & oblatis indulgentijs ampliſſimis contulerunt, vt Reges, Principes, & nationes orbis vniuerſæ collatis ſymbolis ſtructuram promouerent, vnam attexam Innocentij quarti bullam, qua fideles ad ſanctorum Regum cultum etiam exſtimulat.

INNOCENTIVS QVARTVS P. M. INDVLGENTIAS concedit omnibus fidelibus, ad fabricam Eccleſiæ Colonienſis offerentibus A. 1247 vel 1248.

INnocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei & vniuerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam, vt ait Apoſtolus, omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus ſiue bonum fuerit, ſiue malum, oportet nos diem meſſionis extremæ miſericordiæ operibus præuenire ac internorum intuitu ſeminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cælis, firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quoniam qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Sane FAMOSA, ET HONORABILIS COLONIENSIS ECCLESIA de nouo, ſicut accepimus, caſu miſerabili per incendium eſt conſumta. Cum autem V. Fr. noſter Archiepiſcopus, & dilecti filij Capitulum Colonienſe, eccleſiam ipſam, IN QVA TRIVM BEATORVM MAGORVM CORPORA REQVIESCVNT reparare cupiant opere ſumtuoſo, ad quod fidelium ſubſidiũ eſſe dignoſcitur plurimum opportunum, vniuerſitatem veſtrã rogamus, atque hortamur in Domino, in remiſſionem peccaminum vobis iniungentes, quatenus de bonis vobis collatis à Deo piæ liberalitatis auxilium ad hoc PRO DEI ET MAGORVM IPSORVM REVERENTIA promptis affectibus impendatis, vt per ſubuentionem veſtram opus huiuſmodi valeat conſummari. Et vos per hæc & alia bona, quæ Domino inſpirante feceritis, ad æternæ poſſitis felicitatis gaudia peruenire. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia & BB. Petri & Pauli Apoſt. eius auctoritate confiſi omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad hoc manum porrexerint adiutricem, vnum annum & 40. dies de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datũ Lugduni 12. Cal. Iunij, Pontificatus noſtri anno quinto. Incurrit hic annus in 1248. quo celebrato Lugduni Concilio vniuerſali Fridericus Imperator à triennio ferè anathemate percuſſus, deiectus eſt de Cæſarea dignitate,

Incenſum ſummum templum Colonienſe.

Tres Beati Magi quieſcunt in eo.

CA-

CAPVT XLVIII.

Conrardus ab Hoensteden Colonienſis Archimyſta Metropolitanæ Eccleſiæ iacit A. 1248. fundamenta.

defenſor ſedis Apoſtolicæ.

QVo maioribus donis ſpiritualibus Innocentius Pontifex maximus Colonienſē ſanctorum trium Regum cuſtodem eccleſiam ornabat; & ad eius inſtaurationem vehementius fideles accendebat, hoc viciſſim Colonienſis Archiepiſcopus in defendenda ſedis Apoſtolicæ maieſtate, contra Cæſarem depoſitum incumbebat ardentius. Et ſanè is erat Conrardus, qui nutanti tunc imperio poſſet, & auderet contra conatus omnes Friderici ſolio deiecti humeros ſubijcere tribus intra paucos annos creatis Imperatoribus, quos opibus, conſilioque ſic confirmauit, vt maieſtatem imperij Romani contra firmatam potentiam Friderici, filiorumque illius tuerentur.

Natus erat ex perilluſtri Comitum ab Hoënſteden proſapia: ſuæque familiæ extremus ſurculus, vt multi volunt: ad quem arces quamplurimæ, poſſeſſiones ampliſſimæ, & opes infinitæ iure hereditario deuoluebantur, quas ipſe liberaliter in eccleſias & cultum diuinum inſtaurandum, & imperij ſuſtentandā maieſtatem omnes erogauit.

Cronicon Belgicum

Tres elegit ſuccedentes ſibi Cæſares cuſtodepoſitum Fridericum.

Quantum profuerit Innocentio quarto in exautorando Cæſare narrat Chronicon Belgicum. *Erat*, inquit, *in aggrediendis arduis intrepidus Conrardus: & cum Fridericus ſecundus Imperator per Innocentium quartum ab imperio fuiſſet depoſitus, tanquam filius obediens, & fideliſſimus de mandato ipſius Domini Papæ ad excludendam ab imperiali ſucceſſione præfati Friderici iſtius poſteritatem, ſua induſtria, ſagacitate atque potentia tres ſucceſſiuè Principes ad regnum Romanorum elegit; adſociatis ſibi & allectis alijs ſuis Conprincipibus Electoribus, prout tanti, & ardui facti opportunitas exigebat. Elegit namque primum Henricum ſeptimum Landtgrauium Haſſiæ; atque Thuringiæ, (qui cognomine Toraſpe dicebatur: & eundem electum ſine mora in locum præfati Friderici ab imperio depoſiti ſubrogauit: quod tamen abſque difficultate fieri non potuit: nam cum Conrardus dicti Friderici Imperatoris filius, regnum iam inuaſiſſet, Conrardus Archiepiſcopus commiſſo cum dicto Conrardo Friderici Imperatoris filio apud Francfordiam prælio, eundē victū fugauit: & tandem electionem huiuſmodi de dicto Henrico fieri procurauit. Eodem autē Henrico non multo poſtea tempore defuncto, Dominus Conrardus Colonienſis Archiepiſcopus Wilhelmum comitem Hollandiæ in Regem Romanorum conſtituit, cuius ipſe electionem iuxta Wurich Colonienſis territorij fieri procurauit: habens tunc ſecum in Comitatu pro tanti ſolennitate negotij præter Principes & nobiles ſeculares Archiepiſcopos & Epiſcopos numero 14. in quorum congregatione ipſe tunc temporis eccleſiam nouam S. Cuniberti Coloniæ ſolenniter dedicauit; ſed eodem Wilhelmo ad regnum electo, & in breui poſtea per Friſonum gentem in bello interfectos dictus Conrardus Archiepiſcopus tertium in regnum ſubſtituit, Richardum, videlicet Cornubiæ Ducem, Fratrem Regis Anglorum, verumtamen illi ſic electi, ad imperium, propter temporis breuitatem, nil memoria dignum facere potuerunt, & benedictione imperiali caruerunt.* Hæc pro ſedis Apoſtolicæ defenſione piè fortiterque: ſuam tamen ſpartam vt ornaret, Eccleſiam Colonienſem Metropolitanam, hoc ingentibus animis, incredibilibus impendijs & conſtanti peruigilique ſolertia eſt conſecutus, vt ob operis inchoati magnificentiam immortale ſibi merito decus, & nomen peperierit. Aggreſſus enim eſt eam molem, cui tunc in Europa vix alteræ ſimilis videbatur. Primordium cœpit operis tanti auſpicatiſſimo die peruigilij Deiparæ in cœlos adſumtæ; quando Pontificalibus amictus A. 1248. primum iecit lapidem: quod verſus hi præ foribus inciſi denotant.

fundamēt iacit templi Metropolitani.

Anno milleno bis centeno dabis octo
Dum colit adſumtam Clerus, populusque Mariam,
Præſul Conrardus ex Hoëſteden generoſus,
Ampliat hoc templum, lapidem locat ipſeque primum

CAPVT XLIX.

Descriptio memphitici templi metropolitani Colonienſis iuxtà ideam primam, quale iam eſt & futurum erit, ſi coronis operi aliquando imponatur.

VTAR hoc capite vocibus artis Architectonicæ proprijs è Vitruuio petitis, quas operi Gothico conabor accommodare. Tota moles templi viuo ſectoque conſurgit è lapide, qui cinerei coloris in ſeptimontio ſupra Bonnam cæditur, & à Draconis petra vulgo drachenfels nominatur, poſſetque tralatè, quaſi in ſaxei draconis vertice genitus Draconites appellari: vt enim gemmæ lucem & ſplendorem ceſſerit, ſolidiſſimus ac duriſſimus eſt, qui licet Subdialis, ſætatem fert, vt mirum ſit ſtatuas hominum & animalium inde venuſtiſſimas & politiſſimas figurari, rerum etiam tenuiſſimarum ſpecies, quas è ligno, vel cera quis ægrè duceret, fingi, quæ aëris iniurijs expoſitæ ſeculis multis primam conſeruent elegantiam, ſtatuæ tamen pleræque è lapide molliore figurantur.

natura lapidis è Draconis petra, quo conſtructa eſt templum.

Operis totius & partium ſymmetria nullam certam regulam Ionici, Corinthiaci vel compoſiti moris, ſed Gothicum magis inſtitutum ſequitur, vnde quidquid collibitum fuerat ſaberrimè ſic expreſſit ars, vt cum naturis rerum certare videatur, habita tamen partium omnium peræqua proportione: neque enim in ſtylobatis, columnis & capitulis, vel in totius ſtructuræ genere vetus Italorum architecturæ ratio fertur, ſed opus hac ferè ſolidius, firmius, & cum res exigit, interdū ornatius apparet, præſertim in tota exteriore facie templi, quæ interioris latentem clarius oculis vbique obijcit elegantiam: nam ab imo ad ſummum vſque faſtigium, tam in turri ingenti campanarum, quam in paraſtadis 14. geminatis, quæ chori exterioris murū vndique muniunt & fulciunt, omnia proprijs ornamentis, prælertim cymatijs, feneſtris cæcis, ſtatuis, pyramidibus; columnæ ſuis capitulis, repandis folijs & cauliculis pari nitore diligentia, politura, magnificentia ſumtibus & ingenio ſunt elaborata, licet pleraque coſtarū ornamenta ſumma, vix ob altitudinem in oculos mortalium incurrant, niſi proximè tribus ex ambulacris eadem contempleris: vt quis iniquior rerum arbiter ſuperuacaneos immenſos ſumtus adhibitos eſſe poſſet æſtimare, niſi conſtaret non hominum curioſorū ſolius paſcendæ voluptatis cauſa, ſed Dei optimi maximi honori tantam molem ijs impendijs, conſtitutam, cuius eſſe gloriæ quidquid conſecratur, decet, vt eius *perfecta ſunt opera*, ſit etiam omnibus ſuis numeris vbique abſolutum.

opere Gothico

ſolidè

politè

ſumtuoſè

Deut. 32. 3.

Longitudo templi modo 385. pedes conficit, latitudo 160. complectitur. Forma crucem exprimit, cuius cornu primarium ad ortum ad tranſuerſum vſque crucis latus, tam intus, quam foris omnibus partibus, & ornatu ſuo confectum eſt & abſolutum intra 74. annos ab inchoata templi fabrica: ſatis id indicat operis reliqui propè infiniti magnificentiam & dignitatem, ſi transuerſa crucis brachia teſtudinem Petrini chori, totaque nauis templi æquaret altitudine, quæ 150. pedibus circiter definitur.

longitudo & latitudo forma crucis

altitudo.

Habet primarius S. Petri chorus in eo crucis orientali cornu viſendam celſitudinē, cuius feneſtræ pleræque ſanctorum Regum imaginibus, roſis, & figuris raris, encauſto mirificè variegatis, Cæſarum, etiam Regum Ducum & rerum publicarum Europæ præcipuarum inſignibus, vitro plumboque ad operis diuturnitatem craſſo, firmoque decorantur. Fornix & tectum chori nititur quinis ad vtrumque meridionale & ſeptentrionale latus columnis, paribus interuallis diſſitis: quorum intercolumnia murus non altus ſepit, qui firmat ſubſellia Canonicorum, inter quæ à dextris ſub S. Silueſtri ſtatua vacuus primus relinquitur Pontifici Maximo locus, vt ex oppoſito ſiniſtro latere ſimilis Imperatori: nam vtrumque Metropolitanis accenſent Canonicis: vterque ſuo per Vicarios duos fungitur munere. Sequuntur illuſtrium ſedes, qui holoſericis rubeis amicti togis cum Presbyteris octonis cantandis vacant diuinis officijs, nec licet ad aram principem litare ſolenniter diuinam hoſtiam niſi illuſtrium aliquis adſiſtat, Subdiaconi munus obeat & epiſtolam concinat.

Chorus S. Petri

ſedilia Canonicorū.

Murd

organum. Muro chori occidentali adhæret ingens organum, opere præclaro & elaborato, suauitate concentus gratum: nam dulciſſimis modulis harmonia graui temperatis aures mirificè demulcet, dum ob ſitum commodum vóces in tanta licet amplitudine templi periucundè reſonant.

altare ſummum. Orientale chori latus claudit ſenis columnis, breuiore ſpatio vix quinis pedibus à ſe diſſitis ara princeps, S. Petro conſecrata, ferreis vndique vel lapideis cancellis clauſa conſtat ea ſolido marmore nigro miræ magnitudinis Namurco Coloniam adaecto, quod pedes Geometricos 16. longum & octo latum eſt: ornatur ſimulacris è candido marmore: ſed feſtis maioribus 21. Apoſtolorũ pedalibus argenteis ſtatuis, cingunt aram æneæ ſtatuæ columnis item ære tectis inſiſtentes. Supra aram S. Engelberti ſarcophagus argenteus, ſtatuis, figuris & emblematis raris ornatus viſitur, cum ſacris Martyris exuuijs, Ferdinandi Archiepiſcopi munificentia curaque conſtitutus. Proximè aram principem ad cornu Euangelij in muro conſurgit tabernaculum magnificentiſſimum auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento ſeruando collocatum, id quadrata forma fabricatum in metam celſiſſimam paulatim faſtigiatur: inferior pars quaſi faſcia globoſa duplici ſibi inuicem implexa, & ſinuoſè circumuoluta cingitur, intus eſt concaua, foris perforatis paſſim ſpiris arte mira variatur: vbique ſtatuæ minutæ membris omnibus elaboratæ cernuntur, Columellis ſuis nixæ, & turritis pyramidibus quaſi conopæis & tectis exornatæ. perquam difficile foret ex cera vel quauis alia materia molliſſima formare tam exquiſitum opus tot ſimulacris, hiſtorijs, pyramidibus & id genus alijs ornamentis decoratum, & incredibile videri poſſet in oculis vſurpares, duriſſimum lapidem tam obſequentem ſe artifici in ſubtiliſſimis figuris & hiſtorijs fingendis præbuiſſe, vix vt pictorum aliquis videatur tantillas res ita coloribus adumbrare poſſe, vel artis ſtatuariæ venuſtatem adſequi.

ornamenta eius.

alæ & ſacella Cingunt in orbem chorum S. Petri alæ, ſed teſtudine humiliore (nam multum cedit altitudini chori) & octo ſacella ampla, ſplendida celſa, lucida, quæ muris adhærent & ferè tymbis Pontificum, eorumque ſtatuis honeſtantur.

mauſolæum SS. Regum. Poſt aram principem ad ortum conditorium occurrit ſanctorum Regum pium, ſumtuoſum, & firmum: nam intra ſacellum elegans ara parieti adpacta cultui eorum conſecrata pietatem adſpirat in ea facientibus; mauſolæum verò regium ferreis vndique lateribus, & oſtijs, ambitur, & tecto ſimili faſtigiatur, cuius pars ſuperior elathris è ferro reticulatis conſtat, vt perſpici poſſit ipſa SS. Regum hierotheca, quæ prægrandis aureis & argenteis laminis, ſtatuis, & varijs cruſtis ac emblematis gemmisque regiè decoratur, ea magnitudine, vt tres Reges commodè iuxta ſe locentur ordine proni, quaſi Chriſtum in ara principe proſtratis corporibus & vultibus adorarent: latera tumbæ 12. Apoſtolorum, totidem Prophetarum & virtutum præcipuarum imagines illuſtrant: præterea vitæ Chriſti myſteria, in ea cum viſionibus Apocalypticis exprimuntur: at frons, Ottonis quarti Imperatoris donum, Dei genitricem cum puero reſidentem exhibet ſtatuis eminentioribus, tum Regem vnum poſitis genibus dona puero offerentem, ceteros ſtantes & ad munera deferenda paratos repræſentat, cum Ottonis ipſius ſimulacro: ſolet ea frons feſtis Epiphaniæ & tranſlationis Regum eleuari, vt capita tria coronis aureis redimita per cancellos argenteos obtutibus populi confluentis pateant: ardent coram eis nocte & interdiu tres cerei in candelabris argenteis, quos cuſtos SS. Regum Presbyter Canonicus indies renouat.

hierotheca

emblemata eius

& frontis

ſuperior lipſanotheca trium Martyrum Supra trium Regum lipſanothecam alia conſiſtit inferiori parum diſſimilis magnitudine & nobilitate, veſtita pariter argento varijs figuris & iconibus inſignita, qua SS. Gregorius Spoletanus, Nabor & Felix Martyres continentur. Gregorium Bruno Ottonis Magni frater Colonienſibus impetrauit: Reinoldus cum Regibus Felicem & Naborem Mediolano tranſtulit Agrippinam; vtramque hierothecam eadem ædicula ferrea miniata cuſtodit, cuius editior frontis pars, Deiparam & tres Reges offerentes munera ſtatuis maioribus repræſentat, ad quam deferri feſtiuis eorum ſolennitatibus primariæ templi reliquiæ ſolent, manibus ſereniſſimorum & illuſtriſſimorum Canonicorum ac populi pietati in ſublimi pegmate exponi honorandæ, cereis plurimis in eo collucentibus.

ſacellum S. Bernarai. Sacello Regum ad auſtrum proximum eſt, quod B. Irmgardis tumulo, reliquijs & ſtatua nobilitatur, ea præter alias ampliſſimas fundationes S. Petro Reſam & Calcariam

nem ibi commutatum, inde partē cranei S. Siluestri dono Pontificis maximi Colonien-
sibus impetrauit. eius virginis caput argento vestitū 4. Septemb. ibidem honoratur.

Vicinum huic sacellum exhibet tumulum Walrami de Iuliaco fundatoris Carthu-
siæ Coloniensis, cui resupinus incumbit è candido marmore Pontificalibus insulis ex-
ornatus. Postea S. Crucis oratorium sequitur S. Geronis Episcopi sacris exuuijs hone-
statum, qui Glabbacense cœnobium excitauit, eique B. Sanderadum præfecit. S. crucis.

Denique sanctissimæ Dei genitricis sacellum ceteris omnibus amplius & magnifi-
centius claudit australē seriem: in eo diuinissimum altaris sacramentum reconditur;
peregrinis & inquilinis sacra synaxis distribuitur: in eadem thaumaturga Deiparæ sta-
tua Mediolano translata cum SS. Regibus maxima populi frequentia honoratur. Iux-
ta quam merito tumulū obtinet Reinoldus Archiepiscopus, in cuius sepulcro ære fu-
sum eius simulacrum resupinum iacet, & pone id altare SS. Regum cum eorum ima-
ginibus visitur. In eodem sacello quotidie Deipara sacro musico, & cantu officij
Mariani colitur. Ad oppositum septentrionale latus tria tantum sacella sunt ex-
citata: & primum quidem à conditorio SS. Regum S. Laurentio sacrum, æneum habet
tumulum Conradi ab Hosteden qui Metropoliticam hanc basilicam inchoauit, tres
Imperatores ordine constituit deposito Friderico secundo, suisque opibus contra ho-
stium potentiam sustentauit, ac hereditaria bona ampliſſima S. Petro donauit.

Dei genitricis Mediolanensis. Reinoldi tumulus. S. Laurentij. Cōradi ab Hosteden.

Alterum sacellum sepulcrum seruat Philippi Heinsbergici, qui sanctos tres Reges
contra Principum imperij conatus egregiè tutatus est, & inita cum ciuibus armorum
societate plurimum contulit ad ciuitatis Colonien sis pomœrium quintuplis facilè
spatijs amplioribus producendum, mœnibus, turribus & vallis contra hostes mu-
niendum, ideo tumulus turribus & pinnis vndique coronatur: idem Ducatus An-
gariæ & Westphaliæ & alia loca 50. marcarum millibus diœcesi acquisiuit.

Philippi Heinsbergici.

Tertium & vltimum S. Catharinæ sacrum, tumulum in medio candidum S. En-
gelberti Martyris complectitur, in quo pauca eiusdem ossa retinentur, ceteris in argen-
team eius hierothecam supra aram principem translatis. In huius sacelli muro exte-
riori, qui proximus attingit ostium templi, quod ad collegiatam Graduum D. Vir-
ginis Ecclesiam ducit, antiquissimum Christi in crucem suffixi simulacrum sublimi in
loco multis anathematis & cereis cinctum adspicitur, idemque creditur quod B. Irm-
gardi voce articulata bene precatū dicitur, & cuius fissuram S. Gero creditur particula
corporis dominici imposita integram restituisse. Sequitur deinde vestiarium templi,
cuius vestibulum sacello non ignobili decoratur, quod respondet oppositi lateris sa-
cello Deiparæ cereris ampliori; ne qua deformitas in structura templi, vel inæqualitas
appareat: eique sacrario domus capitularis adhæret. Præ foribus huius vestiarij ad
dexteram horologium cernitur arte mirabili; cuius pondera semel in anno eleuata,
non solum singulos anni dies, sed solis etiam, lunæ ceterorumque errantiū siderum,
cursum & oppositionem artificiosè repræsentant: Supra horologium rota versatilis in
editiore loco consistit, qua tres Reges Deiparæ filioque munera deferentes & adoran-
tes, cum æris campani festiua harmonia, & tubarum clangore circa Epiphaniam &
translationis festum progressu graui circumaguntur.

crux prodigiosa. vestiariū. horologium Planetarum. rota versatilis Regū.

Sequitur deinde alterum ostium septentrionale, quo per gradus lapideos ad platea
potatoriam descenditur; eius fornici proximo incumbit bibliotheca templi vetustissi-
mis à tempore Caroli Magni scriptis codicibus veneranda. Sub ipsa candidis bacillis
ordine dispositis æra Colonien sis Archiepiscopi superstitis indicatur: cui adhæret hæc
epigraphe.

bibliotheca

Quot pendere vides baculos, tot Episcopus annos
Hunc Agrippinæ præsidet Ecclesiæ.

Æra Archiepiscopalis.

Sicque finitur cornu crucis primarium templi vndique fornicatum & suis nume-
ris absolutum: clatris ferreis ex vtroque latere septum & munitum. Sequitur spa-
tium crucis medium, qua parte brachia totam secant arborem, quod inter chorum
S. Petri muro clausū & nauim intercipitur, senis vtrimque constat columnis, caretq;
testudine, complectitur verò sicut chorus & nauis templi intercolumnij spatium, in
longitudine pedes circiter 44. cuius dextrum cornu septentrionem versus Parochi-
ali D. Virginis in Pasculo templo & altari angulari definitur, eiusdem Australe
brachium opposito huic ferè ostio ad altare vsque S. Nicolai protenditur: la-
titudo transuersæ crucis est 220. pedum: excrescet ferè ad 300. Quos inter
choros in meditullio (quod etiam chorum S. Petri à naui separat: vbi modo pari-

brachia crucis transuersæ. latitudo eorum

ad medium crucis.

ti,qui chorum extremum S.Petri claudit altare S.Annæ clatris vndique ferreis munitum conſpicitur, & ſub ipſa, quæ in fronte ſumma chori exterioris ſupra tectum nauis templi ſtella inaurata fulgurat, & ad loca ſemotiſſima cœlo ſereno videntium perſtringit oculos)mauſolæum ingens altitudine,ſpecie,&arte viſendum dignumque tantis Regibus Deo propitio reſtat ædificandum: nam totum hoc tranſuerſum crucis ſpacium cum naui templi chori S. Petri celſitudinem adæquabit, ideoque nunc adhuc fornicibus caret; depreſſa ad æquam proportionem & operis totius ſymmetriam alarum vtrarumque concamerationē. Ad hoc baſilicæ medium, quaſi cor eius corpora ſacra transferentur, vt facilius canentium Clericorum in cornibus ſingulis, populique ſupplicantis frequentia ambiantur, & honorificentius colantur.

mauſolæum Regum tranſferendum.

nauis latitudo.

Ad nauim templi venio, cuius latitudo quæ choriPetrini 44.pedum eſt:tot enim columnæ medianæ ab oppoſitis,pedibus ſeparantur : quæ 18½. à ſe pedibus in longitudine diſſident: omnes eæ ſicut, & chori, & tranſuerſorum crucis brachiorum

triplex craſſitudo columnarum.

craſſitudinem 9 ½. pedum explent. Ob oneris grauitatem: in alis octonum pedum ſunt ob teſtudinem depreſſiorem : ſicut in templi & crucis meditullio quatuor columnæ,quæ maximum pondus crucis mediæ vel cupulæ forte ſupra chorum trium Regum erigendæ ſuſtinebunt, ad 12. pedes eſſe craſſæ videntur.

nitor & politura.

Singularum columnarum politus eſt nitor, ſtylobatis octogonis exſurgunt è pauimento,è quibus ſcapus cum emerſerit in quatuor angulis, quati totidem columnis cylindracea figura ſurſum progreditur;tum canalibus ſtriatus, columella graciliore vna media in alaribus pilis:at duplici in craſſioribus tranſuerſæ crucis &nauis templi: imo triplici in craſſiſſimis columnis in meditullio crucis rotundatur,totidēque ſtrijs alternis cauatur,cylindris medijs ac tenuioribus fornices & arcus; minores, at angularibus craſſioribus maiora pondera ſuſtulciuntur.

capitulorum ornatus.

Capitalia carent zophoris, abacis, volutis: coronantur tamen ordine duplici aut triplici cauliculorum, vel frondium rapandarum, quæ cæſariem criſpam humani capitis imitantur.

quadruplex ſeries pilarum,

Quadruplex in templo ſeries columnarum eſt, binæ nauim templi chorumque S. Petri,binæ reliquæ ſuſtentant in alis,arcuatum opus,quod ad ſeptentrionem abſolutū eſt,nondum in auſtrali latere,ſicut neque in naui templi&tranſuerſis crucis brachijs: nauis ſeptem vtrimque columnis liberis ornatur in longitudine: nam octaua muro adpacta eſt, qui frontem conſtituit adhuc impolitam, ob turres etiam imperfectas.

oſtia ſeptem.

Oſtijs ſeptem ingreſſus templi patet, eorum gemina ſpectant Auſtrum, totidem Aquilonem,terna occaſum.

turris campanarum.

Turris campanarum immanis vaſtitatis ingreſſuris per oſtia ad occaſum ſita,in dextero latere adhæret templo, forma eius quadrata nititur quatuor potiſſimum angularibus columnis in crucis ſpeciem ob antas,quæ in duplici latere ſingularū eminent. media turris ſpatia geminis feneſtris illuſtrantur,earū in altitudine vaſta duplex ordo perfectus eſt:tertia ſeries&ſuprema luminum deeſt ad celſitatem turris conficiendā.

eius oſtij pulchritudo.

Oſtij turris ad occaſum concaua ſuperior ſuperficies cœleſte beatorum domiciliū refert, eius arcus quatuor tam politis & concinnis figuris & ſimulacris SS. Apoſtolorum,Euangeliſtarum,DoctorumEccleſiæ,Martyrum & geniorum cœleſtium decorantur, vt ſcriniariorum in lignea materia nitorem& pictorum venuſtiſſimas formas tantum non animatas æquet,vel etiam ſuperet ſtructura lapidea. Anterides angularium columnarum in parte inferiori ſignis ſtatuiſque Sanctorum ornantur,quæ duabus columellis anterioribus fulciuntur,ne concidant:iiſdem tectum eorum turritum faberrimum ſuſtinetur. Eædem antæ columnis ab imo ad ſummum faſtigium cimatijs, feneſtris cæcis, pyramidibus:& hæ ſuſtentatæ columellis, reſupinis labris frondium & roſa coronantur.

antarum ſpecies.

& extimæ turris.

Quid multa? tota ſpecies extima turris quanta quanta eſt principis alicuius aræ vel tabernaculi turriti cuſtodiæ SS. Euchariſtiæ exquiſitā elegantiam politie ſua imitatur

tectum verſatile cum tollenone.

Tectum turris ſummum adhuc verſatile giratur in omnem partem cum ingenti ciconia,vel tollenone,quo ſaxa prægrandia,campanæ ceteraque onera ſurſum eleuantur. Magnitudini turris æra campana proportione reſpondent:maius horum vas immane octo ferè pedes altum:diameter eius nouem excedit pedes:æquare pondere

campanæ pondus.

putatur 19. plauſtra vini;nā appendit circiter ducenta viginti quinque centena librarū: malleus eius 325. libras æquat:ab hac campana proxima 115. centenarios pendit.

initia turris oppoſitæ

Altera turris priori gemina conſurgit è fundamentis iactis 10. vel 20. pedibus

dibus alibi, nunc mercatorum ædiculis occupatur, ea superiore in parte arcubus i-
manibus, quorum initia prominent in australi turri, cum ea committenda erat
supra chorum infimum, postremum, in quem medium ostium ad occasum incur-
riset, vt alia extrema in turres geminas, si congruenter ideæ magnificæ totum opus
absolueretur, vti chorus S. Petri foris perfectam operis exterioris speciem adumbrat,
sed inchoatam tantum; quam paulisper libet contemplari. Habet chorus exterior
vel primarium Crucis brachium triplicem ambulationem: primam supra fornices
alarum, æqualem interiori, qua ad organum accessus patet: alteram altiorem ad
initium fenestrarum, tertiam celsissimam supra testudinem chori Petrini ad princi-
pium tecti plumbei, vbi murus desinit. Canales, per quos ambulatur, lapidei sunt,
quorum commissuræ liquato plumbo connectuntur, per quos decidua è tectis a-
qua defluit, & per vastas proiecturas lapideas, quæ draconum, pardorum, vel leo-
num formam elegantissimè referunt, ac per eorum rictus & ora hiantia deuoluitur,
velut subgrundijs prominentibus, vt extra perpendiculū decidat, nec muris noceat.

chori exterioris

tria ambulacra.

per canales lapideos.

subgrundia.

Ambulacra singula peribolo vel lorica præcinguntur lapidea cancellata, quam,
fastigia pilarum & anteridum supra tecta erumpentium coronant, mira formarum
varietate: Nam singulæ columnæ chori siue liberæ consistant, siue muris adpactæ
sint, vbi intra templum athlantico munere sustinendis arcubus & fornicibus per-
functæ sunt, emergunt supra tectum alarum & muri, qui templum ambit, ac co-
starum & parastadarum more fulciunt parietem & columnas chori supremi: dupli-
cem enim arcum, inferiorem & superiorem anterides muri extremi subdiales proij-
ciunt in costas alares, seu medianas columnas: hæ totidem arcus in pilas chori &
murum eius summum reijciunt: arcus singuli geminis columellis politissimis ni-
tuntur intra murum chori & ipsi vario figurarum schemate perforati honestantur:
sicque altitudo chori, pondusque plumbei tecti solidatum & anteridibus firmiter
munitum à ruina custoditur, vt nullis ventorum ffabris, & tempestatum iniurijs æ-
terno quasi operi noceri facilè possit. Iam ipsi columnarum subdialium apices or-
natu raro cuspidantur: nam vbi supra tectum in liberum aërem eruperint, in cru-
cis modum quadratæ, surgunt, vt singula latera se mutuo firment, postea tribus in
locis contractiores sensim tenuantur, singulæ partes crucis tribus fenestris cæcis, ci-
matijs, & similibus suis ornatæ figuris fastigiantur, pyramidibus, quæ columellis ni-
tuntur duabus. Latera singula pyramidum septenis communiter repandis frondi-
bus & apex rosa coronatur. Ac parastadæ muri extremi templi cum in metam
summam exacuuntur, earum suprema pyramis quatuor nixa columnis supra circa-
que sacellum trium Regum, inclusas prægrandes statuas exhibet, cum tecto pyra-
midato: reliquæ, præsertim chori Petrini crassiores pilæ, quadrato solido lapide in
metam etiam cuspidantur, quarum latera foliis repandis, vel cauliculis exornantur.

peribolí.

parastadæ.

fulciunt chorum.

apices columnarum pyramidati.

& ornati.

Et prima quidem columna chori ad ortum, proxima sacello Regum, quæ supra
peribolum & loricam ambulationis ornatus gratia leuabatur altius, siue ventorum
impetu, siue quod alij malunt dæmonis impulsu parte sua suprema pyramidatâ
conspicitur adhuc viduata: nam fragmen ingentis magnitudinis ornamentis suis
pyramidalibus per tectum hinc inde, vt videre licet, adhuc dispersis, non ad perpen
diculū deorsum sed transuectum 35. pedibus &. supra sacellum, vtique dæmonum
ministerio deiectum est, vbi tectum sacelli regij, testudinemque perfregit, sed in casu
ne contereret ædiculam sacram cum hierotheca Regū, diuinitus repulsum prope sa-
cellum iuxta scamna lignea oraturis opportuna, decidit vt infra narrabitur. Tectum
chori laminis plumbeis operitur: quibus Broëlmannus ait elephantinis literis inscri-
ptam esse prosam de SS. Regibus: fastigium tecti summum acroterijs & pinnaculis
prominentibus exornatur. Murus transuersæ crucis, qui chori extremi S. Petri fron-
tem occidentalem cingit vtrimque, ductus est supra tectum templi binisque fenestris
ex vtroque latere conspicuus fulcitur vectibus, qui postremis parastadis chori ni-
tuntur, sicque compages tota chori templique firmiter inter se nexa, parastadis, &
anteridibus stabilita cohæret, nec altitudo tantæ molis ruinæ periculum subit.

vnus deuolutus versus sacellum Regum.

rectum chori.

duplicibus circumquaque.

Restat alter oppositus ei paries similis educendus, cuius si concameratio, chori
celsitudini respondeterit, nauisque templi testudo par in geminarum turrium arcuarū
opus incurrerit, hoc verè regiū & memphiticū opus iure miraculis orbis adnumera-
ris. Hæc omnia licebit clarius in idea mirabili duarum immanium turrium ad-

iecta, ac in ichnographia totius basilicæ contemplari: neque enim patitur institutæ narrationis breuitas, vel operis ipsius maiestas rem tantam pro dignitate delineare: quid alij senserint de operis magnitudine attexam: Tritthemius: *Anno Dominicæ Natiuitatis* 1248. *Conradus Archiepiscopus Coloniensis homo diues & magnanimus magnam illam & insignem Ecclesiam Coloniensem maiorem construere cœpit, ponens primum lapidem in vigilia Adsumtionis B. Mariæ semper Virginis: quod opus licet quotidie laboribus artificum sumat incrementa, sitque iam per annos ducentos & 54. sine intermissione continuatum, tamen adhuc hodie minimè est completum propter ingentem sui magnitudinem, & excellentiam.*

Tritthemius in Chronico Hirsaugiensi.

Iacobus Middendorpius in Academijs: *Ac primum quidem est maximum fanum re ac nomine summum ex lapide vivo admirabili arte elaboratum B. Petro dicatum, cui si extrema artificum esset addita manus, nullum omnino vniuersæ Germaniæ templum elegantia & magnitudine non superaret, meritoque inter stupenda Europæ adnumerandum veniret, intus multorum Principum, Episcoporum & Ducum ex cupro & alabastro tymbis atque adeo Trium Magorum corporibus illustratur.*

Iacobus Middendorpius.

Nec omittendus Melchior Inchofer. *Seruantur*, ait, *porro in æde maiori principi Apostolorum à S. Materno eiusdem discipulo sacra, de cuius pulcritudine & magnificentia inter Germaniæ totius templa mira referunt scriptores, plura etiam dicturi, si operi, tam insigni manus extrema accessisset: cur verò non accesserit, causæ in medio sunt. Nec prætereundum in summitate absidis, vbi chorus est, exteriori, stellam admirandæ magnitudinis è metallo ipsius templi parieti inædificatam, sed præclarè eatenus inauratam, vt sole ad occasum vergente, ab exceptis radijs fulgentior ipsa longè se spectandam præbeat: nec tam aciem intuentium, quam solis splendorem reciproca verberatione perstringat: Factum id ad denotandum eam stellam, quæ Sanctos illic quiescentes quondam ad præsepe Domini duxit, propiusque id significasset, si templo qua arte inchoatum erat, perfecto, sub ipsa stella velut radio ad lineam commonstrante sepulcrum Sanctorum collocari potuisset.*

P. Melchior Inchofer n. 40.

CAPVT L.

Eminentia Archiepiscopi & Cleri Metropolitani Coloniensis custodum Corporum SS. Trium Regum.

TAm sedes Apostolica, quam sacra Cæsarea maiestas quamplurima Metropolitæ Coloniensi, Cleroque primario beneficia, priuilegiaque contulit, ob loci sanctitatem, pauca è multis delibabo. Cum Episcopi Colonienses originem referant ad S. Maternum legatum quasi Apostolicum D. Petri, à quo æuo adhuc Apostolorum paulo post anno 90. Agrippinensis Pontificatus est inchoatus, nunquam creditur populus ille à fide Christiana semel recepta defeciisse: nec Episcopo primis post S. Maternum temporibus caruisse: sicut in Vrsulanis conatus sum demonstrare: quamuis alij citius à S. Crescente putent ante S. Materni aduentum primam fidei sementem esse sparsam, & ideo Rupertus primatum dat ei lib. 1. de offic. c. 7. Electus deinde ad Archiepiscopatum, quo Pontifice & tempore dubitatur.

S. Maternus Protoepiscopus Agrippinensis.

Zacharias in epist. ad S. Bonifacium Maternus 2. Archiepiscopus

Baronius cum alijs à Zacharia putat, sub annum 745. verba dicti Pontificis Maximi sunt: *De Ciuitate autem illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc verò Colonia, iuxta petitionem Francorum, per nostræ auctoritatis præceptum nomini tuo metropolim confirmauimus, & tuæ sanctitati direximus eiusdem Metropolitanæ ecclesiæ stabilitatem.* sed alij rectius putant Constantini M. tempore primum datum Vbijs Archiepiscopum Maternum secundum: quamuis nec desint: qui à Crescente deducant initium etiam Primatus Duce Ruperto Tuitiensi, vt dixi. Tempore Caroli Magni Hildeboldus Colonienfis Archiepiscopus, vt hoc libro c. 31. probaui, dignitatem accepit & officium Regis Romanorum coronandi: quod eius successoribus, vt postea dicam Leo 9. Eugenius 3. Adrianus & Alexander tertius confirmarunt; Innocentius verò tertius acerrimè monuit Adolphum Colonienfem Archiepiscopum, vt ius suum contra Philippum Ducem Sueuiæ, qui se apud Moguntiam permiserat à Tarantasiensi Archiepiscopo coronari, tueretur: sic enim ait. *Qui (Philippus) in Coloniensis ecclesiæ, ac tuæ personæ contemtum, ad quam specialiter inter-*

Hildeboldus primus coronator Regum Romanorum in Germania.

Innoc. 3. ep. ad Adolphum Col. an. 1202.

inter reliquos principes electio Regis spectat, per intrusionis vitium nomen sibi regiũ vsurpauit, & in maius tui honoris dispendium & personæ despectum: CVM TV SOLVM MODO REGES IN IMPERATORES ELECTOS CORONARE DEBEAS EX ANTIQVA COLONIENSIS ECCLESIÆ DIGNITATE, per Tarantasiensem Archiepiscopum imponi sibi fecit regium diadema. Nec te inducere debet, quod à quibusdã maliloquis, in dispendium tuæ famæ confingitur, videlicet, quod labores & expensas huiusmodi solus tolerare nequeas, cum pro tuenda Coloniensis ecclesiæ dignitate, non solum terrenum erogare substantiam, sed animam etiam ponere tenearis.

Idem ad Treuirensem Archiepiscopum scribens ait: *Cum enim non dubium existat coronationem Regem Alemannorum ad V. patrem nostrum Coloniensem Archiepiscopum pertinere, nec ipse deliquerit, quare meruerit sua dignitate priuari; cum si etiam deliquisset, per eundem Tarantasiensem Archiepiscopum suo non erat iure priuandus, cuius ipse iurisdictioni non subiacebat.* Et postea idem Innocentius ep. 73. sub pœna suspensionis Romam vocauit eundem Tarantasiensem ad rationem reddendam, cur ius Coloniensis Archiepiscopi violasset: licet vt Arnoldus Lubecensis ait, id apud Moguntiam cum assensu Capituli Moguntini feciſſet. Idem officium Coloniensis Archiepiscopi sequentes etiam Pontifices Vrbanus & Clemens quartus ac Gregorius decimus defenderunt: ac Imperatores Romani Henricus tertius, Fridericus Barbarossa; præcipuè vero Carolus quartus in bulla aurea confirmauit.

Electoratum imperij accessisse paulo ante A. Domini 1000 beneficio Gregorij 7. Italos Germanosque tam veteres, quã recentiores secuti Azor, Bellarminus & Serarius laudant plurimos, alij negant & ad Innocentij quarti ætatem differunt Electorum ordinem secundum priores, duxit S. Heribertus, vitam eius Deus magnis prodigijs illustrauit, quem Rupertus Tuitiensis Ottonis 3. facit Cancellarium, seu Archilogothetam: & exstat rei huius testis Cæsaris ipsius epistolæ inscriptio ad eum talis: *Otto Imperator Augustus sola Dei grátia Heriberto Archilogothetæ grátiam, & Coloniam, & pallij cubitum vnum*, à quo huc vsque recensentur electores.

Azor. to. 2. l. 10. c. 4. Serar. lib. 1. Meg. c. 26. S. Heribertus primus Elector. Rupertus in vita S. Her. c. 5. c. 7.

Maior accessit eodem sedis Apostolicæ beneficio eidem Archiepiscopo collata dignitas: nam inter purpuratos Patres Archicancellarius Ecclesiæ Romanæ fuit constitutus, adiecto titulo Lateranensis Ecclesiæ, præterea legatus natus in sua Prouincia creatus vt Primatis nullius subesset potestati; cui ius esset Regem Romanorum consecrandi. Superat S. Leonis noni priuilegium, quod in vitâ ipsius coæuus Vibertus ita refert. *Leo post Pentecosten Coloniam venit cum Henrico Imperatore, & ab Hermanno Archiepiscopo honorificè suscipitur, deinde eidem Archiepiscopo* (concessit) *officium Cancellarij S. Romanæ sedis, eiusque successoribus, tribuens illis Ecclesiam S. Ioannis ante portam Latinam.*

Vibertus l. 2. vitæ S. Leonis apud Surium 19. Aprilis.

Datum est hoc priuilegium circa initia Pontificatus Leonis, quod anno quarto diplomate suo confirmauit, in quo stabilit eidem ius coronandi Regis Romanorum, eximit, ne vlli Primati subijciatur, insignia Legati nati confert: & è Clero metropolitano 21. Cardinales creat. Præmittit verò ea se non primum conferre, sed confirmare, *Quemadmodum in priuilegijs Patrum nostrorum Apostolicorum virorum sunt scripta*: sed operæ pretium est ipsos codicillos Apostolicos inserere, ne fides lectoris anceps hæreat.

BVLLA LEONIS IX. AD HERMANNVM COLONIENSEM Archiepiscopum A. 1052.

LEo Episcopus seruus seruorum Dei Hermanno S. Coloniensis Ecclesiæ venerabili Archiepiscopo suisque successoribus illuc canonicè intrantibus salutem in perpetuum. Gratias agimus Deo & Domino nostro Iesu Christo, qui nullis nos præcedentibus meritis ad Apostolicæ dignitatis culmen fecit adscendere & solicitudinem omnium Ecclesiarum gerere, earumque rectoribus pietatis adsensum præbere. Quia postulasti à Romana sede confirmari tibi priuilegia, quæ ab antecessoribus nostris sunt tuæ Ecclesiæ concessa, visum nobis fuit honestum & Ecclesiæ necessariũ petitioni tuæ consentire præsertim cùm Ecclesia hæc sub nomine Principis Apostolorum Beatissimi Petri sit consecrata, sicut mater sua, cui præsidemus diuinâ clementiâ, vt quæ matrem imitatur, ex nomine Filia, imitetur etiã aliquantisper in dignitate Ecclesiæ, protegaturque sub alis

defensionis suæ. Nos igitur tuâ, sicut & omnium Christi fidelium deuotione incitati, cura & Apostolica autoritate confirmamus tibi omnia, quemadmodum in priuilegijs Patrum nostrorum Apostolicorum virorum sunt scripta: Crucem videlicet & pallium suo tempore suoque loco ferendum: insigne quoque festiui equi quem Naccum vocant nostri Romani; confirmamus quoque tibi per hanc præceptionis nostræ paginam sanctæ & Apostolicæ sedis Cancellaturam, & ecclesiam sancti Ioannis Euangelistæ ante portam Latinam, vt te Petrus Cancellarium habeat, Ioannes hospitium præbeat. Concedimus etiam atque perpetuo largimur, vt maius altare Ecclesiæ tuæ Matris Virginis honori dedicatum, & aliud ibidem Apostolorum Principi B. Petro addictum, reuerenter ministrando procurent septem idonei Cardinales Presbyteri Dalmaticis induti, quibus etiam cum totidem Diaconibus ac Subdiaconibus ad hoc ministerium prudenter electis, vt sandalijs vtantur concedimus & constituimus. Postea autoritatem & honorem, quem Ecclesia hactenus habuit tam inter alios, quam à suis, confirmamus clypeo Apostolicæ protectionis, vt si quando Synodus infra tuam Diœcesin, aut præsente huius primæ sedis Archiepiscopo, aut Legato ab eius latere directo fuerit aggregata, priorem quidem locum, post ipsum Rector eius obtineat, in proferenda sacrorum Canonum autoritate prior existat, ita tamen, vt sicut est prior in hac probabili dignitate, ita etiam polleat prior morum probitate, vitæ honestate, vt cuius annunciauerit verba, eius imitetur exempla; Regiam consecrationem infra limites suæ Diœcesis faciendam S. Apostolicæ munimine ei corroboramus; habendam electionem quoque Archiepiscopi secundum autoritatem canonicam, Filijs Ecclesiæ sancimus per hanc præceptionis nostræ paginam. Bona autem quæ, vsque modo tenuit, vel in æternum cum iustitia acquirere poterit, hoc Apostolico munimine laudamus & corroboramus, videlicet monasteria & Ecclesias Coloniæ positas, monasterium sancti Heriberti cum omnibus suis pertinentijs, Ecclesiam sanctæ Mariæ infra vrbem, Ecclesiam sancti Gereonis cum omnibus suis pertinentijs. Cetera verò sacra loca & infra vrbem & circa confirmamus tibi autoritate Apostolica, monetas vrbis, telonium, & omne ius ciuile sub potestate Archipræsulis. Abbatias autem per diuersa loca, villas vicos & castella in omnibus suis pertinentijs, seruis, ancillis, terris cultis & incultis, aquis, pratis, campis, siluis, foretis. Præterea corroboramus Ecclesiæ prædia, quæ ipse dedisti, videlicet monasterium Brauweilare, & castrum nomine Zoneburg cum omnibus suis pertinentijs; ita sicut neminem Coarchiepiscoporum tibi subijcimus: ita sub nullo primate te agi decreuimus; salua nobis in te, sicut in ceteris Archiepiscopis, quæ iure debentur apostolicæ subiectionis autoritate: statuentes Apostolica censura, vt nullus Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, & præterea nullus Archiepiscopus, Episcopus, Præpositus, vel aliqua magna, paruaque persona cuiuslibet ordinis & dignitatis contra hanc nostræ præceptionis & confirmationis paginam audeat præsentare. Si quis, quod non optamus, temerario ausu contra huius Apostolicæ nostræ autoritatis seriem piè à nobis promulgatam tentauerit, anathematis vinculis innodatus à regno Dei sit alienus, donec resipiscat: qui verò pio intuitu custos & obseruator exstiterit, benedictionis gratiam & cœlestis regni gaudia à misericordissimo Domino Deo nostro consequi mereatur. Data nonis Maij per manus Friderici Diaconi S. Rom. Ecclesiæ Bibliothecarij atque Cancellarij vice Domini Hermanni Archicancellarij & Colon. Archiepiscopi, Anno Domini 1052. Leonis IX. Papæ IV. indictione quinta.

subscriptiones Pontificiorum diplomatũ

Ex eo tempore diplomata Pontificia talem habuere inscriptionem: *Hermannus Coloniensis Archiepiscopus S. Sedis Apostolicæ Archicancellarius, anno 5. Leonis noni.* item hanc. *Fridericus Diaconus Cardinalis S. Sedis Apostolicæ Bibliothecarius, & Cancellarius vice Hermanni sedis Apostolicæ Archicancellarij, & Colonien sis Archiepiscopi.* Videri potest Ciacconus in Leone, qui vult iam inde à secundo Leonis anno ad finem vsque vitæ dignitatem hanc Archiepiscopo Colonien si fuisse conseruatam: quæ postea successori Hermanni S. Annoni pariter collata est cum Archiepiscopatu: nam exstat apud eundem talis subscriptio rescripti Alexandri secundi *Hildebertus Diaconus Cardinalis S. R. E. Vicecancellarius vice D. Annonis Coloniensis Archiepiscopi & Bibliothecarij.* Videri de hoc etiam potest Miræus in Annal. Belg. Ægidius Gelenius in S. Engelberto. Bernardus Mallinckrot in Can-

Ciaconus in vita Alex. 2. di

Miræus ad A 1049. Æg. Gelen. in S. Engelb.

cellarijs

cellarijs. Porro archicancellariatum imperij per Italiam post annum 1100. constanter huc vsque retinuerunt. Eosdem dixi legatos natos, quorum officium ita describit Azorius noster. *Legati nati dicuntur Antistites, qui ratione Ecclesiarum, quibus præsunt legati Apostolici munus, & officium habent, & ideo nati dicuntur, quia statim vt Ecclesijs suis præficiuntur & creantur Præsules, id muneris & officij nanciscuntur: hi omnes in suis Prouincijs tanquam Primates erant, & à Romano Pontifice pallium & potestatem habebant, vt legati Apostolici munere & officio fungerentur.* Subijcit insignia eorum. *Vti vestibus rubris, equo albo, freno & calcaribus aureis: curare etiam crucis erectum vixillum ante se deportari.* Hanc dignitatem collatam pridem à Leone nono & aliis confirmat Arnoldo Archiepiscopo Colonienſi Eugenius. *Sicut*, inquit, *in humani compage corporis naturalis ratio singulis quibusque membris ad salutem prouidens, speciales & proprios actus edocet, nobilioribus verò suam dignitatem conseruat, ita in corpore Ecclesiæ Apostolica prouidentia, secundum sacrorum Canonum institutiones, vniuersas regit ecclesias, digniores autem, & famosiores in sui status prærogatiua custodit. Æquum itaque & rationbile est. vt suus vnicuique honor Ecclesiæ & propria iura munimine sedis Apostolicæ confirmentur, Quocirca dilecte in Christo Fr. Arnolde Archiepiscope, tuis iustis postulationibus, benignum impertientes adsensum, ad exemplar prædecessoris nostri Felicis memoriæ Leonis 9. Papæ, B. Petri Colonienſem ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub ipsius Apostolorum Principis, cuius in loco licet immeriti residere conspicimur, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus, statuentes &c. Pallij quoque vsum, & vivificæ crucis vexillum, atque naccum, insigne videlicet festiui equi, quæ prædecessoribus tuis à nostris prædecessoribus concessa sunt, suo tempore, suoque loco ferenda: nos tam tibi, quam tuis successoribus confirmamus: Adijcientes vt nulli Primati, nisi tantum Romano Pontifici debeas esse subiectus. Pro amplioris etiam, & specialioris gratiæ prærogatiua ordinationem Regis infra tuam Prouinciam tibi duximus concedendam. Et si Romanus Pontifex, vel Apostolicæ sedis legatus in eadem Prouincia concilium celebrauerit, tu post eum primum inter alios locum obtineas.* Datum Signiæ an. 1151. eadem ijsdem ferè verbis successori Friderico Colonienſi confirmat Adrianus Papa. *Ad exemplar*, inquit, *prædecessorum nostrorum, Leonis 9. & sanctæ recordationis Eugenij 3. Romanorum Pontificum, anno* 1156.

Bern. Matinekrohn Cancel S Rose. c. 5. fol. 204.

legati nati officium. *Azor to. 2. l. 8. c. 27. q. 1.*

insignia. Dantur ea Colonienſi Archiepiscopo ab Eugenio 3.

V. tit. 3. concil. Binij p. 2. f. 503. confirmat eadem *Adrianus Alexander 3.*

Eadem successor huius Alexander 3. Philippo, qui pacem Pontificem inter & Fridericum Cæsarem conciliarat, ac schisma sustulerat, verbis iitis roborauit. *Confirmamus tibi ea, quæ in priuilegijs Patrum, & prædecessorum nostrorum habentur: videlicet crucem & pallium, suo tempore, suoque loco ferendum: insigne quoque festiui equi, & si quando synodus infra tuam diœcesin à Romano Pontifice, aut à legato ab eius latere destinato fuerit congregata, priorem locum post ipsum Colonienſis Archiepiscopus in synodo teneat, & in proferenda sacrorum Canonum auctoritate prior existat: ita tamen vt sicut est prior in hac probabili dignitate, ita etiam prior polleat honestate vitæ, & gratia meritorum, & cuius annunciauerit verba, imitetur exempla. Consecrationem quoque Regum infra limites tuæ diœcesis fiendam præsentis auctoritate scripti censemus.* Emanauit hoc diploma an. 1178. successores eadem confirmarunt teste Godefrido ad an. 1187. *Dominus Papa* ait, *Colonienſi Archiepiscopo Philippo ius in appellatione, & vicem suam tam in Episcopatu, quam supra omnes suffraganeos sedis Colonienſis indulget, & scripto confirmat.*

De Vicaria verò potestate, Colonienſis *Archiepiscopi* in interregno, & educatione filiorum Imperatoris ait Ægidius Gelenius in Engelberto: accessit eidem Cæsareo beneficio Ducatus Westphaliæ & Angariæ, de quo fusè supra.

Clerus metropolitanus illustrissimus:

Ad clerum primarium Colonienſem venio, is à multis retro seculis Imperatorum, Regum, & orbis præcipuorum Ducum & Principum filijs illustratur: vt verè liceat in eo *regale sacerdotium* venerari.

Quadraginta plerumque numerat metropolitana basilica Canonicos: ex his 25. tantum Capitulares censentur, & ius suffragij habent, ordine sacro semper initiati, quorum si octonos demseris sacerdotes Licentiæ vel Doctoratus gradu insignes, reliqui sunt illustres.

Horum viginti & vnus gaudere queunt nomine & insignibus Cardinalitijs id à sexcentis ferè annis Leo 9. contulit, de quo Vibertus. *Ecclesiæ metropolitanæ hoc priuilegium concessit, vt ad altare S. Petri 7. Presbyteri Cardinales quotidie diuinum celebrarent officium in sandalijs.*

Auxit Eugenius 3. his verbis. *Statuimus præterea, vt 7. idonei Presbyteri Cardinales in prædicta ecclesia ordinentur, qui induti Dalmaticis, & mitris ornati, ad principalia duo altaria eiusdem ecclesiæ, cum totidem Diaconibus, & subdiaconibus, quibus sandaliorum vsum concedimus, Missarum solennia in festiuis diebus tantummodo administrent.* Vrget Adrianus 4. vt sint è gremio capituli: *Statuimus præterea vt 7. idonei Presbyteri Cardinales, qui sint specialiter & principaliter de capitulo eiusdem ecclesiæ, cum totidem Diaconibus, & Subdiaconibus, quibus sandaliorum vsum concedimus, Missarum solennia in præcipuis tamen solennitatibus tantummodo administrent.*

Fuit igitur hæc pia consuetudo paulatim introducta: viguit autem vt quam maximè cum sanctorum trium Regum corpora Coloniam essent transportata, quam roborauit tunc suo etiam calculo Alexander tertius his verbis. *Concedimus*, inquit, *etiam, & auctoritate Apostolica statuimus, vt maius altare ecclesiæ tuæ, vni & vero Deo in memoriam B. Virginis, & alterum in memoriam B. Petri Apostolorum Principis dedicatum reuerenter ministrando procurent septem Canonici Cardinales Presbyteri, induti Dalmaticis, & mitris ornati, quibus etiam cum totidem Diaconibus, & Subdiaconibus ad hoc ministerium prudenter electis, vt vtantur sandalijs indulgemus, sicut à Patribus, & prædecessoribus nostris ad prædictæ ecclesiæ concessum est per autentica priuilegia, & hactenus obseruatum.*

quando diuisio canonicorum acta sit.

Interea dum accessu sanctorum Regum Archiepiscopus Philippus ducatu Westphaliæ & Angariæ ditatus, Clerum etiam Metropolitanum oblatæ donationes ingentes opulentarent: cum ad id temporis laudabiliter Canonicam in cœnobio vitam traduxissent, partitio prouentuum cœpit introduci, singulisque sunt certa bona designata vt iam deinceps periculum esset, ne nimium circumfluentes opibus, pauciores ad sacerdotium essent adspiraturi, sensimque intercideret vsus tanti priuilegij. Quocirca maturo consilio sanciuerunt, vt 7. vel 8. semper in capitulo sacerdotes esse tenerentur: exordium huius decreti cum egregiam contineat diuinissimi sacrificij commendationem merito videtur inserendum.

octo sacerdotes esse debēt canonici.

CONSTITVTIO CAPITVLI METROPOLITANI COlonensis, quod octo præbendæ sacerdotales semper in ecclesia Colonensi habeantur, & constitutus in ordine sacerdotali in locum defuncti adsumatur.

N.B. vtilitas sacrificij missæ.

TH. Dei gratia maior in Colonia Præpositus, C. maior Decanus, Archidiaconi, totumque Capitulum B. Petri vniuersis tam præsentibus, quam futuris, quorū conspectui hoc præsentatum fuerit, in præsenti gratiam, & gloriam in futuro. Cum ad abolitionem peccatorum quamplurima sint nobis à Domino virtutum remedia constituta: potissimum tamen est immolatio hostiæ salutaris, quæ in commemorationem sit Dominicæ passionis: per hanc anima vegetatur, corpus ad resistendū vitijs roboratur; hæc est viuis opportuna, viam vniuersæ carnis ingredientibus necessaria, & defunctis iucunda. Tanti igitur Sacramenti dignitate, ac Ecclesiæ nostræ vtilitate considerātis diligenter, placuit nobis ea, quæ inferius continentur ordinare de aliquot præbendarum nostrarum locatione in ministros hostiæ huius sacrosanctæ; eo itaque auctore, à quo recta consilia, & iusta sunt opera, statutum & dispositum est à nobis, voluntate & consensu omnium nostrorum & singulorum accedente, vt in ecclesia nostra octo semper habeantur præbendæ, ab ijs tamen, qui sacerdotali ordine mancipati fuerint habendæ: quod si aliquos de numero eorum, vel exire de vita contigerit, vel exire de ecclesia, in locum decedentis, vel discedentis, erit tantum substituendus in sacerdotali ordine constitutus: vt igitur condita laudabilis Deo & hominibus ordinatio robur perpetuum habeat, & nescientibus nota fiat, præsentem paginam conscribi fecimus, appendentes eidem ecclesiæ nostræ sigillum. Acta sunt an. 1191.

Imperatores fiunt canonici Colonienses.

Solent electi Reges Romanorum & Aquisgrani coronati Coloniæ collegio canonico-

nonicorum metropolitanæ ſanctorum Regum eccleſiæ adſcribi: eo forte conſilio, vt S. Petri & SS. Regum clientes, horum exemplo ſe Catholicæ fidei non defenſores tantum; ſed & propagatores eſſe meminerint, hi enim S. Petrus & tres Reges, primi Gentium & Iudæorum Doctores, latiſſimè fidem per totum terrarum orbem propagarunt.

EXEMPLVM IVRAMENTI QVO DVCENTIS AB hinc annis Fridericus tertius ſe obligauit capitulo eſt eiuſmodi. Fridericus 3. Romanorum Rex Canonicus his verbis iurauit Eccleſiæ Colonienſi:

formale iuramenti eorum.

NOs Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, & huius eccleſiæ Colonienſis Canonicus promittimus atque vouemus bona fide, quod ex nunc & in antea gratioſi erimus, & deuoti Decano & Capitulo eccleſiæ noſtræ perdilectæ, cuius poſſeſſiones, iura, & priuilegia, à quinque & quibuscunque prædeceſſoribus noſtris diuis Imperatoribus, & Regibus Romanorum ipſi eccleſiæ, & perſonis ipſius indulta in noſtram ſuſcipimus protectionem, & tuitionem, liberalitate mera commendata, ſic nos Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei euangelia per nos corporaliter tacta.

Fuit hic Imperator, ſi quis alius iuris iurandi tenaciſſimus: & cum multum diuque ac libenter Coloniæ moraretur, vt commodis collegij ſui proſpiceret, ſalubriter petijt à Sixto 4. Pontifice vt octo Presbyteri non niſi Doctoratus vel Licentiæ gradu conſpicui in collegium metropolitanum cooptarentur, vt ſoli vel genere, vel ſcientia illuſtres dignitatem eius ſuſtinerent, & iura poſſeſſionesque facilius tuerentur: hoc exemplo.

COPIA PRIVILEGII COLONIENSIS ECCLESIÆ, ſuper 8. Presbyteralibus præbendis, per promotos Doctores obtinendis à Sixto 4 Rom. Pontifice.

SIxtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Creditam nobis deſuper regendæ militantis Eccleſiæ prouidentiam exſequi Deo adiuuante cupientes, ad ea libenter intendimus vt debemus, per quæ ſingulæ orbis eccleſiæ, præſertim metropolitanæ inſignes & famoſæ perſonarum vtilium fulcitæ præſidijs, ad altiſſimi laudem & gloriam condignis honoribus & venuſtatis proficiant incrementis: eorumq; bona & iura à quorumcunque occupatione obſeruari valeant illæſa. Sanè pro parte carissimi in Chriſto filij noſtri Friderici Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod eccleſia Colonienſis inſignis Metropolitana, cuius S. Maternus, S. Petri diſcipulus primus Præſul exſtitit, adeo inclyta & præclara exiſtit, quod nulli niſi illuſtres, & magni nobiles, qui ex ſextodecimo adſcendente, & ex illo gradatim deſcendentibus nobilibus anteceſſoribus ſuis recta linea ſunt procreati illius Canonicatus, & præbendas adſequi poſſent; octo Canonicatibus, & præbendis totidem duntaxat exceptis, quorum duo pro graduatis in vniuerſitate ſtudij Colonienſis reſeruati exiſtunt, reliqui verò per ignobiles & plebeos; frequentius quoque per humiles perſonas, aut familiares quorundam Canonicorum dictæ eccleſiæ, qui familiares ipſos in Canonicos dictæ eccleſiæ recipi procurant; ſeu rudes & indoctos, qui illos vigore gratiarum expectatiuarum ipſis conceſſarum adſequuntur. Et quod valde decori, & vtilitati dictæ Eccleſiæ & iurium illius conſeruationi, nec non qualitatibus & præeminentiæ nobilium Canonicorum prædictorum conuenire videtur, quod dictæ 8. Præbendæ duntaxat per viros illuminatos & ſcientia præditos, etſi non carne, ſcientia tamen & virtute nobilitatos, quorum prudentia & conſilio dicta eccleſia (quæ deſtituta & depauperata exiſtit, ſua recuperare poſſet) duntaxat obtineant: prout in nonnullis Alemannicæ nationis eccleſijs tam ex ſtatutis, quam ex laudabilibus conſuetudinibus, quæ per nonnullos Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros confirmata fuerunt hactenus obſeruatur. Subijcit deinde Pontifex petitionem & prudens Cæſaris conſilium, quo dictis malis in perpetuum occurratur: *Quare pro parte eiuſdem Imperatoris, qui ad Eccleſiam ipſam ſpecialem gerit deuotionis affectum nobis humiliter fuit ſupplicatum, vt quod de cetero perpetuis futuris temporibus dicti ſex Canonicatus & præbendæ, dum pro tempore vacauerint in quibus-*

Octo canonici Presbyteri gradum habere debent.

Quibuscumque mensibus, per dilectos filios Decanum & Capitulum ecclesiæ Doctoribus vel Licentiatis in Theologia, aut in vtroque vel altero Iurium, qui cum rigore examinis in vniuersitate alicuius studij loco, in quo illud viguerit, generali promoti fuerint, duntaxat conferri debeat, & de illis prouideri. Nos igitur qui dictæ ecclesiæ splendorem & vetustatem appetimus, huiusmodi petitionibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore præsentium ex certa nostra scientia statuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus prædicti sex Canonicatus & præbendæ, non ignobilibus, plebeis, humilibusque personis & familiaribus prædictis, sed duntaxat Doctoribus, & Licentiatis in Theologia, vel altero Iurium in aliquo studio generali cum rigore examinis duntaxat conferri possint, & debeant. Datum A. 1474. Pontificatus anno 3.

cur docti aprè illustribus misceãtur.

Duo desiderabat Fridericus, vt Imperatorum longæuissimus ita sapientissimus in collegio suo Colonienſi eminere, generis splendorem, & doctrinam virtuti copulatam: vt virorum illustrium potentia contra hostium & hæreticorum adsultus muniretur, & probitate scientiaque contra morum corruptelam, abusus & noxias consuetudines sepiretur. vt enim horum singula nequeunt omnibus mederi incommodis, nec sibi sufficiunt coniuncta certè, sua placent varietate, sibique membra vinciunt consensione mutua ad corporis tutelam splendorem & in conseruationem: mamque in hoc corpus istud mysticum imitatur SS. Regum, qui regiam purpuram religione sacerdotij, sapientiæque gloria veri Trismegisti copularunt. Hoc etiam pacto Colonienſis, fidelis Ecclesiæ Romanæ filia prædicatur: quod non tantum nunquam pestilentiæ vel hæresis cathedram sustinuerit: sed & Metropolitanum eius collegium Cardinalium in hoc speciem exprimat: quod semper ex Regum & Principum filijs, pariter & ignobilibus, sed doctrina virtuteque præstabilibus viris coalescat.

Colonienſis ecclesia filia *Romanæ*.

Quocirca sicut piscator ille vertex Apostolorum, & Reges tres orientis eodem impulsore Spiritu S. Iudæis & Gentibus fidem Christi, nulla generis vel potestatis habita ratione publicarunt: ita metropolitanum clerum (qui S. Petrum cum Regibus patronos sibi adoptauit) decet eodem Spiritu, & animorum summo consensu totis conniti viribus, vt & fides maneat in Archidiœcesi contra quaslibet hæreses incorrupta, & cultus diuinus verè regius sit, ac mores totius cleri populique primorum nascentis ecclesiæ fidelium vitam æmulentur, vt quos Deus custodes esse voluit primitiarum Gentium, ijdem cultus eorum & fidei, sanctitatisque imitationis sint defensores.

CAPVT LI.

VVilhelmus Imperator ex Comite Hollandiæ An. 1249. in Epiphania Coloniæ sanctos tres Reges pie inuisit eodemque die ab Alberto magno raro excipitur epulo.

Beatus Albertus vindicatur à calumnijs impiorum.

VIT B. Albertus Magnus Ratisbonensis Episcopus exorientis S. Dominici familiæ lumen clarissimum, cuius famam Hæretici nonnulli: sed & imperiti Catholici impiè & iniuste rodere & vellicare non verentur sparsis hinc inde castissimi viri nomine turpissimis, & quod iniquissimum est, magicis etiam libris, vt incauros adolescentum animos fascino quodam obstrictos teneant; & tanti Doctoris auctoritate nequiter abusi, præcipites in cœnum libidinum, & omnium vitiorum agant: hinc quidam imprudentes historici eidem die quodam Epiphaniæ præstigias & necromantiam prô nefas attribuerunt, quæ quam abhorreant, à beati viri moribus, doctrina & integritate. tam vita eius à varijs conscripta: quam eius tot monumenta recens typis recusa, planissimè demonstrant, eum, licet Deiparæ dono temporis sui Philosophos omnes naturalibus scientijs, etiam mæchanicis artibus operum quorundam rarorum effectricibus superarit, duplo tamen vel triplo plura volumina concinnasse, quæ materiam sacram, subtilitates theologicas in magnam

plura scripsit de sacris & diuinis rebus quam naturalibus.

diui-

uinorum codicum partem commentationes, & quæ virtutum naturam ac encomia, vitiorum inuectiuas, Deiparæ, Sanctorumque laudes complectuntur; singula horum præcipuam quandam pietatem, diuini numinis, Deiparæque cultum & amorem adspirant attentè eadem euoluenti. Appage, ergo cum cœno sordibusque lenociniorum & illecebris, à quibus sanctitas Alberti non abhorruit tantum, sed inde plurimos eduxit & ad frugem reuocauit ac, quamuis libens dedero, ab ipso Cæsarem festiuo raroque exceptum esse epulo, illicita tamen abfuisse persuasissimum habeo.

Conradus ab Hoëstеden Archiepiscopus Colonienſis, vt Innocentij quarti satisfaceret voluntati, qui Fridericum Cæsarem anathemate perculsum solio deiecerat, maximis impendijs, Wilhelmum curarat Hollandiæ Comitem, prope Coloniam Imperatorem renunciandum. Is cum coronam argenteam Aquisgrani sub finem præcedentis anni obtinuisset, initio sequentis anni 1249. Coloniam contendit, vt sanctos tres Reges in Epiphania Domini solenniter veneraretur. Beka sic id refert *Appropinquante Epiphania Domini Rex Wilhelmus migrauit ad Coloniam, vt ibidem in honorem trium Magorum hostiam laudis solenniter immolaret* vel vt Chronicon Magnum Belgij ait, *vt ibidem in honorem trium Regum solennem & regalem immolaret hostiam.* forte vt ibidem Conrardo Archiepiscopo ad principem aram faciente ipse paludatus & imperatorio diademate redimitus, oblatis more Cæsarum veterum aureis donis, sacra simul synaxi reficeretur. Hos nimirum sibi tutelares patronos pius Cæsar initio regni deligebat, vt cum in eorum territorio sub eorum patrocinio, nuper Rex esset Romanor. inauguratus, quasi cliens beneficiarius Dominis suis præsidibus & defensoribus obsequium, vt vocant, personale præstaret, & tributum quasi voluntarium penderet: Quo tempore B. Albertus M. Regem ad prandium inuitauit. non dubito, quin sumtus abundanter Conrardus Archiepiscopus præstiterit, qui Alberto familiarissimè ob doctrinam pariter & vitæ integritatem vtebatur. *Fuit* (ait Chronicon Belgicum) *illis diebus Regens & legens apud Coloniam Dominus Albertus Ratisponensis Episcopus de ordine Prædicatorum magnus in magia (naturali) maior in philosophia, maximus in Theologia, qui regem humillimè precabatur vt in die solenni secum discumbere dignaretur: Rex autem sperans prodigiate aliquid se visurum, noluit R. Patri supplices preces denegare. Celebratis itaque Epiphaniæ solennibus Episcopus è musæo suo progrediens Regem cum familia gratioſe suscepit.* Rem deinde gestam reliquis breuius & elegantius Snoius ita narrat, recte omnem â B. Alberto calumniandi suspicionem amoliendo. *Deinde kalendis Ianuarij Coloniam venit, vbi Albertus cognomento Magnus Episcopus Ratisbonensis tum degebat in Philosophia ac Physicis apprimè exercitatus, peritissimus etiam Magiæ naturalis non nigromantiæ, quæ ex infandis tota constat incantationibus; sed exactam & absolutam Philosophiæ naturalis sequitur rationem per applicationum rerum pro ingenita vi agentium. Hic si vera fama Regem secum conuiuandi gratia ad monasterium vocare, qui lubens adesse ob famam, quæ de eo ibat, alijs eius societatis quam maximè indignantibus, quod nihil apparatus pro regio strepitu esset: sed Albertus ad se venientem lætanter excipere, inque viridarium nitue & pruina concretum ducere, alijs ipsa hieme sub dio timentibus accumbere, alijs cum rege facta nouitate rei euentum præstolantibus: cum ecce de repente asperitas hiemis emolliri æstiuusque calor sole radiante visus feruere, terra flores ac gramina, arboribus frondem, vitibus pampinos & vuas fundentibus, atque concentus: ibidem auium plaudentium alis, grata modulatione erat spirantibus Zephyris; ipsis ad calorem sub arborum tegmine expassis, epularum quoque venire mira varietas, decurrente hoc phantasmate rerum, quæ non erant, facies hiemis redire, exarere florida tellus, volucres conticere, bruma atque gelu reaccelerare, certatim vniuersis ignem tectaque repetentibus. Cum Albertus exorare Regem, vt sui ordinis vellet monasterium ad Traiectum Rheni extruere, collatis, quæ in eiusdem stabilimentum satis essent: quem ordinatis imperij rebus Traiectumque forte venientem Otto antistes ac Clerus magna gratulatione excepere, quando primum ciuis & patronus vrbis factus amplam emeret in vrbe aream & magnam auri vim in pollicitis monasterij structuram conferret, præter vrbis priuilegia ecclesiæ Dominicanorum immunitates*

Beka. in Episcopis Traiectens.

pietas Wilhelmi Imperatoris.

Albertus M. inuitat eum ad prandium.

Snoius lib. 7. rerum Batauicarum

hiems in æstatem versa.

tates, quas ille summa auctoritate roborauit. Hactenus Snoius. Scio Abrahamum Bzouium hæc vi quadam diuina & prodigiola B. Alberti patrata suspicari. *Potuit* inquit *Albertus sanctitatis magnæ diuina virtute sibi participata perpetrare, namque et non dubium fuerat, Deum voluntatem timentium se facientem Solem in gratiam fidelium sistere, vel retro trahere, Angelorum escam populis ministrare, potum è duro silice educere, virgam arentem flore fructuque onustare, apud hos diem claræ lucis, apud alios vero eodem momento noctem densissimis tenebris obscuram efficere: proque arbitrio suo creatis rebus imperare, ad illustrandam sanctitatem Sanctorum, inter quos non postremus fuit Albertus, virginea puritate, atque mentis integritate dignus, qui à sede Apostolica Ecclesiæ Ratisbonensi præficeretur.*

an hic miraculum interuenerit.

Multa fateor in Ecclesiasticis & receptis historijs exstant similia prodigia, quibus & stipites nonnunquam & scipiones infixi terræ subito fronduerunt, floruerunt & vberrimos fructus ilico germinarunt, talis autem miraculi ea tempestate Coloniæ patrati, cum non deessent scriptores, & discipuli B. Alberti in similibus colligendis diligentissimi, miror neminem meminisse: sed nec hodie talis prodigij nequa in loco famam, traditionem, vestigium vel scriptum vllum, supersse: hactenus etiam vitæ scriptores effugisse. Exploratissima mihi alias est vitæ sanctitas Alberti, non semel vaticinijs certis, & miraculis diuinitus declarata, quæ Cantipratanus, discipulus eius persequitur, talis autem prodigij solidum neque fundamentum, nec testem huius loci idoneum reperi: solos video Hollandos, & ex his plerosque ea narasse quæ fama tunc incerta vulgabantur. Vero similius est Albertum ramos incisos arborum tepentibus aquis calido in loco fouisse, vel certarum plantarum ab inclementia brumæ semotarum radicibus calidam affudisse, & contra frigoris iniurias fomentis tepidioribus armasse, quod dum fit solent circa natalitia, non frondescere, sed florere etiam rami, ea venustate & odoris fragrantia, vt si triclinij fenestræ talium arborum virore vestiantur iam tibi in viridario veris tempore morari videaris, præsertim si fructus ramis intexantur, & aues libero volatu cantu demulceant audientes, imo iam vsu adsuefactæ ad mensas deuolent, alimenta porrecta recepturæ: similibus reor amœnitatibus & vernis gaudijs præter exspectationem omnium conuiuas recreatos ab Alberto: quæ cum ij qui viderant nonnihil supra veritatem exaggerarent, imperiti & maleuoli necromantiæ, amiciores autem miraculo tribuerunt, cum res ea viribus naturæ fieri facile possit

curimprobabile videatur.

naturali vi quadam factum esse videtur.

occurritur obiectioni

Nec abhorret à sanctorum virorum (in quibus iure B. Albertus numeratur) honestis & liberalibus oblectationibus, curiosarum istarum rerum tractatio, & exercitatio: nam cum adiaphora sint, si bono fine cohonestentur, & ad principum etiam virorum animos ex arcanis naturæ delectandos; & (quod Albertus spectabat) ad opera pietatis inflammandos adhibeantur, nemo potest id improbare, sanè in Staticis & mæchanicis quibusdam scientijs, Physico-mathematicis, in quibus Archymedes excelluit, ij reperiuntur pastus, & animorum oblectationes liberales, vt ijs nullæ valeant corporis voluptates Philosopho teste comparari, quibus si mens sanctorum etiam virorum post continuam, siue in studiorum, siue proximorum iuuandorum laboribus exhauriendis defatigationem viciſſim moderatè instauretur, vt facilius & constantius ad interruptos paululum labores redeat, an plus abhorret à ratione, quam corpus inedia confectum cibo vel somno congruo refocillare? neque enim minus ingenij quam corporis vires vti contentione nimia debilitantur, ita modica remissione plurimum reparantur.

licita religiosis & sanctis viris est oblectatio è studijs & rebus mechanicis.

imo necessaria est relaxatio corporis & ingeniorum.

CAPVT LII.

Philippus Pulcher Rex Franciæ circa Annum 1285. *in festo Epiphaniæ coronatur, & de Stelliferi militaris ordinis in Francia origine.*

PHILIPPVS Pulcher A. 1285. die solenni Epiphaniæ Rhemis ab Archiepiscopo fuit Rex Franciæ coronatus, forte pro suo in sanctos tres Reges affectu, quos post Deiparam Reges Franciæ coluisse non vulgari religione testis est ordo militaris principum Franciæ; Nam Robertus Francorum Rex sub annum salutis reparatæ 1022. cum insigni flagraret in Dei genitricem Mariam religione, vt eam in successores Reges, Principes & totam nobilitatem transfunderet, Stelliferum ordinem 8. Septembris instituit, & primo quidem eo Deiparam veram maris stellam mirificè cupiebat honorare, deinde cultus illius exhibendi *R*egum trium exemplum proponere, qui stella duce stellam maris primi de Gentibus cum filio sceptris & coronis positis adorarunt: vnde constituit vt hoc insigne stellæ, cordibus singuli, vei vesti affixum, vel auro impressum præ se ferrent, hoc adiecto lemmate: *Monstrant Regibus astra viam*: vt enim stella Regibus Orientis iter ad ipsam salutis viam, vitam & veritatem demonstrauit, sic *Maria stella maris* & eius cultus perpetuus, certam clientibus ad æternam vitam viam aperit, *Facta est*, inquit S. Fulgentius: *Maria fenestra cæli, quia per ipsam fundit verum seculis lumen: facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines mereantur adscendere ad cœlos &c.* Hac via cultuque Deiparæ sancti Reges, Gentium primitiæ per, inuentricem gratiæ, fontem & auctorem gratiæ repererunt: eadem optabant via Principes Franciæ velut tutissima, breuissima facillimaque contendere ad patriam. Ipsam ordinis institutionem in Ephemeride Mariana Ballingen ita narrat, ex antiquitatibus Parisiensibus Iacobi Breulij: *Produnt*, inquit, *annales Robertum Regem Galliæ hodie dedisse initium ceremonijs ordinis equitum à se erecti sub annum* 1022. *cum esset hic Princeps eximius B. V. cultor veræ stellæ maris, regnique sui ductricis, & sideris, erexit oratorium Parisijs, cui nomen placuit indere nostræ Dominæ de stella; in quo & erexit nouum ordinem* 30. *duntaxat equitum è prima nobilitate, quem & hoc nomine insigniuit ordo equitum Dominæ nostræ de stella, singulis, quos creauit equitibus distribuit auream torquem, in cuius extremo pendebat super stomachum stella item aurea, quinque radijs illustris: insuper in superiori parte sottanæ ad dexteram gestabant stellam ex auro acupictam.* Nec minus nobiles, quam Reges ipsos fundatores & Præsides voluit Robertus adspectu stellæ muneris sui meminisse, vt enim stellæ tam errantes, quam fixæ lumen, calorem, & vim præcipuam occultis suis virtutibus communicant rebus omnibus inferioribus, vt sine earum adminiculis animalia plantæque cum homine necessario breui post interirent, ita Reges decet iustis legibus & exemplo vitæ subditorum moribus prælucere: ijs cum pace & abundantia temporali (quam ratione officij tueri & conseruare tenentur) ad æternam præire felicitatem, suaque vitæ integritate dirigere potius & gubernare, quam suppliciorum seueritate coercere, ideo sublimi in solio cunctorum oculis conspicui gemmis & auro fulgurant ac radioso cincti diademate, quasi micantia quædam in oculis sidera collocantur, Qua de re quædam in hac SS. Regum historia & stellifero Franciæ ordine rectè obseruat Cornelius à Lapide. *Appositè*, ait, *stella duxit tres Magos Reges ad Christum, Regem regum, quia stella habet speciem coronæ regiæ, eiusque fulgentis & radiantis, atque ideo stella*

Philippus Pulcher coronatur eodem die

Stelliferi ordinis initium.

Ser. de laudibus Mariæ

P. Ballingen ad 8. Septembris.

Principes stellis comparantur.

Cornelius à Lapide.

ſymbolum eſt Regis & regni, vnde Deus Geneſis 15. promittit Abrahæ dicens: Numera ſtellas cæli ſi potes, ſic erit ſemen tuum: vbi inter alia per ſtellas deſignauit Reges Iſraël & Iuda ex Abraham naſcituros, ac præſertim Regem Chriſtum: hinc Geneſis 17. eidem Abrahæ explicans, diſertè ait: Regesque ex te egredientur. Hinc acceptus eſt vetus militaris ordo Regum & Principum Franciæ, qui inſigne ſtellæ in veſte præ ſe ferebant, cuius hoc erat emblema, Monſtrant Regibus aſtra viam. *Qui ordo poſtea à Ludouico II. Franciæ Rege in ordinem S. Michaelis commutatus eſt, vt referunt Gaguinus lib. 10. & Genebrardus in Chronologia ad Annum Domini 1496. Hic ordo Stellifer primitus inſtitutus fuit à Roberto Rege Franciæ ſub Annum Chriſti 1022. in honorem Beatæ Virginis, cui Rex mire erat deuotus, ipſo eius Natiuitatis feſto die 8. Septembris, eo quod ipſa ſit ſtella maris, obſecrans vt ipſa ſui regni ac præſertim nobilitatis eſſet ductrix, quaſi præiens ſtella. Quare 30 equites è prima nobilitate in hunc ordinem adlegit, ſingulisque torquem auream cum ſtella ad pectus dependente in collum iniecit.*

Abyſſinoum Regũ inſigne *P. Melchior Cap. 12.*

Abyſſinis Regibus inſigne fuit ſimile ſtellæ Magis prælucentis, quo ſignificarent ijs ſe progenitoribus gloriari, quod P. Melchior ita deſcribit. *Huc fortaſſe faciut, quod Principes Æthiopum in regijs ſuis inſignibus, hodieque ſtellam, quæ Magos ad præſepe duxit gloriosè ſurpant, tanquam generis ſui ab vno aliquo ex ijs ducti characterem: ſi vera ſunt, quæ nobis dum Romæ verſaretur an. 1633. & partim quarto perbibuit Saga Chriſto magnæ indolis iuueni, & eiusdem vt à multis credebatur ſanguinis Æthiopiæ Princeps; neque ſolum, ſed depicta eadem inſignia memoriæ ergo reliquit.* Redeo ad Philippum Pulchrum, quem die Epiphaniæ coronatum Remis & Pariſios reducem ſalutauit oratione diſertiſſima Philoſophus & Theologus eximius, Ægidius Romanus Auguſtinianæ familiæ decus, qui cum eius rexiſſet adoleſcentiam, eiuſdem conſilio volumen, quod ſuperat de Principum regimine concinnaſſet, nactus eius attentas & beneuolas aures à Perſarum Regibus: è quorum ſanguine multi credunt vnum vel plures SS. Regum deſcendiſſe: documenta virtutum & morum cenſuit eſſe deſumenda, cuncta paucis complexus, quæ ad SS. Regum imitationem decet Reges omnes æmulari. *Non pigebit me, dum te intueor, magnitudinemque tuam conſidero, à Perſis exempla repetere, quorum Reges tot gentibus imperitantes, cum liberos ſuos ipſarum virtutum voce eruditi inſtituique non poſſe cognoſcerent, quod proximum erat, conquiſitioni ſummorum virorum facta, quatuor viros ex omni numero deligebant, vnum iuſtitia clariſſimum, alterum prudentia, tertium fortitudine animi, quartum continentia excellentem, horum præceptis iam inde à pueris Regum filij conſueuerant, quæ diſciplina quam diu incorrupta permanſit, tam diu illud imperium maximum orbis terrarum exſtitit, & tot poſt ſeculis etiam apud nos memorabile admiratione digniſſimum.* Miratur deinde, cum tot Cæſares & reges varia ſibi virtutum & heroicorum facinorum nomina ſumſerint nullum ſibi iuſti titulum arrogare, quod nomen & virtutem vnice commendat Philippo, aliis, vt ſciat ſenatum non vni ſibi, ſed cœleſtium inſtar ſiderum aliorum debere conſulere commodis & vtilitati. Satis, inquit, *mirari nequeo poſt hominum memoriam ſanctos Reges, maximosque Imperatores ex rebus geſtis, vitæ inſtituto, aut fortunæ aliqua præclara ſibi cognomenta peperiſſe, alios expugnatores, alios illuſtres, alios magnos, alios felices, alios pios, doctos alios alio nomine nobilitatos, nullum dum Regum, nullum illorum Imperatorum, qui rerũ potiti ſunt, iuſti cognomen ad hanc diem promeruiſſe; eam vnam iuſti Regis palmam cognominisque dignitatem ceteris occupatis reliquam eſſe, quæ petatur, quam primum omnium ſumma contentione peti oportuiſſet, cum cetera priuatorum hominum, & multo minus ſalutaria munera ſint: Cuius rei cauſam quis aliam crediderit, quam quod ſint, qui ferant iuſtum hominem maiori alijs, quam ſibi vſui eſſe: quaſi Reges, loco cœleſtium inſtituti datique ſint idcirco, vt ſibi non Reipubl. ſaluti commodoque proſpiciant, cum contra res habeat, Reges diuinitus humano generi dati ſint, vt in commune conſulant, iuſtitiaque ea ſit animi dos, quæ vniuerſi vtilitate conſeruata ſuam cuique*

Oratio Aegidii Rom. ad Philippum Pulcrum, die Epiphaniæ is inſtitutionem Regum ex Perſis petit

ſuadet ei cognomen iuſti.

Regibus ſunt imitanda cœleſtia ſidera & corpora

cuique tribuit dignitatem, à qua qui deſciſcunt, quamuis in regio ſolio ſedeant, Regesque in præſentia vocitentur, tamen adeo à regio nomine iudicio ſapientum, quo quid manus? quid grauius? abſunt, vt ne Latino quidem nomine nuncupari poſſint. Stellas vult eos imitari, & ſolem, qui cunctis ſuam vim & influxum lumenque communicant: nec ſibi tantum: ſed & alijs omnibus bonis & improbis lucent, vt cuncti æqualiter foueantur: non vt in nequitijs ſtabiliantur mali; ſed vt exempli vi, ceræ & glaciei inſtar liqueſcant poſita peruicacia: boni vero confirmentur & roborentur, ne flacceſcant, & debito fortitudinis vigore diſtituantur. ita Ægidius exemplo SS. Regum, quorum cultui deditum Philippum nouerat, è Perſarum inſtitutis ſalubria ſumebat regiminis Principum documenta, quæ breui lemmate Robertino velut ſymbolo continentur.

Monſtrant Regibus aſtra viam.

CAPVT LIII.

S. Mechtildis eodem ſeculo exeunte die Epiphaniæ de donis regijs diuinum accipit oraculum, & de modo poſt ſacram ſynaxin dona grata ſuperis offerendi.

VERE *Deus humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit, imo deſpicit, & cum humilibus & ſimplicibus ſermocinatio eius*: aliud eſt ingenium Principum & Magnatum ſeculi, qui viles & abiectos nec dignantur congreſſu vel adſpectu, quorum tamen ipſe Chriſtus ſpeciem homo factus induit, *Vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*: & in ipſis recipi voluit: ita piſcatores delegit pauperes Apoſtolos, quibus arcana diuinæ ſapientiæ, non Philoſophis Athenienſibus, non oratoribus Romanis; non Regibus orbis manifeſtauit: ſic & ſexum quandoque ſequiorem elegit ingenio ſimpliciorem, affectu ardentiorem, cui ſenſus abditos ſcripturæ reſerauit: talis, de qua multum egi Elisabeth Schônaugienſis, & Gertrudis Saxonica: huicque perfamiliaris Mechtildis Deo ſacrata Virgo, cui nouam aperuit trium munerum myſticam ſignificationem, quam ſibi percepta ſacra ſynaxi gratam oſtendit, præſertim in Epiphania Magorum exemplo repræſentari. Facit hic Chriſtus quod Rex pauperi: non licet Reges quoſdam ſine munere conuenire: pauperem & omnium egenum ad ſe inuitat Rex; clanculum ipſi aurea ſubmittit, & pretioſa donaria, quæ Regi velut propria largiatur. Sic Chriſtus dum epulo diuiniſſimo accumbimus, ſuam nobis cum humanitate impertitur diuinitatem; infinitam erga genus humanum caritatem, diuinam & immenſam ſanctitatem & puritatem, abyſſum etiam inexhauſtam meritorum perfectionis: omnia nobis pariter cum humanitate communicat, & nihil ei gratius eſt, quam ſi eadem ipſi redonemus, & mores noſtros, quoad eius fieri poteſt, cum eius virtutibus conformemus, ſed Dominum loquentem huic animæ ſimplici audiamus. *Poſt perceptionem dominici corporis dixit ad eam Dominus, Ecce do tibi aurum, hoc eſt diuinum amorem meum, & thus, id eſt omnem ſanctitatem, & deuotionem meam; & myrrham id eſt amaritudinem totius paſſionis meæ, ſingula hæc tria præcipue do, vt ea quaſi tua valeas mihi redonare. Quod dum anima fecerit, eadem duplicata ſibi reddo. Et hoc eſt centuplum, quod homo in præſenti accipit, & vitam æternam poſtmodum in futuro. Hæc tria ſingulis annis poſſet hoc die offerre, ſcilicet diuinum eius amorem, puritatem ſanctitatis eius, & fructum paſſionis eius.* Quærit oppertunitatem Chriſtus ſua nobis dona conferendi: vltro nobis ea & gratis offert: quæ dum fonti bonorum omnium reddimus, non decedunt ea nobis, ſed augentur, & cumulantur: nec duplicantur ſolum imò fœnore centuplici nobis reſtituuntur in donis gratiæ: quibus addetur in patria gloria ſempiterna. Lubet eandem audire de Baptiſmo Chriſti differentem: multa & arcana Magiſtro Chriſto de eo didicit: quando fuit Chriſtus Doctor mortalium à Patre cœleſti renunciatus, adijcit ſumma quædam cœleſtis eius doctrinæ capita.

Deus humiles & abiectos legit. *Oral. 112. Pſ. 5. 12. Pſal. 21.*

Chriſtus donat nobis, quæ redonemus. docet modum offerendi tria munera.

In ſancta, inquit, *nocte Epiphaniæ Domini, dum Reſſponſorium in columbæ ſpecie cantaretur, vidi Dominum Ieſum in linea veſte: in quo intellexi quod dum Ioannes Chriſtum baptizaſſet, & Patris vocem audiſſet, & Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie vidiſſet, Chriſtum in tali habitu & forma vidiſſe, quali cum tres diſcipuli in transfiguratione in monte conſpexerunt. Cogitanti autem, & ſcire cupienti ſi Ioannes à Chriſto etiam Baptiſma ſuſcepiſſet, quia dixit, ego debeo à te baptizari: Dixit ei Deus, in eo, quod Ioannes me tetigit, & aquis immerſit, Baptiſmum meum ipſi contuli; quia deſiderauit à me baptizari, & agnouit ſe indigere Baptiſmo: ideoque Baptiſmus eſt Chriſtianis itat cum innocentiam meam confero: per quam filij cœleſtis patriæ efficiuntur. Vnde Pater meus de quolibet baptizato dicit. Hic eſt filius meus: complacet ſibi in eo anima mea, ſicut in filio cariſſimo. Quod ſi etiam homo eandem innocentiam peccatis amiſerit, per veram pœnitentiam eam recæperare valebit. Et dum cantaretur ipſum audite, dixit ad Dominum. Mi Domine, quid à dilecto tuo audire debemus? cui Dominus: audite filium meum vos ita vocantem, Venite ad me omnes, qui laboratis: audite eum vos docentem: Beati mundo corde. Audite eum vobis conſulentem: qui manducat meam carnem: & bibit meum ſanguinem, habebit vitam æternam. Et illud: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris; ſed habebit lumen vitæ. Audite eum præcipientem: Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem. Audite eum etiam comminantem, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & iterum: Qui non baiulat crucem meam & venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Tres poteſtates præciptas in Chriſto tres Reges, diuinitatem, regiam, & ſacerdotij dignitatem tam Solymis oris præconio, quam Bethlehemi reipſa tribus oblatis congruis & myſticis muneribus promulgarunt: eodem die triginta ſpatijs annorum euoluris Deus Pater paucis voculis quam plurima alia munia filij ſui publicauit: quem vt Legislatorem, Doctorem, Iudicem, Conſiliarium, gratiæ largitorem & Paſtorem ab omnibus voluit agnoſci, recipi, & audiri.

An & quomodo Chriſtus baptizarit S. Ioannem.

Doctrina eius.

& officia varia S. Ioan publicata.

CAPVT. LIV.

Seculi decimi quarti initio feſtum translationis trium SS. Regum Coloniæ fuit in foro celebratum, & ad fabricam Eccleſiæ, in qua quieſcunt in teſtamentis legata conſtituuntur ac choro abſoluto illata ſolenniter ſunt corpora ſanctorum Regum.

SEcvLo quarto decimo translatio SS. Regum inter feſta fori Coloniæ numerabatur; ſtatutum Henrici à Virnenburch Archiepiſcopi, qui circa A. 1306. inſcendit cathedram hæc habet. *Volumus craſtinum B. Mariæ Magdalenæ, quo corpora trium Regum beatorum Coloniam peruenerunt, ac diem dedicationis maioris eccleſiæ Colonienſis, videlicet diem BB. Coſmæ & Damiani Coloniæ tantum, ſicut dies Apoſtolorum, cum ſolennitate Diuorum, & celebritate populi obſeruari.* Feſto autem vndecim millium Virginum, præcepit tota archidiœceſi tota die feriari:

c. 6. Cœpit circa hæc tempora, vt arbitror, conſuetudo legandi ad fabricam S. Petri: de hac Wichboldus in fine ſeculi tertij decimi hoc ſtatuit. *Præcipimus & ſtatuimus, vt laici in præſentia ſui ſacerdotis teſtamenta ſua faciant, & in teſtamentis faciendis conſulant Sacerdotes ſuis ſubditis, quod declarent ſua debita, & forefacta, & quod ea primo reſtitui faciant, & quod poſtmodum legent aliqua fabricæ eccleſiæ S. Petri matrici eccleſiæ totius ciuitatis & diœceſis Colonienſis ſecundum arbitrium teſtantis* & c. 7. *ſi quis verò fabricæ eccleſiæ S. Petri aliquid legauerit in ſuo teſtamento, eidem 20. dies de iniuncta ſibi pœnitentia relaxamus: & cum aliqua Eccleſiæ S. Petri legantur, hoc Presbyter ſignificet Coloniæ Procuratori fabricæ, & nomina eorum, qui prædictæ fabricæ legata fecerint.* iterum c. 15. *Item præcipimus & iniungimus vniuerſis Presbyteris Colonienſis diœceſis, ſub pœna ſuſpenſionis, & excommunicationis, quatenus dictum negotium fabricæ apud ſuos ſubditos promoueant diligenter, & fideliter in eccleſijs, teſtamentis, & confeſſionibus, & ſi qui pro huiusmodi negotijs ſuſpenſi, vel excommunicati fuerint, non abſoluantur niſi per nos, ſeu noſtrum Officialem.*

legata pro fabrica eccleſiæ & SS. Regũ.

Succeſſo-

Successor Wichboldi Henricus Virnenburg, de quo antea, sic fulminat in synodo in detentores legatorum fabricæ. *Cum nonnulli tam Clerici, quam Laici vtriusque sexus homines bona mobilia vel immobilia ad fabricam Coloniensium & aliarum ecclesiarum legata, seu bona illicite acquisita ipsi fabricæ cedentia aut tacitè aut expresè occupent &c. Nos eorum in hac parte fraudibus obuiare volentes, statuimus & præcipimus, vt quicunque cuiuscunque status aut conditionis existant, in præsenti, vel pro tempore huiusmodi bona & legata, ac illicitè acquisita sub se habuerint, intra mensem à præsentis statuti publicatione ea, quæ ad præsens apud eos sunt, & se habere sciunt; vel quocunque tempore, dum innotuerit ipsis, se bona consimilia tenere vel occupare, similiter intra mensem fabricæ nostræ Coloniensi & restituant, atque reddant. Alias ad id, & tunc per excommunicationis sententiam compellantur.*

Claret ex his incredibilis solicitudo Archiepiscoporum, vt opus inceptum fabricæ promoueretur: & sane tantum profectum est, vt decennio post vltimum statutum chorus templi celsissimus sit fornicatus.

chorus post 74. annorum ædificationem perfectus.

Septuaginta 4. iam annorum spatio continua ædificatione templi metropolitani cornu orientale, quod chorum S. Petri primarium complectitur, perfectum est, nec solum interior eius facies, columnis, muris, statuis, sacellis, aris, vestiario, organo, horologio & concameratione decorata; sed exterior etiam templi elegantissima structura tecto plumbeis laminis operto, triplici ambulatione loricata, duplici parastadarū seu anteridum ordine circumquaque coronata, quæ supra tecta alarum depressiora surrectæ suis fastigijs pyramidatis & arcubus duobus inter se & cum chori primario muro deuinctæ robur operi & ornamentum ingens conciliarunt. Annus tunc reparatæ salutis 1322. agebatur, quando Henricus Virneburgicus Archiepiscopus choro numeris omnibus absoluto solenni ceremonia & supplicationis instituta pompa corpora sanctorum trium Regum in sacellum eis in capite templi post aram principem præparatum transtulit, vt verò celebrior ea festiuitas euaderet ex præcipuis vrbanis templis hierothecas Patronorum Coloniensium eo deferri iussit, vt horum sacro festiuoque comitatu sedem suam sancti Reges augustiore gloria occuparent. Indicta fuit in diem corporis Christi solennis supplicatio, præscriptus ordo, qui seruandus in sanctorum lipsanothecis deportandis, designati baiuli, qui succollarent: quæ ex archiuo S. Pantaleonis depromta visum est rudi stylo quo mandata sunt describere.

interiora ornamenta. exteriora. translati A. 1322. ad eum 33 Reges deportatis cum eis Patronis vrbis.

ORDINATIO DEPORTATIONIS CAPSARVM RELIQUIARUM CIUITATIS COLONIENSIS.

ordo reliquiarum.

CApsa S. Ætherij, quæ est apud Virgines antecedet, & hanc portabunt habitatores super Eygelstein.

Capsa SS. Ewaldorum, quæ est ad S. Cunibertum, quam portabunt Parochiani S. Cuniberti

Capsa S. Hippoliti, quæ est etiam apud Virgines, quam portabunt vicini.

Capsam SS. Felicis & Adaucti, quæ est ad Apostolos, portabunt Parochiani SS. Apostolorum.

Capsam S. Eliphij, quæ ad S. Martinum maiorem, portabunt Piscatores.

Capsam S. Gereonis portabunt Aurifabri.

Capsam S. Gregorij Principis Maurorum, quæ est etiam ad S. Gereonem portabunt Aurifabri.

Capsam S. Paulini, quæ est ad S. Cæciliam portabunt Textores.

Capsam S. Maurini, quæ est ad S. Pantaleonem portabunt Parochiani.

Capsam S. Heriberti, quæ est in Tuitio portabunt Tuitienses.

Capsam S. Agilophi, quæ est ad Gradus Mariæ Virginis portabunt habitatores S. Iohannis in Curia.

Capsam S. Vitalis, quæ est in Capitolio, portabunt habitatores de Turrenmart.

Capsam S. Euergisli, quæ est ad Cæciliam portabunt Pictores.

Capsam S. Albini, quæ est ad S. Pantaleonem portabunt Scabini.

Capsam S. Cuniberti portabunt Parochiani ibidem.

Capsam S. Vrsulæ portabunt Parochiani S. Albani.

Capsa SS. Trium Regum quando portari debet, portabitur per Reges, aut Episcopos, aut Duces, aut alios Nobiles,

qui baiuli SS. Regum.

Hactenus ordo præscriptus: contigit autem dicta die quidquam prodigiosum circa S. Albini corpus, quod rudiore calamo sic recensetur, *Nota quando prædictæ capsæ deportabantur, dum capsa S. Albini venit apud Albas Virgines, non poterat vltra portari, nec moueri de loco illo, sed iterum reportari debuit, ad Ecclesiam S. Pantaleonis, & loco S. Albini portatur capsa S. Maurini eiusdem Monasterij Abbatis.* circuitus processionis perexiguus fuit, qui sic ibidem describitur. *Circa Annum Domini* 1322. *completo choro nouæ fabricæ maioris Ecclesiæ Coloniensis deportabantur corpora sanctorum Trium Regum de antiqua Ecclesia S. Petri solenniter circa curiam summi, per viam, vbi consueuit portari Venerabile Sacramentum in die Corporis Christi, præcedentibus capsis supra dictis, & Clero totius ciuitatis Coloniensis: & portabantur ad Gradus Mariæ & per spergasse, & per curiam summi vsque ad nouam Ecclesiam, & collocata ad locum, vbi nunc pausant, retro summum altare, & ibi manebunt vsque ad tempus, dum deputatus locus eorum ante chorum sub stella, quæ est extra in summitate chori ante aureum turrim est fabricatus: & completo prædicto loco, debent iterum deportari de loco, vbi nunc pausant solenniter vsque ad illum locum sub stella deputatum, præcedentibus capsis Sanctorum vt supra. Et deinde nunquam reuersuri, sed permanebunt ibidem, vsque ad finem mundi,* Eiusdem anni versus antiqui meminerunt incisi templo numero rotundo retento.

Circuitus supplicationis.

Anno milleno trecenteno, vigenaque iungo,
Tunc nouus ille chorus cæpit iubilare sonorus.

Posteriores Episcopi multum desudarunt vna cum collegio Metropolitano vt per institutam D. Petri sodalitatem structura procederet.

CAPVT LV.

Sodalitas S. Petri instituitur Coloniæ in fabricæ subsidium: & Religiosi collectores pecuniæ designantur.

Finis institutæ sodalitatis.

QVo fuerit anno sodalitas S. Petri instituta nondum comperi: exeunte seculo 1200. viguisse probant ea, quæ iam recitabo: Finis eius erat stipis collatio pro ædificatione promouenda: in quam tam peregrinos adlectos existimem, qui tunc innumeri ad visenda sanctorum Regum corpora confluebant, & aliqua pecuniola oblata participationem piorum operum istius sodalitij ambiebant: quam totius archidiœcesis fideles quotquot annuum pensitare argentum vellent, ad opus tam pium perurgendum. Sed vt res ea maiori cum fide perageretur, certi è diuersis Religiosorum familijs seligebantur, quibus collegij metropolitani, literæ consignatæ cum reliquijs sacris tradebantur, argento inclusis. Huius rei luculentum exstat vestigium in translatione S. Odiliæ, quam cum Ioannes Eppa cœlitus reperisset, & Huyum transtulisset, ei collegium S. Petri hanc prouinciam demandauit. *Notandum*, ait Bannelius, *quod vigente necessitate, dum ad operis fabricæ Coloniensis perfectionem, quæ in honore Virginis gloriosæ fundata est, & B. Petri Principis Apostolorum vocabulo insignita, in qua trium sanctorum Regum, qui Regem regum altissimum meruerunt oculis carneis intueri, & eum mysticis muneribus adorare, corpora venerabiliter requiescunt, ecclesiæ non supperetent facultates, viri morum vitæque sanctitate integerrimi adsumti sunt ad collectionem pecuniarum, quæ partim ab ijs, qui in fraternitatem eiusdem ecclesiæ S. Petri vocatam annuam pensionem in subsidium fabricæ promissam exigebant, partim à pijs peregrinantibus, locaque sancta deuotionis visitantibus in elegantissimi ac sumtuosissimi operis desideratam consummationem erogabantur, de quorum numero fuisse F. Ioannem de Nouelan, ordinis & conuentus nostri Parisiensis conuersum ex diplomate testatissimum euasit. Sciendum est insuper, quod nullus nisi cum literis testimonialibus auderet in ciuitate, & diœcesi Coloniensi à fidelibus pro fabrica ipsa caritatiua subsidia postulare, sicut patet ex statutis Henrici à Virnenburch Archiepiscopi Coloniensis, & roboratur ex confraternitate S. Petri, quam summus ecclesiæ Romanæ antistes Ioannes*

Bannelius Contin. Trans. lationis S. Odiliæ.

Auexio-

Auenione Calendis Iulij Pontificatus sui anno 17. roborauit. Sed reddamus capituli attestationis integra verba, quæ ob antiquitatem, & confirmationem tunc factarum Vrsulanarum leuationum; ac custodiam Colonienſem corporum ſanctorum trium Regum: præterea ob ſingularem, quam erga Deiparam ſpirant pietatem nullo modo ſunt negligenda.

VNIVERSIS CHRISTI FIDELIBVS SACRI BAptiſmatis vnda renatis, capitulum Colonienſe ſalutem in omnium Saluatore.

VNicæ peccatorum ſpei B. V. Dei genitrici Mariæ laudes & gratias vtinã dignas digne referimus, ſuper eo, quod eccleſiam noſtram parte ſacrorum capillorum ſuorũ præſentia voluerit honorare: ob cuius laudẽ & merita ex ea pro humani generis ſalute homo factus Dei filius ſuis fidelibus in ſummo altari B. Petri Apoſt. eccleſiæ noſtræ, in qua BEATORVM TRIVM MAGORVM SIVE REGVM CORPORA SVNT RECONDITA, à ſuis doloribus multifarias conſolationes indulſit: de quibus capillis B. V. ſcimus & cognoſcimus virum religioſum fratẽ Ioannem dictum Norelan ordinis S. Crucis B. Auguſtini villæ Pariſienſis annexos cruci argenteæ deauratæ infra monſtrantiam cryſtallinam: qui diutius Coloniæ converſatus, laudabiliter & deuotè, & oſſa plurimorum corporum ſanctarum vndecim millium Virginum ibidem decollatarum martyrio, proprijs effodit manibus, ad receptionem, & collectionem oblationum fidelium ad ipſum altare in ſubſidium fabricæ Colonienſis offerentium eſt adſumtus. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus literis eſt appenſum. Datum Coloniæ idibus Maij. A.° Domini 1294. idem ſodalitium poſtea ſedes Apoſtolica confirmauit, vt iam dicetur.

CAPVT LVI.

Ioannes 22. Pontifex Maximus ſodalitatem S. Petri ad fabricam promouendam, & operis elegantiam commendat: teſtaturque SS. Tres Reges Coloniæ quieſcere.

ARCHIEPISCOPI Colonienſes maximis ſodales Petrinos fabricæ promotores ornarant indultis, præſertim relaxationem interdicti ijſdem varijs in caſibus condonarant, quæ Pontifex Maximus inſerit bullæ ſuæ, laudat operis inſtituti magnificentiam, confirmat peregrinorum ad ſanctorum Regum corpora viſenda pietatem, comprobat inſtitutos certos nuncios, & collectores pecuniæ hoc exemplo.

IOANNES EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI dilectis filijs præpoſito, & Capitulo eccleſiæ Colonienſis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

CVm à nobis petitur, quod iuſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis exigit, quam ordo rationis, vt id per ſolicitudinem officij noſtri ad debitum perducatur effectum. Sane petitio veſtra nobis exhibita continebat: quod V. Fr. noſter Henricus Archiepiſcopus Colonienſis diligenter attendens opus fabricæ veſtræ Colonienſis admodum fore elegans ac ſumtuoſum: & quod vos proſecutioni eiuſdem operis diligentius intendiſtis, ac etiam intendere non ceſſatis, & quod ad perfectionem operis eiuſdem eccleſiæ non ſuppetunt facultates, quodque pium exiſtit, & vtile, vt opus ipſum ſine laudabili & celeri conſummetur propter ipſius eccleſiæ reuerentiam, & decorem, & pro eo maximè, quod ad dictam eccleſiam in honore Virginis gloriоſæ fundatam, & B. Petri Principis Apoſtolorum nomine inſignitam: IN QVA TRIVM SANCTORVM REGVM, QVI REGEM REGVM ALTISSIMVM MERVERVNT OCVLIS CARNEIS INTVERI, ET EVM MYSTICIS MVNERIBVS ADORARE, CORPORA SVNT VENERABILITER COLLOCATA, FIDLEIVM PEREGRINANTIVM DEVOTIONIS ET ORATIONIS CAVSA CONFLVIT MVLTITVDO: vt

SS. tres Reges quieſcunt Coloniæ.

ipſorum fidelium zelus deuotionis & fidei ad eccleſiam præfatam fortius intendatur, pro vrgente neceſſitate fabricæ, ac euidenti vtilitate eccleſiæ prædictarum de conſilio veſtro & aſſenſu auctoritate ordinaria ſtatuit, ac etiam ordinauit, nullus niſi cum literis veſtris teſtimonialibus, qui ad hoc à vobis foret ſpecialiter deſtinatus, auderet in ciuitate & diœceſi Colonienſi à fidelibus pro fabrica ipſa caritatiua ſubſidia poſtulare: quodque cum tales ad poſtulanda huiuſmodi ſubſidia deputati peruenirent ad quæuis loca ipſius diœceſis, quæ forent auctoritate ipſius Archiepiſcopi ſeu officialis eius, ſeu Archidiaconorum, ſiue Decanorum, aut aliorum quorumcunque dicto Archiepiſcopo iure ordinario ſubiectorum Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, poſſent ipſi ſic deputati ad populos locorum eorundem verbum exhortationis proponere, prodictis ſubſidijs poſtulandis, & quod ſemel in menſe, ſiue dominica vel feſtiua, ſeu quæcunque alia dies exiſteret, qua dicta ſubſidia in locis ipſis contingeret poſtulari, dictorum locorum, vel alij ſacerdotes idonei valerent in locis ijſdem dicto interdicto nequaquam obſtante (quod idem Epiſcopus quoad diem ipſam tantummodo relaxabat) de conſenſu Archidiaconorum, Decanorum, & aliorum ſubiectorum prædictorum, diuina officia (nominatim excommunicatis & interdictis excluſis) ſolenniter celebrare: vt propterea fideles ipſi animarentur ad eadem ſubſidia erogauda, ex tunc eodem interdicto in ſuo, ſicut antea, robore duraturo. Præfatus quoque Archiepiſcopus, de conſilio & conſenſu prædictis, eadem auctoritate ſtatuit, ac etiam ordinauit, vt quicunque fideles vtriuſque ſexus dictarum ciuitatis & diœceſis in fraternitatem eiuſdem eccleſiæ S. Petri vocatam recepti annuam penſionem ab eis in ſubſidium fabricæ præfatæ promiſſam exſoluerent, & in locis, vt præmittitur interdictis, eos vel ipſarum liberos obire contingeret, poſſent eidem ſacerdotes pro eis non obſtante dicto interdicto (quod quantum ad id dictus Archiepiſcopus de conſenſu ſimili relaxabat) exſequias & Miſſas mortuorum publicè admiſſis adhæc alijs fidelibus celebrare, ac defunctorum eorundem corpora, eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ: dummodo ipſi fideles & defuncti nominatim excommunicati vel interdicti, aut dicti defuncti non fuerint vſurarij manifeſti. Celebratis vero exſequijs, Miſſis huiuſmodi, pro defunctis ijſdem eorumque corporibus dictæ traditis ſepulturæ, interdictum ipſum in ſua firmitate permaneat, vt prius. Et quia idem Archiepiſcopus certas pœnas in ſuis ſynodalibus ſtatutis expreſſit, quas ſacerdotes ciuitatis & diœceſis præfatarum incurrerent, qui præſumerent interdicta auctoritate ſua ſeu officialis, ſeu Archidiaconorum, aut Decanorum, ſiue quorumcumque aliorum prædictorum ipſi Archiepiſcopo (vt dicitur) ſubiectorum poſita violare, voluit, ſacerdotes, qui præmiſſis diebus (quibus ex dictis cauſis vt præfertur interdictum huiusmodi prædictus Archiepiſcopus de conſenſu prædicto relaxabat) miſſas, diuina officia, & exſequias huiuſmodi celebrare & ipſorum defunctorum corpora eidem ſepulturæ traderent (prout ſupertus eſt expreſſum) pœnis huiuſmodi nullatenus ſubiaceant: prout in patentibus literis inde confectis veſtroque ſigillo munitis plenius dicitur contineri. Nos igitur veſtris hac in parte ſupplicationibus inclinati, quod ſuper his prouidè factum eſt, ratum & gratum habentes, illud auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei &, BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auenione Calendis Iulij Pontificatus noſtri anno 17. circa an. 1327.

CAPVT LVII.

Statuta varia Archiepiscoporum Coloniensium post annum 1327. de fraternitate S. Petri & collectoribus pro fabrica.

TOto seculo quartodecimo continuata fuit metropolitani templi ædificatio: sumtus præcipuos Petrina sodalitate faciente: sed cum ij, qui vicatim vel oppidatim pecuniam colligebant variè vel impedirentur: vel alijs in hoc se officium ingerentibus laicis, res malà fide, defalcata, bona parte gereretur, occurrit incommodis his Henricus Archiepiscopus anno 1327. *Præcipitur vniuersis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis in Coloniensi diœcesi constitutis, per R.dum in Christo Patrem ac Dominum D. Henricum Archiepiscopum Coloniensem de Prælatorum suorum & capituli Coloniensis consilio & assensu & statuitur, & mandatur, sub interminatione maledictionis æternæ & sub obtestatione diuini & tremendi iudicij, nec non sub pœna anathematis prohibetur, ne aliquis cuiuscunque conditionis, status, vel ordinis fuerit, aud eat fabricam Coloniensem, seu collectores vel nuncios ipsius publicè vel occultè quibuscunque vijs vel coloribus ad hoc quæsitis quomodolibet impedire. Iniungitur similiter & mandatur omnibus prædictis, nec non Laicis quibuscunque, etiam nobilibus, siue templarij siue custodes ecclesiæ, aut quocunque alio titulo nuncupentur, ne de cetero quaslibet oblationes, eleëmosynas, seu largitiones quascunque datas vel oblatas diuidant, & sibi partem aliquam retineant: seu de ijs aliqualiter intromittant, sed negotium fabricæ ipsius fideliter promouentes, omninò manum deponant, & ipsis nuncijs seu collectoribus omnia oblata vel donata sine diminutione adsignent, procuratori ipsius fabricæ ad vsus eiusdem diligentius præsentanda. Præcipitur insuper, vt omnia illa, quæ pro fraternitate B. Petri Apostolorum Principis largiuntur, distinctè & per se reseruentur, ipsisque nuncijs seu collectoribus specialiter sine commutatione alicuius alterius integraliter adsignentur: ita vt de huiusmodi oblationibus, reddatur ipsis nuncijs vel procuratori computus specialis. Ceterum præcipitur, sicut prius, statim lecto Euangelio ecclesiarum seu capellarum rectores ordinent, & disponant, vt nuncij seu collectores dictæ fabricæ verbum Dei populo proponant, & postulent oblationes & suffragia sine impetu opportunè: & si postmodum alij prædicare habuerint sermonem suum, incipiant. Vt sic nuncij expediti valeant ad alias ecclesias, in quibus eorum aduentus celeriter exspectatur, sine longa mora vlterius proficisci. Idem D. noster Archiepiscopus omnes Prælatos, Plebanos, vicarios, ecclesiarum rectores, seu eorum vices gerentes, Presbyteros, Clericos, & Laicos cuiuscunque officij, status, vel conditionis exsiterint, qui contra has, inhibitionem, ordinationem & statutum veniunt in parte, vel in toto, nisi excessum eorum intra septem dies, quos eis pro monitione adsignamus, emendauerint, excommunicationis sententiæ eo ipso voluit subiacere: mandans & committens Officiali Coloniensi, quatenus dum ipse à procuratore fabricæ Coloniensis, vel aliquo eorundem fuerit requisitus, præmissa, & præmissorum quælibet exsequatur, à suis subditis quibuscunque exsequi faciet diligenter, prout negotium & vtilitas ipsius fabricæ id exquirit. Facta est publicatio ordinationis, inhibitionis, & statuti huiusmodi Coloniæ crastino inuocauit, in congregatione concilij synodalis, anno Domini 1327.*

nemomi pedire debet collectores

Collectoribus ius est concionandi ante Parochos

Quod vero collectoribus istis cogendæ habendæque concionis ante Pastores Rectoresque Ecclesiarum faciat potestatem, satis innuit; non vilis eos conditionis, vel Laicos exstitisse, sed viros siue Ecclesiasticos siue religiosos ad hoc opus delectos ex Archidiœcesi disertissimos oratores, qui & dicendo valerent & auctoritate. Legi catalogum eorum, quem infra laudabo, in quo videntur & Parœci quondam Colonienses huic se muneri consecrasse, sed dum indulta tam magna fidelibus offerrentur, qui nomen albo Petrino dederant, & vigentibus tunc crebris per Archidiœcesin interdictis, iis ea relaxarentur, plerique non sani: sed ægri & moribundi quidem, ad sepulturæ publicæ honorem consequendum: vel vno donato denario voti compotes euadebant

erant Ecclesiastici præcipuæ auctoritatis.

Fraus inscribentium se in sodalitatem in fine vitæ

uadebant, læsa quandoque cleri vel delusa libertate: cui Walramus Archiepiscopus præsens adhibuit remedium, certumque statuit pretium, quod nisi penderetur, interdicti non daretur relaxatio: licet modicissima re donata pauperes aliis possent frui sodalitatis priuilegijs, hoc tenore: *Walramus Dei gratia S. Colonien sis ecclesiæ Archiepiscopus sacri Romani imperij per Italiam Archicancellarius, dilectis in Christo Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis &c. Etsi promotio tam magnifici operis fabricæ ecclesiæ maioris Colonien sis præcipue nobis, qui speciali vinculo illi iungimur ex Christi fidelibus cunctis debeat in pietatis visceribus insistere, decet tamen, & est debitum, vt vigeat discretio, sic vt illa non effugiat iudicium rationis: ne dum huiusmodi fabricam promouisse putemur, succrescat dispendium aut alia illicita compensatio pro fauore huiusmodi inconuenientijs admixta. Dudum siquidem nonnulli prædecessores nostri, & nos ipsi ad promouendam consummationem structuræ dictæ fabricæ multum laudabilem & non modicum sumtuosam corda gerentes, ardentia indulsimus, & concessimus, vt vtriusque sexus homines, qui fraternitatem eiusdem ecclesiæ nostræ Prouincialium, aut synodalium vel nostra ordinaria quacunque vel officialis nostri, vel Archidiaconorum nostrorum, vel Decanorum, aut aliorum quorumcunque nostræ iurisdictionis ecclesiæ fuerint interdictæ, ipsosque fratres, seu eorum liberos infirmari vel mori contigerit (dummodo non fuerint vsurarij manifesti, vel excommunicati, aut interdicti) inungantur, & si decesserint, corpora defunctorum tradantur ecclesiasticæ sepulturæ quibus exsequijs & Missis Christiani fideles poterunt interesse si voluerint, non obstante huiusmodi interdicto: quod interdictuum, seu quæ interdicta, quo ad vnctionem, & ad ipsum diem sepulturæ & exsequiarum duximus relaxandum: non ergo ad alia. Interdictis tamen huiusmodi lapsis diebus exsequiarum prædictarum in suo robore vlterius duraturis: & postmodum ad ambitiosam & importunam quorundam instantiam, per quam multoties non concedenda conceduntur, præmissis indulgentijs, nostram declarationem subiunximus, videlicet quod etiam his qui ad cursum vitæ suæ petitionem annuam non darent; sed cum potuerint largiuntur, & adscribi faciunt ad fraternitatem prædictam, quod à die largitionis & oblationis vsque ad annum gaudere debent omnibus, & singulis libertatibus, priuilegijs. & gratijs, fabricæ supradictæ: sic tamen, quod si anno reuoluto hoc non facerent, ab huiusmodi libertatis gratia forent excluſi: nihilominus tamen quocunque postmodum tempore adscribi possent, & gaudere libertatibus antedictis. Verum quia experientia didicimus, quod per declarationem nostram huiusmodi sibi quidam, contra tamen intentionem nostram, quandam occasionem quamuis fatuam adsumserunt, quia ipsi & nonulli infirmi, qui dum essent sani de hoc minimè curauerint, pro sola gloria humana & viuorum solatio exsequiarum post mortem solennia affectantes se ad dictam fraternitatem, & priuilegia eiusdem pro vno denario, vel duobus fecerunt recipi & adscribi, vnde in aliquibus partibus nostræ diœcesis, (vbi magis contra libertatem Cleri inualuit audacia peruersorum) raro contingebat, quin tempore generalis interdicti Missarum solennia pro sepulturis huiusmodi secundum prædicta priuilegia haberentur: propter quod ibi dissoluitur, & vilescit neruus ecclesiasticæ disciplinæ, & libertas ecclesiæ destruitur, pro qua dicta interdicta sunt prouidè adinuenta. Læsores enim illius per hoc contra Clerum eo licentius animati non quærunt satisfacere, nec curant populares, & eorum Domini insurgere contra ipsos: deho-*

discretio debet amorem nimium temperare.

indultato-dalibus.

abusus.

nestatur etiam honor fabricæ, cuius tanta priuilegia passim ab omnibus comparari posse pro tam vili pretio publicantur, & si inde dictæ fabricæ secundum quorundam opinionem aliquod emolumentum quomodolibet eueniret (quod tamen credere non valemus) cum res minori taxatæ pretio vt frequentius refutentur, quæ pro iusto vel maiori auidius peterentur; non est talis tamen cum tantis inconuenientijs compensatio admittenda. Nos igitur crebris super his Cleri in dictis partibus miserabiliter afflicti lamentationibus excitati, præfatam declarationem nostram tot quam per importunitatem obtentam, & quæ tracta est contra intentionem nostram notoriam in abusis cum omni suo effectu præsentibus reuocamus, & de consilio & consensu capituli & prælatorum nostrorum declaramus, & statuimus, quod hi duntaxat, qui se in fratres dictæ fraternitatis faciunt recipi & adscribi, sani vel in-

reuocat suam declarationē.

firmi,

firmi, pro annua pensione ad minus vnius somborini bladi mensuræ Colonienſis, aut pro ſex ſolidis Colonienſis pagamenti ſingulis annis ad dies vitæ eorum præſtandis & ſoluendis, & de hoc ſufficienter ſecundum conſuetudines, & exigentias locorum, vbi talia fiunt, cauetur ita vt hoc firmum ſit, nec de eo poſſit poſtea quæſtio, vel dubitatio ſuſcitari, gaudebunt pro ſe & ſuis liberis ſecundum indulgentias noſtras & prædeceſſorum noſtrorum prædictorum, quo ad dictam Inunctionem, & diem Eccleſiaſticæ ſepulturæ cum Miſſa pro defunctis in forma, qua ſuperius eſt expreſſum. Quod ſic duximus declarandum: Gaudebunt quoad diem, id eſt ſpatium diei, quo præmiſſa ſine fraude poſſunt commodè expediri, & quoad hoc, & non quoad totum diem interdicta huiuſmodi tantummodo relaxamus. Non eſt tamen intentionis noſtræ, quin præter indulgentiam huiuſmodi inunctionis Miſſæ & ſepulturæ tempore interdicti Chriſto deuoti, fraternitatem prædictam pro minori, de quo eis Deus inſpirauerit poſſent habere, ac Fratres eiusdem Fraternitatis appellari, & participare in Miſſis, orationibus, vigilijs, caſtigationibus, & alijs operibus caritatis: quæ ob dictam fraternitatem, & vt Fratres illius eorum participes ſint, fuiſſe dignoſcuntur hactenus inſtituta: ſummo itaque opere caueatis, ne in his, quæ pro tutela libertatis veſtræ duximus ordinanda, inueniamini in aliquo tranſgreſſores: ita, vt de cetero nullum Fratrem dictæ Fraternitatis in indulgentia Vnctionis, ſepulturæ, & Miſſæ prædictarum participem habeatis niſi tantum dederit, & de hoc etiam ſufficienter cauerit, de quo tamen vobis, qui Curati illius fueritis plenè conſtant quantum & ſicut ſuperius eſt taxatum & ſtatutum. Alias contra vos, tanquam tranſgreſſores Interdictorum, & profanatores diuinorum, ad officiorum veſtrorum priuationem, & alias pœnas canonicas quantum de iure poterimus, arctius procedemus. Datum A. 1339.

pretium definit prò interdicto relaxando.

Walramo circa annum ferè 1350. ſubrogatus eſt Wilhelmus de Gennepe, qui principem aram metropolitanæ baſilicæ conſtruxit è marmore, & SS duodecim Apoſtolorum argenteis ſtatuis; decorauit: is cum multos tenuiores ob certum ſtatutum pretium penſionis annuæ videret excludi à ſodalitate Petrina: maluit eam quantitatem facultatibus admittendorum eſſe metiendam; nec iis aditum occludendum, qui angusta in re familiari parum affectu magno largiuntur. Tenor eius hic eſt:

minuitur id pro aliis ſpiritalibus gratijs participandis.

mitigatur prior conſtitutio in gratiam tenuiorum.

Wilhelmus Dei gratia: Cum ſicut ad Nos fide dignorum perduxit relatio, ac fama valida publica acclamatione lucidius atteſtatur, quod nonnulli ciuitatis & diœceſis noſtræ prædictæ Nobis ſubditi non pauci numero, qui zelo deuotionis, qua OPVS DITISSIMVM FABRICÆ NOSTRÆ ECCLESIÆ COLONIENSIS (CVM OMNI EXACTISSIMA OPERARIORVM DILIGENTIA, MIRANDA PRETIOSITATE, ET FIDELIVM LARGITIONE ELEEMOSYNARVM CONTINVA IAMDVDVM INCEPTVM) proſequuntur, pro Fraternitate B. Petri oblatis ad id opus debitum perficiendum ſuis eleemoſynis iuxta ſuarum virium facultates ſe adſcribi & participes priuilegiorum, libertatum, & gratiarum eiuſdem fieri deſideranter affectant, ſed quia ad huiuſmodi Fraternitati quemquam adſcribendum rerum & bonorum oblatorum quantitatem, quam offerentis pro modo facultatum mundi cordis affectum æſtimant, licet indebitè, plus attendi, & per hoc huiusmodi fraternitatem (ſtrid quod poſſent, non quod vellent, ſi ſuppeterent facultates) offerrent, verentur ſe quamuis immerito vllatenus non poſſe admitti, vel adſcribi. Ea propter deuotioni huiuſmodi ſubditorum noſtrorum pio compatientes affectu, ac volentes eoſdem tam laudabili propoſito ad ſalutem animarum ſuarum ſalubriter confouere, præſentibus duximus ordinandum, ſpecialiter indulgentes iiſdem, quod his, qui de bonis ſibi à Deo collatis tantum ad ſtructuram fabricæ eccleſiæ noſtræ prædictæ ſoluendum annuatim ſe adſtinxerint, & contulerint, quantum compenſatis eorum facultatibus de conſilio, & iudicio Curatorum ſuorum commodè ſoluere poterunt, & conferre, ſe dictæ fraternitati facere poſſint, & faciant adſcribi priuilegijs, indulgentijs ac gratijs, & libertatibus ac immunitatibus quibuſcunque Noſtris ſeu prædeceſſorum noſtrorum huic indulto noſtro forſan derogantibus) libere potiuntur, exceptis ſepultura, & extrema Vnctione, eis nullatenus miniſtrandis in locis illis, quæ per vnum annum continuè

laudatur operis fabricæ elegantia.

Eccle-

Ecclesiastico fuerint supposita interdicto. Ita tamen, vt huiusmodi futuri Fratres eleemosynas suas prædictas inspirante Deo successu temporis de bono in melius augere studeant, prout præstante Deo auctæ fuerint, & excreuerint facultates, vt exinde procul dubio centuplum in terris recipere valeant & in cœlis vitam possidere sempiternam. Datum A. 1357.

Plures interim nomen dabant sodalitati, vix vt sufficientes mitterentur collectores: quod quidam malè feriati dum obseruant, ement untur cruces, habitum & morem eorum, & nomine fabricæ sodalium pensiones nequiter depeculantur. Contra hos eodem anno publicat Wilhelmus hoc statutum & fulmen. *Wilhelmus Dei gratia: Meminimus Nos iam dudum & vicibus multiplicibus sub certarum pœnarum adiectione decreuisse Christianitatum Decanis, ac Rectoribus inuestitis, & sacerdotibus vniuersis Ecclesiarum & Capellarum, in nostra diœcesi constitutis, ne Quæstores aut Petitores cuiuscunque forent nominis, auctoritatis, siue conditionis, in suis ecclesijs admitterent, promouerent seu reciperent, nisi ipsos transire scirent cum Nostris & Capituli Nostri Colonienſis literis certis & expressis: sanè ex parte vestra Nobis oblata petitio continebat, quod cum nonnullæ hactenus fuerint, & sint personæ profanæ & profugæ, quæ diabolicæ persuasionis instinctu sub falso titulo nunciorum fabricæ ecclesiæ Colonienſis, & cum literis conflictis in aliquibus ecclesijs diœcesis transeundo beneficia, & eleëmosynas ad consummandam structuram fabricæ memoratæ petant, colligant, & iacturam eiusdem fabricæ, cui subripiunt ea, quæ & à Christi fidelibus donantur, quatenus eidem fabricæ & votis super his de opportuno remedio prouidere dignaremur. Nos igitur non solum præiudicium & iacturas Ecclesiæ Colonienſis memoratæ, quæ per prædictos excessus impeditur, vitare; sed etiam excedentiũ huiusmodi excessus corrigere cupientes, quod cum efficacia efficere nequiuimus, cum ipsi existant profugi nisi personaliter capiantur; idcirco auctoritate præsentium committimus, & districtè vniuersis & singulis officiarijs vbilibet constitutis mandamus & requirimus officiarios aliorum dominorum, quatenus delinquentes, cum per vos, vel per nuncios vestros requisiti fuerint, auctoritate nostra capiant, etiamsi Clerici fuerint, deliniant, & Nobis ipsos repræsentent, pro meritis & modo culpæ pœnam recepturos. Præterea exposuistis Nobis; quod sint nonnullæ personæ vtriusque sexus, quæ nouæ mendicitatis siue extorsionis pecuniæ à Christi fidelibus speciem adinuenientes, nulla auctoritate suffultæ, cum crucibus, & imaginibus, siue calicibus quos portant sine verecundia, & cum scandalo publicè petunt, & recipiunt eleëmosynas in præiudicium non modicum fabricæ memoratæ, quocirca præcipimus & inhibemus sub pœna excommunicationis Decanis, Plebanis, Rectoribus & Vicarijs ecclesiarum & capellarum vniuersis nostræ diœcesis, ne de cetero tales (in ecclesijs suis admittant, nisi Nostri, vel Capituli nostri literis sint munitæ: imo huiusmodi personas omnes & singulas: (quas sex dierum spatio pro termino peremtorio & monitione Canonica præmissa, nisi destiterint à præmissis, excommunicamus in his scriptis) in ecclesijs vestris publicè nuncietis excommunicatas. Et vt forsan non nonnulli spiritualem pœnam forniantes minimè, temporalis metu pœnæ à prædictis arceantur, Vobis officiarijs nostris, sub obtentu gratiæ nostræ, & nihilominus vobis & alijs Officiarijs prædictis in virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excomunicationis districtè præcipiendo mandamus, quatenus vbicunque & quotiescunque à præsentium exhibitore fueritis requisiti, prædictis personis, sicut prædicitur, cum crucibus, imaginibus, calicibus, vel monstrantijs mendicantibus, easdem cruces, imagines calices seu monstrantias auctoritate nostræ auferatis, ipsosque præsentium exhibitori tradatis: & vt adsignentur Procuratori fabricæ prædictæ fideliter mandetis: vt sic præfatæ personæ, metu pœnæ ab huiusmodi forefactis, & excessibus discant vlterius abstinere. Datum an.* 1357.

contra impostores & fures pecuniarum fabricæ.

insignia collectorum subreptitiorum.

Iterum contra eosdem nouo quodam edicto fulminat anathema, quo tamen prius ipsos ferit collectores tardiores in repræsentanda corrogata pecunia his verbis *Multifarijs excitatos clamoribus Nos oportet occurrere præiudicijs & iacturis, quibus sancta nostra Colonienſis ecclesia in gloriosa templi sui fabrica & structura opprimitur, & multipliciter impeditur, præsertim per Plebanos & Rectores ecclesiarum Ciuitatis, & diœcesis nostræ Colonienſis, qui eleëmosynas, & legata fabricæ ipsius*

ipsius ecclesiæ tempore debito minimè reportant & repræsentant: vnde omnes & fabricæ ecclesiæ nostræ prædictæ, & aliorum negotiorum ad ipsam fabricam spectantium eleëmosynarum, seu legationum vltra diem reportationis earundem inactæ seu indicendæ, detentores, seu subtractores auctoritate à Deo nobis concessa, propter contemtum clauium, & sacrilegium commissum decem dierum monitione canonica præmissa, excommunicationis vinculis in his scriptis innodamus, & præmissa non solum ad futura, sed etiam pendentia subtracta & detenta, & in reportatione dilata ipsi fabricæ extendi volumus, & ligari detentores & subtractores huiusmodi præfata pœna post publicationem mandati huiusmodi, nisi intra tempus præfatæ monitionis satisfaciant de perceptis & subtractis.

Interiectis deinde quibusdam alijs Archiepiscopis Colonienſibus, anno 1370. cathedram inſcendit Fridericus tertius Saruerdenſis, qui decessorũ exemplo cœpit opus fabricæ ſtatim ab initio regiminis ſtrenue promouere: & reuocauit ideo literas omnes, quas Archiepiſcoporum nonnulli quæſtoribus indulſerant, ad caritatis ſubſidia conquirenda: quibus in propriam rem nequiter abutebantur: hos ita perſtringit.

Quæſtorum officium tollit pro colligendo ſubſidio caritatis.

Cum dudum ſicut accepimus prædeceſſores noſtri, per ſuas certi tenoris literas diuerſis Quæſtoribus eleëmoſynarum ſuper hoc conceſſas, per quas vniuerſitatem veſtram exhortando vobis dicuntur iniunxiſſe, quatenus Quæſtoribus huiuſmodi, dum ipſi ad vos, veſtraſque eccleſias, pias fidelium eleëmoſynas & grata caritatis ſubſidia petituri declinauerint, gratioſè admittere & caritatiuè curaretis: nonnulli quæſtorum in hac parte literis ſibi conceſſis nequiter abutentes, nonnullas etiam abuſiones in ſuis ſermonibus ad populum factis publicè prædicando ad quærendas huiuſmodi eleëmoſynas, & ſubtiliter extorquendas confingunt. Quidam verò, qui minus ad id idonei & indiſcreti exiſtunt, cum literis huiuſmodi pro petendis eleëmoſynis & quæreadis deſtinantur & multipliciter exceſſerunt, & excedunt, in ſuarum graue diſpendium animarum, ſaluti populi & deuotioni fallaciter illudentes. Quapropter præfatas prædeceſſorum huiuſmodi literas, quibuſcunque eleëmoſynarũ quæſtoribus, præterquam his, qui pro eccleſia noſtra Colonienſi, & pro eius fabrica ad vos, vel veſtrum quemlibet & eccleſias veſtras declinantes acceſſerint, eleëmoſynas petituri, ſub quacunque verborum forma conceſſas penitus reuocamus & in totum an. 1371.

Voluit hic Archiepiſcopus iuxta Reinoldum, qui tranſtulit ſanctorum tres Reges, quieſcere, in choro Dei parenti ſacro, quem prodigioſa decorat eiuſdem Virginis matris ſtatua cum ſanctis Regibus Mediolano tranſlata: ad cuius honorem idem Epiſcopus inſtituit: vt quotidie ſacrum harmonico concentu circa ſextam concinatur.

Ex his patet opus fabricæ ſeculo toto quartodecimo ad ſequentis vſque exordium quo Friderici durauit regimen, perduraſſe: qui autem fuerint fabricæ procuratores, & collectores dicemus inferius. Claudamus hoc caput cum approbatione Indulgentiarum ſæpius laudati Wilhelmi, quas liberaliter benefactoribus fabricæ erogauit anno 1357.

Indulgentiæ pro ſupplendis commiſſis defectibus in recitatione Horarũ & Miſſis.

Cum ex debito noſtræ paſtoralis dignitatis officio matri noſtræ Eccleſiæ Colonienſi meritò prouidere tenemur, quin potius vt deuotio veſtra ex meritis ipſi eccleſiæ impendendis apud nos valeat cõmendari, ne veſter labor atq; affectus à nobis vacuus tranſire videatur, vobis Prælatis & ſacerdotibus, qui in negotio dictæ matris eccleſiæ fideles inuenti fueritis, & deuoti, quidquid ex negligentia, torpore, ſeu obliuione in Horis Canonicis, aut in Miſſis contra Deum, & ordinem veſtrum omiſiſtis, dummodo contriti fueritis atque confeſſi totum de Dei miſericordia duximus indulgendum. Et vt ad maioris cumulum mercedis omnes Chriſti fideles feruentius prouocemus, ſtatuimus ratificantes, vt omnes indulgentiæ Venerabili matri noſtræ Eccleſiæ Colonienſi conceſſæ in noſtra Prouincia, omnibus Chriſti fidelibus manum largitatis ad ſanctum & laudabile opus porrigentibus ad æternæ ſalutis augumentum ſint valituræ. Nos etiam ad excitandam & in Domino exhortandam fidelium deuotionem hoc de noſtro apponi-

& omnes aliæ conceſſæ Eccleſiæ Colonienſi.

mus, quod omnibus Christi fidelibus dictæ ecclesiæ benefactoribus, 40. dies de pœnitentijs ipsis iniunctis, ob peccata oblita, vota fracta, (si ad ea redierint) offensas Patrum & matrum sine mannum iniectione violenta: iuramenta, quæ mentis impetu & sine discretione sunt prolata, mendacia ex leuitate seu ioco & pietate dicta, vaniloquia superflua & inutilia: & bona quocunque modo illicitè acquisita (si nesciantur hi, quibus reddenda sunt, & in subsidiũ dictæ fabricæ Coloniensis Ecclesiæ conferantur) misericorditer relaxamus. Insuper vt ad maioris mercedis cumulum omnes Christi fideles efficacius & feruentius prouocemus, præcipimus in virtute S. Obedientiæ & statuimus, vt singuli sacerdotes nostræ diœcesis singulis mensibus duas Missas, vnam pro viuis, alteram pro defunctis celebrent. Diaconi vero & subdiaconi nec non & Moniales singulis annis duo psalteria perlegent pro benefactoribus, & Ecclesiæ nostræ Fraternitatem ipsis exponendam zelo deuotionis accensis assumentibus, vt pro tantarum orationum beneficio, æternæ vitæ mereantur esse consortes. Hinc claret præcipuum Archiepiscoporum studuum fuisse in sodalitate S. Petri structura templi promouenda: totius etiam fabricæ elegantia & magnificentia colligitur quæ seculis aliquot, ab operis plurimis diligentissimis & accuratissimis perfici nequijt.

singuli Sacerdotes in mense duo sacra legere tenentur pro fabricæ benefactoribus.

CAPVT. LVIIJ.

Reges Angliæ, Cypri, Daniæque seculo quartodecimo Coloniæ SS. tres Reges piè visitant.

QVARTO decimo seculo cultus SS. Regum creuit vehementer, institutis ad eos è remotissimis orbis partibus peregrinationibus, quarum in bulla sua meminit A. 1327. Ioannes 22. constat Reges etiam ab vltimis Orientis, Occidentis & Aquilonis finibus eo contendisse. Erant anno 1337. corpora SS. Regum solenni in supplicatione ad diuina quædam obtinenda beneficia circa Metropolitanam ædem deportata, anno sequente Eduardus Rex Angliæ Coloniam venit, vt pie sacra Regum corpora vileret, & opem eorum subsidiariam contra Regem Franciæ Philippum Pulcrum exoraret. Quam propitios habuerit in bellis cœlites, libet ex incorruptissimo scriptore Angliæ Harpsfeldio describere. *Eduardus*, ait, *adultior factus, claris victoriarum suarum non modo contra Scotos, sed & Gallos, atque Hispanos trophæis, reramque gestarum in prælijs celebritate eo magnitudinis & gloriæ prouectus est, vt omnes certe Saxones Reges, qui eius imperium vel præibant aut postea excipiebant in eo laudis cursu superasse forte censeatur. Testis est Scotia, quæ penitus tribus insignibus prælijs per eum confracta est, cuiusque Regem Dauidem multis annis Anglia captiuum apud se detinuit. Testis est Hispania, & res per nostros præclarè ibidem gestæ; egregiæque præterea nauales victoriæ. Testis est potissimum Gallia,* (contra quam auxilia petiturus Colonian supplex ad sanctos tres Reges inuiserat) *cuius vires varijs alibi, tum præcipuè apud Clausas sensit: in qua pugna Eduardus forti manu egregiam præstitit operam, grauéque vulnus accepit: cuius facile dolorem cum animi magnitudo, tum celebris illa victoria abstersit: Testis est inquã Gallia, cuius nobilitatis flos Crescitico prælio Anglorum virtute exaruit. Testis est Ioannes Francorum Rex, qui exercitu suo cæso, & profligato, in potestatem Anglorum cum filio suo Philippo, & mille septingentis ex proceribus, cum nostri præ Francis admodum exiguo & exili numero essent, captiuus peruenit, & in Angliam adductus est.*

Lipsanotheca SS. Regum A. 1337. circumlata in processione. *Chronicon Colonense.*

Eduardus Rex Angliæ peregrinatur Coloniæ ad SS. Tres Reges.

victoriæ illius.

Alterum Regem Oriens ex Insula Cypro Coloniam misit ad SS. Reges piè visendos. Forte is maiores imitatus cliens Domani imperij esse & dici cupiebat: ideoque perlustrata Lombardia, Bohemia, Germaniaque cum flore nobilitatis & apparatu regio Coloniam profectus est, vt quod ferè in imperio Romano præcipuis in delijs haberet Tres Reges orientis oculis adspiceret, & piè coram veneraretur. Exceptus magnificè, regieque habitus, cũ religioso, functus esset peregrinationis officio Britannias adijt, inde per-

Chronicon Colon. An. 1343 Rex Cypri inuisit SS. Reges.

agrata

agrata Francia Venetias petijt, Venetijs ſoluit in Cyprum. Stetit pietati fructus nam cum Rhodijs equitibus inita ſocietate poſtea tentauit in Ægypto feliciter Alexandriam, eandem eripuit Saracenis, ac infinitis ditatus ſpolijs cum rediſſet in regnum, immani facinore non multo poſt à fratre regnandi cupido fuit trucidatus. Tertium miſit Coloniam Regem peregrinum Septentrio Daniæque regnum, quo ſeculo vel anno nonduum liquet, is cum aureis coronis ſanctos Reges donaſſet, ab ipſis meruit admirabili prodigio muneribus longè diuinioribus cumulari. Rem geſtam Ioannes Maior noſter ex collectore ſpeculi recitat, quam poſtea reperi in peruetuſto M. S. codice his verbis ijsdem exaratam. *Rex*, ait, *quidam Danorum ad tres Reges, qui ſtella duce ab Oriente Hieroſolymam venerunt; & Chriſto nato munera obtulerunt, deuotionem magnam habebat, coſque in ſui adiutorium inuocabat. Profectus ergo prædictus Rex Coloniam, cum comitatu ſolenni, vbi eorum ſacroſancta corpora honore debito conſeruantur, tres coronas aureas mirabiliter & regaliter fabrefactas eis obtulit, inſuper plus quam ſex marcarum millia, cum ingenti deuotione eccleſijs, & pauperibus diſtribuit, magnum fidei ſuæ exemplum ibi fideli populo derelinquens. Quadam autem nocte, cum ad propria remearet, & membra ſoporì dediſſet; ecce vidit in ſomnis tres Reges, coronas quas portarat in capitibus præferentes, cum ingenti lumine ad ſe propius accedere; & ſingulos audiuit ſingulariter dicere talia. Primus igitur, qui & ſenior eſſe videbatur, ſic ait: Frater mi feliciter veniſti, ſed felicius ad propria remeabis. Alter dixit: Frater mi, multa tribuiſti; ſed tecum plura reportabis. Tertius ſimiliter ait: Frater mi fidem oſtendiſti; ſed expletis viginti tribus annis iugiter in cœleſtibus nobiſcum regnabis. Primus igiter offerens ei pixidem plenam auro dixit Accipe inquiens theſaurum ſapientiæ, per quam ſubiectum populum iuſtè iudicabis; quia honor Regis iudicium diligit. Secundus pixidē cum myrrha ei obtulit dicens: accipe myrrham pœnitentiæ, per quam carnis motus illicitos refrenabis; quia optimè regnat, qui ſeipſum bene regit. Non enim alios coërcere, aut bene regere poteſt, qui ſeipſum non coërcet. Tertius præbuit ei pixidem plenam thure, dicens: Accipe thus deuotionis & clementiæ, per quam miſeros releuabis; quia ſicut ros herbam irrigat, vt creſcat, ſic dulcis clementia Reges vſque ad ſidera proueхit, & exaltat. Cumque Rex de magnitudine viſionis miraretur, ſubito excitatus eſt, & pixides, quas ei tres Reges obtulerunt iuxta ſe collocatas reperit. Qui donum Dei lætus accepit, & ad propria rediens, omnia, quæ in ſomnis audierat, quoad vixit deuotiſſimè adimpleuit, & expleto termino ſupradicto regna cœleſtia meruit poſſidere.* Fides ſit penes auctores. Nec tamen quia ſcriptores Danici illius non meminerunt ideo cenſenda res non accidiſſe: ſufficit eo loci facti memoriam ſupereſſe, vbi contigit. Comperi autem dum hæc ſcribo Cæſareanos milites recens ex Marchia Brandenburgica cum reliquis opimis ſpolijs tres ſecum pixides abſtuliſſe. Fama eſt SS. trium Regum fuiſſe, literis vna repertis auctenticis, quæ fidem facerent: ſed earum vnam caſu quodam deperditam eſſe, binas reliquas in Bohemia prope Pragam ſupereſſe. Crediderim ſi vera eſt narratio has eſſe, quas Rex Daniæ (ſæpe Brandenburgicæ Marchiæ dominatus) dono *SS.* Regum accepiſſe cœlitus dicitur.

Maior in ſpeculo ex. lib. Tres Reges

Regis Daniæ pietas

ingens munificentia.

apparent ei tres Reges

tria ei promittunt

totidem ei donant munera

Vaſcula tria *SS.* Regum inuenta in Marcha Brandenburgica

CAPVT LIX.

Henricus 7. Imperator Aquiſgrani & Mediolani die Epiphaniæ coronatur: ſæpiuſque Coloniæ SS. Regum corpora piè veneratur.

HENRICVS 7. Imperator Comes Lutzenburgicus, cum laudatiſſimis Cæſaribus iure memorandus, ita vitæ morumque probitate, militaris ſcientiæ peritia, magnitudine & celſitudine animi maieſtatem imperatoriam decorauit. Is cum cuperet quam auſpicatiſſimè adire Auguſtalem dignitatem, ante & poſtea quam inſignitus corona fuit, Coloniæ viſit ſanctos Reges: & eorum feſtiua ſolennitate voluit diademate redimiri. Non pigebit prolixam eius rei geſtæ ſeriem ex elegantiſſimis Brovveri Treuirenſibus Annalibus recenſere. *Conuocati ſeptemuiri in villam Renſe, quæ in Rheni ripa inter Confluentes & Bopardiam media, vt de nouo inſtituendo*

Browerus ib. 27. Anna. Tr. c. 957.

do Principe consilia captarent &c. Sanè Clemens Pontifex, vt Henricum Lutzenburgicum, ad id honoris eueheret, & Cardinalis Pratensis consilium & libertatis amor iuxta suadebant. Quo promtius factum à Principum senatu, vt explorato Pontificis iudicio, Henricum domi militiæque virum præstantem ob ingentis animi & corporis eius decora, haud magno discrepantium voluntatum studio eligerent. Francofurti is 27. Nouembris (ex quo nonnulli septimum octauumque Kalendas Decembris, alij omnium Sanctorum ferias perperam faciunt) Romanorum Rex salutatus est. Balduino Treuirensi, & Petro Moguntino Archiepiscopis præcipuam operam Henrico nauantibus. Per hos deinde magno rerum apparatu in Vbios deducitur, atque inde nouo anno ad accipiendum diadema perrexit Aquas, mirificè ab eius loci ciuibus exceptus. Quippe magistratus solenni honore cum clauibus obuiam illi ad quartum scilicet ab vrbe lapidem prodijt, Vrbis portas subeunti plebs ei faustis vocibus acclamauit, nihil non tali Rege sibi spondens, qui & raræ clementiæ laudibus, & militaris rei peritia, & animi magnitudine eluceret in paucis. Sacro Epiphaniæ die, quo clarissimi sideris ductu tres ex vltimo Oriente Reges ad Christum profecti, Henricus & ipse Rex apparere Christo sacraque inauguratione sua illius diei lætitiam cumulare voluit: quare argenteam maiorum instituto coronam adeptus, alijsque regni partis insignibus, ipse cum vxore Margarita sanctissima Præsulum ceremonia Rex consecratus est. Erat autem Margarita Ioannis Brabantiæ Ducis filia, ex qua elegantem iam ille sobolem, & ad famam hominum indies floreſcentem castissimo matrimonio tulerat. Vnctionis solenne munus Henricus, Coloniensis Archiepiscopus obijt, aurea indumenta, trabeam, diadema, aliaque id genus insignia ex vtroque ordine, nobilissimus quisque Regi, reginæque inter sacrorum operas ministrauit. Sanctis iam auspicibus Regibus inauguratus, nihil antiquius Henricus habuit, quam vt eorum sacra lipsana supplex honoraret & aureis, gemmeisque donis oblatis veneraretur: præsens ab ijs in periculis & bellis auxilium petiturus; pompam illam verè regiam sic depingit Brovverus. *Inde consuetis regno moderando conuentibus institutis, Rex Coloniam eadem magnificentia prodijt, veneraturus sacra trium SS. Magorum corpora: quæ aureis oblatis, gemmeisque donarijs insigniter honorauit. Mos antiquus obtinebat in metationibus, vt quoties Imperator Rexue Romanorum Coloniæ Agrippinensium iuris dicendi, vel publicæ rei gratia sederet, Archiepiscopus aula sua Regi; Præpositus summi templi Archiepiscopo suo; S. Cuniberti Præpositus Treuirensi, Graduum S. Mariæ Moguntino suis quisque domicilijs & curia cederet; hospitiumque id exteris Principibus relinqueret. Balduinus itaque magis retinendi iuris, quã habitationis causa vetus hospitium ingressus, ilico mutata sede domicilium ex aduersum ei loco, quem Rex frater habitabat, transtulit.* Hæc eo peracta sunt anno, quo præcipitante funeratis duobus Spiræ Cæsaribus Adolpho Nassouico, & Alberto Austriaco redijt Coloniam, ibidem Natalem Domini & Epiphaniam apud SS. Reges festiuè peracturus: quæ sint ibi lætitiæ signa edita prosequitur Brovverus. *His*, ait, *Spiræ peractis Coloniam ineunte hieme cum Balduino descendit, vbi seuerissime ius in rebelles dixit, causasque pro tribunali ipse cognouit: omnesque nobiles, & optimates feudi iure, sibique imperioque deuinctos iussa capessere, & in sui regnique nomen veteri instituto iurare voluit. Vndique igitur excita eam in vrbem nobilitas, nullo non lætitiæ ac solemnium ludorum genere ciuitatem illam repleuit, hastica certamina equestri pompa & magno præmiorum, vt solet apparatu inita, nec consuetæ chorææ, quibus nescias vanius, an mollius istiusmodi iam tum, vt epulas Græci, sic ludos condiebant, viri Germani intermissæ. In Regis aula cuncta elegantia, lauta, & exquisita: quotidianis proceres ipse conuiuijs exhilarans, plebeos & inopes à regia mensa nec arcebat inuocatos. Christi ortum ac natalem Domini ingenti ibidem lætitia cum populo peregit.*

A. 1309. die Epiphaniæ coronatur. Aquisgrani.

Coloniæ inuisit SS. Reges offert eis munera

Hastiludia Coloniæ.

Substitit Coloniæ ad sextum Kal. Februarii, vt certum sit Epiphaniam Domini A. 1300. celebrasse ad SS. tres Reges, vota facturus supplex, quo propitijs ipsis anno vertente. Mediolani in veteri eorũ sede posset recurrente ipsorum solennitate ferrea corona insigniri. Nec spe sua frustatum esse probauit euentus: nam cum extrema æstate profectionem Italicam indixisset, Autumnali tempore inchoasset, ante Natalitia peruenit Mediolanum, diem Epiphaniæ præstolaturus: Erat chalibeum diadema siue abolitum, siue deperditum, vnde nouum ipse gemmis & auro illumina ut: Qua ve-

desiderat die Epipahaniæ sequenti anno coronari Mediolani

verò ceremonia fit eo die Epiphaniæ redimitus pergit, ita Browerus recenſere. *Natalitijs Domini ferijs celebratis ad ferreæ coronæ decus veterum æmulatione Cæſarum inſtructa pompa at diademate, cuius antiquitus vſus amiſſo, vel odio regij nominis abolito, nouum ex chalibe pulcherrimis & pretioſis margaritis gemmiſque inſertis ſibi Reginæque coniugi cudendum curauit. Atque in hanc rem, ceterumque inaugurationis apparatum Mediolanenſes Regi 50. millia: Reginæ decem: Genuenſes verò centum millia eidem, Margaritæ conſorti 20. millia nummorum auri coronarij loco donaſſe traditum eſt. Receptus iam tum in vrbem cum ſuis quiſque clientibus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Matthæus vicecomes: quare feſto Epiphaniæ, qui tribus ex Oriente profectis Magis illuſtris, Rex equo vectus inſigni, ad auguſtam D. Ambroſij baſilicam cum Regina contendit, vniuerſa ciuitate pompam quacunque incedebat accumulante. Adequitabant ad latera Regis ſub vmbella purpura & auro intextis ornatiſſima: vtrimque armati equites ornatuque equeſtri phalariſque conſpicui. Sequebantur Pontificum & ſacerdotum collegia; tum ampliſſimarum ciuitatum legationes, atque etiam ipſe flos Belgicæ, Germanicæque nobilitatis. Hinc pro veteri conſuetudine in templum, atque ad aram maximam rite per Epiſcopos Rex euocatus eſt; vbi circumfuſa corona ab Archiepiſcopo de more interrogata diſertis vocibus Henricum probare, atque eius iuſſa amplecti velle reſpondit; Caſſonus Turrianus, qui tunc Pontificatum Mediolanenſem gerebat, Henricum eiuſque vxorem Margaritam ſacroſancto olco prius delibutos, mox apparatiſſima ceremonia ambos ferrea corona rediminuit. Sacris inde ſolennibus perfectis, eadem celebritate Rex, qua inierat templum egreſſus eſt; vbi mox illam tanta populi & omnis ordinis hominum multitudo excepit, prope vt retinere Cæſarem velle, & ne progredi præ turba occurrentium, præcurrentiumue poſſet, alligare diceres: donec auro ſparſo, pecuniaque patefacta via, multitudo raptui miſſilium intenta pompæ tranſitu dedit. Atque ita Rex facta pace, magnaq; cum gloria palatium iniit.* pompa diei eius.

Coronatus Mediolani ſubſtitit verno tempore: poſtea reliquam ſibi ſubiecit Italiam: ſed hiemauit Genuæ. Anno deinde 1312. vnde triceſimo Iunij coronam accepit imperialem. Inſequente anno die Epiphaniæ ſtella crinita, quam Regibus & Imperatoribus formidabilem vulgo credunt, clariſſimè refulſit in ſigno Virginis: eam mox inſignis excepit lunæ defectio, prænuncia mortis, quam ipſo Virginis adſumtæ feſto ſenſit imminere: & intra octauam fatali ſuccubuit neceſſitati: de cuius acerbo funere ferunt Petrum tunc Archiepiſcopum Moguntinum cum lacrymis exclamaſſe. *Intra quingentos annos nullius Principis mortem Reip. fuiſſe nocentiorem.* Alios præterea Cæſares Adolphum Naſſouicum, Albertum Auſtrium, Ludouicum Bauarum, Carolum quartum, & Wenceſlaũ, qui omnes Coloniæ SS. Regũ corpora piè viſerunt: quia nihil in ea aditione geſſerunt memorabile, prætermitto. coronatur.

CAPVT LX.

Eodem Seculo quartodecimo S. Birgitta reuelationem de SS. Regibus accipit, & Bonifacius 9. feſtum & viſitationem corporum SS. Regum ampliſſimis indulgentijs proſequitur.

SECVLVM quartum decimum S. Birgitta vidua præſenſionibus & vaticinijs diuinis illuſtrauit: quam vix ſeptennem Deipara corona voluit redimire; parienti poſtea adſtitit, & cum ſacra Palæſtinæ loca Chriſti veſtigijs nobilitata præſens inſpiceret: de ſingulis edocuit: ipſum autem acceſſum & adorationem Magorum Magiſtra Deipara Bethlehemi talem fuiſſe didicit. *Dixit*, ait, *etiam mihi eadem mater Domini: Filia mea ſcias, quod quando tres Reges Magi venerunt in ſtabulum ad adorandum filium meum, bene ego antea præſciebam eorum aduentum, & quando inrauerunt, & adorauerunt eum, exſultauit tunc filius meus; & præ gaudio habebat tunc faciem hilariorem. Ego etiam nimis gaudebam, & lætabar mirabili gaudio exſultationis in mente mea attendens ad verba eorum & actus, conſeruans ea & conferens in corde meo.* Habes diuinum hic teſtimonium numeri ternarij, regiæ dignitati eorum, præſcientiæ Virginis aduentus eorũ: intelligentiæ linguæ peregrinæ & colloquij. Eodem ſeculo Conrardi de Begen viri nobilis inſignis emicuit pietas: ei cum natura negaſſet proles, Deum & ſanctos tres Reges raro exemplo ſcripſit heredes, ipſis erecta. *lib. 7. Reuel. c. 24.* *Pedritius a Chronico Lippienſi p. 2.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ara in Parochiali ecclesia Blumbergensi; census etiam annuos constituit alendo sacerdoti. qui sæpius faceret ad aram SS. Regum. Ratã habet dotationem Comes Saulenbergensis toparcha: quam etiam Balduinus de Steinvort Episcopus Paderbornensis tabulis publicis confirmauit, anno 1357. consignatis. Extremo hoc seculo Bonifacius 9. insigni diplomate duo sanctorum Regum festa comprobat, laudat ad eorum limina fieri solitas peregrinationes, & ampliſſimis ecclesiam custodem SS. Regum ornat indulgentijs hoc exemplo.

BONIFACIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei ad perpetuam rei memoriam.

PRærogatiua specialis fauoris & gratiæ venerandam Ecclesiam Coloniensem prosequi cupientes, vt Christi fideles ad ecclesiam ipsam, IN QVA SANCTORVM TRIVM REGVM, QVI CHRISTO REGI TRIA MVNERA PRETIOSA OBTVLERVNT, CORPORA VENERABILITER REQVIESCVNT, ET QVÆ A POPVLO ILLARVM PARTIVM IN CELEBRI VENERANTIA ET DEVOTIONE CONTINVA, ET AD QVAM ETIAM PEREGRINORVM DE DIVERSIS MVNDI PARTIBVS CONFLVERE CONSVEVIT multitudo: eo libentius deuotionis causa confluant ad eandem, quo ibidem ex hoc vberius dono cœlestis gratiæ conspexerint se refectos. De omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, auctoritate Apostolice tenore præsentium concedimus, vt omnes verè pœnitentes & confessi; qui in Epiphaniæ, & translationis eorundem Regum festiuitatum ipsarum diebus eandem ecclesiam deuote visitauerint, annuatim illam Indulgentiam, & peccatorum remissionem dicta auctoritate consequantur, quam verè pœnitentes & confessi Ecclesiam S. Mariæ de Angelis Assisinatensis diœcesis primo & secundo diebus mensis Augusti visitantes eadem auctoritate quolibet anno consequuntur. Illis verò ex fidelibus ipsis vere pœnitentibus, & confessis, vt præfertur, qui intra octo dies post quamlibet ipsarum festiuitatem dictam Ecclesiam Coloniensem annuatim visitauerint, vt præfertur, singulis diebus octo dierum huiusmodi, 10. annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs misericorditer relaxamus. Datum, Romæ apud S. Petrum Anno Dominicæ Incarn. 1394. 4. Nonas Sept. Pontificatus anno quarto.

CAPVT. LXI.

Seculo quinto decimo Rupertus, Sigismundus, Fridericus & Maximilianus Imperatores piè Coloniæ inuisunt SS. tres Reges, fiuntque Canonici Ecclesiæ Metropolitanæ.

electio Ruperti Bauari. *Trith. in Chron. Hirsaug. Brevverus A. 1401. Chronicon Colonienſe.*

ANNO gratiæ 1400. cum Wenceslaum Cæsarem ob inertiam, & grauia scelera Bonifacio Pontifice maximo adnitente septemvirale collegium solio deiecisset prope villam Renſiam (vbi quatuor Electorum confines arces, vel diœceses concurrunt) in edito suggestu saxeo Rupertum Bauariæ ducem Imperatorem renunciarunt: hanc consentientem electionem Bodobrigæ paulo post innouarunt. sed cum Aquenses pertinaciter studerent Wenceslao, nec adduci possent, vt nouo Romanorum Regi portas referarent, Rupertus studijs procerum fauentibus Coloniam elegit, & Epiphaniæ diem, vt coram sanctorum Regum exuuijs imperij insignibus donaretur: id anno sequenti 1401. 6. Ianuarij obtinuit: stipatus Ioanne Moguntino Nassouico, Wernero Treuirensi Archiepiscopis, Stephano Bauariæ duce, Hermanno Lantgrauio Hassiæ. Senatus, populusque Coloniensis Regem & imperij proceres perhonorificè susceperunt: quem Fridericus Archidiœcetes apparatissimis ceremonijs ipso Epiphaniæ festo, dum ad principem D. Petri aram facit, & more

die Epiphaniæ coram SS Regibus coronatur.

recepto

recepto Rex nouus Diaconi functus officio voce modulata caneret Euangelium, cum Regina diademate redimiuit.

Sigismundus deinde circa annum 1413. Aquisgrani à Theodorico à Mœrsa Colonienſi Præsule consecratus imperator sacraque refectus synaxi 16. Nouembris, Coloniam venit, vbi moreiam recepto sanctos Reges piè veneratus, in collegium Canonicorum Metropolitanæ basilicæ custodis SS. Regum cooptatur ac iureiurando eidem se obligat. Hoc reperi in M. S. Breuiario bibliothecæ summi templi his verbis adnotatum *A.* 1414. 16. *Kalend. Decemb. S. Gismundus Rex Romanorum intrauit Coloniam*: 9. *Kalendas Decembris Rex acceptauit præbendam suam in hac Ecclesia, & iurauit Capitulo.* 5. *Kalendas Rex recessit*. Habuit autem Coloniæ disertissimam ad imperij Principes, Clerumque Latinam orationem, cuius dictionem velut afflatu Spiritus S. pronunciatam omnes cum plausu receperunt: multum hic 9, prælijs contulit, & totidem victorijs de Turca reportatis ad eius potentiam & dominatum incidendum: multum ad Ecclesiæ concordiam firmandam vigilauit. Sigismundus Imperator sit Canonicus Colonienſis. *MS. Breuiarium* oratio eius Latina ad Principes & Clerum

Eandem piam consuetudinem eodem seculo Cæsares tenuerunt, de Friderici Cæsaris iuramento Collegio Metropolitano præstito dixi superius, de filio eius Maximiliano dicam hoc capite. Solet Imperator quoties Coloniam venit insigni pompa deduci ad templum metropolitanum, vt sanctos tres Reges supplex veneretur: id quo ritu peragatur, in Maximiliani Cæsaris rudi sed accurato fideliquè diario sic recensetur. *Anno* 1486. *die* 31. *& vltimo Martij intrauerunt nauim, & venerunt Coloniam circa horam quartam. Ipsis venientibus ad litus aderat D. Archiepiscopus Colonienſis Princeps Elector in superpellicio, cum omnibus ecclesijs collegiatis, & Monasterijs processionaliter. D. Archiepiscopus Treuirensis Princeps Elector, & Ernestus Dux Saxoniæ Princeps Elector recipientes Imperialem Maiestatem & Regem Romanorum filium suum Maximilianum cum maximo honore & reuerentia, qua decuit, habentes duos pannos sericos eleuatos, in aëre ad cooperiendam imperialem Maiestatem, & Regem Romanorum, ducentes eos processionaliter ad maiorem ecclesiam ante Tres Reges; oratione ac deuotione eorum ibidem facta & habita, intrauerunt chorum ad summum altare; quibusdam ceremonijs ibi peractis, duxerunt Imperialem maiestatem ad locum palatij & hospitij sui. Prima die Aprilis de mane Imperialis maiestas, Romanorum Rex cum ceteris Principibus visitauerunt maiorem ecclesiam Colonienſem, audientes Missam in summo altari, secunda die Aprilis D. Colonienſis, & Treuirensis venerunt ad Regem Romanorum: & post recessum D. Colonienſis Romanorum Rex vna cum Archiepiscopo Treuirensi intrauerunt Ecclesiam, audientes ibi Missam per Cantores suos cantatam. venit etiam ibidem Episcopus Verdunenſis Orator Regis Francor. Hactenus Diarium.* Fridericus & Maximilianus visitant SS. Reges.

Solent deindè coronari Imperatores Aquisgrani sub sacro Missæ officio, quod in Epiphania Domini vtitur Ecclesia: nouo Rege Euangelium Diaconi more de aduentu & adoratione Regum continente: de qua Diarium ad nonam Aprilis hæc narrat. *Et in continenti incipiebatur Missa solennis de die Epiphaniæ Domini, Ecce aduenit dominator Dominus &c. Postea ante decantationem Euangelij præcessit solennis coronatio*: qua peracta subdit: *Quo finito legebatur Euangelium: Cum natus esset &c. de post, credo in Deum: Offertorium. Reges Tharsis & insulæ. Deinde Rex Romanorum sceptrum manu sua portans ibat ad offertorium, offerens quamplures petias auri.* Petrus Beëckin Aquisgrano dum fusè ritus omnes enumerat, hæc de sacro scribit. *Introitus est idem, qui in trium Magorum festa luce: Ecce aduenit Dominator Dominus &c. Deus iudicium tuum Regi da &c. Oratio Deus, qui hodierna die vnigenitum: gentibus stella duce reuelasti &c. Lectio Isaiæ Prophetæ: Surge, illuminare Ierusalē: Graduale. Omnes de Saba venient &c. Peracto dein coronationis apparatu descenditur à testudine ad adsistendum complemento rei diuinæ Diacono in ambone mox exordiente Euangelicæ legis oraculum præcinere. Cum natus esset Iesus Bethlehem Iudæ &c. Symbolum Apostolorum, ac continuatim exinde oblationis preces funduntur. tum regia maiestas sceptro dextera comprehenso aliquot auri numismata offert in aram Marianam, quæ in eiusdem, templique vsus deinceps impenduntur.* in coronatione sacrum cani tur de Epiphania. Imperator offert aurea dona. *Beeck. C.* 8: *Aquisgrani.*

Aptius sanè haberi, quam de SS. Regibus officium nullum potest: eo monentur

Cur officium fiat de Epiphania.

Cæsares, vt meminerint vectigales, se & tributarios esse clientes summi Regis regum Christi, cui & in ministris congruus honor debeatur: & donationes à regibus præstari oporteat. Horum se regum imitatores profiteantur, qui relictis regnis: commodis neglectis proprijs, per ducenta vel trecenta etiam milliaria properarunt cum thesauris, vt inopiæ & necessitati familiæ Christi subuenirent, eam contra Herodis insidias tutarentur, & opibus suis sustentarent, ac fidem in exteris regionibus propagarent, hocque satagerent, quomodo subiectos sibi populos ad religionis cultusque diuini puritatem, & maiestatem exemplo verboque possent inflammare. Ideo & ipsi Imperatores Aquisgranum ad Deiparæ virginis aram peregrinantur, aurea quædam dona eidem offerunt; ac Cæsares ipsi tunc Diaconi funguntur munere & Euangelium sonora voce, exerto gladio concinunt, vt primos Euangelij præcones sanctos Reges æmulentur, pro cuius fidei & Euangelij defensione, ac propagatione paratos se spondent ad sanguinem, si vsus sit, profundendum. Hinc factum est, vt multi Cæsarum diem Epiphaniæ coronationi potissimum delegerint: & præter alios alibi recensitos Carolus quartus Modoëtiæ prope Mediolanum eo voluit festo chalibeo diademate reuinciri: sed Maximilianum Cæsarem Aquisgrano Coloniam reducamus, vt audiamus, qua ceremonia sit in Collegium Capituli sanctorum Regum cooptatus. *Vndecima die Aprilis*, ait Diarium, *quæ fuit quinta Misericordiæ Domini, applicuerunt omnes Principes simul cum Imperatore & Romanorum Rege ante ciuitatem Colonienſem, introeundo in optimo ordine. Conuenerunt enim omnes Principes ante ciuitatem cum suis. Consulatus obuiam venit in vestitu nigro citra centum equos: & armigeri citra mille manserunt prope portam, quam Rex consueuit intrare post suam coronationem, & antecesserunt Regem à longè per ciuitatem: nam propriam habet plateam, per quam intrat vsque ad ecclesiam maiorem.*

Ingressus Maximiliani Regis Co. Coloniam.

Ordo electorum & Regis.

Ordinē subijcit pompæ talem. *Electores imperij Philippus comes Palatinus, princeps Elector, & Dux Saxoniæ, Ernestus Princeps elector cum gladio nudo: & Archiepiscopus Treuirensis iuxta ordinem suum. Deinde Rex Romanorum armatus à planta pedis vsque ad verticem capitis, in medio Archiepiscoporum Colonienſis & Moguntinensis. Imperator statim sequebatur cum curru suo: & post illum multitudo magna. Sic intrauerunt ciuitatem in sono tubarum vsque ad portam curiæ maioris ecclesiæ; vbi Rex de equo, & Principes Electores, & ceteri Principes descenderunt, Regem ad portas ecclesiæ produxerunt: Imperator in curru permansit: Accessit autem suffraganeus Colonienſis in Pontificalibus habens crucem auream, osculum dedit Regi: & ceteri cum crucibus, candelis, vexillis, & Prælati omnium Ecclesiarum Regem Romanorum ad tres Reges perduxerunt: vbi locus paratus erat pro oratione. Qua completa inceperunt cantare Te Deum laudamus, & intrauerunt chorum. Illo finito suffraganeus benedictionem dedit: & Canonici Regem in Canonicum receperunt iuxta consuetudinem ecclesiæ suæ.*

fit canonicus.

cur tribus in locis Imperator fiat Canonicus.

Solet Imperator tribus potissimum Collegijs adscribi vt Canonicus. Romæ Vaticano S. Petri, vt fidei defensor & propagator ac Ecclesiæ totius aduocatus; Aquisgrani Collegio Deiparæ virginis, vt clienS Reginæ cœli clerique, qua Christi & Deiparæ familiæ est altor. Denique Collegio custodis ecclesiæ sanctorum Trium Regum, velut virtutum regiarum constans imitator. Porro M. S. Breuiarium Metropolitanum vult ante coronationem Aquensem Maximilianum collegio iurasse his verbis. *Vltimo Martij Maximilianus Rex Romanorum acceptauit præbendam in hac maiori Ecclesia, & iurauit capitulo in forma, quæ habeatur in aureo libro Euangeliorum.* præmittit liber idem, quo ritu Regalia, maxima stipatus corona Principum filio nondum Rege renunciato Fridericus Coloniæ celebrarit his verbis.

Fridericus cum Maximiliano Coloniæ celebrat Epiphaniam.

Anno Domini 1486. *Rex Romanorum Fridericus fuit hic in primis vesperis Epiphaniæ, præsentibus filio suo Maximiliano Duce Burgundiæ & Austriæ, & Colonienſi Archiepiscopo Hermanno Landgrauio, & Episcopo Leodienſi, & Episcopo Cameracenſi & Duce Iuliacenſi, & Duce Geldrenſi, & duobus Marchionibus Badenſibus*, Est ea celeberrima Metropolitani Collegij festiuitas, cui velut de eius gremio voluit adesse Fridericus: & Maximilianum filium paucis mensibus post Regem Romanorum consecrandum imbuere, sanctos illos vt Reges, regnorum præsides beneficiarius eorum cliens & iuratus quidem breui futurus, semper vt veneraretur.

CA-

CAPVT LXII.

Toto seculo quinto decimo promouetur præsertim per Archiepiscopos fabrica basilicæ Sanctorum Regum.

CONTINVATAM hoc seculo toto structuram ex albo sodalium S. Petri colligo, & eorum nominibus, qui fabricæ curandæ, promouendæ, & adiuuandæ præfuerunt: catalogus eorum in veteri membraneo M S. Codice continentur: simulque sodales, inter quos præcipui seculi illius Archiepiscopi hi numerantur: D. Theodoricus Archiepiscopus Colonienſis D. Robertus Archiepiscopus Colonienſis, D. Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, R. Pater D. Henricus Reuenach Episcopus Venecompanenſis suffraganeus, D. Philippus Archiepiscopus Colonienſis, Illustris D. Stephanus ex Ducibus Bauariæ prouisor fabricæ Colonienſis, Illustris D. Ioannes de Witgenstein Capellarius & Prouisor fabricæ Ecclesiæ Colonienſis, de duobus ex his quædam adiungenda.

Initio seculi præsidebat cathedræ Colonienſi Fridericus: cuius de vrgenda fabrica statuta recensui: excepit eum Theodoricus à Moërs, qui Cæsares duos Albertum & Fridericum Aquis Reges Romanorum consecrauit: egregius hic cultor Deiparæ præsertim dolorosæ: vti & æuo nostro Ferdinandus sodalitatis à Theodorico institutæ, instaurator.

Tria laudabiliter ad eius honorem propagandum instituit. Primo duplicem quotidianum æris campani sonum, & sexta feria certam compulsationem: verba eius pietatis & suauitatis pleniſſima merentur descriptionem. *Statuimus vt deinceps in singulis ecclesijs omni die circa solis ortum in memoriam compassionis gloriosæ virginis Mariæ pulsetur tribus vicibus campana magna ipsius ecclesiæ, & prout hactenus circa occasum solis pro salutatione eiusdem virginis glorioſiſſimæ pulsari consueuit, ad hortandum Christi fideles, vt in laude ipsius virginis incipientes eam cum salutatione Angelica venerentur: vt ipsa, quam filius eius nihil negans honorat, pro nobis, & omni necessitate nostra apud Dominum intercedat.* Tria pietatis operâ instituit. pulsum quotidianum ad honorem Deiparæ C. 10.

Alterum quod religioſè inchoauit festum est Compassionis Deiparæ feria sextâ post dominicam Iubilate: id vt persuadeat efficacius excurrit in laudes Dei genitricis verbis mellitiſſimis. *Ad gloriam*, inquit, *sanctæ & intemeratæ Virginis Dei genitricis pro miseris peccatoribus filium suum crucifixum assiduè deprecantis, & orantis, cuius laudes etiamsi omnes arenulæ maris in linguas conuerterentur, deprome nequirent: nec non ad honorem illius angustiæ & doloris, dum Redemtor noster Iesus Christus expansis manibus in ara crucis pro salute nostra immolatus matrem suam benedictam dilectiſſimo discipulo suo Ioanni Euangelistæ commendauit, & præsertim, vt profanorum Hæreticorum Hussitarum perfidia, qui imagines ad laudem crucifixi, & glorioſæ virginis dedicatas ausu sacrilego comburere, & deuastare minimè formidarunt, nec formidant, statuimus & ordinamus, vt festum commemorationis præfatæ angustiæ & doloris B. Mariæ Virginis deinceps singulis annis feria sexta post Dominicam Iubilate, nisi aliquod festum eodem die interuenerit, & ex tunc prima feria sexta proxima subsequenti in primis vesperis, Matutinis alijsque horis: nec non in secundis vesperis in choro tantum in omnibus ecclesijs prouinciæ nostræ subiectis secundum notas ac historiam & homiliam de eodem festo compositas solenniter celebretur.* C. 11. 2. festum compassionis.

Tertio solennem Theophoriam feria sexta post octauam Paschæ ad eundem finem perpetuionis dominicæ clauorum & lanciæ commemorationem: putatur instituisse, in quam apparatu magnificentiſſimo celebrandam senatus sumtus annuos confert ampliſſimos præfuit diœcesi circiter an. 48. decessit A. 1463. tumulum proximè sacellum SS. Regum elegit, & indicem cultus eorum, tabulam ipsorum imagines & suam Episcopi adorantium Deiparam reliquit appensam parieti, cum epitaphio. 3 Theophoriam;

Vigebat eius sub regimine cultus SS. Regum: ad quos inuisendos viri Principes confluebant: nec deerant prodigia meritis eorum obtenta: vnum ex his referam inferius.

Post

Post Theodoricum fabricam promouit multum Hermannus quartus statuta præcedentium Episcoporum vel innouando, vel condendo noua fulminat initio anathemate quotquot legata fabricæ detinent *Monentur omnes & singuli vtriusque sexus homines, tam spirituales, quam seculares, sub suspensionis a diuinis & excommunicationis pœna habentes & detinentes legata ad fabricam ecclesiæ Colonienſis deputata, vt intra mensem proximè sequentem V. Magistro Vdalrico* Sigillifero *& M. fabricæ de ijsdem respondeant, & satisfaciant.* Innouat deinde statuta Wilhelmi contra detentores, & subtractores fabricæ: & Wichboldi de prouisoribus, & promotoribus fabricæ. Statuit præterea sub pœna 20. florenorum superiorum pro vna Procuratori fiscali R.^mi D. nostri Archiepiscopi Colonienſis & pro reliqua medietatibus dictæ fabricæ applicanda: ne aliquem quæstiorum, aut eleëmosynam ad quemcunque vsum petentium admittant, aut caulam eiusdem de ambone promoueant: nisi prius viderint literas Officialis & sigillo curiæ Colonienſis sigillatas, & manu M. fabricæ Ecclesiæ Colonienſis propria subscriptas: Datur autem quarta pars collectæ pecuniæ pro labore ijs, qui conquirunt. Monentur etiam supradicti Pastores, Cappellani & vicecurati sub pœna Excomunicationis *: ne de pecunia ex petitionibus S. Petri proueniente sibi vltra quartam partem pro suis labore & solicitudine deputatam, & adsignatam: siue fiant prædictæ petitiones pro fabrica in die dedicationis Ecclesiarum, siue alijs festiuitatibus, reseruare præsumant; sed reseruata sibi quarta parte earundem oblationum residuas tres partes fideliter V. D. Vdalrico M. fabricæ aut eiusdem fabricæ collectori repræsentent. Item quia aliqui Pastores, siue Ecclesiarum rectores in suis ecclesijs quandoque ponunt Vicecuratos, qui ante finem anni à tempore adsumtionis eorundem computando, ad alia loca diuertunt, nec petitiones S. Petri per ipsos pro rata temporis sublenatos, sicut debent & tenentur præsentare curant; ex quo fabrica ecclesiæ Colonienſis non modicum indies patitur detrimentum, ideo monentur dicti Pastores, vt de sic leuatis & non solutis petitionibus respondere habebunt, & in euentum prædictum V. D. M. fabricæ antedictus, & eius collector contra eosdem cum mandatis ad hoc opportunis procedere intendat.*

Quoniam hic & alibi frequenter magistri & collectores fabricæ nominantur, quorundam in dicto membraneo codice: & hæc quidem nomina legi.

Collectores fabricæ Magistri. Prouisores.

Collectores fabricæ Colonienſis D. Petrus á Kempen, D. Ioannes ab Erpel quondam Pastor in Pasculo. D. Henricus ab Essen. D. Petrus Peltz Attendorienſis. D. Petrus Vrisch. D. Henricus Greiff de Warburg.

Magistri fabricæ quatuor recensentur M. Nicolaus Lampreida, M. Christianus Polleer, M. Conrardus, & M. Ioannes von Franckenberg.

Prouisores fabricæ hos reperio. D. Winandus ab Esch, D. Christianus ab Erpell, Præpositus ad gradus Mariæ D. Vdalricus Krydweis S. Theologiæ professor canonicus Colonienſis: hunc esse credo, qui toties in statutis nominatur. D. Ioannes Erwein de Ratingen, Pastor indulgentiarum, Canonicus ecclesiæ maioris Colonienſis. D. Brixius Canonicus maioris ecclesiæ.

Confessarijs item hanc legem tulit Hermannus. *Item inhibet vniuersis & singulis pœnitentiarijs ciuitatis, & diœcesis, sub similibus pœnis, ne ipsi vota aut peregrinationes in alia pia opera commutent, nisi pecunia exinde recepta, per eos applicetur fabricæ ecclesiæ Colonienſis.* secutus exemplum Wilhelmi Archiepiscopi fuit: qui certis designatis a se Pœnitentiarijs, hæc dedit in mandatis. *Hinc est, quod vos omnes & singulos requirimus, monemus, & hortamur, vobis in virtute S. obedientiæ mandantes, quatenus qui ex vobis aliqua vota fecerunt, & ea ex aliqua causa perficere non poterunt, ita vt ea desiderent ex causa legitima commutari, super hoc nullatenus quemquam, nisi Pœnitentiariæ nostræ curam gerentis, & in ecclesia nostra residentis, & aut sui Plebani consilium horum votorum suscipiant humiliter commutationem, nec non quod sibi ratione huiusmodi commutationis iniunctum fuerit, perficiant reuerenter, & intimamus vobis præsentibus, quod alijs nostræ pœnitentiariæ curam gerentibus quibuscunque vota huiusmodi commutandi totalem adimimus præsentibus potestatem. &c. verum ipsi pœnitentiariæ nostræ curam gerenti, & in ecclesia nostra residenti, &c.*

Pœnitentiarij.

No-

Nomina Pœnitentiariorum eiuſmodi ſeculi quintidecimi hæc reperio. D. Ioannes Boes, D. Hermanus Coppardi, D. Wilhelmus ab Henſbeck. D. Bernardus à galen, M. Chriſtianus à Brekeluelde D. *H*ermannus Stroitman deHoërbeck, D. Henricus de Soënborn SS. Theologiæ licent. D. Theodoricus Erwein Ratingenſis, Paſtor in Paſculo, & D, Geradus de Weſalia Reddituarius &c. Fuiſſe porro ad annum vlque 1500. eandem templi ædificationem continuatam; tam Chronici Colonienſis auctor, quam Tritthemius, qui tunc vixere conteſtantur.

CAPVT LXVII.

S. Franciæ Romanæ circa annum ferè ſalutis 1432. rarum de ætate, conditione, virtutibuſque SS. Trium Regum viſum exhibetur.

TAm familiaribus S. Franciſca fuit vſa cœlitibus, Chriſto, Deipara ſanctis, & præſertim Angelo tutelari, vt cœlum habitare, non terram diceres, binas tantum, quas de ſanctis Regibus viſiones habuit recenſebo, quæ magnas huius hiſtoriæ difficultates expediunt. Seruierat cum inſigni caritate cuidam infirmo : voluit eam miſericordiam Deus cœleſtibus ſolatijs compenſare : & qui nuper ei velut infans iam natus pannis inuolutus in ſtabulo vilus erat, poſtea velut à Regibus adorandus apparuit, Rem geſtam ita refert auctor vitæ. Decumbebant in eius domo quidam infirmi, nec mortis aberat metus, Franciſca die Epiphaniæ ſummo mane templum adit diuinæ rei vacatura, qua peracta domum illico repetit, & aditione ſacræ ſynaxios ſe abſtinuit, ne dum more ſuo gratiarum actioni inſiſtit diutius, ægros neceſſario deſtitueret obſequio, quo eiam eam cauitatis inuitabat affectio, Deum igitur propter Deum deſeruit, ne cum illa maieſtate minus reuerenter, omiſſa debita præparatione animi & gratiarum actione verſaretur.

Placuiſſe Deo mentis propoſitum, ipſi cœleſti viſo declarauit. Nam cum poſt reditum cuncta circa neceſſitatem ægrorum opportunè conſtituiſſet & in conclaue vicinum ſe recepiſſet, diei ſolennitatem pia contemplatione myſteriorum, quæ tunc recolebat eccleſia, celebratura, ſtramineo ſuo lectulo, pauculis ramis virentibus tapetum loco inumbrato pauliſper inſedit. Cum mens abrepta diuinitus, & cœleſti quodam irradiata lumine, viſa eſt ſibi antrum ſubire, in quo glorioſiſſima Dei genitrix & virgo Maria filiolum Ieſum vlnis geſtans pariter cum Ioſepho caſtiſſimo ſponſo quieſcebant : Et ecce ſtellam in aere pendulam adſpicit incubare tugurio, cuius incredibilis ſplendor ſiderum omnium cœleſtium lucem obſcurabat; videbatur tunc primo diluculo cœlum albeſcere, & Deipara Franciſcam hortari, diligenter animum aduerteret ad viſa & videnda myſteria. Paruit monitis, & dum mentis intendit aciem, obuios habet tres Reges Orientis, cum ingenti ſtipatorum comitatu, properantes ad mundi ſaluatorem adorandum : ij cum pariter appropinquaſſent ſtabulo, primas ſibi mutuo detulerunt : nec parua fuit illa demiſſionis animi contentatio : donec admirabilis omnium melicorum inſtrumentorum, & vocum prorſus cœleſtis & diuinus concentus Angelorum inſonuit, & mentem attonitam à præſentibus ſic emouit ad cœleſtia contemplanda, vt omnium caperet obliuio, & immoti pariter conſiſterent. Similis omnino Franciſcæ melodia videbatur, quam in natalis Domini viſo recens myſterio perceperat : nam voces, nerui, fideſque genio-
rum tam intra, quam extra ſtabulum commorantium mira concordia, ſuauitateque concrepabant. Dum igitur ſancti tres & feliciſſimi Magi auidiſſimis auribus diuiniſſimam harmoniam excipiunt, nouo cœleſti lumine colluſtrati, omnibus incedunt lætitijs, & impulſione arcana ſpiritus ſancti permouentur ad profundiſſimam reuerentiam infantulo exhibendam, : & dum pariter tres efficaci motioni morem gerunt, vna omnes æquali velocitate ſubeunt antrum, procumbunt in genua, & totis in terram abiectis corporibus, Chriſti diuinitatem venerantur.

Exſtaſin patitur.

videt ſtellam Magorum.

qui primas ſibi deferunt. Harmoniam cœleſtem audiunt.

*H*ic Gaſpar ætate grandior ceteris, & prope centenarius, interiori quodam cordis gau-

Gaſparis ſenioris affectus.

gaudio delibutus, in iubilum resoluit vocem,& cygnæo cantu salutata prius virgine matre præconia eiusdem celebrat, ac prærogatiuam prorsus singularem, quæ vni solique mortalium contigisset;tum versis ad saluatorem oculis &animo,adorat eum vt verum Dei filium, & exspectatum orbis Messiam : gratias eidem medullitus agit pro infinita mortalibus misericordia, clementiaque præstita, qua permotus in terras descendit, hominem induit,pro hominum salute mortem atrocissimam oppetiturus.

Balthasatis & Melchioris. oblatio munerum.

Gaspari successit ætate propior Balthasar, quasi sexagenarius, is pari mentis impulsu, similes in voces ac affectus erupit : vti & tertius Melchior ætate iunior, ferè quadragenarius. Completo coram puerulo & Dei genitrice laudis cantico : primus protulit aurum, alter thus, myrrham tertius consecrauit : quæ dona cum benevole recepissent, Virgo mater gratias Regibus egit pro illa filio suo munificentia exhibita.

colloquiũ cum Deipara.

Vicissim Reges amicissimis verbis seipsis cum regnis,& possessionibus suis diuino seruitio mancipparunt.Excepit his verbis Deipara:sit vobis salus & saluator Deus meus.

Actiones Gasparis.

Obseruauit Francisca sibi specialiter indicatum, Gasparem in profundissimæ reuerentiæ signum canum verticem pedi dextero pueri suppossuisse. Balthasar autem cum genibus flexis adreperet,pedem pueri prensaturus, & osculaturus, reduxisse

pueruli cũ Balthasare lusus.

eundem Iesulum, oculis blandissimis Regem intuitus, post paulo tamen gestu humanissimo pedem vltro protulisse osculandum, Denique Melchior sacra quadam reuerentia tantæ maiestatis deterritus, nec ausus quidem est Christo propinquare.

Peracta tali festiuitate, quæ D. Franciscæ videbatur à diluculo ad crepusculum vsque vespertinum durasse, puerulus sanctissima sua leuata dextera tribus Magis impertijt benedictionem. Ipsi verò cum diuinam cognouissent voluntatem, è terra

benedicit Regibus.

surgentes consederunt pariter, & attentissimis auribus cœlesti harmoniæ auscultarunt, moxque lætitia gestientes incredibili, diuino quodam somno sopiuntur. Tunc quamuis innumera geniorum hymnidicorum multitudo emodulatis vocibus concineret : Magi tamen non nisi tres eorum sibi videre visi sunt, monitores per quietem, ne relegerent iter patrium per Hierosolymitanam vrbem: sed alia redirent via:

Tres Angelos vident.

Qui manè cum experrecti è sommo tam à saluatore, quam Virgine Deipara quam clementissimè licentiam abeundi obtinuissent,redierunt(vt etiamEuangelista meminit) *per aliam viam in regionem suam.*

Iterum sequenti anno eandem Visionem habuit.

Anno vertente recurrente eadem Epiphaniæ dominicæ festiuitate, cum diuinis imperijs obsecuta, puellarum confiasset societatem, quibus erat præfutura, & initium eodem die congregationi dare statuisset, certis in ædem ad eum vsum destinatis, cum omnibus sacra refecta est synaxi, Mox varias de sanctis Regibus iterum habuit visiones, de quibus ita vitæ auctor.

Lib.5.Vitæ c.4.

Hæc crediderim 6. Ianuarij A. 1433. contigisse, quando sancta mater Ecclesia trium Magorum aduentum, & adorationem saluatoris anniuersaria recolit memoria. Refert enim Ioannes Matthiotti eodem die S Franciscam cum sociabus virginibus in sacello Deiparæ Transtiberinæ sacro, rite interfuisse, & mentem Angelico pane refeciisse more suo: tum delicijs pastas spiritualibus ingressas nominatum cœnobium illud, quod sæpius ante S. Francisca ijs denunciarat, executioni mandasse; nimirum vt prius, quam Deo se consecrarent,præmissa exhomologesi sacris operanti adsisterent,vota renouarent, & viuifico pane reficerentur.Postea, verò, quam S.Franciscæ denuo visum Sanctorum Regum(sicut & eodem anno binis alijs vicibus) obiectum fuisset, & ab immobili ad mobilem mentis raptum peruenisset, cœpit sanctorum Regum constantiam miris laudibus, & præconijs celebrare;qua Deum & seruatorem suum exspectassent, & amore Dei proprijs relictis regnis Deo tam pretiosa munera consecrassent. Præterea quod reduces in suis regnis præcones & prædicatores veritatis exstitissent Quibus sanè verbis excitare S. Francisca lorores suas velle videbatur, vt tali Regum exemplo confirmatæ cunctis Dei causa nunciũ remitterent, vitam cœnobilicam amplecterentur, & donum omnium nobilissimum animarum suarum Deo dedicarent.Subinde vertit eadem se querulis ad sponsum suum cœlestem vocibus, & quoniam infantulum Iesum vlnis ambiebat,incredibili mentis stupore defixa, sic sororibus videntibus,& audientibus exclamauit. O admirabile commercium, creator generis humani animatum corpus sumens de

virgine

virgine nasci dignatus est; cumque mira suauitate Christum salutasset, cœpit animæ dignitatem ponderare, eique exemplo S. Pauli, S. Magdalenæ, & SS. trium Regum constantiam in amore vnius Dei hoc modo persuadere. O anima mea sic nobilitata, cur non agnoscis tuam istam excellentiam, & tuam istam veritatem? vbi nunc anima mea tua fortitudo, tua dignitas, tuus honor & decus? vbi tuum illud verum bonum? Adhuc obliuisceris nominis tui tam glorioso titulo decorata? Recordare nominis, recordare tuiipsius anima mea, ne veri & summi boni tui cogitatione spolieris. Quid causæ prætexes anima, quod à tam vilibus & abiectis creatis rebus seduci te patiaris? Felix iterumque felix S. Paule, qui tam forti, excelso, constantique semper animo præditus, per nullius creatæ rei cupiditatem vnquam passus es à Deo summo bono tuo te separari: semper fixum ratumque tibi fuit agnitæ semel veritati immoto vestigio adhærere. O Magdalena, quæ amoris impulsu, quo Christus te perculit concitata, nullius creatæ rei suffamine potuisti à cursu retardari, quo minus Domini tui suauitatis odorem continuò sequereris! Et vos ô Beatissimi Magi, qui amore Dei cuncta, quæ possedistis sponte reliquistis, & huc Saluatorem mundi quæsituri conuolastis. Hæc coram arbitro conscientiæ sororibusque effata conticuit. Insignis prorsus dies ille Epiphaniæ tam raris visis, & institutione noui cœtus Religiosi celebris.

constantiã SS. Regum prædicat.

difficultatibus satisfit.

Sed tria hinc moueri contra dicta supra poterunt. Primo de muneribus singulis tantum a quouis oblatis: secundo de tribus Angelis responsum eis de reditu dantibus: tertio de ætate singulorum. Ac de donis quidem dici potest: de præcipuo esse accipiendum: quod singuli vnum eorum maiore quam alij magnitudine obtulerint: & in his vnus aurum etiam signatum in phiala aurea: reliqui phialas quidem aureas sed plenas vel myrrha cum modico thuris, vel thure cum pauxillo myrrhæ. De Angelis dico tres à Deo, oraculum ipsis reddente, comites itineris & præsides regnorum destinatos. De ætate maior est difficultas: nam si Gaspar centenarius obtulit & 70. post annos decessit, quomodo vel martyrium in eam decrepitam ætatem, vel peregrinatio etiam cadere potuit sine exemplo simili.

Colligam ergo quosdam prope centesimum annum vitæ peregrinatores: S. Dionysius Ariopagita 90. natus annos è Gallia contendit in Asiam, conuentoque S. Ioanne Euangelista redijt in occidentem, & post. 70. vitæ Apostolicæ exactos annos fecit martyrium. de S. Polycarpo Petrus Halloix noster ait. *Extrema senectute hoc est sub annum ætatis suæ circiter centesimum pro nonnullis, quæ tum Ecclesias distrahebant controuersijs ab Asia Romam vsque tanta scilicet, tamque longa ac difficili nauigatione profectus est.* idem ætatis anno 106. Episcopatus 74. pro fide sanguinem fudit. S. Epiphanius anno vitæ 113. è Cypro Constantinopolim ad causam S. Ioannis Chrysostomi cognoscendam accitus, Theophili Alexandrini æmuli S. Chrysostomi iussu contendit: S. Marcellus auctore eodem Halloix prope centenarius, ex vmbilico Hispaniæ in Galliam visendi S. Dionysij præceptoris sui causa profectus est. S. Patricius. 120. natus annos obijt, cum extrema ætate ex Hibernia Romam excurrisset. Denique Burchardus de sarcken ætatis anno 103. Romam petijt, de quo ita Crantzius *Lubecensi tunc Ecclesiæ longæuus senex Burchardus cognomento de sarcken, octogenarius ad Episcopatum adsumitur & cum non putaretur 5. vel sex superuicturus annis, peruenit in Ecclesia ad annum 41. quod monstri simile est & in terra rarum tam viuacem esse senem, vt perueniat ad annos centum & viginti Nec erat illi ocium, sed labor plurimus, primo anno sui Pontificatus abijt in Franciam: altera vice anno Pontificatus 23. hoc est Christi 1293. cum omni Lubecenses conatu contra Ecclesiam agerent, tum Pontifex ipse in persona curiam Romanam adijt, ibique per annos 4. constitit pro Ecclesia sua viriliter decertans, peruenit viuendo ad annum Christi 1317.*

Centenarij fere peregrinatores S. Dionysius S. Polycarpus Halloix C. 10. vitæ. S. Epiphanius S. Marcellus Halloix in notat. ad c. 16. vitæ S. Dionysij Burchardus de sarcken. Crantzius in Metropol. lib. 8. c. 31.

Si tamen verba S. Franciscæ considerentur, quæ eum tantum prope centenarium vocant, non vis eis interretur, si octogenarius & centenario ceteris dicatur propinquior: tunc enim ex veteri traditione manet inter Reges ætatis interuallũ viginti an si iunior 40. medius 60. tertius paulo supra octoginta natus an. iudicetur: quibus si reliquæ vitæ 70 adieceris, Gaspar 150. Balthasar 130. fuerit annorum tempore martyrij. Nec desunt in Ecclesiastica historia centenario maiores Martyres. S. Polycarpus anno ætatis, vt dixi 106. S. Dorotheus Tyri Presbyter Anno 107. S. Dionysius. 110. S. Simeon an. 120. S. Timotheus Pudentis filius fere 130. anno glorioſam martyrij lauream meruerunt.

Centenario maiores Martyres Halloix c. 20. vitæ S. Dionysij Longæui populi

Huc accedit, quod multi circa ea tempora vixerint 130. & pluribus imo anno ducentis, in quibuscum mors violenta locum habuerit, cur non martyrium? In censu Claudij T. Fullonius 130. superauit annos Vespasiano & Tito censoribus intra quadriennium auctore Plinio. In regione Italiæ octaua censi quatuor homines centum 35. aut 37. tres 140. annorum; Arimini Tertulla 137. & M. Aponius 150. circa Placentiã vnus 140. annorum. Integri quandoque populi longæui admodum reperiuntur.

Fulgosus lib. 4. c. 14.
Plinius l. 7. c. 49.

Muscani Indiæ populi ætatem agunt 110. Sabellicus: Cyrnos Indorum genus Isigonus tradit annis centenis quadragenis viuere. In Timoli montis cacumine locus est Temsis dictus: in quo vulgo viuunt annos 150. Plinius.

Isigonus. Plinius l. 7. c. 48.

Septentrionales etiam populi Olao teste reperiuntur, qui 160. superant annos.

Olaus. l. 4. c. 4.

Ctesias & Plinius scribunt Gentem Pandore dictam in conuallibus sitam annos ducentos excedere. Idem Hellanicus & Damiates de gente Epeorum, quæ pars Ætoliæ est adseuerant. Videri etiam Val. Max. de longæuis potest.

Val. Max. l. 8. c. 14.

Fuerit igitur Gaspar reliquis ætate prouectior ac siue 150. siue etiam 170. natus an. quis dubitet licet adhuc longæuior fuisset, eum violenter hasta traiici potuisse? & cur id etiam non pro fide Christiana gratia efficaci vires naturæ sic confirmante, vt appeteret solui corporis ergastulo? Quis dubitet senem illum, quem superiori seculo teste Maphæo in Bengalo regno Lusitani trecentos & 10. natum an. repererunt & baptismatis fonte renatum tunc & violenta morte defungi, & eam oppetere pro Christo potuisse?

CAPVT LXIV.

Anno 1434. magno miraculo lipsanotheca SS. trium Regum fuit conseruata, ne à deciduo fragmine saxeo contereretur.

Ingens ventus *Trithem. in Chro. Spanheim.* damna eius innumera.

INGENS exortus anno 1414. septima Octobris ventus nocte concubia ab ipso Britannico mari per Rhenum, Germaniam, & Italiam peruasit. vbique proceras arbores exstirpauit, domos & arces solo æquauit, & infinita mortalibus attulit detrimenta: de quo proximus ijs temporibus Trithemius. *Eodem anno septimo die Octobris in nocte ventus horrendus, & validissimus ab Aquilone veniens à mari Anglico per adscensum Rheni & omnes adiacentes ei regiones vsque ad Italiam tam in aquis, quam in terra desæuiens, infinita hominibus damna intulit. Enimuero omnes fortissimas, turres, ecclesias, & arbores innumerabiles subuertens, multa hominum vtriusque sexus & ætatis millia oppressit.* Hac concussione Colonia saxum immane per templi fornicem exeussum rectâ in subiectam sanctorum Regum lipsanothecam deuoluendum cum esset: diuinitus illæsam reliquit, nec contactu quidem violatam, vt omnes volunt: sed an ipsum saxum de via dum labitur declinarit: vel ilico lipsanotheca ferreis reuulsis retinaculis ad parietem se mouerit, & saxo locum cesserit, controuertunt: prius Erardus Winheim, & ex eo Melchior Inchofer ita narrat: *Nimirum ingens saxum ex fornice templi tempestate deolutum, cessisse monimento Regum, in quod impetu magno recta ferebatur: id dubio procul insana mole attriturum, nisi latenti quodam diuinitus impetu in alteram partem naturæ lationi contrariam fuisset auersum, vt plane intactum relinqueret: cuius miraculi indicium hodieq; exstat, lapide ad sepulcrum memoriæ causa attestante.* Huic narrationi communis adhæret vulgi persuasio, quæ eo loci, vbi iacuit hactenus saxea moles, decidisse credit quamuis nuper inde loco motũ, ad sacelli vicini clathros ferreos delata sit. Contra sentiunt alij, qui ipso quo contigit vixere seculo: nam sarcophagũ sponte cessisse ad murũ vsque fractis diuinitus repagulis arbitrantur. Chronici Belgici auctor ita refert: *Anno Domini 1434. in festo S. Dionysij tanta tempestas ventorum insonuit, super ciuitatem Coloniensem, vt radicitus disiectis crassissimis arboribus in cœmiterio S. Pantaleonis, multæ turres Ecclesiarum hinc inde corruerent, & lapides dilecti ab Ecclesia S. Petri Coloniensis super sanctorum trium Magorum capsulam inciderent, & omnia comminuissent, nisi gratia diuina dispensante eadem capsula cum pretiosissimis reliquijs retro cessisset, ita vt omnino intacta miraculosè manserit.* Adsentit huic eodem anno Crantzius. *Per id tempus*, ait, *cum maximus turbo incubuisset, euersæque sine numero felices & infelices arbores iacerent, turres ac mœnia vrbiũ conquassarentur, cecidit lapis in Ecclesia Coloniensi insignis magnitudinis vento deiectus, per duplicem actus testudinem, locoque sanctarum ex tribus Magis reliquiarũ*

Erardus Winheim in sacrario. Melchior Inchofer c. 41.

Author Chronici Belgici. lipsanotheca retrocessit diuinitus.

sed

sed tum diuino vt ferunt miraculo cessit theca ad parietem, deditque cadenti saxo locum. Fusius idem persequitur horum coævus Chronici Colonensis auctor. *Eodem anno 1434. septimo Octobris intempesta nocte ventus terribilis exortus hinc Romam vsque pertigit, & per omnem circa regionem terra marique sæuijt: Huius tempestatis vi plumbeæ templorum laminæ tectorum & domorum auulsæ per Rheni alueum deuoluebantur: saxa è turribus & ecclesijs excussa passim volitabant, ipsæ conuulsæ turres, violenter deiectæ in domos subiectas corruebant, quamuis & aliæ complures ædes obtritis inquilinis turbinis succussione conciderint: ingens præterea saxum è summi templi muro per tectum & fornicem sanctorum Regum sacello imminentem deturbatū est: quod tanto corruit impetu, vt sarcophagi ruptis omnibus retinaculis, & ansulis ad duos & amplius pedes retrocesserint: ita tamen vt nullū vel margaritum, vel ornamentum lipsanotbecarum fuerit tritum vel læsum: fertur cum lapis recta peteret loculum SS. Regum* SS. *hos Reges cessisse retro, vt nihil acceperint corporis vel capsa detrimenti.* Superat in fornice circulo descriptus locus foraminis cum hac epigraphe. Chronicon Colonense.

Anno millene quater quartoque trigeno,
Nonas Octobris ventus de nocte flat ingens.
Grandem hunc lapidem testudine pellit.

CAPVT LXV.

B. Veronicæ de Binasco virginis Mediolani visio de ostensa adoratione Christi à Magis.

VITAM eius miraculis & diuinis prænotionibus plenam vulgauit Bollandus noster ad 13. Ianuarij: nata est an. 1445. in oppido Lombardiæ Binasco: complexa religiosum statum Mediolani in S. Marthæ cœnobio an. 1477. & viginti post annis raris à Deo de vitæ Christi mysterijs & alijs rebus donata oraculis: id quod de Theophania diuinitus hausit in medium proferam. l. 4. c. 4.

Vigilia Epiphaniæ Domini, ait vitæ scriptor, cum missæ sacris interesset Veronica, è sensibus exiliens ab Angelo ad partes Orientis ducitur. Vidit autem Angelum Domini Regi prouinciæ illius nunciantem, quia natus est saluator mundi, hortantemque ad eum adorandum proficisci. Nec mora ad aliam ducitur orientis regionem, cuius Regi paria Angelus Dei significauit, tum ad remotiorē oram profecta Veronica, Angelo comite paria significari Regi prouinciæ illius per Angelum Domini inspectat. Posteaquam longa terrarum spatia decurrit Veronica, mens ad corpus regressa est. At vespere facto cùm sol occubuisset, orationi animum dans Veronica, rapitur & ab Angelo statim ad orientis oram perducitur, animaduertit verò tres Reges in vnum conuenisse, qui cum mutuo loquerentur, quisque quæ viderat, & ab Angelo audierat, de noui magni Regis ortu enarrabat: dicebat autem, quis Dux noster erit? statuere tandem, vt vna ad nouum Regem adorandum properarent. Tum varijs rebus, pro regij itineris maiestate compositis, dromedarios, animalia grandis staturæ & visu ferocia Reges adscendere Virgo contemplatur. Et ecce stella ceteris fulgentior antecedebat eos, quam Reges secuti sunt: videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno & dicebant: *H*oc signum magni Regis, & adseruit Veronica Angelo duce per longas terrarum intercapedines secutam fuisse tres Reges, qui pariter dromedarijs insidentes festinabant. Reges magna virorum turba comitabatur, plura animalium genera habens in suo comitatu. Cumque iter prosequerentur Reges audiebat illos loquentes de his, quæ viderant, & audierant ab Angelo natiuitatis Dominicæ nuntio.

Magorum vocatio. conuentus. itus. colloquium.

Interea ad corporeos sensus regressa est Veronicæ mens: Enimvero illucescente die Missam egit sacerdos, quispiam in templo S. Marthæ, cui adfuit Veronica: quæ post Eucharistiæ adorationem raptu potita, adijt Hierosolymorum regnum, vbi Herodes Rex imperabat; & ecce tres Magos aduenisse offendit, quibus obuiauit Herodes: audiens autem à Magis Regem nouum natum, superbia intumuit, & inuidia, dissimulansque alto corde dolorem, gaudia præferebat pro Regis noui natiuitate. Tum aulam componi regiam, mensas parari, cibosque pro regia dignitate adferri, Herodem, tresque

congressus cum Herode.

tresque Magos vna discumbere, discumbentes quoque plurima de nouo Rege nato in medium deducere inspexit Veronicæ spiritus.

Post hæc ad corporeos vsus regrediens, sacerdotem diuina celebraturum animaduertit, quibus perfectis. Eucharistiæ sacramentum vna cum sororibus percipiens, iterum exstasi corripitur, & ab Angelo ad locum, vbi Herodes erat cum Regibus perducitur. Recedentibus verò Magis dixit Herodes. *Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum: Qui cum audissent Regem, abierunt.* Stella autem nusquam comparuit, donec cum Herode Reges moram traxerunt, animaduertebat Veronica Herodem Regibus blandientem, Regesque Herodi gaudia ostendentes. At Magos in itinere positos persensit Virgo dicentes: Quo ibimus duce stella amissa? Nec mora, & ecce stella, quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos; donec veniens staret supra, vbi puer erat. Videntes Magi stellam gauisi sunt gaudio magno. Erant autem procul à loco, cum stellam stantem inspexerunt, qui descendentes de iumentis, acceptis muneribus, & omni post habita familia, soli ierunt ad locum, super quem stellã stare demirabantur. Inter hæc Angelus Domini Virgini matri nunciauit Reges aduenisse ad adorandum infantem Iesum. Visa est autem B. Virgo tunc vehementer horruisse. Regibus ingressis Virgo & mater adsurrexit, quam Reges venerati sunt. Tum Virgo resedit, infantem Iesum in gremio locans linea veste circumamictum. Infantis tibiæ nudæ videbantur, aderatque Ioseph seruo comitatus.

Ioseph adfuit.

Antequam Reges infantulum contingentes adorarent, ter genu flexere, diuque ad inuicem disputarunt, quis eorum prior adoraret. denique iunior primus accessit, pedes infantis exosculans, & quam capite gestabat coronam ante pedes infantuli solo reponens, quem Iesus infans benedixit, sic quoque egere ceteri. Cumque adorarent singuli, audiuit Veronica diu multumque Reges locutos, nihil verò intelligere se potuisse adseruit. Adoratione peracta obtulerunt munera aurum, thus & myrrham, quæ Ioseph accepit, Angelus autem Domini Veronicæ omne mysterium munerum aperuit. At Reges specie corporis præstantes fuisse dicebat Veronica: aureis vestibus vsque ad genua indutos, iunioremque Regem, qui primus adorauerat veluti effectum seniorem & vnius ætatis cum reliquis duobus demirans intuita est. Posteaquam Magi recessere, vna tantum nocte per vicina hospitia demorati sunt, vidit autem Veronicæ spiritus Angelum Domini in somnis apparentem Regibus, ac mandantem, ne redirent ad Herodem. Quo responso accepto per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Post Regum abscessum Angelus Domini mentem Veronicæ ad locum, vbi Herodes erat, perduxit; Vehementer iratus videbatur vna cum omnibus, qui aderant, quod abeuntes Magi ad se reuersi minime fuissent, iussit quoque per præcones omnibus nunciari, vt quicunque inuẽtos Reges ad se perducerent, magnis muneribu dotarentur. Post hæc ad corporeos vsus rediens Veronicæ mens, sorores vesperas iam magna ex parte decantauisse comperit. Hucusque Veronicæ visio: in quâ permirum illud, quod iuniorem dicat primum adorasse, contra quam S. Franciscus viderat; sed quia posteà ceteris ætate ferè supparem obseruauit, mysterium videtur ei quoddam hac re declaratum: vel error potuit vitio descriptoris irrepsisse: quamuis in genere Bollandus noster ante initium vitæ præmoneat. *Multa in exstasi vidisse memoratur Veronica, quæ viri docti respuunt, vt suspecta falsitatis circa vitæ Christi mysteria. verum isthæc fortassis obscurius ab ea narrata ita scriptor exposuit, aut ipsa ex rerum istarum præceptis animo imaginibus retulit, cum immensam vim diuinæ lucis & dulcedinis, quarum nullas habebat in phantasia species, exprimere non posset: Atque id in aliorum quoque sanctorum raptibus & reuelationibus licebit obseruare.* Vnum monitum asceticum à Deipara in Ægyptum fugiente per visionem ei datum nequeo præterire. *Vides*, inquiebat, *Deipara quibus laboribus hoc iter peragrauerim maiora quoque his viuens pertuli, per varias tribulationes semper ambulans. Scito autem ô dulcis filia mea nullam gratiam à Deo immortali mortales obtinere posse, nisi mente & corpore prius affligantur, laborentque vehementer.* Habent ergo boni si continuis ærumnis, morbis, corporis & animi molestijs affligantur, quod gaudeant: nam continuis quasi fluentis gratiæ, dum viunt, & post mortem gloriæ donis inundantur.

Herodes inquirit de Magis.

quædam suspectæ fidei in reuelationibus B. Veronicæ.

l. 4. c. 6.

nulla gratia obtinetur, nisi mente & corpore pro ea laboretur.

CA-

CAPVT LXVI.

Peregrinationes Coloniam seculo quintodecimo institutæ.

INITIO seculi quintidecimi magna peregrinorum multitudo Coloniæ sanctorum Regum sacras exuuias venerabatur tunc, cum Rupertus ibidem solenni ritu Romanorum Rex coronatus, festiuis epulis octo dies celebraret, & largè turbam aduenarum regijs cibis recrearet: de quo Chronicon loci. *Erat tunc ibidem incredibilis lætitia, iubilusque populi, qui circa id tempus multis è regionibus conuenerat, vt S. tres Reges interuiserent: publicæ enim tunc mensæ proponebantur, quilibet vt particeps fieret regiæ beneficentiæ & liberalitatis.* Idem Chronicon testatur filium Regis Portugalliæ an. 1426. veniſſe Coloniam, vt sanctos tres Reges supplex veneraretur: exceptus est à ciuitate magnificè, simulque nuptijs interfuit, quæ ibidem à Roberto Montensi Duce iuncto Iuliacensi Duciſſæ solennes celebrabantur. *Chronicon Col. an. 1400.*

Postea circa annum 1428. mortalitas ingens è continuis æstatis imbribus nata, Rhenum superiorem, & inferiorem, finitimasque Colonienſibus terras Aquisgranum vsque depasta stragem infinitam edidit mortalium: tunc accolæ vicinorum locorum adductis vna Parochialibus reliquijs turmatim Coloniam supplicantium ritu conuolarunt, vt sanctos imprimis tres Reges, deinde S. Vrsulam & vndena Virginum millia: præterea S. Antonium & Sebastianum deprecatores apud Deum adhiberent ad auertendam contagionem. Nec interim ciues Colonienses ab exteris & peregrinis vinci se patiebantur: nam in diem S. Gereonis indicta est toti ciuitati supplicatio, quæ ne multitudinis concursu pareret confusionem, & perturbationem: prudenter singulis in parœcijs diuersa, cum deportatione diuinissimi altaris Sacramenti fuit instituta circa limites Parochiales, quod prosequebantur ordine omnis sexus & ætas Parochianorum, magnam partem funalibus instructi, pars nudis incedebant pedibus, habitum induti pœnitentium. *supplicationes vicinarum regionum ad SS. Reges.*

Anno 1440. Philippus Bonus Burgundiæ Dux, & Belgij pene totius dominator, insigni pietate Coloniam venit, vt sacros Regũ cineres inspiceret & supplex veneraretur. Comitem itineris habuit Fridericum à Moërla Colonienſis tunc Archiepiscopi germanum. Erat Dux ille vir rerum gestarum amplitudine, & Ducatuum multitudine, sic & pietate & religione verè magnus: de quo ita Chronicon Belgicum: *Iste dictus est Magnus Dux Burgundiæ, tum propter rerum gestarum magnitudinem, tum propter principatuum suorum multitudinem: quia in ipsum concurrebant, & iure hereditario deuoluebantur successu temporis ferè omnes principatus auorum suorum ex vtroque parente. Nam pacificè fuit Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgiæ, & Lutzenburgiæ Dux, Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, inferioris Palatinatus, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, & Boloniæ Comes, Friſiæ, Salinarij & Mechliniæ Dominus, & Princeps: ſacri imperij Marchio:* Mirum profecto qui tam dissitas locis, ingenio, moribus & linguis primus accepit regiones, tam pacificè tamen per tot annos sine prælijs gubernasse; sed qui in Deum & sanctos pius, in subditos clemens & benignus erat, tam cœlitum sibi quam mortalium fauorem & studia conciliarat. Adeoque iure bonus & Magnus appellatus: sub finem vitæ pius Dux sanctos Reges igne perpetuo colluſtrauit: de quo Chronicon Belgicum. *Iste Philippus Dux obtulit in Colonia sanctis tribus Regibus lampadem auream perpetuis temporibus arſuram.* *Philippus Bonus Dux Burgundiæ. Chronicon Belgij f. 372.* *f. 175.*

Eodem seculo Fridericus Imperator sæpius excurrit Coloniam, piè semper interuisens sanctos Reges, vt alibi dixi, nec solum an. 1442. cum Aquis rediret coronatus, sed magnificè etiam an. 1473. comite filio Maximiliano, & permultis imperij Principibus. Chronicon Colonienſe sic memorat. *Anno 1473. in festo S. Andreæ Cæſar Fridericus cum filio Maximiliano, Moguntino & Treuirensi alijsque proceribus Coloniam nauigio descendit, occurrit ei Clerus vterque secularis & religioſus cum crucibus & vexillis: aderat Senatus populusque Colonienſis, à quibus in ædem Metropolitanam inducitur, vbi cum visis sacris trium Regum corporibus, & magna religione honoratis in chorum ingressus esset, genibus tam diu flexis orauit, quoad hymnus Ambrosianus esset solemniter decantatus. Substitit ibidem ferijs Natalitijs, & per octauam Epiphaniæ ad festum vsque S. Antonij.* Anno sequenti idem Imperator priuilegium Metropolitano Capitulo à sede Apostolica impetrauit, ne quis *Fridericus Cæſar cum filio SS. Reges inuisit. Chronicon Colmiense an. 1473.*

octo Presbyterorum in id adoptaretur ante, quam gradu Licentiæ, & Doctoris esset insignitus.

Patrem imitatus Filius Maximilianus persæpe Coloniæ sanctos Reges interuisit: vt supra dixi, perquam honorificè susceptus est A. 1494. cum fidem ei iuraret Magistratus & ciues. Ibat tunc medius Colonienſem inter & Moguntinum Electores Rex Romanorum sub vmbella, quam Consules & Senatorum Principes deferebant: mox ædem ingressi custodem sanctorum Regum hymnum Ambrosianum concinuerunt: mansit ibidem dies vndecim: cumque ciues ei se iureiurando deuinxissent, iterum Metropolitanam ingressus ecclesiam discessum SS. Regibus piè religioséque commendauit.

Chronicon Colonienſe A. 1594.

CAPVT LXVII.

Die Epiphaniæ anno 1492. Mauricum imperium octingentorum annorum euertitur capta Granata.

MVLTIS fundatum seculis & maxima potentia stabilitum steterat in Hispania Mauricum imperium per octingentos vt quidam tradunt annos: id tandem Ferdinandus auus Caroli Quinti Granata feliciter expugnata subitâ ruinâ diruit. Belli totius expositionem habes apud Marianam, cuius victoriam cum diei Epiphaniæ tribuat, plausus tantum victori Ferdinando factos, ingressum in vrbem, & cœlitibus decantatas gratias seligam.

Mariana lib. 18. c. 25. de rebus Hispaniæ.

Deditio Granatæ.

Post diuturnam Granatensis vrbis obsidionem fracti Maurorum animi deditionem A. 1491. 7. Kalendas Decembris obtulerunt, vtrimque conditionibus firmatis sacramento. Acceptis Kalendis Ianuarij vertentis anni literis hac de re Ferdinandus Rex sequenti die veste mutata lugubri ad arcem pergit. *Regina* (inquit Mariana) *filijque ex interuallo sequebantur, intertextis auro vestibus, proceres luxu pretioque ornatus certantes. Ea pompa, apparatuque propius arcem Regi accedenti Boabelices (arcis præfectus) obuiam egressus 50. equitibus stipatus occurrit, in pedes desilire, regiamque victoris manum deosculari prohibitus, demissis in terram oculis, haud læta fronte id modo elocutus. Tui Rex inuicte sumus: tibi imperio & vrbe cedimus: vtere vt libet moderato vt speramus & leni.* arcis claues in manum dedit; *ille Reginæ, Regina filio. Ab eo Enecus Tendilliæ Comes arci Præfectus, belloque Dux in ea prouincia futurus, acceptis clauibus cum magna equitũ manu in arcem ingressus est: subsequebatur splendidus procerum & sacerdotum ordo in quibus Toletanus, Hispalensisque Episcopi eminebant: D. Iacobi Magister Gaditanus Dux ante omnes captæ vrbi designatus Archiepiscopus sacra precatione è libris Pontificalibus recitata, vti moris est, legitima capientiũ vrbes verba nuncupauit, simul crucem, quã Toletanus præferebat, potestatis insigne in summa turri constituit, gemino vexillo addito Regio, & S. Iacobi. Subsecutus est plausus, & lætitiæ permixtus clamor militum, & procerum, viri sacrati Deo hymnum pro diuino munere concinuerunt. Regem in genua procumbentem, atque humillimo corporis habitu gratias agentem numini, quod suo ductu dedisset gentis impiæ imperium & nomen in Hispania excindi, crucemque insignem erigi, vbi diu impietas viguerat, altis stabilita radicibus, atque vt earata, propria, fixaque essent, precantem proceres paratâ oratione adierunt, gratulantesque de nouo imperio, dexteram ex ordine exosculati sunt in genua procumbentes: &c. Vrbem ingredi non est visum: prius quam omnia essent tuta, portis, turribus, propugnaculis, præsidijs occupatis: Priori persimili pompa in vrbem inuecti quarto post diem, ad aras procubuere, laudes diuinas, hymnosque repetentes, Duces, militesque concelebrantes numen, quod victorias victorijs cumularet, triumphosque de hostibus Christiani nominis præberet,* Concludit eam victoriam sic Mariana- *Obita à Regibus, atque lustrata vrbe Granata, Mauri sub Christianum imperium superis auctoribus auspicato in æternum ea in Hispaniæ parte concesserunt, salutis anno 1492. octauo idus Ianuarij: qui dies veneris fuit:*

Rex Ferdinandus eo venit.

claues ab hoste accipit.

plausus.

die Epiphaniæ plena parta de Mauris victoria

Pijs omnibus, vt memoria Magorum sacer, veteri instituto, celebrisque, ita recenti victoria, vniuersæ Hispaniæ salutaris, faustusque illuxit, cum sublata, euersaque impietate superior gentis ignominia depulsa est; Hispaniæque pars non exigua in formam prouinciæ redacta, Magistratus legesque accepit. Sed ne parua fuisse videatur victoria: audi triumphum orbis totius Christiani. *Literæ ad Innocentium Pontificem Maximum Regesque datæ, ac missi, qui gaudium ingens nunciarent; confectum Mauricum bellum, cæsos domitosque hostes, impositum Granatæ iugum, vrbi quondam nostrorum spolijs exstructæ, superbæque: ac Christo redditum tandem vniuersæ Hispaniæ imperium. Eo nuncio vrbes, ac prouinciæ finitimæ longinquæ dies festos agitare, ludos & spectacula instituere, omne genus, ætas, ordo, conditio templa adire, ad aras procumbere, vota persoluere &c.* ita post secula ferè octo Mauris Epiphaniæ festo debellatis, & vniuersa Catholicis Regibus Hispania subiugata, felix initium datum est monarchiæ, quam Carolus quintus Nepos mirabiliter auxit, & conseruauit, de quo sequenti capite.

CAPVT LXVIII.

Seculo sexto decimo Imperatores Maximilianus, Carolus, & Ferdinandus Coloniæ sanctos Reges piè visitant.

MAximilianvs Cæsar A. 1505. Coloniæ comitia indixerat in mensem Iulium, conuenere septemuiri omnes cum Principibus imperij; aderant Herbipolensis, Bambergensis, Monasteriensis, Kemseensis, Tergestinus, & Gurcensis Episcopi: conuenerant Duces Saxoniæ, Brunsuicenses, Lavvenburgenses, Iuliacenses, Megapolitanus, cum Marchionibus, Landgrauijs & comitibus plurimis: religiosè tunc quoque Cæsar sanctos Reges veneratus duo feliciter confecit negotia: primo pacem Albertum inter Bauarum, & Philippum Palatinum Principes conciliauit: postea cum comitiorum tempore Geldrenses violata fide bellum mouissent, Maximilianus ilico correptis armis octauo Iulij cum proceribus nauigio descendit, & cinctum obsidione Arnemium statim cepit deditione, ea celeritate, vt 28. die victor cum triumpho Coloniam reuerterit, incredibili totius ciuitatis obuiam effusæ gratulatione, cumque nox illa maximis esset transacta gaudijs, dies posterus agendis Deo gratijs, cum festiua campanarum vrbis totius pulsatione fuit dedicatus, hocque celebrius quod intra octauam translationis SS. Regum (quorum cultui deditissimus erat Imperator) is triumphus haberetur.

Trithem. in hist. bell. Bauar. Surius ad an. 1505.

Maximiliani victoria.

Aui pietatem imitati sunt nepotes Carolus Quintus, & Ferdinandus Imperatores, vterque frequenter Coloniæ sanctos tres Reges piè interuisit, & ille quidem etiam monimentum perpetuum suæ in eos pietatis verè regium eorum lipsanothecæ apposuit, quod in fine capitis describam: vtque primum fuit Anno 1520. 23. Octobris Aquisgrani coronatus, statim Coloniam concessit, ibidem more maiorum in Metropolitanum collegium adoptatus, sanctosque Reges piè veneratus in proximam Epiphaniæ festiuitatem ad eorum honorem Wormatiæ comitia indixit teste Surio: *Omnibus*, ait, *ex more peractis primo Electores, post illos Cæsar inde Coloniam abierunt, vbi imperij conuentus indictus est, & iussi Principes omnes Wormatiæ præsto esse sexto Ianuarij* vt SS. Regibus auspicibus perturbatum imperij statum facilius componeret. Adsentit Heuterus. *Fine*, ait, *Octobris mense Cæsar dimissis Septemuiris, Coloniam veniens imperij conuentum in sextum Ianuarij diem anno 1521. indicit.*

Carolus 5. Coloniæ SS. tres Reges visitat. Surius ad an. 1520.

Heuterus lib. 8. an. 1520.

Decennio vix euoluto cum Carolum Regis Franciæ conatus, & Turcicum ingruens bellum, simul ingens in Germania religionis dissidium premeret, præter innumera negotia, quæ Belgij & Hispaniarum monarchia cumulabat, maturo consilio decreuit fidum & industrium rebus Germanicis componendis præficere Ferdinandum fratrem, quocum onus imperij diuideret. Celebrarat Carolus an. 1530. Augustana comitia longè infelicissima, quæ Confessioni tunc in ijs ventilatæ nomen Augustanæ pepererunt: vbi cum cerneret Hæreticorum studia, seditionesque quotidie

Augustana comitia infelicia.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tidie roborari, ſeptemuiris initio Ianuarii vertentis anni diem indixit noui Regis Romanorum eligendi Coloniæ: vt ſub auſpicijs SS. Regum, in ipſorum baſilica, profeſto eorum, Rex Romanorum deſignaretur. obnunciauit Elector Saxoniæ comitijs Colonienſibus: eo tamen ſpreto Cæſar cum fratre & reliquis de collegio ſeptemuirali conueniunt: vbi cum Carolus neceſſitatem noui dicendi Regis ad tranquillandam Germaniam coram expoſuiſſet, pridie Epiphaniæ prope conditorium SS. Regum, præſentium ſuffragijs cunctis Ferdinandus Rex declaratur: gratijs eo & ſequenti die Deo & SS. Regibus decantatis. Surius paucis ita narrat. *Anno* 1531. *pridie Epiphaniæ Domini Ferdinandus Coloniæ in primario templo, vbi trium Beatiſſimarum Magorum corpora condita adſeruantur, Electorum Principum ſuffragijs creatus eſt Romanorum Rex.* Maturauit cum fratre Cæſar, vt intra octauam Epiphaniæ ſolennis Aquiſgrani coronatio perageretur: ea vndecimo Ianuarij, quo Coloniæ tertij Regis obitus celebratur, more inſtitutoque maiorum eſt inſtituta. Vbi cum dies ferè ſeptem ſubſtitiſſent, & Carolus in Belgium diſceſſiſſet, Rex Romanorum Coloniam abijt: cui cum propinquaret à quinque millibus peditum, & multis equitibus in vrbem inducitur, ac decantato coram ſanctis Regibus hymno Ambroſiano in collegium Canonicorum adoptatur. ita ſingulis ſeculis, ex quo ſancti Reges Coloniam ſunt tranſlati eorum ſacræ reliquiæ ſunt ab Imperatoribus magna religione honoratæ. Ineunte anno 1544. cum Carolus initio Ianuarij è Belgio Colonia Spiram ad comitia tenderet, more ſuo religionis cauſa ad ædem SS. Regum ventitauit & egregium ijs donum pietatis ſuæ in ipſos & Deiparam teſſeram appendit, tabulam nimirum fere ſeſquicubitalem argenteam: prominet ex ea palmari eminentia Chriſti parens ac Virgo Maria in ſolio reſidens: filium ſinu brachijsque complexa, qualem ſanctis Regibus adorantibus exhibuit: pendet ea ſupra tymbum & ipſa SS. Regum prono corpore quieſcentium capita, quaſi adhuc vt olim Deiparam, cum filio ſupplices adorarent, adiecta laminæ argenteæ gentilitia eius inſignia ſunt cum hac epigraphe. *INVICTISSIMVS ATQVE POTENTISSIMVS CAROLVS V. ROM. IMPERATOR ET HISP. REX AVGVSTISS. DEO OMNIPOTENTI, B. MARIÆ, SS. TRIBVS REGIBVS DIE 13. IANVAR. ANNO* 1544. *PRÆCLARVM MVNVS DONO OBTVLIT.* Videtur id ob bellum Iuliacenſe toties recrudeſcens & anno præcedente feliciter recepto Geldriæ Ducatu confectum, ex voto anathema conſecraſſe, proſecundiore etiam comitiorum Spirentium euentu: quibus Deus adſpirauit: nam ex voto ſeptemuirale totum præſens collegium cum proceribus Germaniæ ſumma voluntate Cæſari promiſit ſemeſtri ſpatio exercitui ſe de neceſſarijs prouiſurum.

pridie Epiphaniæ coram SS. Regibus eligitur Ferdinandus Rex.

Caroli 5. monumentum argenteum SS. Regibus oblatum.

CAPVT LXVIII.

Petrus Faber ſocios duos Ioannem Aragonium, & Alfonſum Aluarum Coloniam A. 1542. *mittit peregrinorum more ad viſenda SS. Regum limina.*

FERDINANDVS Imperator perturbatiſſimum nactus imperij ſtatum, cum quibuſcunque poſſet modis nutantem in Germania fidem orthodoxam, comitijs, & colloquijs fulcire niteretur, Paulus tertius ſummus ſacrorum antiſtes, approbata recens anno 1540. Societate Ieſu per S. Ignatium egit, vt Petrus Faber Wormatiam, vbi congreſſus Eckij cum Melanthone futurus erat, illico mitteretur, & vergentibus in deterius rebus ſuccurreret. Octauo Kalendas Nouembris Wormatiam peruenit Faber: is qua concionibus habendis, qua confeſſionibus excipiendis, & ſpiritalibus tradendis exercitationibus miras vbique fecit animorum in melius commutationes, ac primam in Germania feliciter ſparſit ſementem, quæ tam fœcundo germine pullulauit, vt totum poſtea repleuerit imperium. Wormatia Proteſtantium ſoluto conuentu Spiram, inde Ratisbonam, cum Caroli curia ad Cæſareum concilium cui legatus

Faber A. 1540. venit Wormatiam.

eius res geſtæ.

legatus aderat Gaspar Contarenus, accessit: *quocunque autem vestigium posuit*, ait Orlandinus, *eundem se Fabrum præbuit: nauum videlicet hominem, & operarium. Apud ciuitates & oppida, quæ transibat, conferendis potius salutaribus sacramentis, quæ in ijs maximè locis fidelem ministri operam requirebant, quam concionibus agendum censuit.* Orlandinus lib. 3 n. 29

Fructus ingentes tunc retulisse ex omni Europæa natione, Cochlæum præsertim feliciter sacris commentationibus instituendo, & fidei Catholicæ quosdam restituendo sic idem narrat. *In tanta autem aulicorum turba nationumque varietate vsque adeo se vulgo probauit, vt ad eum vniuersi velut ad communem patrem Germani, Itali, Hispaniqúe confluerent. Quo fiebat, vt viri dignitate, doctrina, generis splendore nobiles sanctis meditationibus instituti, de corrigendis suis alienisque moribus sedulo cogitarent, nonnulliqúe meliores iam sibi redditi complures alios ad eandem meditandi rationem blanda cohortatione pellicerent. Feruere præ ceteris Doctor Cochlæus, vir insignis ac prudens, qui non vulgari animi sui bono has ipsas commentationes expertus, gauisusque mirum in modum, etiam affectuum reperiri Magistros, quoscunque poterat, ad eandem commentandi normam aut exercebat ipse per se, aut exercendos curabat a Fabro. Nec his contenta finibus Fabri caritas, ad absentes & longè positos excurrebat, Norimbergam ad moribundum Italum euocatus, per eam occasionem aberrantem à Christi caulis oviculum ex morientis familia, ad Ecclesiæ septa reduxit, & quod septimum iam annum non fecerat, ad confitenda peccata, cuius exemplum negotiatores secuti duo vagi & ipsi, palantesque per hæresum saltus ad eundem Christi gregem reuerterunt; Mauriqúe item duo ad Baptisma perducti.*

Cochlæū exercet sacris meditationibus.

quosdam conuertit ad fidem.

Nondum tempus aduenerat, quo iacerentur solida stabilis sedis societatis Iesu fundamenta in Germania, ipsi, qui Coloniæ ducere felix debebant initium, in aula viuebant Hispanica sacerdotes seculares: quos vt Deus ad societatem suauiter inuitaret, repente, voluit literis S. Ignatij Fabrum euocatum è Germania contendere in Hispaniam: hos vt fidos sibi comites adsciseeret, & Coloniam peregrinos ad sacra Regum corpora visenda destinaret, vt ibi primo societas in imperio sedem stabilem figeret, magno totius Germaniæ emolumento, Paulus verò tertius comperto Germaniæ res fidei magis indies inclinare, iubet anno sequenti Fabrum ex Hispania reuocari & imperio subuenire, sed qui comes itineris esse nemo vnus reperiebatur: Hic tacitis à Deo precibus Faber petijt adiungi sibi socios: quibuscum iter pacificum sine discrimine conficeret: Votis tam pijs Deus cumulatè satisfecit, nam præter opinionem duo se ei sacelli Regij sacerdotes Ioannes Arragonius & Alfonsus Aluarus, primo quidem Comites itineris, iussu filiarum Imperatoris Mariæ & Ioannæ Toletum, mox etiam inescati vitæ sanctitatæ Fabri socios laborum in perpetuum obtulerunt, Summa Dominarum approbatione regiam aulam deserentes. Hos duos primos voluit Deus è societate Coloniæ, cum vix biennio ante fundata esset, eius firmare radices, hoc altius miserendas, quo validius ex omni parte turbinibus hostium arbor esset concutienda. Ita circa annum 1342. Spiram duobus eis stipatus socijs venit: vbi suus stetit operæ fructus. *Spiræ* (inquit, Orlandinus) *ingens erat parata iã messis: sed cum inuitio Cleri obmurmuratiõ perstreperet, Patris prudentia ac comitate sedatur, quin ipsos quoque religionis causa aduersantes rectæ vitæ exemplo, & candore animi paulatim sibi deuinxit: vt eius postea discessum ægrè tulerint, populi autem studio pietateque crescente, demetendis frugibus totos dies distinebatur. Plebs fieri ad diuina propensior, vt affirmarint Parochi, plures ad sacram Eucharistiam Paschate accessisse postremo, quam totis annis ante viginti. Episcopus in corrigenais moribus multo erat ardentior: cuius Vicarius nostris iam antea exercitationibus excultus tanto in eos, qui fouebant amicas zelo studioque flagrabat, vt bello palam concubinis indicto, aut vniuersas se sponderit eiecturum aut munus suum cito depositurum* Aderant his in laboribus Fabri tirones duo Ioannes Aragonius, & Alfonsus Aluarus, quos rudimentis vitæ religiosæ sedulo formabat: & quoniam Spiræ prima spes est ei iniecta reparandæ Germaniæ tam felici successu, Diuos sibi tutelares eius voluit demereri, eorumque principes Sanctos Reges, gentium primitias inuocandas esse duxit: quem in finem cum inter visitata tironum exercitia peregritnatio nullo dato viatico præscribatur: vtrumque perfun-

in Hispaniam mittitur.

Reuocatus in Germaniam.

Duos sibi comites adsciscit Ioannem Aragonium & Alfonsum Aluarum.

gesta Spiræ libro 3. c. 67.

gi

Petrumque mittit Coloniam ad SS. tres Reges peregrinatũ.

gi eadem voluit: ac principio Ioannem Aragonium mense Iulio (quo translationis eorum solemnitas agitur) Coloniam inferioris Germaniæ metropolim fidei auitæ tenacissimam ablegauit: inde desperatissimis imperij rebus auxilium pertiturus, & paulatim præsidium Societatis Iesu collocaturus: vt fides orthodoxa velut in arce munitissima, & opportunissima, stabilita, facilius hæreticorum adsilientium conatus elideret, & vicinas quaquauersum regiones à contagione passim serpente præseruaret: inuitabat ad hoc consilium arripiendum senatus populusque regionis Catholicæ studiosissimus: vniuersitatis, quæ prima ferè bellum Luthero indixerat, vigor: & iuuentutis illic honestissimis artibus liberalibus insudantis flos: sanctorum inprimis illic quiescentium, & diuino præsidio contra conatus hostiles munientium ciuitatem multitudo: vt ea stante repub. quam optime speraret de Germaniæ salute recuperanda: sed modum successumque peregrinationis & fructum, quem ex eadem libauit ipse Petrus Faber ex Orlandino recitemus. *Qui vero*, inquit, *ei se adiunxerant sacerdotes, eos satis rebus diuinis imbutos, curabat insuper vsitatis societatis peregrinationibus exercendos Ac primum quidem Ioannem Aragonium Iulio mense, deinde vero paucis post mensibus Aluarum Alfonsum cum baculo, & sine nummis ad sancta trium Magorum corpora Coloniam ire iussit. Quod tanta ab ijs cum accessione spiritus factum est: vt eorum alter Aluarus magnis varijsque laboribus ac periculis latronum, ferarum, pestilentiæ, famisque perfunctus tantum se ex ea peregrinatione hausisse commodi confirmarit, vt nullius rei conditæ pretio eam voluerit prætermissam, paremque alacritatem præsetulerit Aragonius.* Nec minor animi lætitia, fructusque, quem decerpsit inde Faber, solitus quouis in euentu rei feliciter gestæ successum Deo bonorum omnium fonti semper attribuere, cum sic Orlandinus pertexit: *Quo lætissimus exitu Faber, quanquam animo impelleretur ad communicandam lætitiam, pio cum ijs colloquio, percunctandoque de rebus sacris ac religiosis, quas memorandas vidissent, tamen hac coërcita voluntate cohibitaque lætitia ad gratulandum Deo secessit.* Orlandinus.

Gratitudo Fabri.

Reputabat animo, qui is re, qui verbo benefecissent, qui hospitium præbuissent, qui iter quoque monstrassent, hisque omnibus litaniarum serie mercedem vberem ac sempiternam, sanctorum allegans patrocinia à Deo precabatur. Addebat & qui vultu, dicto, facto quopiam acerbi aut aduersi fuissent, quibus cœlestem misericordiam implorabat: cum existimaret permittere Deum interdum, vt homines diuina gratia indigentes iustis molestiessent, vt ab his cum exempla humilitatis, tum precum auxilia reciperent: per quæ descenderent in seipsos, & ad meliora conuerterentur.

Orat pro inimicis.

Est hic Apostolici pectoris genius, cum alijs benefeceris: ipsorum vicissim miurias, contumelias, & opprobria relata cum gaudio sustinere: melius iam ijs precari: nec desistere officijs cumulare peruersam eorum voluntatemque, adeoque vera mansuetudine frangere maleuolentiam. Quã doctrinam cum tironibus illis nouis & peregrinis exemplo magis, quam verbo persuaderet: hoc videtur esse consecutus, vt cum eo tempore, vel breui post Coloniam eos remisisset, ad stabilem illic figendam sedem, & illi maximis postea molestijs, calamitatibus, & miserijs conflictarentur ideo, quod præsagiret dœmon, quantam illic cladem in hæresum exstirpatione toleraturus esset, scirent se Christi discipulos sub crucis vexillo militare, qui quo magis aduersis tempestatibus concutiuntur, hoc altiores radices agunt. Quod idem ijsdẽ tam Româ S. Ignatius, quam ex Hispania Faber eodem tempore diuersis literis, eiusdem tamen diuini spiritus impulsu, diserte perscripsit.

Atque ita Colonienſis illa peregrinatio ad ſanctorum Trium Regum corpora ſuſcepta tunc cum nondum Louanij ſtabilem domum ſocietas habuiſſet occaſionem dedit cognoſcendæ & expetendæ Societatis, quæ anno vertente Coloniæ domicilium poſuit perpetuum.

CA-

CAPVT LXX.

Coloniæ Sanctos tres Reges anno 1543. Petrus Faber inuisit, & quæ illic gerantur die Epiphaniæ cognoscit absens.

DVm Faber Moguntiæ subsistit, & psalterium Dauidicum auditorum plausu incredibili & vtilitate explanat, anno 1542. exeunte, Coloniam remisit Ioannem Aragonium & Aluarum Alfonsum, vt Theologicis animum studiis expolirent: quorum vsu & consuetudine Petrus Canisius (qui tum ibidem eloquentiæ laude celebratur) Fabri sanctitatis & doctrinæ fama permotus, contendit Moguntiã, vt eius subincude in Apostolicæ vitæ disciplinã formaretur: cui cum se commentationibus sacris in secessu tradidisset exercendum: octauo Maij votis quibusdam rite nuncupatis, addixit se Societati: quem Faber ilico remisit Coloniam ad Ioannem & Aluarum, vt cum iptis tirocinia vitæ religiosæ poneret: breui & ipse profecturus eodem, vt Catholicæ religioni tunc penè in extremum adductæ discrimen succureret: nam Archiepiscopus Hermannus iam veneno Lutheranæ perfidiæ dementatus, auebat subiectos sibi populos & metropolim eodem inficere contagio: quod vbi non occultis sermonibus, sed apertis machinationibus percrebuit, ne tam egregium imperij Romani membrum ab Ecclesiæ communione separaretur, multum soliciti & Aluarus Fabrum ilico tota de re monuerunt, obtestantes, vt tempore tanto malo mederetur quæ prima fuit occasio Fabro Coloniam ad sanctos tres Reges visendi. Orlandinus ita narrat. *Hic* (Moguntiæ) *dum Clerum æque ac populum ad omnem pietatem erudit, ecce tibi Coloniam, vbi Ioannes & Aluarus socij eius versabantur, per Theologum quendam celeriter euocatur: quod Ecclesiæ illi maximum ab hæresum naufragio periculum immineret. Sed quoniam propediem rediturus Archiepiscopus dicebatur. Faber ad eius aduentum Colonicnsem detinuit nuncium, interimque diuinis illum rebus per vsitatas commentationes instituit: cuius is consuetudine, appositisque cælestium cogitationum epulis degustatis, modico dierum interuallo societati se dedit, Fabroque Cardinalis concessu coniunctus, cum eodem Coloniam rursus redit: Hic pater id, quod ex nuncio audierat, re ipsa comperit, valde in lubrico rem versari Catholicam: pessimo loco illius Ecclesiæ res esse, in qua ipsemet Pastor & Antistes Hermannus seu veteratorijs hæretici eorum artibus, seu perniciosis Catholicorum adsentationibus, prauè cœperat de religione sentire. Cumque nemo esset, qui se tanto præsuli auderet opponere, vnus inuentus est Faber, qui placatis prius hostijs precibusque contimentibus Deo, Archiepiscopum conueniret, & peramicè libereque sui admoneret erroris: tantumque profecit modestissimis suis, plenisque sapientia monitis, vt de Pastoris fide doctrinaque meliora sperari sint cœpta. Verum tamen cautioribus consilijs vtendum ratus (nam in suspicionem venerat, ne malorum stirpes, quæ nondum satis videbantur euulsæ (se abeunte renascerentur) Nuntium Romani Pontificis de Colonicnsis Ecclesiæ statu, quo acrius illuc vigilias intenderet, commonefecit: Is erat Ioannes Poggius, vir pereruditus & prudens, is de illius Ecclesiæ rebus edoctus, & præsens periculum perhorrescens, nullo modo passus est moueri loco Fabrum. Nam quod spectabat ad Moguntinum bono animo iussit esse, se daturum pollicitus operam; ne paucorum mensium absentiam is iniquius ferret Antistes. Igitur obsecutus nuncio Faber Coloniæ resedit ad acerrimam ac perennem eius Ecclesiæ custodiam, vt per eum potissimum steterit, ne multo fœdius, tetriusque aut illius splendor Cathedræ, aut nobilissimum Germaniæ membrum ab impurissima Lutheri schola tam luctuoso tempore fœdaretur.* Præcipua tunc religione sanctos tres Reges à Fabro cultos esse persuadet insignis eius pietas, qua ad eos honorandos rapiebatur. Quam ob causam etiam duos illos Societatis tirones non solũ peregrinatum miserat: sed & vt eo remearent ilico præceperat: constat enim eos initio statim anni 1443. ibidem degisse ex eo, quod in festo Epiphaniæ istius anni Alfonsus Aluarus ad aram in æde principe propè sanctos Trium Regum cineres, sacris sit operatus id ipse testatur Petrus Faber in commentarijs quos conscripsit, in quos

Canisius adijcit animum ad societatem

Infelix status Coloniensis Archidiœcesis. sub Archiepiscopo occuè Hæretico: *Orland. l. 3. n. 33.* euocatur Coloniam Faber.

solus obsistit Archiepiscopo.

Fructus reprehensionis.

Pietas Fabri in sanctos tres Reges.

quos diuina lumina, quæ ipsi Deus quotidie largiebatur, accuratè referebat: obser-
Absentia cognoscit. uat enim in ijs Anno 1443. *à se die Epiphaniæ Domini Aschaffenburgi visum, cum sacris vellet operari, Qua ratione Alfonsus Aluarus eo ipso tempore Coloniæ apud lipsana sanctorum trium Regum preces pro Fabro absente funderet.* Voluit sanè Deus, cum sanctos hos Reges, vt præcipuos Germaniæ diuos tutelares pro eius salu-
te deprecaretur, Fabrum consolari, & quæ coram eorum sacris exuuijs gererentur, contemplanti exhibere: vt non sit ambigendum, eum qui absens ita sategerit eorum cultum per alios promouere, quin præsens ijsdem singularem habuerit honorem: sed non diu licuit eidem Coloniæ subsistere: nam S. Ignatij literis in *Lusitaniam* e-
Euocatur in Lusitaniam. uocatur. Andreas Ouiedus, ille postea Patriarcha tu Æthiopico gesto, & magnis editis miraculis clarus, baiulus earum fuit: adeoque sanctorum simul Regum cultor & cliens: Octobri mense Louanium peruenit Faber: sed ne committeret se mari, ve-
tuit inualetudo, cui dum curandæ nauat operam, reuocatur Ignatianis literis Co-
Redit Coloniam. loniam sub initium anni insequentis, quocirca vndecimum Kalendas Februarij vr-
gente Pontifice maximo remeat cum Æmiliano Loyola S. Ignatij fratris filio, relicto
inibi Aluaro Alfonso, quem cum Canisio reliquerat, ne vnquam deessent Coloniæ
socij, qui tot diuis suffragatoribus inuocatis Deo Germaniam placarent. Reperit ibidem, omnia penè conclamata: Antesignanos sectæ Lutheranæ Bucerum, Me-
Vincit disputando hæresiarchas. lanthonem, Pistorium, Sarcerium & alios impune virus per vrbem occultè spargere: quos cum non vno congressu victos elinguasset, ac Consules, vrbis primores & flo-
rem vniuersitatis ad fidei defensionem animasset, stabilem ibi conducta domo se-
Figit Coloniæ stabilem sedem Societati. dem Societati fixit, in qua sex de Societate studijs nauabant operam: quibus, cum inde initio Iulij auocaretur in Lusitaniam, tres alios adiunxit, Kesselio superiore nominato: serio tamen ante cunctos ad cultum patronorum Colonienſium, præsertim sanctorum Regum inflammauit. *Ipsum* (ait Orlandinus) *gregem ad constantiam & mutuam caritatem, ad omnemque perfectionem virtutis inflammat: hortatur-*
Hortatur socios ad cultum SS. Regũ. *que tutelares præcipue cœlites implorare condiscant, eos præsertim, quorum corpora Coloniæ solum terramque cohonestarent, Tres, inquam sanctos Magos, & vndena virginum millia, societatemque sancti Gereonis, illius Ecclesiæ decora & patrocinia, quorum nixi tutela rem Ecclesiæ cum animarum causa coniunctam constanter gererent, ardua non refugerent, nec aduersariorum ora formidarent. Sed quoniam Heterodoxi tam Caroli 5. quam Ioannis Gropperi integerrimi viri nomine, qui tunc apud Carolum 5. Bruxellis degebat tegebant errores: ad eum acres dedit literas, vt Cæsarem admoneret, quo Imperatorio rescripto pestes illæ pernicioſissimæ finibus Ecclesiæ Colonienſis proscriberentur.*

Multum Gropperus ille sudauit hac in re, profuitque reip. Christianæ, nec hic tantum, sed & in œcumenico concilio Tridentino, cum erudita iussus est oratione Patres omnes ex orbe toto collectos, ipsa sanctorum Trium Regum solennitate cohortari ad succurrendum desperatis Germaniæ rebus, fulminandas anathemate tot pullulantes sectas hæreticorum, & cleri mores reformandos.

CAPVT LXXI.

Ioannes Gropperus Archidiaconus Colonienſis anno 1552. die Epiphaniæ Domini diserta oratione monet in Concilio Tridentino Patres exemplo sanctorum Regum ad fortiter rem gerendam, contra ingruentes hæreses.

INNATVM Ioanni Groppero studium cultus sanctorum Regum promouendi meruit, vt è tot centuriis Præsulum & doctorum vnus ipse deligeretur, qui perturbatissimo Germaniæ statu, Mauricio Saxone bellum Cæsari mouente, & Patribus Concilij reditum maturantibus, vt diœcesibus hostium iam populationibus exponendis consulerent, acri Patres omnes oratione, sanctorum Magorum exemplo, officij sui commoneret: quod fecit perquam diligenter & appositè, explicata prius Euan-
gelij

gelij hiſtoria & munera myſtice Patribus in Concilio offerenda proponendo. Hunc ſibi ſocium adlegerat Adolphus Elector Colonienſis: nec eo die videbatur quiſquam ex alio loco, quam vbi ſacra Regum corpora conquieſcunt, adſumendus, ideo titulus orationis præfert, orbis totius iudicio, conditorium eorum Coloniæ non alibi reperiri: ipſum Gropperum in auguſtiſſimo totius Eccleſiæ conſeſſu perorantem auſcultemus, oratio paulo prolixior eſt: ideo prætermiſſo exordio & propoſitione cetera, ob rei, quam tractat maieſtatem ſententiarum pondus, allegoriarum varietatem, acumen & perſuadendi efficacitatem digna, quæ recitentur.

IOANNIS GROPPERI DOCTORIS ORATIO IN SOlenni Epiphaniæ die, tribus illis, quos Colonia complectitur Agrippina ſanctiſſimis Magis ſacro.

Ad Patres Tridenti habitam in ſacro œcumenico concilio, Anno ſalutis 1552.

CVM NATVS ESSET IESVS, &c.

Euangelici textus breuis explicatio. *Matth. 1. Io. 11.*

EVangelicam lectionem cum legeretur Patres ſanctiſſimi arrectis auribus & attentis animis audiuiſtis: in ea re nihil vulgare; nihil ſecundum communem morem, aut humanam conſequentiam geſtum, animaduertiſtis, vniuerſa quæ narrantur humanum longe excedunt captum. Natus denunciatur IESVS, quod eſt (ſi nomen interpretamur) *Saluator*, Rex cœli & terræ, *per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil*, gloria Iſraëlis, & gentium lumen immenſum. Natus vero ex humili Matre, ſed intacta virgine; non ex virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine; non in ſolo virginis patrio, ſed peregrinæ regionis in pandochio; non in regia vrbe *Hieroſolyma*, quæ tum Orientis facile caput erat; ſed in paruulo Iudææ oppidulo Bethleemo (quod *domus panis* interpretatur) minimo quidem ſi murorum ambitus anguſtos ſpectemus; ſed profecto haud minimo in millibus Iuda, ſi cum Propheta tanti Regis ortum, quo præ omnibus non Iudææ modo, ſed mundi totius vrbibus præclara & nobilis euaſit, conſideremus. Natus denique Herodis Aſcalonitæ exteri, & impiiſſimi Regis temporibus, qui non à Iacob (cui *Iſraël* nomen inditum erat) non è Iuda (cui repromiſſio regni facta fuerat) ſed ex Idumæa gente ortum ducens, occupato regno cæleſtem ſimul legem & Dei iuſtitiam ſub terrena ſua poteſtate, ſæuiſſimaque & inani dominatione vinctam & depreſſam tenebat. Quo etiam tempore diuinæ legis & ſanctuarij cuſtodia ad impios Iſraëlitici populi ſacerdotes & degeneres Scribas, non iam vnum idemque ex Dei ſpiritu (vt ipſorum maiores) de religione ſentientes ac docentes; ſed per ſectas multum diuerſas pernicioſa diſſenſione diſcerptos fuerat deuoluta. Qui certe legem in qua verſabantur, & *voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum legebantur*, ignorantes, ſalutiferum & ſpirituale Dei verbum ad ſuos perditos & carnales ſenſus & affectus nequiſſimos detorquebant. Atque etiam ad captandū humanæ gratiæ lumen cum veritatis damno, diuinæ conteſtationis obliti ſubinde mutilabant, id quod præſens Euangelij lectio (vt paulo poſt attingam) clariſſimè oſtendit.

Quis natus. *Act. 13.* Vbi. *Deut. 4. & 12.*

Sub his regni & ſacerdotij Iudaici moderatoribus Chriſtus cœleſtis Rex & æternus Sacerdos vix dum natus ac etiamnum pannis inuolutus & repoſitus in præſepi, admirabili & ſtupenda virtute *Cœlum commouet*, & *terram*, ac Iudæos pariter & Gentiles in denſiſſimis tenebris & vmbra mortis degentes, noui ſplendore luminis ad ſe quærendum, & agnoſcendum inuitat & pertrahit. Paſtoribus quidem genere Iudæis multo cum lumine apparentiū, & gloriam Deo & hominibus pacem concinentium Angelorum ductu: Magis verò remotiſſimæ Perfidis Sapientibus, Gentium primitijs nouæ & planè admirabilis ſtellæ indicio ſe videndum & adorandum præbens. Et quam multa Patres ſanctiſſimi miranda & ſtupenda ſtella iſta complectitur? non ſtella vulgaris eſt, non vna è multis: ſed prorſus noua & ab alijs diſcreta ſideribus. Cum enim aliæ ſtellæ ſolis polis exceptis rapido firmamenti motu ob O-

Quando *Gen. 32. Gen. 49.*

ſtella apparet. *Hebr. 7. 12. Aggæ. 2.*

non vulgaris, sed inusitata ob 7. causas.

riente in occidentem ferri cernantur: hæc à Septentrione in Meridiem inusitato videlicet itinere ac tramite veniebat. Sic enim Chrysostimo testificante Palæstina secundum locorum situm spectabat ad Persidem. Cum aliæ noctu tantũ visantur, sole vero exorto obscurentur penitus, hæc lucente iam medio die radijs solaribus clarius fulgebat. Cum aliæ sub nimbis plerumque lateant, hæc nullius occursu nubis abdebatur; cum aliæ diurnis absolutis cursibus sub nocte occidant, hæc nunquam mergebatur. Cum aliæ suum natura inditum continentem ac perpetuum cursum semper teneant, hæc ad viatorum voluntatem pergebat & igneæ illius instar columnæ cum proficiscentibus ibat, & cumstantibus insistebat. Cum aliæ malis perinde atque bonis luceant, hæc Magis tantum lucebat. Cum denique aliæ suis orbibus infixæ de excelso cæli vertice nunquã descendant, hæc inferioris aëris partes tenens, & sublime relinquens ad tugurium vsque & præsepe Dominicum se demisit, donec ipsius quam proximè iam nati infantis capiti immineret.

Magorum obedientia & contemtus rerum fluxarum.

Huius igitur stellæ, seu diuinæ potius virtutis, rationis plenæ energiæ Magi perciti, subito cum primum ipsorum mentibus irradiare cepisset, domo, patria, amicis, necessarijs, famulitijs, atque adeo regno (quod vel ab eis, vel ab eorum saltem arbitrio, & prudentia regebatur) derelicto longissimam peregrinationem ob nouum Iudææ recens natum Regem, quem stella signabat, inuisendum susceperunt, qua vasto terrarum spatio magnis itineribus emenso, multisque grauissimis difficultatibus superatis; ad Iudæam tandem perueniunt. Hierosolymamque regiam vrbem diuina dispensatione primum accedunt. Hic licet Herodem alienigenam amplissimum & florentissimum regnum (Iudææ enim Samariam tum & Galilæam cum Chalcide coniunxerat) inaudita tyrannide, & incredibili sæuitia (quam sine discrimine tam in suos, quam alienos ferro & cædibus exercebat) non administrare, sed funestare, & de his potissimum, quos de regni sui mutatione vel leuiter suspectos habuisset, immanissima supplicia sumere comperissent: ipsi tamen in media Hierosolyma, vbi tum ille agebat; omni timore posito suæ tam longinquæ profectionis causam, etsi longe sibi inuidiosissimam, coram omnibus liberè edicunt, inquirentes, & dicentes. *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* quod certè nemo alius, nisi cum maximo & præsenti & aperto periculo (nimirũ sola hac voce protinus mille in se gladios conuersurus) facere potuisset.

constantia

vitæ contemtus.

Deus protegit eos.

At qui Magos prælucente stella Hierosolymam vsque perduxerat, adeo nihil malijs Herodem (cuius furorem & manus continebat) eis intentare permisit, vt magis cum tota etiam Hierosolyma grauissimo illum metu & perturbatione inplicaret. Eóque quo sua gloria & virtus inimicorum testimonio illustrior & manifestior redderetur etiam pertraxit, vt à Sacerdotibus & Scribis ad se accersitis, certum ex Prophetis præsagium, vbi Christus nasceretur, exquireret. Qui & impijssimo tyranno (in cuius gratiam omnia faciebant) morem gerere volentes, testimonium quidem Propheticum, sed infideliter proferunt. Siquidem potissimam eius partem, vt nati Regis inæstimabilem dignitatem Herodi palpantes obscurent, præcidunt. Dicentes enim *Scriptum est per Prophetam: Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël* id quod sequitur maximè ad rem faciens, gratia simul & liuore corrupti occultant & supprimunt, nempe *& egressus eius ab initio à diebus æternitatis.*

dirigit per hostes. & maleuolos.

Mich. 5.

Porro Herodes auditis scribis hoc vnum animo versabat, quomodo Dei consilium destruere, & natum Regem extinguere posset: ignorans miser, quod non sit sapientia, non prudentia, non consilium contra Dominum: Magos itaque quos neque populi tumultum, neque formidare suam potestatem cognouit, blanditijs aggreditur. Suadet vt in Bethlehem properantes, puerum diligenter inquirant; eundemque vbi inuenissent, Hierosolymam reuersi sibi non adorandum quidem, vt simulabat, sed persequendum & perdendum (ô stupenda Herodis insania) prodant. Eum videlicet puerum, ob quem tanti itineris molestiam laboremque ij susceperant: Illi impio Rege & malæ fidei scribis dimissis, Bethlehemum tendunt. Et ecce quam ad Herodem & Scribas diuertentes stellam amiserant, dum cœptum ad quærendum Dominum iter persequuntur, coruscanti rursus se lumine præcedere, ac pergere donec staret supra locum, vbi erat puer, læti conspiciunt. Quo nimirum stellæ

Infania Herodis.

stellæ iterata apparitio.

tam

tam deuotæ & obsequentis ministerio eius quem quærebant Regis præ alijs terræ regibus incomparabilem maiestatem haud obscurè cognoscebant. Quare etsi extrinsecus nihil præter stellam magnificum aut glorioſum viderent, non altas, non superbas, non marmore incrustatas ædes cernerent, non regiam diuersis populis personantem, sed humilem potius domunculam, & pauperem casam seu tabernam (quæ præ sua angustia vix illos recipiebat) contemplarentur: Tamen hanc vt regale palatium intrant, & puerum, quem tanta itineris intercapedine & labore quæsiuerant, cum Maria matre eius reperiunt. Num verò tanti puelli puerperam diademate redimitam aut in eburneo, vel aureo lectulo recumbentem? Num puerum in micantibus auro & gemmatis cunis repositum, auroue & ostro nitentibus fascijs, & fulgentibus stragulis opertum inuenerunt? Minimè gentium; Matrem inuenerunt pauperem, peregrè constitutam, nullo famulitio, nullo obstetricum, vel pedissequarum obsequio stipatam, puerum in huius pauperculæ matris gremio vilibus pannis inuolutum: cuius cunæ squalidum præsepium, cuius famulitium iumenta erant. Et tamen vt hunc conspexerunt, ilico in terram prostrati non quoslibet ei; sed diuinos prorsus honores Deum in Christo puero habitantem agnoscentes detulerunt, talia ei munera offerentes, quibus illum ipsum, quem Isaias verbo ipsi suo fructu proclamarent Emmanuelem esse, id est nobiscum Deum. Quam etiam deuotionem mysticis muneribus declaratam Hispanus ille Iuuencus Presbyter venerabilis, (qui primus Euangelicæ historiæ maiestatem sub carminis leges contrahere non infeliciter est conatus) vnico versiculo complexus ait: Aurum, thus, myrrham, Regique hominique Deoque. Hoc denique deuotionis obsequio ad quod exhibendum nouo Regi nato venerant, ritè peracto, non iam amplius de stella (vt qui solè ipsum iustitiæ adspexerant) soliciti, à Christo viâ edocti haud quidem ad Herodem rursum contendunt, sed in suam regionem quam felicissimè reuertuntur: nempe vt qui ante adoratum Christum apud suos administratione regia & sacerdotio, sed vmbratili fungebantur, deinceps regni cœlestis nunquam perituri & æterni sacerdotij præcones fierent & antistites.

humilitas Regum.

pietas.

Isa. 7.

liberalitas

Reditus eorum. Christi sunt prædicatores.

Hucusque Patres historiam perstrinximus, quo viâ allegoriæ quæ nobis vos alloquendi materiam non omnino vt puto ineptam, seu rei, quam agitis incongruâ suppeditaret, sterneremus. An vero non videtis in hac historia Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ (quam vos repræsentatis) imaginē pulcerrimè depictam, & effigiatam contineri? An non cernitis, quos Magi isti viri sapientissimi, vt Regali sacerdotio insignes significent? qui cœlestis ductu luminis Christum in Bethlehem quærunt, quæsitū inueniunt, inuentum proni adorant, & mysticis muneribus venerantur? An non intelligitis, quis sit impius Herodes? qui Scribæ fallaces, & infideles Grammatei Herodi adulantes, & truncata, & malefida diuinæ scripturæ citatione flagitiosissimi tyranni gratiam venantes? An obscurum est, quo vesana ista Herodis & scribarum conspiratio spectet, quæ Christo, & (quæ corpus eius est) Ecclesiæ exquisitis artibus & dolis (etsi id non succedit) insidiæ struuntur aperta etiam vis intentatur? An non videtis, quam pulcrè officium vestrum, quod Christo in Ecclesiæ matris sinu hærenti debetis, ob quod studiosè præstandum huc accessistis, quodque antequam hinc discedentes in regionem quisque vestram reuertamini exsequi vos oportet, in mysticis istis Magorum muneribus designetur? sed quo illustrior hæc imago fiat, age singulas eius partes velut indice, quam paucissimis demonstremus. Initio puerum Iesum natum audistis: de hoc olim Euangelicus Propheta Isaias, velut eum iam præsentem oculis aspexisset, de oraculo certissimus ita præcinuit dicens. *Paruulus natus est nobis & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*: cuius felicissimum Principatum, qui Isaiam iamdudum antecesserat Christi secundum carnem parens ille Dauid summo desiderio exoptans ad cœlestem patrem exsultans in spiritu exclamat aiens. *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis, vt iudicet populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio, vt saluos faciat filios pauperum, & humiliet calumniatorem, vt oriatur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna, & dominetur à mari vsque ad mare & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Cui *Reges Tharsis & Insulæ munera offerant, Reges Arabum & Saba dona adducant & adorent*

per Reges tres designantur Patres concilii Tridentini.

per Herodem & Scribas Hæretici.

officium Patrum concilii.

Nomina Christi recens nati. Isa. 9.

adoratio eius.

Matth. 16. *eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Cuius *firmamentum in terra* (Ecclesiæ sanctorum) *fundetur in summis montium*, contra omnium hostium insultus, atque adeo contra inferorum portas, immobilis perstans, cuius fructus extollatur super Libanum, de qua progerminent & floreant fideles omnis iustitiæ fructu repleti, vt celebrent nomen eius perpetuo, & dum sol luxerit id ipsum propagent. 2. Cor. 7. col. 1. *O laudandum Dominum Deum Israëlis, qui fecit hæc mirabilia solus, & benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & repleatur maiestate eius omnis terra: fiat, fiat.*

Patres Christum debent imitari. Chrysost. l. 2. de Sacerdo. Phil. 2. Mala. 2.

Porro hic tanti Regis filius omnem hunc, quem à Patre principatum & iudicandi potestatem, secundum vaticinia Prophetarum accepit, in humeros vestros Patres sanctissimi imposuit, vos toti mundo, in quo *tanquam splendidissima luminaria lucetis* suis donis, quibus abundè cumulati estis admirabiles fecit. Vos *spiritu consilij & fortitudinis* imbutos, *magni consilij Angelos* constituit, vt omne ipsius consilium populo annuncietis. Vos *ad quos sermo Dei factus est*, Deos nuncupauit, sicut scriptum est, *Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes.* Vos *Patres futuri seculi*, à quibus semen incorruptibilis verbi Dei, quo renascuntur & innouantur fideles, ad posteritatem dimanabit: Vos *Principes pacis*, quorum *pulcri super montes sunt pedes, annunciantium pacem, annunciantium bona, prædicantium salutem, & his, qui longè sunt, & his qui prope*, neminem à pulcritudine pacis tam amabilis excludentes.

Act. 20. Ieeles 10. Psal. 81. 1. Pet. 1. Isa. 52. Ro. 10. Ephes. 2. & sanctos tres Reges. Plato Plin. Plutar. Tert. Hier. Ezech. Chrysost. Theodoret. Deut. 17.

Et vt propius ad Euangelium accedamus, vos illi Magi omni sapientia & intellectu spirituali repleti: vos *Regale sacerdotium*, vt *virtutes annuncietis eius, qui vos vocauit in admirabile lumen suum.* Illorum Magorum arbitrio, (vt tam Ethnici, quam Ecclesiastici scriptores meminerunt) olim Persici, Ægyptij, Arabici & Æthiopici Reges cuncta agebant. Vos Principum & Regum terræ Magistri, quibus præceptum est, vt à vobis volumen legis accipiant, in quo omnibus diebus vitæ suæ legant, *vt timere Dominum Deum discant, & custodire omnia verba & cerimonias eius, quæ in lege præcepta sunt, non declinantes, vel ad dexteram vel ad sinistram.*

hoc tempore Herodiano.

Verum tot nominibus felices, in infeliciissima & Herodiana tempora incidistis, quando videlicet insana Hæreticorum malignitas cum nonnulla terrena potestate (quam prurientem auribus ad se miris palpationibus & dolis pertraxit) coniuncta in excidium spiritalis Israëlis conspirauit. Quando ab Allophylis istis *dura ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus, & Spiritui Sancto semper resistentibus*, *arcam Dei* ob peccatum filiorum Heli (cuius oculi caligauerant) grande nimis *capta, & gloria Domini ab Israël translata est.* Quando Hierosolyma ciuitas Dei visio pacis in Chaldæorum (qui à Septentrione terram sanctam in meridiem sitam respiciunt) impias manus, prò dolor, ob immedicabiles præuaricationes tum populi, tum sacerdotum domum Domini gentium more pollicentium ex parte deuenit.

Act. 7. 1. Reg. 4. 4. Reg. 14. 2. Paral. 36. Iecm. 1.

Hæreticorum scelera.

Quando ab istis immanissimis hostibus murus ciuitatis ex eo potissimum latere, quo munitissimus, & inexpugnabilis videbatur, destructus, domus Dei (quatenus illorum vis progredi potuit) direpta & incensa, vniuersaque vasa domus Domini tam maiora, quam minora; & thesauri templi, & quidquid pretiosum fuit in Babylonem transportata sunt. Idque cum tanta hostium insolentia, vt & pulcrum & gloriosum sibi existiment, desolationem istam prorsus horribilem & omnis abominationis plenissimam in orbem inuexisse, eandemque inuectam crudeliter etiam chartis quasi perpetuo duraturis monumentis configare, & ad posteros transmittere gaudeant.

Scripta impia.

Ita cum alia diuersa petulantissima scripta ab ijs edita sint; tum inter ipsa desolationis initia longè pestilentissimus & superbissimus liber emissus est, quem conuenientissimo certè nomine *Captiuitatem Babylonicam* inscripserunt; in quo de sua perdita & vesana malitia gloriantes, & *peccatum suum sicut Sodoma prædicantes*, velut iam victores capta præda de Ecclesia Dei tantum non triumphant, & reliquijs Israëlis petulantissimis vocibus illudunt, ac insultant. Hic enim spurcissimus liber, vel solus manifestè satis indicat, quomodo violentissima irruptione in templum Dominicum facta diuinam & Catholicam doctrinam adulterarint, sacramenta Dei profanarint, iuge sacrificium (quoad eius fieri ab ipsis potuit) aboleuerint, ceremonias sustulerint, proculcarint disciplinam. Nihil modo de sanctissimæ Virginis matris (quam & Seraphim & Cherubim summi Angelicorum spirituum ordines supra se sublimiter exaltatã, vt Domini sui matrem prima post Deum veneratione reuerenter colunt) nihil de SS. qui nobilissima Christi membra & viua Spiritus S. templa sunt, horribili contemtione.

psalm. 51. Isa. 3.

Daniel. 8.

Nihil

Nihil de illorum prodigiosis paradoxis, quæ & in Deum ipsum & in omnes sanctos eius omnino blasphema, & contumeliosa cernuntur, nunc dicam: Heu nimirum manifesta hodie sunt sacrarum ædium sacrilegia demolitio, altarium exsecrabilis euersio, sanctarum imaginum nefanda proiectio, & destructio, sanctorum canonum nefaria exustio, Sacerdotum, & Monachorum immanis profligatio, Virginum Deo sacratarū sub matrimonij specie incesta constupratio, facultatum Ecclesiasticarum, ad ministrorum stipendia, ad pauperum sustentationem destinatarum facinorosa direptio & occupatio. Et vt alia eius generis innumera omittā, manifesta totius Hierarchiæ Ecclesiasticæ, atque publicæ honestatis vniuersæ exitialis luxatio, dissolutio, & exterminatio. 1. Cor. 6. 2. Cor. 6. Sacrilgia.

Hæc partim oculis vestris Patres sanctissimi vidistis, partim auribus vestris audiuistis, & commota sunt viscera *super contritione Ioseph*, super profanatione sanctuarij Dei, & horribili contemtu Christi eius. Qui cum olim in hæreditate sua in omnibus Gentibus toto terrarū orbe latissimè dominaretur; nunc hominum istorum perfidia & impietate (quæ Turcica rabie confirmatur) in angustissimum terræ angulum protrusus videtur, & modo non extinctus esse: vt eum in spirituali Bethlehem pro suo in tot amissos populos redintegrando principatu & imperio restituendo renasci sit necesse. Sed *Benedictus Deus, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*: vobis iampridem cum adhuc procul dissiti essetis, stellam salutiferam dilectissimi filij sui velut rursus exoriturā, & in sinu amantissimæ matris Ecclesiæ in faustissima & lætissima Epiphania conspicienda monstrauit, eiusque stellæ flammantis vigore in vobis fidei non tepescentis feruorem excitauit, qua *contra spem in spem ei, qui viuificat mortuos, & vocat ea, quæ non sunt, antquā ea, quæ sunt credidistis; certissimè scientes, quia quæcunque promisit Deus, potens est facere*, quæ & persuasi estis semel tandem cum Dauidem suum, ab impio filio Absalone, Achitophelica consilia sequente, regni parte depulsum, in regnum integrum reducturum, & conuersurum captiuitatem Sion. Amos. Rom. 6. Christus a suis abiectus in Bethlehem. 3. Cor. 1. Ro. 4. 2. Reg. 14. ps. 123.

Non ergo hæc vulgaris, seu singularis est stella, quæ ex eo tempore, quo cordibus vestris primum illuxit nunquam occidit: quæ meridiano sole clarius vestris mentibus infulsit. Cuius sanè flammam quandam felicis recordationis Paulus huius nominis Papa tertius, per huius sacri Oecumenici concilij indictionem in vobis primum succendit, quā postea ob concitatos ab aduersarijs tumultus, vel ad solam concilij mentionem (in quo Christus renasceretur) miserè conturbatus nonnihil se remittentem Iulius 3. Pont. Opt. Max. diuino spiritus afflatu recreauit & auxit. Itēque Carolus 5. Cæsar inuictissimus (quo nulla religiosiorē ætas Imperatorem vidit) hactenus fouit, & etiam dum conseruat. Huius igitur faustissimæ stellæ exortu ad Bethleemū Tridentinam venistis, angustam quidem si permultarum vrbium maximarum amplitudine spectemus: sed vestro aduentu & præsentia claram: venistis autem vt hic Christum velut renasciturum quæratis, quæsitum inueniatis, inuentum adoretis, & adoratum simul cu Magis gratissimis muneribus è vestris thesauris depromtis accumuletis. stella est summorū Pontificum cum cuocatio ad concilium

Accessistis, non humano (vt dixi) affectu perciti. Quis enim humanam rationem securus, patriam solum, ædes, domos, amicos, familias, facultates, & qui bonis Pastoribus incomparabiliter his omnibus cariores sunt, suos, imo Christi greges non grauatè reliquerit, difficillimumque iter per vasta terrarum spatia (quomodo vestrum plerique ab extremis terræ finibus multo cum discrimine cum rerū, tum vitæ huc appellentes fecerunt) non suma cum ægritudine susceperit? sed accessistis huius stellæ peramabilis illicio & incitamento, quæ Regem regum demonstrat, quæ ignea quadam irradiatione cuncta transcendere, cuncta superare facit, cuius natura est, vt nullam secum carnalium voluptatum, quæ à pecunijs, possessionibus, aut quibuscunque alijs terrenis bonis (si tamen, quæ non beant, bona dicenda sunt) vitæque delicijs capiuntur, ardere secum patiatur, curas, & onera huius vitæ consumens. Huius inquā stellæ ductu transito *Herode* & Scribis, qui vos nullis minis absterreri, nullis blandicijs à proposito semel itinere dimouere potuerunt, in hanc nostrā Bethleemū peruenistis. Tridentum cur comparetur Bethlehemo. Io. 6. Ier. 11. ps. 103.

Et quid ni Tridentum Bethleem, id est domum panis appellem? An non hic à primo vestro ingressu omnem curam impendistis, vt cœlestem illū panem (in quem Ecclesiæ perduelliones lignū interfectionis miserunt, impietatis suæ toxicon, quo gustato animæ emoriuntur) infuderunt, velut nouū è terra educatis, quo moribundos, & appropinquantes iā vsque ad portas mortis, ab interitionibus suis eripiatis: ereptos

est domus panis. Ps. 106.

senſim reparetis,reficiatis, atque ſanetis?Hic enim ex horridiuſculis,& ſubaſperis diuinæ ſcripturæ ſpicis frumentum Chriſti flagello diſputationis diligenter excutitur ventilabro ac vanno Epiſcopalis cenſuræ, ab ariſtis, gluma & paleis repurgatur, & velut mola veſtrarum ſententiarum pondere teritur. Earundemque accurata collatione veluti cribratur, cribratum cœleſti rore ſpiritualis ſenſus, quem vobis ſpiritus ſuppeditat veritatis quaſi adſpergitur, Decretorum verò & Canonum compoſitione, eodem ſuggerente ſpiritu velut in maſſam eliminato omni fermento redigitur, & in ſpiritalis formam panis effigiatur: cuius quoque ſpiritus igne pinſitur, piſtus denique in ſacris ſeſſionibus aureæ menſæ Eccleſiæ Dei ſuperpoſitus, toti mundo ſpectandus & contuendus, ſed ab ijs ſolum, qui mundi ſunt, manducandus proponitur.

hortatur Patres ad conſtantiam.

Ad hanc ergo ſpiritualem Bethleemum quando perueniſtis Patres, nolite ſubſiſtere, ſed defixis in cœlum oculis, ſtella ductrice confidenter & alacriter pergite, donec ad eum locum pertingatis, vbi ſuauiſſimus puer Ieſus (quem myſticis muneribus honorare decreuiſtis) in gremio matris Eccleſiæ minimè lacer (vt in Hæreticorum conuenticulis) ſed integer ac totus recumbit, vt veſtra ibidem commonſtratione & inueniatur, & ſpectetur ab omnibus, qui requirunt ipſum. Ipſa enim mater Eccleſia (quam vos refertis) diuini magiſterio ſpiritus edocta, ſola nouit hunc cœleſtem puerum è ſcripturarum faſcijs & integumentis euoluere, & tenebricoſo mundo (qui nunc omni vento doctrinæ in hominum nequitia & verſutia miſerè circumactus, in tetram caliginem delatus eſt) iuſtitiæ ſolem inferre, vt illuceſcat *his, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* Non vos ab inſtituto Herodis ſæuitia; non Herodianæ machinationes & molimina deterreant: *Audituri enim eſtis* Domino atteſtante *prælia, & opiniones præliorum, videte ne turbemini.* Non Scribarum malignitas remoretur, quæ ſolita veſtra præſidia (in verbo Dei repoſita, ſcripturarum coacta, & violenta contorſione, nefaria mutilatione, & corruptione fœdiſſima vobis hactenus (ſed irrito ſemper conatu, eripere tentauit. Talibus enim armis mundus pietatem oppugnat. Sed reſpicite in eum, qui dixit: *Confidite, quia ego vici mundum.* Non Diabolum ipſum impiorum omnium inhabitatorem formidetis, qui nunc tecta, nunc aperta nocendi arte deſæuit: vt hoc ſacrum Oecumenicum concilium, contra omnium piorum exſpectationem, quomodocunque tandem diſſoluat, diſſipet, ac diſpergat. Sed vos *reſilite Diabolo & fugiet à vobis.* Neſcitis vobis dictum eſſe *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici, & nihil vobis nocebit.* Huic igitur *reſiſtite fortes in fide*: & *Deus pater pacis conteret ſatanam ſub pedibus veſtris velociter.* Pergite vt cœpiſtis, vt Regi nouo, qui inimico illo longe fortior & potentior eſt, *qui vniuerſa illius arma, in quibus confidebat, ſuperueniens diripuit, & ſpolia diſtribuit*: qui *Rex regum eſt, & Dominus dominantium*, munera veſtra, veluti nouos quoſdam bellicos ſumtus, & neceſſaria impendia ad reducendam & conuertendam captiuitatem Sion offeratis. Quia *Dominus miſeribitur Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.* Quia *placuerunt vobis ſeruis illius lapides eius, & terræ eius miſerebimini.* Quia *Dominus ædificabit Sion, & videbitur in gloria ſua: reſpexit enim in orationem humilium & non ſpreuit preces pauperum.* Ipſe *docebit* & armabit *manus veſtras ad prælium, & digitos veſtros ad bellum*: Eius gratia adhuc armamentarium tenetis, vnde talia arma expedire poteſtis, quibus *omnia nequiſſimi illius tela tollatis*, cominus armis & inito certamine opera non admodum difficili *extinguatis*: imo victum & proſtratum clariſſimo triumpho confidenter traducatis. *Accingimini armatura Dei, induimini loricam iuſtitiæ, & claritatis, calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. In omnibus ſumentes ſcutum fidei, & gladium ſalutis adſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* His armis Philiſtæos iſtos inuadite, Babylonios debellate. Arcam Domini (quæ tabulas teſtamenti, id eſt doctrinam ſacram, & manna, ipſa nimirum diuiniſſima ſacramenta & virgam Aaron, quæ floruit, diſciplinam ſcilicet Eccleſiæ continet) reducite, ſpolia ampla ab hoſte referte, ex his vaſa templi noua fabricate, & theſauros amiſſos inſtaurate: vt ſic ad puerum Ieſum, ſinu matris complexum properantes, ei de theſauris veſtris manubias gratiſſimas offeratis.

Ps. 124. Ps. 101. Ps. 143.

Arma ſpiritalia Patribus ſumenda.

Mat. 24.

Io. 16.

Io. 4. Luc. 10. 1. Pet. 4. Ro. 16. Luc. 11. Apoc. 14.

pugnandum cum hæreticis. Heb. 9.

Nih il

Nihil ex ablatis Ecclesiæ thesauris apud hostes, manu fortem Dauid imitati, relinquite: vt nihil desit à paruo vsque ad magnum: sed reducantur omnia simul. Imo si possibile fuerit, & ipsos hostes adducite, vt impleatur, quod futurum Isaias prophetauit, in hanc lætitiæ vocem, qua Ierusalem, (sed spiritalem) appellat, prorumpens, *Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israel, pro eo quod fuisti derelicta & odio habita, & non erat, qui pertransiret, per te. Ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem. Et suges lac gentium, & mammilla Regum lactaberis, & scies, quia ego Dominus saluans te, & Redemtor tuus fortis Iacob.* Hic profecto speciosissimus triumphus fuerit: hæc pulcerrima, quæ Domino victori munera offerantur. De quibus Dauid cecinit. *Accepisti dona in hominibus: etenim non credentes inhabitare Dominum Deum*, perinde atque si dicat: qui nuper *non populus Dei, nunc populus Dei.* Et post pauca: *Linguæ canum tuorum ex inimicis ab ipso*, ab ipso nimirum, qui ex Saulis Paulos facit.

1. *Reg.* 30. Recuperandi ablati thesauri Ecclesiæ. *Isa.* 60. & Christo iterum offerendi.

Aperite thesauros vestros & proferte munera: aurum, thus, & myrrham. Aurum solidæ, sinceræ & Catholicæ doctrinæ igne examinatæ & probatæ septuplæ; thus iugis sacrificij, & Deo dignæ sacramentorum administrationis, vniuersíque cultus diuini: myrrham Ecclesiasticæ disciplinæ. Non vos latet Patres in sacris scripturis vbíque ferè per aurum mundissimum sapientiam & scientiam Dei significari: hinc Moyses quæcunque verbi & doctrinæ conseruationem, propositionem, sparsionem, divulgationem & propagationem significabant, ex auro mundissimo facere iussus est. Candelabrum ductile, cui lucerna verbi septiformis flamma spiritus incensa imponatur, *vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Emunctoria ad huius lucernæ lychnum repurgandum & producendum: *tintinnabula*, quibus vtatur Sacerdos in officio ministerij, *vt audiatur sonitus eius, quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini & non moriatur. Thuribulum*, quo bonum odorem verbi longè lateque dispergat: alijs quidem *odorem mortis in mortem*, quos eodem ligat, & vincit; *alijs* autem *odorem, vitæ in vitam*, quos illuminatos ab erroribus absoluit, & peccatis. *Arcam* denique intus, & foris deauratam, *& propitiatorium aureum, & duos de auro purissimo Cherubin*, (qui plenitudo scientiæ interpretantur) super propitiatorium se mutuo intuentes, quo mutuo adspectu veteris & noui testamenti admirabilis illa consonantia significantissimè designatur.

Psal. 10. Aurum fidei & sapientiæ. *Exod.* 18. *Matth.* 5. 1. *Cor.* 2.

Nec mysterio vacare credendum est, quod Dominus arcam intus & foris deauratam fieri præcepit. Est enim *sapientia* quædam præcelens intus recondita, quam Apostolus *loquitur inter perfectos* in mysterio. Est & doctrina quædam magis patens & exposita; quam *vt lac parvulis in Christo*, qui solidum cibum adhuc ferre non possunt, *subministrat.* Vtramque nostri seculi Philistæi suis cauponationibus, & adulterationibus turpissimè vitiarunt, ac totum corruperunt. Illam quidem intus reconditam suis in sacra Biblia inuectis perniciosissimis commentarijs & nocentissimis (quas vocant nomine sane perquã congruente) Apostillis: hoc est impijs ad scripturas additamentis, audacia plusquam satanica turpissimè prostituerunt, profanarunt, deturparunt. Hanc verò humiliorem venenatis suis Catechismis ad necandos paruulos & rudem plebem concinnatis infecerunt, vel ob hoc dignis nisi resipiscant (id quod à Domino communibus votis ardentissimè optandum & efflagitandum fuerit) *quibus suspendatur mola asinaria in collum, & demergantur in profundum maris.* Quid igitur vobis Patres faciendum, vt nouo Regi Christo, mundum illud & obrizum & delicatum aurum offeratis? certè ante omnia illorum scoriam hæreticæ prauitatis & schismaticæ corruptionis (qua erosum, obscuratum, & obliteratum est nimis) ad purum excoctum omne stannum carnalis sensus, quod auro Ecclesiæ superinduxerunt, ex Ecclesiæ officina penitus eijcere, & eliminare vos necesse est. Id quidem facere incepistis, sed restant alia permulta: Quod est enim Catholicum dogma, quod illi non contaminarint, non conspurcarint? vt lamentari libeat cum Propheta. *Quomodo obscuratum est aurum, immutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum.* Deinde ve-

Hæreticorum in quitia in adulterandã fidei doctrina *Matth.* 18. *Isa.* 1. *Thren.* 4.

stra auctoritate (quam Carolus ille quintus Ecclesiæ potentissimum præsidium pro suo officio, & zelo domus Dei, quo totus inardet, fortiter tuebitur) perniciosissimos aduersariorum catechismos, Apostillas pestilentissimas, aliaque venenata planè commentaria & scripta, quibus omnia deprauarunt, damnabitis, solertique prouidentia è medio sustolletis. Denique eijciendi vobis erunt vbique ex ecclesijs, scholis: & pædagogijs *Lupi, cum vulpibus, qui demoliuntur vineam Domini.* Quod si feceritis, tum demum Domino aurum purum putum obtuleritis. Quid enim proderit, si ex vestris thesauris aurum bene eliquatum purgatumque proferatis, si scoriam, qua vix dum prolatum, idem rursus decoloretur, in medio relinquatis?

Cant. 8.

Thus cultûs diuini, & sacramentorum administrationis puritatem renouando.

Ex. 30. Leuit. 24. Isa. 7. Matt. 3. Marci 1. Luc. 3. Io. 2.

Agitur hoc die memoria institutionis omnium sacramentorum.

Io. 1.

Post aurum verò & thus vobis offerendum erit: Thus quidem, vt scriptura præcepit lucidissimum iugis sacrificij & sacramentorum omnium, vniuersique cultus diuini administrandi sincera & perspicua ratio, ac modus. Hoc thus est odor suauissimus Domino: sine quo omne incensum abominatio est illi. Ad hanc oblationem vos inuitat alia huius præclarissimi diei festiuitas: nam & hodie Christus à Ioanne in Iordane baptizatus est, & in nuptijs aquam conuertit in vinum; ad omnium suorum sacramentorum institutionem suauissimè præludens, & quantæ illa efficaciæ & virtutis consequenti tempore fuerit: iam tum manifestans: sacramenti enim, quod diuini ordinis vocamus efficaciam, in ministro Ioanne præmonstrauit: id, quod ipsemet probè intelligens, propter nos aiebat. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum is est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Qui & ob id in Iordanem descendit, vt sui sanctissimi corporis attactu omnes aquas ad abluendas, & tollendas penitus omnes peccati maculas, redderet efficaces. *Super quem quoque apertis cœlis vox Patris audita est: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* itidemque Spiritus S. in visibili specie descendit, vt ostenderet communi Sanctissimæ Trinitatis operatione suum Patrisque Spiritum (qui in Ecclesia Dei oleo sancto significatur) baptizatos sanctificare, Neophytos confirmare, pœnitentes restituere, & ægrotantes alleuare, vt vel sanctitatem consequantur, vel saltem morbum lenius ferant. Qui & hodie aquam conuertit in vinum, vt ostenderet se quotidie eadem potestate, sed secreta panis & vini aqua mixti naturas in sui pretiosissimi corporis & sanguinis substantiam transmutare. Qui denique hodierno die sua diuina præsentia, & illo à seculis inaudito miraculo legitimas nuptias consecrauit, & cuius sanctissimæ rei in Ecclesia signum forent, vt olim in Adam & Eua, cum primum in paradiso instituerentur, fuerunt, indicauit, videlicet inter se sponsum illum cœlestem, & Ecclesiam suam sponsam arctissimæ, & insolubilis vnionis. Quam & hodierno die primum omnium sibi incredulorum hactenus discipulorum fide copulauit. Sic enim dicit scriptura. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.* Et vos sanctissimi Patres gloriam eius manifestate, pergentes (vt cœpistis) sacrosanctum nouæ legis sacerdotium, & quod æternus ille sacerdos secundum ordinem Melchisedech Christus Iesus plenum & singulare sacrificium instituit (quo omnia ea, quæ in veteri lege præcesserant, consummata sunt, in quo ipse sacerdos simul & victima Deo Patri gratissima pro Ecclesia sua, dum redeat, sistitur) cum reliquis diuinissimis sacramentis, nostræ salutis operatorijs, alijsque religiosis ceremonijs, & ritibus Christianæ pietatis inuitamentis ac stimulis, in suam dignitatem aderere, & vindicare: vniuersumque Dei cultum in pristinum locum suum, & illam primæuæ Ecclesiæ puritatem, nitorem, maiestatem & vsum reponere: vt de vobis dicatur, quod de Dauid scriptum est. *Dedit in celebrationibus decus, & ornauit tempora sua.* Quod tamen tum demum efficaciter feceritis, si pariter exsecrandas aduersariorum Agendas, quibus solennes Ecclesiæ inuocationes, & preces, per quas sacramenta conficiuntur, audacia plusquam gigantæa explodere, suisque commentis eorum loco substitutis abrogare conati sunt, anathematis nota inuratis, & ex Ecclesiæ finibus quam longissime relegendas curetis.

Eph. 5.

Io. 2. ps. 109. Cypr. l. 3. ep. ist. 2.

Eccl. 47.

myrrha reformationis disciplinæ Ecclesiasticæ.

Postremo & myrrham vos offere necesse est: vt sine qua priora aurum & thus quamuis pretiosissima, frustra immolaueritis. Hæc autem est Ecclesiastica disciplina, vt enim myrrha defunctorum corpora, ne tabo ac putrefactione dissoluantur, integra conseruat: ita disciplina eos, qui per doctrinam & sacramenta vitæque puritatem

tem, carni, mundo,& peccato demortui,& Christo consepulti sunt,(ne flaccescant, & putrefiant) fideliſſima & saluberrima conditura conseruat. Fateor amara est myrrha sed salutaris. Sic & *omnis disciplina* (vt testatur Apostolus) *in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum suauissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Quid multis ? *Disciplina* S. Cypriano testante *custos est spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes & nutrimentum bonæ indolis, facit in Christo manere semper, ac ingiter in Deo viuere, ad promissa cœlestia, & diuina præmia peruenire. Hanc sectari salubre est, auersari & negligere letale.* Ad quam Spiritus S. in psalmis vos non nisi horrenda interminatione, nisi quod imperat feceritis, hortatur, & impellit dicens. *Erudimini, qui iudicatis terram seruite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore: Apprehendite disciplinam, ne quando iratscatur Dominus, & pereatis de via iusta: cum exarserit in breui ira eius.* vt Pastores illi habeamini, ac reuera sitis, de quibus Ieremias prophetauit dicens. *Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascentes disciplina*, & Isaias Propheta *Restituam*, inquiens, *iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos, sicut antiquitus: post hæc vocaberis ciuitas iusti vrbs fidelis, Sion in iudicio redimetur: & reducent eam in iustitia*: Et iterum. *Ecce in iustitia regnabit Rex, & Principes in iudicio præerunt.* Solius disciplinæ neglectu, Patres, id, quod vos ignorare non potestis, quidquid id est mali, quod Ecclesiam tam diu affligit, vexat, concutit, & discerpit, in Remp. Christianam peruasit. Idem non nisi disciplinæ restitutione, constitutioneque seriâ eliminabitur, ac tolletur. Fieri etiam non potest, vt dum radix morbi incurata relinquitur, morbus non paulo post cum iam curatus putatur, periculosius recrudescat, & fiant nouissima peiora prioribus. Quare tumentes vulnerum sinus, non parcente manu contrectandi sunt, nec cicatrix properè dum virus intus inclusum seruatur obducenda, aperiendum vulnus est, & secandum, & putredinibus amputatis medicina fortiori curandum. Quid igitur facto opus est? Multa breuibus complectar. Primatum Petri vindicate, sine quo totum corpus dissolutum & luxatum relinquetis, Iurisdictionem suam vnicuique restituite: quæ cum vnicuique illæsa non seruatur, omnis ordo dissoluitur, & confunditur. Suum vnicuique munus imponite iudignos destituite & remouete vendentes, & ementes in templo, flagello ex funiculis facto ejicite. Vas per templum (intelligitis, quæ dico) ferri ne finite: Canonicam inquisitionem, denunciationem, & accusationem manifestorum criminum, quæ Ecclesiam scandalizant; restituite synodos, & visitationes Ecclesiarum cum pœnitentia publica (sine qua exerceri hæc cum fructu nullo modo possunt) in suum legitimum vsum reuocate: inobedientes & refractarios censura Ecclesiastica cohibete. Resipiscere nolentes ne totum corpus inficiant, spirituali, quem à Christo accepistis mucrone rescindite. Denique lupos ab ouilibus, vulpes à vineis submouete, vniuersosque Schismaticos & hæreticos, qui veritati simul & vnitati resistunt exterminate, *tradentes eos Satanæ in interitum carnis, si quando Deus det illis pœnitentiam ad agnoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo capti tenentur ad ipsius voluntatem, vt tandem, spiritus eorum saluus fiat in nomine Domini.*

Hebr. 12.

S. Cyp. de habitu virginum, pf. 2.

Cypr. ser. de Capsis.

Officium Patrum concilij.

Videtis SS. PP. quam multa vobis adhuc, modo tamen Domino mundum, perfectum, & acceptabile munus offerre velitis (ob quod sanè faciendum, relictis omnibus, per varios casus, & multa pericula rerum huc contendistis) peragenda restent. Quæ tamen facilè conficietis, si stellam illam, quæ mentibus vestris semel illuxit, quæ vos hùc vsq; pertraxit, & permouit, promti & alacres porro insequamini. *Spiritus est*, enim, *qui omnia continet, omnia penetrat, ac potest.* qui certo certius in vobis erit, vobiscum manebit, nunquam vos deseret, nunquam, antequam secundum legem omnia perfeceritis, vos derelinquet. Vobis certè nequaquam in regiones vestras hinc reuerti licebit, nisi muneribus istis, quæ in vasis vestris huc detulistis rite & legitimè Domino oblatis: alioquin enim frustra veneritis. & neque apud Deum, neque apud homines laudem aliquam promeruerit is. Qui enim *perseuerauerit vsque in finem hic* solus & laude dignus, & beatus erit. Ceterum his perfectis & consummatis, tum demum adorato Domino abibitis, non ad Herodem, aut scribas eius vestra sapientia delusos, suaque ipsorum in astutia comprehensos; *sed per aliam viam* prauis

Sap. 1.
Io. 14.

Constantia opus est Mat. 10. & 24.

Qua sit ratio deun-

Isa. 11. iam in directa,& asperis in vias planas vestro indefatigabili studio & inexhausto labore commutatis, singuli *in regiones* vestras læti & ouantes reuertemini, videlicet à vestris quique subditis, quos exinde suauissimo pane hic à vobis parato & confecto pascetis, reficietisque summa cum exsultatione, & tripudio excipiendi. *In die illa* Isa. 26. (Patres) *cantabitur canticum istud in terra Iuda: vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea, murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem. Vetus error abijt, seruabis pacem, pacem quia in te sperauimus*: Tum & vestri ciues de vobis ad se reuersis sic læti cantillabunt, ciues Apostolorum, & domestici Dei aduenerunt hodie portantes pacem & illuminantes patriam dare pacem Gentibus, & liberare populum Domini. *Euntes* enim *ibant &* Ps. 125. *flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos*. Reddetque vobis demum ô fideles & vigilantissimi Pastores, si officio vestro Pastorali sic perfuncti fueritis, pastorum ille Pastor (cum apparuerit) immarcessibilem gloriæ coronam: vt qui hic illum in diuersorio quæsiuistis, honorastis, illustrastis, illic cum eo in cœlis perpetuum felices regnetis: Dixi.

Nescio quid dici copiosius, prudentius, grauius, tempori conuenientius, in rem præsentem vtilius & efficacius in sanctissimo Patrum illo Tridentino consessu potuerit: ad eos officij sui commonendos, præsentes Turcarum minas, Hæreticorum furores bellicos conterendos, & Ecclesiæ necessitatibus succurrendum, & quid Patres vehementius inflammare ad eadem, quam ea festiuitatis tunc occurentis Epiphaniæ historia tam breuiter, neruosè clareque proposita: tempori, accommodata, cum allegorijs & sensibus mysticis tam raris, aptis, dilucidè declaratis, quibus Magorum exemplum & virtutes heroicæ velut in speculo proponebantur imitandæ: Merito fuit eodem anno typis hæc oratio vulgata: vt ante sessiones & decisiones omnes deinceps Patres illi idã istam proponerent, cuius aspectu permouerentur ad similia Deo dona mystica offerenda: Videtur autem Gropperus hac in re S. Theodorum Episcopum Ancyranum æmulatus, qui eodem die in Nyssena synodo cum peroraret, ad Patres præsentes eorundem munerum propositione & exemplo totus exarsit, ad hæreses præsentes confutandas, & omnes inflammandos ad eas anathemate fulminandas Dignus profecto Gropperus, quem 8. vel 9. annis post inuitum & reluctantem in Purpuratorum Patrum censum Paulus 4. referret: Qui etiam cum Archidiaconus esset Colonien sis quadriennio post perspecta Societatis Iesu solertia in Hæreticis conuertendis & iuuentute moribus, doctrina & pietate formanda egit, & peregit apud senatum Colonien sem, vt anno 1555. societati collegium trium Coronarum regendum traderetur: vt & ipsi trium coronarum, & munerum regiorum memores in horum imitationem & cultus Regum propagationem serio incumberent: quod gnauiter hactenus Deo adspirante præstiterunt.

CAPVT LXXII.

Iaponica legatio trium Regum Romam anno 1582. circa Epiphaniam destinata: & Sinensis epiphania anni 1605 repræsentant Euangelicam: Sinensi etiam Regi noctem natiuitatis suæ Christus visus eum ad legem suam inuitauit, & ad eum ipsius præcones direxit.

Tres Reges Iaponiam Christiani legatos 4. Romam mittunt.

SVNT ista populorum orientalium loca mundi semotissima, quæ patrum, vel nostra primum ætate Christo aggregata, gesta Magorum Euangelicorum factis expresserunt, vel innouarunt. Anni sunt amplius septuaginta, cùm è Iaponia tres Christiani Principes nouam & inusitatam legationem Euangelicæ similem, ab vltimo oriente Romam adornarunt circa Epiphaniam, vt Gregorio decimo tertio Christi in terris vicario fidei consensionem & obedientiam profiterentur. Primus eorum fuit Franciscus Rex Bungi, S. Francisco Xauerio vsus familiarissimè, is, cum

ostium

fidei suis in ditionibus reserasset, & annis 30. licet Gentilis, maximum momentum ad eius incrementum attulisset, ipse tandem aquis genitalibus lustratus, cum Protasio Arimanorum & Bartholomæo Omuræ regibus legatos Romam cum codicillis destinauit, dum ipsi bellicis expeditionibus morbo vel senio præpedirentur, quo minus Christum in Vicario Romæ coram viserent. Delecti sunt ad id munus obeundum propinqui sanguine iuuenes, Mancius à rege Bungi, nepotis sui è sorore consobrinus Fiungæ regis nepos: ac Michael tam nomine Protasij patruelis, quam Bartholomæi patrui sui: nam vtriusque designatus orator est: additis duobus è prima nobilitate adolescentibus, D. Iuliano Nacaura, & Martino Fara: stipabat singulos famulitium sat frequens è pueris honorarijs: qui anno 1582. 20. Februarij Nangasaco soluerunt, & triennij velificatione salui Lusitaniam ingressi Europam incredibili voluptate suo æduentu recrearunt. Progressi Madritum Philippum Regem Catholicum, Pisis magnum Ducem Hetruriæ conuenerunt, vtriusque munificentia excepti Regie. comitatus eorum.

Ingressis Ecclesiæ Romanæ ditiones, innumera peditum & equitum multitudo processit obuiam. Duas illis equitum turmas Pontifex ab vrbe misit, quibus septi 22. Martij sub occasum Solis, curru vndique tecto Romam ingressi porta Flaminea viaque lata ad S. Marcum, & inde ad Societatis Iesu domum peruenerunt. Incubuerat in vrbe rumor adesse reges noui & ignoti orbis, & ipsos Antipodas Romam ingressos: ideo infinita ordinum omnium multitudo conuenit, dum è curru templum adirent, & ad aram principem ritu Christiano supplices Deum venerati grates agerent, quod summis terra marique defunctos periculis benigne saluos Romam adduxisset: aderant alumni Collegij Germanici, qui choris alternis hymnum Ambrosianum & alias preces sacras summa cum legatorum animi voluptate suauli concentu decantarunt. Recepti deinde vt Pontifex Maximus præceperat, & ipsi desiderarant, Domus eiusdem professæ hospitio, non nihil ab itineris laboribus respirarunt. Postera die summo diluculo tota vrbe populus frequens & ludibundus equis & curribus concurrere, loca priuata publicaque plausibus personare. Cardinales in Vaticanum ad summum antistitem festinare. Legati verò curru magnifico ad Flamineam deuecti portam, inde Vaticanum petierunt: sed vt SS. Trium Regum speciem clarius exprimerent, accidit, vt vnus è quatuor febri correptus abesse cogeretur, adeoque tres tantum trium Principum legati comparuerunt: vestis eis versicolor erat, opere Phrygio elaborata, ad læuam breui machæra, ad dextram Arabico pugione cincti: reliquus cultus Iaponicus, elegans, nec hactenus Romæ visus: neque enim post vrbem conditam similis ex vltimo oriente siue Reges siue Imperatores siue Pontifices adierat legatio: deducti magnificentissimo apparatu à porta flaminea ad mausolæum Augusti, inde ad marmoream suem & fornicem B. Apollinaris ac pontem Elium, processerunt: dumque arcem præterirent; bellicis tormentis omnia vicina reboant: aër etiam collectis nubibus, tonitruis respondet, & suo fragore triumphum auget. Ad plateam Vaticanam delatis occurrit Italicum præsidium, & Heluetia cohors, omnia bombardis, tubis, & tympanis resonant: atque ita regiam aulam attigerunt, in quam more cæterorum Regum legatorum admissos Gregorius tertius decimus, iam morti vicinus vt vidit, & arcte complexus est singulos, præ gaudio cœpit cum multis alijs illacrymari, quod tantos fidei progressus in Iapone, Regumque propinquos & oratores adspiceret: admissis tribus ad Regum subsellia quid gestum sit, ita narrant acta publica. *Sedente Gregorio 13. Pontifice Maximo in aula Regibus admittendis, eorumque legationibus destinata, die 23. Martij 1585. matutinis horis in amplissimo S. R. C. Cardinalium consessu & magna Principum & antistitum frequentia, summo omnium ordinum studio & celeberrimo comitatu introducti Regum Iaponiorum legati duo Mancius & Michaël (qui idem Principis Omuræ) & è legationis eiusdem Comitibus Iaponijs præcipuæ nobilitatis item duobus alter Martinus nomine: nam alter Iulianus graui morbo implicitus tenebatur) post solennem summi Pontificis adorationem, & beatorum pedum osculæ, ab eodem eximia cum significatione benevolentiæ & caritatis excepti, in locum à designatore præstitum magna cum modestia secessérunt.* Post hæc allatæ ab ijs Regum literæ ex Iaponico in Italicum sermonem atque in Latinum deinde aduentus Romam. ingressus. pietas. hospitium. plausus Romanus. adeunt vaticanum tres eorum vestitus. occursus. Pontifex complexus eos illacrymatur. osculantur ei pedes.

con-

conuersæ publicè recitantur. Franciſci Bungi Regis epiſtola hæc inter reliqua continebat. *Dominus Rector cæli & terræ dignatus eſt ante an. amplius 4. & 30. deſtinare è i hæc Iaponis regna Patres è ſocietati Ieſu, quorum ſalutari ac diuina ſemente nonnihil in meum quoque Dei benignitate cecidit pectus. Quod tam inſigne beneficium, aliaque multa, ô ſanctiſſime totius Chriſtiani populi parens, veſtræ potiſſimum precationi meritiſque accepta equidem refero: ac proinde niſi me bella, ſenium, & affecta valetudo impedirent, conferrem ipſe me ad viſenda ac veneranda ſacratiſſima iſthæc loca, ac ſimul obedientiam exhibens pedes V. Sanctitatis poſt pia ipſorum oſcula capiti meo ſuper imponerem, & ſanctiſſima veſtra manu pectus meum ligno crucis muniendum curarem &c.* Subdit de legato ſuo Mancio: literas verò exarauit vndecimo Ianuarij, quo Melchioris Indiæ Regis obitum eccleſia Colonienſis feſtiuè peragit. Biduo poſt Epiphaniam ſuas ſcripſerat Protaſius Rex Arimanorum, ante biennium baptiſmo initiatus. Denique & Bartholomæus Omuræ Princeps primus è Iaponiæ Principibus baptiſmo tinctus ſuas 27. Ianuarij dederat Michaeli fratris filio perferendas: quibus omnibus publicè lectis, Gaſpar Gonſaluus è Societate Ieſu Luſitanus tam Regum, quam Legatorum nomine oblectam habuit orationem; qua probauit hactenus ſimilem Romæ nunquam viſam legationem: ſic enim inter cetera ait. *Quantis enim gandijs Eccleſiam vniuerſam, quantis populum Romanum exſultare par eſt, cum hodierna die videat nobiliſſimorum principum Legatos ex Iaponenſium Inſulis, hoc eſt ex vltimis omnium terrarum finibus religionis ergo, quod nullis ante ſeculis auditum eſt, tibi ad pedes accidere, & bellicoſiſſimos Reges fidei armis & Euangelij prædicatione perdomitos, ad tuam, hoc eſt, Chriſti ditionem accedere, & quod ipſi per ſe non poſſunt, tantis locorum ſpatijs diſiuncti per hos ſibi amore & ſanguine coniunctiſſimos, obedientiam tibi ac fidem polliceri. Ego verò rei tantæ magnitudinem mecum ipſe reputans, nihil cenſeo ſummo religionis antiſtiti iucundius, nihil huic ordini præclarius, nihil Eccleſiæ vniuerſæ ac populo Romano accidere potuiſſe glorioſius.*

Oratio Gaſparis Gonſalui ad Pontificem.

probat nullam huic ſimilem vnquã Romæ legationem fuiſſe.

Præfert deinde hanc legationem ei, quæ Auguſto ab Indis olim miſſa eſt hoc modo. *Erat illa quidem ex remotiſſimis terrarum oris: at hæc quanto ex remotioribus? cum longiſſimo primum tempore ex Iapone ad Sinarum portus inde ad auream Cherſoneſum, mox in Indiam veniendum fuerit: vt ex India tandem in Luſitaniam nauigari, ex Luſitania vero Hiſpania quam longa eſt, peragrata, toto triennio partim in itinere, partim in nauigatione poſito: vt Romam vltimo ad Gregorium Pontificem Maximum poſſet peruenirí. Amicitiam à Romanis Indi vt ſocij flagitabant, non obedientiam offerebant; fœdus ab Imperatore quaſi pares, non tanquam à ſuperiore viuendi leges poſtulabant. At nos hodierna die Romæ in hoc ipſo orbis terrarum theatro ampliſſimo quid videmus? hos nimirum ſummo loco natos, ac regiæ familiæ iuuenes Gregorio Pontifici Maximo ante pedes procumbere, ac ſuorum Regum nomine non amicitiam petere vt pares, quamuis amorem ſibi vt filij pollicentur, ſed obedientiam offerre vt ſubditos, & qui externorum hoſtium armis ex omni hominum memoria, quod ego quidem ſciam, nullam de ſe vnquam victoriam conceſſerunt, illi in ſuis hodie regionibus victricia Chriſti ſigna Gregorio duce explicata intuentes, inuictiſſimis ſe armis Romanæ fidei hoc eſt Chriſtianæ ac Catholicæ ſuperatos eſſe libentiſſimè confitentur, quod eam victoriam non minus ſalutarem fore putent, quam terrarum orbis vniuerſus Eccleſiæ iucundam: ſibi vero Beatiſſime Pater, cuius auſpicijs Deo bene iuuante parta eſt, exiſtiment eſſe glorioſam.*

finis & ſcopus.

inuicti hactenus Iapones.

vltro ſe Pontifici ſubmittunt.

Præfert poſtea hanc etiam legationi Britannicæ tempore Gregorij M. miſſæ obvaticinia Dauidis, Iſaiæ & Tobiæ iam impleta: & ſarta damna Eccleſiæ per hæreſin illata: *Sed quantum*, ait, *illo Pontificé gloriæ vnius inſulæ acceſſione acquiſiuiſſe videbatur, tantum ſuis ornamentis illius poſtea defectione detractum eſſe mærebat: ſed ecce tibi alterius Gregorij diligentia ac felicitate ſummæ vnius inſulæ loco, inſula altera, imo verò inſulæ plures ac regna & toto à nobis orbe, toto mari diuiſæ gentes magno numero ad Eccleſiam acceſſerunt, vt præterito illo damno, quod ſanè fuit maximum, non minore fortaſſe lucro, ſpe verò etiam maiore cumulatiſſimè compenſato, priſtinum animi mœrorem nouo gaudio & incredibili Eccleſiæ totius iucunditate leuare liceat. Quam mihi Eccleſiæ communem publicamque lætitiam*

impletis vaticiniis prophetícis

iam

iam multis ante seculis præuisam, multo etiam iucundiorem suis carminibus diuini vates facere videntur: videor enim mihi hodierna die regum Prophetam diuinum illud carmen Ecclesiæ nomine ad citharam concinentem audire. Populus, quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi: quid illud Isaiæ vaticinium? Gentem quam nesciebas vocabis, gentes quæ te non nouerunt, ad te current propter Deum tuum. Quare vt eo redeat oratio: habes in conspectu tuo Pater beatissime regios hos iuuenes, qui suorum ad te Regum, quibus sunt sanguine & amore coniunctissimi mandata deferunt, quorum siue nobilitatem generis, siue religionis studium, siue in Romanam sedem obseruantiam longissima peregrinatione comprobatam spectare velis, dignos benedictione tua, dignos in hac ætate omnium admiratione iudicabis, qui maria, regna, nationes, & quantum ferè aquarum ac terræ globus terræ complectitur, ab extremis eius finibus emensi, Romam vsque ad hanc Christianæ fidei arcem, Ecclesiæ munimentum, religionis præsidium, penetrarunt. Nunc bene collocatos labores suos, nunc susceptas itineris & nauigationis molestias iucundas esse putant: sed hunc suorum laborum ac peregrinationis tam iucundum ac suauem fructum tum demum arbitrantur fore plenissimum, si Regum illorum obedientiam, à quibus tanto interuallo ad te missi sunt, si promtum paratumque animum, si testatam literis fidem, paterno ipse animo ac benigno suscipias: quod sanè vt facias, tum morum ac naturæ tuæ bonitas singularis, tum Regum illorum religio & præclara in fidem Christianam merita, non postulare modo, sed quodammodo videntur etiam flagitare. Franciscus enim Rex in Iapone potens, atque inter primos illarum regionum iure numerandus, nuper ille quidem fide suscepta baptismo expiatus est, sed multis ante annis Christianam religionem ac fidem tum primum in sua prouincia nascentem ac teneram vsque adeo fouit, vt quidquid in religionis negotio in Iapone perfectum est, illius industriæ ac fauori secundum Deum acceptum referamus. Ille Franciscum Xauerium præclara sanctitate virum ex eorum numero, qui minimæ Societatis nostræ cum Ignatio Loiola fundamenta posuerunt, cum primus omnium ad illas Insulas appulisset, humanissimè complexus, liberè in suo regno Christianam fidem prædicare voluit. Ille aditus nostris tutos ad proximas prouincias patefecit, ille vicinorum Regum amicitiam ac fauorem literis ac nuncijs conciliauit. Ille in maximis suis periculis, inter grauissimas bellorum tempestates ac fluctus, vt nostri salui ac securi esse possent diligentissimè curauit. Quid aliud tam amico Regi tot beneficijs susceptis religione ac fide ipsius potissimum fauore propagata, quam religionem ipsam ac fidem nostri optarem? Dilata res est diutius, quam vellemus, sed ita tandem singulari Dei optimi Maximi beneficio omnium vota consecuta est, vt quantum optimo Regi detrimenti mora illa potuit attulisse, tantum hodie incredibili fidei feruore recuperasse videatur. Dici non potest quanto religionis studio inflammeatur, quanto propagandæ fidei amore ferueat, tui verò videndi Pater beatissime ac sanctissimos pedes osculandi quanto desiderio flagrarit, vel hoc vno potest intelligi, quod cum ipse grauissimis regni curis, ætate etiam impediretur, hunc Mancium, quem vides, ad hoc sibi genus officij vicarium substituerit, quem vnum nobilitate primum, Fungæ Regis nepotem ac sibi multis de causis coniunctissimum, in suo regno habere videbatur, per eum verò id postulat ardentissimè, vt obedientiæ & obseruantiæ in te suæ testificatione susceptæ, inter Ecclesiæ Catholicæ, atque huius beatissimæ sedis filios numerari possit. Idem verò etiam contendit Protasius Rex Arimmensis, iuuenis lectissimus, huius Michaëlis quem ad te hac de causa misit patruelis frater; idem Bartholomæus Omuræ Princeps, Arimensis Regis ac Michaëlis eiusdem patruus carissimus. Hic est ille Bartholomæus, qui Principum omnium primus fidem Christianam in Iapone cum Baptismo suscepit tanto animi feruore ac studio, vt deiectis vbique idolorum statuis, ejecta ex suis vrbibus superstitione, multis ob eam causam periculis aditis, toto ferè principatu ac ditione expulsus, non solum à suscepta religione non discesserit, sed incredibili animi fortitudine, & præsentissimo Dei numine recuperata ditione, multo etiam

Legatorum splendor.

studium & votum.

Regis Francisci Bungi zelus fidei.

Constantia in aduersis

desiderium pium.

Bartholomæi feruor

idola destruendi.

quam antea constantius sententia perseuerant. Qui si per se præstare hodie potuisset, quod per hunc Michaëlem facit, vt sanctitatis tuæ pedes osculari & Apostolicam benedictionem præsens à præsente posset accipere, tum verò se felicem ac planè beatum esse censeret.

Gregorius ob magnificentiam soli collatus.

Inuehitur orator postea in eos, qui sedis Apostolicæ dignitatem audent in controuersiam vocare, quam orbis semotissimæ gentes & Reges vix agnitam per carissimos supplices venerantur: tum digressus in Gregorij, quem aptè soli comparat, munificentiam, quam Germanis, Bohemis, Vngaris, Polonis, Syriacis, Græcis, & Dalmatis exhibuit: quid ipsis Iaponibus probis moribus & fide imbuendis contulerit, cum gratiarum actione sic recensèt. *Cum primum enim Christi fidem in illa regione feliciter cœptam ea potissimum promoueri ratione posse intellexisti, si quam plurimos suæ gentis homines, quorum acerrima ferè sunt & acutissima ingenia, disseminandi Euangelij ministros haberet, nec deterreri sumtibus, nec rei difficultate potuisti, quin ibi lectissimorum adolescentium seminaria, maxima tua impensa instituis iuberes, quorum postea præcatione cum literis ac pietate satis essent exculti,*

alit seminaria Japonum.

nihil omnino superesset, quod expulsa superstitione ad Christi fidem & religionem non accederet. Pro qua tam eximia tamque incredibili beneficentia, ex singulari propagandæ fidei amore profecta, eo magis tum suo, tum publico suæ gentis nomine sibi gratias agendas esse immortales legati censuerunt, quod eodem illo anno à te Romæ designatam esse audiunt, quo Principes illi ac Reges nobilissimi hanc ipsam

ei gratiæ habentur.

ad te legationem in Iapone decernebant, vt non illi citius de obedientia tibi præstanda, vt filij, quam tu de eorum commodis ac salute vt parens beneficentissimus cogitaris. Quo magis etiam sperandum esse putant, qui sua sponte vsque adeo commoti tanto hactenus studio ad fidem accurrebant, eos tuæ beneficentiæ stimulis excitatos, nouis præsertim militum copijs ex illis seminarijs indies succrescentibus, maiore impostorum numero & studio ardentiore ad fidem esse venturos. Ita breui futurum est Pater Beatissime, vt Deo optimo maximo sanctitatis tuæ votis & minimæ Societatis nostræ laboribus fauente, non iam paucas Iaponis vrbes, non regna pauca, quæ tibi hodierna die quasi quasdam fecundissimi agri primitias offerimus, sed plura alia, quibus amplissima illa regio destricta est, & tantam hominum multitudinem, quæ numero facile comprehendi nequeat, ad Christi fidem audias accessisse.

respondet legatis.

Ad hanc legatorum nomine habitam orationem Antonius Buccapadulius antistitis supremi iussu respondit, laudauitque, quod Franciscus Bungi Rex, Protasius Arimanorum, Protasiúque patruus Bartholomæus Omuræ Princeps a Iaponiorum insulis remotissimis propinquos suos Romam miserint sedis Apostolicæ coram venerandæ gratia: esse enim vnam fidem, & Ecclesiam Catholicam, eiusque vnum pastorem vniuersi gregis successione Petri Romanorum Pontificem; lætari se id ipsos cum reliquis articulis fidei agnoscere & profiteri: ideoque grates diuinæ maiestati habere, & cum Patribus purpuratis hanc ipsorum fidei, pietatis & obedientiæ testificationem amplecti; optareque vt eorum exemplo reliqui Insularum illarum & omnes orbis Reges & Principes abiecto idolorum cultu verum Deum & quem misit Iesum Christum agnoscant, & venerentur. Soluto conuentu Legati summum Pontificem in ædes interiores more recepto deduxerunt, à fratris filio Cardinale S. Sixti conuiuio excepti, tum ad ipsius Gregorij priuatum & familiare colloquium introducti, multa cum eo de itinere ac religione per interpretes contulerunt: inde S. Petri basilicam adierunt ac sacris Apostolorum li-

cum eis agit familiariter.

minibus piè salutatis, muneribusque cumulati sub vesperam domum perhonorificè sunt deducti. Quid diebus sequentibus gestum, ex literis Calendis Aprilis Româ datis attexam. *Vigesimo quinto Martij cum summus Pontifex è Vaticano ad sacram ædem super Mineruam stato solennique ritu ob Dei matris annunciatæ memoriam descendisset, hi legati supremo loco adequitarunt: Quid plura? dici non potest, quanto sint in honore, quam omnium ordinum summi infimique benignitatem Dei prædicent, qui hoc tempore ad Ecclesiam Catholicam multo plures à solis ortu & occasu adduçit, quam malus dæmon in aquilone*

equitant eum eo.

seduxerit,

seduxerit: nemo illos Iaponiorum, omnes fratrum numero habent. Senatus hodie populique Romani tribuni salutaturi eos & aduentum ijs gratulaturi dicuntur, quod alijs Regum legatis nunquam factum audiui: nec immerito. Post conditum enim orbem & natos homines nulla fuit legatio, quæ studio religionis aut imperij Romani admiratione permota ex tam longinquis & remotis gentibus ad vllum Pontificem aut Imperatorem vnquam venerit: á Domino factum est istud, qui lumen & mortalium salus vsque ad extremum terræ. Senatus ipse visit. Diffluebat gaudijs Pontifex, quibus impar iam 83. natus annos decimo Aprilis corpore solutus est: is nuncius dolore maximo legatos compleuit: sed post dies 14. electus Sixtus quintus eos humanitate sua exhilarauit equites eos creauit, & per sacrum celebre ad officia iussit admitti, at sub priuatum cœlesti pauit epulo. dona abiturientibus & literas ad Iaponios Reges dedit: ac postulatis duobus, de Episcopo Iaponijs dando & supplemento Patrum mittendo libenter annuit; septemdecim sociorum Iesu cum ijs designatis: Addidit munificentissimus Pontifex ad quatuor aureorum millium redditus Gregorii, duo millia, perpetuosque fecit ex temporarijs. Horum qui Romæ tunc omnia coram inspexit, Thomas Bozius de signis ecclesiæ sic meminit. *Vidimus nos ipsi anno superiore magna nostra lætitia legatos illinc (ex Iaponia) missos Romam à Francisco Bungi Rege potentissimo, & à Rege Fiungæ Mancium, à Protasio Rege Arimæ & Bartholomæo Rege Omuræ Michaëlem, qui nomine illorum Regum Pontifici Romano obedientiam præstarent; maximæ vero in illis locis quotidie Christiana religio per Catholicos incrementa capit, plurimique Principes & immumera hominum multitudo Ecclesiæ Christianæ in dies singulos aggregatur, eam ob rem Romanus Pontifex tria seminaria instituit, in diuersis insulæ locis, & annuos sex mille aureos ad iuuenes Christiana disciplina informandos attribui iussit. Atque hoc anno, qui est millesimus quingentesimus octuagesimus octauus Sixtus quintus primũ Bungo Episcopum dedit.* mortuo Gregorio succedit Sixtus 5. annuit eorum postulatis auget reditus seminariorum. to. 1. l. 4. c. 2. circa finem. collatio huius legationis cum Euangelica. Hi sunt fructus gratissimi gentium orbis semotissimarum, quos orituros tres SS. Reges sua propria peregrinatione & legatione tredecim dierũ in flore figurarunt & promiserunt: quando iam extremi orientis Reges sponte non stella duce per languine iunctos triennij itinere, non per trecentas sed septem leucarũ millia ad Vicarium Christi visendum properarunt, eique obedientiam præstiterunt: iactati similibus ipsi Gentilium, & quorundam etiam subditorum persecutionibus & bellis; vt coacti interdũ sint exulare, ne quis miretur sanctos tres Reges ab idololatris subditis fuisse trucidatos. Legati vero duplici in reditu perfuncti grauissimo naufragij periculo, & ope diuina superato Goanum anno 1587. quarto calendas Iunij feliciter portum subierunt. Iam ne dissimiles isti legati tribus Regibus essent, quam verbo & exemplo profuerint Indis, ab ijs præcipuo honore cultu sic inspector omnium Valignanus Goa perscribit, autor ipse totius legationis *Prorex lætitiam ex felici illorum reditu conceptam pluribus amoris beneuolentiæque argumentis ostendit: nam duorum millium aureorum summam à Mosambici portus præfecto mutuo acceptam redimi iussit, singulos ac Arabia adductum equum donauit, ducentos præterea aureos in singulos menses in sumtuum subsidium adsignauit. Omnes vrbis potentiores nobilioresque ciues ad eos salutandi causa gregatim confluxerunt, ac omnium de se conceptæ exspectationi tam cumulatè satisfecerunt, vt diuino impulsu legationem istam fuisse susceptam liquido appareret. Summi Pontificis in commissas pastorali curæ suæ oues solicitã caritatem, Principumque Christianorum magnanimitatem nunquã prædicare desinunt, propensum in omnia ea, quæ ad Christianam fidem spectant affectum, vbique produnt, ac in omni virtutum genere & feruenti desiderio, vt eorum opera & exemplo Iaponia Euangelicam veritatem arripiat, adeo confirmati sunt, vt ingenuè fatear maiorem me, quam oratione prodere possem, ex eorum præsentia consolationem cepisse. Neque vlla ratione addubitandum existimo, quin talem per vniuersam Iaponiam admirationem ipsorum reditus erit excitaturus, quem olim in Europa eorundem aduentus peperit.* reditus periculum. Goanus plausus. oratorum feruor. Nec fefellit euentus: non nisi 21. Iulij anno 1590. Nangasacum redierunt: quo plausu fructuque narrat literis suis vnus eorum Michaël. *Omnes ab vniuersa Christianitate maximè verò à matribus nostris & amicis ea exsultatione & plausu excepti, quem literis non*

Iaponum ob eorum reditum lætitia.

non explicem, ita vt ipsi Ethnici gratulabundi nos complecterentur, stupescentibus & attonitis hoc nostro felici appulsu pene omnibus. Et alijs literis emolumenta refert narrationis mirabilium & eximiarum rerum, quas Romæ & alibi in Europa vidit & manibus attigit. *Nam hac commemoratione,* ait, *tam Christiani, quam Ethnici reficiuntur, & recreantur plurimum, fidemque dictis adhibent, animo firmius impressis ijs, quæ hactenus ex ore Patrum hauserant, non ignari nos, qui eiusdem patriæ sumus, non narraturos, quæ Iaponicis præcellant, nisi reuera meliora & magnificentiora essent, eandem fidem habent narrationi de Deo rebusque ecclesiasticis, quos etiam sermones gustant auidius, confirmari plurimum oculorum nostrorum testimonio.* Adierunt deinde Iaponiæ summum Imperatorem: excepti regiè, & mirificè is musicis instrumentis & concentu harmonico, quem in Europa didicerant, recreatus, nihil non egit promissis officijs & dignitatibus amplissimis, vt eos apud se posset familiares retinere: sed ipsi spretis omnibus alia versabant animo: nam cum Regi Protasio Arimanorum, & Mancio Omurano, qui Bartholomæo parenti mortuo successerat, defuncto iam Bungensi Rege crucem auream viuifici ligni reliquijs ornatam, ensem & galerum munera Sixti Quinti ritu solenni obtulissent, omnes quatuor spretis amicorum & parentum blanditijs, rebus omnibus humanis valere iussis, tunc cum imminere turbo persecutionis videretur, ingressi tirocinium Societatis Iesu festo S. Iacobi anni 1591. se totos Deo consecrarunt: hanc constantiam & consilij talis ineundi inuitamenta sic Ludouicus Froës eodem tempore perscripsit. *Cæperunt ergo magno studio & submissione animi obtestari P. Visitatorem, vt ipsis aditum daret ad Societatem, quæ res magnum gaudium & consolationem omnibus attulit: nam cum hoc tempore in summo discrimine omnia versarentur; & maiores indies calamitates impenderent, cognati quoque eorum tam essent copiosi & potentes, vt nihil illis deesse potuerit, admiranda Dei prouidentia apparuit, vt hoc eorum proposito, & maximè in Domino Michaële, & D. Mancio, qui nullis conatibus matrum, etsi infestissimarum, passi sunt se à diuino consilio abterreri: quin & Mantius fratri suo Iusto inuum 18. annorum autor fuit, vt eandem viam ingrederetur: exemplo enim eius ita commotus fuit, vt non multo post, expugnatis omnibus difficultatibus & maternis minis Mantiũ sequeretur, libere respondens suis, se passurum potius, vt in mille frusta dilaceretur, quam vt voto suo non faciat satis. Et D. Michaël, cum gratias ageret D. Protasio, affirmauit, se potius ingressurum Societatem, quam suscepturum quoduis regnum, vel dominium quantumcunque magnum, vt ell Arimense, si offerretur: omnes autem quatuor dictitabant, neque saluti animarum suarum conuenire, si ingrati essent Domino Deo, & non se pro summo beneficio (quod ex omni Iaponia soli ipsi delecti essent ad spectandas res tantas in Europa, tantosque honores vbique recipiendos, totos vicissim Deo offerrent, atque hoc ipso facto omnibus testimonium relinquerent, quanta vidissent. Denique postquam dies aliquot exercitijs spiritualibus dedissent, & facti sui rationes expendissent, Amacusam P. Visitator eos duxit & ad vigesimum quintum diem Iulij anni millesimi quinquagentesimi nonagesimi primi in S. Iacobi festo in Societatum sunt recepti, sicut & octauo post die Mantij frater Iustus: omnes autem nunc tale præbent de se virtutis exemplum & specimen, vt non dubitemus eos aptissima fore instrumenta ad conuersionem Iaponiæ.* Hæc ille.

fructus multiplex.

adeunt Imperatorem summum.

exsequuntur iussa Pontificis.

ambiunt Societatẽ Iesu.

spretis regnis.

eam ingrediuntur

Illata fuerat per eosdem in Iaponiam typographia maximo compendio fidei propagandæ, editis statim elementis fidei Iaponicè: creuit etiam in seminarijs alumnorum numerus, vt sexcenta capita censerentur: educati omnes ad messem Euangelicam, sparsique per omnia regna Catechistarum nomine, vel sacris etiam initiati ordinibus breui fidelium auxerunt numerum. Successere persecutiones atrocissimæ: quibus aliquot nobilissimorum Martyrum millia tam glorioſè triumpharunt; vt seculis multis vix vlla Christiani orbis prouincia vel regnum tam immanes, diuturnas, continuasque legatur sustinuisse, pari constantia tot pugilum omnis ætatis, ordinis sexus & conditionis: variorum etiam è S. Dominici, Francisci, Augustini disciplina religiosorum in grauissimis & hactenus inusitatis tormentis, (in quibus sola

seminariorum emolumenta.

Martyrum secuta multitudo.

Societas

in quibus vnus fuit legatorum.

Societas noſtra centuriam Deo conſecrauit,& in hac vnum ex quatuor legatis Romam miſſis P. Iulianum Nacauram: qui cum 42. annos in vinea Iaponica ſuis popularibus conuertendis aſſiduam operam impendiſſet,multis millibus aquis genitalibus ablutis, demum anno 1633.comprehenſus & fruſtra promiſſis vel blanditijs oppugnatus,maximo delibutus gaudio ſe legatum olim Romam miſſum profeſſus, velut cum triumpho perrexit ad ſupplicium & quatriduo pedibus ſuſpenſus & in arentem ſcrobem prono capite infoſſus,ipſo S. Vrſulæ feſto cœleſte capitolium laureatus intrauit:quem Iacobus Meſquita genere nobilis,origine Luſitanus,rector quondã Nangaſacenſis & interpres legatorum Romæ & in Europa,(qui etiam Regum Iaponum & oratorum nomine iurarat obedientiam ſedi Apoſtolicæ) præceſſerat,anno 1614.martyrio coronatus. Fortunata legatio,gemina ſanctorum Regum, ipſis non minus Regibus mittentibus, quam Legatis & Iaponiæ toti fructuoſa,Sedi Apoſtolicæ glorioſa:quæ tum in flore & primitijs,promiſit eam, quam poſtea reipſa meſſem vberrimam attulit Eccleſiæ,tot trophæis clariſſimorum athletarum conſtitutis, qui cum primis Eccleſiæ naſcentis pugilibus poſſint comparari:hic velut in imagine Iapones legationem Magorum Euangelicorum;eorumque poſt reditum vitam Apoſtolicam & martyrij palmas in ſe ſuisque popularibus expreſſerunt. Nunc è Iaponia regnum vicinum Sinenſe viſamus,& Epiphaniam circa initium huius ſeculi celebrẽ ibidem inſtitutam contemplemur: nam dum Legati Iapones Romam contenderent:quod fruſtra tentarat ante mortem S.Xauerius, tres poſt eam è Societate noſtra circa 1583.penetrarunt in Sinam, ac Aſtrologiæ ceterarumque Mathematicarum ſcientiarum peritia,velut hamo nouoque ſidere,ſciendi cœlorum reuolutiones, & ſtellarum motus cupidos, ad Chriſti myſteria diſcenda pertraxerunt: inſignis fuit trium è ſanguine regio procerum ipſo feſto Epiphaniæ Dominicæ anno 1605. ad Chriſti fidem acceſſio: qui nominibus etiam Magorum Euangelicorum inſigniri voluerunt, & ſuo exemplo compluribus ſanguine propinquis feminis eandem mentem iniecerunt: rem geſtam altius placet ex Trigautij monumentis recitare.

corumque interpres.

collatio fructus huius & Euangelicæ legationis.

ingreſſus in Sinam.

Trigautij l. 5. S. 2. hiſt. c. 4.

His proſperis rei Chriſtianæ principijs ſuperuenit P. Emmanuel, qui ex ea ſede Auſtralia domicilia noſtrorum tria moderabatur,& vna cum ſocijs P. Ioanne ac patre noſtro Paſchali,qui non ita multo poſt Societatem ingreſſus eſt,hanc vineam excolere ſolito accuratius inceperunt. Ceſſit primus labor ita feliciter,vt anno inſequenti ſupra ſecularem quinto Neophytorum numerus in duplum excreuerit,& iam ducentos excedebant, in quibus etiam literati nonnulli ac regij propinqui numerati ſunt. Ex his regijs hominibus primus in noſtrorum familiaritatem incidit,adnitente ſocero ſuo Paulo Baccalaureo Neophyto,is per otium rei Chriſtianæ myſterijs imbutus, eo die baptizatus eſt,quo Hiſpanienſes Eccleſiæ exſpectationis partus feſtiuitatem celebrant. Ioſephus appellatus eſt,& primus è ſanguine regio Regis regnum Chriſti apud Sinas venerator. Hunc frater minor ætate ſecutus eſt,ſtatuitque in eandem cum Ioſepho fratre religionem conſpirare: noſtri verò baptiſmum eius differendum eſſe arbitrati ſunt in diem Epiphaniæ ſacrum,narrantes eo ipſo die Regulos tres è remotis regionibus ad venerandum Ieſum puellulum recens natum aduenijſſe;cui relationi ita reſpondit:ſi hi tres fuerunt,efficiam vt ſimus quatuor;nominabatigitur aliũ fratrem minorem,& conſobrinum ſuum;filiolum verò,quem ſecum adduxerat, P. Emmanueli tradidit,vt eum pro ſuo haberet,& rogauit,vti eodem nomine puellulus, Emmanuel videlicet,vocaretur, quod etiam factum eſt, eaque appellatio à puero vſurpata, Ethnicis etiam propinquis in vſu erat; tres verò reliqui adulti in eum diem fidei capitibus imbuti, ſolenni apparatu ſunt baptizati,& trium Regum nominibus nuncupati,Melchior primus, alter Gaſpar, tertius Baltaſar appellatus. Horum exemplum deinde ſecuti ſunt Ioſephi vxor, & alij vtriuſque ſexus propinqui: hi matrem habebant viduam & vetulam: eam domi ſuæ frater noſter ita inſtruxit, vt tamen ne arctam ſolitudinem mulierum violaret, minimè

primus è regio ſanguine conuertitur.

ſequitur eum frater adducto filiolo.

quem Emmanuelem dici optat.

ac fratre alio & conſobrino hi Regum nomina ſumunt.

vide-

mater accedit.

cum filia & pediſſequis.

viderctur: nam ex aduerſo portæ cuiuſdam tapete interiecto colloquebantur, & quidem Catechiſta noſter vnam ſe inſtruere arbitrabatur, ſed cum baptiſmo deſtinatus dies aduenit, ſex omnino prodierunt, filia cum nepote, & aliæ quatuor earum pediſſequæ: hæ omnes de auditis interrogatæ, ita aptè reſponderunt, vt nihil opus fuerit baptiſmum vltra differre: tantus porro fuit earum feruor, vt nullum ritum (nam ferè à contactu abhorrent) nullam vnctionem exhorruerint, expleto Baptiſmo. Felix mater tribus donata regijs filijs Catholicis, filia, nepote & pediſſequis: & illa ter beata Epiphania, qua memoria trium Regum eorumque geſtis inſtauratis: filij tres matrem, à qua vitam mortalem acceperant, exemplo monitiſque vita donarunt immortali & diuina, quos omnes ſecuta propediem eſt multorum nobilium conuerſio, vt hoc ipſo tempore Regis Sinarum ſoror, vxor, & filius heres Chriſti fidem publicè profiteantur.

Rex Sinarū Chriſti nati tempore Monarcha potentiſſimus, par Auguſto & Parthorum Regi.

Longè admirabilius eſt, quod iam referam, & diuinum fauorem Sinenſi regno momento natiuitatis Chriſti, (dum ſtella Magos Euangelicos ad incunabula nati pueri duceret) exhibitum præ alijs mundi regnis, declarat euidenter: nam cum poſt Romanorum & Parthorum monarchiam Rex Sinarum ea tempeſtate potentiſſimus orbis dominator cenſeri poſſet, (cui tunc etiam confinia modo regna longo poſt tempore defectione Ducum & populorum auulſa, Tunchinenſe & Cocincinenſe parebant) ideo diuina maieſtas, ſicut Parthorum vectigales Reges & Indorum per ſtellam, Auguſtum verò Romæ Deiparæ cum filio recens nato adſpectu in ſole permouit ad cœleſtis Regis ortum adorandum: ſic ipſe Chriſtus putatur Sinarum Regi viſus, aduentum ſuum indicaſſe: Nec commentitia res hæc cenſeri debet, quam annales Sinenſes complexi monumentis diſertè narrant: & ex ijs Alexander de Rhodes Auenionenſis ex ijs tranſcripſit, in Tunchinenſi regno, cum ibi degeret, & multa Gentilium millia conuerteret: ſic enim ait. *Vixerant abſque idolis vllis vſque ad Chriſti Domini tempora Sinæ omnes, atque adeo Tunchinenſes, qui vnico tunc Regi ſuberant, ſed innumeris tamen turpiſſimorum errorum laqueis implicati. Quorum ſicut & gentium ceterarum omnium miſeratus benigniſſimus Dominus, eodem ipſo tempore, quo vera lux Chriſtus, illuxit terris, ſicuti ab oriente tres Magos nouæ ad ſe ſtellæ adſpectu aduocauit, & in Occidente Cæſari Auguſto ſole toto amictus apparuit in ſinu virginis matris, ſic etiam Sinarum Regi Hanmin thi viſus eſt humana maior ſpecie vir, vt ferunt annales illorum temporum à Sinis ipſis conſcripti, & præcepit, vt è magni occidentis partibus legem exquireret, vbi recens orta eſſet è cœlo lux in totius orbis ſalutem. Eo ſpectaculo Rex territus, magnates illico conuocat, exponit nocturna viſa, deque ipſorum conſilio ſolennem ad Occidentis plagas legationem decernit, Legatoque mandat, vt in longinquas has terras impigrè properet, atque ibi veræ illius ac nouæ legis præcepta ſedulo exquirat, ac poſtmodum in patriam exportet. Paruit legatus Regi, magnoque comitatu terreſtre iter Occidentem verſus inſtituit; nondum enim nauigandi artem callebant, ſed poſtea moleſta longitudine viæ perterritus, & occurrentium difficultatum labore defatigatus, concipere cœpit animo & cogitare de reditu ad ſuos; cum enim poſt 8. circiter menſium iter in Indiam tandem peruenisſet, minimamque adhuc ſibi peratæ viæ partem confeciſſet, in terras vlteriores progredi planè renuit. Aperuitque ſtatim Indis illis cauſam tantæ peregrinationis, exquirens ab ijs, num aliquam ipſi haberent legem, quam Regi Sinarum nouarum huiuſmodi rerum cupido deferret, moleſtum ſibi videlicet eſſe & intolerabile tot adhuc terras, quæ vſque ad Occidentem vltimum ſupererant peragrare, nimirum pudendo improbiſſimi legati crimine maxima quædam & ſaluberrima interuerſa res eſt.*

lib. 2. Tunchinenſis hiſt. c. 17 f. 48.

ni Chriſtus auguſta ſpecie viſus nocte natiuitatis ſuæ.

inſſit vt ex Occidente legem ſalutarem peteret.

mittit eo legatum.

is tædio itineris vlteriorie.

Narrat deinde quomodo Brachmanarum opera liber illi Theccæ, quem Buddam ſeu ſapientem vocant, fabulis anilibus de idolis colendis oblatus ſit: quem redux Regi tradidit, comminiſcens eum ſe ſuperatis immenſis occani tractibus ab extremis occidentis oris attuliſſe, quam Rex, vt legem à Deo latam, amplexus, venenum hauſtum regno erectis vbique delubris idolorum propinauit. Sapientiores Euangelici Magi, perruptis omnium viarum impedimentis ipſimet adito occidente legem à Chriſto traditam orbi conſignarunt. Videtur autem Chriſtus ipſe viri ſpecie ſe Regijs oculis obieciſſe: vt Sinenſis gens ſapientiæ legibus expolita nouum ſciret ortum

à Brachmanibus Indis acceptas fabulas idololatricas attulit.

orbi

orbi legis latorem, qui luce veritatis eorum errores depelleret & Dux ipse viæ cœlestis ad salutem & vitam æternam aditum patefaceret: Eadem specie Matthæo Riccio visus est per quietem, cum tristis & omni humano solatio destitutus in regiam Dei fretus ope contenderet: sic enim Trigautius narrato casu, quod Iudicis decreto domo pulsus, quo se verteret, ignoraret, de ipso subdit. *Totum vnum diem cogitabundus, quid faceret, absumserat, qua in cogitatione fatigatus obdormiuit. In eo sopore videre sibi visus est hominē ignotum, à quo hæc audire sibi videbatur. Itane tu hoc regno vagaris eo animo, vt antiquam religionem extrudas, nouam intrudas? P. Matthæus, qui vt mox hunc animum suum primis initijs occultabat, respondit, aut te dæmonem esse, aut Deum oportet, cui hæc, quæ nemini dico comperta sunt. Minimè sum dæmon, verum Deus: P. verò Matthæus, velut, qui eum repererat, quem quærebat, ad eius pedes corruit, & lamentabundus in hæc verba prorupit: si hoc Domine mi votum nosti, quid est, cur adiutricem tantis rebus manum non exporrigis? & his dictis ad illius pedes prostratus, lacrymis acrius, quem verbis loquebatur, tum Dominus eum solatus: dixit: ego in vtraque tibi regia vrbe propitius ero. Prope totidem verbis, quibus olim B. parenti nostro Ignatio auxiliarem Dominus Romæ promisit manum. Deinde sibi visus est in vrbem regiam liberè ac tuto ingredi nullo prohibente. Excusso somno lacrymis nondum exsiccatis, socio, qui æque prope mœstus erat, vt cum solaretur, visa narrauit. Visum enim illi somnium illud aliquid habuisse diuini: & sanè per omnia prædictioni respondit euentus: nam cum annis proximè insequentibus Pequino quoque re infecta redisset, in ea Nanquinensis vrbis parte exscendit, quam sibi in somno se vidisse meminerat, & in ea vrbe it a libere sedem fixit, vt inter clarissima prodigia res referri posse videatur.* Eadem felicitate Pequinensem erexit sedem. Fixis iam in duabus vrbibus regijs domibus, inde in totum regnum facili negotio Societas se diffudit, Christo conatus suorum secundante: vt iam per 15. regni prouincias dissipata 15. locis resideat: & in singulis domibus sacerdotes duo minimum commorentur, quorum vterque 30. magnis ciuitatibus sacramenta administrat, easque concionibus excolit. Ac licet hoc tempore Rex Tartarorum tredecim regni prouincias, & in ijs bis mille ciuitates occuparit, non desinunt tamen Christi præcones vtrique genti Sinicæ & Tartaricæ fidem annunciare, multis millibus annis singulis Ecclesiæ aggregatis. Sed iam ante mille annos, post æræ Christianæ sexcentesimum annum, cum Mahumetana secta inualesceret, Palæstinum quendam fidei præconem Sinas penetrasse, Regem adiunxisse piorum cœtui, renatis sacro fonte plerisq; supra docui: ac circa Caroli Magni tempora literatū monumentum erectum esse, quo capita fidei, præcipuumque SS. Trium Regū encomium contineretur. Faxit Deus vt breui multiplicatis in regnis istis orientalibus viris Apostolicis & fidei buccinatoribus, omnes orientales gentes Christum eiusque in terris Vicarium agnoscant, & fiat vnum ouile & vnus pastor: præsertim cum tam Rex Tartarorum, quem Sinensis publico fidei præconio permisso ad Christi leges amplectendas propendeant, & Tartarus quidem in Pequinensi ciuitate magnificentissimum Societati templum erexerit: de quibus P. Martinus Martinius redux è Sina consuli potest, in opere, quod adornat: quo de Sinense Chronicon & bellum Tartaricum complectetur.

L. 3. c. 10.

Riccium Christus animat ad ingressum.

ei promittit in vtraque vrbe regia opē.

Status hodiernus regni.

C. 73.

CAPVT LXXIII.

Duplex Coloniæ sodalitas SS. Trium Regum, altera Scabinorum vetustior, altera ciuium recentior, anno 1609. cum emolumento ciuitatis inchoata.

Agape vsitata Coloniæ in sodalitiis.

ANTIQVA fuit Coloniæ inter optimates SS. Trium Regum Sodalitas, in quam præter Archiepiscopum Principem Electorem, primores status Ecclesiastici & secularis vtriusque sexus, præsertim Scabini adscribebantur. Et quoniam olim hac in ciuitate nulla fere sodalium congregatio censebatur, quin agapen certo tempore daret; proprium hoc fuit huic societati non quidem collectis omnibus simul conuiuari, sed certis anni festiuitatibus singulis liba scabinalia, quibus trium Regum effigies impressa erat, transmittere, quandoque ceram, interdum alia quædam dulciaria è saccharo, vel scitamenta distribuebantur. Circa Annum 1456. alti iudicij Scabini leges certas pro missitandis ijs dulciarijs posuerunt. Ordo ad singulos ea donandi deuoluebatur, quisquis verò ad id muneris eligebatur, 100. florenos Rhenanos in eum finem impendebat: redibat is ordo nonnunquã ad priores, eo tamen vicissim emolumento, vt quoties præfuerat aliquis ei curationi, totidem liba vel alia munera quot vicibus obtineret. Quatuor peruigilia tali distributioni sunt constituta, S. Andreæ S. Thomæ & S. Pauli Apostolorum ac S. Nicolai. Confirmatæ sunt eæ leges A. 1460. vltima Octobris & decretum, vt Archiepiscopo 12. liba, Aduocato Colonienfi sex mitterentur, Nomina singulorum sodalium, quos inter Theodoricus à Mœrs Archiepiscopus primas tenet, recensetantiquus alti Iudicij pergameneus liber, cum legibus & statutis: sed ob sumtus nimios largitio munerum annua desijt: signum cum effigie Trium Regum superat: & liba retinent hodieque nomen à Scabinis: qui vna cum Vicecomite vndecimo Ianuarij tenentur vesperis, cum ardente cereo & corona hederacea interesse, quas olim tripudium subdiaconorum appellarunt, vt alibi tradidi.

huic successit liborum donatio.

tripudium diaconorum.

Altera ciuium eiusdem nominis sodalitas anno 1609. fuit inchoata, cuius talc fuit initium: Erexerat Gregorius 13. in vrbe Roma annunciatæ Dei genitricis primarium sodalitium anno 1584. facta Præposito Generali societatis Iesu potestate, eidem alia per orbem terrarum aggregandi quam facultatem extendit successor eiusdem Sixtus 5. vt dicto Generali liberum esset *tam sub eodem B. Mariæ annunciatæ, quam alio quouis titulo & inuocatione congregationes instituere.* Quocirca cum Coloniæ Agrippinæ ciues inter se nouam coiissent Sodalitatem: eamque placuisset Deiparæ & sanctorum trium Regum nomine insignire, Claudius Aquauiua Societatis Iesu Præpositus Generalis adsensus, eodem titulo publicis missis tabulis eam an. 1609. decorauit. Tenuia fuere primordia: tres enim sub anni initium die Epiphaniæ an. 1608. ea mente conuenerunt, velut semina futuræ magnæ messis: tot enim exemplo suo permouerunt ad easdem pietatis exercitationes suscipiendas, vt sub finem anni 150. numerarentur: & decem post annos quingenti fere censerentur: qui numerus hodieque perseuerat.

initia tenuia sodalitatis ciuicæ.

excrcit.

Vulgatus postea liber est vernacula lingua in vsum sodalium, qui fusè finem & institutum sodalitatis, legesque eius recensct, & aptè cunctos ad virtutum studium, vitiorumque fugam congruis medijs informat: cuius præfatio nomenclationis huius adfert his verbis rationem. *Et quamuis congregatio vestra leges cum Romana sanctissimæ Virginis Mariæ annunciatæ communes habeat, diuina tamen prouidentia obtigit, ei nomen sanctorum Trium Regum; non ideo duntaxat, quod in eorum festiua solennitate duxerit initium, sed etiam quia reges isti sanctissimi Diuos inter tutelares celeberimæ huius Catholicæ ciuitatis Imperialis primatum tenet, & primitiæ cæcarum Gentium sunt: qui pariter itineris fidi comites, & Deo grati sodales Christum & sanctissimam eius matrem summa religione & pietate vnanimes quæsuerunt, & honorarunt, ideo Colonienses ciues & inquili-*

cur nomen SS. Regum sumserit.

nos

nos decuit, vti cultum sanctissimæ Dei genitricis addictissimi sint, ita hanc ideam & exemplar vrbicorum suorum Patronorum identidem oculis subijcere, & hos sapientissimos Duces itineris Bethlehemitici ad domum veri cœlestis panis sequi.

Finis & exercitationes eius.

Finis eius sodalitatis est sanctorum Regum virtutes, præsertim insignem eorum Deipara cultum imitari, puritatem conscientiæ per crebram sacramentorum frequentationem accurare, alijs pietatis officijs & misericordiæ operibus se excercere, exemplo & monitu suo fædam iurandi consuetudinem aliorum emendare, pacem inter dissidentes firmare, à fide etiam alienos ad saniorem mentem & exhomologesin exstimulare, quæ facta huc vsque constant esse, magno ciuitatis totius emolumento.

fructus:

Et sanè diuina clementia videtur eam tunc potissimum congregationem excitasse, cum extremum vrbi Colonienſi exitium perduelles quidam, auctoribus & ducibus Acatholicis, parassent: nam cum turbulenti factiosique magnam iam tribuum partem in tumultum, & inpingendam senatus auctoritatẽ inclinassent, sodales, per singulas tribus distributi, numero licet perpauci, suo tamen insigni feruore, studio, & constantia Catholicos ciues in officio retinuerunt, faces seditiosis, cædes & incendia anhelantibus, velut è manibus extorserunt: quorum etiam indicijs cum clandestina maleuolorum consilia detegerentur: concionatoris templi metropolitani eloquentia singulari, & ordinis amplissimi consulisque Hadenradij vigilantia prudentiaque malum omne dissipatum est: eliminatis sensim ex vrbe incentoribus heterodoxis. Exinde incisi nerui sunt hæresis, & ipsa succisa radix, dum Senatus consulto cautum est, ne quis deinceps ciuitate, nisi ritu Catholico expiatus & sacra refectus synaxi, donaretur. Vnde in voculas male feriatorum ciuium sodales incurrerunt, qui sugillare nouitiæ pietatis exercitationes, mox etiam in compitis contumeliosis eos nominibus compellare non verebantur, ea quidem peruicacia, vt res ad Magistratum deferretur: is in auctores sic aliquoties animaduertit: vt & honori congregationis consuleret, & inposterum omnes à talibus conuitijs deterreret: quæ fama varia per loca dissipata dimanauit Aquisgranum: vbi cum similis instituti sodales contumelijs æqualibus appeterentur senatus Aquensis consulto prius Magistratu Colonienſi, pari ciues suos mulctauit pœna: & improborum ilico compescuit audaciam.

in sedando tumultu:

& eliminanda hæresi:

calumniatores plectuntur.

Fauebat sodalium studijs is, quem antea nominaui Ioannes Hadenradius sextum decimum, quod vix vlli ante ipsum contigit, consul: verus Colonienſis Reip. Pater Patriæ: nam difficillimis temporibus nactus clauum ciuitatis, contra tempestates ab Hæreticis excitatas: contra ciuium seditiosorum procellas, Regum etiam exterorum machinationes bellicas sic feliciter moderatus est sapientiâ sua, fortitudine inuicta animi, & constantia, vt pacatam moriens patriam, florentem, vegentemque reliquerit præcisa hæreticis spe ius ciuile Coloniæ consequendi: is & nomen SS. Regum Sodalitio dedit: & extrema decrepitaque senecta Dominicalem cœtum hebdomadatim frequentare magno sodalium exemplo voluit.

Ioannis Hadenradij consulis fortitudo.

& pietas.

Erat iam tum à primordijs nascentis Sodalitatis pia consuetudo in solenni Theophoria Venerabili Sacramento centenis aliquot facibus prælucere: qui ordo cum quotannis augeretur, & nimium videretur Clerum à diuinissimo ferculo se iungere, maluit anno 1638. Clerus sodales abesse, quo non interruptus Religiosorum & Ecclesiasticorum cœtus ipsi sacerrimæ hostiæ simulque Pontifici sempiterno Christo coniungeretur.

tripartitio eiusdem sodalitij

Sed cum loci angustiæ non caperent ciuium sodalium frequentiam, primo Præsidum voluntate secessionem ab ijs facere coacti sunt adolescentes opifices non coniugati: quorum statim numerus sic creuit; vt iam etiam illorum totidem quot ciuium, quingenta capita censeantur: licet & ab his pueri, qui opificijs addiscendis applicantur fuerint sequestrati: ita tribus iam diuersis in locis eodem ferè tempore sodales sub sanctorum trium *Regum* auspicijs hebdomadatim pijs officijs exercentur, multi tamen adhuc spatijs locorum excluduntur.

Hac ratione magnum cultus SS. Regum Coloniæ sumsit incrementum: festa etiam duplicia tam Epiphaniæ, quam translationis: alias satis neglecta, solennius peraguntur, sodalibus tunc vel intra octauam eorum sacra synaxi refectis, tymbos eorum piè inuisentibus, qui modo per vrbis totius plateas & tribus sparsi salis instar condiunt

ciuitatis

ciuitatis pietatem,& facem vicinis suis praeferunt ad omnem honestatem, & fugam vitiorum.

CAPVT LXXIV.

Nouum figmentum Iacobi de Auzoles A.1638.publicatum: Tres Euangelicos Magos non alios fuisse, quam Melchisedech, Enoch & Eliam, qui ex Paradiso profecti Christum in cunabulis adorarint, exploditur.

communis sententia

HACTENVS auctore S. Matthæo, interpretibus sanctis Patribus & Doctoribus adsensu magno summorum Pontificum, & Ecclesiæ totius Catholicæ fuit, vt nouem libris ostensum est, creditum, S. Matthæum historico more veras Euangelicorum Magorum res gestas de viris ea ætate degentibus in orientalibus plagis recensuisse, qui mortales essent, & Gentiles, qualibus Balaam stellam oriturum fuerat olim vaticinatus. Ideo nemo vnus vnquam ante ætatem nostram dubitauit, quin hominum more Reges Gentiles illi inter homines vixerint, & mortui fuerint, quorum supersse corporum cineres & reliquiæ possint: ideo cultum, translationem & translationis eorum festa Pontifices Romani probarunt, & indulgentijs pleniss. mis eorum cultores cumularunt.

nouis inuentionibus oppugnatur.

Sed hunc orbis totius orthodoxi mille & sexcentorum fere annorum consensum & cultum corporum SS. Regum conuellere recens nouator quidam nititur Jacobus D. Auzoles, vulgatis quatuor libris, quos A. 1638. editos Epiphaniam & nouas inuentiones congrue nominauit. Negat is à S. Matthæo referri viuorum mortalium historiam; sed visum Paradisiacorum, & cœlestium hominum, qualis in transfiguratione Dominica fuit duorum tantum Moysis & Eliæ, nunc verò trium Enoch, Eliæ & Melchisedec, & hunc quidem facit Adamo seniorem, & immortalem, Paradisi tamen cum Enoch & Elia inquilinum. Nouum hoc commentum (quo mirificè sibi placet, vt vnum sibi primum diuino munere inspiratum) quatuor libris

quatuor libris.

1. persequitur: primo Christi progenitorum seriem per singula secula ab orbe condito deducit ad Epiphaniam vsque labore, quantum ad hanc rem, prorsus supervacaneo.

2. Libro secundo placita sanctorum Patrum & sententias de tribus Regibus ordine temporum recitat, notat eos Aristarchi censurâ; plerosque confutat, ac erroris, vel vanarum coniecturarum arguit, pauca in quibusdam, nec nisi velut probabiliter adserta recipit, præsertim ea, quæ possint nouitio commento suo patrocinari. Libro tertio reiectis omnium conciliorum SS. Patrum, Doctorum, interpretum & scriptorum explicationibus, propriam adfert reliquis omnibus, vt sibi videtur, meliorem, aptiorem, veriorem, stellam non in orientalibus cultis à mortalibus regionibus, sed in Eden & ipso paradiso primum emicuisse, indeque Melchisedecum, Enoch & Eliam Solymam perduxisse, quos solos agnoscit primos adoratores Christi nomine Magorum significatos. Hic contra sanctos Patres, Doctores & interpretes omnes triumphum canit, nouæ tandem, veræ, solidæque repertæ interpretationis gratesque diuino numini canit pro eo sibi vni cœlesti communicato lumine. Probat autem figmentum nouum hoc firmamento: Viuebant tres illi viri cœlestes omnium, excepto Christo & Ioanne, sanctorum sanctissimi, & sapientissimi in paradiso, quod de Enoch & Elia è scripturis: de Melchisedeco colligit è S. Pauli c. 7. ad Hæbreos: erant autem ad hoc munus aptissimi: ergo illi electi sunt, non alij, vt Christum adorarent.

His præmissis libro quarto Colonienses proponit orbi terrarum ridendos & exsibilandos,

4. qui vnico soloque Wilhelmi Neubrigensis Anglicani scriptoris (qui floruit A. 1200) testimonio nixi, putant se corpora SS. Trium Regum Magorum Euangelicorum seruare cum ij viui paradisiacis delicijs perfruantur: hunc autem Neubrigensem vndecim etiam alijs scriptoribus imposuisse, qui idem senserint, eius auctoritate freti, licet ipsa narratione pugnent inter se: vt si Daniele arbitro lis decidenda

pienda esset lapi dandi viderentur: sic nugatur è sacris codicibus & historijs nouator ille, velut vanitatis & nouitatis auidissimus, ita vertumno Proteoque mutabilior: qui enim in alio libro communem Patrum de tribus Regibus sententiam, vt ipse fatetur, fuisset amplexatus, & vt ex Saliani tomi 5. præfatione constat, prius Enochum eundem cum Melchisedech adseruisset, confixus eius solidis argumentis, quomodo sine patre fuisset, cuius progenitor Iared & filij Mathusalem in scripturis nominantur, nouum commentus est figmentum, iamque Melchisedech cœlestem facit hominem, ante Adamum conditum à Deo solo. Primum Nouatoris huius non leue delictum est, quod illud laudi sibi vertat, indeque gloriam vanam aucupetur, quod in orthodoxo maximè reprehenditur ab Hagiographis, arguitur à sanctis Patribus, damnatur à concilijs œcumenicis & summis Pontificibus, nouas diuinorum librorum interpretationes contra receptam SS. Patrum, Doctorum & interpretum concordem mentem & Ecclesiæ totius sensum testatum & probatum inducere in rebus, quæ fidei morumque doctrinam attingunt. legantur 3. & 4. liber, pleni istis nouarum inuentionum suarum laudibus & admirationibus: nam eas Copernicanis comparat a libi subtilitatibus, quæ placere doctis scribit, licet scripturis & Ecclesiæ definitioni aduersentur. Heu periculosum imo falsum: & impium dictum: quomodo enim cordato, sapientique viro figmentum arrideat, quod scit perspicuæ certæque veritati repugnari. hoc temerario sed ab Hæreticis omnibus plerumque iacto fundamento, quidlibet audet contra sensum Patrum effutire: quod pridem sacræ paginæ diruerunt, dum veterum Patrum calcatis monent insistendum esse vestigijs Pro. 22. 28. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*: fieri alias non poterit, quin per auia ductus, tandem serius deprehendas in salebras te incidisse: vnde te nunquam valeas expedire. Id ne lugeas, Iermias c. 6. 16. suadet initio suscepti itineris hoc modo præcauendum esse. *State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate, in ea, & inuenietis requiem animabus vestris*. Ita Sapiens consulit seniores esse dubijs in rebus audiendos: *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intelligentiam, & in tempore necessitatis dare responsum*. Id quia difficile iunioribus est, cum vanæ scientiæ typho cœperint inflari, cautè S. Paulus monet Timotheum, vt ab ipsis vocum nouitatibus, nedum inusitatis interpretationibus abstineat: *Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Heu quã multis lapis offensionis & petra scandali*: fuit caput 7. ad Hæbreos; dũ enim vana tumidi scientia contra veterum Patrum sensum, nouas eius commenti sunt explicationes fidei fecerunt naufragium, vel errores pernicioſissimos inuexerunt; nec vulgaris eruditionis viri, sed orientalis etiam Ecclesiæ lumina Didymus & Origenes qui incautè Melchisedecum Angelum fuisse putauerunt. Vidit & præuidit ex hac ipsa petra plurium futurum vel certè pertimuit lapsum S. Epiphanius vnde toties hic in Melchisedecianis hæresibus, quoties in nulla ceterarum, curiosis ingenijs inculcat lapsus hæreticorum originem, *Studium nouitatum*, dum terminos patrũ præscriptos temerè transiliunt, quos ita clarè distinctéque numerat vt percuperem Nouatorem nostrum huic perito gubernatori credere, sique securus ad huc in Petri nauicula prouehitur, naufragosas cautes declinare. *Termini*, ait, *nobis positi sunt & fundamenta; & structura fidei; & Apostolorum traditiones, & scripturæ sacræ, & cœlestis doctrinæ propagata successio (per Patres & Doctores) & Dei veritas vndequaque munita; proinde nemo se nouis fabulis in errorum abduci patiatur.*

nconstantia Nouatoris.

repugnat SS. Patribus.

concilijs. consensui Ecclesiæ.

vana gloriatio eiusdem.

contrarietas scripturis: *Pro. 22.*

Ier. 6.

Eccl. 8.

Timoth. 6: 20.

periculosa

S. Epha:

Hæc sunt firmissima Petrinæ fidei, nauisque munimenta, quibus quicunque cingitur, dum traditionibus Apostolicis, Canonicis diuinisque literis, eorumque cœlesti prorsus interpretationi adhæret, quam per SS. Patrum Doctorumque locorum omnium & temporum concordem sensum continua successione velut per manus nobis traditam inde ab Apostolorum tempore propagatam certam & immutatam sola tenet Ecclesia Catholica, *columna & firmamentum veritatis*: non est cur is naufragium pertimescat: at quisquis terminos hos à Patribus, imo Spiritu S. definitos, transilit, in scopulos naufragus incurrat necesse est: concilium Tridentinum

num doctum experientia quantas animarum strages nouitas explicationum sacræ scripturæ tota Europa suo tempore passim ederet, vt stantes firmaret, ne præcipitates ijsdem erroribus absorberentur, hoc decreto petulantibus, tumidis & insolentibus ingenijs frenum imposuit. *Ad coërcenda petulantia ingenia decernit, vt nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium scripturam sacram ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra vnanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi huiusmodi elucubrationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent, qui contrauenerint ab ordinarijs puniantur*, idem spondent, vouent & iurant omnes staturos se Patrum vnanimi consensui circa sacrarum scripturarum interpretationem, quotquot fidem publicè iuxta Pij 4. formulam profitentur. Tenent enim omnes orthodoxi, non solum Ecclesiam Catholicam verum habere canonem librorum diuinorum, sed legitimam eius insuper versionem & interpretationem, quam in rebus dubijs Ecclesia solet iuxta consensum vnanimem SS. Patrum definire. Et audet Nouator iste vanè gloriari, se recitatis ante cunctis SS. Patrum, Doctorumque sententijs ijsque reiectis & confutatis, nouam hactenus orbi incognitam reperisse, ceteris omnibus veriorem & probabiliorem, hocque commentum suum nouum cum Copernicanis subtilitat bus comparare: quod alijs scriptis ad me literis delirium fabulas, alij & nugas inanissimas iure nominauit? præsertim cum ante 20. annos Salianus noster eiusdem temeritatis eum arguerit. *Id gloriæ sibi vertere, quod homini modesto pudori esse debeat, timori etiam Christiano.* An forte negabit hic res morum fideique desceptari? Quid magis obsecro à morum saniore doctrina alienum, quam corpora, quæ summi Pontifices Ioannes 22. & Bonifacius 9. iuxta consensum orbis Christiani suo tempore diplomatis editis esse SS. Magorum Euangelicorum, qui Christum in cunis adorarunt, decreuerunt, quorum cultum laudarunt, miracula probarunt, fideles ad eum augendum & templum eis magnificentissimum erigendum oblatis indulgentijs maximis prouocarunt; festum translationis eorundem instituerunt vel approbarunt, horum inquam SS Regum corpora suppositia facere, negare tres illos Magos Euangelicos mortales aliorum more vixisse, vel corporis molem vnquam deposuisse, contra sententiam vnanimem omnium SS. Patrum & interpretum: errasse Pontifices Maximos, vnum Neubrigensem auctorem orbi terrarum primo imposuisse, nunc tandem Iacobi D. Auzoles inuentâ nouâ sententiâ illi vni cœlitus singulari diuino munere inspiratâ, silentium veteribus Patribus, Doctoribus, interpretibus indicendum, antiquandam concilij Tridentini secus sentientis sanctionem, conuellenda summorum Pontificum diplomata, nec hoc dicemus à doctrina morum alienum? In rebus etiã fidei versari se non debet Nouator, minus dubitare, cum fontis ipsius nouam cudat explicationem, & ex ea deducat hactenus inaudita Catholicis dogmata, è quo fonte malè delibato complures hæreses olim pullularunt. Locum Apostoli recitemus. *Hic enim Melchisedech Rex Salem sacerdos Dei summi sine patre, sine matre sine genealogia neque initium dierum, neque finem vitæ habens, adsimulatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetũ.*

damnata à conciliis.

Trid ses. 4.

præfat. cit. Agit in doctrina morum.

arroganter contra omnes SS. Patres.

& de rebus fidei.

Locus Apostoli controuersus.

Hebr. 7.

Vide præfationem a. Salanus n. 10. 5. Melchisedech fuit homo & origine gentilis ex sententia SS. Patrum *S. Dionys. c. cæl. hier.*

In Græco textu vocatur Melchisedech à S. Paulo ἀγενεαλόγητος cuius genealogia non est descripta: nam τὸ ἀγενεαλογῆτον significat non recensere vel describere genus alicuius, non autem eo carere propterea Syrus ita vertit: *cuius nec Pater, nec mater scribuntur in generationibus, neque initium dierum eius, neque finis vitæ ipsius*: vel non numerantur in generationibus Iudæorum. Subdit autem S. Paulus eodem sensu *Cuius autem genealogia non adnumeratur in eis*: quibus verbis ij confutantur, quotquot cum Hebræis eum faciunt eundem cum Semo; & Nouator noster, qui mira metamorphosi cũ Enoch confudit ante complures annos Melchisedecum, cuius progenitores & posteros diserte scripturæ recensuit. Vnde iam Proteus aliam indutus formam eum Adamo facit antiquiorem, de quo postea.

Est igitur communior SS. Patrum consensus, Melchisedech origine Chananæum Gentilem fuisse, vti præclarè S. Pauli discipulus S. Dionysius Areopagita tradidit

didit. *Considerare licet Melchisedech illum carissimum Deo; qui nequaquam inanium Deorũ; sed altissimi, æterniq; Dei sacerdos fuit: non enim sine ratione illustres diuina sapientia viri Melchisedech non modo amicum Dei, verum etiam sacerdotem Dei appellarunt: scilicet vt prudentioribus aperte indicarent, non modo ipsum ad verum sempiternumque Deum conuersum esse, verum & ceteris ad veram solam, supremamque Deitatem prouehendis auctorem.* Cum Dionysio facit coæuus ei S. Ignatius Martyr & Irenæus cum alijs, quorum ante suam ætatem catalogum ita texit S. Hieronymus. *Verti me ad Hippolytum, Irenæum, Eusebium Cæsariensem & Emissenum, Apollinarem quoque nostrum, & Eustathium, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit, & deprehendi horum omnium opiniones diuersis argumentationum, & diuerticulis ad vnum computum peruenisse, vt dicerent Melchisedech hominẽ fuisse Chananæum, Regem vrbis Hierosolymæ.* Idem communem hanc facit Hebræorum sententiam Regem fuisse Solymorum, quod multis in locis confirmat Iosephus, nec dissentit Philo: sicque Chaldæus paraphrastes Melchisedech Regem non Salem, sed Ierusalem nominauit: vt figura clarior appareret Christi, qui ibidem à ligno regnaturus incruentum instituit sub speciebus panis & vini sacrificium secundum ritum Melchisedeci.

S. Ignatius
S. Irenæus
S. Hier ep. 126. ad Euang.
Hippolytus.
Eusebius Cæsariensis & Emissenus.
Apollinaris
Eustathius.
Rex Solymorum idem ex sent. Hebræorum.
Iosephi.
Philonis
Parentes Melchisedeci.
ætas & mors eiusdem.
SS. Patres omnes faciunt verũ nomen.

Vnde nec defuerunt, qui parentes eiusdem libris sacris omissos, ex traditione veteri recensuerint: S. Epiphanius *patre Heracla, matre Astaroth (vl Asteria) genitum* ex alijs refert. Suidas autem ait *Chananæum fuisse ex Side filio Regis Aegypti, vel Libyæ, ex detestabili satu progenitum ideoque genealogiam eius esse innominatam.* Hebræi quoque cum Eustathio Antiocheno volunt genus eius non esse recensitum, quod scorti filius existitisset. Probat autem natione fuisse Chaldæum Suidas ex eo, *quod in climate Chananæo regnauit, & quod improbissimis Sodomis vicinus fuit, tum etiam quod Salem, cuius Rex erat celebris illa est Ierosolyma:* quæ repetit Oecumenius. ætatem eiusdem Suidas recensет *Melchisedech*, ait, *sacerdos Dei Rex Chananæorum: is vrbem in monte Sionis condidit, Salemque dixit, hoc est Irenopolim pacificam, in qua cum regnasset annos 115. obijt vir illustris, & virgo.*

Scriptura historico more narrat eius occursum cum Abrãha.

Itaque verum faciunt hominem & mortalem ceteris similem omnes sancti Patres, Doctores, interpretes, & Hebræi & præter citatos Anacletus, Clemens, Cyprianus, Arnobius, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus, Egesippus, Theophylactus, Rupertus, Abulensis, Nicætas, Nazianzenus, Cæsarius, Anselmus. & recentiores innumeri.

Nam hactenus nullus, quod sciam orthodoxorum sensit aliter: nisi quos Ecclesia, vt Origenem, damnauit erroris, vel hæresis. Vnde periculosum est ab sanctorum Patrum, & totius Ecclesiæ trita semita deuiare.

Et sane quisquis Abrahamiticam victoriam in Genesi, narratam historico more à Moyse, legit, non potest dubitare, quin eius ibidem verba proprie sint & historicorum modo, vt sonant, intelligenda, sicut qui Matthæum de Magorum adoratione voluerit; Moyses enim inducit Melchisedech, vt verum hominem & loci Salem, qui in regione ista vulgo celeberrimus & postea semper fuit, Regem, Abrahæ reduci occurrentem, cum eo loquentem, victoriam gratulantem: ideoque Deo sacrificium factitantem: sicut Magorum gesta Matthæus omnia refert, vt nemo dixerit hactenus orthodoxorum, siue quæ Magi fecerunt per repentinum eorum visum aliis exhibitum facta esse, quo finito euanuisse & inter homines esse desijsse: quot quoties scriptura de Onia & Ieremia vel de Elia & Moyse in transfiguratione refert, disertis solet verbis exprimere.

S. Pauli locus à SS. Patribus eodem modo exponitur.
S. Hieron.
S. Ambros.
S. Chrysostomus.
Theophylactus.
S. Epiphanius.

Quid ergo dicemus de loco Apostoli Hebræorum supra recitato? Mirè sancti Patres, Doctores, interpretes, omnium seculorum & locorum & vniuersalis Ecclesia Catholica consentiunt in eiusdem expositione. S. Hieronymus, quem de verbo ferè transcripsit S. Ambrosius, ex Irenæo, Hippolyto Eustathio, & veteribus ante se Patribus, hanc concordem adfert explicationem. *Iste Melchisedech*, ait, *id est Rex iustus, Rex fuit Salem, id est Rex pacis, sine patre, sine matre, & quomodo hoc intelligendum sit, vno statim verbo explicatur* ἀγενεαλόγητος *non quod absque patre & matre fuerit, cum Christus quoque secundum vtramque naturam, & patrem habuerit, & matrem: sed quod subito introducatur in Genesi, occurrisse Abraham à cæde hostium reuertenti, & nec antea, nec postea eius nomen feratur adscriptum.* Fusius id S. Chrysostomus persequitur: locum vnicum breuiorem excerpo: *Adsimilatus autem filio Dei: vbi est similitudo? quod & huius & illius finem ignoramus, & initium: sed huius quidem ex eo, quod non sint scripta: illius verò quod non sint.* Paria Theophylact. habet. *Quemadmodum enim Melchisedech sine patre & matre est, non quod non habuerit patrem aut matrem; habebat enim etiam ipse, vt mortalium vnus; sed quia generis eius ratio, & deductio non est contexta apud scripturam:* 36. pro hac interpretatione testes laudat Salianus; alij plures: mihi sufficit ostendere primos Apostolis proximos Patres medios cum recentioribus innumeris consentire. S. Epiphanium nefas sit præterire, ob moratam, quam Nouatoribus subiungit & perutilem monitionem. *Melchisedech homo vtique fuit, Patris verò & matris expers dicitur, non quod ambobus istis caruerit, sed quod nulla sit illorum in diuinis literis expressa mentio. Sanè quam plurimos profunditas scripturarum & claritudo omnem humanæ naturæ mentem excedens decepit: nam Hæretici cum sapientiæ & dignitatis plenas voces Scripturæ audüssent, ad vecordiam traducti sunt, ac mente insolentius elati veritatis viam dereliquerunt, adeoque nihil illos sibi præter fabulas finxisse planissimè conuincemus.*

Hæresum origo ex profunditate script. & nouis interpretationibus.

Errores & hæreses ortæ Melchisedecianorum ferè sunt ex nouis Hebræorum 7. capitis interpretationibus non ex mente SS. Patrum & Ecclesiæ; sed proprio cuiusque fanatico sathanicoque spiritu profectis: qui quoniam varius est, in varios errores abierunt: vt enim omittam Originem Didymumque de quibus dixi, quod inde Melchisedech Angelum non hominem esse putauerint.

Inde Melchisedecianorum variæ hæreses.

Duco Hieracc.

Primus Hierax Melchisedech credidit esse Spiritum S. seductus cum suis literæ sensu Apostoli; quod bellè notat hoc modo Epiphanius *Aliud nonnulli de eodem Melchisedeco somniant. Eiusmodi enim homines carnaliter examinant, cum spiritualiter ea, quæ ab Apostolo dicta sunt in epistola ad Hebræos nequaquam intellexerint, Quam obrem Hierax Melchisedecum Spiritum esse Sanctum existimat, quod ita de eo scriptum sit, adsimilatus filio Dei &c.*

Ob literæ ineptam explicationem.

Deinde Theodotus, quidam & alij virtutem quandam cœlestem nominarunt, ipso Christo propterea sublimiorem, quod Christus sit, vt inferior, secundum huius ordinem sacerdos institutus, quasi Melchisedech sit Angelorum: Christus vero tantum hominum aduocatus.

2a. Theodato auctore.

Tertio fuerunt nonnulli, qui Melchisedecum ipsum Dei filium nuncuparent: horũ Epiphanius, tacitis auctorum nominibus, meminit: in vitis autem Patrum eius erroris habemus luculentam historiam, in qua S. Cyrillus singulari prudentia simplicem anachoretam, etiam cœlestibus prodigijs nobilem, deceptum tamen, reduxit in viam. *Daniel*, ait auctor, *narrauit de magno sene, qui habitarit in inferioribus partibus Ægypti, quia diceret per simplicitatem, quod Melchisedech ipse esset filius Dei. hoc autem indicatum est S. æ memoriæ S. Cyrillo Archiepiscopo Alexandrino de illo, & misit ad eum, sciens autem, quia signifer esset senex, & quidquid peteret à Deo reuelaretur ei & quia simpliciter diceret hoc verbum, vsus est huiusmodi ratione, dicens: Abba, rogo te, quia in cogitatione mea est, quod Melchisedech ipse sit filius Dei, & rursus alia cogitatio mea dicit, quod non sit Deus, sed homo sit, & summus sacerdos fuerit Dei. Quoniam hæsito de hoc, idcirco missi ad te, vt deprecereris Deum, quatenus tibi reuelare dignetur de hoc, quid veritas habeat. Senex autem de conuersione sua præsumens, cum fiducia dixit: Da mihi tres dies inducias, vt ego deprecer Deum de hac re, & renunciabo tibi, quid mihi fuerit reuelatum de hoc: intrans ergo in cellam suam deprecabatur Deum de verbo hoc: & veniens post tres dies dixit S. memoriæ Cyrillo Episcopo: certo scio Melchisedech non esse Deum. Archiepiscopus respondit, quomodo constat apud te Abba. & ille dixit ei: Deus ostendit mihi omnes Patriarchas, ita vt singuli eorum coram me transirent ab Adam vsque ad Melchisedech* (notet hoc Nouator noster) *& Angelus mihi adsistens dixit. Ecce iste est Melchisedech: Et ita Archiepiscope certus esto, quod sic est: Abiens autem senex per semetipsum prædicabat, quia homo est Melchisedech, & grauissus est magnifice* S. Cyrillus Episcopus: probat & recenset eandem historiam Baronius, Rosweidus & complures alij: qua diuinitus monstratum est eum cum Patriarchis omnibus ex Adamo, vel eius posteris esse proseminatum: vt etiam dicitur Act. 17. de Deo: *fecitque ex vno omne genus hominum habitare super vniuersam faciem terræ.*

3a.

Vita Patrum de prudentia & contemplat. S. Cyrillus prudentia sua curat errorem Anachoretæ.

Melchisedech homo fuit ex Adami posteris natus. *Baro. to. 6. An. 444. Act. 17. 26.*

Ita viros doctissimos & sanctum etiam hunc anachoretam verborum Apostoli litera fascinauit: vt qui nolit horum casu præceps ruere, necesse sit vt intra terminos, à sanctis Patribus nobis circũscriptos se contineat: vnde repeto S. Epiphanij recitatam monitionem. *Termini nobis positi sunt & fundamenta & structura fidei, & Apostolorum traditiones, & scripturæ sacræ, & cœlestis doctrinæ propagata successio, & Dei veritas vndequaque munita: proinde nemo se nouis fabulis in errorem abduci patiatur.* Cum soli Ecclesiæ & SS. Patrum consensui Deus hanc adsistentiam Spiritus S. promiserit: vnde monet Apostolus, talia loca non ad literam esse intelligenda: *Nã animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi & non potest intelligere, quæ spiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia & à nemine iudicatur: quis enim cognouit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.* Habet hunc sensum Christi consensus vnanimis Patrum & Doctorum Ecclesiæ, quisquis in tam periculosa materia fidei, qualis hæc profecto est, declinat ad fabulas, incidet in errores, de quibus Apostolus. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autẽ conuertentur.* Quocirca in sensu literæ perueſtigando loci tam lubrici, qui tot præcipites egit Iacobe Dauzoles.

Insistendum interpretationi communi Patrum & Eccliæ. 1. Cor. 2. 14.

cauenda noua expositio ad literam.

2. Tim. 4.

Periculosa plenum opus aleæ
Tentas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso

Periculosum docere Melchisedech esse creatum ante Adamum.

Suadeo pedem, vt continuo reuoces: declinasti quidẽ Hieracis, & Theodati Melchisedecianorũ hæreses: errores etiam Origenis & Ægyptij senis anachoretæ: vide ne similes incautum mergant salebræ, vel maiores etiam, dum Melchisedecũ hominem Adamo facis seniorem, à Deo solo procreatum. Amicè moneo, digitũ intendens in scripturæ loca, quæ videntur huic adsertioni apertè repugnare si propriè, vt debent accipiantur.

Hero

1. Quomodo ergo primus homo vocatur Adam 1. Cor. 15 45. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus in spiritum viuificantem.* S. Tim. 2. 13. *Adam est primus formatus.* Sap. 10. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo, pater orbis terrarum cum solus esset creatus, custodiuit.* Si eum præibat tunc viuens Melchisedech? 2. Quomodo vera sunt illa Gen. 2. *Adæ non inueniebatur adiutor similis. Non est bonum esse hominem solum, tulit Deus hominem & posuit in paradiso:* cur non homines: nam & Melchisedech sententia Nouatoris ibidem positus est?

catuit simili.

terrenus præcessit cœlestem.

3. Primo cœlestis homo (ita Melchisedecum vocat) conditus esset, postea terrenus contra Apostolum 1. Cor 15. *Sed nō prius, quod spirituale est; sed quod animale: deinde quod spirituale, primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cœlestis.*

consultat SS. Trinitas de Adamo condendo.

4. Frustra consultaret S.ma Trinitas die sexto: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,* qui, iam conditus erat. Cessant iam rationes SS. Patrum, Doctorum & Theologorum, cur Deus sexto voluerit die creatis ceteris alijs hominem condere: quærenda nunc causa, cur plures voluerit creare viros ante feminam: quosdam ante cetera opera, alios post omnia. Sed hic nodus inexplicabilis circa Melchisedecum inuoluitur nouus.

Melchisedech quando creatus?

Quæro enim: Quando creatus sit Melchisedech ante Adamum: non die 1. 2. 3. 4 5. neque sexto cum Adamo: tunc enim initium dierum cum Adam habuisset, contra literam capitis 7. ad Hebræos, quam tuetur & explicat de Melchisedech: ergo ante mundū conditum: vel igitur ab æterno contra scripturam, 2. Mach 1. *Solus es bonus, omnipotens & æternus* &c. Firmiter de summa Trinitate; vel in tempore imaginario ante mundum conditum, contra idem caput ita decernens. *Qui simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam:* vbi glossa, *Quia prima die Angelos creauit & sexta die creauit homines.* Item contra illud Eccl. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul:* ergo nihil creauit ante mundum, vel ab æterno, si autem cum mundo, ergo cum initio dierum vel temporū. Multa sequuntur ex hoc capite absurda, & cum scriptura pugnantia 1. Melchisedech non peccasse in Adamo: corrigantur ergo scripturæ Ro. 3. *omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei.* Ro. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* 2. Melchisedech, non peccasset actu & re ipsa: semper enim vt Enoch & Elias modo, vixisset sine peccato in Paradiso & S. Aug. actuales nostros lapsus adscribit originali peccato: *Propterea nullus est hominum, qui peccatum non fecit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominū præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu,* 3. Solus hominum non esset redemtus à Christo:

non ab æterno

nec interim pore imaginatio.

nec cum mundo.

non peccasset in Adamo.

nec vnquā actu & re ipsa. *S. Aug. l. 5. contra iulia. c. 15.*

non esset redemtus

4. Poterunt deinceps Hebræi S. Paulo respondere, non opus fuisse aduentu Christi sacerdotis: erat iam alius sacerdos *sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus, qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis, hostias offerre: deinde pro populo. &c. semper viuens ad interpellandum pro nobis.*

non opus fuisset Christo. *Hebr. 7.*

5. Malè toties Adamo terreno homini cœlestem hominem Christum opponeret, cum Melchisedech cœlestis item homo sufficeret isti oppositioni: possetque deinceps rudior Theologus existimare Melchisedech sat aptum fuisse redemtorem hominum, nec adeo necessarium fuisse, vt verum corpus humanum indueret.

6. Daretur homo immortalis, carens initio & fine temporis, contra ps. 88. *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem?* Hebr. 9. *Statutum est hominibus semel mori,* *omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur.* Eccl. 17. *Deus creauit de terra hominem, & iterum conuertet illum in ipsam; numerum dierum & tempus dedit illi.*

Esset immortalis.

Hic homo Melchisedech multis in rebus esset Christo præstantior, & aptior mundi sacerdos, vt stolidè dicebant Melchisedeciani 1. duratione, caret initio & fine: vnde semper homo pro delictis hominū interpellasset. 2. corpus habuisset tantū incorruptibile, & immortale, Christus etiam mortale: 3. Melchisedech existimatus fuisset archetypus, & filius Dei naturalis, Christus autē sacerdos secundū ordinem eius: vnde multi cum Melchisedecianis potius Melchisedech quam Christo homini facerent oblationes. Hoc vltimum, vt euadat, fingit Christum bis hominem esse factum, primo cœlestem cum Melchisedeco ante, vel sub initium mundi; tum terrenum cum natus

Christo in multis excellentior.

Petau. to. 3. Theolog. dogmatum l. 1. C. 4. Censura huius sententiæ.

tus est è virgine, quæ fanatici hominis impia dogmata conuellit egregiè Petauius noster, quem postquam hæc scripseram, accepi: sed prius deliri capitis nugas meritò sic proponit, & exsecratur: *Verum non est omittendum hoc loco portentum quod et barbaræ opinionis ac putidæ, imo verò pestilentis ac nefariæ, quosdam homines ante Adamum, & initio conditi orbis exstitisse, nullo humano satu in mundum editos, sed ab ipso Deo procreatos. Huius auctor ipse librum quendam edidit nuper, quem Epiphaniam inscripsit: in quo de tribus Magis anilem & insulsam fabulam texuit: hos enim tres istos esse defendit, Henochum, Melchisedecum & Eliam. Tum ae Melchisedeco ita sentit: cælestem hunc hominem esse, hoc est non terreno, sed cælesti conflatem corpore, qui non ex Adami stirpe descendens, nec humano satu editus, ante Adam ipsum, imo ante lucis exortum, primumque diem procreatus est à Deo. Et quoniam de Melchisedeco scribit Apostolus, adsimilatum hunc esse filio Dei, consequens putat, Filium Dei paulo ante Melchisedecum vnum esse factum è cælestibus illis hominibus; de quibus loqui Paulum existimat ijs verbis:* Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo, cœlestis. *Hinc enim concludit duo esse genera hominum, vnum terrenorum, qualis fuit Adam: alterum cœlestium, cuiusmodi Dei filius exstitit, itemque Melchisedecus. Vtrumque ergo ante Angelos, ac lucis ortum, hoc est ante primi operà diei à Deo productum adserit. Et ad hanc priorem cœlestemque natiuitatem in tempore factam referri Dauidis illa verba contendit.* Ex vtero ante Luciferum genui te: *hoc est ante creatos Angelos, siue ante lucem, quæ mundo diem attulit. Hæc ille de quibus exclamare cum Augustino libet.* O portentum non solum

Christum fingitbis esse factum hominem.

1. Cor 15. 47.

semel cœlestem ante mundũ. *S. Aug. l. 2. contrà adu. leg. c. 2.*

cum Hæreticis.

à Christianorum auribus, verum etiam à finibus Christiani orbis arcendum! *Quod monstrum sanè multiplex & ex varia fœdissimarum hæresum colluuione constatum. Primum enim ex Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorumque secta virus hoc expressit, vt Christo cæleste corpus affingeret. Deinde istos ipsos doctores & magistros suos etiam improbitate vicit, dum eundem Dominum Iesum bis hominem esse factum putat: primum cælestem, cum cæleste corpus induit sub orbis initium: deinde terrenum, cum carnem adsumsit è virgine. Tertio tam Christum, quam Melchisedecum, adeoque genus illud hominum nescio quod, aliunde quam ex Adamo propagatum existimet: quod sanè dictu est nefas: & cum scriptura ipsa pugnat:* quæ ex vno omne genus hominum *ortum habuisse significat, & Ecclesiastici* 33. omnes homines de solo & ex terra, vnde ortus est Adam: *non vtique de cælo. Item* Per vnum hominem peccatum in hunc nundum intrasse, & per peccatum mortem: & ita in omnes homines pertransisse mortem. *Atqui commentitij ac fabulosi homines illi, qui de cælo sumunt originem, vti nihil habent commune cum Adamo, sic ab eo peccatum nullum, neque mortis legem, conditionemque traxerunt: neque pro illis denique mortuus est Christus. Quas horrendas & Christianis detestandas auribus, ac plusquam hæreticas blasphemias, commemorare, confutare est. Agemus de ijs, cum aduersus pristinos illarum inuentores, quos modo nominaui Valentinianos, Manichæos, cetera, que pestes de vera Christi incarnatione disputabimus: quemadmodum aliam inista fæce ac barbarie latentem hæresim alibi iugulauimus, quæ locum illum psalmi* 109. Exutero ante Luciferum genui te: *non ad sempiternam Verbi generationem, qua Deus de Deo natus est; sed ad falsam illam absurdamque pertinere statuit, contra communem Ecclesiæ Catholicæ ac Patrum & Doctorum omnium concordemque sententiam. Nam quod cæleste nescio quod genus hominũ ab ipso satu, & ob corpus à cælo delibatum vel ætherium ab Apostolis nominari Melchisedecianus statuit, crassa, hæc insciti a est; & incredibilis stupor. Legeret, quæ antecedunt, verba illa Apostoli, & quæ sequuntur: statim hallucinationẽ suam deprehenderet: Paulus isto in loco de resurrectione corporum, eorumque statu, quæ ad potundã immortalitatem resurgent, ea spiritualia ex animalibus fore dicit. Nam præcedere id debet, quod animale est quod verò spirituale est, subsequi. Sicut grana frumenti, quæ seruntur, prius natiuum, & ab origine acceptum corpus habent, deinde corrupta, ac resoluta in nouã adolescunt segetem, & in alio corpore reuiuiscunt. Ita corpus hoc nostrũ prius est animale atque concretum, postea cũ à mortuis excitatum fuerit, spirituale fiet. Est enim corpus animale, & corpus spirituale:* Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale: *hoc verò probat in duobus hominibus Adamo primo homine & Christo secundo.*

poſtea mortalem contra ſcripturam *Act. 17. 26:*

Ro. 5. 12.

cum hæretica blasphemia.

psal. 109.

fundamentum eius, ex Apostolo conuellitur.

1. Cor. 15. 46.

Primus

Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. *Tu paulo-post.* Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis. *Manifeſtum eſt ex tota illa ſerie orationis Apoſtolicæ corpora illa cœleſtia & ſpiritualia, hominesque ſpirituales poſteriores eſſe terrenis, & horum caput Adamum, illorum capite Chriſto prius, & antiquius. Quid igitur aduerſus Apoſtoli ſententiam fingi poteſt expreſſius, quam cœleſtes illas, ſpiritualeſque laruas neſcio quas hominum anteriores fuiſſe Adamo dicere, terreno homine, terrenorumque capite ac Principe?*

Exponit deinde Petauius, cur Chriſtus dicatur cœleſtis; ex S. Athanaſio: *quoniam verbum de cœlo deſcendit*: ex S. Chryſoſtomo: *non illic naturam intelligi, ſed vitæ rationem & inſtitutum*: ex S. Ambroſio: *qui non humanæ fragilitatis ritu, ſed diuinæ maieſtatis nutu & conceptus & enixus: nam vſque adeo naturam noſtri habuit, vt ſecundus Adam dicatur & homo.* Tum aduerſarios hæreticos vocans ita conſtringit. *Si ideo, vt hæretici volunt, noſtri generis adſumtus homo non fuit, qui cœleſtis dicitur: ergo nec iſti naturæ noſtræ ſunt, qui cœleſtes appellantur: ſi verò de his nemo dubitat, nec de illo eſt ambigendum.* Pergit deinde Petauius *Prorſus ibi concluſa & conuicta tenetur iſtorum temeritas & inſcitia: nam ſi veri ſunt homines, & carne conſtantes, ac terreno corpore, qui poſt reſurrectionem ſpirituales cœleſteſque futuri ſunt, cum tales illi futuri ſint, qualis primus ille cœleſtis fuerit, etiam ille corpus ex carne terraque ſibi ſumſit.* quomodo Chriſtus dicatur cœleſtis. *Athanas. orat. 2. p. 169. Chryſoſt. ho. 42. in 1. Cor. S. Ambroſ. ibid.*

Confutat deinde nouatoris Achillem, quem ita proponit. *At enim diſputat Melchiſedeceanus; Apoſtolus de Melchiſedeco loquens, eum* ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα καὶ ἀγενεαλόγητον *fuiſſe dicit, hoc eſt, neque patrem habuiſſe, neque matrem, neque genealogium: Igitur aliunde, quam ab homine primo editus eſt in lucem: alioqui non careret iis ipſis, quæ illum habuiſſe negat Apoſtolus, parentibus atque ſtirpe. Porro cum idem* per omnia ſit adſimilatus filio Dei, *non poteſt abire, quin & Chriſtus ipſe ſub idem tempus & ante primum parentem, ac ſub rerum exordium exſtiterit. Nam ni ita ſit, non erunt ambo inter ſe ſimiles: hæc ſumma diſputationis, hoc inuictum & inexplicabile argumentum, quod nouum illud commenti genus extorſit. Sed vt de Apoſtoli verbis ipſis, & communi ac perfacili eorum interpretatione nihil hic dicam: quid ex iſta ratiocinatione ſequatur attende. Licebit enim ſimiliter concludere, Melchiſedecum ex omni æternitate fuiſſe, imo Deum verum, ac Dei filium, vt per omnia vero adſimiletur Filio Dei. Nihil enim tam diſſimile eſt, ſi naturam ipſam ſpectes, quam æternum in tempore facti: corporis expers qualicunque corpore præditi, immenſum, omnipotens, infinitum, loco, potentia ceteris omnibus definiri. Vt igitur filio Dei, Dei inquam, non hominis Filio per omnia ſimilis habeatur Melchiſedech, hunc eſſe Deum neceſſe eſt, ſi quod acumen eſt in illa collectione, quæ ex perfecta vtriuſque ſimilitudine cœleſtem neſcio quem corporis habitum ac ſtatum in vtroque conficit. Verum de ſomnijs iſtis, & ad ſtolidiſſimam hæreſim implicatis nugis plus ſatis. nam alioqui verendum eſt, ne quod ait Cyrillus Alexandrinus, aduerſus tam frigida & inepta diſputare pluribus, eiuſdem ſit imperitiæ ſibi notam conſciſcere, qua nugarum auctores iſtarum laborant. Porro cum facilis ſit aduerſum ſtultitiam reſponſio, vt rectè ſcribit Hilarius, emendatio tamen ſtultorum difficilis eſt; per quam primum & ratio intelligentiæ non quæritur & deinceps ab intelligente intimata non capitur.* Hæc Petauius, & merito cenſet ineptias iſtas potius exſibilandas, quam confutandas, quia tamen inſulſè mundo ridendos proponit Colonienſes & cultum SS. Regum ſtolidè perſtringit, monitum ſecutus Sapientis: *reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur*, paululum adhuc conueniendus, vt aperte videat, quam ex temerario ab hæreticis petito fundamento ſurgat inanis & ridicula conſtructio. Achilles aduerſarii. euertitur. *S. Cyril. ep. ad Valer. C. 165. Hilar. l. 6. de Trinit. Pro. 26. 5.*

Demus enim quod antehac Catholicorum nemo docuit, Melchiſedecum hominem eſſe, cœleſtem & immortalem: demus quod nemo dixit hactenus in Paradiſo viuere, demus, quod primus Nouator noſter comminiſcitur ex tribus Euangelicis Magis vnum exſtitiſſe: quam S. Matthæum hagiographum inſulſe narrantem viſionem hic introducat, conſideremus: nam cum idem Euangeliſta duos c. 17. Chriſto viſos coram diſcipulis Eliam & Moyſen refert, non eos operoſè itinere dierum decem vel vndecim aut tredecim educit ex Eden & Paradiſo Orientali, vel erebo: non iiſdem ſtellam itineris ducem offert, non inducit ignaros locorum in Ieruſalem ad Modus Euangeliſtæ narrandi viſionem

Herodem, vel synædrion: neque postea peracta legatione facit eos dormientes, & somniantes, rursumque monitos, qua via Paradisus esset repetendus; sed voce contentus, *apparuerunt*, cetera velut superuacanea prætermittit. *Et ecce*, ait, *apparuerunt illis Moyses & Elias cum illo loquentes: respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnum & Eliæ vnum.* Erat cur hic verbosior esse posset, quod Elias è Paradiso, Moyses è limbo Patrum esset educendus: at talium iter, & itineris gesta velle persequi, quid est nisi otio & ingenio suo stultitiæque indulgere: hoccine tu fecisse Matthæum existimes hagiographum, quod ne Poëtæ quidem (de quibus congruenter nomini iactari solet adagio: τύδαρτι πολλὰ πουητα) concedendum esset, vt euentus profectionis cœlitis vel incolæ Paradisi descripturus, & nunc ei ducem itineris stellam daret, mox Angelum: postea faceret eum consulentem Principes, & Reges, qui eius gratia cogerent concilium vt locus legationi cœlesti destinatus inquireretur à mortalibus, quem ipsi cœlites ignorarent? Tam simplices reris incolas Paradisi, quibus Herodes Rex imponat, vana adorationis Messiæ pollicitatione? tam laboris itineris insuetos, vt somno in reditu sit ijs opus; nouaque diuina monitio necessaria, qua Regis mortalis insidias immortales ipsi declinent? cur non igneo suo curru vectus est Elias, vt augustius diuinitatem Messiæ declararet? Et vbi spiritus Eliæ? cur non igne cœlitus misso incolas Solymæos cum Rege perdidit in necem Messiæ iam coniurantes, qui leuiores aliorum noxias tali mulctauit supplicio? Cur Melchisedecus non vsus consueto suo sacrificio, quod Christus Sacerdos secundum ordinem eius postea factitaret, sed nunc thure, auro & myrrha facere voluit? An thesauros etiam condunt isti Prophetæ vel Patriarchæ Paradisiaci, quibus orbem nostrum ingressis vti necesse sit? Quid opus reduce stella, cum locum natalis Domini Bethlehem accepto *Regis* & concilij responso iam didicissent? innumera talia formari quæsita possent, si quis ab historico sensu ad visionem talium virorum deflectat, quæ deliria ne Poëta quidem vel pueris digna prudens lector ipse iudicabit. Hæccine tam stolida interpres Scripturæ Patrum omnium vel vniuersalis Ecclesiæ interpretationi ducet præferenda, licet scripturis apertis aduersentur? Facessant istæ pueriles inaniæ, desinatque Nouator in fronte libri deinceps de nouis inuentionibus Epiphaniacis, phanaticis potius seculo huic & Regi Ludouico, sub quo vulgari cœperunt: adiecto parentis & matris suæ nomine tam magnificè gloriari, desinat Pharisæi instar gratiarum actione Deum prædicares, quod hæc deliria ceteris hominum & ipsis SS. Patribus abscondita sibi vni primum reuelarit. Desinat nugas istas Copernicanis subtilitatibus comparare: Desinat ridere Mediolanenses, exsibilare Colonienses, vndecim auctores imprudentiæ, & vanitatis arguere, quasi omnibus vnicus auctor Neubrigensis Anglus anno 1200. imposuerit, supereſſe Coloniæ trium Magorum Euangelicorum ossa & cineres, cum nemo vnus ante illum, vel translationis, vel inuentionis istorum corporum, vel sepulturæ ipsorum, vel Baptismi ipsis à S. Thoma collati meminisset, non SS. Ambrosius, Chrysostomus, Basilius, Hieronymus, vel ijs vetustiores, æquales, posteriores, vno excepto Neubrigensi. Hæc decies & vicies etiam inculcantur, vt librum expleat.

O Chronologi huius, qui Saliano, Petauioque velut à se detriumphatis multa sibi suis in scriptis trophæa passim erigit, oscitantiam, imperitiam, stoliditatem! Lege huius tomi libri secundi caput 52. reperies quinque Germanos (quorũ nullum vis testem eius rei meminisse) Consule ætatem Dodechini Abbatis S. Dysibodi, qui 60. circiter annis ante scriptionem Neubrigensis, ætate confirmata Hierosolymitanam peregrinationem, vt fatetur, obierat.

Lege Reinoldi Colonienſis Archiepiscopi, annis ante eandem scriptionem Neubrigensis 36. mortui literas, festi translationis Regum institutionem, & dotationem: lege epitaphium eiusdem, & diploma successoris eiusdem Philippi: vide magnificentiam lipsanothecæ ab eo pro sanctis Regibus ex auro, gemmis, & argento elaboratæ: percurre toto libro tot traditiones, vestigia, inscriptiones, miracula, documentaque locorum tam multiplicium, templa, aras, statuas ijs exinde constructas, per quæ baiuli corpora detulerunt; bella gesta, munitiones erectas,

Mat. 17.

diuersus à narratione historiæ Magorum.

absuida quæ Nouator admittit.

vana eius iactantia.

argumentum eius.

confutatur

testimonijs coætaneorum.

erectas, vt seruarentur: quæ ante Neubrigensis librum vulgatum constat contigisse.

His adhuc vetustiorem synchronum Ambrosij, Chrysostomi, Hieronymi, quæris? ecce tibi Flauium Dextrum, cuius apud Hieronymum multa laus: is & nomina prodit eorum, & locum mortis, & annum sepulturæ: Baptismum eorum à S. Thoma collatum confirmari aues? Cedo tibi Dorotheum Tyrium in synopsi, Sophronium, & ex eo Hieronymum, quem quærebas.

Miraris, toties inculcando, debuisse Ottonem Frisingensem comitem & scriptorem expeditionis Italicæ nepotis sui Cæsaris Friderici eiusque cotinuatorem Radeuicum Frisingensem Canonicum tam nobilis translationis Regum in Germaniam factæ facere mentionem? miror ego Iacobe tuam in Chronologia & historijs eius temporis imperitiam: an ignoras Ottonem triennio circiter ante mortuũ esse, quam exscinderetur Mediolanũ translatis Coloniam reliquijs? an ignoras Radeuicum continuatorem biennio vel anno minimum ante excidium, finisse suam continuationem? liber in promtu est, inspice, at qui hunc continuauit Sanctblasianus item Germanus, fusè describit etiam ante Neubrigensem eam translationem, quod idem continuator Mariani Scoti Dodechinus, & Auctor Affligimensis auctarij coæui præstiterunt. Silentij quorundam aliorum alibi causas adfero. obiecta stolida.

Miror autem non plures: quam duodecim testes huius translationis adducere Nouatorem potuisse, & eos ferè. qui nonnihil in adiunctis quibusdam discrepant: vnde subito velut mendacij reos arbitro Daniele censet lapidandos: Parcius Iacobe parcius ista istis tamen obiicienda memento: quoties vel ipsi Euangelistæ prima fronte videntur in horis Christi crucifixi, vel morientis: in adiunctis miraculorum & alijs dissentire, quæ in harmonicam consonantiam, concentumque diuinum adducit S. Augustinus & sancti Patres? lege libro octauo & sequenti ducentos ferè auctores omnium nationum, locorum, seculorum iam inde à translatione & mirare consensionem: licet pauci æras secuti varias, vel alijs ex causis, vt in ipso excidio Mediolanensi referendo, nonnihil deuiarint: nihil tamen officiunt historicæ veritati: vt fusè demonstraui libro octauo. Vide etiam summorum Pontificum Ioannis 22. & Bonifacij noni, 22. diplomata, quibus SS. Trium Regum qui Christum in cunabulis adorarunt reliquias Coloniam translatas approbant, miracula confirmant, cultores earum & peregrinationes ad eorum sacra corpora instituta laudant, & ad conditorium eorum sumtu magnificentissimo construendum exhortantur: hæc omnino mihi persuadeo Nouatorem nostrum nunquam adspexisse, nam quod vnum in eo mirificè placet, omnino iudicium suum Ecclesiæ Catholicæ censuræ submittit, quæ cum per capur suum S. Petri successores definierit Magos istos Euangelicos mortuos, exuuias suas Catholicorum solatio deposuisse, Deumque ad earum contactum & venerationem operari prodigia, prudenter fecerit, huic si decisioni acquiescat, & se germanum Ecclesiæ Romanæ Catholicæ filium profiteatur. Nolo summo iure cum eo agere, nec pensiculatius singulos in quatuor illis libris errorespercensere, malo iam amicè monere, vt desertis periculosis nouitatibus, accedat communi sanctorum Patrum, Doctorum & Ecclesiæ consensui, & interpretationi: cuiusuis hominis est errare, nullius nisi contumacis in errore perseuerare: non veritus fuit S. Augustinus, Bellarminus, Baronius & alij cognitos suos errores orbi recantare, sequique cognitam veritatem: non pigeat imitari in tantis viris, quod mirari delectat. excusatur Nouator.

CAPVT LXXV.

Actus solennis anno 1652. die Epiphaniæ 6. Ianuarij habitus: quo Maximilianus Henricus Archiepiscopus & Princeps Elector Coloniensis vtrusque Bauariæ Dux &c. primum sacrum Archiepiscopale cecinit Coloniæ, in æde metropolitana, Landgrauio Hassiæ cum coniuge fidem amplexo Romano-Catholicam, eamque propagante cum actu celebriore Ratisbonæ anno insequenti in Epiphania celebrato.

Electio Maximiliani Archiepiscopi.

EPIPHANIAM Domini anno 1652. primo suo Archiepiscopali sacrificio in æde metropolitana cantato celeberrimam ab hominum memoria fecit Maximilianus Henricus Archiepiscopus & Princeps Elector Coloniensis vtriusque Bauariæ Dux &c. Fuerat is electus anno 1642 Coadiutor cum certa successione, confirmatus eodem anno 13. Decembris ab Vrbano 8. Pontifice Maximo. Successerat Patruo suo Ferdinando anno 1650. 13. Septembris mortuo, eodem die: inauguratus verò post sepulturam decessoris 26. Octobris. Anno postero 17. Septembris Diaconus, 24. eiusdem Sacerdos est à Georgio Paulo Strauio Episcopo Ioppensi eodemque suffraganeo Colonensi consecratus. Postea 8. Octobris, cum tricesimum ætatis annum attigisset, à Fabio Chisio Legato Apostolico, nunc S. R. E. Cardinale dignissimo, & suffraganeis Coloniensi & Osnaburgensi Archiepiscopus est Bonnæ initiatus; ibidem festo S. Michaëlis Archangeli primitias, Leodij festo SS. omnium primum pontificale sacrum & anno 1652. Coloniæ festo Epiphaniæ Archiepiscopale cum pallio (quod anno priore 27. Decembris festo S. Ioannis Episcopus Ioppensis ex speciali sedis Apostolicæ commissione eidem imposuerat) hoc solenni ritu celebrauit.

consecratio.

apparatus.

Coloniam intrauit 4. Ianuarij, salutatus ilico à Francisco Lotharingiæ Duce, Episcopo Vridunensi, & Decano metropolitano, mira Capituli & ciuitatis totius consensione: ac conatu sacrum illud (quale vix à centum retro annis Colonia viderat) insigni apparatu cohonestandi; Hunc in finem erectum erat in metropolitanæ ædis naui post chorum proximè aram S. Annæ, sub crucis simulacro & horologio eo loci, vbi iam ab annis quadringentis conditorium SS. Regum est designatum, pegma quadratum, per nauim templi proiectum, binas vtrimque complexum columnas, quæ asseribus in sublime erectis claudebantur: tribus gradibus ad id adscendebatur, totidem ad altare, quod in medio ad ortum solis excitatum versicolore conopæo ex aurea tela decorabatur. In eo argenteæ SS. Apostolorum duodecim statuæ cum capitibus SS. Martyrum Naboris & Felicis visebantur, eius medium locum Piligrimi Archiepiscopi donum prægrandis argentea Crux quadrata gemmis vndique ornata occupabat, ternis vtrimque candelabris argenteis, vnoque in medio cum cereis collucentibus. Pauimentum totum rubris instratum erat tapetibus, latera fulgebant peristromatis auro variaque pictura illustratis, quorum fastigia cereis vndique coronabantur, & chorus musicus altaris parti sinistræ incumbebat. Stabat à dextro latere versus aquilonem in medio sedes pontificia conopæo ex argentea tela caudicante vestita, infra quam ad dextram sedilia virorum principum Philippi Guilielmi Ducis Iuliæ &c. & Ernesti Landgrauij Hassiæ eiusque coniugis consistebant. At è regione versus austrum Diaconi & subdiaconi Comitum, & suffraganei Coloniensis sellæ paulum eminebant, quas modico interuallo sex infulatorum Abbatum sedes ordine sequebantur intra theatrum, qui omnes mitris & pluuialibus albis candicabant.

theatrum erectum.

altare.

thronus Pontificius

subsellia Principum

Post

Post gradus pegmatis, aliquo relicto spatio, in medio chorus Choriepiscopi, Cantoris & Camerarij erat, cui Franciscus Ego Comes de Furstenberg Choriepiscopus, pluuiali indutus, & argenteo baculo ornatus, cum Adriano à Wallenburg, & Laurentio Pellionis metropolitanæ ædis Canonicis Presbyteris capitularibus pluuialibus pariter indutis præerat. chori Cantorum.

A dextris seu parte Euangelij Franciscus dux Lotharingiæ Decanus cum metropolitani templi canonicis: latus oppositum Præpositi, & Decani collegiatarum Ecclesiarum, & Canonici S. Gereonis occupabant. Collegii Metropolitani.

Post Choriepiscopi Cantoris & Camerarij chorum subsellia Consulum, Quæstorum, & Senatus totius Colonienſis in media templi naui cernebantur, ea dextra læuaque claudebant sedes Canonicorum ceterorum collegiorum. Postremum spatium ciues & alij viri intra septa lignea tenebant, quæ inter columnas erecta hastati magno numero ambiebant, & custodiebant, vno tantum aditu intra pegma & sedilia Prælatorum ab Aquilone & meridie patefacto, Senatus Colonienſis. Canonicorum.

Pridie Epiphaniæ post meridiem circa secundam clerus ciuitatis totius primarius & secundarius ædem metropolitanam adijt, suis in sedilibus ante theatrum distributus. Prælati verò & Canonici metropolitanæ ecclesiæ cultu Canonicorum absque cruce aulam Archi-episcoplem adierunt deduxeruntque suum metropolitam in ædem sacram ordine subsequenti.

Præibant Scabini, Commissarij, Consiliarij Archiepiscopi, Principum diuersorum aulici primarij, nobilitas patriæ. Vice comes baculum album, Archimarscallus Colonienſis Salmenſis, Comes gladium aurea vagina conditum præterebat, Hos Canonicus, vt vocant Domicellaris Ioannes Gerardus Comes in Manderscheidt Blankenheim cum cruce Archiepiscopali, imagine crucifixi ad Hierarcham versa, sequebatur. Tum ipse Princeps Elector Archiepiscopali habitu, rochetto, purpureaque cappa, vt vocant Pontificali & bireto vestitus populo per plateam hinc inde genibus flexo benedicens, pietatem spirans & animum defixum cœlestibus desiderijs, Decano, Prælatis, & Canonicis Metropolitanis binis ac binis iuxta ordinem dignitatis & senij proximè sequentibus Ecclesiam intrauit, & in sacello Beatissimæ Virginis Mariæ, coram sanctissimo altaris sacramento genuflexus aliquamdiu vacauit orationi. Ordo procedentium. vestitus Archiepiscopi.

Processit inde ad theatrum paulo ante tertiam Maximilianus Henricus Archiepiscopus Pontificalibus ornatus, Suffraganeo Colonienſi & Abbatibus mitratis suis in sedibus considentibus, ac orsus est Vesperas, quas chorus musicus insigni vocum, fidium & instrumentorum varietate præstantia peritiaque prosecutus est. Vesperarum cantus

Ingens affluxerat Principum, Comitum & illustrium virorum multitudo; quos inter eminebat Philippus Wilhelmus Iuliæ Dux &c. qui secum adduxerat duabus ante horis ciuitatem ingressum Ernestum Principem & Landgrauium Hassiæ: is visa maiestate pia sacrorum rituum Ecclesiæ tempore Vesperarum, quod ante decreuerat, statuit postridie in eo Principum virorum, Clerique frequentissimi consessu fidem orthodoxam publicè profiteri. Principum consessus.

Ab hora quinta ad sextam æra campana totius ciuitatis Colonienſis pariter pulsata sunt, sicut & postridie festo Epiphaniæ mane ab octaua ad nonam vsque matutinam, quando collecto iam clero, magistratu, viris etiam Principibus, & sex Abbatibus infulatis, aduenit Archiepiscopus ordine quo die præcedenti, qui omnibus suis in sedilibus collocatis, oratione versus aram finita, Sedem pontificiam ad latus aquilonare tribus gradibus eleuatam adijt, ibidem tertiami nchoauit, quam chorus musicus concinuit. Aderant eidem Ioannes Iacobus comes in Königseck subdecanus Metropolitanus, & sacri Presbyter adsistens, indutus pluuiali: duorum Diaconorum adsistentium munere fungebantur Leopoldus Fridericus Comes Truchsesius, & Hermannus Otto Princeps de Nassau, qui Dalmaticis vestiti solio Pontificio vtrimque adsidebant, biretis rubeis holosericis tecti. Præter hos alij duo cultu Diaconi & Subdiaconi ministrabant: horum alter Philippus Salentinus Comes de Manderscheidt Gerolstein Diaconum egit: ac Wilhelmus Ego Comes in Furstenberg subdiaconum: Quin & Ioannes Gerardus Comes de Manderscheidt Blanckenheim crucem Archiepiscopalem argenteam prælaturus: tres item alij patriæ comites duo Cantus Tertiæ. Sex comites ministri Sacri-

germani

tres alii à manibus abluendis.

germani fratres Salmenſes & Comes de Manderſcheidt Blanckenheim ā lotione manuum & tergendis ijs adſtabant: præter variarum Eccleſiarum Canonicos, qui mitram, pedum, librum, candelabra vel alia neceſſaria deferebant.

Dum tertius pſalmus in Tertia concineretur, induit Archiepiſcopus ſacras veſtes, amictum, albam, Cingulum & pluuiale, mitramque pontificalē candidam cum inſignibus *H*afficis, hanc enim deceſſor Hermannus 4. Archiepi. Colonienſis ex Haſſiæ Landgrauijs ortus ante 150. annos moriens ſuæ reliquerat Eccleſiæ: cantata deinde ab Archiepiſcopo collecta ad tertiam cum miniſtris omnibus ad aram ſe contulit; ibidem reſedit infulatus, facie ad populum conuerſa. Mox Erneſtus Princeps Landgrauius Haſſiæ & coniunx Eleonora Maria Solmenſis familiæ acceſſerunt ad aram, & in primo gradu genuflexi petierunt in gremium S. matris Eccleſiæ Romano Catholicæ recipi, eiurata hæreſi; quibus Archiepiſcopus annuit be neuole, & ſolennibus ex Pontificali recitatis orationibus Eccleſiæ reconciliauit, ac manibus eis impoſitis librum Euangeliorum porrexit vtrique, cuius attactu fidei conſtantiam iurarunt poſtea; quam adſiſtens Presbyter Comes in Kǒnigſeck eorum nomine clara & diſtincta voce prolixiorem fidei profeſſionis formulam Pij quarti iuſſu vulgatam Teutonicè pronunciaſſet. Scribi vix poteſt quo gaudio, plauſu & gratulatione præſentium hic actus ſit celebratus. Tum illi magno animi ſolatio ad ſua ſubſellia redierunt, & Princeps *E*lector ad ſolium ſuum ſublimius; ibi depoſito pluuiali, reliquis Pontificalibus indutus veſtimentis pallium Archiepiſcopale iucundiſſimo & ab hominum memoria non viſo Coloniæ ſpectaculo circa collum per humeros in pectus promiſſum induit, ac ordiri cœpit diuiniſſimam functionem, muſicis de Epiphania gratiſſimum introitum concinentibus. Ad hymnum Angelicum vocibus modulatis, fidibusque acceſſit tubarum cʼangor, æneorum tympanorum reboatio, tormentorumque bellicorum extra baſilicam gratum tonitru, cum pia maieſtatis plena, miraque omnium conſonantia. Cecinit epiſtolam clara diſtinctaque voce Wilhelmus Comes de Furſtenberg Subdiaconus, Euangelium paulo poſt Diaconus Philippus Salentinus Comes de Manderſcheidt Gerolſtein. Quo finito libertibus id Symphoniacis, progreſſus ad aram cum miniſtris inſigni pietate peregit oblationem: manibus abluendis & tergendis duo Salmenſes Comites & tertius de Blanckenheim omnes ſeculares ſervierunt.

Erneſtus Landgrauius Haſſiæi cum coniuge fidem Catholicum profitetur

Initium ſacri.

ſub hymno Angelico tormenta exploſa.

In canone rubricis ad vnguem ſervatis, ubi ſacramentum auguſtiſſimum fuit conſecratum, ad æris campani maioris ſonum iterum tormenta bellica reboarunt gratiſſima autem vocum & inſtrumentorum harmonia, tubis pariter piè, modeſtè grauiterque clangentibus, cetera peracta ſunt. Ad pacis oſculum ſacrificans admiſit Presbyterum adſiſtentem, tres Diaconos, & vnum ſubdiaconum omnes illuſtres, ſingulorum humerum ſiniſtrum oſculatus. Percepta ſacra communione tres iterum Comites duo Salmenſes & tertius de Blanckenheim eluendis digitis ſuam navarunt operam, ac cantata collecta Ioannes Gerardus Comes de Manderſcheidt Blanckenheim crucem argenteam Archiepiſcopalem ad infimum altaris gradum in medio conſiſtens ante ſacrificantem tenuit, qui ope divina implorata formato ter ſigno ſanctæ crucis ad auſtrum, occidentem & aquilonem præſentibus benedictionem Archiepiscopalem cum indulgentijs plenarijs impertiuit, tum iterum vertit ſe ad populum & Presbyter adſiſtens Comes de Kǒnigſegh Teutonicè plenarias indulgentias ſedis Apoſtolicæ beneficio donatas præſentibus, & qui eodem die præuia confeſſione refectique ſacra ſynaxi locum adiectis precibus ſolitis viſerent, publicauit. Recitato poſtea S. Ioannis euangelio redijt ad ſolium, exuit ſe veſtibus ſacris, & hymnus Ambroſianus decantatus eſt miro neruorum, cornuum, tubarum, & æneorum tympanorum concentu, bellicis iterum tormentis tonantibus, & totius ciuitatis æris campani grauiſſima harmonia concrepante, ephœbis cum funalibus per pegma ſparſis: Eo abſoluto Archiepiſcopus in medio theatri verſus aram genuflexus per quadrantem piè gratias egit, omnibus ſacrificantibus exemplo, ne litata re diuina domum abſque gratijs properent. Deinde præeuntibus iterum Scabinis, Commiſſarijs, Conſiliarijs, & nobilitate patriæ redijt ad curiam Colonienſem ſtipatus Decano & illuſtriſſimo collegio metropolitano, ſequente aula & miniſtris. Interim

iterum poſt conſecrationem.

benedictio Archiepiſcopalis cū indulgentijs.

Erneſtus

Erneſtus Landgrauius cum coniuge & aula ſua trium Regum mauſoleum adijt (quo etiam Philippus Wilhelmus Dux Iuliæ cum Legato Regis Poloniæ ſe contulit) qui eorum corpora precibus & oblatis muneribus honorarunt, actis gratijs quod ea die ſtellâ fidei Catholicæ mentis oculis colluſtrati, cimmerias hæreſis tenebras, & auitos errores deſeruiſſent, veris accenſi lucis filijs: nec deinceps ceſſarunt qua monitis, qua exemplis, qua ſparſis vtiliſſimis de fidei controuerſis capitibus libris multos orthodoxis aggregare, & gynecæo quidem aulaque tota ſenſim cum multis ſubditis conuerſis, cognatæ Iſabellæ Ameliæ Darmſtadienſis Principis filiæ Eccleſiæ concilandæ felicem nauarunt operam: quæ deſponſa Philippo Wilhelmo Iuliæ Montium & Neoburgi Duci feſto ſanctorum omnium Duſſeldorpij anno 1653. publicè in templo Societatis Ieſu ſacris operante in Pontificalibus Archiepiſcopo Colonienſi, Principe integerrimo; fidei Catholicæ profeſſionem edidit, ſacra refecta eſt ſynaxi, ac ſacro chriſmate confirmata nomen Magdalenæ ſumſit. Eodem die locoque paſti ſacra alimonia Dux Philippus Wilhelmus maritus, & Erneſtus Landgrauius Haſſiæ cum coniuge: ijdem omnes neophytam principem 7. Nouembris Coloniam duxerunt, feſto S. Engelberti Martyris cognati ſanguinis, ac ſanctorum trium Regum corporibus inſpectis, & honoratis: culta etiam S. Vrſula & vndecim millibus Virginum in curia magnifico ſenatus epulo ſunt excepti.

Zelus Erneſti Principis.

In conuertenda Darmſtadienſi nuptæ Duci Iuliæ.

Viſunt SS. Reges.

Nec ſilenda celebris anni 1653. epiphania Ratisbonæ in Comitijs Germaniæ totius Imperatoria magnificentia in æde catherali peracta; ſacrum ibidem etiam Maximilianus Henricus Colonienſis Archiepiſcopus & Elector graui ceremonia cecinit: aderat Ferdinandus tertius Auguſtus Imperator, qui pro ſuo in ſanctos tres Reges præcipuo ſtudio, colendique deſiderio ſymphoniam totam arte maxima, qua præcellit, compoſuerat, quo velut condimento labores infinitos & negotiorum publicorum moleſtias temperat: & annum iam totum incredibili conſtantia, prudentia, & comitate ſtatum imperij affiictum ſuſtentat, componit, erigit, ac inter extremos hæreticorum conatus orthodoxam fidem in Germania peſſum dandi, feliciter prouehit, nonnullis viris illuſtribus ibidem ad matris Eccleſiæ gremium reuocatis. Intererat eidem ſacro Ferdinandus quartus Rex Bohemiæ eodem anno Rex Romanorum omnium Octouirorum ſuffragijs electus & coronatus: Electores etiam Catholici Moguntinus & Treuirenſis & Acatholicus Palatinus Comes Rheni cum Wirtenbergico Duce: nam ceterorum Epiſcoporum, Principum, & comitum præſentium vix iniri ratio potuit. Acceſſit ad diei ſacrique ſolennitatem ornandam Treuirenſis Elector, qui ſacerdotio iam ante initiatus ſub ſacrificio pallium accepit Archiepiſcopale, quod ei Colonienſis impoſuit, adſiſtente in Pontificalibus Franciſco Wilhelmo loci Præſule digniſſimo. Magna tam eo die quam ſequentibus alijs ſimilibus ſacris functionibus autoritas apud Acatholicos eſt parta, vt illuſtres quidam viri ſpectatores iſtiusmodi maieſtatis orthodoxæ fidei eam modo complexi ſint, Maior opinor accedet in Germania ſplendor Eccleſiæ Catholicæ, ſi liceat imperij Diuos tutelares SS. tres Reges concameratâ eorum baſilicâ ad locum à quadringentis annis eorum quieti perpetuæ deſtinatum introducere; vbi auguſtiore mauſoleo conditi poſſint quaquauerſum ab indigenis & aduenis honorari. Quem in finem idem Maximilianus Henricus Archiepiſcopus diligens decorem domus Dei, cũ illuſtri capitulo metropolitano, ciuibus & Archidiœceſi deſiderant quamprimum 100. & pluribus annis intermiſſam ſtructuram templi ſummi inſtaurare, teſtudinem brachij transuerſi & nauis templi altitudini chori parem inchoare: Deus fortunet pia conſilia, mundique hierarchas & Principes viros clementer permoueat, vt collatis opibus promoueant regiam fabricam tantis orientis Regibus & primis Eccleſiæ ſtructoribus dignam: quibus vt gentium primitijs & patriarchis omnes à Gentilibus orti fidei gratiæque diuinæ donum merito acceptum, referimus; vt eorundem precibus eadem fidei lux hæreticis in Europa & Gentilibus in reliquis orbis regionibus oriatur, regnumque Chriſti facilius propagetur: noſque pariter decurſa vitæ meta cœleſtis regni participes cum eis efficiamur Domino opitulante, cui pro collatis in hoc opere ſuſcepto beneficijs ab omnibus, in omnibus & per omnia ſecula laus omnis, honor & gloria deferatur, Amen.

Epiphania anni 1653. Ratisbonæ celebrior.

ſtructura ſummi templi rurſum inchoanda.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

INDEX.

LOCORVM S. SCRIPTVRÆ TRIVM TOMORVM

HISTORIÆ SS. TRIVM REGVM MAGORVM.

Numerus citatus indicat verum paginæ numerum, qui multis in locis corrigendus est iuxta errata, vel antecedentes & consequentes numeros foliorum veros. Sicut & citationes Sacræ Scripturæ vitiosæ iuxta huius indicis numeros emendentur.

Ex Genesi.

Ap. 1. v. 14. Sint in signa, & tempora & dies, & annos. 373

v. 26. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. 875

cap. 2. v. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso. 875

v. 18. Non est bonum esse hominem solum. 875

v. 20. Adæ non inueniebatur adiutor similis eius. 875

v. 23. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. 71

v. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ. 72

cap. 3. 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum. 13

cap. 4. v. 26. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos; iste cœpit inuocare nomen Domini. 133

cap. 9. 27. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan seruus eius. 73

c. 11. 6 Ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur discendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. 134

cap. 15. 5. Eduxitque eum foras & ait illi: suspice cœlum, & numera stellas, si potes: & dixit illi: sic erit semen tuum. 42. 76.

cap. 18. v. 1. Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, sedenti in ostio tabernaculi sui, in ipso feruore diei. 139

cap. 20. 4. Domine: num gentem ignorantem & iustam interficies? in simplicitate cordis mei, & mundicia manuum mearum feci hoc. 14

cap. 25. 6. Filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem. 124

v. 21. Deprecatusque est Isaac Dominum pro vxore sua. 78

v. 23. Perrexitque vt consuleret Dominum: qui respondens, ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populũ superabit, & maior seruiet minori. 79

cap. 43. 11. Sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis & storacis, stactes & terebinthi. 435

c. 44. 5. Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet 179

c. 49. 10. Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit exspectatio gentium: ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ô fili mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. 80. 244

v. 26. Donec veniret desiderium collium æternorum. 17

Ex Numeris.

Cap. 12. v. 1. Locutaque est Maria & Aaron contra Moysem, propter vxorem eius Æthiopissam. 20

cap. 24 v. 9. Accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna, quã suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur. 82

cap. 24 17. Videbo eum, sed non modo, intuebor eum, sed non prope. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. 81

Ex Deuteronomio.

Cap 2. v. 15. Hodie incipiam mittere terrorẽ atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant. 114

cap. 22. v. 9. Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius. 40

c. 32, v. 31 Non enim est Deus noster, vt Dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. 126

c. 33. 2. Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan. 99

Ex libro 1. Regum.

Cap. 4. 18. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium. 17

cap. 13. v. 14. Quæsiuit Dominus sibi virum, iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus, vt esset dux super populum suum. 1

v. 20. In ipso autem momento mortis eius dixerunt ei, quæ stabant circa eam: ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit; & vocauit puerum Ichabod, dicens: translata est gloria de Israël, quia capta est arca Dei, & pro socero suo, & pro viro suo: & ait: translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei. 17

cap. 13. v. 14. &c.

Ex libro 2. Regum.

C. 23. 15. O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam! 147

v. 16. At ille noluit bibere, sed libauit eã Domino. 146

Ex Libro 3. Regum.

C.6. v. 32. Fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum quadrangulatos;& duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, & vtrumque ostium duplex erat,& se inuicem tenens aperiebatur. 68
c. 10. v. 2. Venit ad Regem Salamonem, & locuta est ei vniversa, quæ habebat in corde suo: Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat: non fuit sermo, qui Regem posset latere, & non responderet ei. 183

Ex Libro Paralipomenon.

cap. 6. 13. Et deinceps genibus flexis, contra vniversam multitudinem Israel, & palmis in cœlum leuatis, ait: 414
c. 7. v. 3. corruentes proni in terram super pauimentum stratum lapide adorauerunt, & laudauerunt Dominum. 414

Ex libro 1. Esdræ.

C. 8. v. 9. Dies sanctificatus est Domini Dei nostri, comedite pinguia & bibite mulsum, & dimittite partes his, qui non præparauerunt sibi: quia dies Domini est, gaudium enim Domini fortitudo nostra. 486

Ex libro Tobiæ.

C. 13. v. 13. Luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te: nationes de longinquo ad te venient, & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, 96
c. 14. v. 9. Gaudebunt in ea omnes Reges terræ, adorantes Regem Israel. 96

Ex libro Esther.

c. 1. v. 10. Itaque Rex præcepit 7. Eunuchis, qui in conspectu eius ministrabant, vt introducerent reginam Vasthi coram Rege, posito super caput eius diademate. 21
c. 2. v. 8. Esther quoque inter ceteras puellas ei tradita est, vt seruaretur in numero feminarum: quæ placuit ei & invenit gratiam in conspectu illius &c. 21
v. 17. Et adamauit eã Rex plus quam omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite eius. 21

Ex libro Iob.

C. 38. v. 4. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ. v. 6. Super quo bases illius solidatæ sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius? 11
v. 7. Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. 11
v. 8. Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens. circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, Et dixi vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. 518
cap. 39. v. 12. nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? 100
v. 30. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum. 421

Ex libro Psalmorum.

Psal. 2. v. 6. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius. 6
v. 8. Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. 5
v. 10. Et nunc reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Apprehendite disciplinam. 6. 83
Psal. 18. v. 1. Cœli enarrant gloriam Dei. 83
v. 6. In sole posuit tabernaculum suum & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. 471
Psal. 39. v. 9. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. 22
Psal. 47. Reges terræ congregati sunt, convenerunt in vnum, ipsi videntes sic admirati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. 409
Psal. 67. v. 7. Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. 83
v. 17. Mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos. Mons in quo bene placitum est Deo inhabitare in eo: & etenim Dominus habitabit in finem. Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis. Deus noster Deus salvos faciendi & Domini Domini exitus mortis. Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: A templo tuo, in Ierusalem, tibi offerent Reges munera.
v. 32. Venient Legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus eius Deo. 56. 83. 100
Psal. 71. v. 9. Coram ipso procident Æthiopes & inimici eius terram lingent. 43
v. 10. Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, 84
Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei.
Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei. 85
Psal. 77. v. 29. Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo. 402
Psal. 79. v. 9. Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes & plantasti eam. 75
Psal. 85. v. 9. Omnes gentes quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. 85
Psal. 86. v. 4. Memor ero Rahab & Babylonis scientium me. 124
Psal. 88. v. 20. Exaltaui electum de plebe mea, inveni David seruum meum, oleo sancto meo vnxi eum v. 28. & ego primogentium ponam eum, excelsum præ regibus terræ. 5
Psal. 102. v. 5. Qui replet in bonis desiderium tuum. 402
Cap. 8. v. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum. 4
cap. 10. v. 9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. 309

cap. 11. 3. Simplicitas iustorum diriget eos,& supplantatio perversorum vastabit eos. 495
v. 5. Iustitia simplicis diriget viam eius, & in impietate sua corruet impius. 495
cap. 13. v. 12. Lignum vitæ desiderium veniens. 410
cap. 17. Corona seniorum filij filiorum. 112
cap. 22. v. 28. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. 871
cap. 28. v. 1 Iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit. 309

Ex Cantico Canticorum.

Cap. 1. v. 4. Nigra sum sed formosa. 88
v. 6. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. 86
v. 12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. à f. 444. & sequ.
cap. 2. v. 8. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. 498
v. 13. Vineæ florentes dederunt odorem suum. 43
cap. 3. v. 1. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui & non inveni: surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. 87
v. 3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. 342
v. 6. Quæ est ista, quæ adscendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniversi pulveris pigmentarij 451
v. 12. Egredimini & videte filiæ Sion regem Salamonem in diademate, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius, in die lætitiæ cordis eius. 370. 471
cap. 4. v. 8. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. 88
v. 9. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa; vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. 371
v. 10. Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. 452
cap. 6. v. 8. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ. 89.
cap. 8. v. 5. Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. 545
v. 6. Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio; lampades eius lampades ignis, atque flammarū: aquæ multæ non poterunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi nihil despiciet illam. 289

Ex libro Sapientiæ.

Cap. 5. v. 6. Ambulavimus vias difficiles. 289
cap. 10. v. 1. Hæc illum, qui primus formatus est à Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit. 875

Ex Libro Ecclesiastici.

Cap. 8. v. 12. Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. 871
cap. 17. v. 1. Deus creauit de terra hominem, & iterum convertit illum in ipsam. 871
cap. 18. v. 1. Qui vivit in æternum creauit omnia simul. 875
cap. 36. v. 1. Miserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum: & immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te: vt cognoscant, quia non est Deus, nisi tu: & enarrent magnalia tua. Alleua manum tuam super gentes alienas, vt videant potentiam tuam. 114
v. 6. Innoua signa, & immuta mirabilia; glorifica manum & brachium dextrum. Festina tempus & memento finis, vt enarrent mirabilia tua. 115
cap. 49. v. 5. Præter David, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt. 149

Ex Isaia.

Cap. 7. 16. Quia antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum Regum suorum. 116
cap. 8. v. 3. Voca nomen eius: accelera spolia detrahere: quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum. 122. 457
cap. 11. v. 1. Egredietur virga de radice Iesse & flos de radice eius adscendet. 115
v. 6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo & ouis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos: & delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis. In illa die radix Iesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. 115
c. 18. v. 7. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo divulso & dilacerato, à populo terribili, post quem non fuit alius: à gente, exspectante, exspectante & conculcata: 123
cap. 19. v. 24. In die illa erit Israel tertius Ægyptio & Assyrio: benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum dicens: benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Assyrio; hereditas autem mea Israel. 124
c. 26. v. 12. Domine dabis pacem nobis; omnia enim opera nostra operatus es nobis. Domine Deus possederunt nos domini absque te: tantum in te recordemur nominis tui. 121
c. 29. v. 9. Obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate, inebriamini & non à vino. Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas & principes vestros,

qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omniũ sicut verba libri signati. quem cum dederint scienti literas, dicent: lege istum, & respondebit: non possum: signatus est enim. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei: lege & respondebit: nescio literas. 119

v. 14. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. 120

v. 17. Nonne adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Charmel & Charmel in saltum reputabitur: & audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cœcorum videbunt. 120

cap. 30. 20. Et non faciet avolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea. 123

v. 29. Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solennitatis & lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, vt intret ad montem Domini, ad fortem Israel. 121

cap. 32. v. 5. Stultus fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat. &c. 120

c. 33. v. 18. Cor tuum meditabitur timorem: vbi est literatus? vbi legis verba ponderans? vbi doctor parvulorum? 119

cap. 35. v. 1. Lætabitur deserta & invia, & exsultabit solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit & exsultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron. 636

cap. 41. v. 2. Quis suscitavit ab oriente iustum, vocavit eum, vt sequeretur se? dabit in conspectu eius gentes & reges obtinebit. 116

c. 43. v. 3. Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te: ab oriente adducam semen tuum: dicam aquiloni da, & austro noli prohibere: adfer filios meos de longinquo. 117

v. 19. Ponam in deserto viam, & in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones, v. 21. Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit. 120

cap. 45. v. 14. Labor Ægypti, negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt. Post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, & non est absque te Deus: verè tu es Deus absconditus; Deus Israel salvator. 121

c. 49. v. 2. Et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me: & dixit mihi: servus meus es tu Israel, quia in te gloriabor. 1.

v. 16. Venerunt structores tui, destruentes te & dissipantes à te exibunt. 11

c. 51. v. 2. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. 50

c. 52. v. 15. Quia quibus non est narratum de eo, viderunt, & qui non audierunt contemplati sunt. 118

c. 55. v. 4. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. 27

c. 60. v. 1. Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum & gloria Domini super te orta est.

v. 6. Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madiam & Epha. omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. 118

v. 10. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi. 133

c. 61. v. 10. Induit me vestimentis, & indumento iustitiæ circumdedit me: quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus. 472

c. 62. v. 2. Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. 241. 242

Ex Ieremia.

Cap. 6. v. 8. Sacerdotes non dixerunt: vbi est Dominus? & tenentes legem nescierunt me. 105

cap. 3. 22. Ecce nos venimus ad te: tu enim es Dominus Deus noster: verè mendaces erant colles, & multitudo montium: verè in Domino Deo nostro salus Israel: 105. 425

cap. 6. v. 16. State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. 871

cap. 18. 17. Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum. 546

cap. 31. v. 31. Et feriam domui Israel & domui Iuda fœdus nouum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum. 105

v. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & non docebit vltra vir proximum suum. 105

Tren. 4. v. 20. Spiritus oris nostri Christus Dominus. 445

Ex Baruch.

Cap. 3. v. 14. Disce vbi sit prudentia.

v. 33. Qui emittit lumen & vadit, & vocauit illud & obediuit illi in tremore: stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, &c. 23. 108

cap. 5. v. 1. Exue te Ierusalem stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore & honore eius, &c. 107

Ex Ezechiele.

C. v. 6. Quatuor facies vni. 35. 43

c. 11. v. 19. Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum; vt in præceptis meis ambulent. 106

cap. 14. v. 14. Si fuerint tres viri illi in medio eius Noe Daniel & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. 151

cap. 37. v. 4. Ossa arida audite verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus ossibus his: ecce ego intromittam

in eis decuplum super cunctos Ariolos & Magos, qui erant in vniuerso regno eius. 175

cap. 2. v. 44. In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. 188

cap. 5. v. 11. Et Rex Nabuchodonosor pater tuus principem Magorum, Incantatorum & Chaldæorum & Aruspicum constituit eum, 175

cap. 7. v. 14. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus, linguæ ipsi servient: potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur. 108

cap. 9. v. 24. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & impleatur visio, & prophetia & vngatur Sanctus sanctorum. 109

Ex Osee.

Cap. 1. v. 2. Vade sume tibi vxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicationum. 28. 89.

v. 4. Voca nomen eius Iezrael v. 6. Voca nomen eius absque misericordia. v. 9. Voca nomen eius non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester, & erit in loco, vbi dicetur eis: non populus meus vos; dicetis eis: filij Dei viuentis. 89

v. 12. Et congregabuntur filij Iuda & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum, & adscendent de terra, quia magnus dies Iezrael. 90

cap. 2. v. 14. Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.

v. 16. Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baali, & sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in fide, & seminabo eam mihi in terra. 91

cap. 9. v. 10. Quasi uvas in deserto inveni Israel, quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum. 41

Ex Ioële.

Cap. 2. à 21. Noli timere terra, exsulta & lætare, quoniam magnificavit Dominus, vt faceret. Nolite timere animalia regionis, quia germinaverunt speciosa deserti; quia lignum attulit fructum suum; ficus & vineæ dederunt virtutem suam: & filij Sion exsultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, quia in monte Sion & in Ierusalem erit salvatio. 92

Ex Amos.

Cap. 9. à v. 7. Nunquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi filij Israel?

v. 11. In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius & ea, quæ corruerant, instaurabo, & reædificabo illud. 92

Ex Abdia.

C. 1. v. 1. Audivimus auditum à Domino, & Legatum ad gentes misit: surgite, & consurgamus adversus eum in prælium. 94. 513

Ex Michæa.

Cap. 4. v. 1. Et erit in nouissimo dierum, erit mons Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ, & dicent; Venite adscendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis suis: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem. 95

v. 8. Et tu turris gregis nebulosa Sion, vsque ad te veniet, & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem. 90

cap. 5. v. 2. Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. 95

Ex Nahum.

Cap. 1. v. 15. Ecce super montes pedes evangelizantis, & annunciantis pacem: celebra Iuda festiuitates tuas & redde vota tua, quia non adijciet vltra, vt pertranseat in te Belial, vniuersus interijt. 96

Ex Habacuc.

Cap. 3. v. 1. Domine audiui auditionem tuam & timui: Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud; in medio annorum notum facies. Deus ab austro veniet & sanctus de monte Pharan: splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius; ibi abscondita est fortitudo eius: ad spexit & dissoluit gentes, & contriti sunt montes seculi. 98. 99

v. 7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian. Qui adscendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio. 100

Ex Sophonia.

Cap. 2. v. 11. Et adorabunt eum viri de loco suo omnes insulæ gentium.

cap. 3. v. 9. Quia tunc reddam populis labium electum; vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Vltra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei: filij dispersorum meorum deferent munus mihi. 102. 103

v. 14. Lauda filia Sion: iubila Israel, lætare & exsulta in omni corde filia Ierusalem: Abstulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos Rex Israel, Dominus in medio tui; silebit in dilectione tua, exsultabit super te in laude. 104

Ex Aggæo.

Cap. 2. à v. 8. Adhuc vnum modicum, & ego commouebo cœlum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus. 109

Ex Zacharia.

Cap. 3. v. 9. Ecce ego cælabo sculpturam eius. 242

cap. 6. à v. 10. Sume à transmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia, & venies tu in illa die, & intrabis domum Iosiæ, & sumes aurum & argentum, & facies coronas & pones in capite Iesu, filij Iosedech sacerdotis magni, & loqueris ad eum dicens: Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, ædificabit templum Domino, & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos, Et coronæ erunt Helem & Tobiæ & Idaiæ & Hem filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini. Et qui procul sunt venient, & ædificabunt in templo Domini, 110. 111

Ex Malachia.

Cap. 2. v. 6. Lex veritatis fuit in ore ipsius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius, in pace & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. 112

cap. 2. à v. 7. Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. 111

cap. 3. v. 1. Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. 113. 506

Ex lib. 1. Machabæorum.

Cap. 11. v. 39. Et iuit ad Emalchuel Arabem, qui nutriebat Antiochum filium Alexandri. 208

Ex lib. 2. Machabæorum.

Cap. 1. v. 25. Qui solus es bonus, Rex, solus præstans, solus iustus, omnipotens & æternus. 78

Ex Matthæo.

Cap. 1. v. 21. Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. 241

caput secundum prolixo commentario tomo secundo exegetico explicatur.

cap. 3. v. 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. 22

cap. 4. v. 23. Circuibat Iesus totam Galilæam prædicans evangelium regni. 32

cap. 15. v. 24. Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. 30

cap. 17. v. 3. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. 87

c. 28. v. 17. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. 6

Ex Luca.

Cap. 1. v. 43. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? 402

cap. 2. v. 1. Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniversus orbis. 249

v. 11. Quia natus est vobis hodie salvator. 259

v. 34. Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel. 509

v. 39. Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam. 515

cap. 13. v. 21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. 140

cap. 19. v. 40. Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. 249

v. 42. Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. 543

Ex Ioanne.

Cap. 1. v. 12. In propria venit, & sui eum non receperunt: quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri. 26

cap. 2. v. 1. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ 711

cap. 3. v. 19. Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. 508

cap. 9. v. 39. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. 53

cap. 12. v. 24. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. 543

cap. 15. v. 4. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis: quia sine me nihil potestis facere. 8

cap. 17. v. 1. Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. 22

cap. 20. v. 21. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. 30

Ex Actis Apostolorum.

Cap. 9. v. 15. Vas electionis est mihi iste. 1.

cap. 17. v. 26. Fecitque ex vno omne genus hominum inhabitare super faciem terræ. 8

v. 28. Ipsius enim & genus sumus. 61

Ex epistola ad Romanos.

Cap. 3. v. 13. Omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei. 8

cap. 4. v. 11. Signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio, vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam. 15

cap. 5. v. 15. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt. 8.

cap. 9. v. v. 4. Qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula. 16. & 402

cap. 10. v. 4. Finis enim legis Christus. 16

cap. 11. v. 11. Illorum delicto salus est gentibus, vt illos æmulentur: quod si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium. 21

v. 16. Quod si delibatio sancta est & massa, si radix sancta & rami. 41

v. 19. Dices: ergo fracti sunt rami vt ego inserar: bene propter incredulitatem fracti sunt; tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time. 21

cap.

cap. 15. v. 8. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis. 30

Ex prima epist. ad Corinthios.

Cap. 1. v. 28. contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret. 1

cap. 2. v. 14. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia est enim illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur: spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur: quis enim cognouit spiritum Domini, qui instruat illum? nos autem sensum Christi habemus. 8

cap. 15. v. 20. Nunc autem Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. 4

v. 45. Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem: sed non prius quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cœlo cœlestis. 875

cap. 16 v. 9. Ostium enim mihi apertum est magnum & euidens & aduersarij multi. 68

Ex 2. epist ad Corinthios.

Cap. 5. v. 20. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. 30

cap. 10. v. 5. Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. 411

Ex epist. ad Galathas.

Cap. 1. v. 12. Qui a non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici: sed per reuelationem Iesu Christi. 13

v. 17. Sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum. 553

cap. 4. v. 19. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. 42

Ex epist. ad Ephes.

Cap. 1. v. 10. Quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso. 12

cap. 2. v. 12. Quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israël, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. 54

v. 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens 12

v. 22. Ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu. 10

cap. 3. v. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo. 12,

cap. 4. à v. 11. Et ipse dedit quosdam Apostolos quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. 65

v. 25. Crescamus in eo per omnia, qui est caput Christus. 65

Ex epist. ad Colossenses.

Cap. 1. v. 13. Primogenitus omnis creaturæ. 4

cap. 2. v. 9. Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 433.

Ex 1. epist. ad Thessalonicenses.

Cap. 2. v. 11. Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? vos enim estis gloria nostra & gaudium. 112

Ex ep. 2. ad Thessalonicenses.

Cap. 2. v. 13. Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, Fratres dilecti à Deo; quod elegerit vos Deus primitias in salutem in sanctificationem spiritus, & in fide veritatis. 40

Ex epist. 1. ad Timotheum.

Cap. 2. v. 13. Adam enim primus formatus est. 875

cap. 6. v. 20. O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. 871

Ex epist. 2. ad Timotheum.

Cap. 4. v. 3. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. 874

Ex epist. ad Philemonem.

v. 10. Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis Onesimo. 42

Ex epist. ad Hebræos.

Cap. 2. v. 16. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. 12

cap. 7. à v. 1. Hic enim Melchisedech Rex Salem, sacerdos Dei summi, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, adsimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum. 872

cap. 10. v. 5. Corpus autem aptasti mihi. 241

Ex 1. epist. Ioannis

Cap. 1. v. 1. Carissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint. 490

Ex Apocalypsi.

Cap. 1. v. 5. Testis fidelis primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo. 4. 22

v. 12. Ecce venio cito: tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. 21

cap. 3. v. 18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, vt locuples fias. 448

cap. 10. v. 1. Vidi alium Angelum fortem descendentem de cœlo amictum nube, & iris in capite eius. & facies eius erat vt sol. 471

INDEX
RERVM ET VERBO-
RVM MEMORABILIVM
TRIVM TOMORVM HISTORIÆ SS. TRIVM REGVM MAGORVM.

A.

ABDIAS *prædicit Christum legatum mittendum ad gentes vt eas armet contra hostes.* 94

Abduti fiunt ex Ioguibus in India: quibus post summam temperantiam exercitam permittuntur omnes voluptates. 220

Abel significat luctum & Seth resurrectionem: ij figurant mortem & resurrectionem Christi: fundatur in his, seu in spe resurrectionis Ecclesia Dei. 132

Abimelech cum gente sua fidelis fuit. 14

Abraham *præ posteris fuit donatus gratia copiosiore* 3

Christianus fuit cum posteritate corporea & spirituali: ideo desiderauit tres Reges. 14

Pater fuit vt Iudæorum, sic Gentilium fidelium 15

Ei promissio per stellas facta impletur in SS. Regibus. 42

Proponitur Iudæis imitandus. 50

Obedientia eius meruit Iudæorum adoptionem, 58

Astrologiæ peritus fuit. 75

Excelluit fide, obedientia & hospitalitate 136. 137

Tanti Deus fecit solum, quanti ceteros omnes: ideo vocari Deus Abraham voluit. 138

Vocis eius etymon. 181

Ex stellis cognouit Deum & docuit Chaldæos & AEgyptios. 16

Filij eius sex ex Cethura nati coluerunt Indiam & Arabiã, quibus aurum thus & myrrham donauit, 186

Zelus Abrahæ & Saræ vxoris in conuertendis vernaculis & confinibus gentibus. 539

Abyssinorum *Rex errore vocatur Presbyter Ioannes.* 202

Stellam caudatam gerit in armis gentilitijs, & originem suam refert ad tres Reges. 382. 814

Adamus *præ alijs Patriarchis legis naturæ donatus est vberiore gratia.* 3

Pœna & remedium eius peccati. 15

Prædixit Christi cum Ecclesia maximam coniunctionem abstrahendo ab eius morte, 71

Magister primus fuit sapientiæ & Astrologiæ, quam docuit Sethum & Noëmum, inscriptam duabus columnis. 180

Adoptionis *diuinæ præstantia: vide præfationem.* 60

Eam tres Reges Gentilibus meruerunt. 59

Grates ideo Deo referendæ. 63

Adoratio *Persarum & Iudæorum prona in terram: eam à Macedonibus invitis frustra exegit Alexander M.* 415

Adoratio Dei vera sit absque errore: qualis Regum, qui per excellentiam dicuntur adoratores: ij puerum cultu latriæ adorarunt vt creatorem, saluatorem & iudicem. 423

Non vt Caluinus commiscitur solo politico cultu, 422

Impietas hominum in sacro Deum non adorantium flammis digna. 416. 404

Aduentus *Christi in mundum effregit vim dæmonum.* 225

Aduentus eiusdem in AEgyptum destruxit idola. 224

AEdificator Ecclesiæ Christus 10

Ægyptij inuentores Geometriæ ob agrorum dimensiones ex Nili inundatione. 180

AEgyptus omnis superstitionis mater aduentu Christi perdidit idola. 224

Sanauit is vt medicus decem eius plagas. 516

Facta est paradisus religionis. 518

AEmilianæ sancta mors die Epiphaniæ. 760

Æra Colonienſis incipit cum natali Deiparæ. 248

AEra Christiana natalis Christi. 245

AEtas SS. Regum in adoratione & morte. 563. 838

Æthiopia sæpe pro Arabia sumitur. 103

Situs eius, fluuij, diuisio. 153. *pro Madianitis sumuntur AEthiopes.* 185. 211. *vocatur tunc Orientalis & Indica.* 211

Affectus Regum adorantium Christum. 409

Agape Coloniæ in sodalitijs vsitata: pr. ea donatio librorum Scabinalium inducta in sodalitatem SS. Regum. 868

S. Agatha seruitutem Christi præponit regnis. 431

Aggæus promittit Christum desideratum gentibus, quas prodigijs ait conuertendas esse. 109

B. Alberti M. *encomium, vindicatur à calumnijs improborum: plura de rebus diuinis, quam naturalibus scripsit, festiuo epulo die Epiphaniæ Cæsarem excipit* 811. *id non miraculo factum, vt Bzouius putat, sed vi naturali & solertia qua præstabat Albertus: nec ea res abhorret à sanctitate viri, cum necessaria sit aliqua remissio animorum etiam asœtis.* 812

S. Albini M. capsa immobilis persistit. 817

Alexander M. *derisus à Macedonibus, quod adorari vt Deus vellet.* 415

Eius cum Magis Persicis & Gymnosophistis Indorum congressus; contemnitur ipsius ambitio. 177

Alexander imperator Mammææ filius translato Edessam S. Thoma putatur tres Reges ex India in Arabiam retulisse. 589

Alexander 3. *Papa creatur legitimè contra Victorem Antipapam: ei obsistit Fridericus Barbarossa cum Reinoldo Archiepiscopo Colonienſi.* 610

Ipse confugit ad Gualfagum. 616

Fugatur Roma. 683

Ei reconciliatur Fridericus Imperator opera Philippi Colonienſis Archiepiscopi. 777

Philippum Archiepiscopum magnis ornat priuilegijs 783

Alpium *Cottiarum & Lepontiarum descriptio.* 635
Altaria SS. *Regum in Burgundia.* 646. *Coloniæ* 788. *in diœcesi Moguntina,* 662. *Aquisgrani.* 762. *Heisterbaci.* 788
Altimontensis familiæ primogeniti in Burgundia strumas eulogijs sanant. 644
Ambitio *Herodis pauorem generat.* 358
Ambitio Alexandri derisa admonitione mortis. 177
S. Ambrosius *erexit collegium Canonicorum in templo SS. Regum.* 653. *eleuat S. Geruasium & Protasium.* 650
Ambrosianum missale cœlitus probatur. 753
Amici *tres Iobi Reges, sacerdotes, sancti & trismegisti reprehenduntur ob ignorantiam quarundam rerum.* 142
Amor *infinitus sponsi Christi ad gentilitatem.* 91. 142. *accommodat se ingenijs Regum.* 279. 80. 81. 287. 401.
Amor Dei viuo, ebrijs, & igni comparatur 287. 312. *vincit cupiditates, labores & omnes difficultates.* 288. 289. *inuictus triumphat de omni re creata.* 323
Leuia facit omnia molesta. 446. *aduersa non sentit.* 483
Amor proprius excœcat etiam viros sanctos. 345
Amos *prædicit à Christo Gentilium fundandam esse Ecclesiam.* 92
Angelis *homo prælatus.* 2
Angelorum Caput Christus meruit eis gratiam. 8
Creati sunt omnes in gratia: fidem Christi habuernnt, gauisi sunt in eius natiuitate. 11. 12. 462
Eius aduentum desiderarunt. 11
Per ipsum vt angularem lapidem sunt hominibus coniuncti. 462
Paranymphi sunt inter Christum & homines. 463 471.
Cum reuerentia & tremore ei adsistunt in Eucharistia. 43
Angelis *Iaponis scrupuli conuersionem ipsius & Iaponiæ pepererunt.* 217
Angliæ *Comitum origo; reges ex ijs orti.* 605
Animalia *duo prophetica bos & asinus.* 98
Annus *Christi natalis communior Augusti* 42. *quis V. C. Consulum, & Herodis* 245
Antiochus *Soter pentagono salutis vicit.* 242
S. Antonij *de dæmonum imbecillitate exhortatio.* 275
Antri *Bethlehemitici descriptio.* 383. 391. 394
S. Appollinaris *cum prodigijs transfertur in Remagen* 603 *& sequ. variæ eius translationes & vltima Dusseldorpium.* 665
Apollinem *coluit Augustus impensè, consulto eo de successore.* 220
Apostoli *præ alijs gratiâ copiosiore donati* 31
Sanctiores Patriarchis ob officij dignitatem. 27
Duplex eorum munus fuit testari Christi anastasin, & prædicare. 27
A solo Christo electi. 30
Cur piscatores. 29
Sunt Ecclesiæ fundamenta, portæ, columnæ. 66
Iussi sunt post resurrectionem Gentibus prædicare, nihil omnino Ierosolymæ, substiterunt anno primo & altero orta persecutione, & Stephano necato. 551
Aqua *Christus est.* 146
Eam reiectam à Iudeis bibunt Gentiles. 148
Aquæ lustralis vsus à tempore Apostolorum contra magicas præstigias cum miraculis, & consuetudo vetus ea præsertim pridie epiphaniæ lustrandi domus. 714
Aqua Iordanis & quæ die Epiphaniæ consecratur fert ætatem. 713
Aqua in vinum conuertitur annuè in Oriente 6. vel 7. Ianuarij. 711
Aquilis *& alatis 4. animalibus similis celeritas Regum.* 295
Reges vt aquilæ ex alto mundi regna vt punctum despiciunt. 421
Aquisgranensis *templi magnificentia, ornatus, dedicatio, indulgentiæ: sedes in eo regia constituta.* 763
Ara SS. Regum *Deipara aracœli dicta* 57
Aracœli templum Capitolinum Romæ à Constantino M. ædificatum Benedictinis datum & tandem Franciscanis cessit. 273
Ara in carcere pectus sancti Luciani. 37
Arabes *Arithmeticam & Astronomiam inuentam à Phœnicibus auxerunt.* 180. 187
Reges eorum eruditi: Euax scriptor libri. ibidem, & 208.
Arabiæ *situs: triplex est: ex his sola felix dicta thus profert: religio id colligendi. & modus.* 206.
In Sabea regione id germinat, vti & myrrha præstantissima & efficacissima: modus incidendi. 207
Aurum ibidem purissimum, á natura excoctum, & inuentu facile. 202
Rex. Arabiæ Aricus æqualis Nini: coluit eandem Abrahæ posteritas: ex Agare nati Agareni, & Ismaëlita ex Cetura geniti alij, Ismaëlis filius Cedar desertam, Nabot verò Nabatheam Arabiam possedit: vide Reges vtriusque 208 *in his Arethas primus, & Malchus primus, Obodas pareus Arethæ secundi: Syllæus tempore Christi, Obodæ regis nomine regnum gubernauit, infensus Herodi.* 208
Arabiæ Petrææ *Reges etiam quandoque Syriæ Damasci exstiterunt.* 208 210
Inuicti fuerunt. 207
Arabiæ *desertæ situs, vrbs eius Scenitis.* 206
Reges eius ex posteris Abrahæ 207
Arabiam felicem *habitarunt Ceturæi, nam Madian nomen dedit toti Arabiæ & ciuitati Madianæ ad oram maris rubri sitæ Filius Epha regionem habuit iuxta patrem: Madianis frater Iecsam genuit Sabam & Dodanem, à quibus Sabæi & Dodanenses orti.* 208
Successores Regum inusitati postea in Arabia: nam primus è nobili genere post Regem creatum natus ei sufficiebatur 208
Diuitiæ gentis, aromata, odores, supellex. 209
Orbis paradisus est 210
Qui Patres ex Arabia deducant tres Reges 210
Pro Arabia multi Persiam accipiunt, in qua etiam quædam Saba dicitur esse 211
Alij Arabiam felicem cum Orientali seu Iudica Aethiopia confundunt. 211 & 212.
Rationes cur ex Arabia videantur venisse. 212
Est orientalis Palæstinæ vt Gentiles & ipsa scriptura contra Caluinum testatur. 212
Ob pacem ignotiores eorum Reges & Philosophorum ibi frequentia fuit. 210
Arethas tertius *Obodæ filius ab Augusto & Tiberio confirmatus Rex Damasci necem S. Paulo machinatus est: eius filius Euax librum Neroni inscripsit.* 208

Arethæ & 300. Sabaorum nobile martyrium. 584

Armeniæ *Rex coronatur à Moguntino nomine Romanorum Imperatoris.* 790

Episcopus *inde Coloniâ peregrinatur ad tres Reges: vulneratur delato secum incorrupto brachio S. Simeonis Apostoli.* 791

Arsaces *primus ante Christum annis ferè 245. Parthis imperiũ peperit: dicti sunt ab eo successores Arsacidæ.* 198

Victoriæ eorum contra Romanos & pax demum conciliata. *ibidem*

S. Arsacius *Episcopus Mediolanensis innumeros conuertit: errore putatus est transtulisse tres Reges.* 752

Cultor fuit reliquiarum Regum. 753

Artebas *Parthorum Rex primus sibi duplex imposuit diadema, dictus Rex Magnus, indeque successores.* 183

Asina *significat Iudæos, pullus Gentiles.* 81. 98

Cum boue pascitur eodem cibo Christo. 98

Asina Balaam significat Gentiles Christi Gloriam loquentes. 508

Astra *inclinant non cogunt.* 263

Astrologia *via vna ad sciendum Deum ex Arabum effato.* 183

Astrologi regnarunt in variis locis. Alexander M. & C. Iulius Cæsar eius periti fuerunt. 148 185

Assyrij *Phœnices & Sidonij inuentores & cultores Astronomiæ & Arithmeticæ ob mercaturam & crebras nauigationes.* 180

Atheorum *doctor Herodes æmulus Luciferi simili mulctatus pœna.* 563

Athlas *Rex Mauritaniæ inuentor sphæræ eam Herculi tradidit.* 183

S. Augustinus *interest eleuationi SS. Geruasij & Protasij narrat miracula tunc facta, vt de cæco illuminato.* 651

Augustus *deditissimus cultui Apollinis, silentij eius causam accepit ob aduentum Hebræi pueri.* 224

Prodigia in ortu eius de Rege nato 226

Initio imperij halo circa solem. 232

Donauit ciuibus Romanis omne æs alienum. 234

Vidit Christum in sole: aram ei dedicauit, quem ex Sibyllinis agnouit. 271

Vetuit se Dominum appellari. 272

Christi typus fuit & nomen Augusti die Epiphaniæ accepit. 761

Aularum *ineptiæ & Aulicorum in templo mores.* 424

Aurum *signatum magni ponderis vidit S. Elisabetha à primo Regum Christo oblatum.* 774

Aurum Arabicum purissimum excoctum à natura, inuentu facile. 207

Signabatur apud Syros & Romanos 160. annis ante Christi natales. 448

Eo designabatur caritas: ideo omnia templi Salomonis vasa nobiliora aurea: templum etiam totum intus aureis laminis tectum, vt anima templum Dei caritate splendens. 448

Petenda à Deo caritas seu aurum ignitum probatum: offert vltro. 448

Hoc solum ditat dummodo effundantur sordes mundi. 449

B.

Babel *significat confusionem: at labium vnum concordiam fidei.* 102. 134

Balaami *duplex prophetia de stella Magorum & de muneribus oblatis.* 82

Fuerunt Reges tres successores eius vaticinij & Astrologiæ, non generis ipsius. 82.

Balthasar *id est Beli vel Domini thesaurus: vide alias eius vocis notiones.* 171

Balthasar *è Chaldæa verosimiliter venit.* 205

In festo Epiphaniæ post sacrificium martyrio decoratur, sepelitur in tumulo Gasparis, qui dextrum ei cessit latus. 569

Balthasar *quidam Rex Tartariæ prodijt ex stirpe SS. Regum, profugit in Hungariam, ab eo geniti sunt Comites Paulini & de vallibus.* 205

Bambergæ *situs, locus quietis in translatione SS. Regum* 657

Pax ibi firmatur & ara SS. Regibus erigitur. 680

Anniuersaria memoria solennis SS. Regum. 658

Baptismum *Christi vidit S. Mechtildis.* 816

Et S Elisabetha Schònaugiensis. 774

Baptismus *copulat animam Christo sponso.* 457

In Baptismo *fideles omnes vnguntur Reges in capite, ne seruiant vitijs. scapulis, vt ferant onus præceptorũ: pectore sint misericordes, manus cohibeant ab immundicia, vi, auaritia; linguam à detractione & adulatione; cor à prauis desiderijs: nam verè Reges qui sibi imperant.* 461

Baptizatus *Christus eodem die, quo adoratus à Magis licet annis diuersis.* 538

Post Baptismum per annum tantum priuatim docuit: & in fine eius publicè; ostensus interim sæpius à Ioanne Baptista. 540

Baptisterium *in Cedebratis castello aridum die Paschatis repletur aqua: idem prope Meltinas accidit in ecclesia: vbi verum Pascha ab erroneo, suo fluxu indicauit aqua. Pari modo in Soruba & in Lycia die Epiphaniæ baptisterium repletur cælitus aqua.* 718

S. Barnabas *ante Mediolanam fontem excitauit, quo baptizandos abluit, ægris salutarem: ad eum locum delata corpora SS Regum inde loco moueri non potuerunt, ideo condidit ibi Eustorgius ecclesiam, & in ea deposuit.* 601

Bartholomæi *primi Principis Iaponiæ conuersi feruor, & legatio Romam destinata.* 861

Baruch *describit regium & prodigiosum Regum accessum ad Christum.* 107

S. Basilius *contemnit mortem appetit tormenta amore Christi.* 748

Solennitatem *Epiphaniæ magnificè peragit, terretur eius maiestate Valens & vertigine laborat.* 749

Columba ei suggessit dicenda pro suggestu: & igneâ columnâ sanctitas eius declaratur. 748

Vestitus eius die Epiphaniæ candidus, Ephreemo peritiam linguæ Græcæ impetrat. 749

Benedictio *auri thuris, & myrrhæ festo Epiphaniæ, vsus & fructus eorum.* 729. 730

Benedictio aquæ baptismalis eodem die contra tempestates & præstigias magicas. 712

Bernardi *VVittij narratio bella translationis SS. Regum.* 697

S. Bernuardus *Episcopus Hildesiensis reformat monasterium Gandesimense: resistit ei Sophia monialis ope VVillegisi: Romam euolat Bernuardus pro iure suo defendendo.* 770

Reconciliatur VVilligiso. 771
Bethlehem *inseſſa ab hoſtibus.* 147
Cur in ea, non verò in Galilæa natus ſit Chriſtus? 243
Seruiuit Auguſtus Dei prouidentiæ, vt ibi in natali & regio ſolo naſceretur. Ibidem. Hanc præ Solyma patriam Chriſtus elegit ob humilitatem. 347
Situs eius & diſtantia ab Hieroſolyma. 394
Prærogatiuæ eiuſdem. 393
Bethlehem *Iudæ rectius dicitur, quam Iudææ ob plures prophetias inſinuatas.* 244
Quomodo ſit domus panis & homò fiat Bethlehem. 351
Extra Bethlehem *Chriſtus natus eſt, in via non in oppido.* 382
Beza *negans Magos Reges refellitur.* 159
Iterum confutatur. 489
S. Birgittæ *de tribus Regibus & colloquio cum B. V. oraculum.* 829
Bonifacius 9. *plenarias indulgentias largitur in Epiphania & tranſlatione, & 10 annorum per Octauas.* 830
Bonis omnia *cooperantur in bonum.* 335. 518
Bos & *aſinus ſignificant Gentiles & Iudæos paſtores eodem cibo Chriſto in præſepi vſuros.* 98
Brachmanæ *in ſolo Dei cultu felicitatem collocabant.* 178
Origo eorum, varietas, vitæ ſeueritas, ſcientia Mathematicæ 279
Philoſophia, conuictus, ſilentium abſque ſternutatione, autoritas, & quando laxetur rigor iſte. 220
Brachmanæ regni Melchioris cranganore, Calecuti, & Ceilani. 221
Ducentos diſputando vincit Xauerius: probant Chriſti fidem: ridiculas quæſtiones proponunt: inſtitutâ eorum pia: caruerunt pleriquæ magicis artibus, Aſtrologia & Arithmeticâ expoliti. 221
Briſacenſis *ciuitatis ſitus.* 647
Miraculum in tranſlatione Regum ibi patratum: ibidem relinquuntur SS. Geruaſius & Protaſius teſtimonium ciuitatis & miracula eorum. 649
Bruno *Bonnenſis præpoſitus condit cum fratre Præmonſtratenſibus Seineuſe cœnobium, ornatque reliquijs S. Simonis Apoſtoli.* 791
Burgundiæ *comitatus quinque ſtationes tranſlationis SS. Regum numerat & colit. Strabonæ. in Abbatia trium Regum, in Buffart, Selliers, & monte S. Benedicti, miracula in ijs plurima patrantur. v. àf* 638 *& deinceps.*
Feſtiua *gaudia & dramata quæ in Burgundia feſto Epiphaniæ olim exhibebantur.* 732 *&c.*

C.

Cæcus *monitus cœlitus aquâ die Epiphaniæ conſecratâ adhibita illuſtratur.* 712
Alius præſente S. Auguſtino cultu SS. Geruaſij & Protaſij ſanatur. 651
Caius *Agrippæ filius pacem cum Parthis ſancit.* 249
Calanum *Brachmanam ſequentem Alexandrum irriſerunt ſocij, quod alium Dominum extrà Deum quæreret.* 177
Calceamenta *Chriſti ſoluit, qui fidem eius prædicat.* 140
Calecuti *templum Deiparæ vtue erectum à ſocio Regum* 215
Caluini *negantis Magos fuiſſe Reges calumniæ conuellitur.* 159
Iterum alia de numero eorum. 170
Et de patria. 212
Eoſdem impiè facit hæreticos & ambitioſos. 317
Cum Chriſtum vere Deum agnouerint & adorarint. 439
Caluiniſtarum *peruicacia Chriſtum negantium in Euchariſta conuellitur.* 413
Camelus indies 31. milliaria Germanica vel 14. leucas conficit & iter Sabâ Solymam non eſt 30. leucarum 293
Camelis vſi Reges facile confecerunt iter. 294
Campana nullo mouente ſonat aduentu corporis S. Apollinaris. 663
Campanæ maioris Colonienſis eccleſiæ metropolitanæ pondus. 208
Canonicis *ſummi templi Colonienſis accenſentur ſummus Pontifex & Romanus Imperator, ſedemque primam obtinent, ſuoſque Vicarios retinent.* 799
Splendor, dignitas & eminentia Cleri illius. 810
Aptè illuſtribus ignobiles docti vt in Romana eccleſia ſociantur. ibidem
Canticum *laudis Sophoniæ ob conuerſionem Gentilium à peccatis.* 104
Caracalla *Getam fratrem necatum Diuum fecit, & Herodes optabat Chriſtum vt Deum adorare: dummodo vt hominem occidiſſet.* 368
Caritas *primum donorum eſt, neceſſaria ad ſalutem, comparatur auro, exigit vt omnia opera ſint aurea & probata: eſt gemma & margaritum mole exigua ditans.* 448
Carolus M. *mille templa condidit:* 765. *præcipuum horum Aquenſe Marianum, dicatum à S. Leone 3. die epiphaniæ præſentibus 365. Epiſcopis.* 763.
Corpus eius eleuatur, Sanctis adſcribitur ab Antipapa Paſchali, cultus eiuſdem toleratur ab eccleſia. 681
Carolus 5. *Coronatus, Coloniæ SS. Reges viſit.* 843
Monumentum eis argenteum dedicat cum inſcriptione. 844
Cedebratis *caſtellum ſub monte Aenoandron ſitum habet baptiſterium, quod die Paſchatis cœlitus aqua repletur.* 712
Ceilani Rex *Melchior. Ibidem Regis filius cum ſexcentis ob fidem trucidatur: cruces inde viſa prodigioſa.* 222
Celeritas *incredibilis Maximini & aliorum curſu certantium: Iulius Cæſar theda indies centum millia paſſuum confecit. Tiberius 50. milliaria Germanica ſuperauit. Niſeorum equorum, camelorum & dromedariorum velocitas.* 293
Celeritas SS. Regum mira, noua inopinata. Ibidem & 300
Centuriatorum *conuitia refelluntur.* 170
Certamen *virginum & coniugatarum quæ primæ martyrium ſubirent.* 580
Ceturæ *& Abrahæ 6. filij Arabiam & Indiam coluerunt.* 186. 208. 212. 579.
Chalcidius Gentilis Philoſophus narrat Chaldæos ſapientes ductu ſtellæ Deum infantem repertum muneribus honoraſſe. 237
Chaldæa ſitus & deſcriptio. 204
Chaldæorum *ſapientia præcipuè Aſtrologiam complectebatur.* 180
Abraham Chaldæos docuit, qui filios Philoſophiæ imbuebant.

bant. 181. inde Balthasar venisse videtur. 205
Cheremon Stoicus scribit Augusti tempore cometam ortum qui prospera & salutaria significauit, 236
China vide Sina.
Chirothecæ proiectione bellum alibi denunciabatur. 148
Christus ita dictus, quia vt Rex & Sacerdos vnctus gratia fonte & diuinitate. 240
Plus dilexit homines quam Angelos, altiusque evexit. 2
Tres Reges sibi despondit. 3
Primogenitus est omnis creaturæ primitiæ dormientium, finis mundi, etiam qua homo est. 4. 5
Christo debentur 7. priuilegia primogenitorum: ea obtinuit operâ trium Regum adita gentium hereditate. 5
Excelsus est præ Regibus terræ. 5
Superat omnes Patriarchas multis prærogatiuis: Rex & monarcha totius mundi est. 6
Eius regnum tres Reges promulgarunt 6
Caput est hominum & Angelorum, ac his etiam gratiam meruit. 8. 464
Cor est hepar & cerebrum anima. 8
Instaurat cœli ruinas. 12
Desiderium collium æternorum. 17
Cur corporatus. 17
Docet exemplo humilitatem. 24
Christo viciniores boni, plerique sanctiores. 25
Amore Gentilitatis deseruit Iudæos. 72
Christus virga & stella. 81 385
Cibus noster. 98
Saluator & defensor: qui gloriatur de victoria suorum vt corona sua. 104
Rex pacificus & Sacerdos. 110
Rex animæ nostræ. 109
Angelus testamenti. 113
Reperit ecclesiam ad fontem Baptismi. 143
Fons est qui beat & sanctificat. 148
Christi vncti figura Augustus. 234
Natus est cum deesset aliud remedium succurrendi hominibus. 245
Christi attrahentis Magos vis efficacissima. 267
In stella puerili specie visus est. 268
Christus nobis est omnia & satiat. 287
Vt sol hemisphærio Gentilium attulit diem, & noctem, Iudæis. 368
Volentes trahit ad ea, quæ carni sunt molesta. 380
Christus in via Lucifer est & sol in patria. 385
Inuentus à Magis in antro. 392
Christus Regibus benedicit. 486. 487
Eodem die diuersis annis est à Magis adoratus, baptismo tinctus, & aquam in vinum commutauit. 538
A baptismo priuatim anno docuit: & sub anni finem publicè sapius interim ostensus à Ioanne. 540
Mortificandus fuit instar grani, vt resurgeret in fide gentium. 543
Repudiat Iudæos, eorumque synagogam: ideo crucifixi facies ad occasum & gentes fuit conuersa 546
Tenebræ cæcitatem Iudæorum, vt Gentilibus stella fidem prænunciauit. 547
Vnicè Iesus crucifixus est amandus à Gentibus ibidem
Christi seruum se profiteri medium est efficax contra omnes tentationes. 432
Christianus membrum est Christi. 9
Fideles omnes ante Christum fuerunt Christiani. 13
Vti Iob, Abimelech, posteri Abrahæ Ceturæi. 14
Christianos omnes decet esse stellas. 388
S. Chrysostomus die epiphaniæ Imperatorem accendit ad proscribendos Arianos. 754
Cibus fidelium Christus facit vnum animal & vnum populum è duobus. 98
Circumcisio spiritualis necessaria fidelibus. 525
Ciuitatis cœlestis structores tres Reges fundata in spe futurorum bonorum. 133
Felicitas eius. 502
Claudia Procula Pilati vxor Christum iustum profitetur: ea Sanctis adscribitur in menologio Græcorum 544
Clauis meritorum Christi lanceæ fuit, reserans nobis latentes thesauros eius. 242
Clauorum Christi alter infixus diademati, alter frenо Constantini. 590
S. Clementis Ancyrani 28 annorum martyrium & celebre sacrificium die Epiphaniæ patratum. 738
Prædicit idololatriæ interitum. 739
Cleri Metropolitani Coloniensis eminentia: 21. Cardinales habet: initium octo presbyterorum. 806
Reges Romanorum ei adscribuntur, & iurant Capitulo 809
Codoragi prope Comum prima statio quietis SS Regum in translatione, campestri sacello ijs excitato, vbi triduo vicinia tota ante vel post Epiphaniam feriatur. 632
Cœli ruinas instaurat Christus. 12
E cœlo terram despicienti videtur esse punctum. 421
Cœli vocales Apostoli. 46. 83
Cœlestis esse debet vita Christianorum. 76. 78 83
Collectore fabricæ non impediendi: concione. 821
Nomina eorum. 834
Colloquium Deiparæ cum SS Regibus congruit rationi, prudentiæ & moribus eiusdem. 484
COLONIAM AGRIPPINAM translatos anno 1162. SS. Reges, explosis aliorum sententijs, euincitur 668
Situs & figura ciuitatis eodem anno: & apparatus ad excipiendas reliquias. 669
Duplex natalis eius. 670
Felicitas eiusdem. 674
Bellum Coloniense susceptum pro seruandis SS. Regibus, eductis in campum 125. millibus armatorum. 677
Arma gentilitia vetera ciuitatis eadem, quæ Francorum orientalium, seu tres pyramides inuersæ, adductis Regibus in tres aureas coronas sunt commutatæ. 780
Augetur ciuitas ingenti hemicyclo Collegiatis, Parochialibus & Regularium ecclesijs ac magnificis ædibus. 781. Item in dedicat Ad senatum. Imperator pacem conciliat inter Colonienſem Archiepiscopum & ciuitatem sedatis discordijs ortis ex amplificatione & ædificatione domorum. 782
Cæsar & filius armatur contra ciuitatem nullo Principum adsistente: sed breui sopitur controuersia. 784
Senatus Colonienſis pridie Epiphaniæ instituendam solennem annuam supplicationem ad SS. Reges decernit. 784
Item in præfat. ad Senatum.
Otto 4 & Philippus Sueuus Imperatores piè colunt SS Reges. 787
Episcopus Armenus eo peregrinatur. 795
VVilhelmus Imperator. 811

Reges Angliæ, Daniæ, Cypri & Henricus 7. Imperator eosdem ibi venerantur. 827
Rupertus ibi coronatus Imperator & Sigismundus ad Clerum & populum Latinè perorat. 831
Fridericus 3. & Maximilianus sæpius Coloniam adeunt. 831. 841. 843
Colonienses Maximiliano fidem iurant. 844
Ferdinandus primus Coloniæ Rex Romanorũ eligitur 843
Petrus Faber eo peregrinatum mittit Ioannem Arragonium & Aluarum è Societate Iesu. 846
Ipse cognoscit absens gesta Coloniæ: eodem ipse properat, congreditur feliciter cum hæresiarchis & vrget, vt Archiepiscopus hæreticus solio deijciatur. 847
Sacrum solenne Archiepiscopale primum Maximiliani Henrici Electoris anno 1652. die epiphaniæ nouem comitibus ministris adsistentibus cantatum. à fol. 880
Structura summi templi ibidem rursum inchoanda in præfat. & f. 883
Item in tribus dedicationibus.
Columba *Suggerit S Basilio concionanti.* 748
Columnæ *tres ecclesiæ sancti Reges: proprietates earum, firmitas, præstantia & inscriptio.* 66. 67
Columnæ Herculis, Machabæorum & Salomonis. Item duæ Adami lateritia & lapidea inscriptis imaginibus Astronomicis. 180
Columnæ nubis, quæ Iudæos duxit descriptio: ei similis & dissimilis stella Magorum. 284
Cometa *Dei in se effigiem habens* 235
Is salutaris & boni ominis fuit. 236
Cometarum varia genera & nomina. 253
Figura, materia, forma. motus. 254
Materiam habere stella Magorum potuit cum Cometis communem, & ab Angelo præparatam. 254
Comitatus *Regum fortis cum expeditis turmis.* 277
Communicandi *modus primorum Christianorum & festo Epiphaniæ.* 720. 721
Comum *versus Reinoldus primum misit corpora SS. Regum.* 632
Concilia *in fidei dubijs cogenda.* 336
Tunc etiam improbis consultis credendum. 341
Concionatorum *solatium cum successu carent.* 320
Concordia *Iudæorũ & Gentilium in fide Christi.* 98 103
Confessorum *varia genera: qui proprij vt SS. Reges* 38. 333
Eorum literæ pro lapsis efficaces Ibidem.
Congressus *trium Regum commodus tempore ortus stellæ.* 218
Familiaritas mutua in placitis Physiologicis disceptandis. Ibidem.
Conrardus Palatinus *Cæsaris frater insidiatur corporibus SS. Regum. bello petit Colonienses: fugatur ab ijs.* 677
Reconciliatur ijsdem Bambergæ. 680
Conrardus Hildesiensis *Episcopus & Cancellarius coronat Regem Cypri nomine Romani Imperatoris.* 790
Conrardus ab Hosteden *Colonienses Archiepiscopus tres Reges Romanorum eligit & viribus auget. Templum Cunibertinum consecrat.* 798
VVilhelmum Cæsarem festo Epiphaniæ excipit, Alberto M familiaris. 811
Iacit fundamenta noui templi metropolitani. 798
Conscientia *mala semper pauida & anxia.* 224. 329
Conscientiæ scrupulis consulturi Melchior & Anger patrias deserunt, & eas conuersi conuertunt. 216
Consilium *petendum à multis prudentibus & autoritate præditis, vt prudenter fecit Herodes.* 335
A bonis non improbis. 341
Necessitas consulendi. 342
& quandoque inferiores. ibidem
Constantinopolim *Helena corpora SS. Regum transtulit.* 591
Vix annis octo ibi quieuerunt, ab Eustorgio Mediolanum deportata. 594
Constantinus M. *ex Sibyllinis oraculis & Virgilio Christi diuinitatem probat.* 126. 129
Condidit Romæ in Capitolio templum Aracœli. 272
Excitat in oriente templa, quibus fidei mysteria recolerentur. 744
Donat Eustorgium corporibus SS. Regum. 594
Clavis Christi in diademate & freno vtitur. 590
Contemplationis *donum Reges à Christo acceperunt.* 478.
Cor *cum cerebro & hepate primo generatur; ei Christus comparatur.* 8
Offerendum Christo cum manibus & pedibus. 793
Cornu *superbiam & fortitudinem indicat.* 100
Corona *triplex oblata Christo à SS. Regibus.* 110
Coronæ tres in armis Colonienſis civitatis. 780
Explicatio earum in dedicatione ad Senatum. Coronæ gloriæ concionatorum & virorum Apostolicorum sunt conversi ab ijs & iusti Deo. 112
Coronam gemmis fulgurantem videt Celsus in capite S. Iuliani. 741
Corpora *SS. Regum simul sepulta sunt in Arabia. Inde singillatim transmissa ad singulorum regna & per S. Agritium collecta à S. Helena devecta sunt Constantinopolim.* 589
Corporum eorundem Coloniam translatorum situs & compositio. 478
Cranganor *regia fuit Melchioris Regis:* ibidem
Deipara viventi triennio post reditum suum condidit templum. 214
S. Thomas loci Brachmanas convertit. 222
Crantzij *narratio de modo translationis SS. Regum.* 696.
Crux *arbor malus & lectulus, in quo Christus, genuit Ecclesiam.* 546
Cruce vis omnis dæmonum est infirmata. 225
Per eam elementa concussa & gentes conversæ. 543
Crucis primi cultores erecto templo SS. Reges, ideo Crux eorum nominibus præfigitur & foribus appingitur contra præstigias dæmonum. 715
Crux prodigiosa locuta S. Irmgardi. 801
In cultu *divino constantia est adhibenda.* 324
Custodes *SS. Regum duo Canonici metropolitani, eorum officium; dant peregrinis literas signatas.* 789
Cypri *rex visit Coloniæ SS. Reges, capit Alexandriam, & crudeliter trucidatur.* 827
S. Cyrillus *Alexandrinus Patriarcha prudenter senem Anachoretum errantem in fide corrigit humili interrogatione.* 874

D.

Daniæ *Rex oblatis Coloniæ tribus Regibus coronis maioribus muneribus cumulatur.* 827

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dandamis princeps Gymnosophistarum nec timuit Alexandrum, nec ab eo quidquam petijt, suis rebus contentus. 177
Daniel initium regni Christi prænunciauit 108
Magus dicitur, & princeps Magorum honorato eius temporis nomine. 175
David desideravit tres Reges. 15
Cecinit epithalamium Christi & Ecclesiæ gentium. 89
Lapidi, quo Goliath prostravit, inscripsit nomen Iesu. 242
Demonstrant Reges Iudæis ortum Messiæ ex stella. 313
Desiderium gentium & vtinam nostrum Christi. 110
Davidis, Prophetarum, imo Angelorum 147
Et SS. Regum, qui vt tres milites Davidis sitienti gentilitati fidei aquam attulerunt. 147
Desiderium Regum adorandi pueri. 396
Et videndi Messiæ 309
Desiderium Sapientiæ Reginæ Sabæ. 183
Desiderium martyrij puerorum & mulierum. 580
Desiderium tepidorum languet in progressu, vt omnis motus violentus: crescit autem adversis in amantibus, vt motus naturalis gravium. 323
Desperatis succurrit D. V. Maria. 388
Dei attributa. 19
Dei omnipotentia in conversione Regum. 115
Deus solus summum & infinitum bonum omnia in se continens & perfectè satians. 287. 399
Est amicus fidelissimus. ibidem
Solus amandus super omnia. 837
Ei omnia securè cõmittenda: nam ipsi cura de nobis. 489
Insside currui divinæ providentiæ auriga Deo, nec errabis. 490
Providet singulis vt expedit cuique. 378
Regit & ducit manu sua securissimè. 379
Elicit è malis bona: è Mardochæi & Iosephi despectu eorum exaltationem, 334
Ex terrore Herodis concilium cogit, vt dirigantur Reges: ex eiusdem furore illustrat ortum Messiæ. 364
Ex fuga in Ægyptum salutem & conversionem eius efficit. 513
A Deo protectus tutissimus est contra omnes creaturas. 379. 363.
Tuetur S. Iulianum in tormentis. 741
Deus immediatè intellectui interdum novas species imprimit significando suam voluntatem absque phantasia concursu, vt SS. Regibus fecit. 494
Dies dicitur regni tempus ob brevitatem. 244
Dies natalis Christi 25. Decembris. Hæreticorum ea de re sententia repugnantes. 246
S. Dionysius Ariopagita per ecclipsin solis congruè in morte Christi vocatus. 280
Discordia genuit nationes varias: concordia fideles. 134
Discrepantia inter verba Michææ prophetæ & Matthæi Evangelistæ conciliata. 399
Evangelista sensum prophetæ prolatum à Scribis, non ipsa verba recitat. 350
Discretio spirituum à Deo petenda, obtinetur precibus. Ex fine & effectis cognoscitur: cavenda tamen hic est curiositas. 491
Divinatio licita est imminentis tempestatis ex avibus, ventis, colore, solis vel animalibus. Cei ex Canicula ortu divinabant salubritatem; Thales è stellis olearum copiam; alij è puteis terræ motus. Ea præsagiendi ratio naturaliter erat propria Magorum absque suspectis artibus. 179
Manus contracta S. Ioannis Baptistæ sterilitatem, explicata portendebat vbertatem. 767
Divinitatem Christi Magi adorarunt. 44. 153
Divinum prius petendum est consilium & auxilium, tum humanum non omittendum 378
Doctrina Christi multiplex. 816
Doctores facere prius debent, quod docturi sunt: ne sint æs tinniens, fabricatores arcæ Noë: fontemque monstrent alijs, ipsique siti conficiantur. 338
Alias gravissimè punientur, & se suis damnabunt lioris 339.
Dæmones superbia & invidia ceciderunt. 12
Eorum vires adventu Christi fractæ sunt. 225
Maximè virtute crucis, vt inuitis nocere nequeant. 225
Turbati sunt nato Christo, ac regno suo timuerunt. 330
Turbarunt Herodem & cives. ibidem
Fugati ex tota Aegypto adventu Christi. 517
Horrent pederastiam. 794
Doli Herodis ad Reges decipiendos. 361
Cupit teneram & nascentem extinguere pietatem. ibidem
Domus vocatur stabulum & ecclesia. 392
Dona spontanea erant ad benevolentiam & honorem testificandum, demerendum principem vel pacem constituendam 435
Dunaam tyrannus Arabiæ multis Sabæis ante Martyrio coronatis occiditur. 587

E.

Eberardi Episcopi Bambergensis in castris studium sacrarum literarum; amans quietis & pacis est. 658. 659.
Sequester est inter Reinoldum & Cæsaris fratrem, ac aram SS. Regibus erigit. 880
Adrianum Papam humilitate lenit. 660
Ecclesia à Christo evecta ad regnum. 7
Civitas est in quadro posita: muri eius 4. ædificator & fundamentum Christus, structores Reges 10. Dicuntur ijdem eius progenitores 41
Vnum est corpus, cuius caput Christus est. 8. 65
Soror vocatur & sponsa, donis & virtutibus aucta, vt pariat & educet sponso sanctam prolem. 371
Eius sacerdotium illustrius quam Iudaicum. 543
Cur vocetur regnum Dei & regale sacerdotium. 556
Ecclesiam Colonienſem fundavit S. Maternus Protoepiscopus: donata Archiepiscopatu Constantino M. superstite, iure coronandi Regis Romanorum sub Carolo M. Solus inter Electores eo iure & officio gaudet. 805
Electoratum accepit à Gregorio 5. Archicancellariatum sedis Apostolicæ à Leone 3. Archicancellariatum Italiæ post annum 1100. 807
Est legatus natus & quodnam eius officium. ibidem
Ecclesia S. Cuniberti præsentibus 15. Episcopis consecratur à Conrardo. 698
S. Edmundus Rex Angliæ offert annuè die Epiphaniæ tres marcas argenti plures quam anno præcedente: ideo divinitus thesaurum reperit, & martyrio coronatur. 766
Eduardus Angliæ Rex peregrinatur ad tres Reges victorijs contra Scotos, Francos & Hispanos inclytus. 828
Edessam translata S. Thomæ reliquiæ opera Alexandri Cæsaris, & collectæ SS. Regum reliquiæ aliquorum

rum sententia. 589
Electio Dei *fundamentum est omnium donorum & gratiarum Dei.* 2
Electio S. Pauli, Ioannis Baptistæ, Moysis Davidis & SS. Regum. 1
Mira Regum electio. 23
Et efficax præ aliis. 286
Electis omnia serviunt, & in bonum cedunt. 285
Electio Gentilium & consummatio matrimonij cum Christo in cruce. 544
Eleëmolyna *sit hilaris, promta, larga, danda velut ipsi Christo optima.* 456
Centuplum Christus refundet. 457. 477
Elesbaan *Rex Aethiopum vincit & capit Dunaam Iudæum tyrannum & occidit, ipse verò corona Solymis oblata fit Religiosus.* 567
S. Elisabethæ *Schonaugiensi visi tres Reges offerentes Christo coronas suas, & ab eodem recipientes easdem.*
Eadem Baptismum Christi, & nuptias Canæ Galilææ adspexit. 774
Emendanda *vitia præterita, abusus, & corruptelæ via virtutum calcanda.* 500
Eminentia *Ecclesiæ gentium præ veteri synagoga Iudæorum.* 32.
Eminentia ecclesiæ & Cleri metropolitani Colonienſis. à fol. 804
Comparatur filia matri Romanæ Ecclesiæ. 810
Epaminondas *appetitus vitiosissimo muneri purgandæ civitatis id honoratissimum effecit.* 419
Ephrata *pater fuit Bethlehem: huic oppido vtrumque datum est nomen, ob vbertatem agri: nam Ephrata ex radice para significat, fructificauit: & Bethlehem domum panis.* 350
Epiphaniæ *die perfectè fundata est Ecclesia.* 10
Translata gloria Israël ad Gentes. 17
Christo desponsa Gentilitas. 19
Eo die nata est Christianitas: & triplex divinitatis facta declaratio. 62
Instituta hæc festiuitas ab Apostolis: honorata à Regibus & Apostatis. 63
Par natali vel resurrectioni dominicæ, imo maior iudicata. in præfat. & f. 62. 63
Figura est Ecclesiæ & semper in ea durat. 64
Octaviano triplici triumpho Romam ingresso tunc datum Augusti nomen est. 234
Dies ille tertius decimus ab ortu Christi fuit, vt docent SS. Patres 369
Christo optatissimus ob sponsalia cum Gentilitate contracta. 370
Tunc duplici coronatus diademate pacem firmavit inter Iudæos & Gentiles: homines & Deum: ideo nuptialis ei dies & lætitiæ Christi nominatur. 472
Partim est Christi partim SS. Regum festum, quo virtutes eorum posteris imitandæ proponuntur. 710
Prærogativæ quædam festi eius. 725. 726
Miraculum festi eius instauratur indies, adeoque gratiæ Deo semper sunt referendæ. 736. 737
Episcopos *creauit tres Reges S. Thomas, vsus ijs adiutoribus prædicationis.* 554
Præfuerunt Ecclesijs regnorum suorum. 555
Epithalamium *præmisit Gentilitati David & Salomon.* 85. 147 *àp.* 86
Epitaphium *Gasparis Regis Arabiæ.* 568
Et SS. trium Regum omnium. 576
Equi *Christi sunt Apostoli & Evangelistæ.* 100
S. Erminoldus *primus Abbas Prufingensis cœnobij occiditur à suis religiosis: vidit in libro vitæ nomina electorum eius cœnobij præsentium & futurorum: prædixit mortem die epiphaniæ sub sacro* 772
Ernestus Landgravius *Hassiæ cum coniuge Coloniæ fidem professus Catholicam: eam feliciter propagat.* 881. 885
Esther *substituta Vasti reginæ, vt Gentiles Iudæis.* 21
Evagrij *incredibilis abstinentia festo Epiphaniæ intrans vrbem communicabat.* 750
Evangelista *quis sit, officium eius multiplex & quodnam proprium.* 32
Evangelistæ singuli multa narrant ab alijs prætermissa. 237
Evangelistæ & Doctores Christi adversis initiati. 480
Evangelium *quid & quale Evangelistis Regibus publicatum.* 32
Evax *Rex Arabiæ tempore SS. Regum scriptor libri.* 208
Eucharistia *Christum verè præsentem exhibet, ideo cum Magis in ea adorandus.* 413
Potuit & voluit sic ibi esse, idemque credi præcepit: vitanda igitur ingenij curiositas. 414
Indignè communicantes Herodi similes. ibidem
Vtilitas & fructus frequentis sacrificij missæ & Communionis, 808
Eucharistia allata Luciferi dejecit imaginem & facit vt hæreticus exuratur. 795
Eustorgij *duo fuerunt Episcopi Mediolani.* 593
Eustorgius *primus invitus eligitur ex Legato Constantini Episcopus Mediolanensis.* 596
Transfert Constantinopoli Mediolanum SS. Reges ijsque sacram ædem construit. 594
Tertius ibi Eustorgius frater S. Arsacij. 752
S. Euthimius *in summa siccitate pluviam impetrat.* 756
Secedit in solitudinem ab octava Epiphaniæ. 757
Exempla *docent.* 24
Exemplum Christi humilis in præsepio Reges efficaciter ad imitandam paupertatem & abiectionem excitavit. 419
Plusquam mille miracula. 420
Exspectatio *Gentilium maximè SS. Regum, stellæ & Messiæ ex traditione, vaticinio Balaam & Sibyllarum.* 230
Ezechiæ *Regis Pascha celebre excisâ idolomania.* 150
Ezechiel *prædixit Gentilium cum Iudæis in fide consensionem & novum testamenti initium.* 106

F.

Fabula *de translatis Coloniâ in Thuringiam SS. Regibus & Coloniam reversis exploditur, eius origine indicatæ* 708.
Fabricam *summi templi Colonienſis inchoavit Conradus ab Hosteden.* 798
Promovit VVichboldus legatis testamentarijs.
Henricus Virneburgicus chorum absoluit & consecravit delatis eo SS. Regibus cum alijs capsis civitatis. 817
Fabulæ. &c.
Fallaces *maximè sunt detestandi.* 366
Fatum *refutant Magi.* 50

Contra Stoicos & Priſcilianiſtas, qui libertatem hominis everſant. 260
Feminæ *Arabum caſtitatis amore velabant caput, vt vno tantum oculo ad videndum vterentur.* 508
Ferdinandus *primus Coloniæ pridie Epiphaniæ eligitur Imperator.* 844
Feſtum *SS. Regum ſtatim ab obitu cœpit vndecimo vel duodecimo Ianuarij celebrari.* 574
Ab Apoſtolis confirmatum eſt. 720
Præfertur à multis natali Dominico. præfat &. 726
Inſtitutum etiam per 14. dies ab Imperatoribus tunc imperatum. 727
Fides *& humilitas Magorum.* 395
Fidei ſimplicitas abſque curioſa ratione, & cæca, 410
Contemtus mundi inde natus. 412
Crediderunt SS. Trinitatem. 45
Chriſti divinitatem regiam & ſacerdotalem dignitatem: eiuſdem perpeſſionem, anaſtaſin & adſcenſionem. 440. 45
Fidei eorum præſtantia. 51
Maior in his, quam in Abrahamo, & Iacobo. à f. 136
Fidei duces ſunt & primi præceptores. 45
Ex fide viva ortum efficax & conſtans propoſitum adorandi Chriſti. 323
Fides comparatur ſtellæ, columnæ nubis, oculo & ſpeculo. 375. 385
Fide ſuperantur Iudæi à Gentilibus. 541
Fidei conſenſus in tota Eccleſia Solis inſtar à Spiritu Sancto manat, cum Sectarij vt luna varient ſua dogmata. 322
Fides operibus ſe prodit, alias eſt ærarium ſine pecunia. 344
Fidei defectus peccatorem facit contemnere pœnitentiam. 344
Fiduciam *Magis gignit ſimplicitas quærendi ſolum Deum.* 309
Fiducia concipienda in calamitatibus redituræ brevi ſtellæ conſolationis. 377
Cum fiducia de reditu Deum conſulunt. 489
Figura *Eccleſiæ florentis & afflictæ SS. Reges.* 47
Qui figurarunt myſteria quædam, eadem præſciverunt. 34.
Finis *mundi Chriſtus.* 4
Et legis Iudaicæ. 61
Finis adeundi templi eſſe debet cum Magis adorare Deum, non ſe oculis emiſſitijs oblectare. 323
Flores *Eccleſiæ ſancti Reges.* 43
Fons *Chriſtus beavit gentes.* 148
Fons Cibyres vrbis Cariæ, & in Geraſa Arabiæ, ac Nilus ipſe 6. Ianuarij vino redundant teſte S. Epiphanio.
In Andro fons 7. Ianuarij vino fluit teſte Plinio & Plutarcho. 711
Fons in petra antri Bethlehemitici manans nunquam redundauit. 395
Fons Strabonenſis ſtrumoſos ſanat, clauſus exareſcit: patefactus iterum aquis medicis ſcaturit. 644
Emanauit ad ſolatium vectorum SS. Regum; innumeri curantur apud eum variis malis. 645
Fortitudo *Regum.* 39. 51. 149. 314. 331
Coram Herode in primo congreſſu. 332. 333
Fortitudo Sophiæ feminæ S. Clementem è carcere educentis. 748
S. Franciſcæ *Romanæ miſericordia ægro exhibita compenſata viſo cæleſti, quo mira de ætate, numero & geſtis SS. Regum ei indicantur.* 835
Affectus & cantica Regum ei ſignificantur. 835
Inſtituit feſto Epiphaniæ parthenonem, & novis viſis animatur. ibidem
B. Franciſci Borgiæ *dictum.* 26
S. Franciſcus Xaverius *ſupra decies centena millia convertit.* 405
Franciſci Regis Bungi *zelus fidei propagandæ, Baptiſmus, conſtantia in adverſis.* 861
Legatio & literæ ad Gregorium. 13. 802
Friburgenſe *drama militare exhiberi ſolitum die Epiphaniæ ex voto.* 734
Friderici Barbaroſſæ *electio, coronatio Aquenſis, Mediolanenſis & Romana.* 604
Largus eſt in Eccleſias, conſulit in dubijs arbitrum conſcientiæ miraculis clarum. 605
Exſcindit Mediolanum: 626
Donis afficit Principes. 628
Capit totam Liguriam. 630
Colloquium promiſit Regi Franciæ. 632
Evocatis quatuor Regibus in Burgundiam. 639
Patria eius prope Gamundiam in arce Hohen-ſtauffa 654.
Pietas eius in quadrageſima. 638
Transfert oſſa S. Baſſiani ſuis humeris. 676
Eleuat Carolum M. curat ſanctis adſcribendum & honorat donis. 681
Largitur Archiepiſcopo Colonienſi ducatus VVeſtphaliæ & Angariæ. 778
Fridericus *3. Imp & Maximilianus filius viſunt Colonia tres Reges* 831
Iterum in Epiphania. 832. 841
Fuga *Chriſti adornata nocte purificationis, cum divertiſſent ad domum Zachariæ.* 515
Fugiendum eſt interdum periculum exemplo Chriſti & SS. Regum. 504. 513. 514
Fundamentum *Eccleſiæ Chriſtus.* 10
Et Apoſtoli. 66
Fundatores *quidam ordinum præviderunt ſtatum futurum ſuæ familiæ.* 53

G.

Gamundiæ *Suevorum civitatis origo, ſitus, incrementa, templa, mercatura.* 654
Nocte quieverunt ibi corpora SS. Regum non ſine miraculo. 655
Civitatis eius puritas in fide & conſtantia. 657
Gandeſimenſis *Parthenonis origo, & diſcordia de eo inter Moguntinum & Hildeſienſem Præſules orta.* 760
Compoſita à S. Henrico feſto Epiphaniæ. 770

Gaſparis Regis *Arabiæ ſedes, ætas.*
Martyrium & epitaphium. 568
Gaudium *de Deo eiusque attributis & cœleſtibus rebus æternum ſolumque ſatiat.* 384
Sit intenſum, vehemens, conſtans, quod redundet in corpus 389
Tres gradus gaudij. *ibidem*
Gaudium ex ſtupore. 410
Gaudium mundi fluxum. 384
Gemmæ *in corona Chriſti pulcherrimæ orationes ardentes & affectus piorum.* 792
In corona virorum Apoſtolicorum conuerſi ab ijs 562
Genethliaci *ex aſtris prædicantes euentus hominum confutantur.* 263
Licita prædictio è ſtellis pluuiæ, ventorum, & ſimilium: ibidem.
A fatuis conſulebantur: ideo Alexandrinis pendere tributum fatuorum cogebantur. 263
Vrbe & Italia proſcripti ſunt; à Conſtantino M. capite damnati, & à Tridentina ſynodo vetiti ſunt eorum libri. *ibidem*
S. Genouefa *à die Epiphaniæ vſque ad diem Iouis ſanctum ſeceſſui & orationi vacabat: cuius actus obſeruans curioſa mulier caſitate punitur.* 757
Gentiles *prælati ſunt Iudæis multitudine, perfectione, hereditate filiorum & interna lege amoris.* 3. 61
Sunt hereditas Chriſti. 5
Gentiles fideles ante Chriſti ortum erant Chriſtiani. 14.
Gratiæ Regibus habendæ pro tranſlata ad ſe gloria Iſraëlis. 17.
Fiunt domeſtici Dei & fœderati Iudæorum 55. 16
Iubilus eorum de converſione ex Sophonia. 104
Fide ſuperant Iudæos. 134
Ob duritiam Iudæorum electi & illuminati Gentiles. 511.
Die reſurrectionis & adſcenſionis Chriſtus gentibus voluit prædicari. 547
S. Gertrudis Saxonica *die Epiphaniæ Chriſto varia xenia offert, & docetur alia, quæ ſint ipſi gratiora.* 792.
SS. Geruaſius & Protaſius *S. Ambroſio ter apparent & elevantur cæco illuminato.* 651
Varia ijs per orbem templa conſtruuntur. 650
Reinoldus non ſine miraculo dona tea Briſacenſibus. 648.
Miracula Briſaci eorum patrocinio patrata. 652
SS. Gondulphus & Monulphus *Epiſcopi Traiectenſes rediuiui putantur Aquenſi dedicationi interfuiſſe* 762.
S. Gothardi *montis deſcriptio* 636. *Per eum corpora SS. Regum Lucernam delata ſunt.* 637
Gratiæ *efficacitas: ea & finalis petenda.* 115
Vis eius.. 122
Præſertim viſo in ſtella puero 266
Virtus ea ſtellæ comparatur. 376
Reſpondet electioni & officijs impoſitis. 2
Gratiæ magnitudo SS. Regum. 2
Gratia Dei parit lætitiam. 377
Gratiæ Dei iungenda eſt humana induſtria & exſecutio prudens. 504
Gratia Deo quotidie agenda Gentilibus, ob beneficium fidei & gratiæ diuinæ. 737
Gregorius Nazianzenus *cur Theologus ſit dictus.* 33.
Gregorius 13. *excipit legatos trium Regum Iaponiæ, eoſque complexus illacrymatur, breuique moritur libertas eiuſdem in omnes nationes.* 561
Gropperi Archidiaconi Colonienſis *oratio in Concilio Tridentino die Epiphaniæ habita.* 849
Offertur invito Cardinalitia dignitas. 858
Guaſtagus *Angleriæ Comes filius Andreæ Vicecomitis Mediolanenſis: cui Henricus 4. parente capto confirmarat præfecturam.* 606
Inquietus vicinos omnes Papienſes, Laudenſes, Cremonenſes & Comenſes afflixit: vnus Friderico Cæſari reſtitit: dedita tamen vrbe redyt eo anno ſequenti & Reinoldum Legatum Cæſaris eiecit Mediolano. 608
Dumque autor eſt muniendæ ciuitatis, corpora SS. Regum inueniuntur. 609
Auguſtam eijcit vrbe aſino impoſitam. 612
Offert per ſe vel ſororem Reinoldo Corpora SS. Regum, ſi vitam ſeruare poſſit. 617
Effertur ſororis humeris: donatur ei vita, ſed canino more triduo habetur & in Germania quinquennio cuſtodiæ mancipatur. 623
Inde elapſus Mediolanum Manuelis ope inſtaurat. 682.

H

Habacuc *prædicit Chriſtum inter duo animalia adorandum à Magis & loca itineris nominat.* 98
Hæreſes *pleraſque Magi refutarunt.* 48
Marcionis, Neſtorij, Eutychetis Arij, Manichæi, Fati, Triſcilianiſtarum. 49
Hæretici Ebionitæ, Marcionitæ, Manichæi, Servetiani & Anabaptiſtæ vellicant S. Matthæi euangelium, vel Magorum hiſtoriam: ijque confutantur. 237.
Hæreſis à Lucifero contra SS. Regum cultum inſtituta Igni tollitur. 794
Hæreſis Statingorum extinguitur. 795
Hæreticus cum per præſtigias nihil ab igne pateretur, allata SS. Euchariſtia vivus exuritur. 795
Hæreticorum noſtri temporis ſcelera, ſacrilegia & ſcripta impia. 852. 853
S. Helena *S. Crucem reperit & Clauos filio miſit, SS. Regesopera Agricij conquiſitos Conſtantinopolim devexit.* 590
Drepanum ab ea dicitur Helenopolis. 743
Ara SS. Regibus ab ipſa conſtructa. 744
Helem. *id eſt ſomnium.* 118
Hen. *id eſt gratia.* 111
S. Henricus *componit die Epiphaniæ litem inter VVillegiſum & Bernuardum.* 771
Henricus 5. *die Epiphaniæ coronatur.* 771
Henricus 7. *Imperator die Epiphaniæ viſit Coloniæ SS. Reges & donis honorat. ibidem haſtiludia edit.* 828

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Mediolani eodem festo coronatur, & crinita stella mortem ei denunciat, exstinctus summo Germaniæ dolore & detrimento 829

Henricus Leo *Dux Saxoniæ quartum ad causam dicendam vocatur, proscribitur; eius Ducatus Angariæ & Westphaliæ obtinet Archiepiscopus Coloniensis* 777

Henricus Primus *Lotharingiæ Dux cum Maria coniuge fundat Coloniæ altare Trium Regum.* 788

Capit Baruch, eiusque victoriis moti Reges Armeniæ, & Cypri coronantur nomine Romani Imperatoris: decessit idem Colonia. *ibidem &* 790

Henricus de Lais *Episcopus Leodiensis condidit Alnense cœnobium: visis miraculis S. Bernardi acceperat promissionem corporum SS. Regum: ac everso Mediolano præfectus est civibus.* 615

Herodes M. *Ascalonita natus Arabe matre & Antipatro converso ad Iudaismum, vereque alienigena, beneficio Romanorum regnum Iudææ obtinuit: ideo ob prophetiam translati sceptri impletam eius tempore natus est Christus.* 244. 245.

Quos filios & nepotes habuerit successores & Reges, quosque necarit vide, ibidem.

Obcæcatus invidia non perfectè credidit scripturis sacris. 244

Stolida eius consilia. 359

Occasione gestorum in templo, dum Christus repræsentaretur accenditur ad necem inferendam Innocentibus 512

Exercetur parricidalibus quæstionibus, dum ea cædes adornatur. 524

Ædificato templo dici Messias voluit. 228. 342

Occidit Hircanum Pontificē, eius nepotem Aristobulum eiam Pontificem, ac Hircani filiam Mariamnem propriam vxorem eiusque matrem & alios. 324. 325

Dementia eius. 343

Congressus primus eius cum Magis. 331

Scelera eius immania & pœna in morte. 525

Herulorum & Vannorum *post annum* 500. *plurimorum conversio.* 718

Hierosolymitani *metu excidendi gratia Herodis cum eo consilium tollendi Messiæ inierunt.* 327

Hildeboldus Coloniensis antistes *sacri palatij Archiepiscopus, Cancellarius & Confessarius Caroli M. ob merita Leoni 3. & Sedi Apostolicæ ac Carolo præstita munus accepit primus coronandi Regis Romanorum in Alemannia.* 765

Vinculum mutuum Romani & Coloniensis antistitum in coronatione. 766

Hildesienses Episcopi *Alfridus, Osdagus, Gerdagus, & Bernuardus.* 769

Hinnulo *& capreæ comparatur Christus puer, videns & educens flatu gratia serpentes seu attrahens ad se Reges fide diuinitatis & humilitate.* 459

Holdai *id est deprecatio.* 111

Homeritæ *incolæ felicis Arabiæ & regionis Sabæ: inde Regina Saba & tres Reges prodierunt.*

Collapsa ibidem fides Constantij & Iustini tempore restituitur. 578

Apud eos Arethas cum trecentis, multisque pueris & feminis mortem pro fide generosè tolerarunt circa annum 521. 580

Homo *plus Angelis à Deo dilectus & altius euectus est* 2. 13.

Seruiunt ei omnia. 379

Est serra Dei. 381

Homines & omnes Reges formicæ sunt coram Deo vt gigante: nec electis nocere queunt, quantumvis velint, à Deo protectis. 363

Homo sacerdos est mundi: qui eius templum est, serviens homini: hominis desidiam Christus sacerdos compensat: ideo desideratus fuit ob omni creatura 451

Hominus natura corrupta ab Adamo sanatur à Christo nato. 240

Horoscopus *tempore Christi nati ex Albumazare, Petro Aliacensi & Marsilio Ficino.* 262

Ibidem Genethliacorum fatuitas convellitur.

Horoscopus nostet salutaris resignatio in voluntatem Dei. 264

Ac Horoscopus certissimus efficax Dei gratia. 266

Miri effectus illius. 267

Hospitalitas *summa Abrahæ.* 134

Hospitio *Herodes excepit Reges.* 334

Hostes *affligando plus prosunt bonis, quam noceant.* 524. 525.

Humilitas *Regum.* 51

Humilibus & mitibus omnia aspera fiunt dulcia. 290

Humiles Deus elevat, depressu superbus. 352

Ex humilitate nascitur honor amplior. 418

Tota Christi doctrina & victoria diaboli consistit in humilitate, qua Iudæi à SS. Regibus sunt superati. 420

Ideo Gentiles inserti sunt olivæ, ibidem.

Signum electionis ad gloriam est ex alto despicere altitudines terræ & gloriam mundi 421

Hypocritæ *Herodis pœna.* 365

I.

Iacob *ad fontem figura Christi Gentiles abluentis* 143

Eiusdem fides, obedientia, coniunctio cum Deo collata virtutibus SS. Regum. 135

Iacobi de Auzoles *figmentum inauditum de tribus Regibus quos, adserit esse Enocho, Melchisedech, & Eliam, contrarium SS. Patribus: Ecclesiæ sensui, scripturis, summorum Pontificum bullis* 871

Periculosa eius vana iactantia, repressa à Concilio Tridentino & pudenda Christiano. 872

Cum Valentinianis, & Manichæis affingit Christo corpus cœleste eosdemque vincit improbitate, dum Christum esse bis factum hominem comminiscitur. 876

Stolida eius narratio de cœlestibus & Paradisiacis hominibus egentibus somno, ductu & consilio mortalium: stultæ eius aliæ obiectiones 879

Iapeti *dilatatio per Europam & Asiam.* 73

Iaponia *trium Regum legatos Romam destinat ad Gregorium 13. comitatus eorum: aduentus Romam, plausus, Pontificis lacrymæ præ gaudio.* 859

Oratio Gasparis Consalui ad Pontificem. 860

Literæ Regum ad eundem. *ibidem*

Mors Gregorij, Sixti successio & liberalitas. 863

Reditus in Iaponiam, plausus, successus felix: 864

Martyrum ibi multitudo. 865

Ianus *ter clausus ab Augusto.* 234. 248

Iaspar *apud Hebræos significat Astrologum, Legatum & Apostolum.* 171

Idololatria peccatum maximum. 149

Idola & *templa Aegypti aduentu Christi destructa sunt* 517

Idolis *Sinenses caruerunt ad natiuitatem vsque Christi: inducta sunt suasu Brachmanarum per legatum missum*

sum, vt ex Occidente Christi legem peteret. 866
Iectan *Abrahæ filius ex Cethura, pater Sabæorum.* 517
Genuit Sabam & Dodanem 219
Ieiunium *Sirach autor est Ecclesiastici: in quo prædicit gentes magnis prodigijs conuertendas coram Iudæis.* 114
Alij nominis eiusdem & etymon eius. 241
Ieiunium *nomen supe omne nomen ab omni statu honorandum prodest infirmitati corporis, in hostium periculis, & animæ* 241
Iesus dicitur Christus seu vnctus quia Rex, sacerdos & Propheta, vnctus oleo diuinitatis & gratiæ vt fons eius. 434
Trismegistus est signatus in parelijs, ibidem
Iesus sit anima Rex, ne ei dominentur vitia. 461
S. Ignatius *Martyr stellam Magorum celebrat.* 721
Ignis *purgat vt amor.* 283
Imago *Deiparæ à S. Luca depictâ Mediolano Pragam, & inde in Moraniam translata.* 707
Inauguratio *regni Christi die Epiphaniæ.* 109
A tribus Regibus facta. 146.457
Indiæ *origo, flumina, situs.* 218
Reges primi coæui Alexandro & Augusto legationes ad hunc & duorum Regum munera. 219
Porus tunc sexcentis Regibus imperabat.
Erant & Christi tempore Reges Philosophia & Græcis literis eruditi ibidem
Infanticidium *trimestri post adorationem Regum accidit: collectos infantes in vnum quidam volunt & consultum Augustum* 521
Fama infanticidij Christi gloriam auxit. 522
Quadraginta millia necata creduntur. 523
Beneficium illis nece collatum vt saluarentur, alias plerique perituri. 524
Causa eo Martyres fecit tinctos baptismo sanguinis: & imitandi in humilitate, ibidem
Innocentius 4. *testatur SS. Regum corpora Coloniam translata miraculis coruscare, adiectis indulgentijs ad cultum eorum & templi ædificationem promouendam.* 697
Inscriptio *quadruplex corona Christi.* 111
Triplex columnæ inscriptio 67
S. Ioannes Apostolus *cur Theologus sit dictus.* 33
S. Ioannes Baptista *sagitta electa.* 1
Angelus, 113
Eius dextra contracta sterilitatem & explicata fertilitatem anni pranunciabat. 765
S. *Lucas eam detulit Antiochiam: digitus eius draconem necat: Iob Diaconus miro æstu eam aufert: cui Constantinopolim eam deferenti Imperator & tota ciuitas occurrit.* 768
S. Ioannis Eleemosynarij *cadauer duo Episcopi secedentes medium receperant.* 570
Ioannis Gropperi *oratio habita in Concilio Trid.* 849
Ioannis Hadenradij *consulis Colonienſis pietas, fortitudo & prudentia in sedando tumultu.* 868
Ioannes Presbyter *Rex Asiæ Reges 72. vectigales habuit,* 202
Ad eum familiæ SS Regum exsules confugerunt.
Vnus eorum Rex Asiæ creatus conatus est Palæstinam recuperare, Media & Persia debellata. 205
Ioannes Saresberiensis *Episcopus in Gallia degens cum S Thoma Cantuariensi Colonia petit reliquias SS. Regum* 687
Ioannis Ximenetz *aptum simile pro doctis, vt se prius, quam alios pascant.* 340
Iob *vere Christianus fuit: ei similes SS. Reges.* 14
Fuit Propheta, sacerdos, Martyr & Doctor Gentium. 139
Scientia eius & zelus. 140
Typus Christi nascentis & patientis. 141
Amici tres eius typi trium Regum. ibidem
Iob Diaconus *dextram S. Ioannis Baptistæ Antiochia Constantinopolim transtulit.* 768
Ioel *promittit Messiam Doctorem Gentilium.* 1
Iogues & *Gymnosophistæ qui sint, & vitæ eorum ratio inter Brachmanas.* 220
Post summam temperantiam creantur Abduti cum licentia abundandi voluptatibus. Templum habent septingentarum columnarum. 220
Iosaphat *Rex laudatus & reprehensus.* 130
Iosephus *Patriarcha quomodo augurari solitus.* 175
S. Iosephi *liberalitas in Christum compensata.* 26
Eius congressus cum Deipara efficax medium sanctitatis ibidem
Adfuit adorationi SS. Regum, vt trias terrestris esset, satisfaceret officio, & subleuaret coniugem. 406
Comparatur Spiritui Sancto 407
Caput erat Deiparæ: sanctitas eiusdem & merita. Profuit & SS. Regibus exemplo & precibus. 408
Iosephus *infidus scriptor.* 237
Prædicit Vespasiano imperium. 228
Iosias *adituus in templo Domini.* 111
Iosiæ Regis *laus.* 150
Ira *reddit hominem feræ similem.* 522
S. Irenæus *Reges Arabes facit & fidem eorum ex muneribus probat.* 721
B Irmgardis *donat metropolitano templo Colonienſi Resam, Calcariam, & caput S. Siluestri.* 801
Iris in capite Christi visa & eius causa. 471
Isaaco & *Rebeccæ prædicitur minori Christianorum populo seruituram natu maiorem Iudæorem gentem, vtroque Deum consulente in oratorio domestico.* 78
Isaaci fides & obedientia. 133
Contemtus mortis. 138
Isaias *totam historiam Magorum diuersis licet in locis accuratè descripsit.* à fol. 115
Iter *superborum miserum humilium dulce.* 290
Iuba *Rex Mauritaniæ scriptor libri.* 208
Iudæi *primo electi* 2
Sed ijs prælati Gentiles. 3
Iudæorum priuilegia. 16
Repudiati tamen ob inobedientiam ijs substitutis Gentilibus. 21. 55
Non sunt exstirpati, nec eorum libri aut ceremoniæ abolitæ: vt inde vera fides Christianorum probaretur licet obcæcatis Iudæis non prosint. 79
Seruiunt adhuc libris suis. Christianorum institutis. 348
Paschali suo agno Christum demonstrant. 349
Vocati prr Angelos & Pastores & Reges cum obsurdescerent, verus Isaac Rebeccæ Gentilitati se copulauit. 470
Respuunt cultum Dei hominis: Reges eandem personam Deum hominem adorant: ac fide, spe & caritate membra capiti suo connectuntur. 473
Iudæis repudiatis per Reges Gentilibus datur Patriarchatus ecclesiæ, inseruntur oliva, adeunt hereditatem filiorum Dei. 481
Iudæorum cæcitas die purificationis. 508
Sanguinem Christi sibi pro veneno flagitant. 545

Iulianus Apostata *festo epiphaniæ solenniter sacris interest.* 746
S. Iuliano & *Basilissæ Christus & B. Virgo apparent: legunt in libro vitæ sua nomina.* 740
Iulianus decem virorum millia conuertit, apparet ei Basilissa gloriosa & die Epiphaniæ inuitat ad cœlum Visio de corona eius & tutela Dei. 741
Martyrium eiusdem cum prædigijs. 742
Iulianus Nacaura *vnus è Legatis Iaponiæ martyrio coronatur.* 865
Iustitium *est 7. diebus ante & post epiphaniam.* 755
Iustis *quibusdam hic expedit affligi potius, quam affluere solatijs.* 755
Iuuencæ *duæ pauperculæ mulieris trahunt sacra Regum corpora, & vni succumbenti sufficitur lupus, qui Mediolanum vsque deuexit.* 600

L.

Labor *omnis amanti leuis est.* 289
Lapis angularis *Christus Angelos hominibus, & Gentiles Iudæis copulauit.* 466
Lapis immanis ventorum turbine excussus in casu declinat mausolæum SS. Regum. 838
Lapis offensionis fit Christus Iudæis die Purificationis. 509. 510
S. Laurentij *cadauer dextrũ latus cedit S. Stephano.* 571
Legatio *trium Regum Iaponiæ ad Gregorium 13.* 858
Aduentus Romam & plausus. 859
Confertur Euangelicæ SS. Regum. 863
Nulla ei Romæ similis vnquam visa. 860
Legatorum reditus in Iaponiam: plausus & fructus: omnes societatem profitentur. 864
Legatorum *dignitas, officium, & industria.* 57
Quanto hæc in SS. Regibus potiora quam in alijs. 58
Legationem totius Gentilitatis obierunt ad Christum, oblato ei tributo auri. 459
S. Leo 3 *consecrat Aquense templum die epiphaniæ cum 365. Episcopis: confirmat ibi regiam sedem: & ius coronandi Regis Romanorum in Alemannia confert Colonienſi Archiepiscopo.* 762. 764
Transtulit in Caroloimperiũ à Græcis ad Germanos 764
Leonis noni priuilegia amplissima Colonienſi Clero & Archiepiscopo donata. 805
Lia & Rachel *Iudæos & Gentiles significant.* 145
Liber signatus, *clausus & cortex mansit Iudæis: at Gentilibus datus est apertus & ipse nucleus.* 120
Liber vitæ *legendus oblatus est S. Iuliano & Basilissæ.* 740
Item S. Erminoldo, vt legeret in eo suorum cœnobitarum electorum tam viuorũ, quam futurorum nomina 772
Liberalitatem *Christus vult hic prædicari & compensat eandem.* 477
Donis maioribus Christus auxit SS. Reges. 478
Linguarum variarum *peritia data Apostolis & viris Apostolicis tempore S. Irenæi: item B. Virgini & S. Xauerio.* 485
Literæ *Reinoldi Archiepiscopi ad Clerum & ciuitatem Colonienſem de aduentu SS. Regum.* 633
Aliæ priores ad sororem antistitam. 634
Regum Ioponiæ ad Gregorium 13. 859
Loca *Magorum & vestigia ante & in antro Bethlehemitico.* 395
Locircescentis *in Burgundia origo, fundatores & benefici: ibi relicta pars pollicis SS. Regum in translatione: à quibus postea nomen tulit.* 640
Lorum *significat caritatem.* 101
Lucas *omissa à S. Matthæo narrat, vt Ioannes prætermissa ab alijs Euangelistis.* 238
Lucernæ *situs, descriptio & vestigium stationis SS. Regum.* 636
Sacellum ibidem ijs erectum ad memoriam clarum miraculis 637
Inscriptio loci & indulgentiæ datæ. 638
S. Luciani *vultus modestia, maiestas, studium, sacrificium inusitatum die Epiphaniæ & glorioſum martyrium.* 743
Lucifer *cum Apostatis Angelis creatus in gratia fidem Christi habuit, inuidiâ & superbiâ corruit.* 11. 12
Luciferi imago allata SS. Eucharistiæ corruit & hæresis ab eo instituta. 711
Lustratio domorum *aqua piaculari pridiè epiphaniæ: ritus & orationes tunc adhiberi solitæ.* 726
Lutheri *iocularis interpretatio ritus antiqui, quo crux præfixa initialibus literis Regum, domibus affigitur.* 716.

M.

SS. Machabæorum 7. *& matris illustre elogium.* 674
Translatio eorum Mediolano Coloniam cum SS Regibus 672.
Miracula Ibidem

M.

Madian *filius Abrahæ nomen toti Arabiæ, & præterea ciuitati Madianæ in Arabia Felice dedit, cui vicina est Epha condita à filio Madiani.* 185. 208
Madianitæ *dicuntur Arabes à Madiane filio Abrahæ vocantur ijdem Ismaëlitæ, Amalecitæ, præterea Chus, Chusim & Aethiopes: inde prodijt vxor Mosis AEthiopissa. Confunduntur ijdem cum Sabæis: vnde venit Regina Saba.* 186
S. Magdalenæ *Christo liberalitas exhibita bene compensata.* 26
Magi *vox Hebræam & Persicam radicem & originem sapit.* 173
Hebræis significat meditantes & sapientes.
Apud Persas nomen datum est sapientibus & Astrologis: deinde sedibus eorum & locis adhæsit 174
Sedes eorum apud Persas, Medos, Bactras, Babylonios, Arabes. *ibidem*
Reges ex ijs orti vt Darius qui titulum Magi æquauit regio. 177
Nomen Magorum honorificum in scriptura: quæ Danielem & tres pueros Magos vocat quasi Philosophos & Regũ consiliarios quorum præses seu Princeps erat Daniel. 175
Magorum scientia licita fuerunt, & apex Philosophiæ naturalis: vnum colebant Deum & mortis erant contemtores: mira eorum parrhisia cum Alexandro & Regibus, 177
Eorum erant tria genera: magna vitæ asperitas, temperantia & autoritas. 176
Custodes erant regnorum, & Regum Magistri. *ibidem*

Magos

Magos potius Euangelista quam Reges vocauit: quod sapientum sit è stella Messiæ ortum cognoscere. 301. 167
Magorum Persicorum duo vitia. 1. *nimius Deorum cultus: deinde degeneratio in præstigias.* 187
Origo magiæ vetitæ ex Medicina: autores eius & sectatores. 188
Pœna ijs decreta iure diuino, Romanorum, & Gentilium. 188
Magorum Euangelicorum electio diuina cum aris prærogatiuis. 2. 3. 4.
Despondit eos sibi Christus. 3
Fuerunt venæ, arteriæ, & nerui corporis Christi. 9
Structores Ecclesiæ. 10
Clarius ijs reuelata est diuinitas Christi, quam alijs Patriarchis 15
Patres qui Magos Euangelicos suspectos magiæ vetitæ volunt. 188
Ratio eorum petitur ex solo nomine ambiguo Magorum. 189
Maleficos non fuisse tres Reges. à fol. 192
Omnium ferè seculorum testibus & rationibus euincitur: licet probabile sit eos in comitatu suo quosdam maleficos habuisse. 196
Magi figurant Ecclesiam & Euangelicam perfectionem. 3
Magistri *& inuentores primi scientiarum Patriarchæ Adam, Seth, Noë, Abraham, Ioseph* à p. 180
Magnes *Christi, quo trahit omnes ad se efficax gratia.* 283.
Magnitudo *beneficij adoptionis cœlestis. Præfatio. &* 736.
Magnus dies *& annus qui fuit.* 90
Malachias *vult à sacerdotibus legem esse requirendam & Christum vocat Angelum testamenti.* 112
Malorum *consortio non sunt inquinati Noë, Iob, Daniel.* 151
Eorum familiaritas vt Herodis est declinanda. 497
Mali *imperfectè credunt mortem & infernum.* 344
Manuelis *Græci Imperatoris tempore inuenta sunt Mediolani corpora SS. Regum, non verò eo translata.* 594
Mancius *vnus legatorum Iaponum redux fit religiosus cum Iusto fratre.* 864
Manus *Dei protectionem significat.* 370
Manus cor & pedes offerenda sunt Christo. 793
Marcion *negans veram Christi natiuitatem confutatur.* 239
MARIA *Virgo canalis gratiarum & donorum Dei impetrat S. Iosepho & SS. Regibus sanctitatem.* 27
Ara-cœli rectè nominata. 37
Maria consiliatrix & mater sapientiæ ac terra Hus, id est Consilium nuncupatur. 141
Est patens aquarum viuentium & cisterna Bethlehem. 146
Templum viuenti construxit Melchior Cranganore, inducto raro modo colendi eam. 214
Maria stella vi nominis, doctrix, magistra, ductrix maris; illuminat & influit: præeminet Angelis & præcauet naufragia 387
Inuenta à Regibus non trepida, & pene exanimata, vt sensit Villanus. 401
Sed exsultans filium gremio fouens & exhibens. 402
Verè lectulus Salomonis & Theotócos seu Deipara. 402
Plus filio contulit, quam vlla mater. 403
Deus nequit creare matrem ea maiorem: cum sit mater Dei & & regina cœli, præcellat Angelos, cum Deo Patre eundem habeat filium matri subditum ibidem
Imperat filio: merita eius superant omnium ceterarum creaturarum merita simul copulata; est etiam mater omnium viuentium. 404
SS. Reges primogeniti eius ex Gentilibus filij. 405
Nullam gratiam nisi labore mentis & corporis obtinuit extra primam: 840
Laus eius verbis Theodorici à Mers Archiepiscopi. 833
Peritiam omnium linguarum habuit & allocuta est Reges. 485
Elinguem die Epiphaniæ sanat. 787
Vt stella maris ad cœlum viam monstrat. 813
Martionillam *Deus præseruat à tormentis, ne deficiat.* 741
Martyres *centenario maiores Eusignius, S. Timotheus.* 573
Martyres singuli sua indicant cadauera. 742
Martyrium *subijsse SS. tres Reges multi autores tradunt.* 571
Confutantur opposita argumenta. 573
Matrimonium *Christi cum Gentilibus.* 19
Perpetuum est. 20
Prædicit id Osee. 95
S. Matthæus *scribens Iudæis, facta in Iudæa ijs nota silet: Lucas ea Gentibus ignota scribit.* 238.
Mauricum *bellum capta festo epiphaniæ Granata post octingentos annos confectum est fundata monarchia Hispanica.* 843
Maximilianus Rex *Romanorum coronatus Aquis.* 831
Coloniæ fit canonicus, cataphractus ingressus vrbem. 832
Iterum Coloniam venit. 843
Maximiliani Henrici *Archiepiscopi Coloniensis electio, consecratio & primum Archiepiscopale sacrum Coloniæ, aliud Ratisbonæ festo Epiphaniæ cantatum à fol* 380
S. Melchtildem *docet Christus tria sibi dona offerre, quæ redonet.* 815
Medicina *ex auro, thure & myrrha confecta pro senum vita proroganda.* 730
Mediolanum *caput Insubriæ vrbs amplissima.* 601
Translati eo Constantinopoli sancti Reges: cultus eorum: visitatio & osculatio tumuli, & annua eorum repræsentatio 603
Euerso S. Eustorgij templo reperiuntur SS. Reges. 608
Clades ei à Cæsare illatæ. 612
Arcta cingitur obsidione, æstate anni 1161 *commeatus omnis intercluditur.* 613
Deditur Reinoldi virtute absque conditionibus: Consules milites, ciues cum carrotio subdunt se Cæsaris clementiæ 620
Cum crucibus ciues supplicant & opem Augustæ implorant. 621
Indultum omnibus vt vno gestatu efferrent, quæ possent: Soror Gualfugum humeris effert, & ope Reinoldi vitam fratri seruat. 622
Excidium ciuibus denunciatur, egressis cum necessarijs ciuibus milites vrbem diripiunt, reliquiæ inter Episcopos diuiduntur. 626
Porta & ædificia relictis ecclesijs à vicinis ciuitatibus diruuntur. 627

vna hebdomada diruitur vix quinquagesima parte adium reliqua, 627

Post quinquennium per Gualfagum ope Manuelis instauratur & multis partibus ampliatur. 594. 627

Meditatio passionis Christi comparatur myrrhæ inter vbera: confortat, exhilarat, sanat, putredinem arcet. 445

Amara reddit dulcia. 446

Timorem pellit. 447

Melchiel, Melchior, Melchisedech quid significent ex radice Hebræa. 171

Melchior Rex Tharsis & Insularum Indicarum, Cranganoris & Calecuti. 84. 102 103. 220

Cranganore è Brachmanis ortus, Magos Arabes ad tranquillandam conscientiam visit & comitatur, nomen mutat: redux ædem condit Deiparæ. 214

Rationes pro ea sententia. 215. 216. 635

Reditus eius in Indiam, suos erudit, tum in Arabiam redit. 536

Cum S. Thoma Christum Indis prædicat. 553

Iterum reuersus ad socios Reges cum ijs fulget miraculis. 565

Martyrio coronatur vndecimo Ianuarij: Cesserunt socij mortuo medium tumuli spatium. 570

Melchisedech fuit homo terrenus ex posteris Adæ more ceterorum progenitus, non verò cœlestis ante orbē creatus. 871 875

Gentilis fuit, Rex Solymorum ex scorto natus: ideo parentum nomen scriptura reticuit. 873

Origines eum credidit Angelum: Hierax esse Spiritum S. Theodotus aduocatum Angelorum & Christo maiorem: alij ipsum Dei filium. Vide horum confutationem. 874

Meritum de congruo quid sit apud Theologos. 58

Ita meruerunt tres Reges Gentilibus adoptionem diuinam, figurarunt, & inchoarunt. 59

Messias promissus Adæ, Abrahamo & Iacobo. 80

Metropolis Colonienſis intra se regiam sedem accipit & ipse Metropolita ius coronandi Regis Romanorum in Germania. 764

Metus Herodis ob timorem successoris & commissa scelera in nece totius stirpis Regum legitimorum. 325

S. Michaël motor stellæ Magorum. 259

Idem forte reduxit eos, vel tres Angeli regnorum præsides. 504

Michæas prædicit locum Pastorum & adorationis Regum. 95

Militia continua est vita Christiani, semperque debet esse in procinctu. 501

Mira constantia, fides & pietas Regum. 396

Missa in coronatione Regum canitur de Epiphania: Rege coronato concinente Euangelium, & offerente munera aurea: causæ cur ea fiant. 832

Missæ sacrificium vtile & fructuosum viuis. 808

Mortuis & vinctis opitulatur. 759

Vinctorum soluit compedes. 760

Vetat S. Erminoldus sibi sub missa morituro deserto sacrificio adesse: idem prohibuit Rodehardus antistita. 773

Missæ duæ menstruæ & totidem psalteria alijs Clericis & monialibus pro benefactoribus fabricæ indictæ. 820

Mithræ sacerdotes conuitijs initiabantur. 480

Moguntiæ cædes atrox Archiepiscopi facta: ideo multis annis euersis mœnibus fuit. 660

Ibidem tres Reges quieuerunt in translatione in domo typorum primorum inuentrice. 661

Moguntina diœcesis plena altaribus SS. Regum. 662

Molinæi blasphemia impudentia negantis vixisse tres Magos Euangelicos confutatur. 156

Monoceros significat Gentilem populum se generose vincentem, & Christum imitantem. 101

Morbi intolerandi & mors miserrima Herodis. 525

Morinen Barones VVestphali stelliferi nomen & insignia trahunt à SS. Regibus. 203

Moyses ducit Aethiopissam typum Gentilium. 20

Scientia eius qualis Aegyptiaca: cum ipse & Iosephus Aegyptios persecerit: quem secuti sunt Athlas & Mercurius Trismegistus. 182

Munera Regibus suis offerre debebant non soli Persæ & Parthi, sed totus oriens. 206. 435

Causa munerum mittendorum erat obnuptias vel natalem diem: Deus eadem imperauit, & quo vestium apparatu Reges eadem obtulerint. 436

Mundus Christum vult perdere. 358

Mundi error Christi luce corrigitur. 386

Mundi finis Christus. 4

Eiusdem heres, Dominus, Rex, Monarcha. 7

Myrrha sui victoria offertur: dicitur à mor id est amaritudo: liquor arboris duplex est: stacte vel gutta sponte manat & est præstantissima, deterior altera fluit ex incisione. 444

Comparatur meditationi passionis Christi. 445

Effectus eius conglobati: 446

Myrrhâ persecutionum vnctus Dauid sacerdos comedit panes propositionum. 480

N.

SS. Nabor & Felix Martyres Mediolano Coloniam transferuntur cum SS. Regibus. 670

Nagran ciuitas Homeritarum vel Sabæorum: in ea trecenti viri multique pueri & mulieres martyrio coronantur. 580

Nahum prædicit euangelia à Regibus nuncianda Gentibus. 96

Natiuitas Christi liberat homines ab hostibus. 240

Christus natus est Rex non Herodes alienigena, nec filij eius: ideo Christum Reges non Herodem quæsierunt. 310

Negotia pijs adspirationibus sunt moderanda. 486

Nigrum esse Deum Brachmanæ credunt. 221

Nocte media natus est Christus. 247

Noë prædixit Gentilem populum cum Iudæis sociandum 73. Figura fuit Christi nudi in præsepio abiecti à Iudæis, & tecti à Gentilibus. 75

Noe docuit Armenos & Italos. 182 dictus ab his fuit Ianus bifrons. 183

Nomina SS. Regum propria vnde & quando cognita. 171

Quomodo licitè & cum fructu gestentur è collo. 719. 173

Quanam apocrypha & commenticia eis tribuantur, ac superstitiones ijs admixtæ. 172

Noë tres filij orbem posteris: tres Reges fidelibus implerunt. 133

Melchior quomodo antea vocatus fuerit, & cur variarit nomen. 215

Ritui SS. Regum nomina cum cruce ostijs domorum in-

Ritus

Ritus SS. Regum nomina cum cruce ostijs domorum inscribendi. 716
Antiquitas eius, effectus & origo. 717
Nomina collectorum fabricæ, *prouisorum, Magistrorum.* 837
Nouitates *in Scripturæ interpretatione periculosæ, vetitæ à concilio Tridentino & S. Epiphanio.* 871.872
Numerum *ternarium Regum scriptura insinuat.* 158
Nuptiæ *Christi cum gentilitate die epiphaniæ de præsenti contractæ fide, spe & caritate.* 474
Pueri iunguntur matrimonio pacis sanciendæ causa. ibidem.

O

Obcæcatio *Iudæorum effecit conuersionem Gentilium.* 155. 368
Obedientia *cæca Prophetarum & SS. Regum.* 35.496
Obedientia Abrahæ promeruit adoptionem Iudæorum. 58
Eiusdem ac Isaaci & Iacobi vincitur à SS. Regibus. 134
Obedientia Regum velox similis aquilis & 4. alatis animalibus. 134. 316
Obedientia stellarum Deo prestita, vtinam & hominum sit simile. 108
Oblationes *factæ SS. Regibus cedunt Canonicis metropolitanis.* 776
Obodas *rex Nabatheus tempore Christi.* 208
Syllæus eius Dux Herodi infestus.
Oculi *Augusti flammiuomi, & Christi fulgurantes vt duo soles, qui terrebant pariter & attrahebant Reges.* 398
Octauâ *totâ Epiphaniæ vinum è quibusdam fontibus fluit. Et 7. quidem diebus Andri.* 717
Odor Christi *bonus Reges.* 43
Odorem admirabilem spirarunt eorum corpora. 775
Officia *SS. Regum* 1. 20
Officium Episcopale Regum præfertur regio. 562
Officium diuinum diei epiphaniæ explanatur. 728
Officio suo quemque Deus ad se trahit suauiter. 281
Offerunt *Reges corpus adoratione, animam humilitate, temporalia donis & se seruos Christi, qui titulus est honoratissimus Christianorum.* 431
Vades se Christo pro Gentilitate deuouent. 432
Olei *ebullitio Romæ* 234
Oliuetum *Gentium cœpit plantari die Palmarum* 54
Onager *Gentilis cum bone Iudæo vescuntur eodem fœno Christo in præsepi eadem fide.* 99
Ophir *& Tharsis indicant Ceilanum & vicinum regnum Melchioris.* 216
Opher *nepos Abrahæ Malacam & Chersonesum à se nominauit. Ibidem auri copia & insulæ auriferæ sunt.* 220
Oracula Apollinis *& Pythonissarum paulo ante Christi natales siluerunt: eius silentij stultas causas Gentiles attulerunt.* 223
Orationis *ala dua mortificatio & contemtus mundi.* 443
Vel misericordia. 452
Oratio sit continua. 452
Oratione efficaces Noë, Iob, Daniel. 151
Oriens *Christus dicitur.* 110. 141
Orientales *Reges Regum doctissimi.* 183
Arabia respectu Hierosolymæ ex oriente in Austrum declinans quandoque dicitur Australis, quandoque Orientalis. 302
Orieus mysticè significat initium lucis & fidei; at occidens Solyma: Bethlehem verò rursum oriens. 303
Mortuorum cadavera sepulta ad ortum, templa etiam respiciunt orientem. ibidem
Originalis *peccati pœna quadruplex & remedium.* 13
Oculo *transfunditur anima in aliud corpus: sicut anima in Deum per amorem, dummodo sit abluta Baptismo vel Pœnitentia.* 143
Osee *prædicit matrimonium Christi perpetuum cum Gentilitate.* 90
Ostentatio *Ezechiæ sustulit filijs eius thesauros.* 429
Ostia *& portæ Ecclesiæ SS. Apostoli.* 66
S. Otto *Bambergensis Episcopus visa scala ad cœlum erecta, quam Angeli adscendentes & descendentes ornabant, condidit Frusingense cœnobium* 772
Otto 4. *Imperator confirmat Colonienſi Archiepiscopo ducatus VVestphaliæ & Angariæ.* 779
Eligitur Coloniæ fausto omine stellæ apparentis meridie. 785
Restituit ablata ecclesiæ Colonienſi & frontem lipsanothecæ SS. Regum auro tegit. 785
Recipit imperium, sanctè moritur, sacerdotum flagellis cædi & calcari pedibus desiderans: liberatur idem è purgatorio precibus & voluntarijs verberationibus Religiosorum. 786

P.

S. Pachomius 7. *millibus cœnobijs præfuit: & S. Theodoro, qui consideratâ vanitate fluxarum epularum conuersus est.* 751
Papiense *conciliabulum repudiato Alexandro legitimo Pontifice adhæret Victori Antipapæ,* 610
Paradilus *patria nostra est: ad eam contendendum per virtutes: amor & desiderium patriæ Gentilium.* 502
Parelia *varia in ortu Christi & origo eorum.* 233
Parentes *filijs solent nuptias conciliare, Abrahã Isaaco, Rebecca Iacobo.* 470
Parrhasius *in vultu ciuium Atheniensium affectus expressit.* 399
Parthici *Reges pares vel superiores Romanis.* 197
Erant simul sacerdotes. 188
Regnis & gentibus 32. imperarunt annis 420. ad tempora vsque S. Vrsulæ. 198
Parthis Reges multi vectigales. 199
Paschata 5. *Salianus admittit post Christi Baptismum ante mortem.* 540
Olim indicebantur die epiphaniæ, Patriarcha Alexandrino de eo monente Romanos Pontifices. 723
Verum Pascha Baptisteria cœlitus impleta demonstrarunt. 712
Pascit *Christus oues suas sanguine proprio.* 356
Pastorum *Locus orto Christo* 95
Pastores tres minus illuminati superantur à Regibus humilitate, fide & gratia. 427
Cur vocati sint per Angelum. 467
Pater cœlestis *creauit stellam & attraxit Magos.* 23
Patria *SS. Regum non vna sed varia: cum Reges fuerint, ac colore dissimiles.* 213
Probabilior de ea sententia. 222
Patria Christus vsus est pro diuersorio: nam diutius habitauit in Galilæa. 354
Patriarchæ *præ posteris ampliore donati sunt gratia.* 3

S. Pau-

S. Paulus *ex persecutore Christi prædicator in synagogis, electus Doctor gentium mittitur in Arabiam* 548
Itinera eius varia: docuit SS. Reges. Primi Imperatores Philippi ex Arabia. 550
Paupertas *gemma & thesaurus absconditus, quæsitus & electus à Christo & matre illius.* 401
Pauperatis amorem Regibus stellæ & multo magis adspectus pueri Christi ingessit; accessit S. Thomæ prædicatio, quem secuti voluntariam relictis regnis amplexi sunt paupertatem. 553
Pax *summa fuit tempore natalis Christi.* 248
Pacis concilandæ modus optimus. 659
Peccans *omnis ignorat: vt Saul & Herodes.* 344
Peccatores *sunt equi diaboli, serui Herodis.* 377
Impij in Deum, nec eum, sed se ipsos ladunt. 380
Offendunt Deum. 393
Peccatum mortale *præscindit membrum à corpore Christi.* 9
Vitanda cum Magis occasio eius declinato Herode. 497
Peregrinatores *senes S. Dionysius Ariopagita 90. annorum: Polycarpus Centenarius, S. Epiphanius 113 ætatis anno.* 837
Peregrinationes *ad tres Reges.* 830
Cum supplicationibus tempore pestis. 840
Perfectio *triplex fuit in SS. Regibus contemplationis, congressionis & professionis.* 150
Persiæ *Regibus quatuor dabant consiliarios, vnum iustitia, alterum fortitudine, tertium prudentia, quartum temperantia summum.* 814
Reges eidem magia naturali seu sapientia excolebantur: solisque Regibus ea tradebatur. 184
Persiæ *situs & descriptio.* 205
Multi inde Reges tres educunt. 206
Ea pro Arabia sæpè sumitur. 211
Intra Euphratem & Tigrim Arabiam Persicam locat Curtius. ibidem
Perseverantia *opus cum Regibus & declinandus respectus vxoris Loth.* 501
Petræ *scissæ exprobrarunt Iudæis duriciam.* 549
S. Petrus *vocatur suprema & antiquissima Theologorum summitas.* 33
S. Petri sodalitas instituta pro subsidio fabricæ: nam sodales annue pendebant pecuniam aliquam à Religiosis collectam. 817
Priuilegia eorum. 822
Petrus Faber *VVormaciæ Cochlæum exercet asceticis commentationibus: quosdam ad fidem conuertit, ex Hispania duos socios educit, quos Coloniam mittit peregrinatum ad tres Reges, eodem ipse cum fructu excurrit.* 845
Pharaonis *filia desponsa Salomoni figura ecclesiæ Gentilium.* 89
Pharisæi *mysteria legis, vt Theologi excutiebant: eorum quidam intererant synædrio.* 338
Philautia *omnes excæcat etiam Apostolos.* 344
Philippus *Sueuiæ Dux Coloniæ Pascha celebrat; Aquis die epiphaniæ rursum electus coronatur à Colonienſi.* 785
Confirmat priuilegia Colonienſis ecclesiæ. 788
Occiditur Bambergæ. ibidem
Philippus *Pulcher Rex Franciæ coronatur festo epiphaniæ, cui Aegidius Romanus oratione suasit Regum Persarum imitationem & stellarum.* 814
Philippus Bonus *Dux Burgundiæ & Belgij visit SS. Reges, & aurea lampade donat.* 841
Philippus Heinsbergenſis, *cum Philippo Osnaburgensi præsule, inducit tres Reges in ciuitatem Colonienſem.* 668
Creatus Archiepiscopus Colonienſis consecrat ecclesiam Vrsulanis Virginibus. 672
Victoria eius Andernacensis pro tribus Regibus. 775
Lipsanothecam eis ex auro & gemmis constat: cui imponit incorrupta corpora odore cælesti decorata. 775
Acquirit Ducatus Angariæ & VVestphaliæ diœcesi. 778
Pacem inter eum & Coloniam conciliat Imperator. 782
Optat singulas diœcesis villas ornari cœtu religioso. 784
Philippi *duo Cæsares Arabes Christiani.* 550
Phraates *Parthorum rex pacem cum Romanis init: misit etiam 4 filios Romam ab Augusto educandos.* 550
Picturæ *antiquissimæ Romæ subterraneæ 14. repræsentant tres Magos Evangelicos cum muneribus.* 108
Pictura eorundem in Italia ante octingentos annos. 765
Picta *Deiparæ à S. Luca imago Mediolano Tragam, inde in Moraviam translata miraculis inclyta.* 700
Pilatus *sæpius Christum innocentem pronunciat.* 545
Pœnitentia *SS. Regum; agnoscunt se peccatis causam dedisse Christi doloribus.* 425
Pœnitentia rigida Ottonis 4. ante mortem 786
Pœnitentiarij *certi constituti, vt vota mutarent in vtilitatem fabricæ: nomina eorum.* 834. 835
Pontifices summi *Iudæorum quando cœperint esse annui: intererant synædrio.* 338
Pontifices Romani *Innocent. 4. Ioannes 22. & Bonifacius 9 probant translationem & miracula SS Regum.* 686
Præcones *regni Christi SS Reges.* 1
Prælati mali *pondere leuiore ruuntur cum alijs: at secum grauiore.* 340
Præparatio *Regum ad ingressum stabuli.* 397
Præsepe Christi *fuit lapidetum amplum, cui insertum ligneum Romam translatum ad D. V. Maiorem, ornatum argento.* 394
Prærogatiuæ SS. Regum. *Apostoli fuerunt Iudæorum & Gentilium.* 2. 531. 532. 575
Et Gentilium præ Iudæis. 3. 4
Primitiæ dormientium *Christus.* 4. 5
Primitiæ Gentium *Reges.* 4. 5. 39. 40
Primogenitus *omnis creaturæ Christus.* 7
Septem eius priuilegia. 5
Principis *exemplum efficacissimum ad subditos lucrandos probatur exemplis & similibus.* 531
Prodigia *ante ortum Christi & in ortu.* à fol. 225
Cometa Dei in se effigiem habens: 235
Promissio *rei malæ ex se vel ob occurrentes circumstantias non obligat licet iurata.* 497. 316
Prophetæ *cognouerunt mysteria, quæ prædixerunt.* 33
Cæca eorum obedientia commendatur. 35
Protasius *rex Arimæ Michaëlem legat Romam.* 861
Providentia *Dei in itinere Melchioris Regis India & Angeris Iaponis.* 217
In bonis defendendis. 335
Prudentia *Regum in ingressu Solymæ quærentium vbi natus esset, quasi non dubitarent, quin scirent.* 309. 319
E Psalmis *contexta historia SS. Regum.* 85 86
Puer Christus *vt Hercules dracones Reges attrahit, & Herodem*

Herodem terret: vide Herodes in ipsis cunis metuendos. 326
Oculi eius vt Augusti scintillantes, vt maiestas in antro coruscaret. 38
Facile placatur paruulus. 399
Pueri quinquennis *amor Christi, votum martyrij, abiectio deliciarum, Cursus in ignem ad matrem.* 584
Pugnandum *homini semper contra tres hostes suos.* 94
Pullus *asina Gentiles soluti ab Apostolis.* 542
Punit Deus *atrociora crimina, vt publicas iniustas neces in hac vita: ita Iudæos reos mota in Christum persecutionis nece filiorum suorum plexit* 523
Purgatorijs *flammis Otto 4. orationibus & pœnis voluntarijs cœnobitarum liberatur.* 786
Pusillanimium *optima consolatio.* 225
Puteus *est fides, & euangelica doctrina.* 144
Puteus aquarum viuentium. *B. V. Maria.* 146

Q.

Quærendus *solus Deus simpliciter & confidenter.* 309
Item ardenter sæpius & intrepidè ac constanter. 313
Quærenti *tria necessaria vt oret, consulat peritos, nec desistat donec reperiat dilectum.* 314

R.

Rachel *figura Gentilitatis.* 144
Recolendum *sæpe beneficium adoptionis cœlestis.* 13
Recreatio *honesta Religiosis non minus necessaria quam somnus & cibus.* 812
Redemtoris Christi *seruus securus est contra dæmonis insidias.* 432
Reduuua *vitia sunt corrigenda.* 501
Regalia *pridie Epiphaniæ quam originem habeant, & quomodo licitè possint tolerari.* 731
Regia *dignitas Magorum à Matthæo insinuatur & omnium seculorum autoritate firmatur.* 101
Adduntur rationes & reuelationes variæ. 107
Regina Sabæ *typus Regum venit ex Arabia.* 155
Rex *vel* Regina *significat totum regnum.* 125
Reges *debent pascere non deglubere subditos.* 309. 355
Reges veri sunt qui sibi imperant. 401
Rex mundi Christus *regnat in fidelibus.* 6
Regem orbis *nasciturum* 60. *annis ante Christi ortum pervulgatum fuit etiam Sibyllinis carminibus, inde Lentulus & C. Iul. Cæsar regnum appetierunt.* 218
Cicero suppressa cupijt Sibyllina carmina de Rege & redemtore mundi nascituro. 226
Eadem carmina recitantur. 227 228
Herodes & Vespasianus ideo Messiæ nomen affectarunt: & huic Iosephus prædixit imperium: qui etiam miraculis fictis Messiæ officium sibi arrogauit 279
Regnum Christi *potentissimum, opulentissimum, fortissimum, æternum & iucundissimum.* 7 108
Nouum & inusitatum. 29
Predictum à Iacobo futurum pacificum. 80
Pilatus Christum *scripsit Regem Iudæorum seu fidelium, qui saluaturus esset subditos: idē Magi dixerunt.* 131.
Reges *Angliæ, Cypri, Daniæ visunt SS. Reges.* 827
Reges orientales *Astronomi Atlas Hercules, Salomon. Hunc ideo omnes Reges Aegypti & Arabiæ venerati, sunt.* 13
Dictus Rex M. & Rex Regum. 183
Reges soli in Persia naturali magia expoliebantur. 184
Regum corda & furor in manu Dei. 518
Reges tres Magi Euangelici *testes natalis Christi* 28
Item regni & diuinitatis: inauguratus ab ijs monarcha orbis. 29
Legati & apostoli Christi. 30
Iudæorum Magistri, Angeli & nuncij veritatis. 31
Euangelistæ & Theologi. 32
Confutarunt hæreses orituras. 34
Prophetæ Christi nati, passi, resurgentis. 35
Sacerdotes ratione primogenituræ, postea consecrati à S. Thomæ 36, 37
Confessores primi Christi. 37
Primitiæ Gentium 40
Prima poma & radix Sancta. 14
Progenitores ecclesiæ & flores. 41. 43
Fidei Duces & Principes. 45
Typus status ecclesiæ florentissimi. 46
Figura & exemplar Martyrum, Sacerdotum & Regum 51
Fides eorum, spes, pietas, fortitudo, munificentia. 52
Procuratores orbis industrij. 54
Legati Gentilium omnium felices. 56
Meruerunt, figurarunt & inchoarunt Gentilium conuersionem. 60
Plus ijs Gentiles, quam suis Patriarchis Iudæi obligantur. 61
Columnæ sunt Ecclesiæ triumphales & Apostoli. 66. 67
Comparantur Abel, Seth, & Enos spe futurorum bonorum.. 133
Noemi tribus filijs fecunditate spiritualis posteritatis. 134
Abrahamo Isaaco & Iacobo fide & obedientia. 135
Tribus amicis Iobi dignitate Trismegisti, 142
Tribus pastoribus exspectantibus aduentum Iacobi desiderio fidei. 144
Cum Adonia, Sadoch Banaia regnum filij Dei primi promulgarunt. 145
Translato ad Gentiles regno & Sacerdotio eius. 146
Cum Dauide, Ezechia & Iosia in destructione idolorum conferuntur. 150
Noë Daniele & Iobo similes pietate inter impios. 151
Abrahamo, Dauidi & Iosepho in promissione. 153
Orti sunt ex Abrahamo & Cetura: inde Messiæ cognitionem & spem habuerunt. 186
Non fuerunt posteri è stirpe Balaami. 189
Sed tantum eius vaticinij & Astrologiæ sectatores. 191
Nec tamen Genethliaci, licet Astrologi. 192
Non fuisse maleficos omnium ferè seculorum autoritate probatur. à fol. 192
Rationibus idem euincitur. à fol. 195
Visa stella eruditur per Angelum, & à Spiritu S. 264
Deflent cæcitatem. 265
Condicunt duo comites de ineundo itinere: interuenit Melchior tertius & iungit se comitem profectionis. 276

* * *

Paucas forte & expeditas equitũ turmas adsumũt. 727
Stellam eandem viderunt alij, nec sequi voluerunt. 286
Vsi dromedarijs commodè Sabâ Solymã trecentas leucas confecerunt diebus tredecim. 294
Causæ cur Solymam sint ingressi. 306
Officia militum, præconum & legatorum intrepidè coram Herode & in metropoli sustinuerunt. 707
Christum vt Deũ adorare voluerunt cõtra Caldinũ. 318
Docuerunt quærendo Iudæos Christi triplicem dignitatẽ, diuinam, regiam, & humanam mortalem. 319
Apibus similes è malis etiam mel suxerunt. 366
Ingressus stabuli, prostratio & affectus pij. 397
Saltant ad numeros Christi humilis & se abijciunt. 418
Adorant Reges puerum vt creatorem, redemtorem & Regem gloriæ. 423
Donantur lumine gratiaq; maiore, quam Pastores. 420
Oblatis Christo Trismegisto muneribus veri facti sunt Trismegisti. 434
Singuli tria munera offerunt. 437
Triplicem in Christo dignitatem muneribus adorarunt contra Caluinum. 438
Conceptis Verbis dona consecrarunt, 454
Regum humilitas fides & adoratio nobilior, quam Pastorum. 469
Extra oppidum pernoctarunt. 486
Terra redierunt non mari. 498
Directi diuino oraculo. 504
Cupi ditates per aduersa domuerunt. 525
Persuaserunt subditis idolorum & delubrorum euersionem. 533
Visit eos & instruxit S. Paulus. 554
Baptizauit Episcopos conseorauit, & adiutores evangelij Christi publicandi fecit S. Thomas. à fol. 555
Moniti cœlitus sunt de morte imminente. 266
Martyrio diuersis diebus coronantur. à fol. 268
Regũ cadauera sibi mutuo honoris causa cedũt loco. 717
Clarent miraculis, manent cum vestibus incorrupta, fragrant cœlesti odore. 718
Vinctis & reis opitulantur, & epilepticis medentur. 719
Reges sanctis Sædscriptos testantur bullæ Pontificiæ festa, cultus & aræ ac templa ijs consecrata. 722
Quibus in rebus Reges & Imperatores debeant SS. hos Reges imitari. 832
Reinoldus Comes de Dassele Cancellarius Cæsaris ejicitur Mediolano. 608
Creatur Archiepiscopus Colonienſis absque labe Simoniaca, mirè laudatus à Græfschafftensibus. 610
Interest cõciliabulo Papiẽsi, adhæret Victori Antipapæ 611
Eius virtute coactum deditur Mediolanum: accepit à Gualfago corpora SS. Regũ pro vita ipsi seruãda. 618
Astu ea dimittit è castris aversis equis soleis applicatis & sparsa fama triũ propinquorum peste defunctorũ 619
Impetrat eadem à Cæsare licet ægrè 626. 627
Cum alijs etiam reliquijs anno 1162. discedit 10. Iunij. 630. 632.
Scriptis Papiâ ad sororem de reliquijs SS. Regum acceptis, primis literis. 634
Donat Brisacentibus SS. Geruasium & Protasium Martyres 648
In Remagen relinquit S. Apollinarem. 664
Redit ad Cæsarem, ab eo legatur ad Regem Franciæ: inde redit In Italiam iussu Cæsaris, Lombardiam, Tusciam, Marchiamq; fidam ei seruat. 671. 676
Ex Italia Colonienſibus detegit insidias Conrardi. 676
Consecratur Sacerdos & Episcopus, eleuat SS. Carolum. Cassium, Florentium & Mallusium &c. 618
Febriens resipiscit: sanus in Italiam armatus redit. 682
Incredibilis eius Tusculana victoria. 683
Peste extinguitur pœnitens rite expiatus, & sacris vltimis munitus Laus eius extra maculã schismatis. 684
Religiosi offerrè debent dona trium votorum. 442
Reliquias Regum Reinoldus omni thesauro mundi prætulit. 633
Reliquijs præstantissimis Carolus M. ornauit Aquense tẽplum ad tutelam regni. 765
Renunciandum est diabolo. 364
Respectus Herodis turbauit ciues Solymæ. 329
Reuelationis veritas ex attestatione Dei discitur experientia, vt S. Augustinus ex S. Monica matris suæ narratione docet. 491
Reuelatio in somnis facta quandoque fidem & virtutem singularem videntis indicat. 492
Tres gradus reuelationum diuinarum. 492
Varij earundem modi 1. solis verbis. 2. solis signis. 3. verbis & signis. 4. Solâ phantasiæ imaginatione. 5. Adsũtis corporibus adspectabili modo, non per imaginationem, sed alio modo suam præsentiam & Dei voluntatẽ indicant: vt cum in sõnis Ioseph apparuit. 492
7. Interdum Deus immediatè impressis intellectui novis speciebus loquitur, vt SS. Regibus & Ioseph reuersuro in Galilæam accidit. 494
Rhinoceros v. monoceros. 101
Richmundis in monte S. VValburgis visio Christi pueruli die Epiphaniæ ab Angelis adorati. 787
Romana Ecclesia seu matrix omnium consulenda in rebus fidei. 3
Rupertus Bauarus eligitur Imperator Remtij, coronatur Coloniæ festo Epiphaniæ. 830

S.

Saba iacet in Arabia. 84. 155
Nomen accepit à Saba nepote Abrahæ. 186
Sabæi alij sunt in Persia, Africa & India. 186. 212
S. Sabæ mónasterium ob ortu abest Solyma 12. & à Bethlehem milliaribus octo. 499
Sacerdos est Angelus, legatus & sequester Dei. 112
Sacerdotum vecordiam damnant Magi soli visentes Christum. 367
Sacerdotium varium fuit SS. Regum 36. ara eorum. 37
Sacerdotio Reges sunt initiati, adversis. 480
Sacerdotium Christus & Reges regno sociarunt. 110
Sacramenta nata è Christi latere. 545
Sacrificium Christo nato Reges obtulerunt. 84
Sacrificium Christi matutinum & vespertinum. 505
Salamona mater cum 7. Machabæis filijs translata Coloniam Mediolano, medetur parturientibus: constantia eiusdem. 674
Salomon Propheta cecinit in Canticis Epithalamium Gentilitatis desponsa Christo. 86
Typus fuit Christi adorati à Regibus. 153
Salutatio stabuli, præsepis, fœni & Christi. 398
Samaria intra annũ post Christi mortem fidem amplexa est. 547
Sãson ductâ Dalilâ figura Christi Gẽtilitati maritati. 21
Sanctorum oratio redditur inefficax ob incolarum peccata. 152
Sanctorum reliquiæ persecutionis tempore abdebantur terræ: multi eorum S. Ambrosio tumulos suos indicarunt. 603
Sanedri Iudæorũ præerat Pontifex Maximus: aderãt 24

Capitâ

Capita Sacerdotalium familiarum, qui dicebantur principes Sacerdotum, & qui gesserant annuum Pontificatum cum Scribis. 336
Sapiens *est Regum Rex & Deo proximus.* 177
Sapientiæ *desiderium: ea docet exemplo.* 24
Sapientia vera Reges fecit stultos mundo. 417
Nam per vitrum veritatis res creatas perspicientes, vt sunt, spreuerunt. ibidem
Sapientia carnis inimica est Deo: vide effectus eius. 416
Scientia *media Dei.* 1
Scribæ *primo fuere tantum notarij publici, qui conseruabãt scripturas: deinde cœperunt easdem interpretari vt Doctores Canonum Fuere etiam Cancellarij differebant à Pharisæis, quod corticem literæ sequerentur, Pharisæi autem velut modo Theologi abdita mysteria scrutarentur: vtriq; vocabantur ad cõcilia.* 338
Scribæ prodiderũt locũ natalẽ Christi vt occideretur 346
Truncarunt etiam vltima verba de æternitate spiritualis regni Christi, vt insanti facilius necẽ struerent. 358
Ob arrogantiam incapaces fuerunt moderationis Evangelicæ. 469
Scripturæ sacræ *maiestas & profunditas: 4. eius sensus: prædicit sæpe Epiphaniam: aptè mundo comparatur.* 70. 139
Scrupulis agitati *conscientiæ sequantur consilium Confessarij.* 337
Seculares *quandoque Sacerdotibus sunt religiosiores.* 105
Securitas *summa in solo Deo est* 363
Semi *tabernacula sunt priuilegia Iudæorum, communicanda Gentilibus per Iapetum.* 73
Semus *Abrahamum instituit Astrologia.* 180
Senatus Coloniẽsis *anniversaria supplicatione solitus est venerari SS. Reges pridie Epiphania. In dedicat. Ad se natum at.* 784
Senes peregrinatores *centenario maiores.* 837
Senes Martyres *anno ætatis 120. vel 130.* ibidem
Senes annorum ducentorum. 838
Septuaginta interpretes *Scripturæ quædam obscurius dicta, clarius, explicarunt à Spiritu S. docti, vt patet in Habacuc.* 98
Sepulturæ Regum *locum Flauius Dexter in Arabia Felice collocat: & videtur esse apud Adramitas in Sabæorum regione: vbi Homeritæ habitarunt.* 577
Seruitus Christi *præstantior regno mundi, aiebat S. Agatha:* 431
Christi serui sumus ob vnionem hypostaticã, redemtionem & meritum eius. 432
Hoc titulo gloriandum cum Paulo: estque remedium contra omnes tentationes. ibidem
SS. Reges seruos se Christi profitentur. 58. 434
Sybillarum decem *nomina, patria, & vaticinia de stella, adoratione & muneribus Magorum. à fol* 126
vt Erythræa, Cimmeria, Samia, Cumana, vel Hellespontica, Persica, Cũæa, vel Maronis, Libyca, Tiburtina 274
Ob virginitatem datus eis spiritus prophetiæ 131
Sibyllinæ carmina de Christo ex Virgine nascituro. 272
Sigismundus Imperator *coronatus sit canonicus Coloniæ, habita Latina ad Clerum populumque oratione: & victoria eius 9. contra Turcas.* 831
S. Simonis Apostoli *incorruptum brachium ab Episcopo Armeniæ defertur & abditur in VVesselich donatur Seinensi cœnobio; claret miraculis.* 791
Simplicitas *euadit dolos hostium, parit securitatem & fiduciam: Deo adsimilat.* 495
Sinensis lapidi *inscriptio de SS. Regibus.* 760
Sinensi Regi *Christus tẽpore natiuitatis apparet & hortatur, vt ex Occidente petat suam novam legem: sed Legatus missus tadio itineris idololatricas superstitiones inuexit.* 866
Sinense Regnum *post annum Christi 600. conuersũ ad fidem per Palæstinum quendam incisis lapidi capitibus fidei.* 867
Amplitudo eiusdem regni, ingressus in id societatis Iesu & trium Regiorum adolescentium conuersio: qui nomina trium Regum adsumserunt. 865
Christus viri specie apparet Riccio & animat ad ingressum in. Duas regias ciuitates spondet opem suã. 867
Status hodiernus eiusdem regni. ibidem
Sixtus 5. *in Legatos & seminaria Iaponiæ liberalitas.* 803
Sodalitas S. Petri *Coloniensis, eius initium & priuilegia.* 817
Sodalium primariorum nomina. & in his Archiepiscopi, Duces Comites, &c. 823
Sodalitas SS. Regum *Scabinorum antiqua, ciuica recentior: eius fructus. frequentia & pietas.* 868
Soles tres *aliquoties circa ortum Christi visi.* 233
Solem *AEgyptij Heliopoli & Persæ coluerunt: Cultum eum SS. Reges sustulerunt.* 353
Solem AEthiopes sagittis configebant. 509
Somnia diuina *quõodo à diabolicis distinguantur.* 491
Quomodo Deus per se in somnis locutus sit Magis. 494
Somnũ *præcedat oratio vt eũ pia sequantur sõnia.* 490
Sophiæ *templũ à Cõstantio splendidissime ampliatũ.* 745
Sophonias *prædicit Regum patrias, dona, concordiam cum Iudæis cum laudis cantico* 102
Speculo parabolico *sic intenditur vox vnius hominis, vt putetur esse totius exercitus clamor.* 176
Spes *SS. Regum.* 52
Spe excelluerunt Abel, Seth, Enos. magis tamen tres Reges. 132
Spes redituri solatij excitanda est in aduersis. 377
Spiritus S. *Direxit Reges & ornãs 7. donis instruxit* 233
Stellæ ijs significationem aperuit per Angelum. 264
Aderat ijs vbique. 313
Spiritus primitias *acceperunt Apostoli, Reges & sancti Christo viciniores.* 25
Spiritus sunt 4. *Mundi, carnis, dæmonis & Dei, finis singulorum diuersus.* 491
Sponsæ Christi *ornamenta.* 144
Status *perturbatissimus Germaniæ tempore concilij Tridentini, in quo Gropperus egregiè die Epiphaniæ Patres animauit ad constantiam.* 848
S. Stephani *zelus & martyrium.* 548
Stella Regum *lingua cœli fuit.* 23
Stellarum multitudo. 42. 76
Stellarum fatum confutatum. 50
Ordo earum, concinitas, motus iustis comparatur. 76
Stellæ boniominis tempore Augusti. 236
Stellæ indicio Messiæ ortum indicandum Sibyllæ prædixerunt 229
Stella Abrahæ promissionem factam impletam significauit. 42. 76
Stella momento natiuitatis Christi: non vero biennio ante creata est. 250
Non fuit vna stellarum fixarum, vel errantium, licet ijs vti Deus potuisset. 251
Non fuit Spiritus S. vel Angelus stellæ specie: licet Angelus eius motor exstiterit. 253
Non lux accidentalis, neque cometa licet cum hoc materiam sublunarem communem habuerit ab Angelo præparatam. 254

Forma mixti huius nobilissima, quæ in tantillo corpore lucem suo modo maiorem solari exigeret. 255

Finis eius ductus & conversio Regum: efficiens Deus instrumentum Christus, qui eo signo diuinitatem indicauit. 256

Creata est supra stabulum, inde mota in orientem. 257

S. Michaël motor eius exstitit. 259

Stella non fuit fatum Christi: in ipsa Christus puerulus apparuit. 268

Præcessit & duxit Reges. 278

Quam suauiter & efficaciter per consueta & amata traxerit eos. 282

Diformi non vniformi motu ad nutum Magorum præiuit stella, vt famulam agnoscerent Creatoris. 282

Prope Solymam destituit eos. 296

Eâ tunc altius sublatâ, diuino consilio Solymam intrarunt, re prius Deo precibus commendata. 299

Stella fuit Christi & Regum famula. 316

Solyma digressis post horam apparet stella & quare. 373

Causæ occultationis & reditus eius. 374

Stella radio protenso monstrauit Christum. 381

Stelliferorum *equitum origo, insigne, lemma & officium in Francia.* 813

Reges stellis esse similes decet. 814. 815

Stoici *fato tollunt hominibus arbitrij libertatem: Priscilianistæ verò ex stellarum influxu.* 260

Strabonæ *in Burgundia situs: ibidem fons trium Regum in translatione excitatus innumeris & quotidianis clarus prodigijs.* 639

Toparcha loci frumosos vt Habspurgi comites curant. ibidem.

Strabonensium dynastarum huc vsque nomina. 645

Studia *contraria Herodis & Regum.* 359

Supplicationes *peregrinorum Coloniam instituta ad pestem auertendam, & Colonia civium per singulas parochias festo S. Gereonis.* 841

Tartariæ *situs & descriptio. Regis frater Haolonus vxorem habuit è sanguine SS. Regum orthodoxam, occupauit eius rogata Syriam euersis Saracenorum templis: & Guilogam ex eadem stirpe gubernatorem reliquit.* 200 201

Tartari *SS. tres Reges vt ex se ortos Coloniâ repetere desiderarunt.* 202

Tartarorum Rex *Sinas penetrat & Pequini magnificum Societati Iesu templum excitat.* 867

Taurini *situs, & an ibi Reinoldus pernoctarit.* 636

Telum literatum *cœlitus missum S. Edmundo Regi thesauros latentes monstrat.* 766

Temperantia *mira Magorum.* 176

Brachmanarum. 219

Et Ioguum. 220

Templum pacis *à Constantino ædificatum idem quod Sophiæ, in quod tres Reges sunt translati.* 599

Templa ædificant reduces Reges in regnis suis: primarium in Arabia S. Crucì; vbi stella apparuit. 529

Melchior Cranganore B. V. Mariæ basilicam constituit: & alius illi similem Calecuti triennio post reditum. 535

S. Thomas Christo Crucifixo dedicat templum SS. Regum. 563,

Templi veteris metropolitani *Coloniensis descriptio & combustio,* 697

Conditores eius 796

Templi noui *à Conrardo Archiepiscopo inchoati structura est Gothica, solida, firma, sumtuosa: longitudo, latitudo & altitudo eius.* 799

Chori, organi & altaris summi descriptio. 800

Tabernaculi Eucharistici, sacellorm & mausolæi SS. Regum. 800. 802

Brachij transversi crucis & nauis templi. 801

Columnarum forma, crassities, ornamenta, distantia. 702

Turrium, & ostiorum magnificentia. 802

Chori exterioris ãbulacra tira, suggrũdia, parastatæ. 830

Structura hæc annis amplius centum intermissa resumenda propediem superis faventibus. 883

Tentatio Dei *quot modis fiat. In desperatis rebus Deo fidendum.* 504

Tentatiovt venenum in thiriaca proficit ad veneni depulsionem & sanitatem electorum. 364

Ternarius numerus SS. Regum *traditione, autoritate, rationibus & figuris illustratur.* 170

Testamentum novum *& æternum Christus erigit die Epiphaniæ cum Gentilibus.* 482

Novam legem interiorem caritatis cordibus vel animæ inscripsit, & exteriorem Euangelicam ijs tradidit. 483

Subscripserunt ei primi tres SS. Reges. ibidem

Testes *Apostoli Christi resurrectionis: vt Reges eius ortus.* 27

Thalmut *& traditiones Iudæorum docent Messiam à Regibus esse adorandum.* 124

Tharsillæ *beata mors pridie natiuitatis Domini, & Æmilianæ sororis pridie Epiphaniæ.* 756

Tharsus *vrbs est campestris Ciliciæ, non maritima: & Occidentalis Solymæ, vnde non potuerunt inde Reges venire: vel eo declinare: nauibus.* 200

Tharsis *& Insulæ designant Indiæ loca.* 84

Naues Tharsis id est maris. 200

Theodoricus à Moëria *Archiepiscopus Coloniensis instituit matutinum pulsum ad honorem Deiparæ: festum Compassionis eiusdem feria 6 post Dominicam Iubilate: & Theophoriam feria 6. post octauam Paschæ, mors eius & tumulus iuxta SS. Regum sacellum.* 833

S. Theodorus *consideráta conuiuiorum fluxa vanitate mundum deserit eius abstinentia singularis.* 731

S. Theodosij *vita, familiaritas cum S. Saba rexit iuniorum cœnobitarum quatuor millia in spelunca, vbi Magi prima nocte reditus delituerunt.* 499

Prodigia ibi patrata. 758

Theodosius Iunior Imperator *vetuit edi Circenses ludos festo Epiphaniæ.* 755

Theologus *quis dicatur: tria eius officia conueniunt SS. Regibus & cur S. Ioannes Euangelista præ alijs Euangelistis Theologus appelletur.* 33

Theophoriæ *Coloniensis origo.* 873

Thesauros *Ezechias ostentans legatis perdidit: eos Magi in via clausos tenuerunt & Christo apertos obtulerunt: ita talentis à Deo datis ad eius gloriam negotiandum est.* 429

Fides, iustitia, sapientia, thesauri nostri sunt Deo offerendi corde, ore, opere: odoribus Christus pascitur. 430

S. Thomas *Socotoram primo conuertit, ideo suasu S. Xauerij Rex Lusitaniæ eam occupauit inde traiecit in oppositam Arabiam felicem: ex ea Cranganorẽ petijt, & Brachmanas traduxit ad fidem.* 221. 210

Thomæi *in eis oris degunt, qui fidem acceptam ad S. Thoman. referunt.* 222

Abeo tres Magos baptizatos probatur SS. Patrum, Scholasticorum & Historicorum autoritate 515 *& seq.*

Thus *Reges Christo vt Deo & sacerdoti obtulerunt, qui suummet corpus Patri immolaturus esset: adhibuêrunt tunc Reges vestium aliquem apparatum.* 433 450

Thus

Thus sola Arabia Felix, & eius Sabaa regio germinat 206
Religio certa & modus, dū colligitur, adhiberi solitus. 206
Tiburtina sibylla quomodo monstrarit Augusto Christum in sole 271. 274
Timor Domini incussus Gentilibus eos conuertit. 114
Timor Herodis ex vita scelerata. 324
Tirones consulere debent confessarios, ijsque parere etiā qui spiritu proectiores vidētur, ne decipiantur 342
Tobias predicit lucem stellæ & gentium cum muneribus adorationem. 96
Tres status ecclesiæ militantis Doctores, Martyres, Pœnitentes vel Martyres Sacerdotes, & Reges, quibus tria munera conueniunt. 441
Tribus virtutibus Theologicis: tribus bonorum operum generibus, tribus gradibus perfectionis item: Sapientiæ, orationi, & mortificationi Regum munera accommodantur. 443. 444
Tributum auro Reges obtulerunt Christo Regi. 459
Tridentum Bethlehemo comparatur: eo stellâ seu evocatione summorū Pōtificum Præsules conuenerūt. 852
SS. Trinitatem Reges donis indicarunt. 44
Tripudium Subdiaconorum quale fuerit olim Coloniæ. 732. 868
Trismegistus dictus olim fuit nepos Mercurij maioris, cuius auus maternus fuit Athlas ortus post Moysē 183
Trismegistus vetus Christus fuit: conuenit idem nomen tribus annuis Iobi & tribus Regibus. 142 433
Turbatio Herodis Hierosolymæ & Dæmonis ex invidia à se. 324
Turbatio bonorum cum gaudio. 330
Valedictio Christi. V. 498
Vasti repudiatam synagogam, Esther Gentilitatem electam figuratunt. 21
Velo templi scisso Gentibus est aperta veritas: credidit enim statim Centurio Gentilis. 548
Vercellensis ciuitatis situs; ibi vndecimo Iunij pernoctauit Reinoldus cum SS. Regibus, & Coloniam de aduentu suo scripsit. 633
B. Veronica de Binasco vidit Magorum vocationem, conuentum, iter, congressum, & conuinium cum Herode, adorationem & reditum. 639
Quædam suspecta fidei putantur in eius vaticinijs reperiri: & causæ eius rei. 840
B. Virgo monet eam nullam à Deo gratiam nisi mentis & corporis labore obtineri. 840
Velontione pia dramata festo Epip. exhiberi solita. 732
Vespasianus fictis miraculis ambit haberi Messias 229
Vestis Christi est Ecclesia & animæ electorum. 81
Vestis nuptialis humanitas eiusdem. 471
Via arcta calcādis est Christianis deserta molliore. 33. 501
Via Christus est nobis. 382. 383. 497. 501
S. Victor aduocatus fidelis. 68
Vigiliarum antiquitas: earum Plinius meminit. 720
Peculiaria circa vigilias Epiphaniæ. 727
Abusus in ijs. 731
Vsus licitus regalium & origo. ibidem
Cantus nocturnus. 739
Vinea Christi Ecclesia. 75
Culta & vber: at synagoga sterilis. 542
Vinoli fontes 6. & 7. Ianuarij ex Plinio, Plutarcho & S. Epiphanio. 711
Virgilius Maro multa de Christi ortu ex Sibyllis hausta cecinit. 129
Virginitas Christiana fecundior est maternitate seculario. 405
Visio Christi in Thoma meritum fidei minuit, & in Magis auxit. 361
Vita hominis alternis gaudijs & aduersis cur temperetur. 377
Similis est nauigationi. 397
Exsilium & peregrinatio est, ac Continua militia. 501
Vitis est Christus. 81
Vocalis quomodo stella fuerit 381
Vocationi diuinæ respondet gratia. 2
Vocationis diuinæ efficacia 267
Suauitas continua. 268
Per consueta & amata quemque trahit. 280
Vocatio Regum nobilior, quam Pastorum, quia per se Deus eos instruxit. W. 407
Wallenus Cisterciensis Abbas in Maiosensi cœnobio Scotiæ vidit anno 1154. tres Reges duce stella in Bethlehem proficisci & Christum muneribus honorare. 774
Wassalitia villa VVesselich illustratur reliquijs S. Baldrici & S. Simonis Apostoli. 791
Wenceslaus Imperator ob inertiam & alia scelera deijcitur ab imperio: Ruperto Bauaro successore Coloniæ coronato. 830
Wilhelmi Cæsaris ex comite Hollandiæ electio in VVoringen, coronatio & visitatio SS. Regum. 810
Excipitur festiuo epulo die Epiphaniæ ab Alberto M. & Dominicanis erigit Traiecti cœnobium. 811
Willegisus Archiepiscopus Moguntinus arrogat sibi ius Gandesemesis parthenonis: velat ibi Sophiam Virginem. 769
Resistit Siluestro Pontifici & synodo. 770
Paccatur ab Henrico imperatore & reconciliatur S. Bernuardo. 771
Winipergenses feminæ elatis humeris suis maritis, ijs à Conrardo Cæsare vitam impetrarunt: qua re lecta Laurentius Medices Florentinus morbū dispulit. 624

X.

Xeniorum origo: vsitata Gentilibus: pia & religiosa sunt cū Gertrude Saxonica Christo cōsecranda. 792
Passionis myrrha, aurum diuinitatis & thus animæ dicandū, Similes affectus pios & xenia Christus velut gemmas inserit suo diademati & ostentat Beatis. 791

Z.

Zacharias vaticinatur Ecclesiam è Gentibus à Christo fundandam esse, & ipsum triplici ab ijs diademate coronandum. 110
Zeli animarum præstantia: opus enim est Angelicum imo diuinum & diuinorum diuinissimum: fit enim eo homo cum Christo salvator hominum. 562
Fit Christi pater & mater. 113
Conuersis vt corona vel veste amicitur. 112. 562
Zelus Apostolorum & SS. Regum: qui simul integras Deo Gentes pepererunt. 43
Noë, Daniel, & Iobus confines improbos emendarunt. 151
Iobi zelus docentis subditos; ita Reges decet subiectis lac doctrinæ instillare. 530
Zelus Abrahæ similis, coniecti ideo in ignem. 181 530
Zelus Regum in reditu & S. Andreæ, Samaritanæ; Latronis in cruce & sponsæ. 528. 529
Zelus Iuliani & Basilissæ. 741
Zelus eorundem Regum cum iam Archiepiscopi consecrati regna sua conuerterent. 560
Erigerent ecclesias, viserent agros, exemplo verboque prædicarent. ibidem.

INDEX.
RERVM MORALIVM PRO CONCIONATORIBVS.
EVANGELIVM DOMINICÆ PRIMÆ ADVENTVS HABES INFRA FESTO PALMARVM.

Dominica. 2. Aduentus. Lucæ 22v.

ERVNT SIGNA. Astra tantum sunt signa annorum, dierum,& tẽporum vel tempestatis aut mutationis aëris : non verò futurorum contingentiũ,quæ pendent à libertate hominis 273.

IN SOLE ET LVNA. Solẽ Ægyptij Heliopoli & Persæ coluerunt,quẽ cultũ SS. Reges sustulerũt. 532

Solem Æthiopes sagittis configebant. 509

Soli comparatur consensus & constantia Catholicorũ in rebus fidei,sicut Lunæ Hæreticorũ discordiæ & immutatio perpetua à dœmone manãs. 322

ET STELLIS : Stellæ non sunt fatum hominis : neque cogunt. licet inclinent 263. Contra Genethliacos,qui stultorũ tributu pendebant,quod à solis fatuis consulerentur. proscripti à Romanis vrbe & Italia ; à Constantino capite damnati. ibidem

Horoscopus salutaris Christianorum est Dei voluntas semper inspicienda & perficienda. 264

Item gratia efficax Dei : quæ suauiter & fortiter attrahit. 266

De stellarum multitudine; 42. ordo earum, concinnitas & motus iustis comparatur 76. Stellæ Abrahæ promissionem factam impletam esse indicarunt. ibidem. Stellæ Magorum materia,forma, lux, & significatio. à f. 251. Vide cetera in indice rerum V. stella.

ARESCENTIBVS HOMINIBVS PRÆ TIMORE ET EXSPECTATIONE. Timor Herodis ex vita scelerata. 324

Perturbatio grauis Hierosolymæ ex inuidia & metu perdendorum temporalium. 327

Timor Domini incussus conuertet gentes. 114

VIRTVTES COELORVM MOVEBVNTVR. Angeli mouent cœlos & stellas vt S. Michael stellam Magorum direxit 259. decet homines Deo parere vt stellæ ipsi & angelis obediunt. 108

TVNC VIDEBVNT FILIVM HOMINIS VENIENTEM IN NVBE. Iridis causa : eâdem etiam Christus visus coronatus. 471

Christo omne iudicium dedit Pater. 53

Mali imperfectè credunt fore aliquando iudicium. 344

VERBA AVTEM MEA NON TRANSIBVNT. Nam testamentum Christi nouum est æternum. 482

Dominica 3. Aduentus. Matthæi XI.

TV ES QVI VENTVRVS ES AN ALIVM EXSPECTAMVS. Promissiones factæ Adamo, Abrahamo & Iacobo de Messiæ aduentu : eius exspectatio. 13. 14 15

Omnia sacrificia, ceremoniæ & tota lex eum prænunciarunt. 16

Ipsi etiam Gentiles, vt Abimelech cum regno suo, Iob & amici eius Reges: posteri Abrahæ ex Cethura geniti Gentiles exspectarunt eundem. 14

Impietas Iudæorum tan diu exspectatum Messiam venientem in propria repudiantium. 18.19

PAVPERES EVANGELIZANTVR. Paupertas thesaurus absconditus quæsitus & electus à Christo eiusque matre. 401

Eandem regnis relictis voluntariam amplexi sunt Reges. 553

BEATVS QVI NON FVERIT SCANDALIZATVS IN ME Vti Bethlehemitæ contemnentes paupertatem Christi. 19. 21

Et Hierosolymitani ob respectum Herodis. 327

Scribæ & Pharisæi ob inuidiam & inueterata scelera. 329

Et ob superbiam. 509. 510

ARVNDINEM VENTO AGITATAM. Constans et efficax propositum Regum Christum superatis omnibus periculis colendi. 323

Perseuerantia cum ijsdem opus, nec retro respiciendum est. 501

HOMINEM MOLLIBVS VESTITVM. Asperitas vestium Brachmanarum & Ioguum: 220

Temperantia Magorum. 176

IN DOMIBVS REGVM SVNT. Aularum ineptias & Aulicorum in templo mores vide. fol. 424

MITTO ANGELVM MEVM. v. f. 113. 506.

Dominica 4. Aduentus, Io. 1.

TV QVIS ES. Cogita quam vilis res creata sit, quam præponit Deo summo & infinito bono peccator. 287. 399

ET CONFESSVS EST, ET NON NEGAVIT. Confessio SS. Regum. 38. 39.

Qui proprie Confessores dicti. 38

NON SVM EGO CHRISTVS. Quomodo Herodes & Vespasianus Messiæ nomen affectarint. 229

QVID DICIS DE TE IPSO. Vide desiderium sponsæ cognoscendi Christi. 87

EGO BAPTIZO IN AQVA. Manus dextera eius defertur Constantinopolim, claretque prodigijs : ea contracta sterilitatem, & explicata vbertatem,anni portendebat. 768

Aquæ analogia cum Christo. 146

Aquæ piacularis vsus tempore Apostolorum. 714

TRANSIORDANEM. Aqua Iordanis incorrupta. 713

Ex Euangelio Lucæ 15. seruiunt pro 4. vel etiam. 1. Dominica Aduentus.

TETRARCHA AUTEM GALILÆÆ HERODE. De eo vide fol. 244

PARATE VIAM DOMINI. Fuit Christus desideratus Gentibus. 81. & desiderium collium æternorum. 17

ERVNT PRAVA IN DIRECTA. Vide ex Baruch. 7. 107

Multis oraculis Pythonicis & alijs prodigijs Deus præparauit viam aduentui Christi. 223

Qui vires Dæmonum fregit. 224

Expectatio maxima Gentilium de orbis terrarum Reges

Rege & saluatore nascituro in Iudæa. 228
Eiusque ortum indicio stellæ declarando. 229
Desiderium Regum orientis de ortu stellæ, & ipsius Messiæ ex vaticinio Balaam & Sibyllarum oraculis. 230

Natiuitas Christi. Lucæ 2.

EXIIT EDICTVM A CÆSARE, VT DESCRIBERETVR VNIVERSVS ORBIS. Tempore pacis vniuersalis ea descriptio fuit indicta. 247. 249
ET IBANT OMNES VT PROFITERENTVR: Iano enim clauso pax ijs fauebat. 248
IMPLETI SVNT DIES VT PARERET. Vide annum & diem natilis Domini. 245
ET RECLINAVIT EVM IN PRAESEPIO. Fuit id lapideum, cui inditum fuit minus ligneum, translatum Romam ad B.V. Maiorem. 394
NON ERAT EI LOCVS IN DIVERSORIO: Ille sic à Iudæis olim exspectatus eijcitur inter pecudes. 19
ET PASTORES ERANT IN EADEM REGIONE VIGILANTES. Locus eorum a Michæa prænunciatus. 91
EVANGELIZO VOBIS GAVDIVM MAGNVM: Quid sit Euangelium: ortum ex huius Angeli felici lætoque nuncio: inde nomen Euangelistarum. 32. 94. 96
NATVS EST VOBIS HODIE SALVATOR: Licet nox esset media, hodie seu hoc die ait ob lucem Angeli diurnæ parem. 259
IN CIVITATE DAVID. Licet stabulum extra oppidum iaceret, muris contiguum, essetque suburbanu, dicitur tamen rectè in eo contigisse 383
INVENIETIS INFANTEM. Eundem Christum Dominum & primogenitum omnis creaturæ, cuius 7. priuilegia vide. 4. 5
Pueri liberaliores viris. 25
FACTA EST CVM ANGELO MVLTITVDO MILITIÆ COELESTIS. quia Angeli desiderarunt eius aduentum & in eo exsultarunt. 12. 462. 465
Bonitas Dei infinita. 8
Vt eueheret Deus hominem ad diuinitatem, fit ipse homo, & infans abiectus à Iudæis. 18
Exemplo docet humilitatem. 24. 420
Testes natalis Christi sex. 28
Bos & asinus pasti eodem cibo Christo. 98. 105
Prodigia in ortu Christi. 235
Augustus videt in sole Deiparam & aram Christo dedicat die natiuitatis. 235. 276
Eodem tempore Regi Sinarum Christus apparet, & ad legem suam nouam ex occidente petendam hortatur. 866
Christus lux & veritas ottu suo detexit errores mundi. 386
Commoda & fructus natiuitatis eius. 240
Idem natalis Christi & humani generis: plus enim ei quam Adæ debemus: ideo indicia eius ortus mittuntur orbi toti. ibidem
Adiuncta natalitia quis, vbi, quando natus. 849

Dominica infra natiuitatem. Lucæ 2.

ECCE POSITVS EST HIC IN RVINAM. Iudæi vt noctuæ obtenebrantur præsente sole Christo: in occasu erant: & cæci impinguut in lapidem offensionis, cibos salutares vertunt sibi in venenum: indurantur vt lutum à sole, du alij vt cera fluunt. 508. 506
ET RESVRRECTIONEM MVLTORVM IN ISRAEL. Gentiles lucem stellæ sequuntur: cibo Christo fruuntur: ei vt lapidi angulari adhærēt. Simeon vetulum rostrum allidit ad petram, vt renouetur eius inuentus. 510
ET VT ERAT ANNA PROPHETISSA. Huius typus Anna Helcanæ vxor ex sterili fecunda, & hæc Gentilem populum fidelem indicat. 511
ET PERFECERVNT OMNIA SECVNDVM LEGEM DOMINI, REVERSI SVNT IN GALILÆAM. intercessisse inter reditum istum in Galilæam fugam in Ægyptu ex Augustino & Beda v. f. 515

Dominica 1. post Epiph. infra 8. Luc. 2.

REGRESSI SVNT IN IERVSALEM REQVIRENTES EVM. Sic Magi amissa stella intrarunt Ierusale, vt à consilio sacerdotum eius natalitium locum inuenirent: vide anxiā deliberationem ante ingressum Solymæ 299. 305. & solicitudinem dum cum sponsa inquirunt sponsum. 307.
INVENERVNT IN MEDIO DOCTORVM. Scilicet Doctores & Sacerdotes consulendi in dubijs fidei, vel cum peccato amissus est, vt quis Christo reconcilietur. 336. 112. 341. 342
Sapientia habitat in consilio: in terra Hus, 337. 141. 314
AVDIENTEM ET INTERROGANTEM. Sic interrogantes Reges Herodem & audientes eum & Doctores, proficiunt in Dei cognitione & alios erudiunt vicissim in ea. 318
DOLENTES QVÆREBAMVS TE. Differt Christus consolationem, vt acuat desiderium: & copiosius inuentus recreet. 377

Dominica 2. post Epiphaniam Io. 2.

NVPTIÆ FACTÆ SVNT. De nuptij Christi cum ecclesia 19. matrimoniū hoc perpetuu. 20. 90. 91
Sponsæ Christi ornamenta & osculum. 143. 144
Fecundior est Christi spōsa ōni matre carnali. 405
IN CANA GALILÆÆ GENTIVM: Id est transmigratione possessionis: nam baptismo sibi despondit gentilitatem, & hydrias æquæ seu omnē sensuum mollitiem in vinū gratiæ conuertit. 713
VOCATVS EST AVTEM ET IESVS ET DISCIPVLI EIVS AD NVPTIAS. Collegit Christus discipulos proximè ante nuptias, cum publicè docere inciperet. 540
VT AVTEM GVSTAVIT ARCHITRICLINVS AQVAM VINVM FACTAM. Eodē die adoratio Regū, Christi Baptismus & nuptiæ hæ, licet annis diuersis contigerunt ex traditione ecclesiæ & doctrina communiore Patrum. 537. 538. 539
Hinc die 6. & 7. Ianuarij ac qer octauā reliquā epiphaniæ fontes quidā in oriente vino fluūt. 711
Et tres Patriarchæ Isaac, Iacob, & Moyses iuxta fontes de matrimonio conuenerunt, vt prius lota sponsa Christo per gratiā coniugeretur. 143

Dominica 3. post Epiphaniam. Matt. 8.

AMEN DICO VOBIS NON INVENI TANTAM FIDEM IN ISRAEL. Arabicus habet in vno ex Israël S. Chrysostomus præfert huiu. Centurionis fidē fidei Apostolorum: & tamen Magorum fides longè excellentior fide huius Centurionis. 136

Licet Iudæi Gentiles superent diuinis scripturis, fide tamen ab ipsis longissimè superantur ex Origine. 541

RECVMBENT CVM ABRAHAM ISAAC ET IACOB: vt veri heredes & posteri spirituales fidei Abrahæ. 14. 15. 45

FILII AVTEM REGNI EIICIENTVR translato regno & sacerdotio Christi ad Gentiles. 146 148

Dominica. 4. post Epiphaniam. Mat. 8

MOTVS MAGNVS FACTVS EST IN MARI, ITA VT NAVICVLA OPERIRETVR FLVCTIBVS. B. Virgo est stella maris periclitantibus & naufragis salutaris: nam vita hominis nauigationi similis est. 397

VENTI ET MARE OBEDIVNT EI: omnes res creatæ obediunt Deo, siccante etiam alueum maris rubri filijs Israël. 114

Stellæ eidem ad nutum parent. 108

Cœlum & terra obedit eidem. 109

Dominica. 5. post epiphaniam Mat. 15

SEMINAVIT BONVM SEMEN IN AGRO SVO. Primitias frugum Deus voluit sibi consecrari: eæ erant fruges meliores & selectiores: ijs oblatis censebantur omnes fruges Deo consecratæ: *quod si enim delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta & rami. Ro.* 11. fol. 39 40 41

Ager est ecclesia: in ea est ipse Christus granum frumenti mortuum, vt resurgeret in fide & multitudine Gentilium: talia grana etiam Martyres. 543

SVPERSEMINAVIT ZIZANIA IN MEDIO TRITICI. Diabolus hæreticos excitauit contra Christi diuinitatem & humanitatem, quos muneribus suis ferè omnes sancti Reges confutarunt. 48 49

Dominica 6. post Epiphaniam. Mat. 13.

FIT ARBOR ITA VT VOLVCRES COELI VENIANT ET HABITENT IN RAMIS EIVS. Synagoga Iudæorum arbor comta solijs sed sterilis: ecclesia Christi oliua & oliuetũ vberrimũ fructibus. 542

SIMILE FERMENTO, QVOD ACCEPTVM MVLIER ABSCONDIT IN FARINÆ SATIS TRIBVS Iob & tres Reges fermentum regna sua ad orthodoxam fidem perduxerunt: & panem Deo superisque gratum confecerunt. 140

Dominica septuagesimæ, Mat. 20.

CONDVCERE OPERARIOS IN VINEAM SVAM. Vinea ista Synagoga prius electa & speciosa tempore Christi tulit labruscas, eum occidendo: ideo novam condidit ecclesiam è Gentibus, cui priuilegia maiora contulit ob fructuum vbertatem & dulcedinem. 75

Ipse Christus vitis, sibi fidei, spei & caritatis vinculis adstrinxit fideles è Iudæis & gentibus. 81

SIC ERVNT NOVISSIMI PRIMI ET PRIMI NOVISSIMI. Ecclesia enim Gentilium posterior præponetur Synagogæ: abstulit ei primogenita, & fratri hereditatem vt Abel, Isaac, Iacob & Ephraim præ fratribus primogenitis. 3. 22.

MVLTI ENIM SVNT VOCATI PAVCI VERÒ ELECTI. Mira trium Regum electio è tot alijs non sequentibus Christum vocantem; non Augustus neque Rex Sinarum, 23

Viderunt eandem stellam multi, nec tamen sequi voluerunt. 28

Dominica sexagesimæ. Lucæ. 8.

QVI HABET AVRES AVDIENDI AVDIAT. Iudæi libros legis cum audire nollent, Gentilibus obedientibus eis veritatem ex ipsis nunciarunt: ipsi clausos & signatos sic libros seruarunt, 120

VOBIS DATVM EST NOSSE MYSTERIVM REGNI. De profunditate maxima Scripturæ sacræ ex S. Augustino & sensibus eius quatuor, ac cur expedierit eam ei inesse obscuritatem vide. fol. 70

Eos semius quatuor elementis & scripturæ vniuerso comparat aptè Origines. 139

VT VIDENTES NON VIDEANT, ET AVDIENTES NON INTELLIGANT. Surdi & cæci Iudæi corticem literæ seruant & contra se pro fidelibus portant, qui nucleum & verum sensum inde haurunt, & obediunt. 119 120

Dominica quinquagesimæ. Lucæ. 18.

ET IPSI NIHIL HORVM INTELLEXERVNT. Ita vel ipsos SS. Apostolos excæcat philautia, vt toties prædictam à Christo passionem non credant: quanto magis peccatores toties prædictas inferni pœnas non apprehendunt, neque credunt. 345

Dominica 1. quadragesimæ. Matt. 4.

ET CVM IEIVNASSET 40. DIEBVS. Vide temperantiam in victu miram Euagrij. 750

Magorum 126 Brachmanum. 219 & Ioguum. 220

ET ACCEDENS TENTATOR. Tentatio Iobum, Tobiam, Mardochæum & omnes bonos plus illustrauit & exaltauit: quia in tenebris lux clarius emicat, & in aduersis animi fortitudo. 364

OSTENDIT EI OMNIA REGNA MVNDI. E cœlo terrenam omnem gloriam contemplanti punctum apparet. 421

VADE POST ME SATHANA. Renunciandum semper & resistendum diabolo, vt promisimus in Baptismo. 364

Dominica. 2. quadragesimæ. Matt 15

NON SVM MISSVS NISI AD OVES, QVÆ PERIERVNT DOMINVS ISRAEL Christus promissus erat Abrahamo & eius stirpi ex ea nasciturus: ab ea educandus: & minister dicitur ideo circumcisionis, vt circumcisos doceret propter veritatem seu veracitatem & promissa. 15. 30. 541

NON EST BONVM SVMERE PANEM FILIORVM. Fuerunt quidem Iudæi primo electi, & quasi primogeniti filij: postea tamen Gentiles in eorum hereditatem admissi maioribus sunt priuilegijs à Deo aucti. 3

MITTERE CANIBVS. Canes prius erant Gentiles, postea facti sunt Iudæi, canum more filium Dei lacerantes ex Origine. 541

CATELLI EDVNT DE MICIS: Humilitas in Cananæa fecit fidem magnam, ideo obtinuit omnia & oleaster insertus est oliuæ ex S. Augustino. 52

O MVLIER MAGNA EST FIDES TVA. Fidei præstantia Gentiles prælati sunt Iudæis, & eorum priuilegia meruerunt ex Chrysologo, Origine & Leone. 59

Dominica 3. Quadragesimæ Lucæ. 11.

OMNE REGNVM IN SEIPSVM DIVISVM DESOLABITVR.

BITV. Qui vitijs seruit semper anxius & pauidus turbatur cum Herode. 324
SI AVTEM FORTIOR EO SVPERVERIT. Ante Christi aduentum mundo dœmon imperabat, Christus ortu suo vires eius fregit, vt à pueris virtute crucis superetur. 225
Christus verus Rex mundi & animæ nostræ, dispergit omnes inimicos nostros. 109
Tyrannidem omniũ vitiorũ auferet ab anima. 461

Dominica 4. Quinquagesimæ. Io. 6.

DICIT PHILIPPO: VNDE EMEMVS PANES. Christus etiam ab inferiore petit consilium, cũ esset ipsa Patris sapientia: vt nos libenter superiores saltem consulamus. 342
IMPLEVERVNT 12. COPHINOS. Liberalitatem Christus vult hic prædicari, & compensat hic etiam maioribus donis. 477. 478

Dominica Passionis. Io. 8.

ABRAHAM PATER VESTER EXVLTAVIT, VT VIDERET DIEM MEVM: VIDIT ET GAVISVS EST, Cognouit ipse Messiam ex se nasciturum & in ipso gentes benedicendas: ideo desiderauit tempus illud: ex S. Leone. 15
Tota lex & omnes ceremoniæ spectabant Christum vt finem legis. 16
Omnes Patriarchæ crediderunt in Christum venturum & ideo Christiani fuerunt. 14
Promissio ijs & Abrahæ completa est in vno Christo. 42
Plus anhelarunt Patriarchæ ad implenda spiritualia promissa noui testamenti, per aduentum Christi, quam temporalia. 77
Monet Iudæos, ne nimium fidant inuocatione nominis Abrahæ: quia ob scelera filiorum fiunt Parentum & SS. preces sæpe ineficaces. 142

Dominica Palmarum. Matt. 21.

INVENIETIS ASINAM ALLIGATAM ET PVLLVM CVM EA. Asina significat Iudæos, iugo legis adsuetos & attritos: pullus autem Gentiles, illius iugi hactenus impatiens: vtrumque sibi adduci cupit & adstringi vinculis fidei & caritatis. 81
ECCE REX TVVS VENIT TIBI MANSVETVS. Iacob prædixit regnum Messiæ præcipuum & tranquillum: quia futurus est princeps & autor pacis inter gentiles & Iudæos: Deum & homines 80
Addit Daniel æternum fore. 108
Exercebit id in animas fideles. 109
Triplex ei debetur diadema vt Angelorum, Iudæorum & Gentilium Regi- 111
Tres Reges id regnum cum Sadoch, Nathan & Banaiæ publicarunt. 145
SOLVITE ET ADDVCITE MIHI en simplicem & cæcam obedientiam, qualem & Reges exhibuerunt. 496
CEDEBANT RAMOS DE ARBORIBVS. plantavit enim Christus eo die novum oliuetum ex Gentilibus. 542

Passio Domini nostri Iesu Christi.

Ex Ieremia SPIRITVS ORIS NOSTRI CHRISTVS DOMINVS: nam cordi cum S. Catharina Senensi includendus est continuâ eius passionis memoriâ & affectu: vt os eum spiret & de eo semper loquatur ex abundantia cordis. 445
FASCICVLVS MYRRHÆ DILECTVS MEVS MIHI INTER VBERA MEA COMMORABITVR. Vide varias ibidem versiones & interpretationes quomodo frequens memoria passionis dominicæ confortet. ibidem
Eadem meditatio putredinem vitiorum vt myrrha sanat, vires acuit animæ, amara reddit dulcia. 446. 447.
CIRCVMDEDERVNT ME CANES MVLTI psal. 21. dictum de Iudæis in passione fuit, ideo gentiles esse filij meruerunt. 541
Triennio prædicationis ficus Iudaica mansit infructuosa: ideo maledicta est, & conditum olivetum novum ex fide Gentilium die Palmarum. 542.
Traxit Christus Passione sua & Cruce omnes gentes ad se & fidem soli Iudææ notam, orbi toti aperuit. 543
Fletus eiusdem ob Iudæorum perfidiam: quæ causa fuit vt in cruce cum Gentilibus iniret connubium. 544
Claudia Procula Pilati vxor Gentilis Christo dat iusti nomen, sanctis adscripta in Græcorum menologio. ibidem
Sic Iudæi Barabbam Christo præponunt, eum Pilatus innocentem defendit. Sanguinem illi expetunt vt venenum: quem Gentiles adorant vt medicinam. 545
Crux sponsi lectulus, in quo genuit Ecclesiam, desertâ matre sua synagogâ: ideo respexit occidentem aversa facie à Solymâ: & sol obscuratus Iudæis illuminauit Gentilem centurionem, vt Christum Dei filium profiteretur. 546
Acetum designat Iudæorum nequitiam, cũ expanderet ad amplectendos Gentiles Christus vtraq; manus; merito amandus ideo super omnia 547
Veli scissio patefecit orbi Christi fidem: dum petris licet ruptis rumpi non potuit Iudæorum duricies. 548. 549
Apertione lateris sacramenta profluxerunt. 549
Morte sua genuit sponsam sibi, quam pascit corpore & sanguine suo. 550

Dominica Resurrectionis. Marci. 16.

SVRREXIT NON EST HIC. Christus dicitur primitiæ dormientium, & primogenitus omnis creaturæ in resurrectione. 4
Caput Angelorum & hominum, omnibus gratiam & gloriam communicans, honoratus ab Angelis. 9
PRÆCEDET VOS IN GALILÆAM: transmigraturus ad Gentes, ob Iudæorum duriciem: à Gentibus videri voluit translata ad eos regno fide & sacerdotio. 17
Abel i.e. luctus & Seth i.e. resurrectio figurant Christum redivivum. 132
Paschalis agnus demonstrat Christum. 150
Pascha celeberrimum Ezechiæ Regis destructis idolis: sic nobis vtiliſſimum sublatis vitijs, vt dicatur *non est hic*. 349

Feria 20. Paschæ Lucæ 24.

ET INVENERVNT CONGREGATOS VNDECIM. Ibi Apostoli sunt à Christo electi testes resurrectionis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nis Christi: quod primariũ eorum fuit officiũ. 27

Feria. 3. Paschæ. Lucæ 24.

PAX VOBIS. CHRISTVS pax nostra & autor pacis. 80
Evangelia pacis constituta nunciauit. 97
Idem vocarur *planta pacis.* 107
CONTVRBATI VERO ET CONTERRITI: Conturbatio quædam bonorum virorum est ex novitate insperati gaudij. 330
PRÆDICARI IN NOMINE EIVS POENITENTIAM ET REMISSIONEM PECCATORVM IN OMNES GENTES. Incipit prima die resurrectionis ostium aperire conversionis gentium 547
Modum optimum pacis conciliandæ vide p. 660

Dominica 1. post Pascha. Io. 20.

SICVT MISIT ME PATER ET EGO MITTO VOS. AD Gentes vniuersas & Iudæos. 30
NISI VIDERO. Permisit Deus S. Thomæ dubitationem, vt ad Indiæ remotissima loca, & vltimos orientis fines, vbi S. Melchioris regnum erat, fidem propagaret. 28. 221
BEATI QVI NON VIDERVNT ET CREDIDERVNT. Visio Christi in S. Thoma minuit meritum: quia obstirmar at animum non credere, nisi redivium adspexisset: in SS. Regibus auxit: obnova fidei & magis ardua obiecta: nam qui Regem quærebant & Deũ, in stabulo abiectũ inter pecudes & desertũ ab omnibus reperiebant. 381.

Dominica 2. post Pascha. Io. 10.

EGO SVM PASTOR BONVS. Christus idem Rex noster & pastor: ideo Dauid à pastu ouium vocatus ad regnum, vt subditorum commodis prospiceret, eosque tonderet, non degluberet. 355
ANIMAM SVAM PONIT PRO OVIBVS. ideo simul Rex & Dux, vt propugnans suos pro eijs occumberet. ibidem
ET ALIAS OVES HABEO: Gentiles: quos etiam adduxit, & sanguine suo pauit: quis pastor sic dilexit vnquam oves suas? 356

Dominica 3. post Pascha. Ioannis 16.

MODICVM ET NON VIDEBITIS ME, ET ITERVM MODICVM ET VIDEBITIS ME. Alternant in probis, dum viuunt, solatia cum tristitia, ne vel prosperis nimium eleventer. vel aduersis succumbant. 377. 378
GAVDIVM VESTRVM NEMO TOLLET A VOBIS: Gaudium carnis & mundanum fluxum est: cuius extrema luctus occupat, Gaudium de Deo constans & æternum. 384

Dominica. 4. post Pascha. Io. 16.

VADO AD EVM QVI MISIT ME. Christum verum ducem nostrum & velut stellam antecedentem sequi debemus; nec errabimus: vero etiã gaudio fruemur: & hostes omnes superabimus: ac ad ipsũ, qui vocauit nos, perueniemus. 385. 384

Dominica. 5. post Pascha. Io. 16.

SI QVID PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO. Orationes & opera nostra Deo siunt gratissima & efficacissima ad impetrandum, si vniantur orationibus & operibus Christi. 793

Dominica. 6. post Pascha. Io. 15.

ET VOS TESTIMONIVM PERHIBEBITIS, QVIA AB INITIO MECVM ESTIS Hoc ex primarijs officijs SS. Apostolorũ fuit, testes esse vitæ, passionis & resurrectionis Christi. 27

Festo Pentecostes.

Spiritus S. Tres Reges instruxit de stellæ significatione, & ad sequendum impulit: septemque donis ornavit. 23. 24.
Idem dedit eis vnũ labium electum & mundum: vt idẽ & sentirent & loquerentur de Christi ortu. 102
Inscripsit eorum cordibus seu memoriæ legem divinam dono prophetiæ & intellectus excellenti addito circa futura Christi passuri & resurrecturi mysteria. 106
Indidit ijs cor carneum, seu mentis intelligentiam cũ impulsu voluntatis ad facile diuinis instinctibus parendum. ibidem
Concordia genuit fideles: sicut discordia varias gentes. 134
Spiritus S. mirus artifex & Doctor momento Zachæum, Paulum & alios Apostolos erudit, perficitque ad omnia. 266
Linguarum donum accepit Deipara & alij sancti per spiritum S. 485

Feria 2. Pentecostes. Io. 3.

SIC DEVS DILEXIT MVNDVM. Misit Pater filium, vt pacem inter Gentiles & Iudæos, homines & Angelos conciliaret. 53. 54. 55
LVX VENIT IN MVNDVM ET DILEXERVNT HOMINES MAGIS TENEBRAS, QVAM LVCEM. Iudæi die purificationis venientem ad se lucem Christum reiecerunt, Gentiles Aegyptij receperunt. 508
Oculi debiles vt noctuarum oderunt lucem: sic & mali. 328
NE ARGVANTVR OPERA EIVS. Omnes mali operarij timẽnt videri à Dominis, at strenuus miles, villicus, opifex optat videri. 329
Christus stella & lux mundi. 82
Clam vocat Herodes Magos: odit enim lucem veterator. 360
Stellarum instar lucere debent Christiani. 388

Feria 3. Pentecostes Io. 10.

EGO SVM OSTIVM: scilicet primarium. 68
Ostium etiam secundarium sunt Apostoli & Apostolici viri ac SS. Reges, per quorum prædicationem intrant fideles in ecclesiam & cœlu. 69
VT VITAM HABEANT ET ABVNDANTIVS HABEANT. Christus fons vitæ & vita à patre procedens, aqua viua, quæ mundo dat vitam ex S. Cyrillo & tamen abijcitur à Iudæis & peccatoribus. 19

Festum SS Trinitatis. Io. 3.

Pater creauit Regibus nouam stellam, elegit eos ex omnibus Gentilibus, traxit ad filium inquirendum: spiritus S. mentem illorum illustrauit & voluntatem impulit dirigendo in via & adorando Christo. Filius Dei ipsa Dei sapientia docuit exemplo, se eis connubio fœderauit. à p. 22
SS. Trinitatem ipsi tres vnanimi fide, pietate & mentis ardore adumbrarunt, quasi tres eadem anima vegetarentur vsi eodem spiritu S. regebantur. 25. 44
Brachmanæ symbola SS. Trinitatis gestarunt. 221

Dominica 1. post Trinitatem Lucæ 16.

Paupertas Christi & prædicatio S. Thomæ SS. Reges

ges induxit ad sequendam voluntariam paupertatem cum Lazaro. 553
O felicem mortem SS. Regum in paupertate præmoniti enim de ea imminente sunt. 556
Infelix mors & sors Herodis Regis in æternũ. 525

Dominica 2. post Trinitatem. Lucæ. 14.

Vocati Iudæi per Angelum, Pastores tres & totidem Reges, licet Regibus locum natalitiũ monstrarint, venire ad cœnam Euangelicæ fidei renuerunt: Gentiles invitati à stella paruerunt: ideo facti sunt domestici Dei. 19 54 55 469.

Dominica 3. post Trinitatem. Lucæ 15.

IMPONIT IN HVMEROS SVOS GAVDENS.
Conuersi sunt concionatorum corona. 112. 562
INVENI DRACHMAM. Viri Apostolici quot converterunt tot gemmis coronantur. 563

Dominica 4. post Trinitatem. Lucæ 7.

ESTOTE MISERICORDES. Augustus donauit & remisit Romanis omne æs alienum: & oleũ sub eo fluxit typus Christi remittentis peccata omnibus. 234
DATE ET DABITVR VOBIS. Non simplici modo: sed fœnore centuplici refundet etiam hic misericordibus Deus: regnum dabit pro obolo. 457
Contra immisericordes. v. 53

Dominica 5. post Trinitatem. Lucæ 5.

EX HOC IAM HOMINES ERIS CAPIENS. Deus per amata & consueta trahit quemlibet ad se. sicut Magos per stellam: sic piscatores Apostolos per capturam felicem piscium. 280. 281

Dominica 6. post Trinitatem. Matt. 5

NISI ABVNDAVERIT IVSTITIA VESTRA PLVS-QVAM SCRIBARVM ET PHARISÆORVM: qui fuerint Scribæ & qui Pharisæi. 338
Docebant ipsi rectè: sed non faciebant: ostendebant Magis natalem locum Christi, sed adire & adorare noluerunt. 339
OMNIS QVI IRASCITVR FRATRI SVO. Ira nisi cohibeatur hominem immani belluæ similem facit. 522

Dominica. 7. post Trinitatem. Marci. 8.

MISEREOR SVPER TVRBAM. Cauendæ sunt fraudes mercatorum iniustæ & proximorum iniqua spoliatio. 455
ET ACCIPIENS PANES SEPTEM. Christus est verus panis Angelorum, natus in domo panis, indeficiens pascit innumeros. 351

Dominica 8. post Pentecostem Mat. 7.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS vt hæreticis, quorum errores confutarunt Reges. 46. 47
INTRINSECVS SVNT LVPI RAPACES: Hypocritæ vitandi. 365
Simplicitas amanda: quid sit, & quomodo liberet à periculis. 496
OMNIS ARBOR BONA BONOS FRVCTVS facit. Reges tres fuerunt radix sancta, per quos tota Gentilitatis arbor Deo dicata est. 41
Item flores & bonus odor: ac prima poma. 42 43

Dominica nona post Trinitatem. Lucæ 16.

FILII LVCIS: dicuntur Reges, quibus in oriente media nocte stella refulsit: at FILII TENEBRARVM Iudæi, in occidente positi, quibus meridie sol obscuratus est. 546. 547
FACITE VOBIS AMICOS DE MAMMONA INIQVITATIS. Per pauperũ manus Christo dandum: qui nos recipient in æterna tabernacula. 456

Dominica 10 post Trinitatem. Lucæ 19.

QVIA SI COGNOVISSES ET TV ET QVIDEM IN HAC DIE TVA. Qua pacificus intrabat Solymam ei salutem allaturus. 543
NVNC AVTEM ABSCONDITA SVNT AB OCVLIS TVIS: Mea diuinitas, resurrectio & mala tibi imminentia. 544

Dominica 11. post Trinitatem. Lucæ. 18.

DEVS PROPITIVS ESTO MIHI PECCATORI: Publicanus humili confessione iugum diaboli excussit. 376
QVI SE EXALTAT, HVMILIABITVR. Pharisæus superbia se tyrannidi dæmonis subiecit, factus eius equus. 377
Item Iudæi confidentes superbè suis prærogativis & promissionibus contẽtis Gentilibus, ijs post positi sunt, & ipsi humilitate sunt inserti velut oleastri in oliuam. 54, 55. 26

Dominica. 12. post Trinitatem. Marci. 7.

LOQVEBATVR RECTE Datum est Regibus labium vnum, mundum & electum, vt vnum Deum publicè profiterentur spretis nominibus falsorum Deorum. 102
Ipsi ex surdis & mutis ¡facti sunt audientes & publicantes diuinam voluntatem: velut legati & præcones Dei. 307. 317
Iudæi obsurduerunt & muti facti sunt ad cultum Messiæ. 339. 320
BENE OMNIA FECIT. Curam omnium habet; omnia dirigens ad bonum finem & vtilitatem suorũ, qui ei fidunt. 489

Dominica. 13. post Trinitatẽ. Lucæ. 10.

MVLTI PROPHETÆ ET REGES VOLVERVNT VIDERE, QVÆ VOS VIDETIS Salomon figura fuit Christi, quem Reges omnes orientis venerabantur et, iã muneribus ob sapientiam: cuius videndi causa Regina Saba eum adijt. 183. 184
Patriarchæ & Prophetæ præsertim Dauid sitiebat Christum aquam Bethlehemiticam: & ipsi Angeli. 147
PLAGIS IMPOSITIS ABIERVNT, Accepta vulnera per peccatum Protoplastorum lege ex Augustino & remedium etiam datum. 13
SAMARITANVS AVTEM QVIDAM ITER FACIENS. Confudit hic Leuitas & sacerdotes prætereuntes, nec misericordia motos: ita sæpe seculares ipsis Ecclesiasticis & religiosis probiores inueniuntur, 367

Dominica 14. post Trinitatem. Lucæ. 17.

ITE OSTENDITE VOS SACERDOTIBVS: Quia sunt Angeli & nuncij Dei ac Magistri populi. 112
GRATIAS AGENS Recolendum sæpius nobis est beneficium iustificationis. 13
ET NOVEM vbi sunt? Iudæi quia ingrati Deo pro beneficijs acceptis fuerunt, repudiati sunt. 19

Dominica 15. post Trinitatem Matthæi 6.

NON POTESTIS DEO SERVIRE ET MAMMONAE. Deus solus in se continet omnia bona creata, & perfectè satiat: cetera sunt vna gutta collata oceano. 287)

Securus est ab omnibus hostibus, quem Deus protegit. 363

SCIT ENIM PATER VESTER, QVIA HIS OMNIBVS INDIGETIS. Prouidet ipse singulis prout expedit. 378

QVÆRITE PRIMVM REGNVM DEI. Diuinũ prius tum humanu etiam implorandu est auxiliu 378

CETERA ADIICIENTVR VOBIS. securè committe omnia tua Deo: nam ipsi de te cura summa est. 489

Dominica 16. post Trinitatem. Lucæ 7.

DEFVNCTVS EFFEREBATVR. Exsequiæ solennes SS. Regum: sibi etiam in sepulcro mutuo honoris gratia cedentium, vt S. Laurentij corpus cessit S. Stephano. 570 571

S. Bassani corpus Imperator Fridericus Barbarossa & Patriarcha Aquileiensis deferunt. 676

Dominica 17. post Trinitatem. Lucæ 14.

SILICET SABBATO CVRARE. Deus in veteri testamento sabbatum instituit & alia sex festa ad recolenda Dei beneficia: quibur Iudæi noua adiecerunt. 709

Dominica 18 post Trinitatem. Matthæi. 22.

DIXIT DOMINVS DOMINO MEO. Christus Rex est & à Balaam vocatur stella & virga ob sceptrum & regiam potestatem. 81 82

Idem est sacerdos, cui ideo thus Reges obtulerunt, & vt Deo sacrificarunt. 84

Sacerdos autem est totius mundi, vt omnium defectus suppleat. 45

Dominica 19. post Trinitatem. Matt. 9.

CVM VIDISSET COGITATIONES EORVM. Ideo comparatur hinnulo & caprecæ, videnti in antris etiã latentes serpentes, quos halitu educit & consicit: sic penetrans cordis secreta venenatos affectus educit & necat. 459

Dominica 20. post Trinitatem. Matthæi. 23

QVI FECIT NVPTIAS FILIO SVO. Felicitas illa patriæ cœlestis, ad quam per huius vitæ exsilium & peregrinationem contendimus. 502

NON HABENS VESTEM NVPTIALEM: amor est ea vestis præcellens omnibus donis, 448

Dominica 21. post Trinitatem Io. 4.

ERAT QVIDAM REGVLVS. Deo seruire regnare est: & seruitus Christi glorioſior est omni carnis nobilitate & regia dignitate. 431

Reges veri sunt, qui sibi imperã: & cupiditatibus 461

Dominica 22. post Trinitatem. Matt. 18.

DEBITVM DIMISIT EI. Christus perfectius quam Augustus, omne debitũ dimittit pœnitentibus. 234

TENENS SUFFOCABAT EUM. Ira hominem ferinum efficit. 522

Dominica. 23. post Trinitatem Mat. 21

VIAM DEI IN VERITATE DOCES. Ipse promissus est verus Doctor Gentium. 91

NON ENIM RESPICIS PERSONAM HOMINVM. vt SS. Reges simpliciter & intrepidè coram Herode etiã Christi diuinitatè confitentur, 309. 331

QVID ME TENTATIS. Quid sit tẽtare Deũ vide. 504

CVIVS EST HÆC IMAGO. Christus per suam imaginẽ nostrã reformauit & perfecit in natiuitate. 18

QVÆ SVNT DEI DEO. Reges Christo Regi tributum auro obtulerunt. 459

Dominica 24. post Trinitatem. Matt. 4.

MODO DEFVNCTA EST. Vita Regum & principũ breuis est: ideo dies vocatur à Scriptura. 244

Dominica 25. post Trinitatem Matthæi 24

ECCE HIC EST CHRISTVS, AVT ILLIC. Id sibi nomen Herodes arrogauit Atheorum magister dignè punitus à Deo. 305 306

ET DABVNT SIGNA MAGNA ET PRODIGIA. Vespasianus fictis etiã miraculis Messiæ nomen sibi attribuit. 229

DE FESTIS TOTIVS ANNI

Festo S. Andreæ. 30. Nouemb Matt. 4

VENITE POST ME ET FACIAM VOS FIERI PISCATORES HOMINVM. Peramata & consueta Deus vocat suos. 280

Zelus Andreæ vix vocati à Christo Petrum etiam fratrem adducentis ad Iesum. 528

In festo Conceptionis B.V. Mariæ 8. Decem. Mat. 1

GENVIT IOSEPH VIRVM MARIÆ. Ideo Ioseph verè fuit caput & superior Mariæ, cui ipsa & Christus parebant: eique Angelus iussa Dei exponebat. 408

DE QVA NATVS EST IESVS, QVI VOCATVR CHRISTVS: Cum autem Iesus verè sit Deus, ipsa verè Deum genuit, & rectè Deipara & Theotocos nominatur. 402

Ipsa contriuit caput serpentis. 13

In festo S. Thomæ 21. Decembris. Io. 20.

INFER DIGITVM TVVM HVC. Vt Christus suauiter & efficaciter velut bonus pastor quem errantem reduceret, per desideratum medium contrectationis vulnerum corrigit. 280

BEATI QVI NON VIDERVNT. Visio Christi meritũ S. Thomæ fidei minuit, & SS. Regum auxit. 381

Baptismo initiauit & sacerdotio SS. Reges: conuertit Socotorã, & Cranganorem regnumque Melchioris, ac Brachmanas eorum locorum: vbi adhuc Thomæi dicuntur Christiani. 221 555 557

Translatio S. Thomæ Edessam operâ Alexandri Cæsaris. 579

In festo S. Stephani. 26 Dec. Matt. 23.

Quemadmodũ gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti: Tentatis Christus extremis cum frustra sudasset in reducendis Iudæis, permisit & ipse sibi ab ipsis irrogari mortem, vt Gentilibus se fœderaret. 544

In morte Christi consummata est Iudæorum malitia, & cæcitas, meritoque repudiati. 539

Trãslato ad Gẽtiles regno & sacerdotio Christi. 26

Persecutio fidelium tempore S. Stephani. 551. 552

S. Stephano cessit locum digniorem cadauer S. Laurentij. 571

In Festo S. Ioannis 27. Decembr. Io. 21

B. Ioannes præ alijs Euangelistis Theologus appellatur, quia clarius & vberius diuinitatem Christi propugnauit, confutatis tunc ortis Hæreticis, qui eam oppugnabant. 33

In

In festo SS. Innocentium 28. Dec. Mat. 2.
ANGELVS DOMINI APPARVIT IN SOMMIS Ioseph. Vide modos varios quibus Deus vel Angeli diuinam manifestant hominibus voluntatem. 492
FVGA IN ÆGYPTVM. occasione præsentationis in templo exarsit Herodis furor. 511
Causæ fugæ huius indictæ. 514
Adornatum iter nocte Purificationis in domo Zachariæ. 515
Commoda illata Ægypto cum puero, destructis idolis, & fide ac paradiso ascetarum ibi plantato. 516. 517. 517
Infanticidium trimestri ferè dilatum post Epiphaniam & causæ eius. 519
BVERI videntur antea collecti esse in vnum. 521
Locus vbi Deipara sit commorata in vnum. 522
Ex infãticidio nomẽ Christi nati vbique publicatur, ac Iudæorũ & Gentilium scriptis celebratur. 522
Numerus occisorum & tinctorum Baptismo sanguinis. 524
Commoda allata pueris, & pœna parentibus. 523
Supplicium immanium morborum, quo luit Herodes scelera. 525

In Festo S. Siluestri Papæ.
Cõstantinus M. ædificavit templu pacis ob idololatriam extinctam, & templa præcipuorum articulorum fidei vt altius ea fidelibus imprimerentur. 599
S. Clemens paulo ante prædixit idolomaniam exterminandam; & fidem Christi vbique propagandam. 739

In festo Circumcisionis 1. Ian. Lucæ 2.
VT CIRCVMCIDERETVR PVER. Abrahamo cur & quomodo sit imperata circumcisio. 15
Circumcisio spiritualis necessaria fidelibus est. 527
Studium mortificationis accendit caritas Dei. 101
Dauid aquam noluit bibere sui vincendi causa. 146
VOCATVM EST NOMEN EIVS IESVS. Varia Christi nomina. 240
Etymon Hebraicum nominis Iesu. excellentia eius, fructus in corpore & animo: in pugnis, & cur honorandum. 241
Explicat personam in duabus naturis. 242
Obtinuit sanguine & carnis incisione. ibidem
Quomodo abuti quis nomine salutifero possit. 172
Quis vsus licitus Sanctorum nominibus. ibidem
QVOD VOCATVM EST AB ANGELO. quomodo novũ dicatur & à Deo Patre Filio datum. 240. 241
Deo Christi nomine. quomodo vnctus. 234. 240
Xeniorum origo, Christo quadruplicia xenia conferanda. 792

In festo Epiphaniæ 6. Ian. Matt. 2.
Vide tomum totum secundum exegeticum, pro explicatione Euangelij: imo quidquid reliquis etiam tomis tractatur huc reuocatur.
In Epiphania Christus contraxit matrimonium cum Gentilitate. 10
Festum est solennius præsentatione in templo. 507
Par est natali Dominico. 720
Excommunicabantur olim qui tali festiuitate negligerent parochiales Ecclesias. 725
Consecrata tunc fuit domus Ecclesiæ, 393
Nata simul Christianitas, triplici facta diuinitatis ladecratione. 64
Fides & gratia collata Gentibus, ideo Cæsares offerre Deo munera consueuerant. ibidem
Recolit plura fidei mysteria & beneficia nobis collata, simulque virtutes Regum proponit imitandas. 710
Prærogatiuæ aliæ eius diei. 726
Festum id olim omnium celeberrimum fuit Gentilibus. 62. 63
Præsignificatum oraculis 24. Ptophetarum. 71
Dies est summi gaudij. 390

In festo Purificationis 2. Feb. Lucæ. 2.
VT SISTERENT EVM DOMINO. Christus se offert Patri sacrificium matutinum pro peccatis, promittens alterum vespertinum cum effusione totius sanguinis. 505
Tabulas noui testamenti fœderisque velut Angelus & sequester pacis sanciuit inter Deum & homines. 113. 506
Festum omnis sexus, ætatis & status hominum lumen offerentium, quo fidem Christi profitentur. ibidem
LVMEN AD REVELATIONEM GENTIVM. Fides Gentilium prænunciatur & obcæcatio Iudæorũ 368. 507. 508.
Simeon vetulum rostrum allidit ad petram Christũ, vt renouetur velut aquilæ iuuẽtus eius. 510
Principes Sacerdotum cognitis in templo gestis circa Christum, Herodem impellunt in necem pueri. 511
Gentiles præferuntur Iudæis obcæcatis. 55. 56

Infesto 6. Matthiæ. 24. Febr. Io. 15.
NON VOS ME ELEGISTIS, SED EGO ELEGI VOS. Christus omnes eligit additis gratiæ subsidijs officio congruis. 1. 2
Saulo substituitur Dauid, & Iudæ proditori S. Matthias: vt quisque vocationi diuinæ respondeat, ne ea spolietur. 11

In festo S. Iosephi. 19. Martij. Matt. 1.
Liberalitas S. Iosephi & familiaritas continua cum Christo & Deipara vehementer auxit eius sanctitatem. 26
Fuit sol Prophetarum & Patriarcharum veteris instrumenti. Deiparæ custos, vir & Caput. Christi defensor, altor & educator, vt munus & auctoritatem patris habuerit. 21
Adfuit dũ à Regibus Christus adoraretur, excepit partem oblatorum munerum, comparatur officium eius cum Spiritu S. 407
Vt capiti patriquè familiæ diuina iussa Iosepho significabantur: cui Deipara & Christus parebant. 408.
Exemplo, consilio & precibus profuit SS. Regibus ibidem
Sanctitas eius colligitur ex summa eius post Deiparam cum Christo per 30. ferè annos propinquitatẽ, & officij quod gessit præstantiã. 409.

In festo Annunciationis B.V. 25. Martij Lucæ 1.
Filius Dei ambiuit cum humana natura viliſſima nuptias, vt eam supra Angelicam ad diuinitatem eueheret, subiectis ei Angelis: sicque consensu virginis Gabrieli internuncio præstito, eam sibi marita-

maritauit corpus, &animã ſibi compulando. 17
Fit diues pauperrimus immortalis mortalis, creator creatura. 18
B. V. Maria verè Dei mater & Theotócos eſt cenſenda. 402
Plus illa ſola contulit filio, quam ceteræ matres: nam omnis materia ſanguiſque, quam alij ſimul à patre hauriunt, ab ipſa dimanauit, vt matris Patriſque vicem ſubierit. 403
Ideo nequit Deus creare maiorem matrem Deipara. ibidem.
Dignitas eius præcellit omnes Angelos ibidem
Maior titulus matris Dei, quam quo Domina creaturarum nominatur: nam filio vt ſubiecto ſibi imperauit. 404
Digna vocatur à SS. Patribus & Eccleſia quæ Deum pareret: ac ſolo conſenſu Angelo præſtito plus meruit, quam Angeli, & ſancti omnes cunctis ſuis virtutum actionibus. ibidem.
Admiranda myſteria & incredibilis excellentia verbi corporati ex SS. Gregorio & Auguſtino. 409
Infeſto SS. *Philippi & Iacobi* 1. *Maij Io.* 14
EGO SVM VIA VERITAS, ET VITA. Chriſtus via illuminãdo, veritas ſanando & vita felicitando. 94
Solus eſt via ad Patrem & patriam. 497
Ipſa via per humanam naturam ſuſceptam ad homines venit, vt duceret per ſe ad patriam: moribus ſequi non pedibus debemus. 582
OSTENDE NOBIS PATREM ET SUFFICIT NOBIS. Brachmanæ in ſolo cultu Dei ſummã vitæ huius felicitatem conſtituebant: ideoque Regũ familiaritatem vel fauorem contemnebant. 178
Deus ſummum & infinitum hominis bonum ſolus ſatiat. 287
Infeſto Inuenitionis S. Crucis. 3. *Maij Io.* 3.
S. Helena tres cruces reperit & ſalutiferam prodigio probatam coluit: Inuenit & clauos, vnum frenis adhibuit, alterum diademati incluſit: cauſas rei S. Ambroſius explicat. 590
Crucis ſignum membris, ianuis, & rebus alijs fideles contra dæmonum præſtigias vtiliter applicant. 715
Virtute crucis vires dæmonum eneruatæ. 225
Crux arbor malus & lectulus in quo Chriſtus genuit eccleſiam. 546
Per eã elementa concuſſa & conuerſæ gentes. 543
Crucis cultores SS. Reges erecto templo- 715
Crux prodigioſa locuta S. Irmgardi. 801
Infeſto Adſcenſionis Chriſti. Marci 16.
EVNTES IN MVNDVM VNIVERSVM PRÆDICATE EVANGELIVM OMNI CREATVRÆ. Scilicet omnibus Gentilibus: nam genus appropriatur ſpeciei nobiliſſimæ. ſeu naturæ humanæ. 551
QVI CREDIDERIT ET BAPTIZATVS FVERIT SALVVS ERIT. Siue Iudæus ſiue Gentilis fuerit: mandatum quidem Apoſtolis vt ſubſiſterent Hieroſolymæ ad Spiritus S. aduentum vſque: perſtiterunt tamen etiã usque ad S. Stephani perſecutionem. ibidem
ADSVMTVS EST IN COELVM. Vt inſtauraret ruinas eius. 12
SEDET A DEXTERIS Dei: Adorandus cultu latriæ vt creator, ſaluator & Iudex omnium. 423
In feſto corporis Chriſti. Ioannis 6.
CARO MEA VERE EST CIBVS, contra Hæreticos id negantes veritas præſentiæ Chriſti Euchariſtica teſtimonijs & rationibus ſtabilitur. 414
Panis & vini ſpecies tantum adſunt, abeſt panis & vinum. 413
Reprehenduntur hæretici curioſi ſcrutatores potentiæ Dei. ibidem
Adorandus ibi Chriſtus cum Angelis contremiſcentibus. 414
Paſcit enim ibi oues corpore & ſanguine ſuo. 356
Onagrum & bouem fœno carnis ſuæ cibat. 99
Ideo qui communicant indignè ſimiles ſunt Herodi cupientis inuentum perimere. 413
Dignè cõmunicantes ſunt membra Chriſti, quibus cauendum eſt, ne præſcindantur peccato ab eius corpore. 9
Corpus Chriſti allatum Luciferi imaginem deiecit, & Hæreticum, qui exuri nequierat, ablatis præſtigijs comburi fecit. 795
Infeſto S. *Ioannis Baptiſtæ. 24 Iunij. Lucæ* 1
S. Ioannes vocatur ſagitta electa & de eodem veru eſt SERVVS MEVS ESTV: QVIA IN TE GLORIABOR. 1
Fuit idem columna ferrea. 66
Quomodo Chriſtus eum baptizarit cœlitus cognouit S. Mechtildis. 816
De manu eius prophetica & translatione Conſtantinopolim vide, 768
Infeſto SS. Petri & Pauli 29 Iunij Matt. 16
S. Petri ſodalitas Coloniæ excitata pro fabrica metropolitani templi Colonienſis promouenda; & priuilegia eius. 817. 822
S. Petrus appellatur ſuprema & antiquiſſima Theologorum ſummitas. 33
S. Paulus ex perſecutore Chriſti prædicator in ſynagogis, , electus Doctor gentium mittitur in Arabiam. 548
Itinera eius varia: docuit *SS.* Reges. 550
Vas electionis vocatur & teſtis Chriſti. 1.128.714
Infeſto Viſitationis B. V. 2. Iulij. Lucæ 1.
VT VENIAT MATER DOMINI MEI AD ME? Agnoſcit B. V. verè Deiparam. 402
EXSVLTAVIT SPIRITVS MEVS IN DEO SALVTARI MEO. Gaudium eius ex præſentia Dei filij & tot Angelorum. 402
Infeſto S. *Iacobi* 25. *Iulij. Matthæi* 20.
IN REGNO TVO. Chriſti regnum eſt potentiſſimũ, magnificentiſſimum, fortiſſimum, incundiſſimum & æternum. 7
Idem nouum & inuſitatum in terra. 29
Ambitionis mala vide. 358
Infeſto S. *Laurentij.* 10. *Aug. Ioannis* 12
NISI GRANVM FRVMENTI CADENS IN TERRA MORTVVM FVERIT. Chriſtus tortoribus Iudæis, vt granum mortuus, oliuam vberrimam eccleſiæ fecit efflorescere: ſic ſanguis Martyrum ſemen eſt Chriſtianorum. 222 543
QVI ODIT ANIMAM SVAM IN HOC MVNDO, IN VITAM ÆTERNAM CVSTODIT ILLAM. Studium mortificationis in monocerote. 101
S. Laurentij cadauer cedit dextram S. Stephano. 571
In feſto Adſumtionis B. V. Mariæ 15 *Aug. Lucæ* 10.
Vna eſt columba mea perfecta mea. B. V. applicari poteſt. 89
Quæ eſt iſta quæ adſcendit per deſertum ſicut virgula

gula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij hæc Adsumtæ Dei genitrici conueniunt. 451
Eadem est lectulus & thronus Salomonis. 401
Exaltata supra Angelos. 387 403
Prodigium quoddam ipsis Angelis stupendum sanctitatis. 404
Mater est omnium viuentium. ibidem
In festo S. Bartholomæi 24. Augusti. Io. 15. vel de communi Apostolorum.
Apostoli sanctiores ipsis Patriarchis & Prophetis, ac oliuæ pinguedo. 27
Duplex eorum munus, testari Christi anastasin & eius fidem prædicare vbique. 27
Cur piscatores & viliores ad id munus electi sint. 29
Christus ipse vocauit eos. 30
Pariunt ecclesiæ filios. 42
Cœli vocales nominantur. 46
Fundamenta & ostia ecclesiæ. 66
Equi Christi Domini. 100
In festo Natiuitatis B. M. V. 8. Sept. Mat. 1.
Nomen accepit idoneum MARIA: etymon eius Hebraicum significat doctricem seu Magistram & ductricem maris seu Cynosurã & stellam maris: ipsa vt stellæ, lumen & influxu gratiæ plus omnibus sanctis impetrat, quia gratior est Deo & altior dignitate & meritis. 387
Naufragis & desperatis peccatoribus subito opitulatur. 388
In festo S. Matthæi 21. Septem. Matthæi 9
SEQVERE ME ET SVRGENS SECVTVS EST EUM.
Vutus Christi omnes vi magnetica maiore attraxit ad amorem. 398
DISCVMBENTE EO IN DOMO: Dies conuersionis solenniter est celebrandus. 90
Et cum cantico Sophoniæ. 104
In festo S. Michaëlis. 29. Sep. Matthæi. 18
Deus homines plus quam Angelos dilexit, & altius etiam euexit. 2. 13
Angeli omnes creati sunt in gratia, fidem Christi habuerunt: Lucifer autem & assecla inuidia corruerunt. 11
Christus est caput Angelorum, meruit eis gratiã 8
Ipsi sunt murus ciuitatis cœlestis, cuius fundamentum & ædificator Christus est. 10
Desiderarunt aduentum Christi ad instaurandas ruinas cœli: & in natiuitate eius exsultarunt. 12
Christus lapis angularis homines Angelis fœderauit: ideo cecinerunt laudem Dei, & homines ad incunabula Christi inuitarunt. 462
S. Michaël stellam Magorum direxit, eosque deduxit ad Christum. 259. 504
Angeli paranymphi sunt inter Christum & homines. 463. 471
Cum reuerentia & tremore adstant SS. Eucharistiæ. 413
In festo SS. Simonis & Iudæ Apostolorum 28. Octobris. Io. 15
Apostoli vt viciniores Christo sic præ alijs gratia copiosiore donati sunt. 3
S. Simonis Apostoli brachium incorruptum ab Episcopo Armeno defertur in Westelich & claret maximis prodigijs. 791
In festo Sanctorum omnium. 1. Nou. Matt. 5.
BEATI PAVPERES. Paupertas gemma & thesaurus absconditus, quæsitus & dilectus a Christo & matre illius. 501
SS. Reges adspectu paupertatis Christi, & S. Thomæ prædicatione desertis regnis eam amplex sunt. 553
BEATI MITES Christus Rex mitis & pacificus. 109 110
Mitibus & humilibus aspera fiunt dulcia. 290
BEATI QVI LVGENT. Vt S. Augustinus deflens peccata & suam cæcitatem veterem. 265
BEATI MISERICORDES: compensat ijs Deus hic & in altera vita. 417. 478
BEATI PACIFICI: Vt Christus princeps & autor pacis inter Deu & homines, homines & Angelos. 4 2
BEATI ERITIS CVM MALEDIXERINT VOBIS: Quia ministri Christi initiantur aduersis, iniurijs & calamitatibus, 480
Sancti apparent vt columnæ igneæ, quia fulciunt clientes & fideles eorum sunt aduocati. 68
Sunt Reges & Sacerdotes Dei: quibus ipse Rex gloriæ ministrat. 7
Felicitas cœlestis patriæ, ad quam per mundi huius exsilium & peregrinationem contendimus. 502
Illa est vera nostra patria: ibidem nos expectant parentes & cognati cœlites. 501. 502
Decet ideo cœlestem esse vitam Christianorum, vt ad cœlum perueniant, & stellarum instar fulgere, 76 78. 83
In festo Præsentationis B. V. 21. Nou. Luc. 11
B. V. Sacrarium fuit Spiritus S. Vterus eius virginalis templum & habitaculum filij Dei, 404
Melchior Rex Cranganore Deiparæ viuenti triennio post ortum Christi templum construxit: & Breui post eius cultus simili excitata basilica Calecuti fuit propagatus. 214
In Dedicatione ecclesiæ. Lucæ 19.
IN DOMO TVA OPORTET ME MANERE Mundanda domus nostræ conscientiæ est, eamque libenter Deus inhabitabit 393
Anima nostra templũ Dei est: in quo recipiẽdus 113
Domus ecclesiæ consecrata est die Epiphaniæ: quãdo præter Iudæos trium orbis partium Legatos comprehendit. 393
Ecclesia militans ciuitas quadrata constructa è quatuor muris ædificatore & fundamento Christo. 10. 11
Beneficis & structoribus Regibus. 11
EXCEPIT ILLUM GAVDENS. Curiosè videndi tantum cupido Christus offert se hospitem, accommodans se moribus & desiderio eius. 181
Desiderium Melchioris & Angeris consulendi alios ad tranquillandam conscientiam peperit eis, & eorum regnis salutem, 217
HODIE SALVS DOMUI HVIC FACTA EST. Dedicatio solennis Aquensis ecclesiæ. 703
S. Lucianus in carcere ex discipulis suis templum & pectore suo altare instituit sacrificaturus. 743
EO QVOD ET IPSE FILIVS SIT ABRAHÆ. Zachæus hospitalitatẽ Abrahæ imitatus, eiusdem filius ad optatur. 197
Ciuitas cœlestis fũdatur in spe cœlestiũ bonorũ. 133
Adoratio Regũ profunda in stabulo confundit fideles in templo indigna isto loco tractantes 124
Impietas quorundam tempore sacri non ado n 1
Christum, sed ride[illegible] 41

PROTESTATIO ET PETITIO

AVTORIS.

SIQVID In hoc tripartitum PRIMITIARVM GENTIVM SEV MAGORVM EVANGELICORVM HISTORIÆ & Encomiorum opus per ignorantiam aut incuriam meam aut Typographi, erroris irrepserit, contra SS. Patrum doctrinam, Apostolicas Sanctiones, vel quid alterius, iuri legitimo repugnans, aut quod meritò quemquam prudentem offendere possit, erasum cupio; nec solum omnia S. M. Ecclesiæ Romanæ Magistræ totius orbis Christiani censuræ demississimè submitto, sed cuiusvis etiam prudentioris saniori consilio subijcio, monitus libenter correcturus: cuiusuis enim hominis est errare, nullius nisi insipientis in errore perseuerare.

Dum verò autoritate Ferdinandi Archiepiscopi Colonienſis literis anno, 1647. 27. Iulij expressa, & Maximiliani Henrici successoris anno 1650. 9. Nouembris clementissimè communicatâ, ac Superiorum meorum iussu Annales Metropolis Colonienſis adorno; cum mihi nonliceat per otium loca singula, prout vellem, inspicere, dignentur omnes & singuli Collegiatarum Regularium & Parochialium Ecclesiarum, & Conuentuum Prælatiores, Superiores & Rectores: quos humillimè pro honore Dei & S. Ecclesiæ Catholicæ nec non suarum Ecclesiarum & congregationum obtestor: Toparchæ item, Satrapæ, & præfecti locorum & oppidorum gesta illic memorabilia, Diuos Tutelares, insigniores reliquias, imagines & Statuas miraculosas, ad quas frequens populi concursus, vel votiuæ peregrinationes olim adornatæ fuerunt, vel adhuc instituuntur, & signata tabulis prodigia significare; veteres etiam Inscriptiones, antiquitates, rariora monumenta, diplomata vel subscriptiones saltem Archiepiscoporum Colonienſium, si quæ his similia in sacrarijs, bibliothecis, vel archiuis continentur, quæ ad eorundem Archiepiscoporum Colonienſium initium & finem regiminis cognoscendum, historias Patronorum loci illustrandas, Archidiœcesis honorem vel congregationum initia, progressus & incrementa faciunt, mecum beneuole & compendio, pro vt eis placebit, communicare, vt citius & solidius Diuorum nostrorum Tutelarium historiæ, maiorum gesta, diuinaque beneficia regionibus hisce collata per ætates & annos singulos digesta in lucem prodeant ad posterorum memoriam, & imitationem, ac Diuinæ Maiestatis gloriæ maius incrementum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

O. ad. H. 9.
128

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf